



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>







77-7-1

59-10



DER  
N<sup>o</sup>-9330

4



4



COLLEGI

COMPLUTENSIS

SANCTI CYRILLI

DISCALCEATORVM FF.

Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli,

11:21

C 62

DISPV TATIONES

IN ARIST. DIALECTICAM

& Phylosophiam Naturalem.

IVXTA MIRAM ANGELICI DOCTORIS

D. Thomæ doctrinam & eius Scholam.

EIDEM COMMUNI MAGISTRO; ET

Florentissimæ Scholæ dicatæ.



Es de la Biblioteca del  
muy ilustre Colegio de SAN-  
TA CATALINA Mártir de  
los Verdes de la Universi-  
dad de Alcalá.

CAJON

NUM.

LVGDVNI.


Sumptibus IOANNIS ANTONII HUGVETAN,  
& GUILLELMI BARBIER.

M. DC. LXVIII.



Este libro es de la Colección de San Clemente de  
San de Meda 2

hallarse en su caja en el año de 1796 lo sente aquí

Albendaz  




SERENISSIMO  
AC ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI *Edictum Clementis*  
HENRICO BORBONIO,  
ANTISTITI METENSI,  
Abbati Sancti Germani, &c.

**L**RIA sunt potissimum, si humana spectemus, (SERENISSIME PRINCEPS ANTISTES) quæ vetusta literarum monumenta in Gallia, eiusque incolis suscipiunt, ac miris in coelum usque laudibus extollunt. Primum quidem est, illa soli agrique vbertas foelicissima, qua stupenda omnium rerum, quæ indigentia subleuandæ vitæ humanæ v sui forent, congerie, cumulata summo Dei Optimi Maximi beneficio, ita pollet, ut & suis ad voluptatem, exteris verò ad satietatem usque cuncta necessaria liberalissimè subministret, cuius rei assertores duos sanctissimos Episcopos testes locupletissimos in medium proferre licebit. quorum alter est Saluianus nominatissimus ille Antistes Massiliensis. Illic, inquit, omnis Regio, aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut confita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfusa fluminibus, aut crinita messibus; ut verè possessores ac domini terræ illius, non tam soli istius portionem, quam paradisi imaginem possedisse videantur. Alter verò Sollius Sidonius, Aruernorum præsul, veteris reparator eloquentiæ, non minus florenti stilo ita scribit. Taceo illud æquor agrorum, in quo sine periculo quæstuosæ fluctuant in segetibus vndæ, quod industrius quisque, quo plus frequentat, hoc minus naufragat. Viatoribus molle, fructuosum aratoribus, venatoribus voluptuosum, quod montium cingunt dorso pascuis, latera vinetis, terrena villis, saxosa castellis, opaca lustris, aperta culturis, concava fontibus, abrupta fluminibus, quod deniquè huiusmodi est, ut semel visum aduenis multis patriæ obliuionem sæpè persuadeat. Et in Panegyrico quem dixit Auito Augusto,

*Lib. 7. de Providen.*

*Fœcundus ab urbe*

*Pollet ager primò qui vix profcissus aratro  
Semina tarda sitit, vel luxuriante iuuenco  
Arcana exponit piceam pinguedine glebam,  
Assurrexit huic, coxit quod torridus auster,  
Niliacum Libycumque solum collataque semper*

2 ij

*Arida*



*Arida Mygdonias damnarunt Gargara falces,  
Apulus & Calaber cecidit,*

Huic laudi proximè accedit, quòd Gallis à natura genius quidam inditus est in arma tractanda, remque militarem gerendam impensissimus, si vel B. Hieronymo fides adhibeatur. Sola Gallia monstra non habet, sed viris semper fortissimis, & eloquentissimis abundauit, quod & oraculo Summi Pontificis Urbani secundi in Concilio Claromontano prolato affirmatum, Vobis præ cæteris gentibus contulit Dominus insigne decus armorum, magnitudinem animorum, agilitatem corporum, virtutem humiliandi, verticem capilli vobis resistentium, quod noster rediuius Virgilius Baptista à Mantuanus cecinit.

c Robertus  
Monach.  
lib. 1. hist.

d Lib. 1. hist.

*Gallia fert acres animos & idonea bello  
Corpora, non illis ausit componere sese  
Thracia, qua Martem genuit, non Parthia versis  
Qua bellatur equis, fugiens licet inclyta Classo  
Facta sit extincto signisque superba Latinis.*

In viis  
Philoso-  
phorum.

Lib. 15.

Sed id quod Palmarium censemus, est; in Gallis semper viguisse Philosophiam, & rerum tum diuinarum, tum humanarum exquisitissimum studium hinc apud Maiores nostros nomina pene innumera priscarum sectarum Philosophiæ, vt Samothei, Sarronides, Eubages, Bardi, Vicij, Druidæ aliæque id genus, quos Philosophiæ inuentores fuisse, & ab illis cæteras Gentes, etiam Græcos ipsos illam didicisse, authores grauissimos scripsisse testis est Græcus Digenes Laërtius. Philosophiam, inquit, à Barbaris initia sumpsisse complures Authores asserunt; cõstat enim apud Persas claruisse Magos; apud Babylonios, & Assyrios floruisse Chaldæos, apud Celtas, & Gallos Druidas, qui & Samothei dicuntur, qui teste Aristotele in Magico, & Sothione in decimo tertio successionum libro, Diuini atque humani iuris fuerunt peritissimi, & ob id Religioni deditissimi, ac propterea Samothei sint appellati, cui autem rei incumbere illi veteres sapientes disertè enarrat Ammianus Marcellinus his verbis; Per hæc loci hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum inchoata per Bardos, Eubages, & Druidas; & Bardi quidem fortia viro- rum illustrium facta Heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt; Eubages vero scrutantes summa & sublimia naturæ pandere conabantur; inter hos Druidæ ingeniis celsiores, sodalitiis astricti consortiis, quæstionibus occultarum rerum altorumque erecti sunt, & despectantes humanarum humana pronuntiarunt animas immortales. Quæ quidem Philosophiæ laus perpetua serie ad posteros transmissa est, donec hæc Academia Parisiensis, omnium aliarum totius orbis Academiarum Princeps & Origo, pluribus incrementis auctam illam laudem ad hanc vsque ætatem deduxit, de qua id tantum dixero, quod vetustus Poëta Architrenius scribit.

*Exoritur tandem locus altera regia Phæbi  
Parrhisius Cyrrhaa viris, Chrysea metallis.  
Græca libris, Inda studiis, Romana Poëtis,  
Attica terra Sophis, mundi rosa, balsamus orbis.*

Hæc omnia etsi adeò illustria sint, vt solis radio scripta esse videantur in te  
(ILLVS

( ILLVSTRISIME PRINCEPS ) illustriora nostro sæculo refulgent. Quid enim vultus tui ad omnem humanitatem efformati species illa digna Imperio oculis omnium ingerit, nisi candorem animi incredibilem, & perenne ver omnium virtutum floribus arridens, & efflorescens? Verum quidem est arma, quæ tractas, spiritalia esse. & non terrena, iuxta magnum Apostolum, castris cum Ecclesiæ ab Henrico magno parente autoratus, & iam pridem insertus totum te ad militiam spiritus contulisti, in qua omnes virtutes suis telis, & flammulis instructæ aduersus vitia decertant iustitia nempe contra iniquitatem, temperantia contra luxuriam, fortitudo contra ignauiam, prudentia contra temeritatem, constantia contra leuitatem, humilitas contra superbiam, charitas contra inuidiam, liberalitas contra avaritiam, aliæque omnes Regiæ & Principe dignæ virtutes aduersus ea monstra, quæ tibi tanquam Herculi ad virtutis culmen properanti sese opponunt. Quod bellum longè illustrius cæteris, in quibus de summa Imperij contenditur; cum obstinatissimum, & veluti perpetuum sit, hostes habeat infensissimos. & immanissimos, res verò de qua pugnatur omnibus caducis rebus longè anteponenda sit, salus nempe nostra æterna. In quo bello, ( PRINCEPS ILLVSTRISIME, ) adolescens, illos triumphos, & spolia optima adeptus es, Dei summo beneficio, quæ nec ipsi veterani Duces tentare auderent. Denique ita diuinæ & humanæ sapientiæ omnes penitiores adytus penetraisti in eo flore iuuentutis, vt demum Gallia nostra fortunata iuxta Platonis mentem dici iure possit; cum Principem Philosophum doctissimum, & quod maius est, Theologum versatissimum in te habeat. Quod vel celeberrimæ illæ Disputationes in Academia Parisiensi à te summo omnium stupore propugnatae testantur, idque tot testes habet, quot viros doctos illa Academia possidet: quæ omnia efficient, vt omnes boni sperant, vt per virtutem & tui insignes animi dotes, ad prima Principum Ecclesiæ subsellia pertraharis. Hæc sunt, quæ nos impulerunt, ( PRINCEPS ILLVSTRISIME, ) vt hoc corpus Philosophiæ rationalis dicendum censeremus tibi iam pridem multis nominibus mancipatum. Inter omnia verò est illa humanitas singularis, qua Monasterium hoc sancti Ioseph in tuo fundo Sancti Germani situm, totamque minimam Congregationem nostram prosequeris, & quam plurimis beneficiis in dies tibi deuincere pergis; id iure sibi vindicat, ni notam ingrati animi incurrere velimus. Accipe igitur, ( PRINCEPS ILLVSTRISIME, ) Opus hoc Philosophicum, illudque, ea qua soles humanitate intueri, ea qua polles auctoritate tuere; ita enim fiet, vt à tanto Principe & Philosopho probatum æternum.

*Florescat, vigeat, placeat, laudetur, ametur.*

*Tibi addictissimum Collegium Sancti Ioseph  
Parisiense, Excalceatorum Ordinis B. Mariæ  
de Monte Carmelo.*

Lutetiæ Parisiorum 3. Decembris;  
anno aſſertæ salutis 1627.

I N D E X

\*\*\*\*\*  
**INDEX TVM LIBRORVM, ET CAPITVM; TVM**  
*disputationum, & questionum qua in hoc tomo continentur.*

<b>R</b> E A M B V L A de modis sciendi. 2	
Lib. I. de vocibus simplicibus scilicet terminus eorum proprietatibus, pagina. 7	
C. 2. de significatione, seu ratione signi. 7	
Cap. 2. de natura seu essentia termini. 7	
Cap. 3. de variis diuisionibus termini. 8	
Cap. 4. de aliis diuisionibus termini vocalis. 9	
Cap. 5. de suppositione. 10	
Cap. 6. De ampliacione, restrictione, alienatione, & diminutione. 12	
Cap. ult. De appellatione. ibid.	
Lib. II. De propositione, ut passionibus eius. 13	
Cap. 1. De nomine, & verbo. ibid.	
Cap. 2. De oratione. 14	
C. 3. de propositione in comuni, & eius diuision. 15	
Cap. 4. De propositionibus hypotheticis. 16	
C. 5. de oppositione propositionum simplicium. 18	
Cap. 6. De legibus istarum oppositionum. 19	
Cap. 7. De æquipollentia, & conuersatione propositionum simplicium. 20	
C. 8. De essetia, & speciebus propositionis modalis. 21	
C. 9. De quantitate, qualitate, oppositione æquipollentia, & conuersione propositionis modalis compositæ. 23	
Cap. ult. De propositionibus exponibilibus. 25	
Lib. III. de Argument. & eius proprietatibus, pag. 26	
Cap. 1. De speciebus argumentationis. 26	
C. 2. De legibus communibus argumentationum: ubi etiam specialiter de inductione. 27	
Cap. 3. De syllogismo, & triplici eius figura. 28	
Cap. 4. De regulis, tam communibus trium figurarum, quam speciebus vniuscuiusque. 29	
C. 5. De modis syllogismorum in vnaquaque figura. 30	
Cap. 6. De probatione syllogismorum perfectorum, & reductione imperfectorum. 35	
Cap. 7. de aliis syllogismorum diuisionibus. 38	
Cap. vltimum. De arte inueniendi medium. ibid.	
D I S P. I. Proæmialis. pag. 41	
Quæst. 1. De nomine, existentia, inuentione, & dignitate Dialecticæ. ibid.	
Quæst. 2. Vtrum obiectum Logicæ sit quid reale, vel rationis. 43	
§. 1. Refertur cum suis fundamentis sententia asserens, hoc obiectum esse aliquid reale. 44	
§. 2. Præmittuntur aliqua ad resolutionem quæstionis necessaria. 45	
§. 3. Statuitur vera sententia Diui Thomæ, & quæstio resoluitur. 46	
§. 4. Argumentis pro contraria sententia factis respondetur. 47	
Qu. 3. Quodnam ens rationis sit obiectum Logicæ. 48	
Quæst. 4. Quid sit Logica docens, & vtens: & vtrum sit idem habitus. 51	
§. 1. Explicatur amplius, qua proprietate Logica dicatur vtens respectu partistopicæ & sophisticæ. 52	
§. 2. Tractatur secunda pars quæstionis. 54	
Quæst. 5. Vtrum Logica sit scientia. ibid.	
Quæst. 6. Vtrum Logica sit scientia practica, vel speculatiua. 56	
§. 1. Quid significet praxis, & an reperiatur in intellectu. ibid.	
§. 2. Tractatur præcipua difficultas, & quæstio resoluitur. 58	
Quæst. 7. Quomodo Logica sit necessaria ad alias scientias. 61	
Quæst. 8. Quid sit finis Logicæ, & in quas partes sit diuidenda. 62	
Appendix de methodo, seu modo procedendi. 63	
Prima pars Logica de secundis intentionibus, quibus	

dirigitur prima operatio intellectus. 63	
D I S P. II. De ente rationis. 66	
Quæst. 1. An detur ens rationis. ibid.	
Quæst. 2. An in sola denominatione extrinseca, vel in aliquo esse ficto, consistat essentia entis rationis. 67	
Quæst. 3. Per quam potentiam, & quo eius actu fiat ens rationis. 69	
§. 1. Statuitur vera sententia, & legitimæ eius rationes indagantur. 70	
§. 2. Soluuntur argumenta supra posita simulque expenditur quid de phantasia, & cogitativa hominis dicendum, sit in hac quæstione. 71	
Quæst. 4. Quotuplex sit ens rationis. 73	
Quæst. 5. Quid sit secunda intentio logicalis, & quæ eius proprietates, & species. 75	
D I S P. III. De essetia vniuersalis. 79	
Quæst. 1. An à parte rei dentur naturæ, quæ denominari possint vniuersales. 80	
Qu. 2. Vtrum à parte rei detur vniformis in natura. 81	
Quæst. 3. Vtrum à parte rei detur in natura vna unitas communis, vel potius multiplicetur in inferioribus. 84	
Quæst. 4. Quomodo in vnoquoque indiuiduo distinguantur unitas formalis, & numerica. 83	
Quæst. 5. An à parte rei detur vniuersale pro formalis, seu vniuersalitas. 85	
§. vnicus. Quæ sit aptitudo, quam pro formali dicit vniuersale, & in ipsa detur à parte rei. 87	
Quæst. 6. Per quem actum intellectus resultet in natura vniuersalitas. 88	
§. 1. Variæ sententiæ cum suis Autoribus, & fundamentis referuntur. ibid.	
§. 2. Conciliatis variis D. Thom. testimoniis, legitime eius mens, & vera sententia stabilitur. 89	
§. 3. Fundamenti aliarum sententiarum satisfit. 91	
§. 4. Quid de vniuersali Metaphysico sentiendum sit, ex dictis explicatur. ibid.	
D I S P. IV. De passionibus vniuersalis. 92	
Quæst. 1. Quomodo vniuersalia sint perpetua: & an peremptis singularibus pereant etiam vniuersalia. ib.	
Quæst. 2. Quomodo propositiones vniuersales sint æternæ veritatis. 94	
Quæst. 3. Quid, & quotuplex sit prædicatio. 95	
Quæst. 4. Quomodo prædicationes fiant in nominibus primæ intentionis. 97	
§. 1. An concreta prædicantur de concretis. 98	
§. 2. An abstracta tam substantialia quam accidentalia verè prædicentur de abstractis. ibid.	
§. 3. An concreta prædicentur de abstractis, & abstracta de concretis. ibid.	
Quæst. 5. Quomodo prædicationes fiant in nominibus secundæ intentionis, tam inter se quam respectu primarum. 101	
Quæst. 6. An vniuersalia sunt tantum quinque. 102	
Quæst. vlt. An vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia. 105	
CAP. I. De genere. 107	
Notationes & dubia circa hoc caput. 108	
D I S P. V. De genere primo prædicabili. 109	
Quæst. 1. An definitio generis à Porphyrio tradita sit bona: & vtrum sit essentialis, vel descriptiua. ibid.	
Quæst. 2. Quomodo definiantur tam concreta, quam abstracta accidentium. 111	
Dubium appendix: An accidens in concreto, rectè etià definiatur per concretum superius loco generis. 114	
Quæst. 3. quod sit definitum in definitione generis: & generaliter in definitionibus aliorum prædicabilium quando definiuntur in concreto. 115	
Qu. 4. Quid ponitur pro genere in definitione huius, &	

& aliorum prædicabilium: ubi etiam statuuntur essentielles eorum definitiones.	118
Qu. 5. An natura generica prædicetur de speciebus vtrout, vel vtr pars & quomodo cõtineat differẽtias.	102
§. 1. Quid sit compositio, quam appellant Metaphysicam: & quomodo sumantur partes.	ibid.
§. 2. Tractatur præcipua difficultas: & quæstio resoluitur.	122
Quæst. 6. vnde sumatur genus, & differentia, tam in substantiis, quam in accidentibus.	124
CAP. II. De specie.	127
Notationes, & dubia circa hoc caput.	ibid.
DISP. VI. De specie secundo prædicabili.	128
Quæst. 1. An definitiones speciei à porphyrio traditæ sint bonæ.	ibid.
Quæst. 2. An genus possit conseruari in vnica specie, & species in vnico indiuiduo.	130
Quæst. 3. Vtrum species quatenus subiicibilis sit vniuersalis: vel quomodo se habeant hi respectus.	131
Quæst. 4. Vtrum omnis species subiicibilis sit etiam prædicabilis.	134
Quæst. 5. Quomodo ordinanda sit arbor prædicamenti substantiæ.	136
Quæst. 6. De natura indiuidui.	138
CAP. III. De Differentia.	140
Notationes, & dubia circa litteram capituli.	ibid.
DISP. VII. De differentia tertio prædicabili.	141
Quæst. 1. Qualis sit prima diuisio differentiæ: ubi etiam de definitionibus eius.	ibid.
Quæst. 2. An differentia sit vniuersalis, per ordinem ad speciem, quam constituit, vel per ordinem ad indiuidua.	143
Quæst. 3. An dentur differentiæ vltimæ, quæ cum speciebus conuertantur.	143
§. vnicus An secunda definitio Porphyrij conueniat etiam differentiis infimis.	146
Qu. 4. Vtrũ differẽtia infima includat subalternas.	146
Qu. 5. An quælibet differẽtia sit perfectio genere.	146
CAP. IV. De proprio, 131. Notationes, & dubia circa hoc caput.	ibid.
DISP. VIII. De proprio quarto prædicabili.	132
Quæst. 1. An proprium solum quarto modo acceptum constituat prædicabile; ubi etiam definitio eius exponitur.	ibid.
Quæst. 2. Respectu cuius proprium constituatur in esse vniuersalis: ubi etiam an subalternum, infimum pertineant ad hoc prædicabile.	154
CAP. V. De accidenti.	155
Notationes circa hoc caput.	ibid.
DISP. IX. De accidenti quinto prædicabili.	156
Quæst. 1. An rectè definiatur accidens à Porphyrio: ubi etiam respectu quorum constituatur in esse quinti prædicabili.	ibid.
Quæst. 2. In quo differant propria passio, & accides commune.	158
CAP. VI. De comanitatibus quinque prædicabilium.	160
An prædicamenta Aristotelis.	162
C. I. De æquiuocis, & vniuersis, & denominatis.	ibid.
Notationes, & dubia circa hoc caput.	ibid.
DISP. X. De nominum analogia.	164
Quæst. 1. quid sit analogia.	ibid.
Quæst. 2. quotuplex sit analogia.	165
Qu. 3. quæ sunt cõditiones vtriusque analogiæ.	166
Quæst. 4. An conditiones vtriusque analogiæ sint rectè assignatæ.	167
§. 1. Nonnulla ex Mathematicis ad præsentem materiam necessaria præmittuntur.	ibid.
§. 2. Applicatur doctrina tradita præsentis instituti: & quæstio resoluitur.	169
§. 3. Argumentis in principio quæstionis adductis responderetur.	171
§. 4. Cæteræ analogorum cõditiones, & proprietates ex dictis inferuntur, & explicantur.	172

CAP. II. De complexis, & incomplexis.	173
Notationes & dubia circa hoc caput.	ibid.
CAP. III. De regulis.	174
Notationes, & dubia circa hoc caput.	ibid.
C. IV. De diuisione entis in decem prædicamenta.	176
Notationes circa hoc caput.	177
DISP. XI. De Diuisione entis in sua inferiora.	ibid.
Quæst. 1. Vtrum ens sit pure æquiucum respectu suorum inferiorum.	ibid.
Quæst. 2. Vtrum ens sit vniucum respectu suorum inferiorum.	179
Quæst. 3. quæ analogia ens sit analogum respectu suorum inferiorum.	181
Quæst. 4. Vtrum ens sit transcendens respectu suorum inferiorum.	183
Quæst. 5. Vtrum ens dicat conceptum communem, & præcisum à suis inferioribus.	185
§. 1. Quid de conceptu obiectiuo dicendum sit.	186
§. 2. Argumentis pro contraria sententia factis responderetur.	188
Quæst. vlt. quomodo aliqua dubia antepædicamentalia expedienda sint.	189
Dubit. 1. quæ entia, & quomodo in prædicamentis collocentur.	ibid.
Dubit. 2. quot sint prædicamenta.	190
Dubit. 3. An inhærentia aptitudinalis sit de essentia accidentium.	191
Prædicamenta Aristotelis.	192
CAP. V. De subsistentia.	ibid.
Notationes, & dubia circa hoc caput.	ibid.
DISP. XII. De prædicamento substantiæ.	194
Quæst. 1. quænam sit propria, & formalis ratio constitutiua huius prædicamenti.	ibid.
Quæst. 2. Iuxta quam rationem substantia diuidatur in primam, & secundam: qualis sit hæc diuisio.	196
Quæst. 3. An definitiones primæ & secundæ substantiæ sint rectè assignatæ.	197
Quæst. 4. Quænam substantiæ in hoc prædicamento collocentur.	198
Quæst. 5. Quomodo intelligendæ sunt proprietates substantiæ ab Aristotele traditæ.	200
§. vnicus explicantur amplius quomodo soli substantiæ conueniat esse subiectũ quod accidentium.	201
CAP. VI. De quantitate.	203
Notationes, & dubia circa hoc caput.	ibid.
DISP. XIII. De prædicamento quantitatis.	204
Quæst. 1. An quantitas realiter distinguatur à substantia.	205
Quæst. 2. In quo consistat ratio formalis, & essentia quantitatis.	ibid.
Quæst. 3. An substantia corporea sine quantitate habeat partes.	208
§. 1. Refertur sententia affirmans, varlaque eius argumenta adducuntur.	ibid.
§. 2. Nonnullis prænotatis, sententia negans, & vera proponitur, & statuitur.	210
§. 3. Argumentis pro contraria sententia factis responderetur.	211
Quæst. 4. An linea superficies, & corpus sint veræ species quantitatis continuæ.	213
Quæst. 5. An locus, tempus, & motus sint veræ species quantitatis continuæ.	215
Qu. 6. Quid sit vnitas prædicamentalis. Et vtrum addat aliquid supra quantitatem continuam.	217
Quæst. 7. An numerus prædicamentalis sit ens per se, & vera species quantitatis.	220
Quæst. 8. An & quomodo vltima vnitas sit forma numeri.	222
Quæst. vlt. An oratio sit vera species quantitatis.	224
CAP. VII. De ad aliquid.	225
Notationes, & dubia circa hoc caput.	226
DISP. XIV. De prædicamento relationis.	ibid.
Qu. 1. An dentur relationes reales, & quidnam illæ sint.	226



# INDEX.

fin.	ibid.	DISP. XVII. De praequisitis ad demonstrationem. ib.	
Quaest. 2. Quænam relationes pertineant ad hoc prædicamentum.	218	Quaest. 1. Vtrum omnis cognitio intellectiua fiat ex præexistenti cognitione.	ibid.
Quaest. 3. Quæ conditiones requirantur ad relationem realem prædicamentalem.	230	Quaest. 2. An recte assignentur ab Arist. duæ præcognitiones, & tria præcognita.	281
Quaest. 4. Quot sint fundamenta relationis.	231	Quaest. 3. An assensus præmissarum sit causa assensus conclusionis, & in quo genere.	283
§. 1. De primo fundamento relationum.	232	Quaest. 4. An per assensus præmissarum necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni.	289
§. 2. De secundo fundamento relationum.	233	DISP. XVIII. De essetia & diuisionibus demonstr.	291
§. 3. De tertio fundamento relationum.	234	Quaest. 1. An definitiones demonstrationis ab Aristot. traditæ sint recte.	ibid.
Quaest. 5. Vtrum relatio distinguatur realiter à suo fundamento.	ibid.	Dubium appendix: quomodo sit intelligendum axioma, quod hic habet Arist. scilicet: propter quod vnumquodque tale & illud magis.	293
§. 1. Expenduntur aliqua ad quaestionis solutionem necessaria.	136	Quaest. 2. De aliis conditionibus præmissarum.	294
§. 2. Statuitur vera sctetia, & quaestio resoluitur.	137	§. 1. An præmissæ demonstrationis debeant esse de omni & per se.	ibid.
§. 3. Argumentis supra factis responderetur.	138	§. 2. An præmissæ demonstrationis debeant esse de prædicato vniuersali.	295
Quaest. 6. Vtrum relatio terminetur ad respectiuum, vel ad absolutum.	139	§. 3. An demonstratio debeat procedere ex propriis, non verò ex extraneis aut communibus.	296
§. 1. Variæ Doctorum sententiæ referuntur.	140	Quaest. 3. Vtrum diuisio demonstrationis in qua, & propter quid sit adæquata.	297
§. 2. Statuitur vera sententia: ipsaque auctoritate, & ratione probatur.	141	Qu. 4. Quænam sit hæc diuisio, & vtrum propter solam demonstrationem propter quid producat habitus scientiæ,	300
§. 3. Arg. pro prima sententia factis responderetur.	144	DISP. XIX. De scientia, quæ est effectus demonstrationis.	303
§. 4. Fundamentis tertriæ sententiæ satisficit, simulque explicatur, quare non dentur duo genera suprema relationum.	146	Quaest. 1. Quid sit scientia: & in quo ratio propria subalternationis consistat.	ibid.
Qu. 7. Vnde sumatur vnitas, vel distin. relationū.	147	Quaest. 2. An & quomodo cum subalternatione explicata, stet subalternasam verè esse scientiam.	306
§. 1. Media sententia aliis præfertur, & probatur.	148	Quaest. 3. An scientia subalternata sit verè scientia, in eo qui non habet subalternantem.	309
§. 2. Proposita & expedita quadam emergendi obiectione satisficit argumentis initio factis.	149	Quaest. 4. Quam vnitatem habeat vnaquæque scientia; & vnde illa sit desumenda.	311
§. 3. Quomodo disponenda sit arbor huius præd.	250	§. 1. Referuntur, & impugnantur variæ sententiæ.	312
§. 4. Quid de vnitate numer. relat. dicendum sit.	251	§. 2. Nonnulla ad quaestionis solutionem necessaria præmittuntur.	314
Quaest. ult. Quomodo intelligendæ sunt proprietates relationum ab Aristotele assignatæ.	252	§. 3. Statuitur vera sententia, & quaest. resoluitur.	316
CAP. VII. De qualitate, & quali.	253	§. 4. Occurritur quibusdam obiectionibus, quæ fieri possunt contra propositas conclusiones, & argumentis supra adductis satisficit.	317
Notationes circa hoc caput.	254	Quaest. 5. Quomodo applicanda sit doctrina tradita singulis scientiis in speciali.	319
DISP. XV. De prædicamento qualitat.	255	§. 1. De sacra Theologia.	ibid.
Quaest. 1. An definitio qualitatis ab Aristotele tradita sit bona.	ibid.	§. 2. De prima Philosophia, seu Metaphysica.	ibid.
Qu. 2. Quænam sit congruentior qualitat. definitio.	256	§. 3. De Mathematicis extremis, scilicet Arithmetica, & Geometria.	220
Quaest. 3. De prima specie qualitatis, scilicet habitu, & dispositione.	258	§. 4. De Philosophia naturali.	ibid.
Quaest. 4. De secunda specie qualitatis, scilicet naturali potentia, & impotentia.	261	§. 5. De Musica, Perspectiua, Astrologia, & aliis scientiis mediis.	321
Quaest. 5. De tertia specie qualitatis, scilicet passione, & passibili qualitate.	ibid.	§. vltimus. De Logica.	322
Quaest. 6. De vltima specie qualitatis, scilicet forma, & figura.	262	DISP. XX. De aliis habitibus intellectus.	323
CAP. IX. De sex vltimis prædicamentis.	263	Qu. 1. Vtrum habitus principiorum sit distinctus ab intellectu, & in quo consistat.	ibid.
Notationes circa hoc caput.	ibid.	Qu. 2. An habitus principiorum sit natura inditus, vel quomodo fiat in nobis.	324
DISP. XVI. De sex vltimis prædicamentis.	264	Qu. 3. Quid sit opinio, & solertia, & in quo distinguantur à scientia.	326
Quaest. 1. An ista sex prædicamenta consistant in denominatione extrinseca. Vbi etiam: an sint quid absolutum, vel relationes.	ibid.	Qu. 4. An de eodem obiecto possint esse simul scientia, & opinio.	329
Qu. 2. De prædicamentis actionis, & passionis.	265	§. 1. An actus scientiæ, & opinionis possint esse simul.	ibid.
Quaest. 3. De prædicamento vbi.	267	§. 2. An habitus ipsi scientiæ, & opinionis possint esse simul.	331
Quaest. 4. De prædicamento quando.	268	§. 3. Fundam. oppositæ sententiæ responderetur.	332
Quaest. 5. De prædicamento situs.	278	§. 4. Expenditur vltimum argumentum de raptu D. Pauli; simulque explicatur quid de fide, & scientia dicendum sit.	333
Quaest. ult. De prædicamento habitus.	ibid.	Notationes in libros Topicorum Aristotelis.	234
Postprædicamenta Aristotelis.	271	Notationes in libros Elenchorum.	236
CAP. X. De oppositis.	ibid.		
CAP. XI. De modis prioris.	273		
CAP. XII. De modis simul.	ibid.		
CAP. XIII. De speciebus moris.	ibid.		
CAP. ult. De modis habere.	274		
Secunda pars Logica de secundis intensionibus, quibus dirigitur secunda operatio intellectus.	272		
Liber primus Perihermenias.	ibid.		
Liber secundus Perihermenias.	ibid.		
Notationes in duos lib. Periher.	ibid.		
Tertia pars logica de secundis intensionibus, quibus dirigitur tertia operatio intellectus.	276		
Notationes in duos lib. de prior. Analofi.	ibid.		
Lib. I. Posteriorum, seu demonstr.	277		
Liber secundus posteriorum.	278		

BREVES



# BREVES AD LOGICAM ARISTOTELIS INSTITVTIONES QVAS SVMMVLAS APPELLANT.

EX EIVSDEM PHILOSOPHI LIBRIS  
*deprompta, & ad formam Isagoges redacta.*

## P R O O E M I V M.



**D**I VINVS ille Philosophus Plato : cuius in dicendo tanta facundia fuit ; tanta in intelligendo vis , vt cum Cicero , & intelligendi , & dicendi grauissimum Auctorem fuisse dixerit : illud adiciens : si Iupiter humana lingua loqui voluisset , non alia , quàm Platonis lingua fuisse loquuturum : Inter alia documenta ad rectè , & fructuosè instituendos homines in Dei , & veritatis cognitione , quæ rescriptis Dionysio Siciliæ Tyranno , & expendit Marsilius Ficinus in argumento secundæ eius epistolæ , illud præcipuum esse duxit , vt ad secretiora , & recondita mysteria penetranda , ad Diuinorum scilicet indaginem , non statim introducatur iuuenis , nisi prius quibusdam disciplinarum gradibus instruat : *Inuestigatio enim diuinorum, (inquit) non rectè facta est nisi non debitis præmissis disciplinis , malorum omnium est causa.* Quæ quidem summi Philosophi sententia non solum in ipsa , quæ de sursum est sapientia , scilicet Theologia sacra comprobatur , in qua si aliarum disciplinarum expers quis ad Dei profunda rimanda accessisset , eò deueniret , ( inquit Ficinus , ) vt vel Deum negaret , vel de Deo indignum quid , & quæ non sunt Dei sentiret : sed etiam , proportionè seruata , in vnaquaque disciplina , & præcipuè in nostra Dialectica commendatur. Equum enim est , vt , antequam ad profundiores cuiuslibet scientiæ veritates Tyrones introducantur , leuiora aliqua , & faciliora addiscant , quibus ad alia occultiora , & à sensibus remotiora , via facilis , & expedita præparetur.

Hac de causa , cum ex vna parte Dialectica sit difficillima , librique , quos de ea conscripsit Aristoteles , non nisi peritis pateant : ex alia verò parte oporteat ipsam ante omnes alias scientias comparare , vt tradit D. Thom. op. 70. quæst. 5. artic. 1. ad 5. Idèò optimo consilio , communique Dialecticorum consuetudine institutum est , vt ante ipsam Dialecticam Isagoge aliqua , seu introductio præmittatur , in qua faciliora quædam præcepta , sed summè necessaria propo-

nantur , simulque tradatur rudis aliqua notitia vocum seu terminorum , quibus in scientiis pertractandis frequenter vtimur , quæ licet in ipsa Logica , vepote ad illam spectantia doceri possent , sicut in aliis scientiis traduntur ea , quæ ad ipsas pertinent : speciali tamen ratione ex Dialectica oportuit breuè quandam summam abstrahere : quia sicut ad alias disciplinas , sic etiam ad seipsam perfectè acquirendam Logica est quodammodo necessaria , vt explicamus infra disp. 1. proœmiali , ac proinde valdè rationi consentaneum fuit , ex his , quæ ad Dialecticam pertinent aliqua seligere , quæ ipsi per modum introductionis prætermitterentur.

## DE NOMINE ET AVTORE *huius Tractatus.*

**Q**Via omnia , quæ in his institutionibus continentur , depromuntur ex ipsa Dialectica ; idèò frequentius summæ , seu summolæ , id est , breues summæ nuncupantur , aut etiam , vt Vithalpandus inscripsit , summæ summularum : propterea quod summulas ipsas , suo tempore longiores , ad breuiorem summam redegit. Ab aliis etiam tractatus iste appellatur Isagoge , seu introductio ad Logicam : quia viam præpatat ad ipsam addiscendam.

Quamuis autem neuter rictus sit vndequeque proprius , quia si rigorem spectemus , non dicitur summa , nisi quæ breuiori modo omnia continet , neque propriè dicitur introductio , nisi quæ est extra rem , citius est introductio , quorum neutrum cernitur in hoc tractatu , cum neque contineat omnia , quæ traduntur in Logica , neque verè sit extra eam , vt diximus : utroque tamen modo conuenienter inscribitur : quia quamuis non omnia , quæ ad Logicam spectant , plura tamen continet : licet quæ in eo tractantur , non sint extra illam ; traduntur tamen per modum introductionis , & viæ ad ipsam perfectè comparandam. Et idèò utraque inscriptione non infrequenter videntur Doctores. Nos verò vt vtriusque defectum , quantum fieri posset vitaremus institutionum titulo , qui prior est , & ad rem , de qua disputatur , accommodatior , cum Magistro Vincentio Iullimano , & aliis grauius Dialecticis tractatum istum prænotauimus.

A

Primus

Colleg. Compl. Logica.

Primus ipſus auctor, qui ſcilicet ante omnes alios Logicam Ariſt. in epitomen, & per modum introductionis redegit, fuit Frater Petrus Hiſpanus ex inclyta Prædicatorum familia circa annum Domini 1250. ut ex monumentis Ordinis refert Antonius Sennenſis in ſua Bibliotheca, quem poſtea Dialectici omnes imitari ſunt plureſque eorum prædicti Petri opusculum commentariis lucidiſſimis exornarunt, ut Frater Dominicus Soto, Fr. Petrus Bruzellenſis, & alij Magiſtri ex eadem familia.

### De Obiecto & fine.

**O**bjectum dicitur illud, circa quod ars, vel ſcientia verſatur: quare cum præſens tractatus licet tradatur per modum introductionis; verè tamen non ſit extra Logicam, ut dictum eſt; neque etiam obiectum eius, poteſt eſſe extra obiectum adequatum Logicæ. Pertinent autem ad hoc obiectum adequatum non ſolum res, ſed etiam voces, quibus illæ ſignificantur, ut oſtendemus infra diſp. 1. & idè tractatus iſte præcipuè inſiſtit in tradenda notitia vocum, quæ omnino prærequiritur ad veram rerum cognitionem comparandam. Quo ſit ut voces ipſæ non pertineant ad præſens inſtitutum ſecundum quod in eis attenditur congruitas vel ornatuſ; ſic enim ad grammaticam & Rhetoricam ſpectant: ſed propterea deſerviunt ad diſcernendum verum à falſo, ſeu ad ordinandas, & dirigendas operationes intellectus, ac proinde ſub hac ratione voces ſunt obiectum, ſeu materia huius tractatus.

Per quod etiam patet quiſ ſit finis eius: ſi enim de proximo loquamur eſt aditum patefacere ad diſſilia, quæ in Logica continentur, penetranda; ſi verò ſermo ſit de fine remoto, hic non diſtinguitur à fine totius Logicæ, qui eſt dirigere operationes intellectus, ne errent in cognitione veritatis. Ex quo etiam ſatis apparet utilitas, & neceſſitas harum inſtitutionum.

### De Partitione.

**C**ommunior Dialecticorum ſententia partitur hunc tractatum iuxta diuſionem operationum intellectus quibus ipſe, & tota Logica deſeruit. Et idè ſciendum eſt triplicem eſſe operationem noſtri intellectus. *Prima* dicitur apprehenſio, & eſt actus, quo res ſimpliciter cognoscimus, abſque eo quòd aliquid affirmemus, vel negemus. *Secunda* dicitur iudicium, ſeu compositio, & diuſio: & eſt actus, quo aliquid de aliquo affirmamus, vel negamus. *Tertia* appellatur ratiocinatio, ſeu diſcurſus: & eſt actus, quo vnum ex alio colligimus. Quia ergò voces, quæ ſunt materia huius tractatus, prædictis operationibus inſerviunt, apprehenſioni quidem voces ſimplices, iudicio propoſitiones, quæ eiſdem vocibus ſimplicibus ſunt, & tandem diſcurſui argumentationes ex talibus propoſitionibus confectæ: idè tractatum iſtum tribus libris abſoluemus. In *primo* erit ſermo de vocibus ſimplicibus, ſeu terminis, & eorum proprietatibus. In *ſecundo* agemus de propoſitione, & paſſionibus eius. Et tandem in *tertio*, de argumentatione, eiùſque ſpeciebus, & proprietatibus diſputatio inſtituetur.

Cæterum: quia ad facile, & firmiter acquirendam cognitionem cuiuſcunque obiecti, omnino oportet præſcire modum quo illa ſit comparanda & propterea Logica, quæ docet generales modos ſciendi in aliis ſcientiis, addiſcitur ante illas, iuxta

illud Ariſtot. 2. Metaph. capite vltimo, *Absurdum eſt ſimul ſcientiam, & modum ſciendi querere,* idè priuſquam ad ſingulos huius tractatus libros accedamus, aliqua de modis ſciendi neceſſariò tradenda ſunt, quæ ut præambula toti operi præmittemus: ne proprium præcedendi modum, ſeu methodum inuerramus.

Per quod facile ſoluitur quæſtio, qua nonnulli recentiores in præſenti, non ſine temporis diſpendio valdè implicuntur: an ſcilicet incipiendum ſit à terminis, vel à modo ſciendi. Reſponderet enim, quòd licet iuxta methodum tradendis diſciplinis aptiorem, quæ appellatur methodus compositioſis, incipiendum eſſet à terminis: quia ſunt partes modi ſciendi, & conſequenter priorèſ, & ſimpliciorèſ illæ. Hoc tamen verum eſt ſecundum ſe, & quando aliud non obſtat: quia ut in præmialibus dicemus, quandoque vtimur methodo arbitraria: propter aliquas ſpeciales cauſas occurrentes. Vnde quia nos ignorato modo ſciendi vix poſſumus aliorum notitiam comparare: quia ipſe eſt generale inſtrumentum ad acquirendam ſcientiam: idè oportet aliqua de illo prælibare, methodum arbitriariam ſequentes. Quos duos præcedendi modos, ut quantum fieri poſſit complectamur, quæ de modo ſciendi dicenda ſunt ut præambula præmittamus, poſtea in primo libro de terminis diſputaturi.

Dices: ad prima inſtrumenta alicuius artis efficienda non præceſſerunt alia, ſed ad id deſeruierunt res aliquæ naturales: ergò pari ratione in Logica, & hiſ inſtitutionibus, ad quas pertinet tradere prima, & generalia inſtrumenta, ſeu modos ſciendi, non debet præſupponi notitia ipſius modiſciendi, ſed ad hoc ſufficiet ipſe intellectus, qui eſt Logica naturalis, aliàs dabitur proceſſus in infinitum.

Reſponderetur, quòd argumentum ſolùm probat, ad cognoscendos modos ſciendi non eſſe præſupponendam aliam cognitionem modi ſciendi, ſed ad id ſufficere lumen naturale intellectus: non tamen probat ad acquirendam notitiam aliorum, quæ non ſunt modi ſciendi, nempe terminorum, propoſitionum, & ſimilium non eſſe neceſſariam cognitionem modi ſciendi. Imò ex hoc ſumitur efficax argumentum pro noſtra ſententia, ut conſideranti patebit.

### P R A M B U L A de modis ſciendi.

**M**odus ſciendi eſt *Oratio ignoti manifeſtatio*. In qua definitione, *Oratio*, ponitur loco generis: quia in illa conuenit modus ſciendi, cum aliis orationibus, quæ non ſunt modi ſciendi, ut cum propoſitione, & ſimilibus. Quid autem ſit oratio, deſcribi poteſt pro nunc rudi Minerva ſic: Oratio eſt *plures voces congruè ſe habentes, & diuerſa ſignificantes*, ut *animal rationale*: per quas particulas excluditur à ratione orationis terminus æquiuocus: verbi gratia, canis, qui licet diuerſa ſignificet, non tamen plures voces. Excluduntur etiam termini ſynonimi, ut Marcus Tullius Cicero: nam licet ſint plures voces, non tamen ſignificant diuerſa.

Ut autem intelligatur quid ſit ignotum manifeſtare, ſciendum eſt ignotum eſſe duplex, aliud incomplexum, ut homo; aliud complexum, ut hæc propoſitio, *Homo eſt viſibilis*. Manifeſtare etiam tunc propriè dicimur, quando rem in conſuſo, & in tenebris

tenebris latentem in palam adducimus, & explicamus. Quare modus sciendi erit oratio illa, in qua aliquid ex his ignotis de confuso in palam adducitur, & explicatur. Et hic est sensus illorum verborum, *Oratio alicuius ignoti manifestatiua.*

Huiusmodi autem modus sciendi est triplex, scilicet definitio, diuisio, & argumentatio. Cuius partitionis sufficientia ostenditur ex præfata diuisione ignoti. Si enim illud fuerit complexum, manifestatur per argumentationem: si vero incomplexum, vel ignoramus essentiam & hanc explicat definitio: vel partes eius, & has manifestat diuisio. Ergo sicut nullum aliud datur ignotum, quod manifestetur, ita nullus datur alius modus sciendi, qui manifestet. Sit exemplum in homine, cuius si ignores essentiam, manifestatur per definitionem dicendo: *Est animal rationale.* Si verò ignores partes eius, manifestantur hac diuisione: *Hominis alia pars est anima, alia corpus.* Et tandem si ignores propriam passionem, quæ de illo prædicatur in hac propositione, *Homo est risibilis*, manifestatur per hanc argumentationem: *Omne rationale est risibile. Omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.*

Sed contra definitionem modi sciendi obiicies: quia si modus sciendi est oratio ignoti manifestatiua: ergo quando iam fuerit clarè cognita natura hominis, hæc definitio, *Animal rationale*, non erit modus sciendi, si quidem tunc non manifestat ignotum.

Respondetur, quòd licet definitio actu non manifestet ignotum ei, qui iam clarè cognouit naturam definiti: tamen ex natura sua est manifestatiua: & hoc sufficit ad rationem modi sciendi: quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem, iuxta vulgare Dialecticorum axioma infra explicandum.

Obiicies secundò contra diuisionem modi sciendi: quia propositio reuera est modus sciendi; & tamen non est definitio, diuisio, aut argumentatio: ergo modus sciendi est quadruplex. Probatür maior: quia si ignoranti naturam hominis dicatur: *Homo est animal*, verè manifestatur illi aliquod ignotum: ergò propositio est ignoti manifestatiua, & ex consequenti modus sciendi.

Hoc argumento aliqui conuicti concedunt propositionem esse modum sciendi, ac proinde ipsum esse quadruplicem: hæc tamen solutio falsa est: nam de ea ratione propositionis solum est enuntiare vnum de alio ad hoc autem vt verè manifestaret ignotum, deberet aliqua via ostendere, sic esse, sicut per talem propositionem asseritur: quod tamen non sit per ipsam, sed per argumentationem, vt patet. Et idèò responderetur, propositionem verè non manifestare ignotum, sed tantum enuntiare: quia secundum quod est propositio, non necessariò asserit res notiores, in quo consistit manifestatio modi sciendi. Quòd si aliquando in illa contineatur definitio, aut diuisio, vt cum dicitur: homo est animal rationale, aut, Hominis alia pars est anima, & alia corpus tunc; quidem propositio manifestat ignotum, non tamen ratione sui, sed ratione definitionis, aut diuisionis, quæ in ea includuntur.

#### De Definitione.

**D**efinitio solet communiter diuidi in definitionem, *quid rei*, & *quid nominis*. Definitio quid rei est, quæ explicat rei naturam. Definitio verò nominis est, quæ, quid nomen significet, aperit, vt quando fari explicatur per loqui, aut cosmos per

Colleg. Compl. Logica.

mundum, ad quam reducitur etymologia: vt si dicas lapidem dici à lædendo pede. Verè enim per hoc non explicatur natura ipsius nominis, vt res quædam est.

Non latet nos, alios aliter explicare definitionem quid nominis; sed non placet eorum expositio: nam definitio quid nominis, vt distinguitur à definitione quid rei solum potest esse explicatio significationis nominis, vel per aliud nomen clarius, vel etymologiam eius, aut alio consimili modo si enim nomen verè definiatur iuxta regulas benè definiendi per genus, & differentiam, vt si dicatur nomen, *homo*, est vox significatiua ad placitum nature rationalis, &c. talis definitio verè erit quid rei, si quidem nomen, prout sic definitum, verè est res quædam, & ens habens essentiam, quæ possit per definitionem explicari. Ex quo tandem fit solam definitionem rei esse propriè, & simpliciter definitionem, & ex consequenti prædictam diuisionem ad summum esse analogam, vt est ea, quæ homo diuiditur in viuum, & pictum. Relicta ergò definitione quid nominis.

Definitio quid rei est *oratio explicans naturam rei*. In qua definitione, *oratio*, ponitur loco generis, alia verò loco differentie; quia in ratione orationis conuenit definitio cum aliis modis sciendi, & per explicare essentiam differt ab illis, vt proportionabiliter diximus in definitione modi sciendi.

Potest autem dupliciter explicari essentia, nempe per partes essentielles, vel per proprias passiones. Et idèò definitio quid rei est duplex, alia essentialis, quæ scilicet explicat naturam rei, per partes essentielles, quæ si fuerint Metaphysicæ, nempe genus, & differentia, definitio dicitur Metaphysica, & huiusmodi est animal rationale. Si verò partes fuerint physicæ, scilicet materia, & forma, definitio dicitur physica, vt Homo est constans corpore, & anima rationali. Quæ definitio dicitur etiam causalis intrinseca: quia datur per causas intrinsecas, scilicet materialem, & formalem.

Alia est definitio descriptiua: quæ scilicet explicat essentiam per proprias passiones, vt animal risibile, ad quam pertinet definitio causalis, quæ datur per causas extrinsecas scilicet efficientem, & finalem, vt quando dicimus: homo est creatus à Deo ad beatitudinem consequendam. Vt autem hæc definitiones causales sint bonæ, debent assignari propriæ causæ definiti: si enim causæ sint communes, non poterit definitio conuerti cum suo definito, vt per se patet. Et idèò præcisè per causam materialem, scilicet materiam primam, non potest aliquid benè definiti: nec similiter per causam efficientem vniuersalem propter eandem rationem.

Vtrum autem præter definitionem essentialem, & descriptiuam detur definitio accidentalis, quæ scilicet tradatur, non per propriam passionem; sed per accidentia communia, difficultas est inter Doctores; quæ tamen non potest in præsentī commodè explicari, donec examinemus, quæ accidentia sint propriæ passiones; quæ verò communia: de quo agendum est in fine prædicabilium. Pro nunc tamen certum debet esse definitionem accidentalem, in cuius genere, & differentia definitum conuenit cum aliis rebus, non posse esse exactam; qua ratione, *animal album*, est bona definitio hominis: quia non solum in animali, sed etiam in albedine conuenit homo cum aliis, quod est contra rationem differ-

A 2 rentia



rentiæ, & bonæ definitionis : & in hoc sensu reiciunt aliqui definitionem accidentalem, quæ quidem merito reiceretur, si hoc modo explicanda esset talis definitio.

Cæterum, probatores Dialectici per definitionem accidentalem intelligunt eam, in qua differentia sumitur ex aliquibus accidentibus communibus, quæ licet separatim sumpta conveniant aliis tamen simul iuncta soli definito conveniunt, ut si dicas, *Homo est animal pulchrum, vipes, implume, habens caput erectum*. Hæc enim omnia sunt accidentia communia, & separatim sumpta conveniunt aliis; iuncta vero soli homini conveniunt. Et in hoc sensu definitio accidentalis verè est admitrenda, cum servat leges bonæ definitionis: ac proinde definitio in communi erit triplex, scilicet essentialis, descriptiva, & accidentalis: nisi hanc velis ad descriptivam reducere, eò quod omnia illa accidentia communia, simul iuncta quodammodo sunt propria definiti.

Hic solent assignari aliquæ regulæ bonæ definitionis. Prima est, quod definitio sit clarior suo definito. Vocatur autem definitum, id quod explicatur per definitionem, ut in hac definitione *animal rationale*, definitum est homo. Debet ergo definitio esse clarior definito: quia aliàs non posset ipsum manifestare.

Ex qua conditione infertur secunda, scilicet quod definitum non debet ingredi definitionem. Si enim ingrederetur, idem esset notius, & ignotius: cum esset definitum, & pars definitionis.

Tertia est, quod nec sit superflua, nec diminuta. Superflua enim potius parit confusionem, quam claritatem, ut si dicas, *Homo est animal ratione album*: diminuta verò non explicat totam essentiam definiti, ut cum dicitur, *Homo est vivens sensibile*.

Quarta, & principalis est, quod definitio constet genere, & differentia, vel saltem aliquo supplente vicem generis, & differentiæ. Cum enim essentia cuiuslibet rei, quæ per definitionem explicatur, habeat aliquid cum aliis commune, quod appellatur genus, & aliquid sibi proprium, & peculiare, quod dicitur differentia, planum sit utrumque exprimentum esse in definitione, ut explicari possit tota natura definiti.

Ex qua conditione infertur vltima, quod scilicet definitio convertatur cum definito, & è contra. Cum enim definitio contineat totam essentiam definiti, consequens est nulli alteri posse convenire.

Iuxta quas regulas, duo sunt modi arguendi in definitione. Primus est, à definitione ad definitum affirmatiuè, & negatiuè, & è contra, est bona consequentia, ut est animal rationale, ergo homo non est animal rationale, ergo non est homo; & è contra.

Secundus ferè in idem recidit, quod scilicet quidquid prædicatur de definitione, prædicetur de definito, & è contra. Hoc autem intelligendum est, de prædicatis realibus, non verò de intentionalibus, seu prædicatis rationis: non enim valet, definitio est modus sciendi; ergo definitum est modus sciendi; nec similiter, animal rationale est oratio: ergo homo est oratio; nec aliæ consequentiæ similes.

Circa modum autem loquendi observandum est, quod inquirenti quæ sit ista definitio, responderi debet, est essentialis, vel descriptiva, Physica, vel Metaphysica, &c. si verò inquiretur qualis sit ista definitio, responderi debet, est bona, vel mala: erit quidem bona, si servet leges assignatas; mala autem, si illas transgrediatur. Nunquam verò definitio dicenda est vera, vel falsa, cum non sit propositio, cuius

est verum, vel falsum significare.

Contra definitionem definitionis obiicies. Primò, quia idem non potest definiri per seipsum, aliàs esset notius, & ignotius, contra secundam regulam: ergo definitio non potest definiri. Probatur consequentia: quia si definiretur, definiretur per definitionem, & sic idem definiretur, per seipsum. Respondetur rationem definitionis in communi definiri per quandam definitionem in particulari: sive (ut alij dicunt,) definitionem in actu signato definiri per quandam definitionem in actu exercito: ac proinde non definitur idem per seipsum formaliter loquendo; nam ipsa ratio definitionis in communi, quæ est definitio in actu signato, non est definitio in actu exercito, sed potius definitum, quod explicatur per quandam definitionem in actu exercito.

Obiicies secundò: quia definitio definitionis, scilicet, *Oratio explicans naturam rei*, convenit divisioni: ergo est mala. Probatur antecedens: quia divisio explicat partes rei, sed partes sunt idem quod natura eius: ergo divisio explicat naturam rei.

Respondetur, negando antecedens: ad cuius probationem distinguenda est minor: si enim sensus sit partes esse realiter idem, quod natura rei, concedenda est: neganda verò, si sensus sit formaliter esse idem. Vnde quamvis divisio explicando partes explicet id, quod realiter est ipsa essentia: & natura: non tamen explicat illud formaliter, proptèr esse essentia, sicut facit definitio, sed solum explicat multipliciter in tali essentia existentem: quod aliis verbis solet dici, scilicet, definitionem explicare essentiam, quasi coniungendo partes, & componendo totum: divisionem verò quasi disjungendo, & diuidendo. Primum iudicatur dum dicitur, definitionem explicare essentiam rei: nam essentia significat per se totum totius coniuncti, & uniti. Secundum verò declaratur dicendo: divisionem explicare multipliciter, quia multiplicitas importat disunctionem, & separationem.

#### De Divisione.

**D**ivisio est oratio explicans multipliciter, seu totum in suas partes distribuens: ut hominis alia pars corpus, alia anima rationalis. Quæ definitio eodem modo explicatur, ac præcedentes. Solum est addendum, rem quæ diuiditur, appellari diuisum: partes in quas diuiditur, membra diuidentia; & orationem, quæ tales partes explicat, diuisionem. Cum ergò proprium sit diuisionis, diuidere totum in suas partes: iuxta diuersos modos totius, diuersæ etiam erunt diuisiones: quare sicut totum est triplex, scilicet potentiale, actuale, & accidentale; ita etiam triplex est diuisio, alia potentialis, alia actualis, & alia accidentalis.

Diuisio potentialis, quæ etiam dicitur vniuersalis, est illa, qua totum diuiditur in partes, quas sub se, & in potentia continet. Hæc autem est duplex: alia generis in species, quando scilicet diuisum equaliter, & essentialiter reperitur in membris diuidentibus, ut cum animal diuiditur in hominem, & equum. Et partes, seu membra huius diuisionis dicuntur partes subiectivæ: ad quam reducitur diuisio generis in differentias, ut quando animal diuiditur per rationale, & irrationale: non enim hæc est diuersa diuisio à præcedente, neque propriè genus dicitur diuidi in differentias, sed per differentias diuiditur in species.

Alia est diuisio analogi in analogata, quando scilicet diuisum principaliter est in vno membro,

membro diuidenti, & minus principaliter in aliis: ut sanum respectu animalis, vrinæ, & medicinæ: ens respectu Dei, & creaturatum, & sic de aliis. In qua diuisione diuisum appellatur analogum, & membra diuidentia, analogata: quorum primum dicitur principale analogatum: quia ratio analogi reperitur in illo simpliciter, & absolute, in aliis verò secundum quid, & per participationem à primo unde etiam emanauit illud commune proloquium: Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato: quæ latè explicanda sunt in ante prædicamentis.

Diuisio actualis est, qua totum diuiditur in partes, ex quibus componitur: siue illæ sint physicae, ut hominis alia pars anima, alia corpus; siue metaphysicae, ut hominis alia pars animal, alia rationale: siue integræ, ut hominis alia pars caput, alia manus, &c. Et ideo diuisio actualis solet subdividi in Physicam Metaphysicam, & integram.

Diuisio accidentalis est qua, totum accidentale diuiditur in suas partes, sique multipliciter.

Primo quando diuiditur subiectum in accidentia, ut corpus aliud album, aliud nigrum. Secundo, quando è contra diuiditur accidens in subiecta, ut album, aliud nix, aliud papyrus. Quibus solet addi alia tertia diuisio nempe accidentis in accidentia, ut cum dicimus: album aliud frigidum, aliud calidum. Hæc tamen diuisio non omnino distinguitur ab enumeratis: nam si diuisum sit de essentia membrorum diuidentium, ut contingit in hac, coloratum aliud album, aliud nigrum; talis diuisio reducitur ad diuisionem generis in species: quia perinde est, ac si dicatur color alius albedo, & alius nigredo, quæ propriè est diuisio generis in species. Si verò diuisum non sit de essentia membrorum diuidentium, sed accidentaliter coniungatur illis, ut cum dicimus: album aliud frigidum, aliud calidum, reducitur ad diuisionem subiecti in accidentia: quia tunc album, quod est diuisum habet rationem subiecti respectu caloris & frigoris, quatenus, non solum supponit pro corpore, quod est subiectum dictorum accidentium, sed etiam exercet talem suppositionem, ut explicamus infra disput. 4. agentes de variis generibus prædicationum.

Regulæ pro bona diuisione sunt.

Prima quod membra diuidentia sint opposita, id est, inter se distincta re, vel ratione: quia alias non essent partes de quarum ratione est, se inuicem excludere. Ex quo etiam sequitur in qualibet diuisione ad minus debere esse duo membra diuidentia, ut de se constet.

Secunda regula est, quod membra diuidentia seorsum sumpta sint inferiora diuiso, illudque coniuncta ita adæquent, ut non excedant. Et vtriusque ratio est: quia diuisum est totum, & membra diuidentia partes; totum autem, licet excedat vnam partem, non tamen excedit omnes, neque exceditur ab eis.

Tertia solet assignari, quod diuisio tradatur per pauca membra diuidentia, ne eorum multitudo obscuritatem, & confusionem pariat propter quod diuisiones communiter assignantur per membra contradictoria: exprimendo scilicet membrum principale, & loco aliorum negationem eiusdem principalis, ut cum diximus: *Animal aliud rationale, aliud irrationale. Vinens aliud sensibile, & aliud insensibile*, & sic de aliis.

Ut autem hæc conditio sit vndeque recta, intelligenda est, cum grano salis: nam in primis, si omnia membra diuidentia alicuius diuisi, ut omnes

Colleg. Compl. Logica.

species alicuius generis notæ fuerint & in diuisione enumerentur quauis plures sint proculdubio diuisio erit bona quia licet per accidens ex defectu nostri intellectus fortè generet confusionem, secundum se tamen est manifestiua multiplicitatis diuisi.

Cæterum, quia non semper nota sunt omnia membra diuidentia, vel dato quod sint nota; non tamen sunt necessaria ad propositum de quo agitur: ideo frequentius solet diuisio tradi per pauca membra, comprehendendo sub aliquo eorum alia quæ sub diuiso continentur. In quo sensu intelligenda est prædicta regula.

Pro qua etiam secundò norandum est quod quando diuisio datur per vnum membrum positum, & aliud negatiuum. ut in hac: *Animal, aliud rationale, & aliud irrationale*: tunc membrum negatiuum, nempe *irrationale*, non est intelligendum purè negatiuè: sic enim non solum conuenit brucis, sed etiam plantis elementis, & aliis quæ non continentur sub animali: siquidem omnia hæc non sunt rationalia; ac proinde sunt negatiuè irrationalia; quod tamen est contra secundam regulam iuxta quam vnum membrum diuidens, non potest extendi ultra diuisum. Debet, ergo membrum negatiuum alicuius diuisionis sumi priuatiuè, ut scilicet significat carentiam alterius membri positiui intra proprium diuisum, & isto modo irrationale est membrum diuidens in prædicta diuisione quia proptèr sic non significat carentiam rationalitatis in quocumque subiecto, sed solum intra genus animalis.

Tres sunt modi arguendi circa diuisionem.

Primus est, à diuiso ad omnia membra diuidentia, & è contra valet consequentia, tam affirmatiuè, quam negatiuè: ut, est animal, ergo rationale, vel irrationale: est rationale, vel irrationale, ergo animal, &c.

Secundus, à membro diuidenti ad diuisum vale affirmatiuè: non tamen negatiuè. A diuiso verò ad quodlibet membrum diuidens, valet negatiuè non tamen affirmatiuè: ut non est animal, ergo neque homo. In reliquis exempla parent.

Tertius à diuiso, cum negatione vnus vel plurium membrorum secundum qualitatem diuisionis, ad affirmationem alterius membri restantis, bene valet: ut, est animal, & non rationale, ergo irrationale: est elementum, & non ignis, aer, vel aqua; ergo terra.

Modus autem loquendi in diuisione idem est ac in definitione: nam interroganti, quæ sit hæc diuisio? Resp. potentialis, vel actualis &c. si verò inquiratur qualis sit Resp. bona vel mala; non tamen vera, vel falsa.

Obiicies contra dicta, & primo contra diuisionem diuisionis quia diuisio nominis, qua scilicet nomen diuiditur in sua significata, ut nomen canis, quod significat canem marinum, cælestem, & latrilem, est vera diuisio & tamen non continetur sub enumeratis: ergo diuisio diuisionis est insuficiens.

Respondetur significationem in vocibus esse quoddam accidens rationis, ad placitum positum in ipsa entitate reali vocis ut infra dicemus, & ideo quando vox diuiditur in sua significata, diuisio est subiecti in accidentia, nempe cuiusdam subiecti realis, in quædam accidentia, rationis.

Obiicies secundo contra secundam regulam: quia hæc est bona diuisio: *hominis alia pars animal, alia rationale*: & tamen vnum membrum diuidens, nempe *animal* est superius diuiso, & excedit illud, ergo

A 3

ergo

ergo falsa est dicta regula. Resp. animal posse sumi dupliciter, scilicet ut est totum potentiale, & ut est pars actualis: primo modo est superius ad hominem, & prædicatur de illo: sic autem non est membrum diuidens in illa diuisione: secundo modo est pars actualis hoc modo, ut est membrum diuidens in prædicta diuisione.

### De Argumentatione.

**A**rgumentatio est: *Oratio explicans illationem unius ex alio*, siue ut alij dicunt: *Est oratio, in qua unum ex alio inferri denotatur*. Hæc enim in idem recidunt: ut Petrus ambulat, ergo mouetur. Ex quo sequitur primò ad argumentationem non sufficere, quod vnum possit inferri ex alio, sed necesse est, ut explicetur illatio: propter quod ista non est argumentatio: *Petrus ambulat, & mouetur*: quia ibi non explicatur motum inferri ex ambulatione.

Secundò sequitur tria reperiri in argumentatione. Primùm est, id ex quo aliquid inferitur: quòd si fuerit vnica propositio dicitur antecedens: si verò fuerint duæ, prima dicitur maior, & secunda minor. Secundum est, id quod inferitur ex antecedenti, & dicitur consequens. Tertium est nota illationis, quæ dicitur consequentia: quia indicat consequens inferri ex antecedenti, v. g. in hac argumentatione: *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*: Duæ primæ propositiones se tenent ex parte antecedentis, & appellantur maior, & minor: tertia verò dicitur consequens: & tandem illa particula *Ergo* dicitur consequentia illationis: quia designat consequens inferri ex antecedenti.

Hæc autem nota illationis triplex est: alia *conditionalis*, in qua illatio fit media particula, *si*, vt, si homo currit, mouetur: alia *rationalis*, in qua ponitur particula, *ergo*, vel *igitur*, vt Petrus est rationalis, ergo risibilis: & alia *causalis*, in qua ponitur particula, *quia*, vel *similis*, vt, quia homo est rationalis, est admiratiuus. Aliis etiam modis potest fieri illatio, vt bene notat Soto, tract. 1. Summarum, cap. 15. vt si dicas: quando Petrus disputat, bene agit: vbi ignis est, calor est, &c. Quia tamen omnes istæ illationes resoluuntur in aliquam ex tribus assignatis, vt consideranti patebit: idèd has tantum enumerant communiter Dialectici: imò quia ferè omnes illationes possunt resolui, & exerceri per illationem rationalem, idèd ipsæ frequentius in argumentis vtiuntur. Cum ergo triplex sit nota illationis, vt vidimus, triplex etiam erit argumentatio, scilicet *conditionalis*, *causalis*, & *rationalis*. Recta autem *conditionalis*, & *causalis*, quarum non ita frequens vsus est in disputationibus.

Argumentatio rationalis est quadruplex, scilicet syllogismus, enthymema, inductio, & exemplum. Syllogismus est argumentatio constans tribus propositionibus maiori scilicet, minori, & consequentia. Enthymema est argumentatio constans duabus, nempe antecedenti, & consequenti. Inductio est argumentatio, in qua ex pluribus singularibus inferitur aliquod vniuersale, vt, hic ignis calefacit, & hic ignis calefacit, & sic de singulis: ergo omnis ignis calefacit. Tandem exemplum est argumentatio, in qua ex aliquo singulari aliud singulare simile colligimus: vt Deus pepercit Ninuitis poenitentiam agentibus: ergo tibi etiam parcat si poenitentiam egeris. Solet etiam diuidi argumentatio in *materialem*, & *formalem*. Quid autem vtræque sit, commodius explicabimus libro tertio: sicut etiam an om-

nes quatuor argumentationes enumeratæ sint veræ species argumentationis, & in quo propria vniuersiusque ratio consistat.

De modo seruando inter disputantes multa dicenda sunt in voce: quia tamen eorum obliuione plures in disputando emergunt abusus, aliqua oportet scripto prænotare cum Magistro Soto, Toletio, Villalpando, & aliis, ut à proprio modo arguendi, & respondendi, nec minimum deflectatur. Sit ergo prima regula, tam pro arguente, quam pro respondente, ne finem disputationis, qui est veritatis inquisitio, peruertant; & idèd cauenda est proteruita, quod clarè falsum est defendendo, vel quod manifestè est verum pertinaciter negando. Poterit tamen exercitij gratia verum aliquando impugnari, & falsum aliquando defendi.

Secunda regula pro arguente est, vt breuiter, & perspicuè proponat argumentum, neque extra formam aliquid loquatur, sed sinat respondentem suas partes agere.

Ita tamen, in probationibus se debet gerere, vt propositio à respondente negata sit consequens argumenti succedentis: aliàs nihil se fecisse putet: ad quod debet optimè nosse artem inueniendi medium, de qua in fine tractatus differemus.

Tertia tandem regula pro respondente, sit, quòd argumentum à contrario propositum ipse integrum resumat, vt respondens cum arguente conueniat, possitque iterum repetatur maior, & si fuerit falsa, negetur, si vera concedatur; si ambigua distinguatur: si verò fuerit argumento indifferens, ita vt ad illud non intersit, an sit vera, vel falsa, dicatur, transeat maior. Post hæc verò repetetur minor, & ibi fiat (si faciendum est) sicut dictum est de maiori: quacunque tamen negata, ibi cessabit responsio. Si autem minor concedatur, repetetur consequens, quod nec concedi, nec negari potest, sed tantum distinguui: & secundum vnum, aut alterum sensum eius concedatur, vel negabitur consequentia. Itaque antecedens, seu maior, & minor possunt concedi, negari, distinguui, vel transire: consequens neque concedi, neque negari, sed solum distinguui: consequentia verò nunquam potest distinguui: sed tantum concedi, aut negari. Qui tamen concessa maiori, & minori negat consequentiam, tenetur ostendere defectum argumenti, aliàs conuictus censendus est. Non autem licet respondenti cum concedit aut negat aliquam propositionem amplius loqui, si verò distinxerit, licebit membra distinctionis breuiter explicare.



## LIBER PRIMVS.

*De Vocibus simplicibus, scilicet terminis, & eorum proprietatibus.*

**E**XPLICATIS generalibus, & necessariis instrumentis sciendi, iam facile poterit aliorum notitia comparari: & idèd in hoc primo lib. iuxta methodum supra præscriptam, agendum est de vocibus simplicibus, seu terminis, pro quo sit.

### CAPVT

C A P V T I.

De significatione, seu ratione signi.

**Q**uia significatio est id ratione cuius voces, aut scripturae dicuntur termini, sub qua proinde consideratione pertinent ad institutum Dialecticum: operæ pretium est antequam de ipsis terminis agamus, breuiter exponere quid sit significare, seu esse signum, & quot modis contingat.

Significare ergo est: *Potentia cognoscere aliud à se representare*, atque ita signum erit illud: *Quod prater sui cognitionem alterius cognitionem inducit*: siue ut definit D. Augustinus 2. de Doctr. Christiana cap. 1. *Signum est, quod prater speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire*: sicut vestigio viso transisse animal cuius vestigium est, cogitamus, & fumus est signum ignis, quia fumo vilo statim ducimur in cognitionem ignis etiam occulti. Quo fit ut cuilibet signo respondeat duplex cognitio, quæ solet appellari notitia. Prima est ipsius signi, quia scilicet signum cognoscitur, ut cognitio fumi. Secunda est, qua cognoscitur res illa cuius est signum, ut cognitio ignis.

Solet autem diuidi signum in formale, & instrumentale. Appellatur signum formale, quod se ipso, & absque præiua sui cognitione aliquid representat, cuiusmodi sunt actus intellectus, quos non prius cognoscimus, sed ipsi per se sunt expressæ quædam similitudines rerum.

Signum verò instrumentale est illud, quod præsupposita cognitione sui, aliquid aliud representat, ut imago depicta Christi Domini est signum instrumentale: quia prius ipsa cognoscitur, posteaque res representata per illam: & huiusmodi signum est, quod supra definiuimus cum Augustino, quodque proprie, & simpliciter dicitur signum, & de quo agimus in præsentia: nam hoc modo voces dicuntur signa, ut de se patet.

Hoc ergo signum instrumentale est duplex, aliud naturale, & aliud voluntarium, seu ad placitum. Signum naturale est, quod ex sua intrinseca ratione, seclusa hominum voluntate aliquid aliud representat, quomodo fumus est signum ignis, & omnis effectus, suæ causæ. Signum ad placitum est, quod ex hominum institutione aliud representat, quomodo sonitus cymbali est signum lætationis, & omnes voces, rerum quas significant. Nam quoddam vox *homo*, significet naturam humanam, ex hominum voluntaria impositione processit.

Talis autem impositio fieri debet auctoritate publica, ut patet: & est duplex, alia propria, cum scilicet vox usurpatur iuxta propriam significationem, quomodo vox, *homo*, significat hominem, & vox, *leo*, leonem: Alia impropria cum scilicet vox significat per metaphoram, & translationem, ut quando, *agnus*, significat Christum, & *Nero*, hominem crudelem.

Ad hæc autem signa reducitur signum, quod appellatur ex consuetudine. Si enim consuetudo fundetur in natura, est signum naturale: si verò fundetur in voluntate humana, est signum ad placitum.

Dices, imago Cæsaris non significat illum naturaliter, neque ad placitum, ergo insufficiens est prædicta diuisio. Probat antecedens. quoad primam partem: quia imago non à natura, sed ab arte habet ut significet: quoad secundam verò, quia si imago Cæsaris sit vera eius effigies, non pender ex hominum voluntate, quoddam Cæsarem representet, ergo, &c.

Resp. imaginem Cæsaris esse signum naturale il-

lius, quia quamuis præcesserit ars, qua fuit depicta, facta tamen imagine, iam significat ex naturali similitudine, & non ex hominum impositione.

Sed contra, quia idem dicendum erit de vocibus, nimirum quoddam licet significant ex impositione: ea tamen facta, naturaliter significabunt. Respondetur negando sequelam: cum enim imago sit naturalis similitudo; manente ipsa non potest aliam rem representare, aut proprium prototypum non exprimere: at verò vox eadem manens potest significationem amittere, vel mutare, & idcirco non est simile.

Ex dictis inferitur voces non pertinere ad institutum Dialecticum secundum suam realem entitatem, in quantum scilicet sunt quidam soni in aëre causati, sed secundum quod imposita sunt ad significandas res, & ut mediis ipsis proprios conceptus explicamus. Vnde entitas realis vocum se habet ut materia, significatio verò ut forma, ratione cuius ipsæ pertinent ad obiectum Logicæ. Ex quo tandem fit voces non significatiuas, ut *bluiri*, *seindapsu*, & similes non pertinere ad præsens institutum.

C A P V T I I.

De natura, seu essentia termini.

**A**ristoteles primo Priorum definit terminum dicens: *Terminum autem cum appello, in quem resoluitur propositio, ut predicatum, & id de quo predicatur*. Ex quibus verbis desumpta est communis definitio, scilicet: *Terminus est extremum propositionis*: sicut enim extrema puncta alicuius lineæ dicuntur eius termini; quia talis linea non habet ullam sui partem extra illa: sic etiam extrema propositionis, nempe subiectum, & predicatum vocantur termini, quia intra illa tota propositio clauditur. Et ad id in definitione adducta *extremum* ponitur loco generis; quia in illo conuenit terminus Logicus cum extremis lineæ, & aliarum rerum: loco verò differentie ponitur *propositionis*: quia per hoc differt ab illis: si quidem vltima puncta sunt extrema lineæ terminus verò Logicus est extremum propositionis.

Ex hac Aristot. definitione, orta est difficultas, quæ solet in præsentia controuerti: an scilicet voces extra propositionem sint termini. In qua partem affirmatiuam defendunt aliqui, contententes voces esse verè terminos ex eo quod habeant aptitudinem ad componendam propositionem: etiam si actu non componant illam. Quorum fundamentum est; quia iuxta commune Dialecticorum axioma, verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: ergo ad hoc, quoddam voces sint termini, non est necesse ut actu finiant propositionem, sed sufficit posse illam terminare. Cum autem talem aptitudinem habeant extra propositionem, ut patet, planè videtur sequi verè esse terminos extra illam.

Confirmatur ex communi modo loquendi: nam voces simplices indifferenter appellamus terminos, siue sint intra, siue extra propositionem: ergo utroque modo verè conuenit illis ratio termini.

Nihilominus communior, & vera sententia negat voces extra propositionem proprie loquendo esse terminos: quæ est proculdubio mens Aristot. in prædictis verbis, & ex eis facile suaderetur. Tum quia voces extra propositionem non possunt verè appellari extrema, ut à simili cernitur in puncto respectu lineæ, in lapide limitari, respectu fundi, & similibus. Tum etiam: quia sola illa potentia, seu aptitudo vocum ad componendam propositionem non sufficit, ut ipsa dicatur



dicatur resolui in illas; siquidem totum non potest resolui, nisi in partes, ex quibus actu componitur, ut de se notum est. Tum præterea: quia suppositio, ampliatio, & aliæ proprietates terminorum non conveniunt vocibus extra propositionem, ut est per se manifestum, & constabit infra: ergo neque etiam ipsa essentialis ratio termini, à qua illæ dimanant. Tum denique quia si voces extra propositionem essent termini, iam una, & eadem vox, v. g. *homo*, simul, & simpliciter esset subiectum, & prædicatum: siquidem extra propositionem indifferens est, & habet aptitudinem ad utrumque. Quod tamen esse falsum satis convincitur, ex eo quod subiectum, & prædicatum sunt veræ species termini, & postea dicemus, ac proinde idem simul, & simpliciter esset sub diversis speciebus eiusdem generis; quod omnino repugnat, ut aliquando ostendemus. Restat ergo voces extra propositionem, propriè loquendo, non esse terminos.

Ut autem hæc plenè percipiantur, appareatque in quo deficiat contraria sententia, perpendendum est, quid propriè significant, & in quo differant hæc tria, *Vox*, *Nomen*, & *Terminus*. Etenim *Vox*, significat illam entitatem realem soni, qui in ore animalis causatur ex collisione quorundam partium eius: & propterea sonus ponitur in definitione vocis. *Nomen* autem supra illam entitatem realem soni addit significationem, quæ tali entitati advenit ex impositione humana: & idè nomen definitur ab Aristot. quod sit vox significatiua ad placitum, &c. ut infra videbimus. Quare sola entitas realis illius soni, si ab ea præscindamus significationem, dicitur quidem, & est verè vox; non tamen potest appellari nomen: quia nomen importat utrumque.

*Terminus* verò ultra entitatem realem vocis, & significationem nominis addit esse extremum, finitæque propositionem: & idè hæc est optima eius definitio: *Terminus est nomen extremum propositionis*. Quare entitas realis vocis simul cum significatione, si ab ea præscindatur esse extremum propositionis, seu componere illam; dicitur quidem, & est verè nomen, non tamen potest propriè appellari terminus: quia utrum est de ratione eius. Ex quo tandem fit, quod sicut in entitate reali vocis sola aptitudo quam habet, ut imponatur ad significandum, non sufficit ad veram rationem nominis, sed debet actu habere significationem: ita etiam sola aptitudo nominum, ut collocentur in propositione, non sufficit ad veram rationem termini; sed necesse est, ut actu sint extrema eius.

Quamvis autem hæc ita sint, sæpè tamen à nobis confunduntur ista verba; & idè voces interdum appellamus nomina; & nomina terminos. Quæ confusio decepit auctores contrariæ sententiæ: dum ex eo quod voces extra propositionem verè sint nomina, colligunt debere etiam esse terminos. Per quod patet ad confirmationem sui argumenti; quamvis enim in communi usu loquendi sæpè has voces confundamus, non tamen idè confundenda sunt earum significata: quia ut dicitur secundo Topicorum, Cum pluribus loquendum est, sentiendum verò cum paucioribus.

Ad argumentum autem responderetur axioma illud procedere, quando ipse actus non est de essentia definiti; tunc enim verba in eius definitione dicunt aptitudinem, & non actum: ut patet in homine, de cuius essentia, quia non est actu ratiocinari; idè quando definitur per animal rationale, solum est sensus esse animal aptum ratiocinari. Si verò de essentia definiti sit aliquis actus, tunc verba in eius definitione, non tantum dicunt aptitudinem, sed etiam actum. Et hoc

contingit, vel ob infinitam perfectionem, ut in Deo, de cuius essentia est esse actum purissimum, ac proinde si posset definiti, verba talis definitionis revera significarent actum: vel ob summam imperfectionem, sicut in entibus rationis, ut magis explicamus infra disp. 2. Et huiusmodi sunt, *Terminus*, *Nomen*, & similia; ut ex dictis patet.

### C A P V T I I I.

#### *De variis divisionibus Terminis.*

SI vera sunt, quæ capite præcedenti diximus, plenum fit terminum, prima, & immediata divisione dividi in subiectum, & prædicatum: sicut enim in eadem linea tantum sunt duo puncta extrema, ita in una propositione tantum sunt duo termini, scilicet prædicatum, & subiectum. Quo fit, ut per talem divisionem propriè dividatur terminus, quatenus terminus est: quia sicut ratio termini, sic etiam rationes prædicati, & subiecti propriè loquendo non inveniuntur extra propositionem: ac proinde prædicatum, & subiectum possunt essentialiter definiti sic: *Prædicatum est terminus, qui dicitur de alio, & subiectum est terminus de quo dicitur aliud*. Ex quo tandem fit, prædictam divisionem esse essentialem, & generis in species: cum enim terminus essentialiter sit pars propositionis: & quatenus pars essentialiter dividatur in materialem; & formalem, satis apparet terminum essentialiter dividi in subiectum, & prædicatum: quorum alterum, scilicet subiectum, est pars materialis propositionis, alterum verò, scilicet prædicatum, est pars formalis illius.

Rursus terminus dividitur in mentalem, vocalem, & scriptum; sicut triplex est propositio, scilicet mentalis, vocalis, & scripta. Terminus mentalis est extremum propositionis mentalis: vocalis est extremum propositionis vocalis: scriptus propositio scriptæ. Quæ divisio est accidentis in subiecta: nam facit hunc sensum: ratio termini, vel potest reperiri in actibus intellectus, vel in vocibus, vel in scripturis: quæ omnia habent rationem subiecti respectu formalitatis termini, quæ est quoddam accidens rationis. Quamvis autem termini, & propositiones scriptæ suo etiam modo pertineant ad considerationem Dialecticam, sicut vocales: quia scripturæ etiam, sicut & voces suo modo inuant ad dirigendum intellectum; & propterea communiter enumerentur à Doctoribus in hac divisione: tamen quia parum conducunt, non est cur immoremur circa illa. Relicto ergo termino scripto,

Terminus mentalis appellatur conceptus mentis; dividiturque in ultimum, & non ultimum, siue ultimum, & non ultimum. Prior est qui habetur de re significata per vocem, & dicitur ultimus: quia ibi sistit intellectus. Posterior verò est, qui habetur de ipsa voce: & dicitur non ultimus: quia ibi non sistit intellectus, sed transit ad ipsam rem significatam. Quo fit, ut conceptus vocum non significatarum possint appellari ultimi: quia non ordinantur ad alios.

Dividitur etiam terminus mentalis in directum, & reflexum. Conceptus directus est, qui habetur de re, vel de voce. Reflexus verò est cognitio præcedentis cognitionis; ut cum quis cognoscit se cognovisse. Dicitur autem reflexus: quia tunc intellectus supra seipsum reflectitur, ad quod requiritur veramque cognitionem esse in eadem potentia; si enim Paulus cognoscat Petrum cognovisse, cognitio Pauli non est reflexa,

reflexa, sed directa, ut de se patet. Hæc autem diuisio est subiecti in accidentia.

Terminus vocalis, de quo præcipue agimus in præfenti, diuiditur prima diuisione in categorematicum, & syncategorematicum. Categorematicus idem valet, ac significatiuus, & est ille, qui aliquid per se significat, seu qui in propositione est integrum subiectum, aut prædicatum: ut *Homo*, *Leo*, &c. Syncategorematicus, idest consignificatiuus, est ille, qui per se separatus non significat aliquid; iunctus tamen categorematico facit illum aliter significare: ut *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *utroque*, & similes: propter quod dicitur consignificatiuus. Appellatur etiam modus subiecti, vel prædicati: quia per se non potest esse subiectum, aut prædicatum sed tantum illa modificare. Qua de causa solet frequenter dici, terminum categorematicum significare aliquid, syncategorematicum verò, aliquammodo: propter quod etiam iste, comparatur optimè literis consonantibus, quæ licet per se non sonent; iunctæ tamen vocalibus faciunt illas aliter, & aliter sonare. Ex quo tandem fit terminum syncategorematicum non esse simpliciter terminum, sed tantum secundum quid; & ex consequenti prædictam diuisionem esse analogam.

His solet etiam addi terminus mixtus, qui scilicet virtualiter includit duas voces, quarum altera est terminus categorematicus, altera verò syncategorematicus, ut nemo, id est nullus homo. De termino autem syncategorematico qui solet appellari signum, infra cap. 4. agemus.

Deinde, terminus categorematicus diuiditur in incomplexum, & complexum. Incomplexus est cuius nulla pars separata significat, ut *Homo*, *Leo*, & omnes voces simplices. Complexus verò est, cuius partes separatæ significant iuxta significationem totius, ut *Homo albus*. Per quod excluditur à ratione termini complexi ille cuius partes separatæ aliter significant, quàm in toto, ut *Dominus*, *Sacerdos*, & alij similes. Ex quibus complexus simpliciter est terminus; complexus namque cum includat plures voces, & consequenter sit oratio, secundum quid tantum potest esse terminus. Ac proinde hæc etiam diuisio est analoga.

Rursus, terminus incomplexus est triplex. Alius vniuocus, qui scilicet significat plura in aliqua vna ratione omnino conuenientia, ut *homo*, & *animal*. Alius æquiuocus, qui scilicet significat plura, nullo modo conuenientia, secundum quod per nomen significantur, ut *canis respectu latrabilis*, *marini*, & *cælestis*, quibus proxi sic nihil est commune præter nomen. Alius analogus qui scilicet significat plura, neque omnino conuenientia, neque omnino disconuenientia, sed medio modo, nempe quodammodo inter se similia, ut *sanum respectu animalis*, *vrinæ*, & *Medicinæ*: quia sicut *animal* dicitur *sanum*: quia habet in se sanitatem, ita *vrina* quodammodo dicitur *sana*, quia indicat sanitatem animalis: & *medicina* etiam, quia illam causat.

Vbi observanda est regula pro analogis, & æquiuocis, quod scilicet terminus analogus, si per aliquam particulam determinetur, & restringatur ad vnum suorum significatorum, potest fieri vniuocus, ut si *cani*, qui est terminus æquiuocus, addatur *latrabilis*, fit vniuocus ad omnes canes latrabiles. Similiter si *homini*, qui est terminus analogus ad viuum, & *pietatem*, addatur *uiuus*, fit terminus vniuocus, & idem est de alijs.

## C A P V T I V.

### De alijs diuisionibus Termini vocalis.

Secundò diuiditur terminus vocalis in communem, & singularem. Terminus communis est, qui significat plura diuisim: unde terminus collectiuus, quæ ratione est terminus collectiuus, ut *populus*, *civitas*, *gens*: non potest esse terminus communis: quia non significat quemlibet hominem seorsim, & diuisim, sed omnes simul. Diximus: *Qua ratione est Terminus collectiuus*: quia si *populus* consideretur, ut abstrahit ab hoc, vel illo populo, verè est terminus communis (& idem est de alijs,) quia diuisim significat hunc, vel illum populum, sicut *homo* in communi diuisim significat hunc, vel illum hominem. Hæc tamen ratione *populus*, & alij similes termini non sunt collectiuus, ut de se patet.

Subdiuiditur autem terminus communis in transcendentem, & non transcendentem, iste est qui de aliquibus prædicatur, ut *homo animal*; ille verò qui in omnibus rebus inuenitur, & idem dicitur transcendens, id est supra omnia ascendens, & eorum vltimas differentias penetrans. Sub quo sex communiter enumerantur, scilicet *ens*, *res*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *vnus*.

Terminus singularis est, qui tantum significat vnum, ut *Petrus*, aut plura coniuncta, ut *Granata*. Et est quadruplex scilicet determinatus, nempe qui vnum determinatè significat, ut *Petrus*. Demonstratiuus, qui scilicet signo demonstratiuo afficitur, ut *hic homo*. Ex suppositione, qui scilicet quamuis posset plura significare, tamen suppositione facta, vnum tantum significat. Quomodo, *Filius Mariæ Virginis*, significat Christum. Et *vagus*, qui scilicet significat vnum, sed non determinando, an sit hoc, vel illud, ut quidam homo.

Tertiò, diuiditur terminus vocalis in concretum, & abstractum. Concretus est, qui significat formam concernendo subiectum, ut *album*, quod significat albedinem in subiecto, & *homo*, qui significat humanitatem in supposito. Abstractus est, qui tantum significat formam, ut *albedo*, & *humanitas*.

Quarta diuisio est in absolutum, & connotarium. Absolutus idem est quod apud Grammaticos nomen substantiuum, & est ille, qui significat per modum per se stantis. Connotatiuus idem valet ac nomen adiectiuum, & est ille, qui significat per modum alteri adiacentis.

Quintò, diuiditur in terminum finitum, & infinitum. Terminus infinitus est, qui afficitur negatione infinitante, ut *non homo*. Finitus verò est, qui simili negatione caret. Pro quo sciendum est duplicem esse negationem: aliam, quæ tantum afficit terminum; & dicitur infinitans: quia reddit terminum infinitum, ut *non homo*: & aliam quæ afficit copulam, ut *lapis non est homo*: & dicitur negatio negans, semperque efficit propositionem negatiuam. quia iuxta commune proloquium, negatio hæc est malignantis naturæ, & quidquid post se inuenit, destruit, ac eius oppositum reddit.

Dices Aristot. 1. Periher. cap. 1. exclusisse voces infinitas à ratione nominis: ergò multò magis debent excludi à ratione termini, siquidem omnis terminus vocalis est nomen, ut supra vidimus. Responderetur, ibi Aristot. tantum appellare nomina, eas voces, quæ possunt deferuire ad propositionem scientificam, quales non sunt termini infiniti, ut patet: nos autem in

in presenti loquimur vniuersaliter de quibuscunque terminis, ut cognoscamus, qui eorum apti sint ad propositionem scientificam; qui verò ab illa reiciantur. Et in hac lata acceptione voces infinitas vocamus terminos.

Sed contra: quia pari ratione posset affirmari voces non significatiuas esse terminos: siquidem utcumque potest fieri ex illis propositio, etiam si non possint deferuire scientiis. Respon. negando sequelam: Dialecticus enim tractat de vocibus in ordine ad rectam rerum cognitionem: & idè tantum voces significatiuæ earundem rerum possunt pertinere ad considerationem dialecticam, à qua proinde merito reiciuntur voces nihil significantes. Vnde etiam sit ipsas verè non esse terminos, nisi fortè velis eas sic appellare, propter quandam remotam, & imperfectissimam similitudinem: hoc enim parum interest, dum asseratur materialiter tantum illas esse terminos ut patet, quando dicitur, *Blitiri non est sciendapsum*, & sic de aliis.

Sexta diuisio est in terminum primæ, & secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui significat rem secundum id quod habet à parte rei, ut homo, & equus. Terminus verò secundæ intentionis est, qui significat rem secundum id, quod habet ex consideratione intellectus, ut genus species, & similes.

His explicatis restat comparare terminos inter se, & ita loquendo de illis in plurali, sunt in duplici differentia, alij dicuntur impertinentes: alij verò pertinentes. Impertinentes sunt, quorum vnus, neque infert alterum, neque repugnat illi, ut album, & dulce. Pertinentes verò sunt, quorum vnus, vel infert alterum, ut homo, & animal; vel repugnat illi, ut homo, & equus. Primo modo appellantur pertinentes sequela, secundo verò dicuntur pertinentes repugnantia.

Rursus pertinentes sequela alij sunt convertibiles, quorum scilicet vnus infert alium, & infertur ab illo, ut homo, & rationale. Alij sunt convertibiles, quorum scilicet vnus infert alium, non tamen infertur ab illo, ut homo, & animal.

Pertinentes repugnantia, alij sunt, qui quamuis sint omninò diuersi; tamen non sunt propriè oppositi, ut homo, & equus: & hi vulgò appellantur disparati. Alij verò sunt propriè oppositi, nempe qui habent inter se aliquam veram oppositionem. Cum autem oppositio sit quadruplex, ut dicemus in postprædicamentis, inde est huiusmodi terminos esse in quadruplici differentia. Alij opponuntur contrariè, ut calor, & frigus. Alij contradictoriè, ut homo, & non homo. Alij priuatiuè, ut visus, & cæcitas. Et alij priuatiuè, ut Pater, & filius.

## C A P V T V.

### De Suppositione.

**A**D eum modum, quo terminus sortitur essentiam, habet etiam suas proprietates, quæ talem essentiam, consequuntur. Sicut enim ex essentia hominis oriuntur admiratio, risibilitas & aliæ passiones, sic ex eo quod termini sint voces significatiuæ componentes propositionem, in quo consistit eorum essentia, oritur, quòd hoc, vel illo modo supponant, ampliuntur, restringantur, &c. quæ consequenter sunt proprietates, seu passiones terminorum. Quare cognita iam essentia, & multiplicitate terminorum, restat eorum proprietates inuestigare, quæ sunt suppositio, ampliatio, restrictio, alienatio, diminutio, & appellatio: sic enim terminorum tractatus manebit absolutus.

Suppositio ergò, quæ primum locum obtinet inter has proprietates: *Est positio, seu usus termini alicuius*, vel ut alij dicunt, *Est acceptio termini pro se, vel pro suo significato*. Congruentior tamen est prima definitio: nam hæc secunda potius accedit ad diuisionem, cum ibi pro differentia ponantur membra diuidentia suppositionis, quod quantum fieri possit vitandum est in definitionibus.

Diuiditur autem suppositio in materialem, & formalem. Materialis est positio termini loco sui ipsius, ut in hac propositione, homo est nomen, ly, *homo*, supponit pro ipsa voce; non verò pro re significata: & dicitur materialis: quia tunc voces non exercent officium signi, sed materialiter se habent in propositione. Suppositio formalis est positio termini loco rei significatæ: nam ut dixit Arist. 1. Elenchor. cap. 1. *Cum non liceat res ipsas in differendo afferre, nominibus vice rerum utimur*: Hunc ergò usum, quo nominibus utimur loco rerum significatarum, appellamus suppositionem formalem: & dicitur talis: quia voces tunc sumuntur formaliter, ut signa.

Porro suppositio formalis, alia est propria, alia impropria, seu Metaphorica, sicut de significatione diximus sup. cap. 1. Deinde, propria est duplex, alia simplex, & alia realis, seu personalis. Suppositio simplex est positio termini, pro suo immediato, & primo significato tantum: quod contingit quando subiectum est terminus primæ intentionis, prædicatum verò secundæ, ut homo est species; ly enim *homo*, non supponit pro Petro, vel Paulo, aliàs suppositio esset falsa, sed tantum pro natura humana in communi, quæ est primum, & immediatum significatum illius vocis. Hoc autem non solum contingit in terminis communibus; sed etiam in terminis singularibus, ut cum dicitur Petrus est indiuiduum; ly enim, *Petrus*, tantum supponit pro immediato significato, nempe pro hoc indiuiduo; non verò pro natura humana in communi, quæ est significatum remotum. Arque ita sicut propter suppositionem simplicem, hæc non est bona consequentia, homo est species; ergò Petrus est species: sic propter eandem suppositionem non valet e contra, Petrus est indiuiduum: ergo homo est indiuiduum.

Suppositio realis, seu personalis est positio termini, non solum pro primo, & immediato, sed etiam pro secundo, & remoto significato, ut in his propositionibus, homo est animal, vel homo disputat: vbi ly *homo*, non tantum supponit pro natura humana, sed etiam pro indiuiduis eius. Qui etiam modus suppositionis, non solum inuenitur in terminis communibus, ut patet in exemplis positis (& tunc dicitur suppositio realis communis) sed etiam in terminis singularibus, ut cum dicitur Petrus studet: tunc enim Petrus supponit non solum pro immediato, sed etiam pro remoto significato, scilicet natura humana, & ita valet, Petrus studet: ergò homo studet. Quæ suppositio appellatur realis discreta.

Præterea suppositio realis est duplex, alia accidentalis, alia naturalis. Accidentaliter est positio termini pro re existente, secundum tempus importatum per copulam, vel secundum exigentiam prædicati, ut cum dicitur homo est disputans, ly *homo* ratione copulæ supponit pro hominibus presentibus, & ratione prædicati supponit pro viris: nam disputare non conuenit fœminis. Quæ suppositio accidit, quando propositio est in materia contingentii. Suppositio naturalis est positio termini pro omnibus suis significatis, tam existentibus, quàm non existentibus: quod contingit, quando propositio est in materia naturali; tunc enim illa copula *est*, non importat tempus præsens, sed vniorem quandam perpetuam inter prædicatum, & subiectum, & idè tales propositiones dicuntur absoluti

absolui à tempore : quia non vnjunt extrema pro aliquo determinato tempore , sed semper propositio est vera , quamuis extrema in rerum natura non existant.

Rursus suppositio communis est quadruplex. Prima dicitur distributiva , & contingit, quando terminus accipitur pro omnibus suis significatis seorsim , & copulatiue sumptis , ita scilicet , vt prædicatum de omnibus illis in propositione copulatiua verificetur verbi gratia in propositione homo est animal , ly, *homo* supponit distributiue ; quia supponit pro hoc, & in illo homine seorsim , & copulatiue , atque ita verum est dicere hic homo est animal , & hic homo est animal, &c.

Secunda appellatur copulatiua, & est acceptio termini pro omnibus suis significatis non seorsim , sed simul, & collectiue sumptis , vt in hac propositione omnes Apostoli Dei sunt duodecim, ly, *Apostoli*, non supponit pro his , vel illis Apostolis seorsim sumptis, sed pro omnibus collectiue , non enim valet ; omnes Apostoli sunt duodecim : ergo Petrus & Paulus sunt duodecim : bene tamen valet : ergo isti, & isti, simul sumpti sunt duodecim.

Tertia est suppositio determinata quando scilicet terminus accipitur pro omnibus suis significatis sumptis seorsim , & disiunctiue , vt aliquis homo est albus, non enim licet inferre in propositione copulatiua : ergo hic homo est albus & hic homo est albus , sed solum in propositione disiunctiua : ergo hic homo, vel hic homo est albus.

Quarta tandem appellatur suppositio confusa , & contingit quando terminus accipitur pro omnibus significatis simul , & disiunctim : id est , quando ita terminus sub disiunctione sumitur pro hoc , vel illo significato ( in quo differt hæc suppositio à distributiva, ) vt non determinate supponat pro aliquo ( in quo etiam distinguitur à determinata, ) sed confusè pro omnibus simul, sub disiunctione tamen sumptis, vt dictum est : v. g. in hac propositione, oculus requiritur ad videndum, ly, *oculus*, non supponit determinatè pro vno oculo, sicut si diceremus aliquis oculus requiritur ad videndum : nec similiter supponit distributiue pro omnibus seorsim, & copulatiue : nõ enim valet, ergo iste oculus requiritur : sed supponit cum quadam confusione , pro omnibus simul , sub disiunctione tamen, & sic bene valet : ergo iste vel ille oculus requiritur ad videndum.

Denique suppositio distributiva est duplex. Alia pro singulis generum , quæ etiam solet appellari completa , & est acceptio termini , non solum pro omnibus speciebus, sed etiam pro omnibus indiuiduis earum , vt in hac propositione, omne animal est viuens , quæ facit hunc sensum , hoc animal, & hoc animal, & hic homo, & hic homo est viuens. Alia est pro generibus singulorum , solèrque appellari incompleta , & est acceptio termini pro omnibus speciebus, non tamen pro omnibus indiuiduis earum , vt in hac propositione, omne animal fuit in arca Noë : reddit enim hunc sensum , ex omnibus speciebus animalis aliquod animal fuit in arca Noë.

His explicatis quia terminorum suppositio maxime variatur ex admitione signorum, quæ supra diximus esse terminos syncategorematicos, oportet illa explicare : priusquam regulas statuamus ad suppositiones cognoscendas. Signa ergo sunt in triplici differentia. Quædam purè vniuersalia, vt *omnis*, *nullus*. Quædam purè particularia, vt *aliquis*, *quidam*. Et alia mixta ex particulari, & vniuersali, vt *uterque*, id est aliquorum duorum omnis ; *neuter*, id est aliquorum duorum nullus : *alter*, id est omnium

duorum aliquis : atque etiam termini numerales , vt *bis*, *tria*, &c. Quæ omnia sunt signa mixta ex vniuersali, & particulari, sicut *semper aliquando*, & similia, miscentur ex categorematico, & syncategorematico.

Hoc igitur supposito : quando terminus nullo afficitur signo, & propositio est in materia contingenti, supponit determinatè, si autem propositio fuerit in materia naturali aut remota , supponit distributiue , quia vt infra constabit, propositio indefinita in materia contingenti æquiualeat particulari , in materia verò naturali , & remota æquiualeat vniuersali. Quando verò terminus afficitur aliquo signo, ad cognoscendum quo modo supponat sequentes regulæ sunt obseruandæ.

Prima pro signis vniuersalibus. Signum vniuersale affirmatiuum distribuit terminos proximos , & confundit remotos , hoc est , subiectum facit supponere distributiue , prædicatum verò confusè, vt in hac propositione, *Omnis homo est animal*, vbi homo supponit distributiue, animal verò confusè, ( Excipitur suppositio copulata, quæ non variatur ratione signi vniuersalis , vt omnes Apostoli sunt duodecim , vbi ly, *Apostoli* ; non supponit distributiue , sed copulatiue , ) si verò signum fuerit vniuersale negatiuum , distribuit terminos , tam proximos , quàm remotos, scilicet prædicatum, & subiectum, vt in hac *nullus homo est equus*, vbi homo, & equus supponunt distributiue.

Secunda regula pro signis particularibus. Signum particulare affirmatiuum facit terminum proximum supponere determinatè ; remotum verò intactum relinquit : vt *aliquis homo est animal* , vbi homo supponit determinatè, animal verò ac si nullum esset signum : si verò signum fuerit particulare negatiuum , terminum quidem proximum determinat , remotum verò distribuit ratione negationis. vt *aliquis homo non est albus*.

Tertia regula pro signis mixtis ex vniuersali, & particulari. Hæc signa partim distribuunt, & partim determinant terminos immediatos : verbi gratia, *alter* , binarium distribuit, & disjungit, quando enim dicitur, alter oculus est dexter , sensus est : omnium duorum iste, vel ille est dexter. Similiter *uterque* binarium quasi determinat , & copulatiue distribuit pro hoc, & illo : nam cum dicitur , uterque pes est claudus, sensus est : aliquorum duorum pedem iste, & iste est claudus. Vbi, obseruandum est, quod quia aliqua ex his signis magis accedunt ad purè vniuersalia, vt *uterque* & *neuter* , alia verò propinquiora sunt purè particularibus : ideo cum proportionem dicendum est, quod in prioribus magis cernitur suppositio distributiva ; in posterioribus verò determinata.

Quarta regula pro mixtis ex termino categorematico, & syncategorematico, est ; idem de illis iudicandum esse, ac si categorema, & syncategorema forent disiuncta. Et ideo quando signum, quod includit terminum mixtum, est vniuersale affirmatiuum, vt *semper*, id est, omni tempore, distribuit terminum categorematicum, cui coniungitur scilicet tempus ; alios verò confundit , vt si dicas , *semper homo disputat* , ibi tempus distribuitur, homo verò, & alij termini confunduntur : quando autem signum est vniuersale negatiuum, vt *numquam*, distribuit tam categorema, cum quo iungitur, quàm alios terminos, vt si dicas : *numquam homo disputat*. Et idem seruata proportionem dicendum est de aliis.

Quinta, & vltima regula est , quod quilibet terminus, cui applicatur actio verbi, confunditur , vt cum quis dicit, *bis cantauit Missam*, ibi *Missam* confunditur : quia confusus remanet sensus, an cantarit duas Missas

Missas, vel bis cantarit eandem. Et hæc signa appellatur specialis confusionis.

Tandem duo alia obseruanda sunt. Primum est has regulas intelligendas esse, tam respectu terminorum, qui ponuntur in recto, quam eorum qui ponuntur in obliquo. Vnde in hac propositione: *Aliquis equus hominis currit*, ly, *hominis*, supponit determinatè, sicut equus. Similiter in hac. *Omnis equus hominis currit*, ly, *hominis*, supponit distributiue.

Secundum est, quod si plura signa afficiant eundem terminum attendatur signum æquipollens, & quo modo istud fecerit terminum supponere eodem modo efficient alia duo: verbi gratia, in hac propositione, *Non omnis homo est animal*: quia *non omnis*, valet idem ac *Aliquis non*, idè talis propositio æquipollens hanc, *Aliquis homo non est animal*, ac proinde in illa homo supponit determinatè, animal verò distributiue iuxta secundam regulam. Si verò quodlibet signum afficit suum terminum, in eo exercet proprium officium, & consequenter impedit alium, vt in hac propositione: *Nullus equus est aliquis lapis*, ly, *equus*, supponit distributiue, & *lapis* determinatiue: quia licet illud signum negatiuum, *nullus*, habeat vim distribuendi terminum remotum, iuxta primam regulam, impeditur tamen à signo secundo, quod afficit ipsum prædicatum, & sic non exercet suum officium respectu illius. Hæc autem omnia sunt valdè notanda pro dicendis: nam ex varietate suppositionis oriuntur omnes ferè defectus argumentationum, vt infra videbimus.

## C A P V T V I.

### De ampliacione, restrictione, alienatione, & diminutione.

**A**mpliatio est *Extensio termini à minori ad maiorem suppositionem*, vt in hac propositione, *Petrus currit*, ly *Petrus*, non solum supponit pro tempore futuro, sed ampliatur ad præsens: quia reddit hunc sensum, qui est, vel erit, curret. Duplex autem est ampliatio; alia temporum; quando scilicet suppositio termini extenditur ad varias differentias temporis, quæ apud Logicos sunt quinque, nempe præteritum, præsens, futurum, possibile, & imaginarium, vt in hac propositione, *avarus expetit pecunias*, pecuniæ ampliatur ad omnes differentias temporis: quia reddit hunc sensum: avarus expetit pecunias, quæ sunt vel fuerunt, vel erunt, vel sunt possibiles, vel imaginariæ. Alia est ampliatio temporum, & suppositorum, quando scilicet suppositio termini extenditur, non solum ad differentias temporis, sed etiam ad plura subiecta; vt in hac propositione, *Iusti in perpetuum viuunt*, ly, *iusti*, non solum ampliatur ad tempus præsens, & futurum ratione illius verbi de futuro, sed etiam ad homines præsentis, & futuros. Et hæc ampliatio conuenit terminis communibus, prima verò singularibus.

Restrictio (quæ ampliacioni opponitur) est *coarctatio termini à maiori ad maiorem suppositionem*. Fit autem quatuor modis. *Primò*, per copulam implicationis, vt, homo qui est iustus, diligit Deum; vbi ly *homo* restringitur ad solos iustos. *Secundò* per applicationem substantiui inferioris, vt animal homo disputat. *Tertiò* per positionem adiectiui ex parte eiusdem extremi, vt homo albus disgregat visum. Et *Quartò* per additionem casus obliqui; vt doctrina D. Th. præstantior est aliis.

Alienatio Est *translatio termini à propria, ad impro-*

*priam significationem*: vt in hac propositione, *Pietas leo de tribu Iuda*, vbi *leo* transfertur à propria significatione, ad significandum Christum Dominum.

Tandem diminutio est *Detractio partis suppositionis*: vt quando dicitur, *Aethyops est albus secundum dentes*, ly *albus* non supponit pro toto homine, sed pro quadam eius parte, scilicet dentibus; & hoc solet appellari, *dictum secundum quid*. Si autem contingat terminum detrahi à tota significatione, tunc dicitur remotio: vt si diceremus, homo irrationalis est brutum. Plura circa hæc possent annotari, quæ tractant aliqui, sed vt faciliora, & solo naturalis rationis ductu nota prætermittenda sunt.

## C A P V T V L T I M V M.

### De Appellatione.

**A**ppellatio est *Applicatio significati formalis, vnius termini ad significatum alterius*. Pro cuius intelligentia notandum est, in termino concreto duplex significatum reperiri: alterum formale, & est ipsa forma, quam concretum significat; vt humanitas, & albedo sunt significata formalia hominis, & albi; alterum verò materiale, & est subiectum, seu suppositum, quod concernit nomen concretum, vt corpus est significatum materiale albi; & persona est significatum materiale hominis. Appellare ergò erit applicare significatum formale vnius termini ad significatum: siue materiale, siue formale alterius, & propterea terminus qui applicatur, dicitur appellans; ille verò cui applicatur dicitur appellatus.

Hinc sequitur primò; terminum appellantem debere esse connotatiuum, vt possit applicari alteri: nam vt diximus supra cap. 4. de ratione huius termini est significare per modum alterius adiacentis. Terminus verò appellatus non necessariò est connotatiuus, sed sufficit esse categorematicum.

Secundò, etiam sequitur appellationem esse duplicem, aliam materialem, nempe quando applicatur significatum formale vnius termini supra significatum materiale alterius: vt in hac propositione: *Petrus Logicus est magnus*, vbi magnitudo non applicatur Petro ratione Logicæ, sed ratione corporis: & aliam formalem, quando scilicet applicatur significatum formale vnius supra significatum formale alterius: vt si dicas, *Petrus est Logicus magnus*: ibi enim magnitudo non appellat supra Petrum ratione corporis, sed ratione Logicæ.

Hoc supposito: pro appellationibus cognoscendis aliquæ regulæ obseruandæ sunt. Prima quando subiectum est terminus concretus; prædicatum verò connotatiuus; connotatiuus applicat suum formale significatum supra materiale absoluti. Hac de causa, ista propositio est falsa, *Christus est factus*: quia illud participium appellat supra propositum Christi Domini, quod est Verbum Diuinum, cui repugnat fieri. Et eadem ratione, hæc est vera, *Christus est æternus*; iuxta illud Pauli ad Hebr. ult. *Christus heri, & hodie, ipse, & in sæcula*.

Dices: in hac propositione, *albus est disgregatum visus*, prædicatum appellat supra formale albi, nempe albedinem, & non tantum supra corpus: ergò falsa est regula adducta. Responderetur negando antecedens: nam sensus propositionis est, quod habens albedinem disgregat visum: & ex vi sermonis non curat propositio, an id proueniat ratione albedinis, vel aliunde.

Secunda regula: quando ex parte subiecti sunt nomen absolutum, & connotatiuum; & ex parte prædicati



cati est aliud connotatiuum : istud appellat supra ab-  
solutum, seu substantiuium, quod est à parte subiecti:  
vt in hac propositione, *Petrus Logicus est magnus*,  
ibi magnitudo tantum appellat supra Petrum, & non  
supra Logicum. Si verò à parte subiecti sit tantum  
substantiuium, & à parte prædicati duo adiectiua, seu  
connotatiua, tunc vnum adiectiuium appellat supra  
aliud, vt in hac propositione, *Petrus est Logicus ma-  
gnus*.

Tertia regula : verba significantia aliquem actum,  
sue internum, sine externum, aplicat suam actionem  
supra significatum formale termini, cui iunguntur,  
& non supra materiale, vt cum dicis, vidi Papam, vel  
facio calceum, sensus est te vidisse Papam, dum erat  
Papa; & efficere formam calcei, non verò eius ma-  
teriam.

Quarta regula : nomina numeralia primitiua, vt  
*duo, tres, quatuor*, &c. quando applicantur terminis  
substantiuis, non solum appellant supra significatum  
materiale, sed etiam supra formale : & idè vtutrumque  
multiplicant, vt si dicis, *video tres homines* : sensus  
est, video tria supposita habentia tres humanitates. Si  
verò talia nomina applicentur terminis adiectiuis, so-  
lum appellant supra significatum materiale eorum, &  
illum tantum multiplicant : non verò significatum  
formale, vt cum dicis, *vidi duo alba*, & sensus est vi-  
disse duo subiecta habentia albedinem : essetque pro-  
positio vera etiam si per impossibile vna albedo esset in  
vetroque.

Propter hanc regulam ista propositio est hæretica :  
*In diuinis sunt tres Dei* : quia reddit hunc sensum,  
in diuinis sunt tria supposita habentia tres Deitates,  
quod est contra fidem. Istæ verò sunt veræ & Catho-  
licæ : *In diuinis sunt tres diuini, tres omnipotentes, tres  
sapientes, tres æterni*, &c. si hæc omnia sumantur adiec-  
tiue : quia sensus est, in diuinis sunt tria supposita  
habentia Deitatem, omnipotentiam, æternitatem,  
&c. Non verò si sumantur substantiue, quo sen-  
su, loquitur Athanasius in Symbolo. Videatur D.  
Thom. prima parte, quæstione 39. articulo 3. Ca-  
ietanus ibidem.

Propter eandem etiam regulam, si vna persona di-  
uina assumeret plures humanitates, non dicerentur  
plures homines, sicut neque è contra, si plures per-  
sonæ assumerent eandem humanitatem : possent tamen  
tunc dici plures humani, si verò plures Personæ assu-  
merent plures naturas, verò dicerent plures homines :  
quia tunc multiplicaretur tam significatum materiale,  
quàm formale, quod requiritur ad multiplicationem  
termini substantiui, vt explicatum est. Videatur D.  
Thom. 3. part. q. 3. art. 6. & 7.

In fine huius capituli notandum est, quòd conse-  
quentia redditur mala, si varietur appellatio, hoc est,  
si transit de formali ad materialem, & ideo non sequi-  
tur : calceus est corius, fit calceus, ergo fit corium.  
Quod etiam in aliis proprietatibus terminorum con-  
tingit, vt consideranti patebit, & constabit, amplius  
ex dicendis.



## LIBER II.

### DE PROPOSITIONE, & Passionibus eius.



GENITIS vocibus simplicibus, quæ ad  
primam operationem intellectus dirigendam  
pertinent : transeundum est ad propositiones,  
quæ ex illis componuntur, & secundæ operationi de-  
Colleg. Compl. Logica.

seruiunt. Cum autem oratio si quid superius ad pro-  
positionem, vt postea constabit, & hæc coalescat ex  
nomine, & verbo, idè de his tribus, antequam ad ip-  
sam accedamus, aliqua prælibanda sunt.

## CAPVT PRIMVM.

### De Nomine, & Verbo.

PLURES partes orationis considerant Grammatici,  
& Rhetores, quia ad congruitatem, & orna-  
tum illius sunt omnes necessariae. Dialecticus verò,  
cum solum intendat verum à falso discernere, duas  
tantum considerat, quæ propositioni deseruiunt, scili-  
cet nomen, & verbum : de quibus Arist. lib. 2. Perihermi  
antequam de propositione ageret, disputauit. Quam-  
uis autem explicatum sit à nobis, in quo differant ter-  
minus, & nomen ; huius tamen ampliore notitiam  
oportet tradere, vt ita, in quo à verbo differat, cognos-  
camus.

Nomen ergo ex Arist. ibidem cap. 1. est vox signi-  
ficatiua ad placitum, sine tempore cuius nulla pars sepa-  
rata significat finitæ, & rectæ. Dicitur, vox significatiua,  
vt excludantur non significantia : ad placitum : vt ex-  
cludantur signa naturalia : sine tempore ; vt excludatur  
verbum, cuius proprium est significare cum tempore,  
vt postea explicabimus : cuius nulla pars, &c. vt exclu-  
datur oratio : finitæ, vt excludatur nomen infinitum, &  
tandem additur, rectæ, vt excludantur casus obliqui. Ex  
quo constat Aristot. in præsentī definiuisse nomen, in  
strictissima significatione, in quantum scilicet potest  
deseruire propositioni scientificæ, vt supra notabamus.  
Propter quod excludit à ratione nominis propriè di-  
cti terminos complexos, infinitos, syncategoremati-  
cos, & obliquos, qui omnes, sicut secundum quid  
tantum appellantur termini, ita etiam secundum quid  
tantum possunt dici nomina.

Verbum etiam ex eodem Arist. c. 2. est vox signifi-  
catiua ad placitum, cum tempore, cuius nulla pars separata  
significat, finitæ, & rectæ : & est semper eorum, quæ de al-  
tero dicuntur, nota. Priores particulæ scilicet, vox signi-  
ficatiua ad placitum, cuius nulla pars separata significat  
ex dictis notæ sunt, vt autem intelligatur, quæ sequi-  
tur, scilicet cum tempore : obseruandum est non esse  
idem significare tempus, connotare tempus, & significare  
cum tempore. Illud ergo dicitur significare tempus,  
quod impositum est ad significandum tempus, vel  
aliquam partem eius : vt annus, dies, tempus, &c.  
Illud verò dicitur connotare tempus, quod significat  
aliquid inferens, & concernens aliquod tempus, ex  
eo quod determinato tempore fieri soleat, vt cæna,  
prandium, & similia. Illud autem dicitur significare  
cum tempore quod significat quasi in actu exercito,  
aliquam actionem vel passionem, quæ sunt in tem-  
pore, prout in illo fiunt : vt currit, vincit, &c. Pri-  
mum, & secundum conueniunt nomini, tertium ve-  
rò soli verbo, & participio : & ita per illam particu-  
lam, cum tempore, differt verbum à nomine : per vlti-  
mam verò, scilicet, est eorum, quæ de altero dicun-  
tur, nota, differt à participio, quod licet significet  
cum tempore : nunquam tamen potest esse copula  
propositionis, seu vnio, & nota extremorum, quæ  
in illa coniunguntur.

Additur etiam in definitione, finitæ, vt excludan-  
tur verba infinita, non currit, & similia : nam vt rectè,  
ait Aristot. ibidem, tam non-finita, quàm verba infinita  
non habent determinatam significationem, utpote  
quæ tam enti, quàm non enti possunt conuenire. Tan-  
dem additur, rectæ vt excludantur alia tempora, modi,  
præter præsens indicatiui, cum enim ibi Arist. loqua-  
tur

tur de verbo, quod per se potest enuntiare veritatem independentem ab alio: ideo solum præsens indicativi modi appellat verbum; quia alia tempora dependent ab illo enuntiant veritatem: inde enim hæc propositio de præterito *homo cucurrit*, est vera, quia aliquando de præsentis fuit vera: & idem est de futuro, ut de se patet.

## C A P V T I I.

### De Oratione.

**O**ratio ex Aristot. ubi supra cap. 4. est vox significativa ad placitum cuius, aliqua pars separata significat, ut homo albus. Dicitur, vox significativa ad placitum, abstrahendo ab hoc, quod sit vna vel plures & in hac particula convenit oratio cum nomine, & verbo: differt verò ab illis per aliam subsequentem: scilicet, cuius aliqua pars separata significat. Vbi notandum est cum D. Th. super hunc locum lectione sexta, quod significare, sumitur hic ab Aristotele in rigore, ut scilicet convenit in termino categorematico, & distinguitur à consignificare, quod est proprium syncategorematici: idque declaravit translatio antiqua dum vertit, *Oratio est vox significativa, cuius partium aliquid significativum est*. Quo fit ut ad rationem orationis sufficiat vna eius partem esse terminum categorematicum: ac proinde hæc sunt veræ orationes, *omnis homo, nullus equus, &c.* iuxta quod intelligendum est, quod supra in præambulis diximus, scilicet orationem esse plures voces diversæ significantes: non enim est sensus quamlibet debere propriè significare; sed sufficit, si vna significet, & alia consignificet, ut explicatum est.

Dividitur oratio ab Aristotele ibid. in enuntiativam, & non enuntiativam. Enuntiativa est illa, quæ aliquid affirmat, vel negat, & hæc, nomine incomplexo appellatur propositio, quæ semper fit per verbum indicativi modi: ut cum dicitur, *Homo est animal*. Non enuntiativa est illa, quæ nihil affirmat, vel negat: sub qua comprehenduntur omnes orationes, in quibus non reperitur veritas, vel falsitas: siue illæ sint imperfectæ, ut communiter appellant Doctores eas, quæ non generant perfectum sensum, nec relinquunt animum audientis quietum ut homo albus, & orationes subiunctivi, & infinitivi modi: siue sint orationes perfectæ intra limites non enuntiativæ, quales sunt eæ, quæ generant perfectum sensum, & relinquunt animum audientis quietum: cum tamen nihil enuntient, ut sunt orationes imperativi, & optativi modi.

Sub oratione etiam non enuntiativa comprehenduntur tres modi sciendi, supra explicati: nam quamvis duo priores possunt appellari orationes imperfectæ, eo quod secundum se, & præcisè aliis non relinquunt animum audientis quietum, tertius verò sit oratio perfecta, cum generet perfectum sensum: omnes tamen conveniunt in hoc, quod est esse orationes non enuntiativas; cum in eis nulla reperiatur veritas, vel falsitas. Quod quidem de definitione testatur expressè Arist. ubi sup. cap. 5. dicens. *Essenim hominis definitio, nisi est, aut erat, erit, aut eiusmodi quidquam addatur, nondum est oratio enuntiativa*. De divisione etiam idem constat: nam omne divisum intraret divisionem, essetque simul ignotum, & pars modi sciendi, quod est absurdum. Et tandem de argumentatione (de qua tamen poterat esse difficultas, eo quod componatur ex propositionibus) idem dicendum est, nimirum ipsam formaliter, ut est ratiocinatio, & discursus, non esse orationem enuntiativam, cū

in discursu non sit veritas, vel falsitas: cuius signum est consequentiam propriè loquendo non dici veram, vel falsam; sed bonam, aut malam.

Dices: plures orationes imperfectæ sunt termini complexi; quomodo ergo fieri potest ut idem sit sub genere termini, & orationis; si terminus, & oratio non sunt inter se subordinata: ex eo enim quod planta, & animal sunt genera non subordinata, repugnat aliquid simul contineri sub utroque. Quod autem terminus, & oratio sint genera non subordinata, manifestum est: nam vel terminus continetur sub oratione, vel oratio sub termino: non primum: quia iam omnis terminus esset oratio, quod constat esse falsum: neque secundum: quia iam terminus contineret sub se orationem, & consequenter propositionem; ac proinde prædicaretur de illis, quod est absurdum, ergo idem non potest esse simul terminus, & oratio.

Valde torquentur aliqui hoc argumento: sed certè non habet vim si intentiones istæ rectè perpendantur. Respondetur ergo concedendo terminum non esse genus respectu orationis neque è contra ut per se patet, & convincit argumentum: inde tamen solum sequitur eandem rem non posse essentialiter contineri sub utroque; neque amplius probat exemplum ibi adductum. Hoc autem non contingit in præsentis nam secundæ intentiones constitutiæ termini, orationis sunt quædam accidentia rationis, quæ accidentaliter conveniunt vocibus ab operatione intellectus atque ita eadem entitas realis istarum vocum, *homo albus*, denominatur oratio à secunda intentione significationis. deinde totum hoc coniunctum ex vocibus, & significatione, quod dicitur oratio, denominatur terminus complexus ab alia secunda intentione, ratione cuius consideratur intra propositionem: & ita id, quod essentialiter sunt voces, accidentaliter est oratio; & id, quod essentialiter est oratio, accidentaliter est terminus complexus, quod non solum non repugnat, sed per sæpè contingit, ut patet in entibus realibus nam homo accidentaliter denominatur extensus à quantitate: & totum coniunctum ex homine, & quantitate, rursus denominatur accidentaliter albus ab albedine; ac proinde eadem entitas hominis accidentaliter continetur sub quantitate, & qualitate, quæ sunt diversæ genera inter se non subordinata: sic ergo in præsentis eadem entitas illarum vocum accidentaliter tantum continetur sub termino, & oratione, ut explicatum est.

Secundo obiicies, oratio quæ est manifestatiua ignoti, necessariò debet generare perfectum sensum, & relinquere quietum animum audientis: ergo vel definitio, & divisio non sunt orationes manifestatiuæ ignoti, vel sunt orationes perfectæ.

Respondetur aliud esse, manifestare ignotum: aliud verò id, quod communiter Doctores appellant, generare perfectum sensum: ad hoc enim opus est verbo copulante ea, quæ habent rationem agentis, & patientis in oratione: quod licet interdum fiat absque enuntiatione, ut quando precando dicimus: *Miserere mei Deus*, tamen nunquam fit absque verbo, ut per se patet.

At verò explicare ignotum est asserre distinctè ea, quæ confusè in illo continebantur; & idè quando ignotum non continet verbum, ut contingit in incomplexo; ad ipsum explicandum non requiritur aliquod verbum: sed sufficit adducere genus, & differentiam definiti: vel membra diuidentia divisi. Quo fit; ut quamvis de definitione, & divisione propriè dicatur esse manifestatiua ignoti; non tamen generare perfectum sensum aut relinquere quietum animum audientis: quia in se nullum includunt verbum. Et hoc sensu appellantur à Doctoribus orationes imperfectæ.

Igitur

Igitur de modis sciendi, qui, ut vidimus, sunt orationes enuntiativæ, & pertinent ad institutum Dialecticum, supra egimus. De aliis vero orationibus non enuntiativis, ut sunt, quæ fiunt in optativo, imperativo, aut aliis similibus modis; nihil est in præfenti disputandum: quia ut inquit Arist. cap. 4. citato: *Cætera igitur orationes misse fiunt, quoniam artis Rhetorica, vel Poëtica magis propria est earum consideratio: enuntiativa autem præfentis est inspectio.* Et ideo in sequentibus de Propositione differemus.

C A P V T III.

*De Propositione in communi, & eius divisionibus.*

**P**ropositio solet definiri sic: *Est oratio verum, vel falsum significans.* Quæ definitio solum est descriptiva: nam veritas, & falsitas sunt passionēs propositionis, ut infra dicemus. Et ideo essentialis, & quidditativa definitio est, quam tradit Arist. loco citato, scilicet: *propositio est oratio enuntiativa.* Cuius definitionis intelligentia satis constat ex dictis cap. præcedenti, neque indiget nova explicatione.

Dividit autem statim Aristot. propositionem dicens: *Est itaque una prima enuntiativa oratio, affirmatio, deinde negatio: cætera vero omnes conjunctiones sunt una.* Quibus verbis, notat optimè D. Thomas lectione octava, duas divisiones propositionis, sub breviliquio posuisse Aristotelem. Prima est, quæ dividitur propositio in simplicem, & compositam; seu categoricam, & hypotheticam. Secunda est sub divisione præcedentis, quæ scilicet propositio categorica dividitur in affirmativam, & negativam.

Ad primam ergo divisionem deveniendo: propositio simplex seu categorica est, quæ constat subiecto & prædicato, tanquam partibus principalibus, & copula tanquam vnione, ut *homo est animal.*

Pro cuius intelligentia sciendum est aliquando contingere, quod subiectum sit vnica tantum dictio, ut in exemplo adducto; aliquando vna oratio, ut *homo albus disgregat visum*, aliquando etiam est vnica propositio, ut *homo qui est iustus diligit Deum.*

Hæc autem non obstat, quominus dictæ propositiones sint categoricæ: nam illa integra propositio habet vicem subiecti, quia implicatur in illo. & propterea vocatur copula implicationis: dicitur etiam copula minus principalis, quia ex illa non attenditur veritas, vel falsitas propositionis, sed ex secunda: quæ propterea appellatur principalis. Et idem dicendum est de hac propositione: *Homo est animal, est propositio, & similibus:* quia ibi illa prima propositio gerit vicem subiecti, atque ideo tota est propositio categorica.

Vbi tandem nota, quod quancumque in propositione categorica non explicatur prædicatum id non est: quia reuera talis propositio careat prædicato: sed quia est clausum in verbo, ut cum dicitur, *homo disputat*, sensus est, homo est disputans. Maneat ergo illam esse propositionem categoricam, quæ componitur ex subiecto, & tanquam partibus; quod sufficienter explicuit Aristot. eam appellando absolute vnam seu simplicem.

Propositio vero hypothetica, seu composita est illa, quæ constat ex propositionibus tanquam partibus principalibus aliqua vnione vnitis, ut *Magister docet, & discipulus audit*: de qua agemus, cap. sequenti. Nunc autem videndum est, quæ sit ista divisio, aliqui enim contendunt esse generis in species; sed immerito: tum quia id repugnat Aristot. in verbis adductis, vbi propositionem categoricam simpliciter appellat vnam, hypotheticam vero vnam tantum

*Colleg. Compl. Logica.*

conjunctione, seu secundum quid: tum etiam quia est contra D. Thom. ibid. & Opusc. 48. tract. de Enuntiatione, c. 6. vbi probat esse analogi in analogata. Idque facile suadetur: quia *enuntiare*, in quo sita est essentia propositionis, secundum quid tantum convenit hypotheticæ: non enim vnam propositionem de alia prædicat, sicut categorica prædicat prædicatum de subiecto, in quo consistit propria ratio enuntiationis; sed tantum vnit inter se propositiones categoricas, quod est umbra quædam, & similitudo propriæ enuntiationis: ergo dicta divisio solum est analogi in analogata. Videatur Mas. 2. Perih. c. 1. quæst. 3.

Veniamus ad secundam divisionem, quæ propositio categorica dividitur in affirmativam, & negativam. Quid autem vnaquæque sit, satis exprimunt ipsi termini: nam affirmativa est, quæ iungit prædicatum cū subiecto, & responderet iudicio intellectus, prout appellatur compositio: negativa vero est, quæ prædicatum à subiecto remouet, & correspondet iudicio, prout appellatur divisio. Quæ divisio propositionis verè est generis in species, quidquid dicant Sor. & alij: sic enim docet expressè D. Thomas cum Aristot. locis citatis, & defendunt communiter Doctores, videatur Masius vbi supra quæstione quarta.

Fundamentum est, quia affirmativum, & negativum diuidunt enuntiationem, formaliter quatenus est enuntiatio, ergo sunt differentiz per se, & essentielles, & ex consequenti constituunt veras species.

Probat antecedens; tum quia vnum de alio dicere, in quo consistit enuntiatio formaliter sit, vel applicando vnum alteri, in quo consistit affirmatio, vel remouendo vnum ab altero in quo consistit negatio, tum etiam quia istæ differentiz ita inter se pugnant, ut nunquam in eadem propositione inueniantur; tamen non contingit in veritate, & falsitate, potest enim vna propositio transire de vera in falsam; non tamen de affirmativa in negativam; quod signum manifestum est affirmativum, & negativum esse differentias essentielles propositionis, veritatem verò, & falsitatem quædam accidentia illius. Ex quo tandem fit divisio propositionis in veram, & falsam, tantum esse subiecti in accidentia.

Ut autem alias divisiones propositionis cognoscamus, notandum est, quod sicut in substantia corporea, v.g. homine, quatuor reperiuntur, scilicet forma, materia, quantitas, & qualitas, sic suo modo intellectus eadem quatuor in propositione distinguit. *Forma* ergo est vnio illa prædicati, & subiecti secundum affirmationem, vel negationem, de qua satis constat ex dictis. *Materia* vero est habitudo prædicati, antecedens ipsam vnionem, quæ fit per enuntiationem. *Quantitas* est illa magnitudo, secundum quam propositio dicitur vniuersalis, seu particularis. Et appellatur quantitas: quia sicut ratione quantitatis realis res sunt magnæ, aut parvæ: ita propositio ratione talis magnitudinis est vniuersalis, vel particularis. Tandem *qualitas* propositionis est illa secundum quam dicitur vera vel falsa: quia veritas, & falsitas, sunt quasi passionēs propositionis, ut diximus.

Porro materia propositionis est triplex, sicut triplex est habitudo, quam potest habere prædicatum respectu subiecti. Alia naturalis, quando scilicet prædicatum est de essentia, vel propria passio subiecti: alia contingens, quando scilicet prædicatum est accidens commune respectu subiecti: tunc enim contingenter se habet ad aliud, ut potè quod non nascitur ex intrinseca natura eius, & alia remota, quando scilicet prædicatum repugnat subiecto. Vbi aduertendum est, manente eodem prædicato, & subiecto, semper manere eandem materiam propositi-

B 2

tionis;

tionis; quantumvis ipsa varietur penes affirmationem, vel negationem; vniuersalitatem vel particularitatem; aut veritatem; vel falsitatem. Cuius ratio est, quia semper manet illa habitudo extremorum, quæ consideratur ante ipsam actualem prædicationem. Et ideo istæ propositiones sunt in materia naturali, *homo est animal, homo non est animal*; & hæc in materia contingenti, *Omnis homo est albus, aliquis homo non est albus*; & hæc in materia remota, *homo est lapis, homo non est lapis*.

His explicatis: primò diuiditur propositio ratione materiæ in necessariam, contingentem, & impossibilem. Necessaria est, quæ enuntiat rem, quæ aliter se habere non potest: contingens, quæ aliter se habere potest: impossibilis verò est, quæ enuntiat rem, quæ sic se habere non potest. Quod sit, vt non sint idem propositionem esse in materia naturali; & esse necessariam: si quidem hæc, *Homo non est animal*, est in materia naturali; & tamen est impossibilis. Similiter non sunt idem propositionem esse in materia remota, & esse impossibilem: nam hæc, *Homo non est equus*, est in materia remota; & tamen est necessaria. Quod vt plenè percipiat, obseruanda est sequens regula, quòd scilicet in materia naturali omnis propositio affirmatiua est necessaria; negatiua verò, impossibilis: in materia autem remota omnis propositio negatiua est necessaria; affirmatiua verò, impossibilis: at in materia contingenti, tam affirmatiua, quàm negatiua semper manent contingentes.

Secundò diuiditur propositio ratione quantitatis in vniuersalem, indefinitam, particulatam, & singularem. Vniuersalis est, cuius subiectum est terminus communis signo vniuersali affectus, vt *omnis homo est animal, nullus homo est animal*. Indefinita est, cuius subiectum est terminus communis nullo signo affectus; quæ si fuerit in materia naturali, & remota, æquualet vniuersali; si verò fuerit in materia contingenti, æquualet particulari. Particularis est, cuius subiectum est terminus communis signo particulari affectus, vt, *aliquis homo est animal*. Et tandem singularis est, cuius subiectum est terminus singularis, siue sit determinatus, vt *Petrus*, siue demonstratiuus, vt *hic homo*: siue ex suppositione, vt *Filius Mariæ Virginis*.

Hinc fit ad quantitatem cognoscendam respiciendum esse subiectum, & non prædicatum: si enim subiectum, est terminus singularis, prædicatum verò communis, vt *Petrus est animal* propositio est singularis, si verò è contra subiectum sit terminus communis signo vniuersali affectus, prædicatum verò terminus particularis, vt *omnis homo est aliquod animal*, propositio est vniuersalis.

Ratio autem huius est: quia quantitas, quæ est accidens reale, oritur ex composito reali ratione materiæ: vnde cum subiectum in propositione habeat rationem materiæ respectu prædicati, ex illo pensanda est quantitas propositionis, quæ est accidens rationis.

Tertiò diuiditur propositio ratione qualitatatis in veram, & falsam. Propositio vera est, quæ dicit rem sicuti est in se, falsa verò, quæ rem, aliter ac est in se, enuntiat. Ad qualitatem etiam propositionis pertinet esse modalem, exceptiuam, exclusiuam, &c. vt infra videbimus.

## CAPVT IV.

## De propositionibus hypotheticis.

**Q**uid sit propositio hypothetica, diximus cap. præcedenti: nunc autem explicanda sunt membra diuidentia, quæ sub illa continentur. Diuiditur ergo à D. Thom. Opusc. citato, capite decimo quarto in copulatiuam, disiunctiuam, & conditionalem: ad quam, vt expressè ibidem inquit, reducuntur rationalis, & causalis, & si quæ sunt aliz huiusmodi.

Copulatiua est illa cuius partes principales vniuntur coniunctione copulatiua, quales sunt, *& ac nec*, & similes: vt si dicas: *Homo est rationalis, & equus est hinnibilis: neque homo est lapis, neque equus est risibilis, &c.* Ad veritatem autem copulatiuæ requiritur, quod vtraque pars sit vera: ad falsitatem verò, quòd vtraque, vel altera sit falsa. Vt autem sit possibilis, non sufficit vtramque partem esse possibilem: sed requiritur etiam vt sint compossibiles, hæc enim propositio, *Petrus loquitur & non loquitur*, constat partibus, quarum quælibet seorsim est possibilis: quia tamen sunt inter se impossibiles, ideo tota propositio dicenda est impossibilis.

Disiunctiua est illa, cuius partes principales vniuntur coniunctione disiunctiua, quales sunt, *vel aut, siue*, & similes: vt si dicas, *vel Petrus loquitur, vel sedet*. Tunc autem propositio disiunctiua est vera, quando altera pars est vera, & tunc falsa, quando vtraque pars est falsa.

Est tamen difficultas, an etiam sit falsa, quando vtraque pars est vera: quòd enim sit falsa, tradit expressè D. Thom. loco citato, vt docent communiter Dialectici. Aliunde autem videtur asserendum, esse veram: si enim ad id sufficit veritas vnius partis: ergo melius sufficit veritas vtriusque, quandoquidem duæ veritates se impedire non possunt.

Respondetur coniunctionem disiunctiuam sumi posse dupliciter: primò propriè, & in rigore disiunctionis, quomodo virtualiter continet propositionem exclusiuam, & reddit hunc sensum: alterum tantum istorum est verum, sicque satis apparet propositionem disiunctiuam esse falsam, cuius vtraque pars est vera, in qua proprietate, & rigore loquuntur D. Thom. & Dialectici. Secundo verò modo lolet interdum sumi coniunctio disiunctiua, non in rigore disiunctiuo, sed vt vult idem, ac *saltem*, vel *ad minus*: & tunc reddit hunc sensum: vnum saltem istorum est verum: quomodo satis patet ad veritatem disiunctiuæ non obesse, quòd vtraque pars sit vera.

Propositio conditionalis est illa, cuius partes principales vniuntur media particula, *si*, aut alia con- simili: v. g. *Si Petrus disputat, loquitur, si equus est rationalis, est risibilis*, & aliz huiusmodi. In quibus: quia simul etiam sunt argumentationes, vt supra in præambulis vidimus, idèd vna oratio, seu propositio categorica vnitur alteri per modum cuiusdam consecutionis, atque ita prima appellatur antecedens, secunda verò, consequens. Quod etiam proportionabiliter inuenitur in propositione hypothetica rationali, & causali: & propterea sub conditionali comprehenduntur à D. Thom. vt supra vidimus. Est autem propositio rationalis, cuius partes principales vniuntur media particula, *ergo*, vel *igitur*, vt si dicas, *Petrus ambulat, ergo mouetur*. Causalis vero est, cuius partes principales vniuntur media particula, *quia*, aut alia coniunctione causali, vt cum dicitur, *quia ignis est, calor est*.

Dices

Dices : quomodo eadem oratio potest esse simul argumentatio , & propositio , cum hæc essentialiter sit oratio enuntiatiua ; cui proinde conuenit esse veram , vel falsam : illa verò contineatur sub oratione non enuntiatiua , cui consequenter solum potest conuenire esse bonam , vel malam , vt supra diximus.

Respondetur , quod sicut propositio hypothetica secundum quid tantum participat rationem propositionis , ita secundum quid tantum est enuntiatio ; & secundum quid tantum dicitur affirmatiua , vel negatiua vera vel falsa , &c. cui enim secundum quid conuenit aliqua essentia , secundum quid etiam conueniunt , quæ talem essentiam comitantur. Non est autem inconueniens , vt id , quod simpliciter est in vno genere , secundum quid pertineat ad aliud , cuius aliqualem rationem participat. Et sic contingit in præsentī : quia enim particule conditionales , causales , & rationales simpliciter sunt notæ illationis , simpliciter constituunt argumentationes , quæ sunt orationes non enuntiatiuæ ; & prout sic dicuntur bonæ , vel malæ , quia verò ibi etiam interuenit quidam modus enuntiationis , saltem virtualiter : ideo tales orationes secundum quid participant rationem propositionis ; & prout sic dicuntur , veræ , vel falsæ. Vide Huertos hic capite quinto , quæstione decimanona , art. 1. ad 4.

Igitur ad hanc veritatem istarum propositionum , generaliter requiritur vt categorica , quæ dicitur consequens , sequatur ex alia quæ est antecedens , seu quoddam consecutio sit bona : hoc tamen non sufficit in omnibus nam , ad veritatem rationalis etiam est necessarium , vt ipsum antecedens sit in se verum ; defectu cuius hæc est falsa : *equus est homo , ergo est animal*. Ad veritatem autem propositionis causalis ultra requiritur , quoddam antecedens sit etiam causa consequentis ; defectu cuius hæc est falsa : *qui homo est visibilis , est rationalis*. At verò , vt propositio conditionalis sit vera , sufficit illationem esse bonam , quamuis antecedens , & consequens sint falsæ ; & idem , vt bene inquit D. Thom. opusc. citato c. 8. hæc est vera , *si immobile currit , immobile mouetur* ; hæc autem falsa , *si homo est albus , homo est musicus*. Vnde etiam emanauit commune dictum , quoddam conditionalis nihil ponit in esse.

Non est autem hoc loco prætereundum id , quod ex communi Dialecticorum doctrina notant rectè Didacus Albar libro secundo , de auxiliis disputatione septima , & alij Theologi Thomistæ ; scilicet , propositionem conditionalem posse dupliciter sumi : primò in rigore consequentiæ , ita vt dictio , *Si* , accipiat propriè illatiuè ; & tunc ad veritatem illius sufficit , & requiritur , vt consequentia secundum se sit bona : seu quoddam ex ipsa natura antecedentis , circumscriptis aliis , sequatur consequens , siue ipsum antecedens , & consequens sint in se vera , vel falsæ ; siue possibilia , aut impossibilia , siue necessaria , aut contingentia. Qua ratione D. Thomas prima parte , quæstione vigesima-quinta , articulo tertio , ad secundum , & alibi sæpè affirmat hanc propositionem esse veram , *Si Deus vult peccare , peccabit* , sicut est ista , *si homo est asinus , habet quatuor pedes*. Quia autem consequentia , quæ secundum se est bona , semper est bona , & consequenter necessaria ; & quæ secundum se est mala semper est mala , & consequenter impossibilis ; ideo omnis conditionalis illatiua vera , est necessaria : omnis autem falsa impossibilis. ac proinde nulla datur conditionalis illatiua contingens. Quæ est expressa doctrina Angelici Doctoris opusculo citato , & libro septimo , Metaphysicæ lectione decima-tertia , Petri Hispan. tractatu pri-

Colleg. Compl. Logica.

mo , Summularum , capite decimo-septimo , Sori , & aliorum Dialecticorum ibidem.

Secundo modo potest sumi illa dictio *si* , concomitantè , ita scilicet , vt importet concomitantiam antecedentis , & consequentis propositionis conditionalis fundatam , non quidem in bonitate illationis secundum se , sed supposita aliqua promissione , aut proposito , vel alia causa , ratione cuius , posito in esse antecedenti , poneretur etiam consequens ; vt patet in his conditionatis : *Si pro me apud Regem intercesseris , dabo tibi equum : si heri venisses in domum amici , conuasses cum illo* ; & similibus. In quibus quamuis verè intercedat aliqua illatio , & consecutio : hæc enim est inseparabilis à propositione conditionalī , vt diximus ; tamen talis consequentia non est secundum se bona , & necessaria , ita vt ex vi antecedentis præcisè sumpti sequatur consequens ; sed fundatur in aliqua promissione , aut proposito , ratione cuius ad positionem antecedentis sequitur consequens , vt dictum est.

Ad veritatem autem propositionis conditionalis hoc modo sumptæ sufficit , & requiritur , vt verè existat à parte rei fundamentum illius concomitantie antecedentis , & consequentis : vt patet in exemplis adductis. Ad hoc enim vt verè quis dicat , *si pro me ad Regem intercesseris , dabo tibi equum* , necessarium est tunc adesse propositum dandi equum , etiam si postea , mutato consilio , non impleatur promissum. Quod si promittens non habuit tale propositum , propositio fuit falsa , etiam si facta apud Regem intercessione , donetur equus : quod etiam patet in alio exemplo , & conuincitur manifestè in iuramentis promissoriis sub conditione. De quo videri potest D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 7. ad 1.

Tandem circa propositiones hypotheticas obseruandum est tunc esse affirmatiuas , quando principalis earum copula affirmatur , siue partes ipsæ sint affirmatæ , siue negatæ : istæ enim sunt affirmatiuæ : *Si homo est animal , est sensibilis : si homo non est animal , non est sensibilis*. Tunc autem sunt negatiuæ , quomodo principalis copula negatur , siue partes sint affirmatæ , siue negatæ : vt *non si Petrus mouetur , currit : non si Petrus non mouetur non currit*.

Loquendo autem de vniuersalitate , aut particularitate , Dialectici communiter fatentur propositiones hypotheticas ratione sui non habere quantitatem. Cum enim hæc in propositionibus sumatur ex subiecto , vt supra vidimus : hypotheticæ autem non componantur ex subiecto , & prædicato , vt patet , inde fit ipsas propriè non esse vniuersales , aut particulares. Propter quod etiam inter eas solùm attenditur oppositio contradictoria ; quæ fit proponendo negationem toti propositioni , ita vt cadat supra copulam principalem , vt magis constabit ex dicendis.

Multa alia solent aliqui tractare de propositionibus hypotheticis , sed quia istæ secundum quid participant rationem propositionis , ex quadam similitudine ad categoricas , vt supra dicebamus : idem quidquid de his dictum fuerit facillè poterit seruata proportionē illis applicari , atque ita solum restat agendum de propositionibus categoricis. Quia autem inter has propositiones longè faciliores sunt eæ , quæ nullo afficiuntur modo ; & propterea appellantur simplices , ad distinctionem aliarum modificatarum difficultiorum , nempe modalium , exclusuarum , reduplicatiuarum , & similiarum : idem illarum proprietates prius explicandæ sunt : per quod aditus patefiet ad istas cognoscendas.

B ;

CAPVT



## CAPUT V.

## De Oppositione Propositionum simplicium.

Sicut ex habitudine, quam vnus terminus in propositione dicit ad alterum, resultant variae eorum proprietates, scilicet suppositio, appellatio, &c. ita ex comparatione vnus propositionis ad aliam resultant quaedam earum passionum, nempe oppositio, æquipollentia, & conuersio; de quibus in hoc; & sequenti capite agendum est. Ex quo patet non esse sermonem de oppositione reali rerum, qualis est ea, quæ versatur inter calorem, & frigus: nam de hoc agitur in postprædicamentis: neque similiter de oppositione terminorum, de qua actum est iam suprà lib. I. c. 4. sed tantum de oppositione, quæ inter propositiones inuenitur.

Hæc ergo oppositio, vt colligitur ex Arist. I. Perih. cap. 4. Est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem: siue repugnantia inter propositionem affirmatiuam, & negatiuam eiusdem prædicati, & subiecti. Ex qua definitione, si formaliter intelligatur, vt debet intelligi, inferuntur plura requisita ad oppositionem.

Primum est, vt copula principalis in vna sit affirmata: in alia verò negata: nam ex ista attenditur affirmatio, vel negatio propositionis: propterea istæ non opponuntur: *Petrus qui disputat loquitur: Petrus, qui non disputat, loquitur.*

Secundò requiritur, vt in vtraque maneant idem prædicatum, & subiectum, in nomine, in re significata, in integritate, in tempore, & in loco: nam hæc omnia significantur per *ly eiusdem de eodem*: idèd non oportet illa exprimere.

Defectu eiusdem nominis hæc non opponuntur: *Angelus est Dei, Angelus non est Deus: homo est albus, homo non est albedo.* Defectu eiusdem rei significatæ istæ non opponuntur: *Canis latrat, canis non latrat,* si in prima fiat suppositio pro latrabili, in secunda verò pro cælesti: quod semper contingit in terminis æquiuocis, quando supponunt pro diuersis significatis.


Defectu integritatis illæ propositiones non opponuntur, in quarum altera deficit aliqua pars, vel modus prædicati, aut subiecti; quæ tamen erant in alia: itaque quidquid ponitur à parte subiecti, vel prædicati

in vna propositione, siue sit casus obliquus, aduerbium, copula implicationis, aut quid simile, debet etiam poni in alia, vt sit oppositio. Excipiuntur tamen signa, quæ afficiunt totam propositionem, & illam reddunt vniuersalem, vel particularem: in quibus aliquando est variatio, vt postea dicemus. Et defectu huius integritatis hæc non opponuntur: *Petrus currit: Petrus non currit velociter: omnis equus Regis possidetur à Rege; aliquis equus non possidetur à Rege: omnis homo est omne animal, aliquis homo non est animal, &c.*

Similiter defectu eiusdem temporis hæc non opponuntur: *Petrus disputat: Petrus non disputat,* si pro diuersis temporibus supponam. Et tandem defectu eiusdem loci hæc non opponuntur: *Magister est in aula: Magister non est in aula,* si prima proferatur, dum ille est in aula; secunda verò dum est in Ecclesia.

Quæ omnia hoc vno præcepto comprehenduntur; vt scilicet in oppositione seruentur eadem proprietates terminorum, scilicet eadem suppositio, ampliatio, &c. Excepta suppositione, quæ provenit à signis efficientibus subiectum: hæc enim aliquando mutatur: semper tamen debet seruari eadem suppositio simplex vel realis, completa, vel incompleta, &c.

Oppositio autem hoc modo explicata est multiplex: alia dicitur contradictoria; alia contraria; & alia subcontraria: quibus etiam solet adiungi subalternæ. Oppositio contradictoria inuenitur, quando vna propositio est vniuersalis, & alia particularis; contraria autem, quando ambæ sunt vniuersales: subcontraria verò, quando ambæ sunt particulares: in quibus omnibus oppositionibus, altera propositio debet esse affirmatiua, & altera negatiua: hoc enim est de ratione propriæ oppositionis, vt patet ex definitione explicata. Et idèd oppositio subalternæ, quæ scilicet versatur inter propositiones, quarum vna est vniuersalis, & alia particularis; ambæ verò affirmatiuæ, vel negatiuæ, non est propriè oppositio; cum non sit affirmatio & negatio. Potest tamen secundum quid appellari talis: quia est inter propositiones habentes diuersam quantitatem. Dicitur verò subalternæ: quia particularis continetur sub vniuersali: propter quod etiam hæc appellatur subalternans; illa verò subalternata. Quæ omnia patent in sequenti figura.



Vt autem materia hæc omnino comprehendatur, aliqua obseruanda sunt. Primum est, quod quando subiectum est terminus communis & supponit personaliter, seu realiter, requiritur ad oppositionem conditionem, vt vna propositio sit vniuersalis, & alia particularis, sicut patet in exemplo posito: si verò subiectum sit terminus singularis, vel communis supponens copulatè, simpliciter, aut confusè: tunc debet manere in vtraque inuariatum, nulla mutata quantitate. Et idè istæ sunt contradictiones: *Petrus currit; Petrus non currit; omnes Apostoli sunt duodecim: omnes Apostoli non sunt duodecim; ad equitandum requiritur equus; ad equitandum non requiritur equus; homo est species; homo non est species, &c.* Si autem mutaretur quantitas, non essent contradictiones, vt si dicas: *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim; aliqui Apostoli Dei non sunt duodecim.* Huius autem rationem tangit optimè D. Thom opusc. 48. tract. de enuntiatione cap. 8. cum enim contradictio sit maxima oppositio, teste Aristot. 10. Metaphysicæ cap. 7. ac proindè nullum possit habere medium: consequens est, vt sit totalis remotio affirmationis per negationem. Quare quia vniuersalis affirmatiua totaliter remouetur per negatiuam particularem; sicut negatiua vniuersalis, per particularem affirmatiuam, quando subiectum est terminus communis, & supponit personaliter, idè in tali casu contradictio sit mutata quantitate. Quia verò, quando subiectum & terminus singularis, vel communis supponens copulatè, simpliciter, aut confusè; si tunc mutaretur quantitas propositionis, affirmatio non taliter remoueretur per negationem, vt patebit consideranti exempla adducta idè, vt inter similes propositiones maneat contradictio, debet manere eadem quantitas, vt explicatum est.

Secundo obseruandum est in signis mixtis ex vniuersali, & particulari esse etiam suo modo oppositionem: quia enim alia sunt magis vniuersalia, vt *utrumque*, & *neuter*; alia magis particularia, vt *alter*, & *alter non*; idè *utrumque*, & *neuter* opponuntur contrariè; *neuter* verò, & *alter*, & similiter, *utrumque*, & *alter non*, opponuntur contradictoriè; *alter* verò, & *alter non*, subcontrariè. Eadem proportionem ista coniunctio, &, est signum vniuersale; & coniunctio, vel, est signum particulare; & idè, quando subiectum in propositione est copulatum (vt aiunt) media particula &, debet manere eadem coniunctio in propositione contraria; in contradictoria verò mutanda est in vel. verbi gratia, istæ sunt contrariæ: *Petrus, & equus est rationalis; Petrus, & equus non est ra-*

*tionalis; istæ verò contradictoriæ: Petrus, & equus est rationalis; Petrus, vel equus non est rationalis.* Quod si in vtraque propositione extremum sit copulatum per vel, tunc sunt subcontrariæ: vt *Petrus, vel equus est rationalis; Petrus, vel equus non est rationalis.* Hæc autem intellige, quando partes subiecti non copulantur in ordine ad verbum de plurali; tunc enim subiectum ex vi talis verbi supponit copulatum; & sic censetur singulare: vt *Petrus & Paulus currunt*; propter quod tales propositiones tantum opponuntur contradictoriè, sicut aliæ singulares: ac proindè non debet mutari quantitas; sed retinenda est eadem coniunctio, &, & in sua contradictoria sic: *Petrus & Paulus non currunt.* Vbi tandem nota in propositionibus, quæ constant terminis numeralibus, scilicet bis: tria, &c. optimum modum contradicendi esse, præponendo negationem secundæ propositioni: vt si dicas, *bis cantamus Missam, non bis cantamus Missam.*

## C A P V T VI.

### De Legibus Istarum oppositionum.

**H**is explicatis; aliquæ leges pro vnaquaque oppositione statuendæ sunt, quas assignant communiter Dialectici. Prima pro contradictoriis est, in nulla materia posse esse simul veras, au simul falsas, Ratio est: quia contradictio est: summa oppositio; cuius proindè nullum potest esse medium; vt dictum est: ergo sicut impossibile est idem simul esse, & non esse; ita impossibile est, vt idem simul affirmetur, & omnino negetur de eodem: quod sit per contradictionem, vt patet.

Secunda lex pro contrariis est, in nulla materia posse esse simul veras, bene tamen simul falsas in materia contingenti. Hoc secundum patet in his propositionibus: *Omnis homo est albus; nullus homo est albus*: quas constat esse falsas. Et ad istud genus materię reducuntur propositiones indirectæ, in quibus de superiori prædicatur solum inferius: quia hoc habet rationem accidentis respectu illius; propter quod ibi possunt esse duæ contrariæ simul falsæ: vt cum dicitur: *Omne animal est homo; nullum animal est homo*. Quod autem in nulla materia possint dari simul veræ: etiam constat quia aliis darentur duæ contradictoriæ simul veræ: nam si hæc propositio: *Omnis est homo albus*, est vera; etiam particularis sub illa contenta, scilicet *aliquis homo est albus*, erit vera; sed hæc contradictoria alterius negatiuæ, scilicet *nullus*

*lun est homo albus* : ergo si hæc esset vera, iam darentur duæ contradictoriæ simul veræ.

Tertia lex pro subcontrariis est, nunquam posse esse simul falsas, bene tamen simul veras in materia contingenti. Hoc secundum patet in his : *aliquis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*, quas constat esse veras. Primum autem probatur ex dictis ; quia alias etiam sequeretur dari duas contradictorias simul veras : nam si subcontrariæ sunt simul falsæ, earum contradictoriæ erunt necessariò veræ : cum autem contradictoriæ propositionum particularium sint duæ vniuersales inter se contrariæ, & ex duabus contrariis simul veris sequantur duæ contradictoriæ simul veræ, ut vidimus ; planum fit ex duabus subcontrariis falsis colligi duas contradictorias simul veras.

Quarta lex pro subalternis est, ut in materia naturali, si vna est vera, alia etiam sit vera ; & idem est de falsitate : in materia verò contingenti vniuersalis potest esse falsa, particularis autem vera ; sed non è contra : quæ omnia satis ex se patent.

Contra primam legem plures solent adduci instantiæ, quarum aliquas subiiciemus, ut ex earum solutione aliæ faciliè dissoluantur. Sic ergo prima : quia hæ sunt contradictoriæ : *Omne album aliqua albedine est album*, *aliquod album aliqua albedine non est album* : & tamen sunt simul veræ, ut patet. ¶ Secunda : quia istæ etiam sunt contradictoriæ : *Omnis hominis alter oculus est dexter*, *alicuius hominis alter oculus non est dexter* : & tamen constat esse simul veras. ¶ Tertia : quia hæ etiam sunt simul veræ : *Omnis homo seruans omne mandatum Dei saluabitur* : *aliquis homo seruans aliquid mandatum Dei non saluabitur* : quibus tamen nihil deficit ad veram contradictionem. Et idem etiam videtur dicendum de illis : *Omne animal fuit in arca Noë* : *aliquod animal non fuit in arca Noë*, & aliis huiusmodi : ergo falsa est prædicta regula.

Respondetur ad primam instantiam casum illum obliquum, *aliqua albedine*, esse partem prædicati, quod in prima propositione affirmatur de subiecto : & idè in secunda debet negatiuis casus. Quod ut fiat, postponendus est ipsi negationi sic : *aliquod album non aliqua albedine est album* : quomodo constat hanc secundam propositionem esse falsam : quia ratione negationis distribuitur ille casus obliquus, & reddit hunc sensum : *Aliquod album nulla albedine est album*. Ex quo inferitur generalis regula pro contradictoriis, scilicet quòd, quando vna est vniuersalis, & alia particularis ; terminus, qui in vna distribuitur, non debet distribui in alia, & è contrariè tamen quòd nullus maneat in vtraque indistributus, alias non dabitur vera contradictio, ut patet in exemplo argumenti : si enim ille casus obliquus, *aliqua albedine*, non postponeretur negationi, maneret in vtraque indistributus : ac proinde non esset vera contradictio.

Per quod patet ad secundam instantiam : ly enim *alter oculus*, manet indistributus in vtraque illa propositione : essent autem contradictoriæ, si in secunda diceretur, *non alter, oculus*, aut *neuter oculus*, quod idem est. ¶ Vel secundo responderetur quantitatem propositionis debere attendi ex casu recto, non verò ex obliquo : & idè tales propositiones non opponi contradictoriæ : quia in vtraque, *alter oculus*, est terminus particularis : opponerentur autem si inuariato casu obliquo, mutaretur rectus secundum quantitatem, dicendo : *Omnis hominis alter oculus requiritur* : *omnis hominis neuter oculus requiritur*.

Ad tertiam negandum est illas esse contradictorias : quia ly, *omnia mandata*, supponit copulativè in prima propositione ; ac proinde, ut verè opponeretur, retinenda erat eadem suppositio in secunda dicendo : *Aliquis homo seruans omne mandatum, &c.* Per quod Patet ad

alias propositiones ibidem adductas : si enim in vtraque seruetur suppositio completa, prima est falsa, & secunda vera : si verò in vtraque seruetur suppositio incompleta, prima est vera, & secunda falsa : si autem vtraque sumatur in sensu vero, quem potest habere variatur suppositio de incompleta ad completam, & ita non manet contradictio.

Tandem contra secundam legem obiicies : quia idè in contradictoriis non possunt ambæ esse simul veræ, vel simul falsæ in quacunque materia : quia in illis propositio affirmatiua totaliter remouetur per negatiuam, sed hoc idem contingit in contrariis : ergo ipsæ non potuerunt esse simul falsæ in quacunque materia. Probatur minor : quia hæc propositio *omnis homo est animal*, totaliter remouetur per hanc, *nullus homo est animal* : siquidem inter eas nullum relinquitur medium.

Respondetur propositionem affirmatiuam vniuersalem præcisè in quantum talem, abstrahendo ab hoc, quod sit in hac, vel in illa materia, non remoueri totaliter per negatiuam vniuersalem : nam inter, *omne*, & *nullum*, mediat *aliquis*, ut patet, atque ita duæ vniuersales secundum se verè habent medium, & ex consequenti inter illas non est totalis remotio. Quando verò vniuersalis affirmatiua, & negatiua sunt in materia naturali, tunc ratione materiæ nullum habent medium : quia non est possibile vtramque vniuersalem esse falsam, si aliqua particularis est vera, quandoquidem eadem ratione qua verum est, aliquem hominem esse animal, verum etiam est ratione materiæ omnem hominem esse animal. Et propterea dicimus duas contrarias non posse esse simul falsas in materia naturali, bene tamen in materia contingenti.

## C A P V T V I I.

### De æquipollentia, & conuersione positionum simplicium.

**Æ**quipollentia propositionum, idem est, ac æquipollentia earum, & contingit, quando duarum propositionum verbis differentium eadem est vis, & sensus, ac proinde potest multipliciter fieri, siquidem istæ omnes sunt æquipollentes : *Cicero est orator*, *Tullius est orator* : *homo disputat*, *animal rationale disputat*, & aliæ similes. Quamuis autem hæc sit in rei veritate æquipollentia ; in præsentem tamen solum agimus de illa quæ conuenit propositionibus ratione signorum, & idè communiter definitur sic : *Æquipollentia est eadem vis duarum propositionum à diuersis signis proueniens* : inuentaque est ad obscuras propositiones in clariores resoluendas. Ut ergo propositiones oppositæ reddantur æquipollentes, tria præcepta sunt obseruanda, quæ hoc carmine continentur.

¶ *Præ, contradic, post, contra, præ, postque, subalter.*

Primum est. Ad hoc, ut duæ propositiones contradictoriæ fiant æquipollentes, præponenda est negatio subiecto cuiuslibet illarum. Verbi gratia, istæ sunt contradictoriæ : *omnis homo est animal*, *aliquis, homo non est animal* : si ergo primæ præponas negationem dicendo : *non omnis homo est animal*, eandem omnino vim habet, ac secunda, & est illius æquipollens. Similiter si negationem præponas secundæ dicendo : *non aliquis homo non est animal*, iam redditur æquipollens illi primæ, scilicet, *omnis homo est animal*. Et hoc significat illa particula carminis, *præ, contradic.*

Secundum est. Ad hoc, ut duæ propositiones contrariæ reddantur æquipollentes, postponenda est negatio subiecto cuiuslibet earum, ut patet in his : *Om-*

nīs

*nis homo est albus: nullus homo est albus:* quæ sunt æquipollentes, si in prima ponatur negatio post subiectum dicendo: *Omnis homo non est albus:* sic enim æquiualeat alteri, scilicet, *nullus homo est albus.* Et hoc significat illa particula; *post, contra.*

Terrium est. Ad hoc, ut duæ subalternæ fiant æquipollentes, apponendæ sint duæ negationes cuilibet illarum, una ante subiectum, & alia post subiectum: quod significant illæ ultimæ particulae, *pra, postque, subalter.* Exempla faciliè quilibet adducet iuxta dicta: & idèd omittuntur. Pro subcontrariis verò nullum est præceptum: quia hæ non possunt fieri æquipollentes, etiam si præponatur, vel postponatur negatio, ut consideranti patebit.

Hinc sequitur illa signa, quæ afficiunt propositiones æquipollentes esse inter se æquipollentias, imo posteriori iure, ac ipsæ propositiones: siquidem ab illis prouenit æquipollentia earum. Huiusmodi autem signa comprehenduntur à Dialecticis versibus sequentibus.

*¶ Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus.*

*¶ Non nullus, quidam, sed nullus non, valet omnis,*

*¶ Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.*

*¶ Vterque non, neuter: neuter non, valet uterque.*

*¶ Non alter, neuter: non alter: non, est uterque.*

¶ Ultima proprietas propositionum est conuersio cuius notitia ad artem syllogisticam est summè necessaria: quia media illa syllogismi imperfecti ad perfectos reducuntur. Conuersio ergo est *transmutatio unius extremi totalis in alterum extremum totale*, scilicet subiecti in prædicatum, & è contrà: ut si dicas, *nullus homo est lapis, nullus lapis est homo.* Ex quo patet conuersionem, quæ à Dialecticis appellatur, *per contrapositionem*, & fit mutando terminos finitos in infinitos, non esse propriè conuersionem: siquidem ibi non transmutantur extrema: sed potiùs auferuntur: quæ etiam de causa, & quia non est necessaria ad Dialecticum institutum, frequenter in præsentì prætermittitur, & idèd illa relicta.

Conuersio est duplex: alia simplex, & alia per accidens. Conuersio simplex (quam Aristotel. 1. Priorum cap. 2. appellat conuersionem in totum) est transmutatio extremorum propositionis, manente eadem quantitate, & qualitate: (per qualitatem intellige, tum veritatem, vel falsitatem, tum etiam affirmationem, vel negationem) quomodo conuertuntur vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, verbi gratia, *Nullus homo est equus: nullus equus est homo: aliquis homo est animal: aliquod animal est homo.* Conuersio per accidens (quam Aristoteles ibidem vocat conuersionem in partem,) est transmutatio extremorum propositionis mutata quantitate: non verò qualitate: quo modo conuertuntur vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua, ut *omnis homo est animal: aliquod animal est homo: nullus homo est lapis, aliquis lapis non est homo.* Qui modi conuersionum significantur à Dialecticis in primo ex duobus illis carminibus.

*¶ Simpliciter, FECL: conuertitur EVA per acci:*

*¶ ASTO per contra: sic fit conuersio tota.*

Relicto enim secundo propter dicta, sensus primi est, conuersione simplici conuerti vniuersalem negatiuam, & particularem affirmatiuam quæ significantur per duas literas vocales E. & I. contentas in illa dictione, *FECL*; conuersione verò per accidens conuerti vniuersalem negatiuam, & vniuersalem affirmatiuam significatas per vocales E. & A. illius dictionis, *EVA*. Quas literarum significationes declarant illi versus.

*¶ Afferis A, negas E: sunt vniuersaliter ambo.*

*¶ Afferis I, negas O: sunt particulariter ambo.*

Ut autem istæ conuersiones rectè fiant, primò aduertendum est, ut integrum subiectum efficiatur integrum prædicatum, & è contrà; aliàs non erit bona consequentia: non enim sequitur, *Petrus videt Paulum:* ergo *Paulus videt Petrum*, *Petrus est in domo:* ergo *domus est in Petro:* quia ly, *Paulum*, & ly, *in domo* non sunt integra extrema: debet ergo fieri hoc modo: *Petrus videt Paulum:* ergo *videns, Paulum est Petrus:* *Petrus est in domo:* ergo *existens in domo est Petrus.*

Secundò, etiam aduertere oportet, ut seruentur omnes proprietates terminorum, excepta suppositione, quæ prouenit à signis: nam defectu ampliationis non valet: *senex fuit puer:* ergo *puer fuit senex*, sed inferendum est: ergo *quod fuit puer, est, vel fuit senex*. Similiter defectu suppositionis non valet: *homo est nomen:* ergo *nomen est homo.*

## C A P V T VIII.

### D E E S S E N T I A , E T S P E C I E B V S propositionis modalis.

Explicatis propositionibus categoricis, quæ nullo afficiuntur modo, & propterea simplices appellantur: agendum est de aliis categoricis modificatis: tum quia in se habent specialem difficultatem: tum etiam quia quantitas, qualitas, oppositio, & æquipollentia aliter inueniuntur in eis, ac in simplicibus, quæ oportet explicare. Cum autem ex modo deriuetur denominatio propositionis modalis, necessariò præmittendum est, quid sit modus; ut quid sit propositio modalis, cognoscatur.

Modus ergo, ut definit D. Th. opus. 40. est *adiacens rei determinatio*: hoc enim significat modificare; id est, determinare, seu restringere. Et idèd multiplex est modus: nam alius modificat extrema propositionis: & tunc illa sunt termini restricti, de quibus actum est libro præcedenti: aliùs verò modificat significationem verbi, ut in hac propositione: *Petrus disputat doctè*, ubi actio disputandi modificatur per illud aduerbium: sed de huiusmodi modis non agimus in præsentì: quia non habent specialem difficultatem, neque ab eis sumitur denominatio propositionis modalis. Alius ergo est modus, qui determinat, & modificat ipsam compositionem, seu unionem prædicati, & subiecti; ut cum dicimus, *Petrum currere est possibile*: & ab huiusmodi modo propositio vocatur modalis; quem si auferas, propositio, quæ remanet, appellatur *de inesse*, seu *officians*.

Huiusmodi autem modi sex possunt enumerari, ut enumerant Diu. Thom. ubi sup. Petrus Hisp. Soto, & alij eius interpretes: scilicet *verum, falsum, possibile, contingens, impossibile, & necessarium*. Ex quibus duo priores nihil addunt supra propositiones de inesse, ut Auctores citari notant: nam idem est dicere, *Petrum currere est verum*, ac dicere, *Petrus currit*: & idèd non sunt propriè modi; neque propositiones ex his constantes, propriè modales: sed idem de illis ferendum est iudicium, ac de aliis simplicibus, de quibus hucusque actum est: propter quod in præsentì meritò omittuntur.

Ex aliis quatuor, possibile, & contingens; quantum ad præsens institutum, idem omnino significant, scilicet id quod non repugnat esse: atque ita inter tantum manent tres modi correspondentes tribus materiis propositionum supra explicatis: nam materiæ naturali, correspondet *necessarium*, remotæ, *impossibile*, contingenti verò, *possibile*, vel *contingens*.  
Erit

Exitergò propositio modalis, quæ aliquo ex his modis afficitur, seu quæ non solum exprimit prædicatum convenire subiecto, sed etiam modum, quo illi convenit; ut si dicas, *hominem esse animal est necesse: Petrum currere est contingens, &c.*

Vbi observandum est hos modos posse dupliciter sumi: pro nominaliter, ut *possibile, contingens, &c.* secundò adverbialiter, ut *possibiliter contingenter*. Priori modo sunt prædicata in propositionibus modalibus, ut patet si dicas, *Petrum currere est contingens*: ibi enim de illo infinitivo *Petrum currere*, prædicatur esse contingens. Vnde quamvis secundum voces interdum modus anteponatur propositioni dicendo: *contingens est Petrum currere*; iuxta sensum tamen semper modus est prædicatum, ut ex Aristotele 2. Perih. cap. 3. notavit rectè Soto lib. 3. Summularum. In huiusmodi ergò propositionibus modus ipse est prædicatum, & oratio illa infinitivi est subiectum: & appellativi dictum. Quando autem modus sunt iuxta posteriori modo, scilicet adverbialiter, non est prædicatum: sed modificat unionem prædicati & subiecti; ut patet in hac propositione: *Petrum necessario est animal*.

Hoc supposito; propositio modalis est duplex: alia composita, quæ scilicet facit sensum compositum; & alia divisa, quæ scilicet facit sensum divisum. Quando autem sint sensus compositus, & divisus: & quando propositio modalis reddat unum sensum: quando verò alterum, aut quod possit esse signum ad illos colligendos oportet investigare: quia inde pendent plures, & gravissimæ quæstiones Theologiæ, in quibus non pauci, nec ignobiles Theologi ex inconsideratione harum institutionum proculdubio.

Igitur sensus compositus propositionis modalis, tunc fit, quando ipsa unit terminos, seu extrema dicti secundum significata formalia pro eodem tempore; ut si dicas, *cæcum videre est impossibile*, & sensus sit possibile esse, ut cæcus manens cæcus videat, seu quoddam simul sint in eodem subiecto cæcitas, & visio. Tunc autem fit sensus divisus, quando propositio modalis unit terminos, non secundum significata formalia: sed significatum formale prædicati unit materiali subiecti, & consequenter pro diverso tempore: ut si dicas, *album possibiliter est nigrum*, & sensus sit rem illam quæ est alba, amittendo albedinem posse esse nigram.

Quando verò propositio modalis reddat sensum compositum, quando divisum; aut quod sit huius differentie signum, non explicant Autores extra scholam D. Thom. existimantes quamlibet propositionem modalem, quocunque modo dispositam, admittere utrumque sensum: & hac de causa asserunt Theologos communiter distinguere penes sensum compositum, & divisum eandem propositionem: siue dicatur, *predestinatus non potest condemnari*; siue *predestinatum condemnari est impossibile*, aut alias similes. Sed revera iuxta hunc dicendi modum non penetratur proprietas istarum propositionum, & valde confunditur hæc materia, ut constabit ex dicendis: & idè illo relicto,

Verissima est sententia, quam tradit D. Thom. opusc. 40. citato, & sequuntur eius discipuli, Sorus ubi supra, Ferr. 1. contra gentes c. 67. Alvarez lib. 12. de auxiliis disput. 113. num. 12. & communiter Thomistæ: quod scilicet tunc modalis reddit sensum compositum, quando dictum subiicitur, & modus prædicatur; ut si dicas, *predestinatum condemnari est impossibile*, tunc verò reddit sensum divisum, quando modus interponitur partibus dicti; ut cum dicitur, *predestinatus potest condemnari*, vel *predestinatus possibiliter condemnatur*: sic enim modus rectè interponi-

tur prædicato, & subiecto: & consequenter non fit integrum prædicatum, sicut fit in modalis composita.

Quod autem hæc Thomistarum doctrina in rigore Logico sit necessariò admittenda, patet: nam quando modus est prædicatum in propositione modalis, tunc totum dictum verè est subiectum; & ex consequenti de partibus eius simul sumptis, & per modum unius prædicatur ipse modus: ac proinde sensus erit, illa duo simul esse compossibilia in subiecto, in quo consistit sensum esse compositum. At verò quando modus interponitur partibus dicti, iam illa pars, quæ est prædicatum, quasi disiungitur ab alia, quæ est subiectum, & iuxta regulas appellationis applicat suum significatum formale supra materiale istius, in quo consistit sensum esse divisum: ergò iuxta proprietatem Dialecticam necessariò admittenda est, adducta D. Th. & Thomistarum doctrina.

Si quando verò graves Theologi propositionem modalem utroque modo dispositam distinguunt in sensu composito, vel diviso: id fit ne tunc his Dialecticis præcisionibus implicentur, arque ut imperitioribus se conforment: quia cum pluribus loquendum est: Cum quo tamen stat iuxta proprietatem sermonis absque ulla distinctione concedendam esse hanc propositionem: *Prædicatum condemnari est impossibile*: hanc verò negandam: *predestinatus non potest condemnari*: quia prima est composita, secunda verò divisa.

Ut autem materia hæc, ex qua tot Theologicæ controuersie pendent, plenius percipiatur, simulque deregatur radix, ex cuius inconsideratione aliqui recentiores Theologi reiciunt celebrem illam distinctionem de sensu composito, & diviso sæpè à D. Th. traditam, & ab eius discipulis communiter receptam, ad explicandam concordiam libertatis nostræ cum diuina prouidentia, prædestinatione, aut gratia efficaci, notandum maximè est, quod cum modalis composita uniat inter se formas importatas per extrema dicti: inde fit, ut quando extrema ipsa significant actum secundum, seu actionem: tunc modalis composita uniat illas duas actiones simul: ut si dicas *ridentem flere, est impossibile*, sensus est istas duas actiones flendi, & ridendi simul esse non posse in eodem subiecto. Quando verò extrema dicti significant actum primum, seu potentiam: tunc modalis composita uniat illas duas potentias simul: ut si dicas *risibile esse flebile est impossibile*, sensus est has duas potentias ad ridendum, & flendum non posse esse simul in eodem subiecto. Si verò alterum extremum dicti significet actum, alterum verò potentiam: tunc eadem proportionem modalis composita uniat simul actum illum cum potentia: ut si dicas *ridentem esse flebile est impossibile*, sensus est actum ridendi, & potentiam ad flendum simul esse non posse in eodem subiecto.

Hinc iam facilè intelligitur, ex tribus istis propositionibus adductis, primam scilicet, *ridentem flere est impossibile*, esse verissimam: quia solum enuntiat actus ipsos flendi, & ridendi esse impossibiles, quod verum est. Secunda autem, & tertia: scilicet *risibile esse flebile est impossibile*, & *ridentem esse flebile est impossibile*, sunt omninò falsæ: quia affirmant utramque potentiam inter se, aut alteram cum actu alterius esse impossibiles, quod patet esse falsum. Ad hunc ergò modum, quando Thomistæ in materia de auxiliis asserunt voluntatem præmotam à Deo auxilio efficaci non posse in sensu composito dissentire, solum intendunt hanc modalem compositam esse veram: scilicet *voluntatem à Deo præmotam auxilio efficaci dissentire est impossibile*. Quæ quidem est verissima: nam reddit hunc sensum, præmotio actualis

lis



Ita auxilijs efficacis, & actualis dissensus non possunt simul esse in voluntate quod admittere tenentur. quicumque rectè senserint de efficacia diuinæ voluntatis, & gratiæ. Si verò in altero extremo dicti poneretur verbum significans potentiam, dicendo, *Voluntatem pramotam auxilio efficaci posse dissentire est impossibile*, iam propositio esset omnino falsa: nam sensus esset actualem pramotionem Dei, & potentiam ad dissentiendum non posse simul esse in voluntate, quod falsum est, & planè destruit libertatem. Hoc autem Thomistæ non asserunt, ut falsò illis nonnulli imponunt; quod tamen non imputarent, si vim propositionum modalium cognouissent. Videatur D. Tho. de veritate quæst. 24. art. 5. ad 3. Alvarez ubi sup. & disp. 18. & 92. Sed ad nostra redeundo,

Cognita iam essentia, & multiplicitate propositionis modalis videndum restat, unde attendantur in ea affirmatio, vel negatio: vniuersalitas, vel particularitas: veritas, vel falsitas, &c. Non autem habent ista specialem difficultatem circa propositionem diuisam: quia, cum in hac modus non prædicetur, ut dictum est, sed tantum modificet copulam, & consequenter illud ipsum, quod erat subiectum, & prædicatum in propositione simplici, seu de inesse, sit etiam subiectum, & prædicatum in modali diuisa: inde fit eandem ferè esse utrobique dispositionem, & idem iudicium de utraque ferendum esse. Propter quod etiam Dialectici communiter docent circa oppositionem, æquipollentiam, & conuersionem modalium diuisarum, seruandas esse generales regulas supra traditas, paucis exceptis, quæ infra annotabimus. At verò, cum in modali composita modus prædicetur, & totum dictum subiciatur, longè diuersam habet dispositionem, ac aliz simplices: ac proinde diuerso etiam modo attenduntur in illa quantitas, vel qualitas, oppositio, æquipollentia, &c. Et propterea Doctores in præsentibus, reiecta propositione modali diuisa, solum instituunt sermonem de composita. Quod hos etiam obseruabimus.

## CAPVT IX.

### DE QUANTITATE, QUALITATE oppositionis, æquipollentia & conuersione propositionis modalis compositæ.

Sicut in propositione simplici affirmatio, vel negatio attenditur ex copula principali, ita etiam in modali composita (in qua modus prædicatur de dicto ut vidimus) affirmatio, vel negatio attenditur penes copulam, qua modus ipse enuntiatur de dicto: & idè quando modus est negatus, propositio modalis est absolutè, & in rigore negatiua, quamuis dictum sit affirmatum: sicut è contra, si modus fuerit affirmatus, propositio erit propriè, & simpliciter affirmatiua, quamuis dictum sit negatum. Quia tamen dictum ipsum verè est pars propositionis modalis: idè ex eius etiam affirmatione, vel negatione dicitur illa secundum quid affirmatiua, vel negatiua; & propterea quando dictum est affirmatum, & modus negatus solet propositio modalis appellari affirmatiua de dicto, & negatiua de modo & è contra, quando dictum est negatum, & modus affirmatus; dicitur negatiua de dicto, & affirmatiua de modo. Hæc tamen intelligenda sunt, ut diximus; quod scilicet simpliciter, & absolute loquendo modalem esse affirmationem vel negatiuam sumendum est à modo, & non à dicto.

¶ Eadem proportionem philosophandum est cir-

ca quantitatem istarum propositionum, quæ absolute attenditur ex quantitate modi: & idè illa propositio modalis appellatur simpliciter vniuersalis, cuius modus est vniuersalis, licet dictum sit particulare; & è contra: quamuis etiam ex quantitate dicti talis propositio secundum quid denominatur vniuersalis, vel particularis. Propter quod illa, cuius dictum est particulare, & modus vniuersalis; appellatur particularis de dicto, & vniuersalis de modo id est, secundum quid particularis, & simpliciter vniuersalis: & idem est è contra. Qui autem sint modi vniuersales, & qui particulares explicant Dialectici ex similitudine, & correspondentia quam habent isti modi cum signis ostendentibus quantitatem propositionum simplicium, iuxta duo illa catmina.

¶ *Omnis, necesse valet: impossibile, nullus.*

¶ *Possibile, quidam: quidam non, possibile non.*

Quibus significatur, quod *necesse*, est modus vniuersalis affirmatiuus, & assimilatur signo, *omnis: impossibile* verò est modus vniuersalis negatiuus, & assimilatur signo, *nullus: contingens* autem, seu *possibile*, est modus particularis affirmatiuus, & assimilatur signo, *aliquis: & tandem possibile non*, seu, *contingens non* est modus particularis negatiuus, & assimilatur signo, *aliquis non*.

¶ Præterea ad veritatem, & falsitatem propositionum modalium cognoscendam, obseruanda est sequens regula: quod scilicet tunc propositio de possibili est vera, quando sua de inesse est possibilis; tunc autem falsa, quando sua de inesse non est possibilis. (Et idem est de modali; quæ sit per contingens, nam du o isti modi in præsentibus idem omnino sunt ut diximus) propositio verò de impossibili tunc est vera, quando eius de inesse est impossibilis: falsa verò, quando eius de inesse non est impossibilis. Et tandem propositio de necesse tunc est vera, quando eius de inesse est necessaria: falsa verò quando eius de inesse non est necessaria. Quorum omnium exempla facillè considerantur patebunt.

Vbi etiam nota omnem propositionem modalem veram esse necessariam, & omnem modalem falsam esse impossibilem: v. g. hæc propositio *Petrus currere est contingens*, est vera, & necessaria: quia necessarium est, ut hoc quod est currere, conueniat Petro contingenter. Cuius ratio sumitur ex ipsa natura propositionis modalis: etenim hæc, non solum exprimit prædicatum conuenire subiecto, sed etiam modum proprium, quo illi conuenit: ac proinde si est vera, est necessaria; si verò falsa, impossibilis.

Rursus, ut harum propositionum oppositio, & æquipollentia facilius percipiatur; notandum est, quod, cum isti modi per omnia assimilentur signis supra explicatis; consimili etiam modo contingit utrobique oppositio: & idè sicut *omnis*, & *nullus*, opponuntur contrariè; ita etiam, *necesse*, & *impossibile*. Deinde sicut *aliquis*, &, *aliquis non*, opponuntur subcontrariè: ita etiam *possibile*, vel, *contingens*; & *possibile non*, vel, *contingens non*. Præterea sicut, *omnis*, &, *aliquis non*, & similiter, *nullus*, &, *aliquis* opponuntur contradiatoriè; ita *necesse*, & *possibile non*, seu *contingens non*, & similiter *impossibile*, &, *possibile*, seu *contingens*. Ac tandem sicut *omnis*, &, *aliquis*, *nullus*, &, *aliquis non*, subalternantur; ita etiam *necesse*, & *possibile*, seu *contingens*, ac *impossibile*, &, *possibile non*, seu *contingens non*.

¶ Similiter quoad æquipollentiam istorum modorum valet ille versus: *Præ, contra dic: post, contra: præ, postque sub alter*. Nam eo modo, quo propositiones simplices oppositæ sunt æquipollentes iuxta tria præcepta supra tradita: sic etiam contingit in præsentibus: ac proinde, *necesse*, &, *possibile*, quia sunt modi contradiatoriè


Contradictoriè oppositi sunt æquipollentes, si cuilibet apponatur negatio: ut si dicas, *non necesse*, iam æquiualeat, *possibile non*, & ex consequenti istæ modales erunt æquipollentes: *non necesse est Petrum currere, possibile est Petrum non currere*. Quæ etiam proportionem, ex modis contrariis sunt æquipollentes postposita negatione cuilibet illorum: ex subalternis verò, præposita, & postposita. Ne autem aliquis turbetur in anteponendo, vel postponendo negationes, sciendum est in his propositionibus modalibus tunc anteponi negationem, quando negatur modus: tunc verò postponi, quando negatur dictum: tunc autem anteponi, & postponi, quando utrumque negatur: quod fit constituendo negationem, tam à parte dicti, quàm à parte modi, ut in figura postea statuenda clarius elucescet.

Vt autem iuxta has regulas facile quisque possit inuenire quæ propositiones modales sint æquipollentes: quæ verò oppositæ: & quo genere oppositionis: excogitarunt Dialectici quatuor dictiones, seu rotulos, scilicet, *PVRPVREA. ILLIACE. AMAVIMVS. EDENTULI*. In quibus inveniuntur quatuor vocales. A. E. I. V. Harum A. denotat propositionem modalem affirmatiuam de dicto, & de

modo: V. negatiuam de dicto, & de modo: E. negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo: I. affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo: qui est sensus illius carminis.

*¶ E. dictum negat, I. quæ modum: nihil A. sed V. totum.*

Quælibet ergo ex dictis dictionibus, seu rotulis continet quatuor literas vocales, iuxta numerum modorum, quos supra assignauimus. Atque ita prima vocalis in vnoquoque rotulo indicat propositionem de possibili: secunda, propositionem de contingenti: tertia, de impossibili, & quarta de necesse. Quibus rotulis in quatuor angulis dispositis, ita ut *purpurea*, & *illiacæ*, sint in duobus superioribus, *amanimus*, & *edentuli*, in inferioribus; constituitur figura oppositionis: nam omnes propositiones, quæ sunt in *purpurea*, & *illiacæ*, opponuntur contrariè: quæ in *amanimus*, & *edentuli*; sub contrariè quæ in *purpurea*, & *edentuli*; & similiter, quæ in *illiacæ*, & *amanimus*; contradictoriè: & tandem quæ sunt in *purpurea*, & *amanimus*: & similiter quæ in *illiacæ*, & *edentuli*, opponuntur subalternè. Omnes autem propositiones cuiuslibet rotuli sunt inter se æquipollentes. Quæ omnia subiecta figura demonstrat.



Consultò posuimus exempla in modalibus, quæ sunt de dicto singulari: quia quando dictum est commune, ut oppositio, & æquipollentia sine errore fiant; aduertendum est, ut dictum propositionis de necesse in quocunque rotulo non habeat eandem quantitatem, ac aliæ tres propositiones, quæ in illo continentur; sed si dictum aliarum sit particulare, dictum propositionis de necesse sit vniuersale, vel è contra; aliàs in rotulis contradictoriis dabuntur duæ contradictoriæ simul veræ: ut si in *purpurea*, & *edentuli* dicatur *necesse est aliquod animal esse hominem: possibile est aliquod animal non esse hominem*. Si tamen in altera mutetur quantitas dicti, iam vna erit vera, & alia falsa. Plures alias regulas alij multiplicanti; adduæ tamen sufficiunt, si generales suprâ traditæ rectè perpendantur.

Hoc solum superest annotandum pro modalibus diuisis, quod, ut fiat oppositio, debet mutari quan-

titas modorum, ita ut in vna sit vniuersalis, & in alia particularis: v. g. *Petrus necessario est homo*, eius contradictoria est, *Petrus possibiliter non est homo*. Quando verò modalis diuisa est subiecto communi, debet etiam mutari quantitas dicti: ut si dicas, *omnis homo necessario est animal*, eius contradictoria est, *aliquis homo possibiliter non est animal*.

¶ Tandem circa conuersionem propositionum modalium obseruandum est ipsas generaliter loquendo conuerti ratione dicti, non verò ratione modi; ac proinde regulariter fieri conuersionem inuariato modo, iuxta regulas generales conuersionis: hoc tam in modali composita, quàm diuisa: ut si dicas: *Omnis homo necessario est animal: ergo aliquod animal necessario est homo. Aliquem hominem esse album est possibile: ergo aliquod album esse hominem est possibile, &c.*

Quando verò in propositione de necesse subiectum dicti est aliquod concretum accidentale, tunc *necesse* debet

debet mutari impossibile; aliàs dabitur antecedens verum, & consequens falsum: ut *Grammaticus necessario est homo*; non valet, ergo *homo necessarius est Grammaticus*; sed debet per necessarium poni possibile, dicendo: ergo *homo possibiliter est Grammaticus*. Cuius rationem tangit S. Thom. opusc. 48. tract. de Syllogismo: quia sæpe vna res ex natura sua postulat vniri alteri; cum tamen hæc non necessarid petat cum priori coniungi.

Vbi denique aduerte, quod, quando modi sunt negatiui, & dictum est vniuersale affirmatiuum, non potest propositio modalis conuerti, si subiectum dicti sit superius prædicato: non enim valet: *Omne animal esse hominem est impossibile*: ergo *aliquem hominem esse animal est impossibile*. Alia non ita necessaria circa propositiones modales, non consulto omittuntur; quæ tamen, si placet, in Auctoribus videri possunt.

## CAPVT VLTIMVM

### De Propositionibus exponibilibus.

**A**ppellatur propositio exponibilis, quæ ratione alicuius in ea, inclusi obscurum habet sensum: & ita indiget expositione. Quod sit per aliam propositionem clariorem: & ided hæc vocatur exponens, sicut illa dicitur exponibilis.

Inter has propositiones primò enumerantur *exclusiue*, quæ scilicet modificantur aliqua dictione exclusiua; quales sunt *tantum*, *duntaxat*, & similes. si ergo talis particula apponatur subiecto, modificat totam propositionem, eamque efficit absolute exclusiua; & tunc excludit alia omnia subiecta à participatione prædicari: ut si dicas: *Tantum homo est risibilis*: exponitur sic: *homo est risibilis, & nihil aliud ab homine est risibile*. Si verò particula exclusiua iungatur prædicato, tunc propositio vocatur de excluso extremo; & excludit à subiecto alia omnia prædicata; ut cum dicitur, *homo est tantum animal*: exponitur hoc modo: *homo est animal, & homo non est aliud quid aliud*.

Inter hos autem modos conclusionis maxima est differentia. Si epim dicas, *prædicabilia sunt tantum quinque*: propositio est vera quia significat non esse plura neque pauciora; si verò dicas, *tantum prædicabilia sunt quinque*, est falsa quia sensus est, numerum quinarium solis prædicabilibus conuenire.

Quamuis autem iuxta proprietatem sermonis hæc ita sint, sæpe tamen à nobis confunduntur in communi modo loquendi; & particulam exclusiuam, quæ iungenda erat subiecto, consideratè applicamus prædicato; aut è contra, & ideo sensus intentus colligendus erit ex subiecta materia, de qua tractatur. Illud tamen oportet adnotare; has particulas, cuiusque iungantur, nunquam excludere ea quæ necessarid illud comitantur: cum enim dicis, *tantum diliga salutem*; non excludis à tali amote media necessaria ad illius consecutionem; & cum dicitur *tantum Petrus currit*: non excluditur hoc risibile à cursu & sic de aliis.

Secundum genus propositionum exponibilium est illarum, quæ afficiuntur particula exceptiua: *præter*, aut similibus: ut *omne animal præter hominem est irrationale*. Appellantur autem *exceptiue*: quia aliquid ex aliquo communi distributo excipiunt: & ideo non datur propria exceptio; nisi detur talis distributio subiecti; ut patet in hac, *homo est albus præter Petrum*: quæ improptè dicitur exceptiua, ut bene notat Toletus in præfati.

Colleg. Compl. Logica.

Igitur propositiones exceptiue exponuntur rectè, si loco particulæ, *præter*, ponantur, *exceptio*; si dicas, *omne animal præter hominem est irrationale*: exponitur dicendo, *Omne animal, excepto homine est irrationale*, vel per copulâ implicationis negatiuam dicendæ, *Omne animal, quod non est homo, est irrationale*.

¶ Tercium genus est earum, quæ duplicatum habent subiectum, vel prædicatum ratione alicuius particulæ illud duplicantis; & propterea appellantur *reduplicatiue*. De quibus non nihil agemus: quia earum cognitio est summè necessaria ad scientias & valde frequens illarum vsus; Igitur particulæ reduplicatiue sunt; ut, *inquantum*, *quatenus*, *quaratione*, *secundum quod*, & similes. Quæ possunt dupliciter sumi, scilicet reduplicatiue, & specificatiue. Tunc sumuntur reduplicatiue, quando duplicant causam; cur prædicatum insit subiecto; ut si dicas *homo in quantum rationalis est risibilis*: *Petrus quatenus albus est segregatus visus*, &c. Et huiusmodi propositiones exponuntur optimè per causalem dicendo: *quia homo est rationalis, est risibilis*: *quia Petrus est albus, est segregatus*, &c.

Tunc verò particulæ istæ sumuntur specificatiue, quando reduplicant rationem formalem cui adequatè conuenit prædicatum; quæ tamen non est causa eius ut cum dicitur, *color inquantum color est obiectum visus*: *ens inquantum ens est obiectum Metaphysica*, &c. in his enim propositionibus non significatur causa, sed natura, & species cui conuenit adequatè prædicatum. Quam doctrinam concorditer tradunt Dialectici, Soto, Toletus Villap. & alij Huiusmodi autem propositiones non exponuntur per causalem; possunt tamen aliquantulac exponi per conditionalem, dicendo, *si est ens, est obiectum Metaphysica*, &c.

Hinc colliges, quantum à proprietate; & veritate errent, qui propositionem reduplicatiuam inter disputandum distinguunt in sensu specificatiuo; vel reduplicatiuo; per specificatiuum intelligunt propositionem reduplicatè rationem materialem; per reduplicatiuum verò, rationem formalem: verbi gratia hanc propositionem: *Petrus in quantum homo est albus*; distinguunt, & asserunt specificatiue esse veram reduplicatiue autem falsam: quia putant priori modo reddere hunc sensum: *Petrus qui est homo est albus*; Hic tamen modus loquendi & intelligendi istos terminos est planus abusus, ut patet ex dictis non enim propositio potest esse reduplicatiua; nisi reduplicet aliquam formalem: aliàs nihil adderet supra præiacentem, seu simplicem; neque distingueretur ab ea, ut consideranti patebit. Et ideo illa propositio; *Petrus inquantum homo est albus*: & similes, siue reduplicatiue, siue specificatiue sumantur, sunt omnino falsæ, ut ex ipsis terminis patet.

Hic etiam nota cum Soto lib. 4. Summularum c. 3. dictiones istas reduplicatiuas: præsertim *ly*, *secundum*; aliquandò non sumi propriè reduplicatiue, neque specificatiue; sed quasi diminutiue: ut cum dicimus, *Æthiops est albus secundum dentes vel quantum ad dentes*: ibi enim non reduplicatur causa, vel ratio formalis, sed prædicatum, quod ex se poterat conuenire toti homini diminuitur, ut supponat pro aliqua eius parte: propter quod *Æthiopem* non appellamus simpliciter album, sed tantum secundum quid.

Est autem circa hoc valde notanda pulchra regula Angelici doctoris 3. p. q. 16. art. 8. quod scilicet ea: quæ indifferenter, possunt conuenire toti, vel parti, aut saltem in dubitationem venire, an toti vel parti conueniant; si in sola parte inueniantur, inde totum non dominatur simpliciter tale: non enim absolute dicimus, *Æthiops est albus*.

G

Ac

At verò ea de quibus indubitatum est non posse convenire toti; nisi ratione partis, simpliciter attribuantur toti: dicimus enim absolute, *Petrus est Crispus*; quamvis crispitudo non sit in toto corpore: quia non potest ei convenire nisi secundum capillos.

Hæc etiam est ratio, ut ibidem notat D. Thomas; quare ea, de quibus non potest suspicari, convenire diuinæ personæ, secundum seipsam: absolute, & simpliciter affirmamus de Christo Domino propter humanam naturam, dicimus enim absolute Christum esse passum mortuum, & sepultum, sicut absolute dicimus Petrum esse crispum.

At verò ea, de quibus suspicari posset: an conveniant Christo, ratione solius humanitatis; vel etiam ratione personæ, non tribuimus Christo absolute, & simpliciter, sed cum addito diminutive; ne hæreticorum erroribus favere videamur: & idem has propositiones absolute prolata, *Christus est creatura, Christus est minor Patre, Christus incipit esse*, non concedit Catholicus: quia Ariani dixerunt Christum esse creaturam minorem Patre, & incepisse, non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione personæ.

Similiter has non concedimus absolute prolata, *Christus est incorporeus, vel impassibilis*, quia Manichæi negaverunt Christum habuisse verum corpus; aut verè passum fuisse.

Benè tamen conceduntur tales propositiones cum determinatione, seu particula diminutive, nempe Christum esse creaturam, aut incepisse secundum humanam naturam, & Christum esse incorporeum, aut impassibilem ratione deitatis: sicut cum addito diminutive concedimus *Behyopem esse album* secundum dentes.

Aliæ sunt propositiones exponibiles, quarum obsecritas non provenit ex aliqua dictione ibi inclusa, sed ex ipsa materia, qua constant: ut sunt, quæ fiunt per verbum, *incipit*, vel *desinit*; de quibus in lib. Physicorum; vel quæ fiunt per verbum, *differt*, de quibus cap. de differentia constabit.

Tandem aliæ sunt quæ dicuntur *insolubiles*, siue se falsificantes, quas ut purè sophisticas communiter Doctores omittunt.



## LIBER III.

### DE ARGUMENTATIONE, & eius proprietatibus.



ARGUMENTATIO est præcipuum Dialecticæ instrumentum, quæque proximè parit scientiam: ad quam proinde alia omnia, quæ in Dialectica traduntur, quasi in proprium scopum meritò ordinantur, & idem postquam in primo, & secundo lib. de terminis & propositionibus disputatum est, ipsa ratio, & sponsonis ius exigunt ut in hoc tertio de argumentatione differamus.

## CAPUT I.

### DE SPECIEBUS Argumentationis.

**Q**uid, & quoduplex sit argumentatio, & quis modus sit inter disputantes observandus, supra in præambulis diximus. In hunc tamen locum

duo alia explicanda remisimus, nimirum quomodo sit intelligenda divisiō argumentationis in materialem, & formalem: & an quatuor illæ argumentationes, quæ communiter enumerantur, scilicet syllogismus, enthymema, inductio, & exemplum sint propriæ species argumentationis.

Circa primum duplex est positio illius divisionis, & utraque probabilis, Prior est illorum, qui per argumentationem formalem intelligunt eam, in qua consequens rectè sequitur ex antecedenti, seu cuius consequentia est bona, per materialem verò, illam, in qua licet antecedens, & consequens sint in se vera, consequentia tamen est mala: quia vnum non inferitur ex alio: ut Petrus est animal: ergo est rationalis: quamvis enim verum sit Petrum esse animal, & esse rationalem, hoc tamen non sequitur ex illo, ut patet iuxta quam expositionem sola argumentatio formalis est propriè, & simpliciter argumentatio: nam materialis, vel non est argumentatio, vel tantum extrinsecè, & per quandam attributionem dicitur talis, ad eum modum, quo homo pictus denominatur homo.

Posterior, & fortè melior expositio est eorum, qui asserunt argumentationem formalem esse illam, in qua sequitur consequens ex vi artificij, seu dispositionis in antecedenti inuentæ. Quod contingit, quando nullus terminus est in consequenti, qui non fuerit in antecedenti, quamvis aliquis fuerit in antecedenti, qui non sit in consequenti: in tali enim artificij, seu dispositione maxime elucet forma argumentationis, idem meritò appellatur argumentatio formalis. Materialis verò secundum hanc sententiam dicitur ea, in qua licet consequentia sit bona, quia consequens in rei veritate sequitur ex antecedenti, non tamen sequitur ex vi dispositionis terminorum, qui sunt in illo, eo quod in consequenti est aliquis terminus, qui non fuit in antecedenti. Iuxta quam expositionem solus syllogismus est argumentatio formalis, cæteræ verò materiales, ut ex dicendis constabit. Videantur Conimbr. lib. 1. Priorum, c. 1. q. 2. art. 3.

Veniamus ad secundam, an scilicet omnes illæ argumentationes sint propriæ species, & essentialiter inter se distinctæ. In quo partem affirmativam defendit Lemos. lib. 1. Paradox. Dialect. error. 23. quem refert, & sequitur Mas. 1. Prior. quest. 3. fauèrque communis modus loquendi Dialecticorum, qui ferè omnes has quatuor argumentationes enumerant, & de illis ut de speciebus argumentationis loquuntur.

Ratione etiam potest suaderi: quia quæ differunt definitione essentiali, differunt specie, sed huiusmodi sunt omnes istæ argumentationes, si quidem eas definiuit Aristot. lib. 1. Prior. diversis, & essentialibus definitionibus: ergo omnes illæ verè differunt specie.

Confirmatur: quia in vnaquaque earum repetitur diuersa dispositio, & forma argumentationis, ut videtur ex ipsis notum: ergo differunt inter se specie. Patet consequentiâ: quia quæ differunt forma, differunt specie, teste Arist. 9. Metaph. c. 11.

Nihilominus dicendum est propriè & in rigore loquendo duas tantum esse species argumentationis, scilicet syllogismum, & inductionem, ab his verò enthymema, & exemplum solum distingui tanquam perfectum, & imperfectum intra eandem speciem.

Sic docens Numenius lib. de Constitutione artis Dialecticæ, & alij, ut refert Masius loco citato: estque procul dubio sententia Arist. 2. Prior. c. 23. ubi enumerans omnes modos acquirendi cognitionem

nem per discursum, inquit: *faciamus fidem, aut syllogismo, aut inductione.* Et clarius 1. Posteriorum, cap. 1. postquam dixit, orationes Dialecticas vti syllogismo, & inductione subdit: *Eodem modo etiam orationes rationes persuadent: aut enim persuadent exemplis, quae sunt syllogismi.* Vbi D. Thom. lect. 1. satis expressit nostram conclusionem, dicens: *Vnde patet quod si ens enthymema est quidam syllogismus detruncatus, ita exemplum est quidam inductio imperfecta.* Ergo ex sententia Aristot. & D. Thom. Enthymema, & exemplum non distinguuntur essentialiter à syllogismo, & inductione, sed ut perfectum, & imperfectum intra eandem speciem.

Fundamentum est: quia eadem dispositio praemissarum, quae inuenitur in syllogismo, re vera inuenitur in enthymemate, & idem proportionabiliter est de inductione respectu exempli: ergo non possunt essentialiter distinguui.

Probatur antecedens quoad primam partem: quia ut infra videbimus ars syllogistica innititur illi principio *Quaecumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, ac proinde repugnat extremitates vniri inter se in conclusione, nisi prius in praemissis vniantur cum medio, ad quod necessariae sunt duae propositiones ex parte antecedentis, ut de se constat: ergo quando altera breuitatis causa non exprimitur, ut fit in enthymemate, re vera subintelligitur, & consequenter in re eam est dispositio syllogismi, & enthymematis.

Ex quo etiam fit ipsa inter se distinguui tanquam perfectum, & imperfectum; cum enim teste Aristot. 1. Metaphisicæ cap. 16. perfectum sit id, extra quod non est accipere aliquam sui partem, seu cui nihil deest; imperfectum verò, cuius aliqua pars desideratur: consequens est syllogismum intra propriam speciem esse quid perfectum: quandoquidem ei nulla praemissarum deest; enthymema verò, quid imperfectum: ut potè cui aliqua pars fuit amputata. Propter quod etiam appellatur syllogismus truncatus, & à Boëtio definitur *esse orationem, in qua non omnibus praemissis positis, festinanter inferitur conclusio.*

Per quod etiam patet secunda pars illius antecedentis nam inductio: ex pluribus particularibus procedit ad vniuersale, à qua perfectione deficit exemplum siquidem ex debilitate antecedentis singularis solum colligit aliud singulare, cum tamen si adderentur alia, iam colligeret vniuersale, fieretque perfecta inductio, ergo ipsa, & exemplum re vera sortiuntur eandem formam, seu dispositionem argumentationis, secundum speciem, licet cum differentia explicata penes perfectum, & imperfectum.

Quod autem syllogismus, & inductio inter se specie distinguantur seu quod habeant formas argumentationis essentialiter distinctas, docuit eleganter Aristot. cit. lib. Prior. dicens: *Quodammodo opponitur inductio syllogismo, hic enim per medium probat extremum de tertio, illa verò per tertium probat extremum de medio.* Natura igitur prior, & notior est syllogismus qui fit per medium; nobis verò euidentior est, qui fit per inductionem. Quibus verbis duo discrimina harum argumentationum tangit Aristot. ut rectè notat Masl. vbi suprà.

Primum est, in syllogismo procedi à toto ad partes, seu ab vniuersaliori ad magis particulares; in inductione verò è contra. (Quod, quomodo intelligendum sit, cap. sequenti explicabimus. Et hinc sequitur secundum, quod scilicet in inductione procedimus ab his, quae notiora sunt nobis nempe singularibus, quae sensibus subiacent, ad vniuersalia, quae sunt minus nota nobis, licet secundum se sint magis nota; in syllogismo verò contingit è contra. Maneat

*Colleg. Compl. Logica.*

ergo duas istas argumentationes sortiri dispositiones essentialiter diuerfas, & ex consequenti specificè inter se differre, ut magis constabit loco citato.

Inquires si hæc ita sunt, quare Dialectici communiter enumerant quatuor species argumentationis?

¶ Huius solutio sumi potest ex doctrina Aristot. loco citato Poster. Vbi docet syllogismum, & inductionem propriè esse argumentationes Dialecticas, eo quod ipsis acquiratur vera cognitio scientifica: enthymema verò & exemplum propter sui imperfectiorem magis ad Rethoricam pertinere. De quo videri potest D. Tho. ibidem lectione 1. Ut ergo Dialectici distinguant argumentationes, sibi familiares ab his, quae magis Rethoricæ accommodantur: simulque explicent, tum illarum perfectionem, & vim inferendi; tum etiam istarum defectum, & imperfectiorem: idè illas seorsim enumerant: etiam si non omnino distinguantur, ut explicatum est. Per quod patet ad id quod ex communi modo loquendi Dialecticorum adducitur pro contraria sententia.

Ad rationem autem neganda est minor: neque enim enthymema, & syllogismus habent definitiones essentialiter diuerfas, sed tantum accidentaliter, seu materialiter, ad modum quo puer, & vir habent definitiones diuerfas intra speciem hominis. Quod satis indicauit Arist. locis citatis; definiens enthymema, & exemplum per syllogismum, & inductionem.

¶ Ad confirmationem etiam negandum est antecedens: quia in re, est dispositio syllogismi, & enthymematis, & similiter inductionis, & exempli, ut patet ex probatione conclusionis, & constabit amplius cap. sequenti.

## C A P V T I I.

*De legibus communibus argumentationum, vbi etiam specialiter de inductione.*

**T**Res leges, omnibus argumentationibus communes, enumerant Doctores. Prima est: Ex antecedenti verò in bona argumentatione semper sequitur consequens verum, & similiter ex antecedenti possibili, contingenti, vel necessario semper sequitur consequens, possibile, contingens, vel necessarium. Ratio est: quia antecedens habet rationem causae, respectu consequentis; causa autem non impedita producit effectum sibi similem: ergo in bona argumentatione, quae assimilatur causae non impeditae: ex vero semper sequitur verum; ex possibili, possibile, ex contingenti contingens: & ex necessario, necessarium.

Secunda lex: Ex antecedenti falso in bona consequentia aliquando sequitur verum, ut *Petrus est oquus: ergo est animal*; aliquando falsum, *Petrus volat. ergo habet alas.* Quod ex falso possit sequi falsum nullum debet esse dubium; quod autem ex falso sequatur aliquando verum, non sic est intelligendum, quasi praemissae falsae influant veritatem in conclusionem, sineque causae talis veritatis: cum impossibile sit causam producere virtute propria effectum perfectionem se: sed sensus est, praemissas alias falsas posse disponi, ut ex ipsis sequatur consequens, quod aliunde est verum, & non propter ipsas praemissas. Quod aliter, licet non ita propriè, explicant alij asserentes, quando ex falso sequitur verum, ex vi quidem dispositionis, seu formae non sequi veritatem consequentis, sed consequentiae.

Ex his duabus regulis colliguntur duo modi arguendi: bene enim vales in argumentatione legisti-

G 2

mat



ma : antecedens est verum : ergo consequens est verum : & similiter consequens est falsum : ergo antecedens est falsum : cum enim ex vero semper sequatur verum , ut dictum est ; nunquam falsum sequetur ex vero ; atque ita semper sequetur ex falso.

Non autem valet, consequens est verum : ergo antecedens est verum , neque similiter , antecedens est falsum : ergo consequens est falsum : quia ex falso ut diximus , aliquando sequitur verum , aliquando falsum.

Tertia lex : in bona argumentatione semper conclusio sequitur debiliorem partem : hoc est , si aliqua præmissarum est particularis , & si aliqua præmissarum est negatiua , conclusio debet esse negatiua ; ut cernitur in hac argumentatione ; *Nullum animal est lapis : aliquis homo est animal : ergo aliquis homo non est lapis.*

Ratio est : quia duæ præmissæ sunt quasi duæ causæ subordinatæ , respectu conclusionis , in causis autem subordinatis effectus sequitur debiliorem : ut patet in sole , & aliis causis vniuersalibus , quæ cum causis particularibus debilibus operantur debiliter : cum fortibus verò fortiter.

His explicatis : cum enthymema , & exemplum ad syllogismum , & inductionem reducantur , & ex consequenti in rei veritate duæ tantum sint species argumentationis ; ut explicatum est , de ipsis deinceps agimus , & prius de inductione in hoc capite : quia pauca sunt circa illam annotanda : deinde verò in sequentibus de syllogismo , qui longiorem postulat disputationem.

Vt autem propria inductionis ratio melius percipiatur , aduertendum est ipsam non distingui essentialiter à syllogismo penes hoc , quod iste descendat à vniuersali ad particulare : illa verò è contra ascendat à particulari ad vniuersale , ut videntur sonare verba Aristotelis capite præcedenti adducta : quoniam ut postea dicemus , tam ascensus , quam descensus pertinent ad inductionem. Sed adæquata , & essentialis eorum differentia sumitur ex propria , & peculiari forma , seu dispositione utriusque. Etenim in syllogismo extremitates vniuntur cum medio in præmissis ; ex vi cuius vniuntur inter se in conclusione : ac proinde ibi propriè datur medium vniens extrema. Quod significauit Aristot. loco citato , dicens : syllogismum per medium probare extremum de tercio , id est , de alio extremo.

At verò forma , seu dispositio inductionis valde diuersa est. Neque enim ibi propriè dantur extrema inter se vnita , quæ prius coniungerentur cum aliquo medio : sed loco plurium terminorum singularium , qui sunt in antecedenti , ponitur in consequenti terminus communis æquiualens , quod est ascendere : vel è contra loco termini communis , qui est in antecedenti , ponuntur in consequenti termini inferiores æquiuales , quod est descendere.

Vnde propria inductionis dispositio præcisè consistit in eo , quod substituitur in consequenti propositio æquiualens antecedenti , absque speciali illo , & proprio artificio , qui cernitur in syllogismo , & hæc est propria , & essentialis eorum differentia , ut satis ex dictis patet.

Cæterum , quia illa est in syllogismo frequentius vniuntur medio superiori , vel saltem æqualis , & raro inferiori : è contra verò inductione sæpius ascendimus à singulari ad vniuersale , quàm descendamus , idè Aristot. ubi suprà. & alij Dialectici ab eo , quod frequentius accidit in his argumentationibus , solent denominare illas , asserentes in syllogismo procedi à toto ad partes , seu ab vniuersalibus ad minus vniuersalia ; in inductione verò è contra. Propria tamen , & essentialis differentia est quam assignauimus.

Hinc iam fit propria ratio inductionis æquiualens inueniri , siue cum ascendimus à singularibus ad vniuersale , siue cum è contrà descendimus , ac proinde utrumque modum ratiocinationis verè contineri sub hac specie argumentationis. Quæ cum ascendimus , appellatur ascensus , seu inductio , cum verò descendimus , vocatur descensus seu reductio , licet iam in communis vsu loquendi utraque appelletur inductio.

Hoc supposito , plures regulas multiplicat Auroras pro modis arguendi in ascensu , & descensu : quas tamen facile comprehendet , qui nouerit supra adducta de suppositione terminorum. Si ergo terminus supponat distributiue , descendendum est à propositione vniuersali ad plures singulares copulatiue , vel ad vnã de copulatu extremo , & verbo singulari sic : *Omnes homo est animal , ergo hic homo est animal , & hic homo est animal , &c.* vel sic , *ergo hic homo , & hic homo , &c. est animal.* Ascensu verò debet fieri è contra. Si autem terminus supponat collectiue , tunc ascendendum , vel descendendum est copulatiue sic : *Omnes Apostoli sunt duodecim : ergo hic Apostolus : & hic Apostolus , &c. sunt duodecim ;* vel è contra. Si verò terminus supponat determinatè , descendendum est à propositione particulari ad plures singulares disiunctiue : vel ad vnã de disiuncto extremo hoc modo : *Aliquis homo est albus : ergo hic homo est albus , vel hic homo est albus , &c.* vel sic , *ergo hic homo , vel hic homo , &c. est albus.* Ascensu verò fit è contra. Tandem , si terminus supponat confusè , eodem modo descenditur à termino confuso ad singulares disiunctiue ; & ascenditur è contra. Quæ omnia satis constant ex dictis loco citato.

### C A P V T III.

#### De Syllogismo , & triplici eius figura.

Arist. 1. Prior. c. 1. definit syllogismum dicens : *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis , aliud quidam dixerim ab his , quæ posita sunt ; necessariò accidit : eò quod hæc sunt.* Quorum verborum sensus est , quem iam explicuimus , scilicet syllogismum esse argumentationem , in qua concluditur vniū extremitatum inter se , ex vi vniōnis factæ cum medio in præmissis. Per quod satis ostenditur perfectio syllogismi : cum enim intra se contineat medium , cum quo vniuntur extremitates : ex propria dispositione habet vim inferendi , neque indiget aliquo alio termino extra se posito , ratione cuius concludat , sicut indiget inductio. Quod explicuit optimè Arist. ibidem subdens : *Dico autem , eò quod hæc sunt propter hæc euenire : ac propter hæc euenire intelligo nullo externo termino opus esse , ut sit necessaria consequentia.*

Cum autem syllogismus sit quoddam compositum rationis : habet suam quasi materiam , & formam. Materia est duplex : alia proxima , scilicet propositiones , ex quibus immediatè componitur ; & alia remota , nempe termini ipsi immediatè componentes propositionem , mediare verò syllogismum. Hi autem termini in quolibet syllogismo sunt tres , ex quorum combinatione formantur tres propositiones , quæ necessariò reperiuntur in vnoquoque syllogismo , & consequenter quilibet terminus bis repetitur , habetque suum peculiare nomen ; nam illè qui bis repetitur in præmissis , appellatur *medium* : ex aliis verò duobus is , qui iungitur cum medio in maiori , vocatur *maior extremitas* ; qui verò in minori , dicitur *minor extremitas*. Quæ omnia patent in hoc syllogismo ; *Omnis homo est animal ; Petrus est homo : ergo Petrus est animal* : ubi ipsæ propositiones sunt.

sunt materia proxima, & tres illi termini, *homo animal*, *Petrus*, materia remota, ex quibus, *homo*, est medium: quia bis repetitur in præmissis: *animal*, est maior extremitas: quia iungitur in maiori cum homine: & tandem, *Petrus* est minor extremitas: quia in minori iungitur cum eodem homine.

Forma verò syllogismi est illud artificium, seu dispositio propositionum. Quæ etiam est duplex, secundum quod correspondet duplici materiæ explicatæ. Prima correspondet terminis, & appellatur figura syllogismi, quæ potest definiri sic: *Figura syllogismi est apta dispositio terminorum secundum subiectionem, vel prædicationem*. Secunda correspondet propositionibus, & appellatur modus: & idem solet definiri sic: *Modus syllogismi est apta dispositio propositionum secundum affirmationem, vel negationem, universalitatem, vel particularitatem*.

Quia ergo recta combinatio medij cum extremitatibus, in qua consistit ratio figuræ, potest esse triplex, triplex etiam datur figura, nam vel medium in maiori subiicitur, & in minori prædicatur: & sic est prima: vel in utraque prædicatur: & sic est secunda: vel in utraque subiicitur, & sic est tertia. Quod ostendit ille versus.

*Sub præ, prima: secunda; bis præ: tertia, bis sub.*

Ex his autem figuris prima est nobilior: quia ibi medium habet propriam sedem, situm, seu positionem medij & verè mediat, quando in vna subiicitur, & in alia prædicatur. Secunda verò dignior est tertia: quia in illa medium habet digniorem locum propositionis, cum sit prædicatum. Tertia verò est omnium infima, quia ibi medium sortitur infimum locum propositionis, cum sit subiectum. Quod explicuit Arist. ubi sup. dicens: *Medium in prima figura esse positione medium: in secunda, positione primum: in tertia verò positione ultimum*.

Utrum autem detur alia quarta figura, possivè fieri recta combinatio, si medium prædicetur in maiori, & in minori subiiciatur, res est controuersa inter Doctores propter Galenum, de quo quamvis in scriptis eius, quæ nunc extant, talis sententia non inueniatur, Auerroes prima Priorum, capite octauo, testatur posuisse quartam figuram. Quam quidem esse admittendam potest suaderi: quia in hac argumentatione: *Omnis homo est animal: omne animal est sensibile: ergo aliquod sensibile est homo*, & similibus, datur recta combinatio terminorum, ut patet: & tamen ibi medium prædicatur in maiori, & in minori subiicitur: ergo figura, quæ inde resultat est recta, & consequenti datur quarta figura.

Hanc quæstionem contra Medicos tractant Dialectici libro 1. Priorum: pro qua videri possunt Marius ibidem quæstione 6. Combr. c. 7. quæst. 1. & alii. Breuiter tamen cum Aristotele, & communi consensu Dialecticorum dicendum est non dari quartam figuram. Fundamentum est: quia in quacunque figura, quando syllogismi concludunt directè, maior extremitas debet in conclusione prædicari de minori, nulla alia ratione: nisi quia illa extremum superius, quod continendo medium, continet consequenter aliud extremum inferius, scilicet minorem extremitatem, ac proinde necesse est maiorem extremitatem in præmissis talem habere positionem, seu situm, ut possit continere minorem: hunc autem nequaquam haberet, si maior extremitas esset subiectum, & minor prædicatum, ut patet cum subiectum non contineat, sed potius contineatur à prædicato: ergo talis dispositio, seu combinatio, ex qua resultat quarta figura, ex se non est apta, neque congrua forma syllogistica.

Dices: saltem admittenda erit hæc figura, si semper

*Colleg. Compl. Logica.*

minor extremitas prædicetur in conclusione de maiori, ut cum dicitur: *omnis homo est animal: omne animal est sensibile: ergo omnis homo est sensibilis*: Quia etiam sunt mille alia exempla: estque forma arguendi valde vñtata inter disputandum.

Respondetur in primis omnino repugnare, dari figuram congruam in qua conclusio non possit esse directæ. Et ratio est euidens: nam idem syllogismi indirectè concludentes sunt boni: quia per conuersionem conclusio indirectæ potest fieri directæ, ut infra videbimus: ergo impossibilis est figura, cui repugnet habere conclusionem directam. Deinde addendum est idem in exemplo argumenti, & aliis eiusdem formæ, quibus passim vtimur, conclusionem rectè sequi ex præmissis: quia in rei veritate est directæ, & syllogismus re vera est prima figura, quamuis in voce habeat transpositas præmissas: nam quæ ibi ponitur pro minori, in rei veritate est maior; ut patet, si transponendo illas absque aliqua alia mutatione dicas: *Omne animal est sensibile: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensibilis*. Vnde tandem fit quartam figuram, vel non dari, vel non distingui à prima.

Per quod patet ad argumentum in contrarium adductum; ille enim syllogismus re vera est in prima figura, & concludit indirectè in *baralipson*; habet tamen transpositas præmissas, ut dictum est.

#### C A P V T I V.

*De regulis tam communibus trium figurarum; quàm specialibus vniuscuiusque.*

**A**ntequam ad singulos vniuscuiusque figuræ modos explicandos descendamus, oportet tradere, tum generales regulas ad cognoscendam bonitatem consequentiæ in quacunque figura, tum etiam speciales vniuscuiusque, quæ ex illis communibus deriuantur. Pro quo sciendum est totam artem syllogisticam inniti duobus principiis. Primum est: *Quacunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: id est, quando aliqua duo perfectè completè, & adæquate vniuntur cum aliquo tertio, seu medio; necesse est, ut vniantur inter se. Et hoc principium deseruit syllogismis concludentibus affirmatiuè.

Secundum principium est: *Quacunque sunt eadem inter se, distinguuntur vni tertio, seu ab vno tertio*, id est, quando aliqua duo perfectè, & completè vniuntur inter se, si vnum illorum distinguitur ab aliquo tertio, necesse est distingui, & aliud. Quod principium deseruit syllogismis concludentibus negatiuè. Sunt autem hæc principia per se nota: quia innituntur vniuersalissimo illi principio: *Quodlibet est, vel non est*, quod ex terminis ipsis est manifestum.

His autem duobus principiis innituntur alia duo in Dialectica valdè vñtata, quæ à præcedentibus solum distinguuntur penes hoc, quod illa sumuntur in ordine ad esse; hæc verò in ordine ad prædicari, appellanturque ab Arist. & à Dialecticis; *dicti de omni*, & *dicti de nullo*. Dicti de omni reddit hunc sensum: quidquid vniuersaliter affirmatur de subiecto, affirmatur etiam de quocunque contento sub subiecto. Dicti verò de nullo reddit hunc sensum: quidquid vniuersaliter negatur de subiecto, negatur etiam de quocunque contento sub subiecto. Et per hæc principia probant Dialectici omnes syllogismos, ut postea videbimus. Indèque deducuntur sequentes leges, seu regulæ ad iudicandum de bonitate consequentiæ in quacunque figura.

C 3

Prima

Prima regula generalis. Medium in aliqua saltem præmissarum debet distribui, ut sic perfectè possit coniungi, vel disiungi ab extremitatibus, aliàs non darentur tunc dici de omni, vel dici de nullo. ) Non loquimur modò de syllogismo singulari, seu expositorio, de quo infra. ) Propter quod ex puris particulatibus, nihil sequitur in quacunque figura ex vi illationis; non enim valet; *aliquis homo est animal: aliquis equus est animal: ergò aliquis equus est homo*, Potest autem aliquando sequi ratione materiæ: ut *aliquod animal est substantia, aliquis homo est animal; ergò aliquis homo est substantia*.

Secunda regula. In conclusione non debet distribui aliquis terminus, qui non fuerit distributus in præmissis. Quæ doctrina fundatur in illa generali supra, capite secundo, tradita, quod scilicet conclusio semper debet sequi debiliorem partem: inde enim fit nihil debere esse in conclusione, quod excedat virtutem præmissarum, ac proinde quemcumque terminum non distributum in præmissis, non debere distribui in conclusione: aliàs talis terminus propterea est in conclusione, excederet se ipsum, ut est in præmissis.

Tertia regula. Ex puris negatiuis nihil sequitur in quacunque figura. Ratio est manifesta: quia ex hoc præcisè, quod aliqua duo distinguantur à quodam tertio, non sequitur distingui, aut identificari inter se: siue enim duæ res sint inter se maximè eadem, vel diuersæ, possunt nihilominus esse omnino disparatæ respectu alicuius tertij, ut patet: ergò ex eò quod aliqua duo disjungantur ab aliquo tertio, non sequitur ipsa disiungi, aut identificari inter se. Et propterea non valet hæc consequentia: *nullus homo est irrationalis: nullus equus est homo: ergò nullus equus est irrationalis*.

Quarta regula. Medium sub ratione medij non debet intrare conclusionem. Ratio est: quia quilibet terminus bis tantum ponitur in syllogismo; sed medium iam est positum bis in præmissis: ergò non potest iterum poni in conclusione. Poterit tamen aliquando intrare; si fiat etiam extremitas: ut cum dicitur: *omnis homo est animal, sed homo est homo: ergò homo est animal*.

Quinta tandem regula generalis est, quòd tam in medio, quàm in extremitatibus, non varientur proprietates terminorum, excepta suppositione, quæ provenit à signis. Vnde tam medium, quàm extremitas non debent esse termini æquivoci; vel in vna propositione ampliari, & in alia restringi; &c. Ratio est: quia iam in rei veritate non essent tres termini in syllogismo, sed quatuor, si vnus diuerso modo supponeret, ampliaretur, &c.

Ex his generalibus legibus, seu regulis deducuntur aliz particulares pro vnaquaque ex tribus figuris. Sic ergò pro prima figura prima lex, quæ est sexta in ordine: quòd in quocunque syllogismo primæ figuræ, directè concludente; ut consequentia sit bona, maior non debet esse particularis, neque minor negatiua: quia vel medium non distribueretur in præmissis, vel in conclusione distribueretur aliquis terminus, qui non esset distributus in præmissis, contra primam, & secundam regulam generalem supra traditam; ut patet ex his syllogismis; *aliquod animal est homo: omnis equus est animal: ergò aliquis equus est homo*. Vbi animal, quod est medium, in neutra præmissa distribuitur: item in hoc, *omnis homo est animal: nullus equus est homo: ergò nullus equus est animal*, vbi animal, quod est maior extremitas, distribuitur in conclusione; cum tamen non fuerit distributum in præmissis.

Diximus hanc regulam intelligendam esse, quando syllogismus concludit directè iuxta infra dicenda:

quia si conclusio sit indirecta, potest aliquando maior esse particularis, & etiam minor negatiua, quia nunc cessant defectus assignati: ut patet in *fapismo*, & *frisse semorum*, qui sunt modi viles primæ figuræ, indirectè concludentes, ut magis infra constabit.

Septima in ordine regula pro secunda figura est, quòd si ambæ præmissæ sint affirmatiuæ, nihil sequitur. Cuius ratio est; quia cum ibi medium sit prædicatum in vtraque præmissa, si vtraque est affirmatiua, in neutra distribueretur medium; ut patet in hoc syllogismo, *omnis equus est animal; omnis homo est animal: ergò omnis homo est equus*; Similiter si in eadem secunda figura maior sit particularis, nihil sequitur: quia iam in conclusione distribueretur aliquis terminus, qui non esset distributus in præmissis; ut patet si dicas, *aliquod animal est homo: nullus equus est homo: ergò nullus equus est animal*. Vbi animal distribuitur in conclusione, & non in præmissis.

Octava tandem regula pro tertia figura est: quòd si minor sit negatiua, nihil sequitur: quia iam aliquis terminus distribueretur in conclusione: qui non esset distributus in præmissis; verbi gratia, *omnis homo est animal; nullus homo est equus; ergò nullus equus est animal*, vbi animal distribuitur in conclusione, & non in præmissis. Et propter eandem rationem, conclusio in hac figura debet esse particularis; aliàs idem defectus accideret; si dicas, *omnis homo est animal; omnis homo est substantia: ergò omnis substantia est animal*, vbi substantia distribuitur in conclusione, & non in præmissis.

## C A P V T V.

### DE MODIS SYLLOGISMORVM in vnaquaque figura.

Q Vemadmodum inter tres terminos syllogismi, nempe inter medium, & extremitates, quantum ad prædicationem, vel subiectionem quatuor combinationes, seu figuræ possunt formari: ex quibus tres sunt viles; quarta verò inutilis, ut supra probatum est: sit ex varia combinatione præmissarum, quantum ad affirmationem, vel negationem; vniuersalitatem, aut particularitatem (in quo consistit modus syllogismi) quadraginta & octo modi formari possunt. Nam in qualibet figura, vniuersalitas, aut particularitas possunt quadrupliciter combinari in præmissis: primò si vtraque sit vniuersalis: secundò si vtraque sit particularis: tertio, si maior sit vniuersalis, & minor particularis, & quarto, si maior sit particularis: & minor vniuersalis. Vnaquæque autem harum quatuor combinationum potest adhuc quadrupliciter variari, per affirmationem, & negationem, ut consideranti patebit: quatuor verò per quatuor multiplicata reddunt sexdecim: ergò in qualibet figura possibiles erunt decem, & sex combinationes præmissarum, seu modi. Si autem sexdecim per tria, qui est numerus figurarum vtillum multiplicemus: inueniemus quadraginta & octo. Ex quo fit in tribus figuris quadraginta, & octo combinationes, seu modos formari posse.

Qui autem eorum sint viles, seu consistentes, aut bonæ consequentiæ; qui verò inutiles, seu inconsistentes, aut malæ consequentiæ, iudicandum est ex regulis capite præcedenti adductis. Illi enim modi erunt inutiles, quibus aliqua ex dictis regulis defuerit; illi verò erunt viles, qui omnes regulas seruauerint. Et hi sunt quatuordecim in tribus figuris

figuris quatuor, in prima scilicet, *barbara, celarent, Darij ferio* : alij quatuor in secunda, scilicet, *cesare, camestres, festino, Baroco* : & sex in tertia, scilicet, *darii, felapton, disamis, datisi, bocardo, ferison*. ¶ Vt autem hæc plenè percipiantur, antequam singulos hos modos utiles explicemus, libet sequentem tabulam subicere : ubi adductis exemplis omnium combinationum, seu modorum possibilium in vnaquaque fi-

gura, apparet manifestè, qui eorum, & quare sint utiles, qui verò, & quare sint inutilis. Claritatis autem gratia vnamquamque combinationem præmissarum designamus per duas vocales ex illis quatuor: A. E. I. O: quæ ostendunt quantitatem, & qualitatem propositionum iuxta dicta libro præcedenti, capite 7. sic enim melius apparet dictas combinationes esse diuersas, & non esse possibiles alias.



*TABULA COMBINATIONUM, SEU  
modorum qui fieri possunt in tribus figuris ostendens, qui eorum  
sine utiles, qui vero inutiles.*

IN PRIMA FIGURA.

Combinatio- nes possibiles.	Exempla.	Iudicium.	Modi utiles.
1 A A	Omne animal est sensibile; Omnis homo est animal; Ergo omnis homo est sensibilis.	¶ Modus utilis, quia servat omnes regulas, & omnium optimus: quia in digniori figura concludit optimam propositionem.	B A R B A R A
2 A E	Omne animal est substantia; Nullus lapis est animal; Ergo nullus lapis est substantia.	¶ Modus inutilis defectu secundæ, & sextæ regulæ.	— — —
3 A I	Omne animal est sensibile; Aliquis homo est animal; Ergo aliquis homo est sensibilis.	¶ Modus utilis: quia servat omnes regulas.	— — —
4 A O	Omne animal est substantia; Aliquis lapis non est animal; Ergo aliquis lapis non est substantia.	¶ Modus inutilis defectu secundæ, & sextæ regulæ.	— — —
5 E A	Nullum animal est lapis; Omnis homo est animal; Ergo nullus homo est lapis.	¶ Modus utilis: quia servat omnes regulas.	— — —
6 E E	Nullus lapis est animal; Nullus homo est lapis; Ergo nullus homo est animal.	¶ Modus inutilis defectu tertie regulæ.	— — —
7 E I	Nullum animal est lapis; Aliquis homo est animal; Ergo aliquis homo non est lapis.	¶ Modus utilis: quia servat omnes regulas.	— — —
8 E O	Nullus lapis est animal; Aliquis homo non est lapis; Ergo aliquis homo non est animal.	¶ Modus inutilis defectu tertie regulæ.	— — —
9 I A	Aliquod animal est rationale; Omnis equus est animal; Ergo aliquis equus est rationalis.	¶ Modus inutilis defectu primæ, & sextæ regulæ.	— — —
10 I E	Aliquod animal est substantia; Nullus lapis est animal; Ergo aliquis lapis non est substantia.	¶ Modus inutilis defectu secundæ, & sextæ regulæ.	— — —
11 I I	Aliquod animal est rationale; Aliquis equus est animal; Ergo aliquis equus est rationalis.	¶ Modus inutilis defectu primæ, & sextæ regulæ.	— — —
12 I O	Aliquod animal est substantia; Aliquis lapis non est animal; Ergo aliquis lapis non est substantia.	¶ Modus inutilis defectu secundæ & sextæ regulæ.	— — —
13 O A	Aliquod animal non est lapis; Omne animal est substantia; Ergo aliqua substantia non est lapis.	¶ Modus inutilis defectu primæ, & sextæ regulæ.	— — —
14 O E	Aliquis lapis non est animal; Nullus homo est lapis; Ergo aliquis homo non est animal.	¶ Modus inutilis defectu tertie, & sextæ regulæ.	— — —
15 O I	Aliquod animal non est rationale; Aliquis homo est animal; Ergo aliquis homo non est rationalis.	¶ Modus inutilis defectu primæ, & sextæ regulæ.	— — —
16 O O	Aliquis lapis non est animal; Aliquis homo non est lapis; Ergo aliquis homo non est animal.	¶ Modus inutilis defectu tertie, & sextæ regulæ.	— — —

IN



I N S E C U N D A F I G U R A .

Combinatio- nes possibiles.	Exempla.	Iudicium.	Modi vtilis.
17	A A	Omnis homo est animal : Omne sensibile est animal ; Ergo omne sensibile est homo.	Modus inutilis defectu primæ, & septimæ regulæ.
18	A E	Omnis homo est rationalis : Nullus equus est rationalis : Ergo nullus equus est homo.	Modus vtilis: quia seruat omnes regulas.
19	A I	Omne animal est substantia ; Aliquis lapis est substantia : Ergo aliquis lapis est animal.	Modus inutilis defectu primæ, & septimæ regulæ.
20	A O	Omnis homo est animal : Aliquis lapis non est animal : Ergo aliquis lapis non est homo.	Modus vtilis: quia seruat omnes regulas.
21	E A	Nullus equus est rationalis : Omnis homo est rationalis : Ergo nullus homo est equus.	Modus vtilis: quia seruat omnes regulas.
22	E E	Nullum animal est lapis : Nullus homo est lapis : Ergo nullus homo est animal.	Modus inutilis defectu tertie regulæ.
23	E I	Nullus lapis est animal : Aliquis homo est animal : Ergo aliquis homo non est lapis.	Modus vtilis : quia seruat omnes regulas.
24	E O	Nullum animal est lapis : Aliquis homo non est lapis : Ergo aliquis homo non est animal.	Modus inutilis defectu tertie regulæ.
25	I A	Aliquis equus est animal : Omnis homo est animal : Ergo aliquis homo est equus.	Modus inutilis defectu primæ, & septimæ regulæ.
26	I E	Alqua substantia est homo : Nullus lapis est homo : Ergo aliquis lapis non est substantia.	Modus inutilis defectu secundæ regulæ.
27	I I	Aliquis equus est animal : Aliquis homo est animal : Ergo aliquis homo est equus.	Modus inutilis defectu primæ, & septimæ regulæ.
28	I O	Alqua substantia est homo : Aliquis lapis non est homo : Ergo aliquis lapis non est substantia.	Modus inutilis defectu secundæ regulæ.
29	O E	Alqua substantia non est animal : Omnis lapis non est animal : Ergo aliquis lapis non est substantia.	Modus inutilis defectu secundæ regulæ.
30	O I	Alqua substantia non est animal : Nullus lapis est animal : Ergo aliquis lapis non est substantia.	Modus inutilis defectu secun- dæ, tertie, & septimæ regulæ.
31	O I	Alqua substantia non est animal : Aliquis homo est animal : Ergo aliquis homo non est substantia.	Modus inutilis defectu secundæ regulæ.
32	O O	Aliquod animal non est lapis : Aliquis homo non est lapis : Ergo aliquis homo non est animal.	Modus inutilis defectu tertie regulæ.

C A  
M E S  
Tres.

B A R O  
C O

C E S A  
R E

F E S  
T I  
N O

I N

## I N T E R T I A F I G U R A.

Combinatio- nes possibiles.	Exempla.	Indicium.	Modi viri.
33	A A Omne animal est sensibilis; Omne animal est substantia; Ergo omnis substantia est sensibilis. Vel Ergo aliqua substantia est sensibilis.	§ Si inferatur conclusio vniuersalis, redditur inutilis hic modus, defectu 2. regule; qui defectus cessat, si conclusio sit particularis, & tunc est modus vti- lis: quia seruat alias regulas.	D A R A P T I
34	A E Omne animal est substantia; Nullum animal est lapis; Ergo nullus lapis est substantia.	§ Modus inutilis defectu secundæ, & octauæ regulæ.	D A T I S I.
35	A I Omne animal est substantia; Aliquod animal est rationale; Ergo aliquod rationale est substantia.	§ Modus utilis: quia seruat omnes regulas.	D A T I S I.
36	A O Omne animal est substantia; Aliquod animal non est equus; Ergo aliquis equus non est substantia.	§ Modus inutilis defectu secundæ, & octauæ regulæ.	F E L A P T O N.
37	E A Nullum animal est lapis; Omne animal est substantia; Ergo nulla substantia est lapis. Vel Ergo aliqua substantia non est lapis.	§ Si inferatur conclusio vniuersalis, redditur inutilis hic modus defectu 2. regulæ; qui defectus cessat, si conclusio sit particularis, & tunc est modus vti- lis: quia seruat alias regulas.	F E L A P T O N.
38	E E Nullus lapis est animal; Nullus lapis est homo; Ergo nullus homo est animal.	§ Modus inutilis defectu tertie regulæ.	F E R I S O N.
39	E I Nullus lapis est animal; Aliquis lapis est substantia; Ergo aliqua substantia non est animal.	§ Modus utilis: quia seruat omnes regulas.	F E R I S O N.
40	E O Nullus lapis est animal; Aliquis lapis non est homo; Ergo aliquis homo non est animal.	§ Modus inutilis defectu tertie regulæ.	D I S A M I S.
41	I A Aliquod animal est rationale; Omne animal est substantia; Ergo aliqua substantia est rationalis.	§ Modus utilis: quia seruat omnes regulas.	D I S A M I S.
42	I E Aliquod est animal substantia; Nullum animal est lapis; Ergo aliquis lapis non est substantia.	§ Modus inutilis defectu secundæ & octauæ regulæ.	B O C A R D O
43	I I Aliquod animal est rationale; Aliquod animal est binnibile; Ergo aliquod binnibile est rationale.	§ Modus inutilis defectu primæ regulæ.	B O C A R D O
44	I O Aliquod animal est substantia; Aliquod animal non est lapis; Ergo aliquis lapis non est substantia.	§ Modus inutilis defectu primæ, & octauæ regulæ.	B O C A R D O
45	O A Aliquod animal non est lapis; Omne animal est substantia; Ergo aliqua substantia non est lapis.	§ Modus utilis: quia seruat omnes regulas.	B O C A R D O
46	O E Aliquis lapis non est animal; Nullus lapis est homo; Ergo aliquis homo non est animal.	§ Modus inutilis defectu tertie regulæ.	B O C A R D O
47	O I Aliquod animal non est rationale; Aliquod animal est homo; Ergo aliquis homo non est rationalis.	§ Modus inutilis defectu primæ, regulæ.	B O C A R D O
48	O O Aliquis lapis non est animal; Aliquis lapis non est homo; Ergo aliquis homo non est animal.	§ Modus inutilis defectu tertie, & sextæ regulæ.	B O C A R D O

Pro quorum maiori intelligentia primò aduertendum est in harum combinationum exemplis seruatum esse doctrinam generalem cap. 2. traditam, quòd scilicet conclusio debet sequi debiliorem partem; & propterea, semper quod aliqua præmissa erat particularis, aut negatiua, intulimus conclusionem particularem, aut negatiuam; ne ex hac parte esset defectuosa consequentia. Si quis autem pro libito suo in prædictis exemplis existente aliqua præmissa particulari, aut negatiua, colligeret conclusionem vniuersalem, aut affirmatiuam; manifestè destrueret artificium syllogismi, ac pròinde non oporteret querere alium defectum, vt per se patet.

Secundò notandum est ex doctrina Aristot. 2. lib. Prior. cap. 1. quòd quia in propositione vniuersali, tam affirmatiua, quam negatiua continetur sua particularis quippè cum repugnet vniuersalem esse veram, quando aliqua particularis est falsa; idè in quocumque modo vtili, vbi rectè concluditur propositio vniuersalis, potest etiam rectè concludi sua particularis; heque opus fuit huius exempla adducere. Quia tamen potest è contra contingere, aliquam propositionem particularem esse veram; cum tamen vniuersalis sit falsa; ideo etiam potest accidere, aliquam consequentiam esse malam si inferatur propositio vniuersalis, esse autem bonam quando inferitur conclusio particularis, sicque contingit in duobus modis tertiæ figuræ, scilicet *darapti* & *felapton*. vt notauimus in tabula propter quod utramque propositionem ibidem intulimus.

Tertiò notandum est syllogismum posse dupliciter concludere, scilicet directè, & indirectè: tunc concludit directè, quando in conclusione maior extremitas prædicatur de minori: sic enim utraque habet situm sibi debitum, & naturalem. Tunc verò concludit indirectè, quando è contra minor extremitas in conclusione prædicatur de maiori, quia in tali casu quasi extrahuntur à proprio loco, & inuertitur ordo, quem inter se debent seruare extremitates.

Igitur in omnibus exemplis supraposita tabulæ, intulimus conclusionem directam: quia hæc est, quæ per se primò sequitur ex præmissis, & per cuius conuersionem formatur conclusio indirecta, vt per se patet; idè repugnat, si modus concludens directè est inutilis, eundem indirectè concludentem esse vtilem; vt proportionabiliter de quarta figura suprà cap. 3. dicebamus. Quo fit, vt in omnibus modis inutilibus suprà assignatis consequentia sit mala, siue directè, siue indirectè concludant, quamuis aliquando ratione materiz contingat conclusionem esse veram.

At verò: quia modi viles benè inferunt conclusionem directam, possunt etiam rectè concludere indirectè, quando talis conclusio est conuertibilis iuxta regulas conuersionis suprà traditas. vnde: quia particularis negatiua non conuertitur, nec simpliciter, nec per accidens iuxta ibi dicta idè modi viles, in quibus conclusio est particularis negatiua, scilicet *ferio*, *festino*, *baroco*, *felapton*, *bocardo*, *ferison*, non possunt concludere indirectè: quia iam minor extremitas distribueretur conclusioni: cum tamen non esset distributa in præmissis, vt consideranti patebit.

His suppositis, vt ad modos viles explicandos descendamus, ex dictis plane sequitur, præter modos viles directè concludentes, ( qui in tribus figuris tantum sunt quatuordecim, vt constar ex tabula adducta ) posse etiam formari alios viles indirectè concludentes: qui quamuis ab illis non omninò, aut essentialiter distinguantur; siquidem habent eandem combinationem præmissarum: distinguuntur tamen

tanquam perfectum, & imperfectum intra eandem speciem; vt per se patet.

Quod vt declararent Dialectici constituerunt in prima figura, vltra quatuor primos modos, qui rectè concludunt alios quinque indirectè concludentes, scilicet *baralipson*, *celantes*, *dabitis*, *fapesmo*, *frisesomorum*: quia tot sunt, qui ex illis quatuor prioribus formari possunt per conuersionem conclusionis, vt consideranti patebit. Non autem assignarunt modos indirectè concludentes in aliis duobus figuris: quia facillè potest vnusquisque illos colligere conuertendo conclusionem, vt explicatum est, & ita satis fuit apponere exempla in prima figura. Ex quo tandem fit omnes modos viles à Dialecticis assignatos in tribus figuris esse decem & nouem, qui his versibus continentur.

*Barbara, Celarent, Darii, ferio, Baralipson.*

*Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,*

*Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,*

*Felapton, Disamis, Datissi, Bocardo, Ferison.*

Primi nouem qui duobus prioribus carminibus continentur pertinent ad primam figuram. Ex quibus quatuor priores concludunt directè: alij verò quinque indirectè: vt explicatum est. Quatuor sequentes, qui continentur in tertio versu, scilicet *cesare*, *camestres*, *festino*, *baroco*, pertinent ad secundam figuram. Reliqui verò sex, scilicet *darapti*, & sequentes pertinent ad tertiam.

In vnoquoque autem modo inueniuntur saltem tres vocales, quæ correspondent tribus propositionibus syllogismi: prima maiori: secundà minori: & tertia conclusioni. Et denotant tales propositiones debere esse quantitatis designatæ per ipsas vocales; secundum quod suprà lib. 2. cap. 7. explicauimus in illo versu *Afferis A. negat E, &c.* Quod si aliquando in his modis plures syllabæ inueniantur trium tantum priorum habenda est ratio nam aliæ propter carminis metrum additæ sunt:

Tandem nota ex his 19. modis quatuor priores primæ figuræ appellari perfectos: quia sunt in digniori figura, & concludunt directè: alios verò quindecim dici imperfectos: vel quia licet sunt in digniori figura, non tamen concludunt directè, vt sunt *baralipson*, *celantes*, *dabitis*, *fapesmo*, *frisesomorum*, vel quia, quamuis concludunt directè, non tamen sunt in figura digniori, vt sunt alij restantes.

## C A P V T V I.

### De Probatione Syllogismorum perfectorum, & reductione imperfectorum.

Sicut ex varia terminorum habitudine resultant variaz proprietates eorum, & ex diuersa combinatione propositionum, diuersæ etiam illarum passionis: de quibus primo, & secundo disputabimus: ita etiam ex varia dispositione tam terminorum quam propositionum quæ reperitur in syllogismis, oritur illis, vt petant diuerso modo probari seu reduci. Et ita probatio & reductio habent rationem passionis respectu syllogismi: de quibus consequenter, post examinatam essentiam, & species illius, erit nobis in præsentia disputandum.

Quamuis ergo omnes modi enumerati sint viles, & consequentia in illis, facta, necessaria; ac pròinde non possit negari: tamen quia in modis imperfectis non ita clarè cernitur vis illationis: idè Dialectici inuenerunt artem, vt modos imperfectos ad perfectos reducerent; & hanc vocant reductionem. Quoniam autem posset aliquis eo proteruiz deuenire, vt etiam negaret consequentiam in quatuor modis perfectis: factam

factam : idem etiam tradiderunt artem ad probandam vim illationis eorum, non per reductionem ad alios modos euidenciores, qui nulli sunt : sed per duo illa principia lumine naturali nota, quibus innititur ars syllogistica, ut vidimus cap. 4. & hanc appellant probationem.

Igitur ad quatuor capita reducuntur omnes propositiones : nam vel sunt vniuersales affirmatiue, vel vniuersales negatiue, vel particulares affirmatiue, vel particulares negatiue ( sub particularibus enim comprehendimus singulares. ) Et hæc quatuor genera propositionum concluduntur perfecte in quatuor primis modis : nam vniuersalis affirmatiua concluditur in *barbara*, vniuersalis negatiua in *celarent* : particularis, seu singularis affirmatiua, in *dary*, & particularis, seu singularis negatiua, in *ferio*. Quæ omnes consequentiæ, quamuis sint per se ipsas manifestæ, & euidenter bonæ : si tamen ab aliquo negentur probantur per duo principia supra posita. Nam duo modi affirmatiui, nempe *barbara*, & *dary* probantur per *dici de omni* : duo vero negatiui, scilicet *celarent*, & *ferio* per *dici de nullo*.

Si quis ergo negauerit consequentiam huius argumenti in *barbara* : *omne animal est sensibile : omnis homo est animal : ergo omnis homo est sensibilis*, probatur per *dici de omni* sic : quidquid vniuersaliter affirmatur de subiecto, affirmatur etiam de omni contento sub illo, sed esse sensibile affirmatur vniuersaliter de animali in maiori : cum ipsa sit vniuersalis affirmatiua : ergo etiam debet affirmari de omni contento sub animali : at homo continetur sub illo in minori, cum homo sit subiectum, & animal prædicatum : ergo sensibile debet affirmari de homine in conclusione. Ex quo patet quomodo per idem principium probetur consequentia facta in *dary* : siquidem minor, & conclusio istiusmodi sunt particulares contentæ sub vniuersalibus iam in *barbara* probatis.

Eodem modo probantur per *dici de nullo*, consequentiæ factæ in duobus aliis modis negatiuis. Nam si quis neget hanc consequentiam in *celarent* : *nullum animal est lapis : omnis homo est animal : ergo nullus homo est lapis*, probatur per *dici de nullo*, sic : quidquid vniuersaliter negatur de subiecto, negatur etiam de omni contento sub illo : sed lapis vniuersaliter negatur de animali in maiori, cum sit vniuersalis negatiua : ergo debet negari de omni contento sub animali, at homo continetur in minori sub animali : ergo de illo debet in conclusione negari lapis. Per quem modum probatur etiam ex eodem principio consequentia facta in *ferio*, cum minor, & conclusio sint particulares contentæ sub vniuersalibus probatis in *celarent*.

Cognito, iam quomodo probentur immediate per prima principia quatuor modi perfecti, explicandum superest, quomodo ceteri imperfecti ad illos reducuntur, seu qua arte possit ex syllogismo imperfecto fieri perfectus : ut ita qui negauerit consequentiam alicuius modi imperfecti, cogatur etiam illam negare in modo perfecto.

Dupliciter ergo potest fieri talis reductio. Primo, conuertendo ipsas propositiones syllogismi imperfecti, eaque si opus sit transmutando. Et hæc dicitur reductio ostensiva : quia in eisdem propositionibus syllogismi imperfecti clariori, & perfectiori forma dispositis, ostenditur vis, & necessitas consequentiæ, sine eo quod aliqua propositio de foris adducatur. Secundo modo potest fieri reductio deducendo aduersarium ad aliquod inconueniens, seu impossibile concedendum : nempe quod admittens maiorem & minorem syllogismi imperfecti, & negans consequentiam, teneatur concedere duas contra-

dictorias simul veras, quod tamen est omnino impossibile, ut supra vidimus. Et propterea hic modus conuincendi aduersarium appellatur reductio per impossibile.

Igitur ut syllogismi imperfecti ostensiuè reducuntur ad perfectos, in primis inspicienda est litera consonans, qua incipit modus imperfectus : illa enim denotat reducendum esse ad modum perfectum eadem litera incipientem. Et ita *baraliprds, baroco*, & similes reducuntur ad *barbara* : *celantes, cesare*, &c. ad *celarent*, & sic de aliis. Omnes enim incipiunt una ex his quatuor consonantibus, B, C, D, F. quæ sunt literæ principiantes quatuor modos perfectos, ut patet.

Præter has autem consonantes initiales, reperiuntur alie quatuor intra ipsas dictiones modorum imperfectorum nempe S, P, M, C. Litera S. denotat propositionem significatam per vocalem antecedentem conuertendam esse simpliciter : P. conuertendam esse per accidens : M. vero denotat commutandas esse præmissas, ita ut maior fiat minor, & e contra, seruata conuersione, quam alie literæ perunt. Et tandem E. in medio dictionis denotat modum illum, in quo inuenitur, non posse reduci ostensiuè, sed tantum per impossibile : qui tantum sunt duo, nempe *baroco*, & *bocardo*.

Reducamus ergo ostensiuè ad *ferio*, syllogismum factum in *fapesmo*, qui est modus imperfectus primæ figuræ, intra quem omnes tres consonantes P, S, M. inueniuntur : P. quia sequitur post primam vocalem : A. denotat maiorem quæ est vniuersalis affirmatiua conuertendam esse per accidens. Deinde S. quia sequitur post secundam vocalem E, denotat minorem, quæ est vniuersalis negatiua conuertendam esse simpliciter. Et tandem M. quæ est post duas vocales, denotat maiorem iam conuersam ponendam esse pro maiori, & minorem etiam conuersam, pro minori. Quæ omnia clare patet in hoc syllogismo :

FA		Omne animal est sensibilis.
PES		Nullus lapis est animal:
MO.		Ergo aliquod sensibile non est lapis.

In quo, si maior conuertatur per accidens, & minor simpliciter, posteaque transmutentur, inferunt eadem conclusio in *ferio* : sic.

FE		Nullum animal est lapis:
RI		Aliquod sensibile est animal:
O.		Ergo aliquod sensibile non est lapis.

Eadem proportionem fit reductio ostensiva aliorum modorum imperfectorum ad perfectos, ut patebit consideranti literas supra explicatas, & idem non adducimus eorum exempla. Solam est aduertendum in dictione significante vltimum modum primæ figuræ scilicet *frisesomorum* illam consonantem M. propter carminis metrum constitutam fuisse post tres priores syllabas, cum tamen collocanda esset ante tertiam, sicut fit in *fapesmo*, *disamis*, & aliis : & idem talis litera non est computanda inter syllabas inutiles, sed re vera significat transponendas esse præmissas, cum hoc sit necessarium ad reductionem illius modi, ut consideranti patebit.

Reductio per impossibile fit hoc modo. Si contrarius, concessa maiori, & minori syllogismi imperfecti, neget consequentiam : inferenda est propositio contradictoria consequentiæ negatæ : ex qua & ex altera præmissarum iam concessarum, fit syllogismus perfectus concludens propositionem contradictoriam, vel contrariam alterius præmissæ concessæ : ac proinde cogitur concedere duas contradic-

tias,

simul veras. Quamuis autem hac reductione possint reduci omnes modi imperfecti ad aliquem perfectorum; tamen specialiter hoc conuenit *Baroco*, & *bocardo*, quos, ut vidimus, non possunt aliter reduci. Et ideo prius utriusque reductionem specialiter explicabimus, addentes postea generalem doctrinam pro reductione aliorum.

*Baroco* ergo, & *bocardo* reducuntur per impossibile ad barbara; cum hac tamen differentia, quod *baroco* reducitur seruata maiori, & contradictoria conclusionis posita pro minori; ex quibus inferitur contradictoria minoris iam concessa: *bocardo* verò reducitur è contra seruata minori, & contradictoria conclusionis posita pro maiori; ex quibus inferitur contradictoria maioris concessa, ut patet in his exemplis.

g BA		Omnis homo est animal.
g RO		Aliquis lapis non est animal;
g CO		Ergo aliquis lapis non est homo.

Si concessa maiori, & minori huius syllogismi, negetur consequentia; reducitur per impossibile ad barbara sic. Tale consequens est falsum; ergo sua contradictoria erit vera, scilicet omnis lapis est homo. Ponatur ergo hæc propositio pro minori, & retineatur maior præcedentis syllogismi; inde inferretur hæc consequentia: Ergo omnis lapis est animal, ut patet si dicas.

g BAR		Omnis homo est animal.
g BA		Omnis lapis est homo.
g RA		Ergo omnis lapis est animal.

Cuius syllogismi maior iam concessa est in priori syllogismo; minor verò est contradictoria consequentiæ negatæ, & consequenter vera. Ex his autem præmissis iam concessis inferitur in Barbara hæc propositio: Omnis lapis est animal; ergo tenetur aduersarius illam concedere: sed hæc contradictoria minoris in priori syllogismo concessa scilicet aliquis lapis non est animal; ergo cogitur concedere duas contradictorias simul veras.

Syllogismus etiam factus in *Bocardo* reducitur per impossibile ad barbara (ut diximus) seruata minori, & contradictoria conclusionis posita pro maiori verbi gratia.

g BO		Aliquis homo non est lapis;
g CAR		Omnis homo est rationalis;
g DO		Ergo aliquod rationale non est lapis.

Si neges hanc consequentiam: ergo eius contradictoria est vera, scilicet omne rationale est lapis. Ponatur ergo hæc propositio pro maiori: & minor præcedentis syllogismi retineatur pro minori: ex quibus inferretur hæc consequentia: Ergo omnis homo est lapis, ut patet si dicas.

g BAR		Omne rationale est lapis.
g BA		Omnis homo est rationalis.
g RA		Ergo omnis homo est lapis.

Cuius syllogismi maior est concessa; cum sit contradictoria consequentiæ supra negatæ: minor etiam est concessa in priori syllogismo; consequentia etiam necessario concedenda est: cum sit in Barbara; & tamen est contradictoria maioris in primo syllogismo concessa: ergo conceduntur duæ contradictoriae simul veræ.

g Explicata specialiter reductione per impossibile istorum modorum, breuiter explicandum est, quod Colleg. Compl. de Logica.

modo generalis huius reductionis doctrina supra tradita cæteris modis imperfectis applicanda sit; seu quorum ad quos perfectos reducuntur; & in quibus debeat seruari maior & in quibus, minori.

Quod ut facile comprehendatur, inuenerunt Dialectici, tres dictiones pro modis imperfectis trium figurarum, videlicet: NES CIEBATIS. ODIEBAM. LÆTARE ROMANIS.

Prima habet quinque syllabas, & correspondet quinque modis imperfectis primæ figuræ, ita ut prima scilicet *Nes*, correspondeat primo modo imperfecto, scilicet *Baralipson*, secunda scilicet *Oi*, correspondeat secundo modo imperfecto, scilicet *Celantes*; & sic de aliis.

Secunda dictio, nempe *Odiebam*, habet quatuor syllabas, & correspondet ordine explicato quatuor modis secundæ figuræ,

Et tandem tertia dictio scilicet *Lætare Romanis*, habet sex syllabas, correspondet eodem ordine sex modis tertiæ figuræ.

In his autem distinctionibus, quatuor illæ vocales A. E. I. O. significant quatuor modos perfectos. Nam A. significat *barbara*; quia ibi concluditur vniuersalis affirmatiua; E. significat *celarent*: quia ibi concluditur vniuersalis negatiua; I. significat *darii*; quia ibi concluditur particularis affirmatiua: & O. significat *ferio*: quia ibi concluditur particularis negatiua.

Vnaquæque ergo harum vocalium in qualibet syllaba trium dictionum denotat modum imperfectum correspondentem illi syllabæ reducendum esse ad modum perfectum significatum per eandem vocalem. Per quod patet, qui modi imperfecti ad quos perfectos sint reducendi.

Quando autem in reductione seruanda sit maior syllogismi imperfecti; quando minor: & consequenter quando contradictoria consequentiæ negatæ debeat poni pro minori; quando verò pro maiori; explicant sequentes regulæ.

Prima est. Ut modi imperfecti primæ figuræ reducuntur per impossibile; contradictoria conclusionis negatæ ponenda est pro maiori, & maior syllogismi imperfecti, pro minori. Excipitur tamen *celantes*, in quo minor syllogismi imperfecti ponitur pro maiori, & contradictoria conclusionis negatæ pro minori. Hac autem regula seruata semper colligitur oppositum alterius præmissæ concessæ, quamuis non immediate, sed facta conuersione simplici conclusionis; quæ inferitur in syllogismo perfecto.

Vbi aduertendum est, quod licet in reductione *baralipson*, & *fapesmo* solum colligantur duæ contrariæ simul veræ; tamen ex eis possunt fieri duæ contradictoriae simul veræ, iuxta dicta supra lib. 3. capi 6. Et idem dicendum est de *darapti* & *felapton* in tertia figura, qui tantum concludunt duas contrarias simul veras.

Secunda regula pro secunda figura est, quod in reductione retineatur maior syllogismi imperfecti, & contradictoria consequentiæ negatæ ponatur pro maiori ut patet syllogismo supra facto in *baroco*: eodem enim modo reducuntur omnes alij modi eiusdem figuræ.

Tertia tandem regula pro tertia figura est, quod in reductione retineatur minor, & contradictoria consequentiæ negatæ ponatur pro maiori ut ostendit syllogismus supra factus in *bocardo*. Quæ etiam reducuntur omnes alij modi eiusdem figuræ, quorum exempla facile quisque potest ex dictis formare: & ideo omituntur.

Addendum est tamen has duas postremas regulas significari à Dialecticis illis carminibus.

D

g Sernat



*¶ Servat maiorem, variatque secunda minorem.*  
*¶ Tertia maiorem variat, servatque minorem.*

## CAPUT VII.

## De aliis syllogismorum divisionibus.

**H**Uic usque egimus de iis, quæ syllogismo conveniunt ratione formæ, nam esse in tali, vel tali figura; in hoc vel illo modo, esseque sic, vel sic reducendum, pertinent ad formam syllogismi, de qua egit Aristoteles in libris de Priori resolutione. Quia verò in libris sequentibus disputavit etiam de syllogismo ratione materiæ: ideo in his institutionibus aliqua etiam breviter attingenda sunt eorum, quæ syllogismo conveniunt ratione materiæ, nempe ratione propositionum, vel terminorum.

Primo ergo dividitur syllogismus ratione materiæ proximè, in affirmativum, & negativum. Ille est, cuius conclusio est affirmativa; iste verò cuius conclusio est negativa.

Præterea secundo dividitur in categoricum, & hypotheticum. Categoricus est, cuius omnes propositiones sunt categoricæ: hypotheticus verò, cuius plures, vel saltem aliqua propositio est hypothetica. Pro huiusmodi autem syllogismo plures solent adducit regulæ, sed melior, quæ tradi potest, est, ut attendatur ad vim illationis, quod satis ex dictis constabit unicuique.

Tertio dividitur syllogismus ratione eiusdem materiæ proximè in demonstrativum, probabilem, & sophisticum, seu apparentem. Primus nomine incomplexo appellatur demonstratio, & constat propositionibus necessariis: secundus verò est, qui constat propositionibus probabilibus: tertius autem cuius propositiones apparent quidem veræ, cum tamen sint falsæ, & isti tres syllogismi solent aliis nominibus appellari, posteriori isticus, topicus, & elenchus: quia de illis disputat Aristoteles in libris Posteriorum, Topicorum, & Elenchorum.

Quarto dividitur syllogismus ratione materiæ remotæ in rectum, & obliquum. Rectus est, cuius omnes termini ponuntur in recto, obliquus verò, qui constat aliquo termino obliquo. Pro quo solent tradi aliquæ regulæ, hæc tamen sola sufficit, ut si quando in huiusmodi syllogismis aliqua fuerit difficultas, propositiones fiant in recto: & sic apparebit bonitas, vel malitia consequentiæ.

Quinto, & ultimo dividitur syllogismus ratione eiusdem materiæ remotæ in communem, & singularem, seu expositivum. Ille est, cuius medium est terminus communis: iste verò, cuius medium est terminus singularis: ut si dicas, *Petrus est animal: Petrus est rationalis: ergo aliquod rationale est animal.*

Dicitur autem expositivus, seu sensibilis demonstrativus: quia ad sensum explicat unionem extremitatum inter se propter unionem, quæ sentitur cum medio. Et huiusmodi syllogismus, licet possit fieri in tribus figuris, servata semper affirmatione, vel negatione, quam designant modi, frequentius tamen & proprius fit in tertia, in qua medium subiicitur quia maxime proprium est terminorum singularium esse subiectum propositionis.

Est autem hic advertendum, quod sicut in syllogismo communi, ut rectè concludat, debet medium perfectè distribui iuxta dicta sup. c. 2, ita etiam ad bonitatem consequentiæ in syllogismo expositivo è contra requiritur medium esse perfectè singulare, & incommunicabile: si enim contingat aliquod singulare esse realiter communicabile multis, ut de

facto est natura divina iam habebit vim termini communis: & ex consequenti syllogismus expositivus inde confectus æqualebit communi ex puris particularibus, ex quibus tamen nihil sequitur in quacunque figura ex vi illationis, ut ibidem diximus.

Qua ratione ista non est bona consequentia: *Hæc essentia divina est Pater: hæc essentia divina est Filius: ergo Filius est Pater:* quia propter realem communicabilitatem naturæ divinæ, quantumvis ipsa singulariter designetur, habet vim termini communis: ac proinde talis syllogismus propriè non est expositivus, sed æqualebit communi ex puris particularibus. De qua latè disputant Theologi prima parte, quæstione vigesima octava art. 3.

## CAPUT VLTIMUM.

## De arte inveniendi medium.

**D**ifficilis semper visa fuit antiquis Dialecticis arte inveniendi medium ad syllogismos conficiendos in quacunque materia: propter quod illam sophistæ asinorum pontem nuncuparunt. Et quidem si secundum quod ipsi docent tradenda esset, plures forte periclitarentur.

E contra verò aliqui moderni per aliud extremum ab illa se facillimè expediunt, asserentes ad quamlibet propositionem probandam querendam esse causam, cui prædicatum conveniat, vel repugnet subiecto: & ea inventa, inventum esse medium. In quo totam artem se comprehendisse putant.

Pulchra sanè solutio. Id ipsum est, quod inquirimus: qua scilicet arte queremus, & inveniemus in qualibet propositione causam, cui prædicatum conveniat, vel repugnet subiecto. Ut ergò breviter rem hanc expendamus.

Imprimis statuendum est artem istam esse summè necessariam. Nam parum interest scire, quo modo extremitates debeant disponi cum medio, ut syllogismus sit in modo, & figura: si ignoratur quodnam medium eligendum sit in vno quoque syllogismo. Et hoc est, quod in præsentem inuestigamus: proposita scilicet qualibet propositione, qua arte inveniemus medium ad illam rectè concludendam in aliquo syllogismo. De quo tractat optimè D. Thomas in peculiari Opusculo de inventionem medij, quod est 50. in ordine Opusculorum.

Secundo, ut hæc materia comprehendatur: omnino oportet considerare, quis terminus dicatur antecedens, quis consequens; & quis extraneus, seu disparatus.

Terminus ergo consequens dicitur ille, qui ex altero inferitur: cuiusmodi sunt omnia prædicata superiora respectu inferiorum: bene enim valet, est homo: ergo est animal: ac proinde animal est terminus consequens respectu hominis.

Terminus antecedens est ille, qui alterum inferit: & huiusmodi sunt omnia prædicata inferiora, respectu superiorum, ut patet in eodem exemplo: sicut enim animal est terminus consequens respectu hominis, quia inferitur ex illo: ita homo est terminus antecedens respectu animalis: quia inferit illud.

Termini verò convertibiles ut homo rationale, risibile, & similes simul sunt antecedentes, & consequentes: quia se invicem inferunt, & inferuntur: ac proinde in syllogismis interdum sumuntur, qua ratione sunt antecedentes; interdum verò, qua ratione sunt consequentes. Tandem terminus extraneus, seu repugnans, est ille, qui non potest alteri inesse.

Hoc

Hoc, supposito, cum quatuor sint genera propositionum, scilicet vniuersalis affirmatiua, vniuersalis negatiua, particularis affirmatiua, & particularis negatiua: quatuor regulis totam hanc materiam absoluemus.

Prima est. Ad concludendam propositionem vniuersalem affirmatiuam, sumendus est pro medio terminus, qui sit consequens, respectu talis propositionis, & antecedens, respectu prædicati.

Verbi gratia, si velis syllogizare hanc propositionem, *omnis homo est substantia*: congruum medium erit *animal*, quod est consequens ad subiectum, scilicet *hominem*: cum inferatur ex illo; & antecedens ad prædicatum, scilicet *substantiam*: cum inferat illam: atque ita dices, *Omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia*.

Cuius rationem reddit optimè Diuus Thomas vbi supra: quia vniuersalis affirmatiua tantum potest concludi in primo modo primæ figuræ, scilicet *barbara*: in quo cum medium vniuersaliter subiiciatur in maiori; necessariò antecedit maiorem extremitatem, quæ est prædicatum conclusionis, cum verò medium in minori prædicetur vniuersaliter de minori extremitate, quæ in conclusione est subiectum necessariò consequitur illam: ergo quando propositio vniuersalis concluditur, medium debet esse consequens, respectu subiecti, & antecedens respectu prædicati.

Secunda regula. Ad inferendam propositionem vniuersalem negatiuam (quæ tantum potest concludi in prima, & secunda figura) sumendus est pro medio terminus consequens, ad subiectum, & extraneus, seu repugnans prædicato, si syllogismus conficiatur in *celarent*, & *cesare*; si verò conficiendus sit in *camestres*, debet sumi pro medio terminus repugnans subiecto, & consequens ad prædicatum.

Verbi gratia, si hæc propositio, *Nullus homo est lapis*, concludenda sit in *celarent*, aut *cesare* congruum medium erit *rationale*, quod est consequens ad hominem, & extraneum lapidi: & sic dices, *Nullum rationale est lapis: omnis homo est rationalis: ergo nullus homo est lapis*.

Si autem eadem propositio concludenda sit in *camestres*, congruum medium erit *insensibile*, quod repugnat homini, & est consequens ad lapidem: & sic dices, *Omnis lapis est insensibilis: nullus homo est insensibilis: ergo nullus homo est lapis*.

Ratio autem huius est: quia in duobus modis prioribus, medium remouetur à maiori extremitate, & consequitur ad minorem, cum prædicetur de ea: in tertio verò medium consequitur ad maiorem extremitatem, & remouetur à minori.

Tertia regula. Ad inferendam propositionem particularem affirmatiuam (quæ tantum potest concludi in prima, & tertia figura) sumendus est pro medio terminus consequens ad subiectum, & antecedens ad

prædicatum; si syllogismus fiat in prima figura, si verò conficiatur in tertia, medium debet esse terminus antecedens, tam respectu subiecti, quam respectu prædicati.

Verbi gratia, si hæc propositio, *aliquis homo est viuens*, syllogizanda sit in prima figura; congruum medium erit *sensibile*, quod est consequens respectu hominis, & antecedens respectu viuents: & sic dices, *Omne sensibile est viuens, aliquis homo est sensibilis: ergo aliquis homo est viuens*. Cuius ratio est eadem, quæ adducta est in prima regula. Si verò syllogizanda sit in tertia figura; congruum medium erit *rationale*, quod est antecedens, tum respectu hominis, tum etiam respectu viuents: & sic dices, *Omne rationale est viuens; aliquod rationale est homo: ergo aliquis homo est viuens*. Huius autem ratio est: quia in tertia figura medium est subiectum in vtraque præmissa, ac proinde debet antecedere vtramque extremitatem.

Quarta tandem regula. Ad inferendam propositionem particularem negatiuam (quæ concludi potest in tribus figuris) si syllogismus fiat in prima, sumendus est pro medio terminus consequens ad subiectum, & extraneus à prædicato.

Ratio est: quia ibi medium remouetur à maiori extremitate, & consequitur ad minorem, cum prædicetur de ea. Quæ etiam ratione idem obseruandum est, si syllogismus fiat in tertio modo secundæ figuræ, scilicet *festino*. Si verò syllogismus fiat in quarto modo secundæ figuræ, nempe, *baroco*; medium debet esse terminus extraneus à subiecto, & consequens ad prædicatum.

Ratio est: quia ibi medium consequitur ad maiorem extremitatem: cum prædicetur de ea, & repugnat minori: cum remouetur ab illa. Si autem syllogismus conficiatur in tertia figura; medium debet esse terminus antecedens ad subiectum, & extraneus prædicato.

Et ratio est: quia ibi medium subiicitur minori extremitati, & repugnat maiori: ac proinde antecedit illam, & est extraneus isti. Verbi gratia, si velis syllogizare hanc particularem negatiuam, *aliquis homo non est lapis*, & syllogismus conficiendus sit in prima figura; vel in tertio modo secundæ, scilicet *festino*; congruum medium erit *animal*: quia est terminus consequens respectu hominis, & extraneus respectu lapidis.

Si verò syllogismus conficiendus sit in *baroco*, congruum medium erit *insensibile*: quia est terminus extraneus ab homine, & consequens ad lapidem.

Et tandem si syllogismus conficiendus sit in tertia figura; congruum medium erit *rationale*: quia est terminus antecedens, respectu hominis, & extraneus, respectu lapidis. Videatur Diuus Thomas Opusculo citato. Et hæc pro hoc libro, & institutionibus dixisse sufficiat.



# COLLEGII COMPLUTENSIS DISCALCEATORVM

Fratrum B. Mariæ de monte Carmeli,

DISPUTATIONES IN VNIVERSAM  
*Aristot. Dialecticam.*

Iuxta Angelici Doctoris D. Thomæ,  
& Scholæ eius doctrinam.

EIDEM COMMUNI MAGISTRO, ET  
*Florentissima Schola dicata.*

## PROEMIVM.

**E**st humani intellectus natura, ea nostri discursus conditio, ut in quavis re indaganda, non solum difficile, & cum labore versesur, sed & aliarum etiam rerum cognitione indigeas, aliisque doctis inuenitur: quare unus rei notitia alteri emolumento esse solet. Sicut enim causa sunt sibi inuicem causa: ita disciplina sibi inuicem profunt, se mutuo iuvant, interdumque ita inseparabiliter connectuntur: ut unus notitia absque alterius cognitione haberi non possit.

Hinc nascitur difficultas in scientiis addiscendis: si enim ea tantum, quæ unius sunt propria, præcisè tradas, neque aliena alia, etsi necessario attingas: cum absque illa haberi nequeant, doctrina proculdubio claudicabit. Si verò ob Cerybim istam vitandam, omnia simul pertractare velis, æquæque in qualibet scientia de alienis, ac de propriis disputes: in Scyllam necessario incidēs, fietque ut dum omnia insequeris, nihil integrè consequaris.

Cui periculo, quamvis scientia omnes subsint, subest tamen maxime Dialectica: utpotè quæ omnibus modum præfinit, ipsas intimè transcendit, in eis disputantibus disputat, & in eis definitiōibus ipsa definit. Quapropter speciali studio indiges, qui Dialecticam aggreditur, ut in propriis huius disciplina non deficiat, in alienis non excedat: ne ei contingat, quod pluribus evenit, quorum quidam brevitatis prætextu nobiliorem, & secretiorem Dialecticæ doctrinam prætermittunt: quidam verò ita Physicis, & Metaphysicis questionibus implicantur, ut sub Dialecticæ titulo Metaphysicam ipsam, aut Physicam tradidisse conuincantur. Vtrumque extremum vitare conabimur, semper veritati consulentes: quam ut plenè assequamur, in id toto conatu incumbemus, ut ab Angel. Doct. mente nec minimè discēdamus.

DISPUT.

DISPUTATIO PRIMA  
Proœmialis.

OMMUNIUS Doctorum usus, in qualibet scientia petraanda, necessarium esse docet prolegomena quædam præmittere, quibus ipsius disciplinæ, quæ exponenda suscipitur, aliquis notitia comparatur: ne quis (ut inquit Aristot.) Viam, quam ambulare incipit, ignorare videatur. Quatuor ergo, ut sumitur ex eodem Aristot. 2. Post. cap. 1 de qualibet re inquiri possunt, & debent an scilicet sit: quid sit: quia sit, seu qualis sit: & propter quid sit. Quare eadem nos de disciplina, quam aggredimur, præsentī Disputatione discutimus.



## QVÆSTIO PRIMA.

DE NOMINE, EXISTENTIA,  
inventione, & dignitate  
Dialectica.

MINIMA hæc ad quæst. an sit pertinent: & idem simul à nobis petraandatur. Quia ergo, dum de rebus agitur, nomen rationem minimè contemnendam esse monet Plato in Cratilo: non abs re erit exponere, quibus vocabulis disciplina ista significetur. De quo præter Recentiores hic, & initio Topicorum, disputant Alexander, Plato, Alcin. & alij, quos referunt Continbricens. in proœm. Logicæ quæst. 4. art. 1. Duobus igitur vocabulis, ommissis aliis, hæc scientia ab antiquis temporibus appellata est *Logica*, scilicet, & *Dialectica*, quæ licet tempore Aristot. ab ipsoque pro diuersis huius disciplinæ partibus sumpta sint, ut notarunt Aphrodisæus, Auerroes, Marsilius, & Lemosus: iam tamen pro tota hac facultate, quæ methodum disserendi docet, indifferenter usurpantur.

1. Deriuatur nomen Dialecticæ, à verbo Græco *διαλέγομαι*, *dialogomai*: quod licet, apud Ciceronem de natura Deorum significet probaliter disputare; ac proinde pro parte Topica ab Aristot. sæpius usurpetur: tamen apud eundem Aristot. 4. Metaph. c. 4. idem significat, quod sermone uti: imò apud Ciceronem 1. Academ. quæst. pro arte disserendi, tum definiendo, tum diuidendo, tum etiam argumentando usurpatur. Vnde immeritò Aphrodis. 1. Topic. c. 1. ita parri Topicæ hoc nomen attribuit, ut asserat eos, qui ad aliam significationem vocabulum istud traducunt, eo abuti.

Logicæ etiam nomen deriuatur à verbo Græco *λόγος*, *Logos*, quod Latine dicitur, verbum, sermo, ratio, sapientia, definitio, & alia huiusmodi quæ intellectus actus concernunt, ut videri potest apud peritos linguarum, Græcæ. Arque idem scientia, quæ dirigit actus intellectus in quibus proprius inuenitur verbum quàm in ipsis vocibus, ut ex August. notat D. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 1. rectè appellatur *Logica*, à verbo *Logos*, quod significat verbum.

Colleg. Compl. Logica.

2. De significato ergo istorum nominum inquiratur, an sit: utrum scilicet in rerum natura detur res aliqua realis, quæ istis nominibus significetur. Circa quod Doctores communiter duplicem distinguunt Logicam: naturalem aliam, aliam artificialem. Appellant Logicam, naturalem facultatem illam, seu potentiam, qua quisque, etiam agrestis, potest circa res aliquas ratiocinari, diuidere, seu definire: insunt enim nobis à natura quædam semina scientiarum; sicut etiam in naturalibus quædam semina virtutum, teste D. Tho. 1. 2. q. 63. art. 1. Et semen istud, seu initium scientiæ, circa definitiones, diuisiones, &c. appellant Logicam, naturalem.

De hac igitur Logica non potest esse dubium existere in rerum natura: est enim ipse intellectus, prout præhabet quædam Logicæ principia lumine naturali nota; ex quibus quilibet ratiocinari potest: nemo enim est ita rationis expertus, qui nesciat colligere, ex eo quod Petrus ambulat, quod moueatur, & similia: ergo verè datur Logica naturalis. Solum potest esse dubium in modo loquendi; utrum scilicet istud initium Logicæ debeat appellari Logica naturalis: id enim negat Ruuio hic quæst. 1. Sed licet ipse pluri faciat modum loquendi, in hoc tamen parum immorandum est: sic enim loquitur Aristot. 1. Rhetoricorum ad Theodectem caput. 1. sicque communiter loquuntur Doctores: cum pluribus autem loquendum est. ¶ Alia est Logica artificialis, & est habitus, seu facilitas intellectus dirigens illum, ut res perfectè, & sine errore cognoscat. De qua deinceps nobis agendum est.

3. Prima conclusio Concedenda necessariò est scientia, quæ doceat modum sciendi & procedendi in aliis, quæque sit naturaliter acquisibilis: & de facto datur. Conclusio est evidens, & probatur ratione. Quia scibilis est modus aliquis, quo res rectè, & sine errore cognoscantur; sicut scibilis est modus rectè pingendi, pulsandi, &c. ergo sicut est possibilis ars docens modum rectè pingendi, aut pulsandi, etiam erit possibilis scientia docens modum rectè cognoscendi: hanc autem vocamus Logicam; ergo, &c.

Confirmatur: quia natura non deficit in necessariis, maxime in iis, quæ ad intelligendum pertinent, ut potè quæ in supremo rerum gradu collocata sunt: sed Logica est summe necessaria ad rectè intelligendum, ut scilicet sine errore de rebus discutramus, iudicemus, &c. cum enim plures defectus in intelligendo sæpè contingant, necessaria erit intellectui ars aliqua, quæ eius vitia corrigat, iubeatque ad rectè intelligendum; quam appellamus Logicam artificialem: ergo illa est naturaliter acquisibilis.

Ex quo etiam patet posterior pars conclusionis. Quæ rursus demonstratur experientia ipsa: videmus enim eos, qui difficilè, & cum errore discurrebant, postquam certis Logicæ præceptis sunt instructi, faciliè, & sine errore discurrere, & hoc non semel, aut bis; sed permanenter in omnibus suis actibus: ergo datur in intellectu aliqua habitualis facilitas, à quo proveniat ista mutatio: quam patet esse Logicam artificialem.

4. ¶ Circa inventores Dialecticæ certum est eam, sicut & reliquas alias disciplinas Adamo fuisse per reuelationes communicatas, statim ac creatus est: Res enim primis à Deo instituta sunt (inquit D. Thom. 1. p. quæst. 94. art. 3.) non solum ut in se ipsis essent, sed ut essent aliorum principia: & idem producta sunt in

D 3

statim

statu perfectio, in quo possent esse principia aliorum. Homo autem potest esse principium alterius, non solum per generationem corporalem, sed etiam per instructionem, & gubernationem: & idcirco sicut primus homo institutus est in statu perfecto, quantum ad corpus, ut statim posset generare, ita institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere, & gubernare. Non potest autem aliquis instruere nisi habeat scientiam & idem non primus homo sic institutus est à Deo, ut haberet omnium scientias, in quibus natus est instruere.

Ab Adamo ergo ad filios eius scientiæ derivatæ sunt: à filiis ad Noë: inde ad Abrahamum, à quo rationes illæ inter quas vixit scientias didicerunt. Vnde etiam derivatæ sunt ad Chaldaeos: & ab his ad Aegyptios: à quibus ut testatur Eugubinus lib. 1. de Peren. Philosoph. acceperunt Græci inter quos floruit maxime Dialectica. Iniuria tamen temporis ferè deleta est; ut merito, qui eam ad pristinam perfectionem redegerunt, Auctores, & inventores dici possint. Sed de hoc alij.

Licet autem primum Dialecticæ Magistrum fuisse Platonem, referat Diogenes Laërtius lib. 3. de vitis Philosoph. in vita platonis: & ante ipsum imperfectum quoddam Logicæ initium Zeno quidam Eleathes antiquissimus Philosophus tradiderit ut lib. 3. testatur idem Laërtius: alijque aliis philosophis primam huius scientiæ inventionem attribuant: absolute tamen loquendo huius artis inventor censendus est Aristot. tum quia omnes eius partes ad ordinem reduxit: tum quia primum omnium ab aliis scientiis seiunctam tradidit, ut notat Philoppon. initio Priorum: tum denique, quia syllogizandi artem ad methodum reduxit, & mirum in modum auxit; Imò partem Topicam primus invenit.

5. ¶ Maior difficultas est circa modum, quo Logica fuit inventa; videtur enim experientiam non sufficere. Primò: quia experientia, cum sit cognitio accepta ex pluribus particularibus in memoria retentis, ut sumitur ex Arist. 1. Metaphysicæ c. 1. & tradit D. Thom. 2. Poster. lect. 10. est cognitio fallax: sunt enim singularia contingentia, & fallibilia: ergo experientia non potuit esse causa scientiæ, quæ est cognitio necessaria & infallibilis; neque consequenter inventionis illius.

Secundò, quia ad acquirendas perfectè scientias est necessaria Logica ex communi sententia: ergo par ratione ad se ipsam perfectè acquirendam, erit necessaria: ergo cum se ipsam præcedere repugnet, dicendum erit, vel quod Logica non est necessaria ad habendas perfectè scientias, vel quod non fuit inventa experientia, sed per revelationem, vel alio modo denuò habita.

Secunda conclusio. Logica fuit experimento adinventata, ad eum modum, quo aliæ scientiæ inventæ sunt. Quæ non dicuntur experientia acquiri; ita ut observatio huius, aut illius singularis generet habitum scientiæ; hoc enim est impossibile, ut rectè probat ratio dubitandi, sed dicuntur inveniri experientia quia hæc fuit occasio, quare scientiæ invenirentur. Per quem etiam modum inventa est Logica. Videns enim intellectus longa observatione, & ex diuturna reflectione supra suos actus advertens, quod aliquando desinebat, aut dividebat benè; aliquando male; & quod in suis ratiocinationibus aliquando concludebat, aliquando non: motus est ad investigandam causam; & hac inventa virtute Logicæ naturalis, potuit constituere præcepta benè definiendi, dividendi, & argumentandi, sicque paulatim Logicam invenire. Per quod patet responsio ad primam rationem dubitandi.

Ad secundam responderetur, Dialecticam fuisse necessariam ad se ipsam, in quantum Logica naturalis media experientia fuit sufficiens ad inveniendum aliquid de artificiali; quæ pars inventa, simul cum Logica naturali, adiuvit ad inveniendam aliam & sic priores partes iuvare poterunt ad posteriores, donec perfecta esset tota. ¶ Adde logicam Adamo revelatam, & in posteras nationes transmissam non sic periisse, ut nihil eius remaneret: sed proculdubio extabat aliquod ipsius vestigium cum aliis doctrinis permixtum: quod, simul cum experientia & Logica naturali, sufficere potuit, ad aliquam cognitionem perfectiorem acquirendam, & sic deinceps.

6. ¶ De laudibus, & dignitate Dialecticæ congerunt multa Doctores, à quibus consultò abstinemus hoc unico verbo contenti: quod Logica ita sacre Theologiæ famulatur; ut ipsa non solum Catholicæ veritates confirmetur, sed etiam teste Hier. super Ezech. *Quidquid in hoc seculo perverforum dogmatum est, & putatur robustum, hac arte subvertitur: & instar incendi in cineres, favillasque dissolvitur.* Quibus adde vix in sacris literis reperiri librum aliquem, qui non abundet Dialectica. Hac Prophetæ conveniebant Hebræos: hac etiam Apostoli prædicabant. Eminent inter alios Paulus cuius Epistolæ non minus Dialectica, quam Theologia refertæ sunt. De quo videri potest Aug. toto fere lib. 1. contra Crescon. Grammat. sed præcipuè cap. 14. 15. & 16. *Stoici* (inquit Aug. cap. 14. contra illum pro Dialectica disputans) *maximo Dialectici fuerunt, cur Paulus ne conferrent cum illo, non eos denitavit: aut si Paulus Dialecticus erat, & ideo conferre cum Stoicis non timebas: iam cave, ne cuiquam Dialecticam pro crimine obieceris, quia vfos Apostolos confiteris.*

Laudent ergo Dialecticam alij à subtilitate, ab antiquitate alij, alij ab utilitate; nos enim cum eodem August. cap. 17. citato, eam super omnia hanc dignitatem habuisse Dialecticam dicimus, ut non solum Apostoli, sed ipse Christus Dominus dignatus sit esse Dialecticus. Verba August. sunt (loquitur de Iudæis, qui volentes capere Iesum in sermone, interrogaverunt utrum liceret tributum dari Cæsari) *Obsecro te, illi ne fuerunt Dialectici, qui præsens interrogationis insidiis decipiendo superare moliti sunt: an ille potius, qui ex hoc ipso, quod interrogaverunt, veram eorum responsonem prudentia interrogationis eliciens, illud verum, quod ab eo putabant periculosè dici, ipsos compulsi confiteri?* Hæc ideo retulimus, ut perspicatur, quàm sit à pietate alienum Dialecticas subtilitates improbare: quantumque contrà religioso viro consonet earum studium; à quibus ferè omnes Sancti, Apostolique ipsi non fuerunt alieni, quæque Dux noster, & Magister Christus factò commendavit:

7. Quamvis autem his encomiis dignè commendata sit vera, & pietati, ac sanæ doctrinæ concipiendæ nutriendæ, augendæque deserviens Dialectica; ea tamen, quæ vana, & contentiosa est, quæque sophismatibus vera, & quod peius est, pia dogmata obscurantibus, & prava inducentibus incumbit: quomodo Logica Augustini dum Manichæus esset, & Dialectica, ac Philosophia Gentilium Evangelicam doctrinam, & christi iugum detrectantium, non quidem ex ipsius Dialecticæ aut philosophiæ; sed ex prava illorum conditione, & abusu incubebat, vituperio digna, & multis modis à Sanctis patribus improbata invenitur. Vnde Paulus ad Colossenses secundo: *Videte* (inquit) *ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam.* De qua alibi loquens ait: *Scientia inflat, charitas verò adificat.* quæ,

&c



& multa similia, quæ ex Scriptura, & Patribus adduci possent, & consulto omittuntur; non de vera, & solida Dialectica: sed de inani, & inflata, ut Paulus loquitur, exponenda sunt.

Q V Æ S T I O I I.

*Verum obiectum logica sit quid reale, vel rationis.*

**P**remiis iis, quæ ad *an est* Logicæ pertinent, rectus ordo postulat; ut *quid sit* eius inuestigemus. Quod fiet inquirendo essentialem eius definitionem: In qua quidem statuenda, quamvis genus prius quam differentia, nisi aliud obstar, inuestigandum esset: propter quod inquirendum erat, utrum Logica sit scientia (quod genus eius est) priusquam de obiecto, à quo scientiæ differentia sumitur, sermo institueretur; tamen licet ordo sit præposterus, necessariò est commutatus: ita enim scientia ex obiecto dependet; ut eo ignorato, neque verbum quidem de illa fieri possit. Quo modo enim Logicam esse scientiam ostendimus, ex eo quod de suo obiecto proprietates, & passionibus demonstrat: si tale obiectum, proprietates & passionibus ignoramus?

8. Pro tituli ergo intelligentia primò notandum est, illud appellari obiectum, quod potentia, vel habitui obicitur cognoscendum, sumpta denominatione à potentia visiva, cuius obiectum propriè dicitur obicitur: unde translatus est ad significanda omnia illa, circa quæ potentia, vel habitus versantur. Appellatur etiam subiectum: non quia illi inhæreat scientia; sed quia subiicitur prædicatis, quæ de illo in tali scientia demonstrantur. Dicitur etiam materia, non in qua, vel ex qua; sed circa quam potentia, vel habitus versatur, sumpta similitudine ab operationibus artium, quæ circa res externas, & materiæ participes versantur. Itaque hæc nomina *obiectum*, *subiectum*, & *materia*, respectu habituum intellectus pro eodem communiter usurpantur. Respectu verò aliorum habituum, & potentiarum, obiectum licet appelleretur materia; non tamen appellatur subiectum ut de se patet.

Hoc autem obiectum duplex est: vel, ut proprius loquamur, eiusdem integri obiecti duæ sunt partes, alia materialis, & alia formalis. Obiectum, seu pars materialis est id, quod non per se, sed ratione obiecti formalis attingitur, seu consideratur in scientia: obiectum verò, seu pars formalis est id, quod per se, seu ratione sui attingitur, seu consideratur à tali scientia. Vtriusque exemplum cernitur in potentia visiva, cuius obiectum integrum est coloratum, in quo pars materialis, seu obiectum materiale est corpus: quia non per se, sed ratione coloris videtur: color verò est pars, seu obiectum formale, quia per se, & ratione sui percipitur à potentia visiva.

9. In isto autem obiecto formali duo distinguunt communiter Doctores cum Caietan. 1. part. q. 1. art. 3. & 1. Post. cap. 22. nempe rem ipsam, quæ consideratur à scientia, seu attingitur à potentia, quamque appellant rationem formalem *quæ* seu in esse rei, aut obiectum quod: & rationem sub qua talis res attingitur à scientia, vel potentia, quamque appellant rationem formalem *sub qua*, seu in esse scibilis, aut obiectum quo. Vtramque autem hanc rationem esse necessario distinguendam in obiecto cuiuslibet habitus, & ad quid sit necessaria, & unde vtriusque unitas, vel distinctio sumatur, non est præsentis loci examinare, fiet à nobis cum Arist. in libris Posteriorum disput.

19. Quare pro nunc satis erit, id vno, vel altero

exemplo declarare. Etenim in potentia visiva res ipsa quæ est color, & appellatur ratio formalis *quæ*, non potest esse vltima ratio specificativa visus, aliàs, sicut plures sunt species coloris, plures etiam essent species visus, (cuius rationis vim ostendemus loco citato.) Ponenda est ergo aliqua ratio formalis indivisibilis in plures species, (quam appellamus rationem formalem *sub qua*) media qua color ipse attingatur à visu: & à qua vltimò constituatur in esse obiecti specificantis, & determinantis potentiam. Quæ erit, vel lux, ut ait Div. Thom. 1. Posterior. lect. 41. vel idem modus, immutandi potentiam vel aliquid huiusmodi, de quo alibi.

Idem etiam cernere licet in scientia. Nam aliquando res ipsa, quæ est obiectum formale, est vna genericè, ut patet in Arithmetica, cuius obiectum est numerus, sub quo penè infinitæ species continentur. Imò aliquando est vna tantum analogicè, ut patet in ente: quod est subiectum Metaphysicæ: & consequenter de pluribus rebus specie, imò & genere diversis aliquando est vna tantum scientia. Aliquando verò de eadem re, seu de eadem ratione formali quæ, dantur plures scientiæ. Cuius exemplum adducit Div. Thom. 1. parte quæstion. 1. artic. 1. & 1. 2. quæst. 54 artic. 2. ad secundum de hac propositione, *terra est rotunda*, quæ pertinet ad Philosophum naturalem, & ad Astrologum, danturque de illa diversæ demonstrationes. Ergo à ratione formali, quæ, seu ab entitate ipsa obiecti formalis in esse rei non potest sumi unitas, vel distinctio scientiæ: & per consequens aliqua ratio ponenda est, quæ vltimò constituat rem illam, seu res in esse obiecti scibilis. Quam nos cum Caietano congruè appellamus rationem formalem sub qua.

10. Hic autem observandum venit, quoddam licet D. Thom. 2. 2. quæst. 1. artic. 1. solam rationem sub qua appelletur rationem formalem; id autem quod nos vocamus rationem formalem quæ, appelletur ipse sanctus obiectum materiale (quod quidem in rigore loquendo verissimum est: habet enim se ratio quæ ut materia respectu rationis sub qua) nihilominus tamen non improprie Doctores rem illam, quæ per se consideratur in scientia, appellant rationem formalem, ad distinctionem aliarum rerum, quæ respectu illius se habent ut quid materiale, vel quia in se recipiunt talem rationem formalem, vel quia per accidens tractantur in scientia. Quod cernere licet in Geometria, quæ agit de quantitate continua, scilicet lineis, superficiebus, figuris, &c. Si enim quantitas continua, quæ est ratio formalis quæ, comparatur ad rationem formalem sub qua, (quæcumque illa sit, de quo loco citato) habet quidem rationem materiæ, potestque optime cum Div. Thoma appellari obiectum materiale: si verò comparatur ad substantiam, seu corpus, cui quantitas ipsa inhæret, vel ad alia, quæ per accidens tractantur in Geometria: iam habet rationem formæ, potestque rectè appellari obiectum formale. Propter quod quantitas, continua communiter appellatur ratio formalis. *quæ* obiecti Geometriæ: qui modus loquendi (ut cum pluribus loquamur) retinendus est, licet modus loquendi D. Thom. formalior sit. Per quod conciliantur plura Angelici Doctoris testimonia, & expenduntur multa, quæ cum ad rem ipsam pertinere videantur, mature tamen inspecta ad modum loquendi pertinent.

De ratione formali *sub qua* obiecti Logicæ, neque est præsens difficultas, neque aliquid nunc dicendum nobis est: pendet enim ex generali quæstione de scientiarum unitate: pro qua tamen interim videri potest D. Tho. 1. Post. lect. 41. opusc. 70. q. 5. art. 1. & alibi sæpè. De obiecto autem materiali nullum potest esse dubium: siue enim sint operationes intellectus,

sive res ipsæ ( de quo quæst. seq. ) certum est apud omnes esse aliquid reale. Solum ergo remanet difficultas de ratione formali quæ obiecti Logicæ : quam pro nunc obiectum formale appellabimus, ad distinctionem obiecti materialis.

11. Ex dictis intelligentur aliæ obiecti diuisiones, quas communiter tradunt DD. Aliud enim est obiectum adæquatum; aliud inadæquatum. Inadæquatum rursus dividitur in principale, & minus principale: quid autem sit quodlibet ex istis, ex terminis ipsis constat. Obiectum adæquatum solet appellari obiectum attributionis; cuius res conditiones assignant DD. cum D. Thom. sup. prolog. sententiarum art. 4. Prima est, quod contineat omnia, quæ tractantur in scientia; ita ut ad ipsum reuocentur omnia, vel tanquam principia, vel tanquam partes, aut species, vel proprietates eius. Secunda, quod sit id, de quo potissima cura est in tali scientia, & de quo (si aliqua fuerint) tradantur præcepta. Tertia, quod sit id, per quod talis scientia distinguitur à qualibet alia. Quæ conditio intelligenda est iuxta dicta: quod scilicet à ratione formali quæ, seu ab obiecto formali sumatur distinctio, non præcisè, ut est entitas quædam, seu in esse rei; sed ut illi adiungitur ratio formalis, sub qua, à qua constituitur in esse scibilis.

Tandem explicandum est breuiter quid sit ens rationis: nam de ipso disp. seq. latè differemus. Est ergo ens rationis proprietas quædam, seu esse conueniens rebus, non à parte rei, sed ut sunt in intellectu, sicut esse subiectum, prædicatum, genus, aut alia huiusmodi: & generaliter omnes termini secundæ intentionis significant pro formali ens rationis: non enim à parte rei homo est subiectum vel animal genus, &c. sed secundum quod sunt obiectiue in intellectu. Ex quo etiam apparet, quid sit ens reale: est enim, quod habet verum esse à parte rei, & ante intellectus cognitionem. Cum ergo ens prima diuisione diuidatur in ens reale, & rationis: merito in hac quæstione generaliter inquirimus, sub quo ex his membris contineatur obiectum formale Logicæ. In sequenti verò specialiter inuestigabimus, quodnam ens rationis illud sit.

*Refertur cum suis fundamentis sententia asserens hoc obiectum esse aliquid reale.*

### §. I.

12 **V**aldè recepta est his temporibus apud aliquos modernos opinio affirmans obiectum formale Logicæ esse quid reale. Quod non eodem modo explicant: quidam enim asserunt operationes intellectus, prout dispositæ sunt in forma definitionis, diuisionis, & argumentationis esse obiectum Logicæ: adduntque non solum operationes ipsas, sed etiam talem dispositionem definitionis, & argumentationis esse quid reale. Alij verò fortè, quia vident dispositionem istam, etiam in ipsis actibus non esse quid reale: alia via incedunt, asserentes obiectum formale Logicæ integrè intelligi ante talem dispositionem, esseque ipsas operationes intellectus, non prout iam habent illam: sed prout dirigibiles sunt, & ordinabiles media ipsa dispositione modi sciendi.

Pro vnoquoque modo dicendi non adducemus specialiter argumenta: quia communia sunt, quæ contrarij adducunt; neque similiter Auctores: quia antiqui, vel nulli sunt, vel non ita clarè distinguunt: moderni verò non eodem modo loquuntur; imò nunc ad vnum, nunc ad alterum dicendi modum declinare videntur: conueniunt tamen in quæsito quæstionis,

asserentes obiectum formale Logicæ esse quid reale: Pro qua sententia adducunt Platon. dialog. de Iusto; Alcin. de doctrina Platonis cap. 2. Diu. Isidor. libr. 2. Etymolog. Diu. Augustin. 2. de Doctr. Christiana, cap. 37. Boëtium lib. 1. in Topica Ciceronis, Caetan. præfatione in prædicamenta, Canum 9. de locis cap. 1. & alios antiquos: quos tamen si consulas, nihil, vel oppositum inuenies. Ex modernis verò defendunt eam Fonseca 2. Metaphysicæ, capit. 3. quæst. 1. sect. 5. Suarez disput. 1. sect. 4. & disput. 54. in principio, Conimbr. hic qu. 5. artic. 2. Murcia quæst. 2. Hurtad. disput. 1. sect. 4. & nouissimè Chrysostom. Cauero Cisterciens. tract. 1. dis. 1. dub. 2. & Raphaël. de Auerla quæstio. 2. sect. 3.

13. Probatur primò hæc sententia ex D. Thom. initio Poster. ubi inquit: *Ars quædam necessaria est, ut sit directiva ipsius actus rationis, per quam homo in ipso rationis actu ordinatè, faciliter, & sine errore procedat. Et hæc ars est Logica, id est, rationalis scientia: quæ non solum rationalis est ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune: sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam.* Ex quo loco sic formatur argumentum. Logica est directiva operum rationis: ergo versatur circa rationis opera, ut dirigibilia, tanquam circa obiectum.

Confirmatur ex eodem D. Thom. in proœmio Ethicor. ubi docet, quod sicut Philosophia moralis versatur circa operationes voluntatis; sic Logica versatur circa operationes intellectus: sed Philosophia moralis versatur circa operationes voluntatis, ut dirigibiles tanquam circa obiectum, ut ibid. docet Diu. Thom. ergo obiectum Logicæ erunt operationes intellectus, etiam ut dirigibiles.

Secundò probatur euerrendo oppositam sententiam: quia obiectum debet habere aliquam entitatem, ut possit esse scibile: (scibilitas enim, sicut intelligibilitas rei entitatem sequitur: sed ens rationis non habet aliquam talem entitatem, cum neque sit substantia, neque accidens: ergo non potest esse scibile.

Confirmatur primò: quia obiectum debet habere passiones, quas de illo scientia demonstret, ut probat Aristot. 1. Poster. cap. 23. sed isti caret ens rationis: ergo non potest esse obiectum scientiæ. Probatur minor: quia tales passiones non possunt esse reales, ut patet: neque etiam possunt esse rationis; aliàs contingerentur essentialiter sub ente rationis, & de illis essentialiter prædicaretur, quod repugnat cuilibet essentiæ respectu propriarum passionum.

Confirmatur secundò: quia scientia dicit relationem realem ad obiectum tanquam ad propriam mensuram, ut docet Aristot. cap. de relatione: ergo ens rationis non potest esse obiectum alicuius scientiæ. Patet consequentia: quia relatio realis prædicamentalis petit terminum realem.

Tertiò: demonstratio, quam Logica docet conficere, est causa vera, & realis scientiæ quæ est habitus realis: ergo demonstratio etiam pro formali non potest esse ens rationis. Probatur consequentia: quia demonstratio, non solum entitatem actuum, sed etiam ut sunt inter se dispositi, est vere discursus, & causa scientiæ: ergo ut sic est ens reale.

Confirmatur: quia habitus Logicæ concurrunt ad suum actum, non solum secundum id, quod est in illis materiale, sed etiam, & maxime ad illum ordinationem, quam à Logica habent: ergo talis ordinatio non est aliquid rationis. Patet consequentia, quia à causa, & actione reali necessariò procedit effectus realis.

Quartò: quia si obiectum Logicæ esset ens rationis; maxime

maximè quia tractat de genere, specie, subiecto, predicato, & aliis similibus intentionibus: sed esse subiectum, prædicatum, &c. est verum ens reale: ergo Logica non habet pro obiecto ens rationis. Probat minor, quia in hac propositione, *homo est animal*, actus intellectus correspondens illi termino, *homo*, non repræsentat naturam humanam præcisè, sed ut subiicitur animali: ergo non solum repræsentatio hominis; sed modus repræsentandi illum ut id, de quo dicitur animal, est quid reale: ac proinde esse subiectum non est quid rationis, & sic de aliis huiusmodi intentionibus. Plura alia argumenta adducunt Auctores, inter quos videri potest Ioannes Sanchez lib. 1. Logicae q. 17. qui licet asperè loquatur de hac opinione; multa tamen pro ea congerit argumenta.

*Pramittuntur aliqua ad resolutionem quaestionis necessaria.*

## §. II

Pro solutione quaestionis explicare oportet, quid sit Logicam dirigere operationes intellectus, & quid in illis sit dirigibilitas, vel directio: hæc enim omnia inuoluta magnam in hac materia generant confusionem. Ut autem id ex suis principiis deducamus, sciendum est ex D. Thom. 1. 2. q. 54. art. 4. & 100. art. 2. quemlibet habitum; & præcipuè operationum esse perfectionem quandam potentiae: unde quælibet scientia erit perfectio intellectus, perficietque illum; & diriget in ordine ad aliquam cognitionem. Sic videmus Geometriam perficere intellectum, ut rectè cognoscat quantitatem continuam; Arithmetica etiam in ordine ad quantitatem discretam; & sic de aliis scientiis, quarum unaquæque perficit & diriget intellectum in ordine ad cognitionem proprii obiecti. Et sic consequenter intellectus erit dirigibilis per unam scientiam in ordine ad cognitionem unius obiecti: & per aliam in ordine ad cognitionem alterius: atque ita ab una accipiet directionem ut producat actus rectos circa unum obiectum: & ab alia, ut producat actus rectos circa aliud. Itaque rectitudo actus, seu directio illius, quæ est ipsa entitas intrinseca actus, numquam fit ab alia scientia; nisi ab illa, cuius proprium fuerit obiectum talis actus. Quare vniuersaliter loquendo nulla scientia erit directiua intellectus; nisi in ordine ad proprium obiectum: neque intellectus erit alio modo dirigibilis à scientia. Cuius ratio est euidens: quia omnes habitus intellectus simul sumpti perficiunt intellectum in ordine ad obiectum adæquatum illius, scilicet verum. Ex hoc autem obiecto adæquato quilibet habitus, quasi sumit vitam partem, & curat de illa perfecte cognoscenda: ac proinde nullus habitus per se loquendo diriget, & perficit intellectum in ordine ad obiectum alterius habitus; nisi in quantum diriget, & perficit in ordine ad proprium obiectum.

15 Contingit autem obiectum alicuius habitus, verbi gratia, alicuius scientiæ, esse vniuersalius, quam obiecta aliarum scientiarum, quodammodoque continere illa: (non loquimur de ratione sub qua; hæc enim in quolibet scientia semper est diuersa à ratione sub qua alterius) ut patet in Metaphysica, cuius obiectum, scilicet ens, continet sub se obiecta aliarum scientiarum: nam sub ente continentur corpus, quod est obiectum Philosophiæ; numerus qui est obiectum Arithmetici; & sic de aliis. Unde talis scientia, dirigendo intellectum circa proprium obiectum, consequenter diriget illum aliquo modo circa obiecta aliarum scientiarum, quæ continentur sub proprio obiecto. Et propter hoc Metaphysica præscri-

bit obiecta aliis scientiis, omnium earum principia probat, aliasque functiones generales administrat: non quia per se perficiat intellectum in ordine ad obiectum peculiare vniuersaliusque scientiæ; sed quatenus perficit illum in ordine ad proprium obiectum.

Idem proportione similiter contingit in Logica: quæ quia in omni opinione habet obiectum quodammodo continens obiecta aliarum scientiarum, ideo perficiendo intellectum in ordine ad proprium obiectum, dirigit consequenter, & perficit in ordine ad obiecta aliarum. Propter quod Metaphysica, & Logica appellantur scientiæ generales: quia earum obiecta se extendunt ad omnia entia: & ita continent sub se obiecta aliarum scientiarum. Quam Logicæ, & Metaphysicæ similitudinem docuit rectè Arist. 4. Metaph. c. 2. dicens: *Dialectici, & Sophista tandem cum Philosopho subeunt figuram: nam de omnibus disputant, & circa idem genus Sophistica, & Dialectica versantur cum Philosophia.* Quæ verba exponens D. Thom. lect. 4. ait: *Ostendit quomodo Dialectica, & Sophistica cum Philosophia habeant similitudinem, & in quo differant ab ea. Conueniunt autem in hoc, quod Dialectici est considerare de omnibus: hoc autem esse non potest, nisi consideret omnia, secundum quod in alio uno conueniunt: quia vniuersalis scientia unum subiectum est, & vniuersalis artis una est materia, circa quam operatur. Cum igitur omnes res non conueniant, nisi in ente manifestum est, quod Dialectica materia est ens, & ea quæ sunt entis, de quibus etiam Philosophus considerat.*

16 Ex quo iam plura licet inferre. Et primò quidem apparet, quàm longè à veritate erret explicatio istius loci Arist. quam adducunt aliqui ex contrariis: ut probent obiectum Logicæ esse actus intellectus: asserentes sensum Arist. esse, quod sicut Philosophus naturalis agit de actibus intellectus in libris de Animæ ita etià Logica agit de eisdem actibus, licet sub diuersa ratione. Expositio sanè absurda: ibi enim non loquitur Arist. de Philosophia naturali: sed de prima Philosophia, scilicet Metaphysica, quod quilibet etiam indoctus aduerteret, qui textum consuleret.

Secundò etiam apparet obiectum formale Logicæ, debere esse tale quid, quod possit inueniri in omni ente: siquidem materia illius, ut vidimus, est omne ens: sicut propter eandem rationem obiectum formale Metaphysicæ debet esse quid inuentum in omni ente. Duo autem genera prædicatorum inveniuntur in omnibus entibus: alia sunt, quæ conueniunt illis à parte rei, secluso intellectu: & hæc tantum sunt ratio entis, & passionis eius scilicet vnum, verum, bonum, &c. & hæc sunt obiectum formale Metaphysicæ. Alia verò sunt prædicata, quæ conueniunt omnibus entibus per operationem intellectus, ut esse subiectum, prædicatum, genus, speciem, &c. quæ proinde dicuntur secundæ intentiones & intra hoc genus prædicatorum necessariò debet esse obiectum formale Logicæ. Quia autem prædicata primi generis sunt intrinseca, & naturalia omnibus entibus; istæ verò secundæ intentiones extra essentias, naturas illorum, eisque accidentales, & extraneæ: ideo *Metaphysicus* (ait D. Tho. loco cit.) *procedi ex principiis ipsius ad probandum ea, quæ sunt considerata circa communia accidentia entis: Dialecticus autem procedi ad ea considerata ex intentionibus rationis, quæ sunt extraneæ à natura rerum. Et ideo dicitur, quod Dialectica est tentatiua: quia tentare proprium est ex principiis extraneis procedere.*

Tertiò tandem apparet, quod licet utraque hæc scientia dirigat intellectum in ordine ad obiecta aliarum scientiarum modo explicato: quia tamen Logica diriget illum, ut cognoscat omnes res, non secundum sua prædicata realia, sed secundum illa prædicata, quæ adueniunt rebus per operationes intellectus: ideo

Logica

Logica specialiter dicitur dirigere tales operationes : quia nimirum tradendo noticiam harum intentionum , quæ resultant in rebus , ex eo quod intellectus sic , vel sic cognoscat eas , dirigitur ipse intellectus in modo proprio operandi : & sic Logica , quæ has intentiones cognoscit , & inter se ordinat , ut ex eis fiant congrua instrumenta sciendi , tribuit ipsi intellectui modum ; ut de qualibet rectam , absque errore cognitionem consequatur. Et hic est specialis modus , quo Logica dicitur dirigere operationes intellectus.

*Statuitur vera sententia , D. Thom. & quæstio resolvitur.*

### § III.

17. **D**icendum est in hac difficultate obiectum formale Logicæ non esse quid reale , sed ens rationis. Hanc conclusionem intendit Arist. loco citato ex quarto Metaphysicæ , ut ibi explicat D. Th. & est receptissima inter Antiquos : illamque profiteri omnes Thomistas testatur Maius infra citandus. Et certe nullum vidimus ex discipulis D. Th. contrarium asserentem.

Tradit eam Angelicus Doct. lect. 4. sæpè citata his verbis : *Ens est duplex : ens scilicet rationis , & ens natura. Ens autem rationis dicitur proprie de illis intentionibus , quas ratio adinuenit in rebus consideratis , sicut intentio generis , speciei , & similium : quæ quidem non inveniuntur in rerum natura , sed considerationem rationis consequuntur. Et huiusmodi scilicet ens rationis est proprie subiectum Logicæ : huiusmodi autem intentiones intelligibiles entib. natura equiparatur , eo quod omnia entia natura sub consideratione rationis cadunt : & ideo subiectum Logicæ ad omnia se extendit de quibus ens natura predicatur.* Hæc D. Thom. ubi paucis verbis docet quidquid nos in conclusione & discursu docuimus. Quæ verba repetit opusc. 42. c. 2. Videri etiam potest Angelicus Doctor. 1. Post. lect. 20. opusc. 56. opusc. 70. q. 6. art. 1. & 3. & pluribus aliis locis , quæ breuitatis causa omittimus. Diuini Th. sequuntur Caiet. capite de genere , parte 2. Sotus quæst. 5. proœmiali , Nauarrete. 1. par. controuert. 14. §. 10. Arauxo lib. 3. Metaph. qu. 1. art. 1. n. 5. Maius hic lect. 1. q. 13. Sanchez li. 1. qu. 17. & Gallego contr. 8. qui pro hac sententia adducit Auerroem , Auicennam , Albertum , Iabellum , Flandriam , Soncinatem , Herueum , & innumeros alios D. Th. discipulos. Quibus etiam consentiunt Tolet. hic qu. 5. Oña. qu. 1. art. 5. Rubio qu. 6. Salas 1. 2. qu. 54. disput. 7. lect. 2. alij moderni.

18. Probat primò conclusio ratione sup. ex Arist. & D. Tho. ipsinuat. Quia consideratio Logicæ se extendit ad omnia , de quibus ens reale predicatur : in quo assimilatur Metaphysicæ & propterea agit de eisdem prædicamentis , de quibus tractat Metaphysica : ergo considerat omnia illa , sub aliqua vna ratione in eis inuenta. Sed ultra prædicata , seu rationes reales omnibus prædicamentis communes , quæ sunt obiectum Metaphysicæ , nullæ aliæ dantur rationes , seu prædicata , quæ conueniant omnibus entibus , nisi secundæ intentiones , seu prædicata rationis : ergo ratione illarum considerat Logica omnia entia : ac proinde ipsæ erunt obiectum formale eius.

Confirmatur primò quia omne ens reale creatum necessario abstrahit , vel à materia singulari vel sensibili vel intelligibili. Ut enim probat optimè D. Th. opusc. 70. qu. 4. art. 1. alia abstractio non est possibilis , neque possibile est ens reale , quod has abstractiones subterfugiat. Ergo speculatio illius pertinet ad Philosophiam , Mathematicam , vel Metaphysicam : hæc enim diuisio scientiæ speculatiue realis adæquata est , ut ex Aristot. & D. Th. videbimus infra disp. 9. ergo

nullum ens reale potest esse obiectum formale Logicæ.

Dices hoc argumento probari , prædictas scientias tractare de omnibus entibus realibus , non tamen sub omnibus rationibus formalibus , secundum quas possunt considerari. ¶ Sed contrà : quia omne ens reale , secundum quamcumque considerationem cuiuscumque rationis realis , continetur necessario intra aliquam abstractionem ex enumeratis : ergo necessario continebitur sub aliquo ex obiectis dictarum scientiarum : & per consequens nulla alia scientia speculatiua poterit esse de entibus realibus. Logica autem est scientia speculatiua , ut infra ostendemus : ergo non potest habere pro obiecto ens reale.

Confirmatur secundò : quia Logica , Grammatica , & Rhetorica distinguuntur contra scientias reales , & appellantur rationales ; non quia ipsæ non sint veræ qualiter reales ut patet : neque præcisè , quia dirigant rationem , seu intellectum : cum id conueniat omnibus scientiis , ut vidimus , neque quia habeant pro obiecto actus rationis : alias scientia de Anima diceretur rationalis , & non realis : ergo idèd distinguuntur contra scientias reales , & dicuntur rationales , quia earum obiectum est ens rationis , cum tamen aliæ versentur circa ens reale.

19. Secundò probatur conclusio quia ens rationis , & non ens reali conueniunt tres illæ conditiones obiecti supra n. 1. assignatæ ex D. Th. ergo obiectum Logicæ est ens rationis. Probat antecedens discurrendo per singulas : quia ens rationis prædicatur ferè de omnibus , quæ in tota logica tractantur ; aliæque ad ipsum reducuntur , vel tanquam partes , vel principia , aut species , &c. quod tamen de nullo ente reali verificari videmus : ergo enti rationis conuenit prima conditio obiecti. Maior patet quia hæ sunt veræ prædicationes , vniuersale est ens rationis : genus , species , differentia , &c. sunt ens rationis : vniuersum , analogum , prædicamentum , propositio , equipollentia , antecedens , introductio , syllogismus , figura , &c. sunt entia rationis. Neque præter istas , & similes intentiones aliquid aliud tractatur in Logica , quod per se pertineat ad ipsam : nam de substantia , quantitate , qualitate , aut aliis prædicamentis extra controuersiam est non pertinere ad Logicam , secundum quod sunt partes entis realis : sic enim de illis agit Metaphysica ; sed secundum quod in eis attenditur subiectibilitas , & prædicabilitas , aut ratio generis & speciei. De intellectu autem , & eius actibus solum tractatur in Logica , secundum quod sunt principia , & causæ ex quibus dicuntur intentiones resultant , patet quando inquirimus , utrum solus intellectus faciat ens rationis ; per quem actum illud fiat : & an vniuersalitas resultet in natura per abstractionem vel comparisonem intellectus : neque aliæ quæstiones , nisi his similes mouentur in Logica de actibus intellectus. Vbi ergo in tota Logica tractatur de ente reali tanquam de obiecto.

Respondebis fortè omnia ista tractari in Logica in ordine ad actus intellectus. ¶ Sed contra est : quia solutio præmitti posset si in Logica præcipua cura esset de actibus intellectus ( quæ est secunda conditio ) vel de eis aliqua peculiaris disputatio , aut liber institueretur ab Arist. aut de aliquibus in Logica prædicarentur actus intellectus ; de istis verò intentionibus obiter in ea disputaretur. Sed tamen omnia è contrariò videmus euenire : nullus enim Logicus talem disputationem , vel librum de actibus intellectus instituit : cum tamen omnes ex professo pertractent de istis intentionibus. Imò Auctores contrarij se ipsos destruunt : quomodo enim easdem quæstiones , ac nos pertractant , eosdem libros Arist. interpretantur : si in obiecto , de quo principalis cura debet esse in disciplina , à nobis valdè dissentiant , Qui enim obiectum Geometriæ

Geometrix assereret esse numerum : tradendo suam Geometriam , non deberet pertractare de magnitudinibus, ligneis, superficiebus, figuris, &c. sed de numero eius speciebus, & proportionibus : nam se ipsum destrueret quia mutando obiectum Geometrix, non mutaret quæstiones eius ut patet. At magis distans ens rationis, & ens reale, quam numerus, & magnitudo : ergo magis se ipsum destruit, qui asserendo obiectum Logicæ esse ens reale, in ea tamen tradenda omnes quæstiones mouet de entibus rationis. ¶ Adde, quod ut in prima ratione vidimus per ens rationis, & non per ens reale distinguitur Logica à scientiis realibus ( quæ est tertia conditio ) ergo in ente rationis, & non in ente reali inveniuntur conditiones obiecti respectu Logicæ.

10. Tertiò tandem probatur conclusio : quia in qualibet scientia dantur aliqua prima principia propria obiecti illius scientiæ, à quibus procedit ad conclusiones de obiecto demonstrandas, & in quæ tandem easdem conclusiones resoluit : unde si obiectum est ens reale, necessariò principia debent etiam esse quid reale : sunt enim vel partes intrinsecæ obiecti ut materia, & forma in Philosophia : punctum, & unitas in Mathematicis : vel essentia ipsius obiecti, ut essentia entis in Metaphysica : vel causæ reales illius : quæ omnia, ut constat, repugnant esse quid rationis, si obiectum est ens reale : sed Logica non habet aliqua prima principia realia, ex quibus procedat ad conclusiones de suo obiecto demonstrandas : ergo eius obiectum non potest esse ens reale. Maior, & consequentia constant : minor verò est expressa D. Thom. opusc. 70. q. 6. art. 1. & probatur quia in omni opinione tota ars syllogistica innititur duobus illis principiis, *dicti de omni*, & *dicti de nullo* : vel illis, *quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, & *quæcumque sunt eadem inter se, distinguuntur ab uno tertio*. Similiter ars definiendi, & diuidendi innititur intentionibus generis, differentiæ, speciei, & similibus quæ omnia constat esse entia rationis ergo principia, ex quibus procedit Logica, sunt intentiones rationis, per consequens eius obiectum.

Confirmatur, quia aliàs Logica esset nobilior, quàm Mathematica ; si illius obiectum essent actus intellectus : imò quodammodò esset nobilior Philosophia ; cum actus intellectus magis abstrahant à materia, quàm corpus, & sint quid spirituale. Quod tamen falsum est, & contra Arist. qu. 6. Metaphys. c. 1. ubi Mathematicam, & Philosophiam enumerat, ut partes principales scientiæ speculatiuæ, non autem Logicam : nulla alia ratione, ut ait D. Thom. opusc. citato q. 5. art. 1. ad 2. nisi quia est instrumentum earum, neque omninò propter se ipsam queritur. Quod tamen non esset, si obiectum Logicæ esset aliquod ens reale, ut de se patet. ¶ Quam Logicæ ignobilitatem colligit D. Thom. opusc. 56. ex eo ; quod eius obiectum sit ens rationis his verbis : *Inter omnia subiecta scientiarum debilissimum, & incertissimum est subiectum Logicæ : quia unumquodque quantum habet de entitate, tantum habet de veritate, & certitudine ; ut dicit Arist. 2. Metaphysica, Nunc autem secunda intentiones solum habent esse in animal. & ab animal. Ex quo sequitur, quod habent debilissimum esse : & sic ad plenum sciri non possunt, nisi per primas intentiones*. Plures aliæ rationes videri possunt in Doctoribus supra citatis.

12. Ex dictis facilè destruitur opposita sententia quoad utrumque modum dicendi. Imprimis enim materia propria, & immediata in qua recipitur obiectum formale Logicæ, non sunt actus intellectus ; sed res ipsæ, & entia, ut vidimus ex Diuo Thoma tres enim propriè dicuntur & sunt genus, species, definitio, syllogismus, &c. Id autem solum conuenit actibus

intellectus secundum quid & in representando ; dicuntur enim definitio : quia repræsentant definitionem, & sic de aliis. Unde ipsæ intentiones obiectiuæ, seu modus sciendi obiectiuus, & non mentalis pertinet immediatè, & simpliciter ad obiectum formale Logicæ. Quare, licet repræsentatio ex parte intellectus sit quid reale, de quo non dubitamus ; tamen esse quod in rebus resultat per talem repræsentationem, est quid rationis : imò ordo ipsorum actuum inter se, ut constituent definitionem, propositionem, aut syllogismum, est quid rationis, ut ex D. Th. in resolutione ad secundum manifestè constabit.

Id verò quod aiebat secundus modus dicendi in prædicta opinione, nulla nititur probabilitate. Actus enim, ut dirigibiles solum important potentiam passiuam, ut dirigantur : unde ad summum possent esse obiectum materiale. Neque de dirigibilitate ipsa actuum agit Logica, sed de instrumentis mediis quibus diriguntur, ut sunt definitio, diuisio, & aliæ intentiones, ut explicatum est.

#### ARGUMENTIS PRO CONTRARIA sententia factis respondetur.

##### §. IV.

22. AD primam ex auctoritate D. Th. dicimus imprimis nullum ibi esse verbum, quod indicet sanctum Doctorem loqui de obiecto formali, præterquam quod loquitur manifestè de fine remoto, seu ultimo Logicæ, ut ex verbis antecedentibus constat. Appellatur autem ibi à D. Th. actus intellectus materia propria Logicæ seu obiectum causaliter : quia scilicet causant obiectum Logicæ. Quod plarè colligitur ex contextu ; exemplis quæ ibi adducit, subdit enim : *Sicut igitur ex hoc, quod ratio de actu manus ratiocinetur, adinuenta est ars adificatoria, vel fabrilis : per quas homo facilius, & ordinariè huius actus exercere potest, eadem ratione ars quadam necessaria est qua sit directiua ipsius actus rationis, &c.* aliud enim est ; quod ars ædificatoria sit inuenta ad dirigendas actiones manus, & Logica ad dirigendas operationes rationis : aliud verò quod obiectum ædificatoris sint actiones manus ut dirigibiles, & obiectum Logicæ operationes intellectus ut dirigibiles. Primum quidem verissimum est : secundum autem omnino falsum : nullus enim dixit obiectum ædificatoris esse actiones manus ut dirigibiles ; sed ædificium ipsum coalescens ex illa dispositione artificiali tanquam ex forma, & ex lapidibus, & lignis tanquam ex materia : actiones autem manus sunt effectiões ( ut ita dicamus ) & causæ ipsius ædificij : ergo pari ratione asserendum non est operationes intellectus, ut dirigibiles, esse obiectum Logicæ ; sed secundas intentiones, quæ componuntur tanquam ex forma ex illo esse rationis, quod resultat in rebus per operationes intellectus, & rebus ipsis tanquam ex materia : operationes autem ipsæ solum erunt affectiões, & causæ ipsarum intentionum, quæ sunt obiectum Logicæ. Ex quo non solum remanet clara mens D. Th. sed verba eius in ipsos contrarios efficaciter retorquerentur, & accuratè ponderatà totam hanc difficultatem elucidant.

23. Ad confirmationem respondetur ibi Sanctum Doctorem perspicuis verbis docere nostram sententiam : ut enim scientias distinguat, quadruplicem distinguit ordinem dicens : *Alius est ordo, quem ratio non facit : sed solum considerat sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu : puta cum ordinat conceptus suos ad inuicem : & signa conceptum, quæ sunt voces significatiuæ. Tertius autem*



*ut in, &c.* Et post pauca, secundum hos diversos ordines sunt diuersa scientia. Nam ad Philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum; quem ratio considerat, sed non facit. Ordo autem, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem Philosophiam (scilicet Logicam) cuius est considerare ordinem partium orationis ad inuicem, ordinem principiorum ad inuicem, & ad conclusiones. Ex quibus D. Tho. verbis non videmus quomodo inferri possit obiectum Logicæ esse ens reale: cum potius dicat proprium esse Logicæ considerare ordinem quandam, quem intellectus facit in proprio actu quem habent partes orationis ad inuicem, & principia ad inuicem & ad conclusiones: qui manifestè est ens rationis, cum sit factus, seu factus à ratione.

Ad paritatem autem, quæ ibi adducitur de Philosophia morali responderetur verum esse, quod vtræque assimilatur in fine: hæc enim intendit dirigere voluntatem, sicut Logica intellectum. Differunt tamen in conditione, & modo finis, & per consequens in obiecto: nam Philosophia morali intendit, non solum rectitudinem accidentalem actuum voluntatis, quæ sumitur ex circumstantiis: sed etiam & maxime rectitudinem substantialem eorum, quæ sumuntur ex obiecto: & sic obiectum Philosophiæ morali est ipse actus directus seu operatio humana ordinata in finem, ut ibidem asserit D. Th. At verò Logica non præstat intellectui rectitudinem substantialem (ut ita dicamus) in ordine ad res quoad suas intrinsecas entitates cognoscendas; hoc enim faciunt aliæ scientiæ, sed solū quandam rectitudinem in ordine ad cognoscendas res quoad aliquid intrinsecum, nempe quoad ordinationem, & dispositionem earum in forma modi sciendi; quæ, ut vidimus, quid extrinsecum, & rationis est. Et sic patet, quod licet obiectum Philosophiæ morali sit quid reale obiectum tamen Logicæ est ens rationis.

24. Ad secundum responderetur, ens rationis, eo modo quo est, habere entitatem, & scibilitatem. Quare sicut habet entitatem ad modum entis realis: ita scibile est ad modum illius. Neque ex hoc sequitur ipsum per accidens esse scibile: sicut enim eius essentia consistit in hoc, quod cognoscatur ad modum entis realis; sic per se conuenit illi, quod sciatur ad modum alterius. ¶ Adde: quod, ut bene explicat Arauxo lib. 2. Metaph. artic. 2. num. 12. cum genus entis, & genus scibilis valde diuersa sint, hocque quasi materialiter tantum ad illud præsupponatur: quamuis ratio entis non possit dici simpliciter de ente rationis; tamen ratio scibilis potest illi per se, & simpliciter conuenire. Cuius exemplum cernitur in Mathematicis, & Philosophia, quarum obiecta, scilicet quantitas, & substantia corporea, quamuis analogicè conueniant in ratione entis; simpliciter tamen participant rationem scibilis, & sic ipsæ vniuocè conueniunt in ratione scientiæ. Videatur Arauxo loco citato.

Ad primam confirmationem negatur minor, ad cuius probationem responderetur ens rationis habere etiam suas passiones, ut infra constabit: de quibus propter transcendentiam prædicatur ipsum ens rationis. Sed non idèò continentur essentialiter sub illo, ut patet de passionibus entis realis: de quibus licet propter transcendentiam prædicetur ens reale; non tamen continentur essentialiter sub eo: sed vtrumque genus passionum conuertitur cum propria essentia.

Ad secundam confirmationem varias solutiones adducunt Sanchez, & Arauxo ubi supra: Maius verò responder, quod licet ex parte obiecti, quando est ens rationis non sit relatio realis ad scientiam, tamen ex parte scientiæ bene potest esse relatio realis ad ipsum. ¶ Hæc tamen solutio falsa est, & contra D. Thom. 2. dist. 28. quæst. 2. artic. 1. vbi docet entis ad

non ens non posse esse relationem realem: quia hæc exigit vtrumque extremorum in actu. Iuxta quam doctrinam responderetur ad confirmationem, quod scientia; quæ terminatur ad ens reale dicit relationem realem: non verò, quæ habet pro obiecto ens rationis.

25. Ad tertium responderetur, quod scientia, cum sit habitus acquisitus, generatur ex actibus circa obiectum illius. Vnde si demonstrationem sumamus pro actu discursus, vel pro iudiciis; verè demonstratio generat scientiam: si verò demonstrationem formaliter sumamus pro secunda intentione, vel pro aggregato secundarum intentionum, quæ in illa reperiuntur: sic demonstratio pro formali non est causa realis scientiæ. Neque ex eo, quod inter ipsos actus requiratur talis ordo, aut dispositio; ut generent scientiam: idèò ordo ille debet esse realis: iste enim non est forma constitutiva actuum in esse causæ scientiæ: sed tantum conditio sine qua non. Non autem repugnat aliquod ens rationis interdum esse conditionem alicuius causæ realis. Quod in aliquo saltem casu admittendum est à contrariis: nam in sacramentis nouæ legis significatio est quid rationis, & tamen iuxta probabilissimam sententiam verè est conditio, sine qua non causarent realiter gratiam. Et, quod certius est, voces significatiue verè, realiter causant in aditu species intentionales rerum, quas significant; cum tamen significatio, sine qua tales species non causarent, sit quid rationis resultans in illis ex impositione humana.

Quæ autem sit ratio huius doctrinæ, non est presentis loci examinare. Fortè talis dependentia, quia effectus realis dependet tanquam à conditione ab aliquo esse rationis, reducitur vltimò in aliquam causam seu conditionem realem, ex qua resultat illud esse rationis. Et ut omittamus exempla, in quorum saltem primo aliter philosophandum est: in nostro casu, cum scientia sit effectus realis producendus in ipso intellectu per actum discursus, qui essentialiter requirit alios actus antecedentes, quibus termini & propositiones cognoscantur: non est mirum, quod ut producarur in ipso intellectu aliquis effectus realis per talem actum subsequenter, necessarium sit per præcedentes actus sic terminos, & propositiones cognosci; ut resultet in illis talis dispositio, seu ordo rationis. Qui consequenter idèò est necessarius, ut generetur scientia: quia ad eam prærequiritur talis, vel talis cognitio obiecti, quæ realis est: atque ita dependentia quam habet scientia ab illo esse rationis tanquam à conditione, vltimò refunditur in aliquam causam: seu conditionem realem.

Ad confirmationem responderetur, habitum Logicæ simul cum intellectu per se procedere entitatem realem suorum actuum; ad quam tamen per resultantiam sequitur dispositio illa rationis. Per quem modum omnes aliæ secundæ intentiones resultant, in rebus ex actibus intellectus, ut generaliter de omnibus entibus rationis dicemus disputat. sequenti.

Ad quartum responderetur absurdum esse, quod esse prædicatum, subiectum, genus, &c. sint quid reale: nam quamuis in actu intellectus, qui representat hominem, ut subiicitur animali, ipsa representatio, & actus sunt quid reale: non idèò in homine, est quid reale subiici animali sed secunda intentio.

Et ab huiusmodi intentionibus res denominantur genus, prædicatum, & cætera, ac proinde nomina ista significant pro formali ens rationis.

esse obiectum Logicæ: neque aliquis Thomistarum oppositum asserit: perspicue enim explicat Diuus Thomas, dicens locis citatis intentiones rationis esse obiectum Logicæ. Quod etiam ratione conuincitur: nam de chimera, priuatione, aut negatione nihil agitur in Logica: neque cognitio eorum potest ad ipsius finem conducere. Imò non de omni relatione rationis agit: neque enim considerat relationem dextri, & sinistri quam habet columna; neque relationem similitudinis, quam personæ diuinæ dicunt ratione essentia; neque etiam relationes quibus Deus refertur ad creaturas, & similes; quæ tamen sunt relationes rationis. Solum ergo in Logica agitur de quibusdam relationibus rationis, quæ appellantur secundæ intentiones: ut sunt genus, species, propositio, argumentatio, &c. De quibus est difficultas, quæ eorum sint obiectum formale Logicæ.

Relictis Nominalibus, qui in hac quæst. sicut in reliquis, omnia ad voces reducunt: ceteri omnes Doctores, qui obiectum Logicæ asserunt esse secundas intentiones in rebus fundatas, solum dissentiant in eo, quod tale obiectum magis, vel minus extendunt.

Quamuis enim omnes concedant ad considerationem Logicam per se pertinere intentiones generis, propositionis, diuisionis, syllogismi, demonstrationis, & similes: quia tamen vident aliquas istarum ordinari ad alias: & hoc diuerso modo: magis enim propositio ordinatur ad argumentationem, ut genus ad definitionem, quam definitio ad propositionem, aut argumentatio ad diuisionem, &c. idè diuisi sunt magis, vel minus restringentes obiectum formale Logicæ.

27. Prima ergo sententia solam demonstrationem asserit esse obiectum formale Logicæ. Pro qua referuntur Alexand. Ammonius, Simplicius, & alij Græci. Potestque suaderi: quia demonstratio est finis, in quem Logica tendit, ordinatque cetera, quæ in ea tractantur, neque quiescit donec demonstrationis explicet naturam: ergo ipsa est obiectum formale eius.

Secundò alij dicunt syllogismum esse obiectum Logicæ. De quorum numero est Scotus hic quæstione tercia.

¶ Alij verò extendunt ad omnem argumentationem. Pro qua opinione citantur Beatus Albertus, Aui-cena, Louanienles, & alij. Potestque uterque modus dicendi probari ex Arist. qui de definitione, aut diuisione ex professo non egit, sed solum de argumentatione, aut syllogismo. Et sic cap. vltimo, secundi Elenchorum, de syllogismis se doctrinam tradidisse confitetur: ergo solus syllogismus, aut argumentatio erunt obiectum Logicæ.

Ceterum hi omnes modi dicendi falsi sunt. Nam ut alias intentiones Logicales omittamus, quibus commune est esse veritatis ostensivas, saltem de definitione, & diuisione negari, non potest, verè esse instrumenta sciendi, & ignotum manifestare independentè ab argumentatione, aut demonstratione. Propter quod etiam de illis probantur in Logica plures passion-nes: ergo per se clauduntur sub obiecto formali illius.

28 Propius ad veritatem accedit opinio asserens modum sciendi, prout comprehendit definitionem, diuisionem, & argumentationem, esse obiectum adæ-quatum Logicæ: alias verò intentiones non immediatè contineri sub illo; sed reduci ad hæc tria instrumenta; Sic indicat Maius qu. 14 citata, quem plures alij sequuntur.

Fundamentum est: quia ad hæc tria instrumenta, seu ad has tres intentiones rationis commodè reduci possunt omnes alia: nam intentiones simplices, quales sunt intentio generis, speciei, & similes, deserviunt definitioni, & diuisioni: aliæ verò omnes argumentationis:

Colleg. Compl. Logica.

ergo hæc tria instrumenta, seu modus sciendi prout comprehendit illa, erit obiectum adæquatum Logicæ.

Confirmatur: quia finis Logicæ est iuuare intellectum, ut de qualibet re scientiam habere possit, sed his tribus instrumentis sufficienter obtinetur talis finis: ergo solum illa pertinent ad obiectum adæ-quatum.

Probat minor: quia tria possumus de qualibet re ignorare, scilicet essentiam, partes eius, & passion-nes: sed essentiam aperit definitio, partes, diuisio: passion-nes verò argumentatio: ergo hæc tria instrumenta tantum per se, & immediatè pertinent ad obiectum adæquatum: ceteræ verò intentiones non per se, & primariò, sed mediantibus istis, & ratione illarum tractabuntur in Logica.

29 Pro veritatis ergo explicatione considerare oportet quid nomine modi sciendi propriè significatur: quoniam propter huius inconsiderationem multa passim inveniuntur apud Auctores, quæ materiam istam magis confundere, quam iuuare solent. Quod perspicimus faciliè si terminos ipsos attendamus. Nam modus sciendi idem sonat, ac modus rectè & sine errore intelligendi, seu norma, & via quæ ducit, & iuuat, ut rectè, & faciliè acquiratur scientia. Sicut enim in qualibet arte dantur aliqui modi, ad rectè, & breuiter faciendum artefactum: ut modus rectè conficiendi cathedram, qui erit talis dispositio, & applicatio artis ad materiam, ex qua faciliè resultat cathedra: ita modus sciendi erit norma quædam seu modus disponendi res, & taliter applicandi ad intellectum, ut faciliè de ipsis veram assequatur scientiam.

Sicut autem exemplo artis, non solum appellatur modus faciendi, illa dispositio vltima, seu applicatio materię, ex qua immediatè resultat artefactum: sed ad quamlibet partem artefacti seorsim faciendam, datur etiam modus, quo rectè, & faciliè talis pars, etiam si minutissima sit, efficiatur: ita similiter in scientiis, non solum dispositio illa rerum, quæ fit in demonstratione, ex qua immediatè resultat cognitio scientifica, appellatur modus sciendi, sed etiam quælibet pars illius dispositionis, seu quælibet intentio quomodo-cumque conducat ad demonstrationem, participat suo modo rationem modi sciendi.

Imò id etiam vtrunque conuenit intentionibus, quæ fundantur in vocibus: nam talis, vel talis modus significandi, talis, vel talis applicatio, suppositio; aut ampliatio vocum suo modo conducunt, & iuuant, ut de rebus breuiter, & absque errore scientia compareretur.

30 Ex quo patet, quòd si modus sciendi strictissimè sumatur pro illa vltima dispositione, & applicatione rerum in tali forma, ad quam sequitur immediatè cognitio scientifica: sic sola demonstratio potest appellari modus sciendi, prout illam appellauit Arist. 1. Posteriorum, cap. 3.

Si verò modus sciendi sumatur secundum omnem extensionem, quam potest habere, omnes secundæ intentiones, de quibus Logica tractat, possunt rectè appellari modus sciendi, siquidem omnes illæ sunt alii, quo modo veritatis ostensivæ, iunantque, & conducunt, ut de rebus acquiratur scientia: quod proprium est intentionum logicalium, & per quod ens rationis logicum differt ab entibus rationis quæ considerant Grammatica, & Rhetorica.

Sed quia (ut in exèplo adducto persistamus) non ita cernitur modus rectè operandi in qualibet minutissima parte artefacti efficienda: & ex alia parte non solà applicatio vltima, & dispositio materię, ex qua immediatè resultat artefactum, appellatur modus faciendi: sed id etiam cernitur in principaliorib. partib. illius efficiendis.

E Eadem

Eadem proportionem communiter Doctores nomen modi sciendi non extendunt ad omnes secundas intentiones, neque restringunt ad solam demonstrationem; sed tribuunt illud quibusdam principalioribus intentionibus, scilicet definitioni, diuisioni, & argumentationi: quia sunt generalia quædam instrumenta sciendi, illisque speciali, & perfectiori modo conuenit esse veritatis ostensiuas, scilicet manifestando ignotum, quod non habent aliæ intentiones Logicales. In quo sensu modus sciendi rectè diuiditur in definitionem, diuisionem, & argumentationem. Id tamen non tollit quominus nomen modi sciendi latius usurpatum rectè applicetur aliis intentionibus logicalibus: quia, licet aliæ proximius, aliæ remotius; omnes tamen conducunt ad acquirendam scientiam. In quo sensu Aristotel. 1. Metaph. cap. ultimo Methodum, seu modum procedendi in tradendis scientiis appellauit modum sciendi: cum tamen Methodus (de qua ad calcem huius disputationis) non sit definitio, diuisio & argumentatio.

31. Prima conclusio. Ens rationis Logicum, siue secunda intentio, quæ est veritatis ostensiuæ, vel modus sciendi latè sumptus, prout comprehendit omnes secundas intentiones Logicales, etiam eas quæ fundantur vocibus, est obiectum adæquatum, seu ratio formalis *quæ* obiecti Logicæ, licet intentiones quæ fundantur in rebus, primariò, & principaliter illæ verò, quæ fundantur in vocibus secundariò, & minùs principaliter; omnes tamen per se, & per accidens pertinent ad obiectum adæquatum Logicæ; Hæc conclusio quoad vtramque partem est frequens in Schola D. Thomæ. Illam tenent Sorus, Sanchez, & Arauxo suprà num. 17. citati.

Et ab hac posteriori parte incipiendo docet eam expressè D. Th. 1. Periherm. lect. 2. dicens: *sed quia Logica ordinatur ad cognitionem de rebus sumendam: significatio vocum, quæ est immediata ipsis conceptibus intellectus, pertinet ad principalem considerationem ipsius.* Ratioque est manifesta: quia notitia harum intentionum, quæ fundantur in vocibus, vt sunt significatio, suppositio, & appellatio, & similes summo perè iuuat, vt de qualibet re rectè, & sine errore notitia comparetur: ergò tales intentiones sunt etiam veritatis ostensiuæ, & per se conducunt ad dirigendas operationes intellectus, qui est finis Dialecticæ: & ex consequenti continentur sub obiecto adæquato eius.

Sic videmus, Arist. in lib. Periherm. iam ex professo de vocibus disputare: quod etiam præstat in libris de Analyti; sed præcipuè in libris Topicorum, & Elencorum, vbi latè disputat de vocum significatione, suppositione, amphibologia, & similibus intentionibus, ex quibus captiones, seu fallaciæ generantur.

32. Prior autem pars conclusionis probatur 1. quia nunquam D. Thomas obiectum Logicæ restrinxit ad modum sciendi, prout tantùm comprehendit definitionem, diuisionem, & argumentationem: sed indistinctè intentiones omnes Logicales assignat pro obiecto Logicæ, vt patet ex locis suprà n. 17. citatis, vbi expressè dicit intentiones generis, speciei, prædicati, enunciationis, & similes esse propriè obiectum Logicæ: ergò ex mente D. Th. istæ omnes verè continentur sub illo.

Secundò probatur ab inconuenienti; quia si semel admittimus in obiectis partialibus alicuius scientiæ, quemlibet ordinem vnius ad aliud excludere cum qui sic ordinatur à ratione propria, & immediata obiecti: iam in qualibet scientia obiectum principale esset adæquatum: possemusque dicere Deum, aut intelligentias esse obiectum adæquatum Metaphysicæ, & hominem Philosophiæ naturalis: si

quidem quæ tractantur in Metaphysica, dicunt ordinem ad Deum, qui est primum ens, & quæ in Philosophia, ad hominem qui est præcipua substantia materialis: ergò licet intentio generis v. g. deferuiat definitioni, & intentio prædicati propositioni, & hæc argumentationi; non idè intentiones istæ debent excludi ab obiecto per se, & immediato Logicæ.

Tertiò tandem id satis liquet ex eo, quòd modus sciendi, prout comprehendit definitionem, diuisionem, & argumentationem, non est ratio sub qua obiecti Logicæ, vt falsò aliqui existimant.

Nam vt ostendimus in lib. Posteriorum prima principia, ex quibus vnaquæque scientia demonstrat, sunt ratio *sub qua* obiecti eius. Rationi autem formali *quæ* non obest quælibet multiplicitas, & diuersitas inter obiecta partialia, vt ibidem dicemus, & probat Aristot. 4. Metaph. cap. 2. dum tamen habeant aliquam vnitatem, saltem analogam, & immediatè recipient rationem *sub qua*: ergò sicut propter eandem rationem formalem *quæ* obiecti philosophiæ naturalis per se, & immediatè pertinent res diuersissimæ, scilicet cœli elementa, metalla, plantæ, animalia, & homo: pari ratione intentiones omnes Logicales per se, & immediatè continebuntur sub ratione formali *quæ* obiecti Logicæ.

33. Secunda conclusio. Obiectum materiale Logicæ sunt res, & voces secundum suum esse reale, cum ea proportionem, quia de obiecto formali statutum est in prima conclusione. Actus verò intellectus non sunt materia, quæ denominatur à secundis intentionibus: sed quasi principia, & causæ illarum. Possunt tamen appellari obiectum materiale Logicæ: quia de illis agit, non ratione sui, sed propter secundas intentiones.

Hanc conclusionem sic propositam tradit Magister hic lect. 1. qu. 13. estque satis ex dictis manifesta. Nam quod res omnes, seu ens sit materia propria, seu obiectum materiale Logicæ, qu. præcedenti vidimus ex D. Thoma. Quod etiam manifesta ratio conuincit: nam res sunt, quæ propriè denominantur genus, subiectum, definitio, &c.

De vocibus autem conclusione 1. vidimus rationem significationis, & aliarum intentionum per se pertinere ad obiectum Logicæ: ergo entitas realis vocis, supra quam fundantur tales intentiones, erit obiectum materiale, licet minus principale, quàm res, vt per se patet.

De actibus verò intellectus etiam constat ex dictis non esse propriam materiam obiecti Logicæ; nisi quatenus induunt rationem rerum. Quod etiam ratione conuincitur, quia actus, vt actus sunt non recipiunt in se secundas intentiones, neque denominantur genus, definitio, &c. nisi tantùm in representando, vt explicatum est supra. Agit tamen de illis Logica propter secundas intentiones, quatenus scilicet sunt principia, & causæ illarum: in quo sensu appellantur obiectum materiale. Relinquitur ergò planè nostra conclusio.

34. Ex dictis inferitur demonstrationem esse obiectum principale Logicæ: siquidem huc dirigitur præcipua cura illius: ipsaque est perfectissimus modus seu instrumentum sciendi. Et hoc tantum probat ratio, quam adducebamus pro prima opinione, & sic ad illam patet solutio.

Ad rationem autem pro secunda sententia responderetur, quòd quamuis Aristot. ex professo non egerit de definitione, aut diuisione: hoc tamen non est, quia non contineantur sub obiecto Logicæ, sed vel, quia de definitione iam egerat Socrat. qui fuit primus Auctor methodi definiendi, vt inquit, ipse Aristot. 1. Metaph. cap. de diuisione verò Plato, vt restantur

testantur graves Auctores : ac ars syllogistica vel nulla erat, vel ea exigua, & sic eam Arist. suscepit ex professo explicandam. Vel forte quia, ut inquit Laërtius, lib. 5. in vita Arist. ipse de definitione, diuisione non nulla ediderat volumina; quæ tamen iniuria temporis perierunt: de quo videri potest Franciscus Patritius lib. 5. discussionum Peripateticarum. Imò cum Arist. ( si vera refert idem Laërtius ) de Logica scripserit 150. libros, fortè de aliis intentionibus logicilibus ex professo disputauit.

35. Ad fundamentum vltimæ sententiæ respondetur, quod licet ad definitionem, diuisionem, & argumentationem omnes intentiones logicæ reduci possint; id non tollit, quominus immediatè contineantur sub obiecto adæquato Logicæ: quia omnes illæ immediatè participant rationem sub qua, suntque scibiles, non solum ut sunt in definitione, diuisione, & argumentatione; sed etiam in seipsis. Ut à simili cernitur in aliis scientiis. Quamuis enim omnia entia naturalia ad duo genera, corruptibile scilicet, & incorruptibile reduci possint hoc non tollit quamlibet minutissimam speciem entis naturalis per se, & immediatè contineri sub obiecto Philosophiæ, Quod amplius constabit in lib. Posteriorum, cum de scientiarum vnitatem disputabimus.

Per quod patet ad confirmationem: concedimus enim quoddam definitio, diuisio, & argumentatio proximè attingunt finem Logicæ quam aliæ intentiones minoris notæ: hoc tamen non tollit quominus istæ immediatè contineantur sub obiecto illius. Quia sicut ex hoc, quod sola demonstratio proximè, & immediatè attingat consecutionem scientiæ; non sequitur definitionem, & diuisionem, mediatè contineri sub obiecto Logicæ: sic ex hoc quoddam definitio, diuisio, & argumentatio propriè accedant ad consecutionem scientiæ, non sequitur alias intentiones ab obiecto Logicæ esse reiiciendas: quia vnaquaque est scibilis per sua principia: atque ita immediatè recipit rationem sub qua obiecti Logicæ.

#### Q V Æ S T I O IV.

*Quid sit Logica docens & vtens, & utrùm sint idem habitus.*

36. **Q**uam Græci appellauerunt Logicam rebus concretam, eam Latini dixerunt vtentem: & quam illi à rebus auulsam nominauerunt, eam nostri Logicam docentem vocauerunt: ac pròinde diuisio, qua illi Logicam diuidebant in Logicam rebus concretam; & à rebus auulsam, eadem omnino est cum diuisione, qua Latini Logicam diuidunt in vtentem & docentem quæ diuisio, & antiqua, & communis est. Eamque tradunt D. Thom. 4. Metaph. lect. 4. Scorus quæst. 1. prædicabilem, & initio Elenchorum à quibus omnes alij acceperunt, & probauerunt. Et merito nam in qualibet scientia, vel arte operationes aliquas dirigente non est idem doctrina, & vsus: doctrina enim est illud dictamen quo ars, aut scientia præscribit modum, quo efficiendum est illud opus, quod potest esse optimè absque ipsius operis executione: quæ tamen operis executio propriè dicitur vsus artis, aut scientiæ.

Exemplum sit in arte domificatoria, quæ primò præscribit regulas quomodo scilicet sint erigendi parietes, quamque proportionem debeant inter se seruare partes domus, &c. & deinde iuxta regulas istas artificiosè præscriptas opus exequitur, & domum ædificat. Hoc appellatur artis vsus; illud verò doctrina.

Id ipsum cernere licet in Dialectica quæ primò dicitur ad constitutionem syllogismi in primo modo

*Colleg. Compl. Logica.*

primæ figuræ debere taliter inter se disponi terminos, ut efficiat tres propositiones vniuersales affirmatiuas: in quarum prima medium subiiciatur: in secunda prædicetur, &c. Deinde verò per adum ab hac doctrina distinctum conficit syllogismum, iuxta regulas ab eadem Logica præscriptas. Eadem ergo Logica, prout præscribit regulas, & docet conficere syllogismum, dicitur docens, & prout regulis præscriptis vtitur, & talem syllogismum conficit, dicitur vtens. Ex quo patet, quod, vtens, in præsentem sumitur actione: nam passiuè ipsa Logica docens potest dici vtens, siquidem ea vtuntur aliæ scientiæ.

37. In his authores conveniunt. Est tamen difficultas, quænam pars Logicæ dicatur docens, & quæ vtens: an verò tota Logica simul dicatur docens, & vtens.

Et licet quæstio videatur de nomine, ut notat Rubiò hic qu. 3. tamen non parum interest eam breuiter examinare, quia inde intelligetur rectè, qui syllogismi sint propriè Topici, & Sophistici, & quomodo Dialectica efficiat illos, atque ita quæstio non in solis nominibus hæret.

Relictis ergò iis, qui nomine Logicæ vtentis intelligunt reliquas scientias, quæ à Logica diriguntur: ut certa ab in certis separemus duo sunt certa apud omnes.

Primum est, quod Logica docens non tradit regulas, & præcepta nudè ( ut ita dicamus ) & simpliciter; sed artificiosè, & scientifico modo ea per suas causas ostendendo: & per consequens in ipsa doctrina tradenda exequitur eadem præcepta, conficitque syllogismos, &c.

Secundum est, Logicam docentem, non solum reperiri in parte demonstratiua; sed etiam in parte topica, & Sophistica ( licet id aliqui negauerint, existimantes Logicam, respectu harum partium non esse scientiam, ut qu. seq. videbimus. ) Id tamen communi consensu receptum est, & probat optimè D. Tho. 4. Metaph. c. 4. cuius verba ibidem adducemus. Ratioque est manifesta: quia non solum docet scientifico modo conficere demonstrationem, sed etiam syllogismum probabilem, & apparentem. Vnde solum remanet difficultas de Logica quatenus est vtens: utrum scilicet sit dicenda vtens respectu partis demonstratiuæ, an verò respectu partis topicæ, & sophisticæ.

Auctores moderni communiter assunt Logicam vtentem sicut & docentem per omnes Logicæ partes diuagari, licet respectu partis topicæ, & sophisticæ peculiari ratione dicatur vtens. Ita Rubiò hic qu. 3. Gallego contr. 2. & alij. Qui ex eo suam sententiam probant quod in parte demonstratiua Logica ipsa, quæ præcepta tradit, in eis tradendis, & docendi modis sciendi eisdem præceptis & modis vtitur ergo: ibi datur vsus Logicæ & ex consequenti Logica vtens.

38. Nihilominus dicendum ex primò Logicam, propriè loquendo nullum habere vsum respectu partis demonstratiuæ: ac pròinde solum dici vtentem respectu partis topicæ, & sophisticæ. Vtraque pars conclusionis est expressa Diu. Tho. loco cit. ubi ita inquit. *In parte Logica qua dicitur demonstratiua, sola doctrina pertinet ad Logicam, vsus verò ad philosophiam, & ad alias scientias particulares, quæ sunt de rebus natura.* Idque probat ratione infra num. 40. adducenda, & concludit: *Sic apparet quod quadam partes Logica habent ipsam scientiam, & doctrinam, & vsum, sicut Dialectica, tentatiua, & sophistica: quadam autem doctrinam, & non vsum, sicut demonstratiua.* Idem docet Sanct. Doctor. 1. Posterior. lect. 20. & Opusc. 70. q. 6. artic. 1. Quem inter alios sequuntur, Fonseca 2. Metaphysic. c. 3. q. 1. lect. 6. & Conim. hic. q. 4. art. 2.

Prior pars conclusionis probatur ratione valde efficaci, quia si Logica haberet vsum respectu partis demonstratiuæ

E 2

demonstratiuæ, vel esset in materia necessaria aliarum scientiarum, vel in materia propria: sed neutro ex his modis habet vsum: ergo, &c. Maior constat. Minor etiam quoad primam partem conceditur à contrariis. Ratióque est manifesta nam in materia Metaphysica, ipsa scientia Metaphysicæ vititur præceptis à Logica docente traditis; facitque suas proprias demonstrationes: & idem est de aliis scientiis, quarum demonstrationes non producuntur à Logica; sed ab ipsis scientiis quarum sunt demonstrationes: aliàs si sola Logica efficeret omnes demonstrationes, ipsa sola esset scientia, quod est absurdum.

39 Non est autem hoc ita intelligendum, (vt volunt aliqui & indicat Rub. vbi sup.) quòd Logica simul cum Metaphysica habet vsum in conficienda demonstratione Metaphysica: ita vt talis demonstratio simul efficiatur ab vtraque scientia, à Logica scilicet, vt à causa vniuersali, cui correspondet gradus demonstrationis vt sic; à Metaphysica verò vt à causa particulari, quæ contrahit gradum illum communem, vt sit demonstratio Metaphysica.

Hoc inquam falsum est. Primò: quia si in productionem cuiuscumque demonstrationis soli Logicæ corresponderet per se primò gradus demonstrationis vt sic: aliæ verò per se primò solum respicerent gradus differentiales per quos demonstratio in communi contrahitur ad esse huius, vel illius scientiæ: iam sola Logica esset verè scientia; vel saltem soli illi per se primò conueniret ratio scientiæ: siquidem gradus differentialis semper est extra genericum, & non concludit illum vt dicemus cap. de Differentia.

Secundò: quia in demonstratione Metaphysica tota substantia actuum est Metaphysica, cum habeant obiectum Metaphysicum: Ergo Logica in tali demonstratione ad summum potest efficere dispositionem illam, & ordinem actuum in forma argumentationis. Sed neque hanc potest Logica efficere in demonstrationibus aliarum scientiarum: ergo, &c.

Probatur minor: quia vt sequenti disputatione videbimus, ens rationis non potest fieri per se ab aliqua causa: sed semper resultat quasi per accidens, ad productionem alicuius actus realis: sed illa dispositio, & ordo actuum est ens rationis, vt sup. n. 21. probatum est: ergo resultat per accidens ad productionem ipsorum actuum, efficiturque ab habitu producente illos. Ac prout de demonstrationes, vniuscuiusque scientiæ, non solum quantum ad substantiam actuum, sed etiam quantum ad ordinem & dispositionem eorum, effectiue procedunt à tali scientia, & non à Logica. Et per consequens ipsa nullum habet vsum in materia necessaria aliarum scientiarum. Per quod soluta manet difficultas, quia hic solet à Doctoribus pertractari quomodo scilicet Logica concurrat ad actus aliarum scientiarum.

¶ Dicimus enim cum communi sententia tantum concurrere directiue, & nullo modo effectiue: quod idem est ac dicere, quòd Logica respectu aliarum scientiarum solum dicitur docens; non autem vtens: siue quod in materia necessaria illarum solum habet doctrinam non verò vsum.

40 Quòd autem neque etiam pars demonstratiua Logicæ habeat vsum in materia propria (quæ est secunda pars illius minoris, in qua est tota difficultas) etiam asseritur à D. Thom. loco citato ex 4. Metaph. Ex cuius verbis formatur argumentum: *Vsus partis demonstratiuæ consistit in vniendo principiis rerum; quæ ad scientias reales pertinent, non vniendo intentionibus Logicis*: sed pars demonstratiua Logicæ in materia propria non vititur principiis rerum; sed tantum intentionibus Logicis, vt de se patet, & ipsi aduersarij cōcedunt:

ergo pars demonstratiua Logicæ in materia propria nullum habet vsum. Maior est ad verbum D. Th. & probatur: nã vsum de quo hic loquimur, & à quo Logica denominatur vtens, debet esse distinctus à doctrina, vt Logica per ipsum vsum formaliter non doceat; sed potius recipiat doctrinam, & operetur iuxta illam: alias considerationes Logicæ docentis, & vtentis non essent formaliter diuersæ, sed vsum in materia demonstratiua Logicæ non distinguitur à doctrina; sed potius per talem vsum formaliter docemur vt patet, aliàs doctrina non esset scientifico modo tradita: ergo ab eo Logica non potest denominari vtens.

Confirmatur: quia si Logica respectu suæ materiæ necessariæ diceretur vtens, iam non essent idem Logica vtens, & Logica rebus concreta: neque similiter Logica docens, & Logica à rebus auulsa. Logica enim dum est in materia propria, & non descendit ad extraneas materias, semper est à rebus auulsa: ergo respectu propriæ materiæ semper est docens, & non vtens.

Ex quo patet secunda pars conclusionis, quòd scilicet Logica propriè dicatur vtens respectu partis topicæ, & sophisticæ. Cum enim in syllogismo topico, & sophistico descendat Dialectica ex principiis ipsius ad quasque res reales, vt ex dicendis constabit: verè tunc admiscetur ipsis rebus: neque aliquid docet de suo obiecto: sed potius recipit doctrinam illius; & iuxta eam operatur in extranea materia: ergo Logica respectu partis topicæ, & sophisticæ propriè, & verè dicitur vtens, seu rebus concreta.

Per quod etiam facile respondetur ad rationem supra nu. 37. pro contraria sententia factam. Dicimus enim quòd quamuis pars demonstratiua Logicæ in tradendis regulis, & docendis modis sciendi, eisdem regulis vtatur, conficiaturque syllogismos, &c. Vsum tamen iste, seu executio solum est doctrina actualis; non verò vsum propriè dictum, de quo in præsentia agimus: neque ab eo Logica denominatur vtens quia talis executio, seu vsum nullo modo distinguitur à doctrina: sed per illum formaliter docemur, vt ostensum est.

*Explicatur ampliùs qua proprietate Logica dicatur vtens respectu partis topicæ, & sophisticæ.*

### § I.

41 **O**portet autem radiciter explicare hanc secundam partem conclusionis, quomodo scilicet vsum iste conueniat parti topicæ, & sophisticæ: aut quomodo illarum proprium sit procedere ad conclusiones in quacumque materia probabiliter, & apparenter ostendendas. Inde enim constabit, qui syllogismi sint propriè topici, & sophistici, & quomodo Logica efficiat illos.

Circa quod Moderni communiter asserunt: quod quia materia probabilis, & apparens, est incerta & contingens; idè non potest esse propria alicuius scientiæ. Vnde cum syllogismus topicus, & sophisticus ratione materiæ non possint pertinere ad aliquam scientiam, restat vt tribuantur scientiæ, ad quam pertinet forma syllogismi: quam constat esse Logicam, & propterea asserunt Logicam peculiari ratione dici vtentem respectu partis topicæ, & sophisticæ. In quo etiam sensu dicunt intelligendum esse Arist. 1. Topicorum cap. 1. & alibi sæpè asserentem maximè proprium Dialectici esse, ex probabilibus differere, in quacumque materia.

Hæc tamen doctrina, nisi ampliùs explicetur, non satisfacit, neque reddit sufficienter rationem quare vsum in materia probabili, & apparenti aliarum scientiarum



fit proprius Logicæ; non verò vñus in materia necessaria. Si enim pars demonstratiua. Logicæ solum habet doctrinam & non vñum in materia necessaria Philosophiæ verbi gratia: quia ipse habitus Philosophiæ efficit suas demonstrationes: non verò Logica etiam in materia probabili rerum Philosophicarum necessario concedendus est habitus operatiuus Philosophicus, à quo efficiantur tales syllogismi probabiles. (Nisi velis nullum dari habitum opinatiuum; sed Logicam efficere quoscumque syllogismos probabiles in quacumque materia, quod absurdum est.) Ergo iam Logica in materia probabili rerum philosophicarum nullum habebit vñum: sicut non habet in materia necessaria earum; & per consequens nulla erit ratio, quare tales syllogismi probabiles tribuantur Logicæ vtenti. Vel certe, si illi tribuuntur propter rationem dictam, Logica dicetur vtens respectu rerum probabilium, solum per quandam extrinsecam attributionem; & non quia ipsa verè efficiat reales syllogismos.

42. Vera ergo intelligentia conclusionis, & explicatio propositæ difficultatis querenda, & inuenienda est in verbis D. Thom. loco sæpè citato ex 4. Metaph. Ibi enim loquens de parte Topica docet, quod Dialectica secundum quidem quod est docens habet considerationem de secundis intentionibus instituens modum quo per eas procedi possit ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter ostendendas, at verò secundum quod est vtens, vtitur eisdem intentionibus ad concludendum aliquid probabiliter in singulis scientiis. Per quod Dialecticum distinguit à primo Philosopho, seu Metaphysico; quia licet vterque versetur circa omne ens; Philosophus tamen ex principiis ipsius procedit ad probandum ea qua sunt considerata circa communia accidentia entis. Dialecticus verò procedit ad ea considerata ex intentionibus rationis, &c.

Ex quo tandem inferi Diuus Thomas, quod Metaphysica (& idem est de aliis scientiis) dicitur demonstratiua; Logica verò vtens tentatiua: quia cum Metaphysica procedat ad suas conclusiones ex principiis propriis sui obiecti, illisque intrinsecis: vtraque præmissa, & ex consequenti conclusio sunt necessaria: & ita tales syllogismi sunt demonstrationes. At verò Logica vtens, cum procedat ad probandum aliquid de rebus ex principiis secundarum intentionum, quæ sunt extraneæ; & accidentales ipsis rebus: aliqua saltem præmissarum, & ipsa conclusio sunt contingentes per consequens Logica non dicitur demonstrare, sed potius tentare: quia tentare est ex principiis extraneis procedere. Itaque iuxta hanc Diui Thomæ doctrinam, istæ intentiones rationis sunt media, seu principia per quæ pars topica procedit ad concludendum quodcumque probabile. Videatur etiam Diuus Thomas 1. Post. lect. 20. vbi optimè explicat hanc doctrinam.

43. Cui iungenda est modò alia eiusdem D. Thom. certa doctrina, quam tradit eodem libro 2. Post. lect. 41. 2. 2. quæst. 1. art. 1. & alibi sæpè, nosque larè explicabimus in libris Poster. Quod scilicet medium seu principium in demonstratione est ratio sub qua obiecti scientiæ, vnde desumitur specificatio eius: quia est quasi quoddam lumen, per quod illuminatur; & cognoscitur conclusio in tali scientia; Quo fit, vt ad iudicandum de quacumque conclusione cuius scientiæ sit propria vel à qua scientia procedat; & inspicendum est medium, seu principium, per quod procedit. Vnde si media, seu principia, per quæ pars topica procedit ad inferendas conclusiones probabiles in quacumque materia, fuerint in toto rigore propria

Colleg. Compl. de Logica.

Logicæ, syllogismi probabiles ex illis procedentes propriè pertinebunt ad Logicam, scientque ab ea, & non ab alio habitu: sicut quia media, seu principia in demonstrationibus metaphysicis sunt propria huius scientiæ idèd demonstrationes ex illis procedentes sunt ab habitu metaphysicæ, & non ab alio quocumque habitu. Quod adèd verum est; vt eadem propositio: v. g. quod terra est rotunda, si probetur per media mathematica, vt per figuras, eclypsum pertinet ad Astrologiam: si verò probetur per media naturalia, vt per motus grauium ad centrum, pertinet ad Philosophiam, vt docet D. Thom. locis supra numero 9. citatis.

Media ergò, seu principia, per quæ pars topica procedit ad differendum probabiliter in quacumque materia, sunt quædam intentiones rationis generales & communes omnibus entibus: vt ex D. Thom. dicebamus, & perspiciet manifestè, qui libros Topicorum Aristot. euoluerit, consideraueritque loca topica, quæ ibi assignantur, ad eruenda argumenta probabilia, vt locum à definitione, à diuisione, à coniungatis, à similibus, à paribus, à dissimilibus, ab oppositis & alia innumera quæ recenset ibidem Aristot. quorum ferè omnia (quæ scilicet propriè Dialectica sunt) pro formali important quasdam relationes, seu intentiones rationis. Et idem proportionabiliter contingit in parte sophistica, quæ ad decipiendum in quacumque materia procedit ex aliis locis apparentibus, quæ dicuntur fallaciæ: vt sunt fallacia æquiocationis, accentus, accidentis, petitionis principij, ignorantie elenchi, & similes: quæ etiam pro formali dicunt quasdam generales intentiones rationis, vt patet.

Cum ergo huiusmodi intentiones rationis verè contineantur sub ratione sub qua obiecti Logicæ: planè sequitur eiusmodi loca, seu principia, ex quibus pars topica (& idem proportionabiliter est de sophica) procedit ad probabiliter differendum de quacumque re, esse in toto rigore propria Logicæ, & per consequens syllogismos probabiles ex huiusmodi intentionibus procedentes fieri à Logica vtente; non minus, ac demonstrationes procedentes ex principiis metaphysicis sunt propriè Metaphysicæ, & efficiuntur ab ea. In quo etiam sensu, & rigore verum est, quod ex Aristot. sæpè retulimus: scilicet maximè proprium Dialectici esse ex probabilibus differere in quacumque materia. Quomodo autem habitus Logicæ vtentis, qui vt dicemus quæst. seq. est entitatiuè scientia, possit elicere syllogismos probabiles, seu contingentes ibidem explicabimus.

44. Nunc pro completa notitia huius materiæ: vt in gratiam cum Doctoribus modernis redeamus, addendum est ex doctrina Comment. 1. Physicor. quam admittit D. Thom. opusc. 70. qu. 6. art. 1. vltra modum procedendi explicatum; quo Logica vtens ex intentionibus rationis procedit ad conclusiones de rebus probabiliter ostendendas, (quem propterea appellat rationalem ex parte principiorum: ) attribui etiam eidem Logicæ vtenti cæteros syllogismos: qui in quolibet materia sunt ex aliquibus principiis, seu propositionibus communibus, & probabilibus; quamuis ibi non inueniatur aliquis terminus secundæ intentionis. Propter quod etiam inter loca topica interdum numerantur aliqua, quæ non videntur importare secundam intentionem, vt locus à causa, ab effectu, & similes. Quem modum procedendi appellat D. Thom. rationalem ex parte termini quia ibi inquisitio rationis (inquit) non perducit ad vltimum terminum scilicet ad resolutionem in prima principia; sed sistitur in ipsa inquisitione: quoniam querenti adhuc manet via ad verumlibet.

E 3

Non

Non est autem eür aliquis suspicetur doctrinam istam esse contrariam ei, quæ tradita est. Quia ex his duobus modis procedendi, primus tantum est maxime proprius Dialecticæ, ut expressè inquit D. Thom. ibidem in solutione ad quartam, iste autem secundus tribuitur illi quasi extinctæ, & reductivæ. Quod quidem non ea solùm ratione, quam supra num. 41. ex modernis retulimus, quatenus scilicet in istis syllogismis communibus, & probabilibus forma est propria Logicæ: sed etiam, & maxime propter rationem, quam tangit D. Thom. loco citato: quia ex his probabilibus, communibus paratur via ad necessarias conclusiones in qualibet scientia. Unde, cum Logica sit ministra generalis omnium scientiarum dirigens, & disponens intellectum in ordine ad illas iure optimo tribuuntur illi syllogismi probabiles, & communes, per quos in quacumque materia paratur via ad cognitionem scientificam de rebus habendam. Et sic omnia consona inveniuntur.

## TRACTATUS SECVNDVS quæstionis.

### §. II.

45. **V**eniamus ad secundum quæsitum difficultatis: tan scilicet Logica docens, & vtens sit idem habitus. ¶ Circa quod Vasq. 1. p. d. 8. c. 5. & alij DD. moderni æstimantes Logicam docentem esse speculatiuam, vtentem verò practicam, docentem esse plures habitus relictos distinctos. Quia tamen falso nituntur fundamento, ut infra videbimus, idè illis rectis.

Dicendum est secundò Logicam docentem, & vtentem realiter esse eundem habitum. Conclusio est procul dubio D. Thom. qui Logicam diuidit in docentem, & vtentem secundum diuersas considerationes vel munera cuius verba infra num. 57. adducemus. Eam defendunt communiter Thomistæ, Flandia 2. Metaphys. qu. 5. art. 2. Arauxo ibidem qu. 3. art. Nauarræ 1. part. controuers. 10. Soto, quæst. 2. proœmialis. Sanchez, libro 1. Logicæ, qu. 6. maius sect. quæst. 4. Gallego controu. 2. noster Didacus à Iesu q. 5. & communiter Doctores.

Fundamentum est: quia Logica docens, & vtens non distinguuntur specie: ergo in vnoquoque intellectu realiter sunt idem habitus. Consequentia patet: quia in eodem subiecto non possunt esse plura accidentia solo numero distincta, ut ex communi D. Thom. & Thomistarum sententia suo loco ostendimus. Antecedens verò probatur: quia vtræque habet eandem rationem *sub qua* obiecti, scilicet eadem prima principia: cum vtræque procedat ex principiis secundarum intentionum, quæ derivantur ex aliis, vel ex alteratris intra eandem abstractionem à materia, vnde sumitur specificatio Logicæ, ut explicabimus in l. Poster.

Confirmatur: quia actus Logicæ docentis, & vtentis habent inter se ordinem; & secundus, scilicet vt, nullam addit difficultatem super primum: ergo pertinent ad vnum, & eundem habitum. Consequentia patet, tum inductione in actibus amoris circa Deum & proximum, qui propterea oriuntur ab eodem habitu charitatis; & idem est de aliis; tum etiam ratione: quia cum habitus ponantur ad vincendam difficultatem, vbi non est noua difficultas superfluit nobis habitus. Antecedens verò probatur: quia, ut constat ex dictis, ex cognitione scientifica secundarum intentionum, quæ est doctrina Logicæ procedit ipsa ad differendum probabiliter, aut

appareret in quacumque materia, qui est vsus eius; ergo hic necessariò præsupponit ealem doctrinam. Ista autem semel habitâ, nullo negotio procedit intellectus ad vtendum eisdem intentionibus circa res reales, ad quas descendit Logica ut ens: ergo actus eius nulla maddit difficultatem supra doctrinam. Videantur Arauxo, Gallego, & alij Thomistæ citati.

## QVÆSTIO V.

### VTVM LOGICA SIT scientia.

46. **T**am de Logica docente, quam vtente procedit difficultas. In qua pro tituli intelligentia notandum est, nomine *scientia* non venire in præfenti quamcumque cognitionem, siue sensus, siue intellectus: quomodo dicere solemus *scio Romam esse*, &c. neque venire etiam cognitionem euidentem, quæ tamen non sit discursiva, qualis est scientia Dei, de qua disputant Theologi cum D. Thom. 1. part. qu. 14. sed venire eam cognitionem de qua Aristot. 1. Poster. c. 2. dixit: *Scire autem putamus unamquamque rem simpliciter & non sophistico modo: cum putamus causam cognoscere: propter quam res est, eius rei causam esse, neque tam aliter se habere*. Ex quibus verbis colligunt Doctores hanc scientiæ definitionem: *Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus*.

In qua quidem definitione scientia continetur in eodem habitu cum aliis habitibus intellectualibus, in eo autem quod sit per demonstrationem acquisitus, differt ab illis: nam ex hoc ipso est euidentis, per quod à fide diuina differt, quæ licet sit omnino certa est tamen obscura. Et cum euidentia sit manifestatio certitudinis; eo ipso quod scientia est habitus euidentis, est etiam certus per quod differt ab opinione. Certitudo enim ex D. Thom. 1. dist. 26. qu. 2. art. 4. est firma adhæsiō intellectus suo intelligibili: ac proinde opinioni repugnat. Ex hoc autem quod acquiritur per demonstrationem, differt scientia à prudentia, & arte, quæ versantur circa singularia, & ab habitu principiorum, qui solet appellari intellectus, seu intelligentia, de quo constat non acquiri per demonstrationem.

Sumpta ergo scientia in hac vltima acceptione; tam de Logica docente, quam de vtente inquirimus: vtum sit scientia. Et quia, teste Arist. 7. Ethic. c. 3. scientia in hac acceptione interdum pro habitu, interdum pro actu usurpatur: quæstio erit de scientia habituali, quæ nomen scientiæ sibi vindicauit: nam idem de actu dicendum erit.

47. Prima sententia absolutè negat Logicam, tam vtentem, quam docentem esse scientiam. Pro qua referuntur Ammonius, simplicius, Phyloponus, & alij antiqui, tenetque Villalp. qu. 5. proœmialis. Et probatur primò auctoritate Arist. 1. Rhetor ad Theodestem, c. 2. vbi Rhetoricam cum Dialectica coniungens, *Neutra* (inquit) *earum de re determinata, quomodo se habeat, scientia est*. Fauet etiam 2. Metaph. c. 3. vbi ait. *Absurdum est simul querere scientiam & modum sciendi*. Per quod videtur Logicam à scientiis distinguere: nomine enim modi sciendi intelligit Logicam: ergo ipsa non est scientia.

Secundò probatur ratione: quia iuxta triplicem abstractionem à materia, diuiditur adæquatè scientia ab Aristot. Metaphys. cap. 1. in Philosophiam, mathematicam, & Metaphysicam: sed sub nulla istarum continetur Logica: ergo non est verè scientia. ¶ Confirmatur: quia scientia est de necessariis, & perpernis

vt

ut docet Aristot. 1. Poster. c. 7. sed Logica docens, est de contingentibus: ergo &c. Probatum minorum: quia Logica tractat de syllogismis, definitionibus, & aliis ejusmodi instrumentis, quæ sunt à nobis factibilia; tum etiam, quia quatenus docens est, instituit modum quo procedi possit ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter ostendendas, ut inquit D. Th. loco citato ex quarto Metaphysicæ: ergo Logica non est de necessariis, & perpetuis.

Secunda sententia è contrà affirmat Logicam, non solum ut est docens, sed etiam quatenus utens est, esse scientiam. Sic docent Murcia q. proœmiali, Chrys. Cauera disp. 2. dub. 4. & alij moderni.

Quorum fundamentum est: quia Logica docens, & utens, sunt idem habitus, ut diximus quæstione præcedenti: sed quatenus docens, est verè scientia: ut infra ostendemus: ergo etiam quatenus utens. Probatur consequentia. Tum quia esse scientiam, & non esse scientiam contradictoriè opponuntur: ergo non possunt de eodem reali habitu verificari. Tum etiam: quia eo ipso quod sunt idem habitus, non potest non Logica utens inclinare in eundem actum, in quem inclinat Logica docens: sed hæc inclinatio in assensum verè scientificum: ergo & illa.

48 Nihilominus dicendum est primò Logicam docentem quoad omnes suas partes esse verè scientiam. Conclusio est certissima. Pro qua citatur Plato, de rep. illamque docent D. Isid. 2. Ethim. c. 22. Aug. 8. de Civit. c. 4. & expressè D. Thom. loco citato ex 4 Metaph. quem sequuntur Scot. q. 1. Præd. Sotus Tolet. Sanc. Mas. hic, & communiter DD.

Fundamentum est: quia habitus per demonstrationem acquisitus est verè scientia: sed Logica docens quoad omnes suas partes est habitus per demonstrationem acquisitus: ergo quoad omnes illas est verè scientia. Maior, & consequentia constant. Minor autem probatur: quia in parte analytica hæc est vera demonstratio: *Syllogismus constans ex veris, necessariis, notioribus, causisque conclusionis, generat scientiam: sed talis est demonstratio: ergo demonstratio generat scientiam.* Simili etiam modo de definitione, diuisione, & aliis intentionibus logicalibus demonstrantur propriæ passionibus: ergo pars analytica Logicæ est habitus per demonstrationem acquisitus. Eodem etiam modo procedit Logica docens in parte topica, & sophistica: nam de syllogismo topico demonstrat causare opinionem, sic: *Syllogismus constans ex inæquis, & contingentibus, causat assensum formidolosum, seu generatum: sed syllogismus topicus est huiusmodi, ergo, &c.* Et eodem modo demonstrat de syllogismo pseudographo, seu de paralogismo generare errorem: & de sophistico deceptionem: ergo Logica docens secundum omnes suas partes, est verè scientia. Per quod patet deceptos esse aliquos, qui admittentes Logicam docentem esse scientiam quoad partem demonstratiuam, id de topica, & sophistica negauerunt.

49 Dicendum est secundò, quod Logica utens licet entitativè sit scientia, ut potè idem habitus docente, tamen formaliter ut utens degenerat, & recedit à modo scientiæ. Conclusio est contra Autores secundæ sententiæ, sed expressè D. Thom. loco cit. ex 4. Metaph. ut iam videbimus, estque communis inter Thomist. eam tenent Sot. hic q. 2. Mas. q. 6. Sanc. q. 8. Tolet. q. 3. Oña q. 1. art. 2. Rub. q. 3. & alij. ¶ Et probatur quia Logica tantum dicitur utens respectu partis topicæ, & sophisticæ, ut ostensum est: sed usus in istis partibus, est constructio syllogismi probabilis, & apparentis: in quibus, licet forma, & illatio sint necessariæ; materia tamen est contingens, & incerta: ergo Logica in illorum constructione

regenerat, & recedit à modo scientiæ: Patet consequentia: quia scientia, quatenus scientia est, non inclinatur ad syllogismos probabiles, & apparentes; sed ad necessarios, & demonstrativos producendos.

50 Hic autem statim occurrit inquirendum: quomodo habitus Logicæ, qui entitativè, & realiter scientia est, possit elicere assensus probabiles, & contingentes. ¶ Circa hoc multa adducit Arau. lib. 2. Met. q. 2. 2. in fine. Sed breviter resp. quod actus quos per se primò respicit scientia, & in ordine ad quos specificatur, & definitur, debent quidem esse scientifici, seu demonstrativi, & respectu horum servat scientia perfectionem scientiæ, eosque elicit formaliter quatenus scientia est. Ceterum non repugnat scientiam habere aliquos alios actus secundarios, & imperfectos: qui quidem non pertingunt ad rationem actus scientifici defectu alicuius requisiti: sed quia non addunt aliquam specialem difficultatem supra Primarios: idèd non requirunt alium habitum, sed continentur in virtute ipsius scientiæ: vel quia procedunt ex iisdem mediis, ex quibus procedunt actus primarij: & sic habent eandem rationem sub qua obiecti, ut contingit in actibus Logicæ utentis: vel quia iudicant de eadem conclusionem, ac actus primarij non tamen per medium necessarium, sicut illi, sed per aliquod signum probabile, aut medium contingens contentum intrà propriam abstractionem à materia, ut contingit in eo, qui acquisita iam scientia de aliqua conclusione per medium necessarium, rursus cognoscit eandem conclusionem per aliquod signum, seu medium contingens. Tunc enim cognitio ista, quamvis non sit actus scientificus: quia est per medium contingens; procedit tamen à scientia iam acquisita, ut ex scientia D. Th. 3. p. q. 9. a. 3. ad 2. expendemus infra dis. 20. circa libros Post.

Adde in Logica esse specialem rationem; quare ponantur similes actus secundarij, qui degenerent à ratione actus scientifici. Cum enim Logica sit ministræ & instrumentum aliarum scientiarum, ut supra numero 20. dicebamus, & magis infra explicabimus: notitiæ secundarum intentionum non omnino propter se ipsas quæritur; sed propter res, quarum cognitioni deserviunt. Et sic oportet, non solum quod Logica, dum consideratur à rebus aulsa, habeat actus scientificos; quibus naturam, & passionibus suarum intentionum doceat, sed etiam quod utendo eiusdem intentionibus descendat ad ipsas res reales, illisque admisceatur, & aliqualem earum notitiam comparet. Quæ quidem notitiæ, seu actus, quamvis à ratione scientifici degenerent; quia procedunt per medium extraneum, & contingens: disponunt tamen, & sunt viæ ad cognitionem scientificam de rebus habendam per alias scientias, ut inquit D. Thom. loco citato, & ita merito efficiuntur à Logica, quæ est ministræ, & instrumentum illarum.

51 Ad argumenta primæ sententiæ responderetur. Ad primum ex Arist. dicimus, quod ut patet ex verbis sequentibus, ibi agit de parte topica proptèr utens, asseritque ipsam, sicut & Rhetoricam, circa nullam determinatam rem, seu materiam versari, sed generaliter inquirere, & invenire rationes probabiles: ex quibus differat in quacumque materia. Ex quo solum sequitur Logicam utentem, formaliter proptèr sic, non esse scientiam, quod nos concedimus. ¶ Ad secundum locum diximus sensum Arist. solum esse, quod non sunt addiscendæ aliæ scientiæ simul cum Logica: quia ut ibidem ait D. Th. Logica est quæ tradit communem modum procedendi in aliis scientiis: & sic debet prius dedisci. Ex quo nihil sequitur contrà nos.

Ad rationem resp. ex eodem Div. Thom. opusc. 70. qu. 5. art. 1. ad 2. Aristot. in illa diuisione solum numerasse partes principales scientiæ speculatiuæ: & idèd non meminisse Logicæ: non quia ipsa non vera

scientia, sicut illæ: sed quia est ministra, & instrumentum earum. Quomodo autem contineatur Logica intra aliam ex illis tribus abstractionibus à materia in libris Poster. explicabimus. ¶ Ad confirmationem negatur minor. Ad cuius primam probationem responderetur, quod Logica docens, considerat syllogismos, definitiones, & similes intentiones, quoad sua prædicata essentialia, & proprias passionest ex quibus suo modo sunt prædicationes necessariae, & æternæ veritatis, sicut in entibus realibus. Atque ita Logica docens suo modo est de necessariis, & perpetuis. ¶ Ad secundam probationem respond. quod Logica docens instituit quidem modum, quo procedi possit ad conclusiones probabiliter ostendendas: sed hoc demonstrativè facit, ut addit Divus Thom. loco citato in argumento: & secundum hoc est scientia.

§2 Ad fundamentum secundæ sententiæ respond. solum probate, quod habitus Logicæ utentis entitativè, & realiter est scientia; non verb formaliter, & reduplicativè. Propterea enim nullum est inconueniens, quod idem habitus dicatur esse, & non esse scientia computatione diversorum actuum, ad quos potest inclinare: quia non opponuntur contradietoriè. Quare cum Logica solum dicatur utens formaliter in quantum elicit assensus probabiles, & contingentes, qui sunt actus secundarij eius, ut explicuimus: inde est, quod formaliter propterea sic, non inclinatur ad ascensum scientificum; sed potius degenerat, & recedit à modo scientiæ.

Hanc doctrinam, sicut & cæteta, quæ in præsentibus & præcedenti quæstione diximus, mirè complexus est D. Thom. loco sæpè citato, ex 4 Metaph. loc. 4 & idè verba eius transcribenda duximus; Inquit ergo Ang. Doct. *Dialectica potest considerari secundum quod est docens, & secundum quod est utens. Secundum quidem quod est docens, habet considerationem de istis intentionibus, instituens modum, quo per eas procedi possit ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter ostendendas: & hoc demonstrativè facit, & secundum hoc est scientia. Utens verò est, secundum quod, modo adiuncto, utitur ad concludendum aliquid probabiliter in singulis scientiis: & sic recedit à modo scientiæ. Et similiter dicendum est de Sophistica. Quæ, propterea est docens, tradit per necessarias, & demonstrativas rationes modum arguendi apparenter: secundum verò quod est utens, deficit à processu vere argumentationis. Sed in parte Logica, quæ dicitur demonstrativa solum doctrina pertinet ad Logicam, usus verò ad Philosophiam, & ad alias particulares scientias, quæ sunt de rebus natura. Et hoc idè: quia usus demonstrativè consistit in utendo principiis rerum, de quibus fit demonstratio, quæ ad scientias reales pertinet non utendo intentionibus Logicis. Et sic apparet, quod quædam partes Logica habent ipsam scientiam, & doctrinam, & usum, sicut Dialectica tentativa, & Sophistica; quædam autem doctrinam, & non usum, sicut demonstrativa. Hæc D. Thom.*

§3 ¶ Ex quibus tandem elicitur essentialis definitio Logicæ, propter quam præcedentia omnia adducta sunt. Ex hac enim quæstione, ubi probatum est esse scientiam, habemus genus definitionis: ex antecedentibus verò, differentiam. Nam cum scientiæ sumant suam speciem ab obiecto, & per ordinem ad illud constituentur: ipsum obiectum ponitur loco differentiæ, quod fit in obliquo, ut detur intelligi, quod obiectum non est intrinseca differentia scientiæ, sed ordo, & habitudo ad illud. Quare cum obiectum Logicæ sint secundæ intentiones quæ sunt veritatis ostensivæ, seu modus sciendi latè sumptus, ut sup. num. 31. probatum est, hæc consequenter erit quidditatiua definitio Logicæ: *Logica est scientia*

*secundarum intentionum, quæ sunt veritatis ostensivæ: vel Logica est scientia modi sciendi latè sumpti. Quorum terminorum explicatio satis ex dictis constat, & constabit amplius disput. sequenti.*

## QVÆSTIO VI.

### VTRUM LOGICA SIT SCIENTIA prædicta vel Speculativa.

§4 Tota quæstionis decisio pendet ex intelligentia istorum nominum, *practicum*, & *speculativum*: inde enim constabit quæ scientia sit practica, quæ verò speculativa. Et licet horum examen ad Metaphysicam spectet: quia tamen nostro instituto est summè necessarium, saltem attingemus.

Conveniunt ergo Doctores, quod speculativum dicitur ab speculatione; practicum verò praxi. Speculativo autem (quæ à verbo Græco *ἔασις*, *scopos* emanat, quod Latine idem est, ac *considero*, seu *contempler*; unde derivatur *ἔασις*, *scopos*, id est, *speculator*, seu *explorator*) ex communi sententia significat quandam contemplationem essentialium similem illi cognitioni, quam habent, qui ex aliquo eminenti loco inferiora respiciunt. Quam etiam cognitionem appellant Græci theoreticam, à verbo Græco *θεωρεω*, *theoreo*, quod significat speculari. A quo etiam Græci *ἔασις*, *Theos*, dixerunt: quasi scientem, & contemplantem omnia in arce cœli collocatum. Itaque scientia speculativa erit illa, quæ in sui contemplatione sistit, neque ultra in opus ordinatur. In his Auctores conveniunt. Quare tota difficultas est circa nomen praxis.

### QVID SIGNIFICET PRAxis, ET AN REPERIATUR IN INTELLECTU.

#### §. I.

§5 PRIMò notandum est nomen *praxis*, Græcum esse, derivarique à verbo Græco *πράξις*, *praxis*, quod idem est, quod *ago*, seu *operor*. Non autem habemus nomen aliquod Latinum, quod adæquale respondeat practico, seu praxi. Tria verò sunt quæ videntur explicare, scilicet *operativum*, *activum*, & *factivum*. Sed ex his operativum latius patet: complectitur enim speculationem, quæ verè dicitur operatio. (Licet aliquando operationem sumat Aristot. pro factione, ut 9. Metaph. c. 9.) alia duo si seorsum, & strictè sumantur inferiora sunt. Nam actio, iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 4. per hoc à factione distinguitur, quod illa significat operationem immanentem, & internam, circa quam versatur prudentia; hæc verò transeuntem, seu externam, circa quam est ars. Quam distinctionem assignat sæpè Arist. ut 6. Metaph. c. 1. & 1. magnorum Moralium cap. ultimum inquit, *Circa actionem itaque, & quæ in agendo posita sunt, prudentia: circa facturam, & quæ in faciendo posita sunt, ars*. Quod si aliquando nomina actionis, & factionis aliter videatur accepisse Philosophus, ut notat Vasq. 1. part. disp. 8. num. 16. tamen vel in te non distinguitur, ut ipse autor interpretatur, n. 17. vel saltem hic modus accipiendi ista nomina visitatur est in Philosopho.

§6 Praxis igitur, ut hic sumitur, utramque operationem complectitur, actionem scilicet, & factionem: nam utraque ab speculatione distinguitur. Et cum à praxi sumatur denominatio practici, ille erit habitus, seu scientia, aut etiam intellectus practicus, qui

qui circa praxim versatur. Ex quo etiam sit non esse idem practicum, & praxim, si formaliter loquamur; sicut non est idem forma denominans, & res denominata: ac proinde non bene inferri ex eo, quod actus intellectus sint aliquando practici, quod sint etiam praxis. Videamus igitur, quid sit praxis, & in qua potentia reperiatur: ut inde percipiamus, quæ sit scientia practica. Pro quo.

Secundò notandum est praxim definiti ab Scoto q. 4. Prologi sic *Praxis est actus alterius potentia ab intellectu, posterior intellectione: natus elici conformiter rationi recte, ad hoc ut rectus sit.* In qua definitione, solum est nobis examinanda prima particula (cætera enim extrà institutum nostrum sunt. (Et videndum, utrum praxis necessariò sit actus alterius potentia ab intellectu: an potius actus ipsi intellectus verè, & propriè possint dici praxis. In qua difficultate. Molin. 1. part. q. 1. art. 4. disp. 2. Vazq. ibid. disp. 8. Suarez disp. 44. Metaph. sect. 13. Rub. hinc qu. 5. & alij moderni impugnant definitionem Scoti asserentis actus intellectus propriè esse, & dici praxim. Quod pluribus rationibus confirmare nituntur: quibus tamen (quia earum solutio ex dicendis faciliè cuilibet constare potest) omittis.

57. Dicendum est primò, quod operatio, quæ primariò & per se, & per essentiam (ut ita dicamus) dicitur praxis, à qua reliqua denominantur practica, non debet esse operatio intellectus; sed alterius potentia, nempe voluntatis in agibilibus, aut potentia exterioris, & transeuntis in factibilibus: Actus autem intellectus tantum denominantur practici, vel ex eo quod cadunt sub electione liberæ voluntatis, & directione prudentia: vel ex eo quod ordinantur ad operationem alterius potentia: ac proinde rationem practici aliundè participant, non ex eo, quod sint operationes intellectus. Hanc conclusionem præter Scot. & eius discipulos, docent communiter Thomistæ, Caiet. & Contrad. 1.2. q. 57. art. 1. Capreol. qu. 2. prologi ad argumenta contra 4. conclus. Ferrar. 3. contra gentes cap. 25. Arauxo 2. Metaph. q. 3. art. 2. & plures alij, quos referunt, & sequuntur Gallego controu. 5. & noster Didac. à Iesu d. 1. q. 6. qui latè, & optimè explicat nostram conclusionem.

Probatum primò ex Arist. 3. de Anima, c. 10. ubi loquens de motu locali animalium, asserit de intellectu practico alicuius gratia ratiocinari, esseque principium agendi, per quod distinguit ipsum ab intellectu speculativo. Verba Philosophi sunt: *Hac igitur ambo, intellectus, & appetitus mouendi motu dicto principia sunt. Intellectus inquam is, qui alicuius gratia ratiocinatur, quique principium est agendi: atque hic sine ab intellectu contemplativo differt:* quibus verbis asserens Arist. intellectum practicum principium esse agendi, & per hoc à contemplativo differre, necessariò intelligendus est de actione extrà intellectum, & alterius potentia: nam intrà ipsum etiam intellectus speculativus principium est agendi, ut per se constat. Ex quo Arist. loco sumptum est illud commune axioma: *Intellectus extensione sit practicus:* de quo licet. Molina ubi supra disp. 1. & Hurtado hinc disp. 2. sect. 2. §. 10. dicant negari posse, quia neque est Arist. neque alterius probati Auctoris, cuius auctoritate premamur: in utroque tamen falluntur. Quod enim sit Arist. testatur D. Th. 1. p. q. 79. a. 11. in argumento, sed contra, citans locum adductum ex 3. de Anima. Quod autem sit probatissimi Auctoris, cuius auctoritate æquum est premii, patet ex eodem D. Th. ibidem & q. 14. de veritate. 4. ubi sic ait: *Intellectus practicus idem est, quod intellectus operarius, unde sola extensio ad opus facit aliquam intellectum esse practicum.* De quo videtur potest Gallego ubi supra.

Confirmatur ex eodem Arist. 2. Metaph. cap. 2. dicente: *Speculativa etenim finis; veritas: practica, autem opus.* Ergo illud opus est praxis, quod non est veritas: sed omnis actus intellectus est veritas, seu veritatis cognitio: ergo nullus actus intellectus est praxis. Hinc Commentator commento 3. exponens verba Arist. inquit: *Per speculativam scimus, ut sciamus; per practicam verò sumus scientes, ut operemur: quia practica finis opus:* ergo quantumcumque facultas aliqua dirigat actiones intellectus, non versatur circa praxim, quia, cum tales actiones dirigimus, scimus, ut sciamus: siquidem actio dirigens, & directa scire est; & per consequens nullus actus intellectus est praxis.

58. Secundò probatur ex D. Th. 1.2. q. 57. a. 1. ad 1. ubi ait: *Practicum vel operarium, quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculativus, sed tantum ad interius opus intellectus; quod est speculari verum.* Quo loco per opus exteriorius communiter expositores intelligunt, non solum actiones transeuntis sed etiam immanentes extrà intellectum, seu alterius potentia: de quo videri potest Contradus ibid. Quomodo etiam loquitur de actione exteriori S. Doctor. 2.2. q. 179. a. 2. Ex quibus locis infert bene Contrad. *Quod actus intellectus non est praxis: sed opus exteriorius, id est, alterius potentia cadens sub electione, & consilio.*

Tertiò probatur à posteriori; quia nulla cognitio dirigens aliam cognitionem est practica: ergo nulla cognitio potest esse praxis. Consequentia patet: antecedens verò probatur: quia per actum intellectus dirigentem alium non scimus, ut operemur, sed potius, ut sciamus. Non enim qui dirigit actum intellectus, intendit ipsum actum rectum elicere, ut eliciat, sed ut per illum rectè, & sine errore cognoscat. Ergo actus dirigens, & directus non egreditur limites cognitionis, atque adeò nullus potest esse praxis.

Quartò tandem, quia id quod verè est praxis, pertinet ad scientiam activam, vel factivam: siquidem scientia practica dividitur adæquate ab Arist. 6. Metaph. cap. 1. in activam, & factivam: sed actus intellectus ad neutram harum pertinent: ergo non sunt praxis. Probatum minor: quia in primis non pertinent ad factivam: cum sint operationes immanentes, ut patet. Neque similiter possunt pertinere ad activam: nam scientia activa ex eodem Arist. 6. Ethic. c. 10. versatur circa actiones, quarum principium est, electio: ergo scientia activæ per se tantum respiciunt actus voluntatis: siquidem electio, ut patet, est actus illius.

59. Confirmatur: quia hac de causa Arist. loco citato ex Metaph. loquens de scientia activa, inquit: *Idem esse agibile, quod eligibile.* Vbi D. Thom. l. c. 1. postquam dixit scientias activas esse scientias morales: (quæ scilicet tractant de actibus voluntatis) id probat ex eodem Arist. *Quia principium activarum est probare, seu electio: nam idem est agibile, & eligibile:* Ergo electio ipsa simpliciter est praxis: non verò actus intellectus quatenus talis est. Videantur Thomistæ supra citati. Inter quos Capreolus, licet conclus. 4. concedat actum intellectus, quatenus liber est, & quoad exercitium esse praxim, ipse tamen se explicat ad 1. Gregorij: dicens opus intellectus non esse praxim, nisi mediante electione. Et ad secundum infert ipsum opus intellectus non esse verè praxim; sed potius electionem illam, quæ regulatur immediate à prudentia.

Per quod solvantur plura argumenta, quæ contra nos congerunt aduersarij, obicientes plures actus intellectus, qui impetrantur à prudentia, & ipsam contemplationem, quam imperat, & dirigit prudentia præscribendo modum, tempus, & alias circumstantias, ut sit actus virtutis: de quibus necessariò concedendum



concedendum videtur esse praxim; siquidem imperantur, & regulantur à prudentia. Dicendum est enim omnes hos, & similes actus intellectus dirigi, & regulari à prudentia, non formaliter in quantum sunt actus intellectus; sed quatenus sunt actus virtutis: quod habent ab electione, vel ab alio actu voluntatis. Vnde sicut ipsi de se non dicuntur boni, vel mali moraliter, sed per ordinem ad voluntatem, & denominatiue ad illa: ita neque de se sunt practici, sed per ordinem ad voluntatem, seu electionem, quæ propriè est praxis.

60. Ex dictis inferitur scientiam practicam esse illam, quæ versatur circa praxim, seu quæ dirigit actiones alterius potentie ab intellectu: speculatiuam verò, quæ non exit extrà ipsum intellectum. Vnde etiam colliguntur alia discrimina scitu digna inter has scientias, quæ tangit benè Tolet. hic quæst. 4. Differunt enim primò fine, vt dictum est. Hic autem finis non debet esse extrinsecus, & operantis (vt aiunt) quem scilicet sibi quisque potest pro libito præscribere; sed intrinsecus, & operis. Qui in scientia speculatiua est cognitio rei, non vt operetur, sed vt cognoscatur: in practica autem est cognitio rei, non tam vt cognoscatur, quàm vt operetur. Propter quod dixit Arist. 2. Metaph. cap. 2. practicum non considerare causam secundum se, sed in ordine ad opus. Vnde etiam fit ad cognitionem practicam non solum requiri, quod sit de re operabili; sed etiam quodd ipsa cognitio potius esset speculatiua. Nam vt rectè inquit D. Thom. 1. q. 14. art. 16. *Si adificator consideret, qualiter possit fieri aliqua domus non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum: erit quantum ad finem speculatiua, consideratio tamen de re operabili.*

Secundò differunt: ) quod etiam tradit Arist. 11. Met. ph. cap. 6. & lib. 6. citato cap. 1. quia in speculatiuis principium est in ipsis rebus: id est ab ipsis rebus sumimus cognitionem; & ipsa cognitio conformatur rebus; tuncque est perfecta, quando eis adæquatur, & propterea obiectum respectu cognitionis speculatiue dicitur principium, & mensura. At verò in practicis omnia sunt è contrà: nam principium est in nobis; quia nos sumus causa rei: & nostra scientia est rerum ipsarum mensura: vnde tunc res sunt perfectæ, quando adæquantur, & conformantur ipsi scientiæ. Quod quomodo sequatur ex ipsa natura scientiæ speculatiue & practice iam explicata, facillè consideranti patebit.

### TRACTATVR PRÆCIPVA difficultas, & quæstio resoluitur.

#### §. II

61 **H**is pro intelligentia quæstionis necessariò prænotatis, ad ipsam accedo. Prima sententia asserit, Logicam propriè, & simpliciter loquendo, esse simul practicam, & speculatiuam. Sic docent Vasq. 1. part. disput. 8. cap. 5. & disp. 9. cap. 3. Rub. hic quæst. 5. Hurtado disp. 2. sect. 2. Camero disp. 3. dub. 3. & alij.

Probatum primò ratione, qua conuincitur Rubio: quia Logica non solum procedit modo resolutorio, qui proprius est scientiarum speculatiuarum; sed etiam modo compositiuo, qui constituit scientias practicas: ergò simul est speculatiua, & practica. Consequentia patet, & probatur antecedens: quia Logica verè contemplatur naturam, & passionem sui obiecti per resolutionem vsque ad prima principia: simulque introducit formam syllogismi, aut definitionis in materiam: ergò procedit utroque modo.

Secundò: quia non repugnat practicum, & speculatiuum eidem scientiæ simpliciter conuenire, ergò id potest & debet concedi Dialecticæ. Antecedens patet in sacra Theologia, quæ est communis Theologorum sententia cum D. Thom. 1. p. q. 1. art. 4. simul & practica, & speculatiua est. Consequentia verò probatur: quia Logica est communis ianua, & generale quoddam instrumentum ad acquirendas omnes scientias: sed inter has quædam sunt speculatiue, & alie practice: ergò concedi debet Dialecticæ utraque ratio; speculatiue quidem, vt speculatiuis viam aperiat, & practice vt introducat ad practicas.

62 Secunda sententia affirmat Logicam simpliciter, & solum esse scientiam practicam. Sic docent Gabr. Greg. Aureol. & alij antiqui, quos refert Gallego hic controu. 6. Eamque defendunt ex modernis Fons. 2. Metaph. c. 3. q. 2. sect. 3. Conimbr. q. 4. procœmiali art. 5. Murc. disp. 1. q. 4. & Rapha. de Auerſa q. 1. sect. 6.

Probatum primò ex Arist. 6. Metaph. 1. vbi diuidens scientiam speculatiuam in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam, nullam Logicæ Mentionem facit; ergò ex mente Arist. Logica non est scientia speculatiua, sed practica.

Secundò probatur ratione: quia illa est scientia simpliciter, & solum practica, quæ habet pro obiecto, & fine aliquid operabile ab eo, in quo est talis scientia; proceditque modo operabili; sed Logica est huiusmodi: ergò, &c. Maior constat; minor verò probatur: quia Logica versatur circa definitiones syllogismos, & similes intentiones quæ sunt à nobis operabiles; & tradit modum, & præcepta, quibus rectè conficiantur: quod est agere de illis modo operabili.

Tertiò, quia quælibet scientia speculatiua est nobilior scientiis practicis, sed Logica non est nobilior illis: ergò non est speculatiua. Maior constat ex Arist. 6. Metaphysicæ text. 2. asserente, quodd *Theorica aliis scientiis desiderabiliores sunt*, seu *illis propomenda*, vt habet translatio Bassationis. Minor verò probatur: quia mobilitas scientiæ sumitur ex certitudine, & nobilitate obiecti, vt ibidem tradit Arist. sed inter omnia obiecta scientiarum debilissimum, & incertissimum est subiectum Logicæ, vt supra n. 22. vidimus ex D. Tho. ergò Logica est ignobilior cunctis scientiis, etiam practicis.

Confirmatur: quia scientiæ speculatiue non quærantur quasi ad aliquid utiles; sed vt per se honorabiles, vt ex eodem Arist. probat D. Thom. 6. Ethic. lect. 6. sed Logica intrinsecè, & per se quæritur propter alias scientias, vt potè quæ ex natura sua est via, & instrumentum ad illas comparandas: ergò Logica non est scientia speculatiua, sed practica.

63 Nihilominus dicendum est secundò Logicam non posse esse simul, & simpliciter practicam, & speculatiuam. In hac conclusione conueniunt cum Autoribus citatis, aliò omnes adducendi conclusionem seq. *¶* Fundamentum sumitur ex D. Th. 1. p. q. 1. art. 4. quia vnus, & idem habitus scientiæ inferioris, seu omninò naturalis, (quæ scilicet principiis altioris ordinis non subordinatur) nequit esse simpliciter practicus, & speculatiuus: sed Logica est huiusmodi: ergò non potest esse simpliciter practica, & speculatiua. Minor, & conseq. constat. Maior autem probatur. Primò: quia vt sumitur ex Arist. 6. Metaph. c. 1. & probant rectè Caietanus, Bannes, Nazarius, & Gonzales, loco citato ex 1. per practicum, & speculatiuum sumpta formaliter, secundum quod inueniuntur in habitibus inferioris ordinis, sunt differentie essentielles eorum se inuicem excludentes: quippe cum *una, & eadem ratio formalis obiecti, finita* (vt benè inquit Caiet.) *non possit habere utramque hanc conditionem, quod scilicet si ex qua sumitur regula operandi, quod sit in se scibilis etiam si*

*si nulla posset ex earegula operis desumi; Ergo utraque ratio non potest eidem habitui inferioris ordinis simpliciter conuenire.*

Secundò probatur eadem maior: quia scientiæ practicæ, & speculatiuæ omninò naturales subordinantur habitibus principiorum essentialiter diuersis, nempe synderesi, & intellectui, quæ specie differunt, ut sumitur ex D. Thom. eadem 1. p. quæst. 79. art. 12. ergo practicum, & speculatiuum secundum quod in eis inueniuntur, sunt rationes essentialiter diuersæ, & repugnantes. Sed Logica est scientia omninò naturalis, & inferioris ordinis, ut patet: ergo ipsa non potest esse simpliciter practica, & speculatiua.

64. Respondebis cum Vazq. vbi suprà, tunc practicum, & speculatiuum esse differentias essentielles; quandò vnumquodque adæquatè inspiciatur ab aliqua scientia; non verò si respiciatur inadæquatè, ut contingit in Theologia: ac pro inde tunc non se inuicem excludere; sed posse eidem scientiæ conuenire.

Sed contra est, & quia omninò repugnat duo obiecta, quæ secundum aliquas duas rationes respiciuntur adæquatè à duabus potentiis, vel habitibus, secundum easdemmet rationes respici inadæquatè ab alia tertia potentia, vel habitu; sed debent respici secundum altioremet aliam rationem, in qua illæ duæ adueniunt: ut patet in exemplo sensus communis, quod adducit D. Thom. art. illo 4. citato. Ex eo enim quòd color, & sonus secundum proprias rationes adæquatè respiciantur à visu, & auditu; repugnat, ut sub eisdem rationibus respiciantur à sensu communi, etiam inadæquatè: aliàs iste non esset tertia alia potentia, sed aggregatum ex sensibus propriis. Cum ergo practicum & speculatiuum secundum quod inueniuntur in habitibus inferioribus, adæquatè respiciantur à pluribus scientiis naturalibus: planum fit secundum easdem rationes non posse respici, etiam inadæquatè ab aliqua alia tertia scientia sed id debet esse secundum altioremet aliam, & nobiliorem rationem, ut contingit in Theologia. Hoc autem per se constat non posse Logicæ conuenire, quæ est infima scientiarum: ergo, licet Theologia sit simul practica, & speculatiua id tamen Logicæ est omninò denegandum.

65. Dicendum est tertio Logicam simpliciter, & absolutè tantum esse scientiam speculatiuam: licet secundum quid, & per quandam analogiam possit denominari practica, & ars. Hæc conclusio habet fundamentum in Aristot. ut patet ex dictis §. præcedenti: imò, si credimus Lættio lib. 5. de vitis Philosophorum in via Aristotel. planè illam docuit diuidens scientiam contemplatricem in Physicam, & Logicam, est etiam expressa sententia D. August. 8. de Ciuitate, cap. 4. & D. Thom. infra adducendi: quem sequuntur concorditer Thomistæ, Capreolus, & Conradus vbi sup. Torres 1. p. quæst. 1. artic. 4. Nauarrete ibid. controuerf. 1. in principio, Flandria, & Zanardus 6. Metaph. q. 5. Sor. Tolet, & Masius hic q. 4. Sanchez lib. 1. q. 16. & plures alij quos referunt, & sequuntur noster Didacus à Iesu, & Gallego sup. nu. 57. citati Quibus etiam consentiunt Scorius, & discipuli eius qu. 4. prologi: estque communis inter Doctores alicuius nominis, ut quæ. citata art. 1. farentur Conimbricenses.

66. Probatur primò conclusio ex D. Th. 1. 2. qu. 57. art. 1. ad secundum, vbi ait: *Etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdam operis: puta constructio syllogismi, aut orationis congrua, aut opus numerandi, vel mensurandi. Et ideo quicumque ad huiusmodi operationis, habitui speculatiui ordinantur, dicuntur per quandam similitudinem artes.* Quibus ver-

bis duo asserit Angelicus Doctor; Primum est, non quodcumque opus extrahere habitum speculatiuum à ratione speculatiui; ac pròinde, etiam si in Logica detur constructio syllogismi & in Geometria, aut Arithmetica opus mensurandi, aut numerandi: non idè scientias istas desinere esse speculatiuas. Secundum est, ex eo, quod in istis scientiis detur aliquid per modum operis, habere aliquam similitudinem cum artibus, & sic analogicè dixi artes.

Confirmatur ex eodem D. Th. 1. 2. q. 5. art. 2. vbi sumens tertium argumentum à scientiis speculatiuis ad practicas sic: *In scientiis speculatiuis, ad eandem scientiam pertinet inquirere, & determinare: ergo pari ratione in operatiuis.* Respondet: *Ad tertium dicendum, quod etiam speculatiuis alia rationalis scientia est Diuinitas, quæ ordinatur ad inquisitionem, & alia scientia est demonstratiua, quæ est veritatis determinatiua.* Ecce D. Tho. expressè asserentem Logicam esse scientiam speculatiuam, pro ut speculatiuum distinguitur contra practicum: & hoc non solum quantum ad partem demonstratiuam: sed etiam quantum ad partem Topicam (& idem est de sophistica, ut patet.) Ergo ex mente D. Tho. Logica simpliciter, & absolutè tantum est scientia speculatiua.

67. Secundò probatur à priori: quia actus quos Logica dirigit, non sunt praxis, sed speculatio: ergo ipsa non est practica, sed speculatiua. Antecedens probatum est §. præcedenti: & consequentia est euident: ergo, & c. ¶ Confirmatur ex ibidem dictis, quia Logica neque est factiua, ut de se patet: cum non versetur circa actiones transeuntes: neque actiua, quia hæc versatur circa operationes, quarum principium est electio, quod non reperitur in operationibus: quas Logica dirigit: ergo non est scientia practica. Patet consequentia: quia bene valet à negatione omnium membrorum diuidentium ad negationem diuisi.

Dices cum Vazq. vbi sub num. 19. quod etiam in operibus Logicæ principium est electio: siquidem liberè fiunt; & voluntas mouet intellectum ad suos actus, sicut cæteras potentias: Ergo Logica verè est scientia practica actiua, ut potè quæ versatur circa opera, cuius principium est electio.

Sed argumentum indignum est, cui Philosophus respondeat. Si enim aliquid probat, probat etiam nullam esse scientiam speculatiuam: siquidem omnes actus cuiuscunque scientiæ fiunt à nostro intellectu liberè, media motione, seu imperio voluntatis. Quare dictum Arist. quod *scientia actiua versatur circa ea: quorum principium est electio*, debet intelligi formaliter: & per se; ac pròinde de operibus quibus, formaliter & per se conuenit procedere ab electione, quo constat esse opera virtutis; quibus sicut intrinseca est moralitas, ita etiam libertas. At operationibus intellectus, ut diriguntur à Logica & à quacunque alia scientia speculatiua, per accidens conuenit moralitas, ac pròinde libertas; eodem enim modo operationes intellectus dirigerentur à Logica; vel aliis scientiis speculatiuis, siue liberè, siue necessaridè dirigerentur.

68. Tertio probatur conclusio: quia idè in Mathematicis (quæ ex communi sententia, quam tradit Arist. 6. Metaph. text. 2. speculatiuæ scientiæ sunt) constructio alicuius operis (puta trianguli, sphaeræ, aut astrolabij) non extrahit illas à ratione scientiæ speculatiuæ: quia talis operis constructio ordinatur ad cognitionem veritatis; neque per illam tales scientiæ intendunt ipsum opus factum, sed veritatem. At Logica dirigit operationes intellectus, & conficit syllogismos; non ut operetur, sed ut rectè cognoscat: neque in tali opere efficiendo intendit opus,

opus, sed veritatem. Ergo talis operis constructio non extrahit illam à ratione speculatiua.

Ex quo etiam patet id, quod ex D. Th. addimus in conclusione. Cum enim Logica in huiusmodi operibus efficiendis habeat aliquam similitudinem cum artibus propriè dictis: inde est, quod secundum quid, & per quandam analogiam possit denominari practica, & ars: sicut propter eandem rationem Geometria, & Arithmetica (quæ sunt scientiæ speculatiuæ) secundum quid denominantur artes.

Quibus adde Logicam, ex parte qua est ministra, & instrumentum aliarum, aequaliter deficere à rigore, quo ceteræ scientiæ nullum habentes minuterium appellantur speculatiuæ, seu theoricæ. Propter quod inter illas non est numerata ab Arist. ut sup. nu. 3. vidimus ex D. Thom.

69. Ad argumenta responderetur. Ad primum primæ sententiæ negatur antecedens quoad secundam partem. Ad cuius probationem patet ex dictis. Quando enim compositio ipsa, seu introductio formæ in materiam non exit extra intellectum, tota ordinatur ad cognitionem veritatis; ac proinde nihil ibi inuenitur praxis: neque à tali compositione denominatur modus compositiuius ille, qui constituit scientias practicas.

Ad secundum etiam patet ex dictis. Quod enim sacra Theologia sit simul practica, & speculatiua, habet sub altiori alia & nobilissima ratione, & quia subordinatur principiis superioris ordinis, estque specialis participatio scientiæ diuinæ, quæ simul est speculatiua, & practica: quod non potest alteri scientiæ inferiori conuenire, ut explicatum est. Ad id autem, quod additur in probatione consequentiæ, responderetur, Logicam non esse ianuam ad scientias practicas, aut speculatiuas, reduplicatiuè secundum quod sunt practicæ, aut speculatiuæ; sed secundum quod sunt scientiæ; ut scilicet scientificæ, & ordinatè procedant, in quo omnes conueniunt: ac proinde bene potest esse, quod Logica sit ianua ad scientias practicas absque eo, quod ipsa sit practica.

70. Ad primum argumentum secundæ sententiæ responsum est suprà num. 51. Ad secundum etiam patet ex dictis. Vt enim aliqua sit scientia practica, debet habere pro obiecto aliquid operabile extra intellectum; quod non contingit in Logica, ut dictum est.

Ad tertium responderetur, quod cum Logica, non sit scientia speculatiua principalis, sed ministra, & instrumentum non est necessarium, quod simpliciter sit nobilior scientiis practicis, sed sufficit secundum quid esse illis nobiliorem, ex modo scilicet speculatiuè procedendi circa suum obiectum. Neque amplius requiritur ad verificandum dictum Arist. Præterquam quod ibi solum comparat scientias speculatiuas principales, ut patet in textu.

Per quod patet ad confirmationem. Logica enim ex parte, qua est scientia speculatiua, verè est propter se appetibilis; ut potè quæ tradit cognitionem pluriū veritatum circa secundas intentiones: quæ cognitio bonum quoddam est, & perfectio intellectus; ac proinde appetibilis propter se. Cum quo tamen stat, quod ex parte, qua est ministra, & instrumentum aliarum, queratur propter illas: in quo deficit à rigore, & perfectione, qua aliæ appellantur theoricæ, ut suprà vidimus.

71. Ex dictis inferitur primò Logicam esse speculatiuam, non solum secundum quod docens est; sed etiam secundum quod est utens. Nam licet ut sic, deficiat à ratione scientiæ, ut diximus numero quadragesimo-nono, tamen non idè est propriè ars, aut practica: siquidem terminatur ad actus intellectus

qui non sunt praxis: neque operatur ea intentione, ut operetur, sed ut cognoscat. Videatur D. Thomas. secunda secundæ, quæst. 47. art. secundo ad tertium.

¶ Secundo inferitur, quid dicendum sit ad quæstionem illam inter antiquos celebrem: an Dialectica sit pars Philosophiæ, Stoicis ex vna parte, cum Zenone eorum principe id affirmantibus, ut testantur Plutarch. de Placitis cap. 1. & Laërtius in vita Zenonis; Peripateticis verò ex alia parte idem negantibus teste eodem Plutarch. & Laërtio in vita Ariston.

¶ Si enim Philosophia in sua lata acceptione, prout hic sumitur, est *Scientia entis & veritatis cognitio*, ut definit Iustinus Mart. in Dialogo aduer. Triphonem vel *Comprehensio cuiuscunque admirabilis veritatis*, ut ex Auicenna, & Alpharabio definit B. Albertus tract. 1. Logicæ, capite secundo: asserendum procul-dubio est, esse partem Philosophiæ, cum sit verè scientia: licet qua ratione est instrumentum, non contineatur sub Philosophia, ut principalis pars, sed ut quid reductum ad eam, ut loquitur Diuus Thomas Opusculo 70. quæstione quinta, articulo primo ad secundum.

72. Fundamentum vtriusque est: quia sicut ex eo, quod homo sit rectè constitutus, sibi quæ in sua natura sufficiens, colligitur habere in se instrumenta necessaria ad suas operationes, quæ verè sint partes eius, ut constat de manibus, pedibus, & aliis: eodem modo, cum Philosophia, quæ ut in præfati sumitur, est quasi integrum-quoddam corpus ex omnibus scientiis constitutum, sit sibi sufficiens, neque alicuius opes egens, ut propria vitia corrigat, & omnium scientiarum functiones administret; necessariò concludit intra se ipsam habere debere aliquam partem, quæ simul sit instrumentum aliarum, vera pars cuiusquam constat esse Logicam.

Potest etiam eadem sententia confirmari ex diuisione illa, tam repetita, quam antiqua inter Philosophos, qua diuidebatur Philosophia in naturalem, moralem, & rationalem. Quæ ortum habuit, vel ab Stoicis, ut ait Laërtius vbi suprà, vel ab Hebræis, & sanctis Prophetis, ut tradit Eusebius 11. de Præparatione, cap. 2. à quibus acceperunt Ægyptij, ut Auctor est Pierius lib. 38. in quodam Hieroglyphico. Quam etiam diuisionem: propter innumeros, eosque grauissimos Philosophos, admisernnt plures Sancti Patres. Inter quos August. 8. de Civitate cap. 4. & lib. 11. cap. 25. ex diuisione ista inuestigat numerum personarum SS. Trinitatis. Et Hieronym. tom. 2. in epist. ad Paulam Vrbicam, iuxta hanc diuisionem partitur sacras literas in naturales, morales, & Dialecticas. Sed de his satis. Videri tamen potest Masius lect. 1. Logicæ, q. 7. qui rectè probat ab hac sententia non dissidere Arist. & alios Peripateticos.

7. Dubitant etiam Doctores, an Logica sit scientia subalternans, vel subalternata. Sed huius resolutione pendet ex 1. Poster. Vbi de subalternatione scientiarum cum Arist. acturi sumus. Interim sufficiat dicere, quod si scientia subalternata sumatur, lata quadam significatione, pro scientia, cuius obiectum quomodocunque continetur sub obiecto alterius: sic scientiæ omnes naturales, & Logica dicuntur subalternari Metaphysicæ: ad quam pertinet omnium aliarum, & principia ostendere, & obiecta præscribere. Si verò subalternationis proprietas spectetur, prout à nobis explicabitur loco citato, Logica nulli scientiæ subalternatur, ut ibidem ostendemus.

Q V A E S T I O VII.

*Quomodo Logica sit necessaria ad alias scientias*

**S**I ea, quæ quæst. 4. de Logica vtente diximus, vera sunt, planè sequitur ipsam non esse necessariam ad aliarum scientiarum demonstrationes; si quidem in his nullus inuenitur Logicæ usus, vt ibidem ostendimus sed solum erit necessaria ad probabiliter differendum in quacumque materia.

Quare tantum restat difficultas de Logica docente. Hanc autem esse necessariam ad alias scientias, manifestè patet ex dictis sup. n. 3. & 5. vnde solum potest esse dubium de quantitate necessitatis; an scilicet multum, an parum sit necessaria.

74. Pro tituli intelligentia nota, necessarium definiri ab Aristot. 5. Metaphys. *Quod aliter se habere non potest*: vel vt ait Diuus Thomas 2. Physic. lectione 8. *Quod in sui natura habet quod non possit esse*, siue vt alij definiunt *Quod determinatum est ad esse*. Hoc autem est duplex. Aliud dicitur necessarium absolute; scilicet quod nullo modo potest aliter se habere, sed est omnino determinatum ad esse. Et huiusmodi est solus Deus. Aliud dicitur necessarium ex suppositione, quod scilicet est determinatum ad esse, supposita aliqua causa: nam determinatio ad esse in creaturis, necessariò prouenit ex aliqua causa, vt patet.

Vnde huiusmodi necessarium quadruplex erit, iuxta numerum causarum. Potest enim aliquid esse necessarium ex causa materiali: quomodo dicimus hominem necessariò mortalem, propter materiam contrariis qualitatibus affectam. Aliud est necessarium ex causa formali; sicut necessarium est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Aliud ex causa efficienti: quod in aliquibus appellatur necessarium per vim, coactum, seu violentum: quomodo sagitta necessariò ascendit, quando mittitur à sagittario. Quarto tandem, aliquid dicitur necessarium ex fine. Et hoc diuisit D. Tho. 3. p. q. 65. art. 4. in necessarium simpliciter, sine quo scilicet finis haberi non potest: quomodo cibus necessarius est ad vitam: & in necessarium ad melius esse, sine quo scilicet finis absolute potest haberi, sed non ita conuenienter, diciturque vtile: quomodo equus requiritur ad iter agendum.

75. Igitur ratione causæ materialis & efficientis satis constat Logicam non esse homini necessariam, sicut neque quamlibet aliam scientiam. Neque enim homo est capax disciplinæ; quia habet materiam: vt patet: neque vi, aut coactione, aliqua causa producit in homine scientiam, vt putauit Auerroes, affirmans scientias ab Angelis hominibus imprimi.

Ratione verò causæ formalis quodammodo scientiæ dicuntur homini necessariae: quatenus ratione suæ formæ est capax illarum, ad easque naturaliter inclinatur. Quomodo Logica magis necessaria homini dicitur, quàm aliæ scientiæ: quia non solum perficit intellectum, manifestandò ei plures veritates, quod habet cum illis commune: sed eius vitia corrigit; dirigitque ad alias scientias, & liberat ab erroribus, qui in operando poterant ipsi accidere.

Quamuis autem ratione huius inclinationis, & capacitatis Logica, & aliæ scientiæ dicantur homini necessariae non tamen ipsi habitus scientiarum in se sunt isto modo necessarij.

Non enim sunt propriæ passiones, neque fluunt necessario ab anima, vt falsò existimauit Plat. qui teste Aristot. 1. Poster. cap. 1. afferuit omnes scientias esse simul naturaliter animæ rationali inditas, vt ibi-

*Colleg. Compl. Logica.*

dem videbimus. Quare solum restat difficultas de necessitate ex fine: an scilicet Logica sit necessaria simpliciter vel tantum ad melius esse ad comparandas alias scientias.

Tandem nota scientias istas, quarum Logica est ianua, dupliciter posse sumi. Primò vtunque, & in esse imperfecto secundum quod importat cognitionem vnius vel alterius conclusionis tantum. Secundò in statu perfecto: vt scilicet sunt scientiæ integre, & includunt seriem omnium, vel ferè omnium conclusionum, quæ in eis demonstrantur. Et in vtroque sensu procedit difficultas.

76. Prima sententia absolute negat Logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendas scientias, etià sub statu perfecto. Pro hac refertur Iandunus 2. Metaph. q. 12. Quam etià sequitur Iauellus tract. 1. Logicæ c. 4. & multi recentiores, vt testatur Mas. hic sect. 2. quæst. 3.

Probatur primò quia habitus naturalis non datur ad simpliciter posse, sed ad facilius posse: ergo id quod potest faciliè consequi intellectus cum habitu Logicæ artificialis, poterit vtique simpliciter consequi sine illo. Sed medio, tali habitu potest faciliè comparare alias scientias sub statu perfecto: ergo etià sine illo poterit easdem simpliciter comparare.

Secundò, habitus Philosophiæ, aut cuiuscunque alterius scientiæ, potest sine Logica vtunque acquiri per aliquam demonstrationem facilem, vt postea videbimus: ergo illo semel acquisito, poterit ipse absque ministerio Logicæ disponere ad hoc, vt compareretur sub statu perfecto.

Probatur consequentia: quia Logica solum potest esse necessaria ad habendum perfectè scientias, quatenus ipsa præbet facilitatem ad definiendum, diuidendum argumentandum: sed vnaquæque scientia in sua propria materia est facilis ad huiusmodi opera exercenda: ergo semel acquisita imperfectè aliqua scientia sine Logica, poterit absque illa, etià in statu perfecto comparari.

Secunda sententia absolute affirmat, Logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendas scientias: etià imperfectè. Sic docent inter alios Arauxo 2. Metaph. qu. 3. art. 3 & Gallego hic controu. 1. Quorum fundamentum est: quia scientia etià in esse imperfecto acquisita est verè scientia, sicut animal imperfectum est verum animal: sed non potest comparari vera scientia sine Logica: ergo neque etià scientia quantumuis imperfecta.

Probatur minor primò: quia nullus habet veram scientiam alicuius conclusionis, nisi sciat illam resolvere vsque ad prima principia: vt sumitur ex Arist. 1. Post. ca. 2. sed sine Logica nullus scit resolvere etià imperfectè; cum doctrina ista sit ex difficilioribus, quæ traduntur in Logica: ergo sine illa non potest acquiri vera scientia.

¶ Secundò probatur eadem minor: quia Logica est velut quædam causa vniuersalis, concurrens ad actus perfectos aliarum scientiarum: ergo etià ad actus scientificos earum, quantumuis imperfectos omnino necessarius est concursus illius. Patet consequentia in sole, & aliis causis vniuersalibus, quarum concursus necessarius est ad generationem animalium, non solum perfectorum, sed etià imperfectorum.

77. Dicendum est tamen Logicam non esse necessariam simpliciter, sed tantum ad melius esse ad acquirendas scientias imperfectè, seu quoad aliquam, aut aliquas conclusiones faciles: esse verò omnino, & simpliciter necessariam ad acquirendas illas sub statu perfecto, seu vt includunt seriem conclusionum, quæ in eis demonstrantur.

Hæc conclusio quoad vtramque partem communior  
F est,

Est inter Dialecticos eamque, docent plures Thomæ, Mas. ubi sup. Petrus de Bruxellis q. 1. Logicæ, Sanchez. lib. 1. qu. 2. noster Didacus à Iesu disp. 2. q. 1. & alij, quos refert Gallego iam citatos.

Prior pars probatur: quia ad acquirendam aliquam scientiam sub statu imperfecto, sufficit conficere unam, aut alteram demonstrationem facilem in quolibet materia illius; ut dictum est: sed ad hoc non est simpliciter necessaria Dialectica: ergo neque ad eas sic acquirendas.

Probatur minor: quia in scientiis sunt aliquæ conclusiones ita proxime innitentes principiis lumine naturali notis: ex quibus adeo evidenter, facile sequitur conclusio; ut explicatis terminis, nullo negotio tales demonstrationes conficiamus. Et ex alia parte ad cognoscendam bonitatem illationis sic per se manifestæ; sufficit Logica naturalis, ut testatur modus inventionis ipsius Logicæ artificialis sup. n. 5. explicatus: ergo ad acquirendas imperfectas scientias Logica non est simpliciter: sed tantum ad melius esse, necessaria.

Secundam partem conclusionis probantea, quæ pro secunda sententia adduximus. Non enim quis potest perfecte scientiam aliquam comparare; nisi sciat conclusiones omnes resolvere usque ad prima principia; cognoscatque bonitatem illationum; necessitatem, & conditiones præmissarum; deceptiones, quæ circa eas solent contingere; & alia plura in lib. Poster. explicanda, quæ satis ex se patet absque Logica artificiali consequi non posse: ergo ipsa ad scientias sub statu perfecto acquirendas est simpliciter necessaria.

Confirmatur experientia, quia nullum vidimus absque Dialectica in aliis scientiis euisse consummatum; cum tamen solius Dialecticæ ductu absque alio magistro plures scientias multi comparauerint. Et quidem de Beato August. Possidonius in eius vita ait solius Dialecticæ fuisse discipulum. E contra verò ob imperitiam Dialecticæ veteres Philosophos in errores turpissimos lapsos fuisse testatur Arist. 1. Post. cap. 3. & alibi sæpe: ergo ipsa est simpliciter necessaria ad scientias perfecte acquirendas. Ex quo tandem fit Dialecticam ante omnes illas esse tradendam, ut pote quæ ad ipsas est summè necessaria, ut explicatum est.

78. Ad primum argumentum primæ sententiæ responderetur solum probare priorem partem nostræ conclusionis. Ex eo enim, quod habitus naturalis non sit simpliciter necessarius ad substantiam operis: solum concluditur posse quidem sine Logica acquire aliquam scientiam quoad substantiam habitus, quod sit per quamlibet demonstrationem: inde tamen non sequitur Logicam non esse simpliciter necessariam, ut talis scientia extendatur ad omnes suas conclusiones, quia talis extensio quodammodo pertinet ad modum habitus, ut alibi explicabimus.

Ad secundam negatur consequentia. Ad cuius probationem responderetur, quod quamvis Philosophia, & aliæ scientiæ præbeant facilitatem ad conficiendas definitiones, divisiones, & demonstrationes circa suum obiectum: non tamen ad cognoscendam ipsam naturam definitionis, divisionis, aut argumentationis: hoc enim facit Logica: & ideo ipsa dingit alias ad definiendum, diuidendum, aut argumentandum circa sua obiecta.

Vnde quamvis tales scientiæ semel acquisitæ circa aliquam conclusionem, disponant ad cognoscendas alias; hoc tamen non est sine ope, & directione Logicæ. Sicut quamvis virtus temperantiæ sit facilitas ad exercendum actus eius, non tamen sine virtute prudentiæ

dirigentis poterit quis medium temperantiæ semper attingere.

Ad fundamentum secundæ sententiæ neganda est minor. Ad cuius primam probationem responderetur Logicam naturalem sufficere ad cognoscendam aliquam demonstrationem facilem & bonitatem illationis eius quod est virtualiter scire resolvere ipsam in sua principia. Neque amplius requiritur ad acquirendam scientiam subesse imperfecto, ut explicabimus in lib. Post. agentes de scientiis subalternatis.

¶ Ad secundum responderetur solum habere vim contra eos, qui asserunt Logicam effectivè concurrere ad actus aliarum scientiarum, quod nos suprà. num. 39. ostendimus esse falsum. Ex eo autem quod Logica sit simpliciter necessaria ad actus perfectos scientiarum per modum dirigentis, non sequitur eodem modo esse necessariam ad actus imperfectos earum, ut inductione patet in aliis artibus.

## QVÆSTIO VLTIMA

*Quis sit finis Logicæ, & in quas partes sit diuidenda.*

79. DE fine Dialecticæ non fuit minor quàm de obiecto disceptatio. Alexander enim, & alij Græci asseruerunt esse demonstrationem: argumentationem alij, sed falluntur utrique nam ad finem referuntur omnia, quæ tractantur in scientia, & ipse intra illam non refertur ad aliud: quod tamen, neque argumentationi neque demonstrationi convenit: utraque enim ordinatur ad scientiam; cum sit instrumentum eius. Et ex alia parte ad argumentationem, aut demonstrationem non ordinatur divisio, genus, species & aliæ plures intentiones, quæ traduntur in Logica.

Rodolphus Agricola 2. de inventionem cap. 3. existimavit Logicæ finem, esse probabiliter differere de qualibet re proposita. Et tandem Stoici finem Dialecticæ esse dixerunt, separare verum à falso.

¶ Sed hi etiam decepti sunt. Nam probabiliter differere tantum potest convenire cuidam parti Logicæ, nempe topicæ. Præterquam quod id in aliud ordinatur, ut patet, & sic non potest esse finis. Discernere autem verum à falso, si sumitur pro cognitione veritatis, commune est omnibus scientiis speculativis, si verò pro instrumento, quod propriè discernit: cum hoc sit sola argumentatio: iam non potest esse finis totius Dialecticæ, ut patet. Si autem Stoici, per verum à falso discernere intelligant vel quemlibet modum rectè cognoscendi veritatem; vel disponere intellectum ut verum à falso discernat: licet non ita propriè loquantur; non tamè omnino à veritate aberrant.

80. Pro solutione ergo difficultatis notandum est primò finem, ut ad præsens attinet, esse idem gratia alia omnia traduntur in scientia. In qua definitione includuntur plures conditiones finis, quæ à Doctor. assignantur, ut quod sit aliquid bonum, ultimum: & de quo nulla sit in illa scientia consultatio. Quod sit bonum patet, nam si eius gratia aliquid sit, ergo appetitur: quod autem amatur, bonum est, ut patet ex 1. Ethic cap. 1. Quod sit ultimum, etiam constat: nam si omnia traduntur in tali scientia propter finem: ergo ipse non traditur propter aliud in illa scientia: atque adeo erit quid ultimum intra illam. Quod si finis est, quid ultimum, repugnabit esse de illo consultationem; cum hæc sit necessario de mediis ex aristot. 3. Ethicorum cap. 3. Exemplum patet in Medicina cuius finis est sanitas: quia eius gratia traduntur omnia in tali arte. Et consequenter sanitas est quoddam homini bonum, ut constat. Et similiter

vlti



ultimum; siquidem ad sanitatem præcepta omnia Medicinæ referuntur; & ipse alio non refertur intrâ eandem artem. Neque ullus Medicus consultavit, an sit sanandus ægiotus, necne, sed quibus mediis possit illi deperdita salus restitui.

Secundò notandum est finem sic explicatum esse duplicem, iuxta duo genera artium, quæ reperiuntur. Aliæ enim appellantur ancillæ; quæ scilicet administrant instrumentum aliquod arti superiori; ut ars frænefactoria, quæ ministrat frænum militari. Aliæ appellantur reginæ, quæ scilicet utuntur instrumentis ab ancillis ministratis, ut militaris, quæ utitur fræno à frænefactoria ministrato. Artes ergò, quæ vocantur ancillæ habent duos fines, alterum intrâ ipsam artem, qui est instrumentum ipsum à se confectum, & alterum extrâ ipsam qui est finis ipse artis superioris, & reginæ: nam cum ancilla intrinsecè respiciat dominam, non solum habet pro fine opus à se factum, sed finem ipsum, quem Regina intendit. Primus appellari potest finis proximus; alter verò remotus. At verò artes, quæ appellantur Reginæ, cum nulli inserviant, unico tantum fine gaudent, ut cernere licet in exemplo allato: militaris enim solum intendit victoriam, frænefactoria verò, & frænum, & victoriam.

81. His suppositis facillè est colligere, quis sit finis Logicæ docentis; de vteute enim postea dicemus. Cum enim Logica docens, ut supra vidimus, licet sit scientia speculativa, verâque pars Philosophiæ; tamen etiam est instrumentum, & ministra aliarum: inde est, quod in ea duplex finis sit distinguendus, proximus scilicet, & remotus.

Quorum prior erit cognitio sui obiecti, nempe secundatum intentionem: posterior verò comprehendit fines omnium aliarum scientiarum.

Est enim Logica ministra quædam non huius, aut illius scientiæ in speciali, sed generalis omnium, propter quod appellatur ars artium: & sic intendit, ut finem remotum, non finem peculiarem huius, vel illius scientiæ; sed generale quid, & commune in quo omnes conveniant. Quare cum omnes scientiæ huc tendant, ut perficiant intellectum, & dirigant ad rectè operandum circa suum obiectum, ut explicuimus sup. num. 14. & 15. consequens est, ut finis remotus Logicæ sit perficere, & dirigere intellectum in suis operationibus, ut in quacunque materia rectè, & sine errore fiant.

82. Non est autem hoc loco prætesendum discrimen inter Logicam, & alias artes, quæ appellantur ancillæ: quod non parum cedit in honorem Dialecticæ. Illæ enim ministrant superioribus efficiendo instrumenta, ut patet in frænefactoria, quæ efficit frænum, factum tradit militari, ut eo utatur. Et idè huiusmodi artes propriè dicuntur ancillæ: quia non per modum liberi; sed per modum servi famulantur. Logica verò, cum nullum habeat usum in aliis scientiis, ut sæpè dictum est: non ministrat illis efficiendo earum definitiones; sed docendo quomodo efficienda sunt huiusmodi instrumenta. In quo deficit à propria ratione ancillæ: quia non ministrat aliis scientiis serviliter, & operando, sed docendo, & consiliando. Et idè melius appellatur consiliativa, aut magistra, seu pædagogus illarum.

De Logica autem vteute consequenter ad dicta dicendum est, finem eius esse opinionem obiecti probabilis, & existimationem apparentis, quæ per syllogismum topicum, & sophisticum generantur. Cum enim Logica solum habeat usum in parte topica, & sophistica, ut ostendimus num. 38. aliundè autem cognitio, seu contemplatio syllogismi topici, & sophistici pertineat ad Logicam doceptem: consequens est ad vteutem, solum posse pertinere constructi-

Colleg. Compl. Logica.

tionem talium syllogismorum. Vnde finis Logicæ vteutis, vel erunt ipsi syllogismi, vel eorum effectus: qui in syllogismo topico est opinio obiecti probabilis, & in sophistico existimatio apparentis. At syllogismis ipsis non potest propriè convenire ratio finis, neque conditiones eius: cum ordinentur ad producendam opinionem, vel existimationem obiecti: ergò ipsa obiecti probabilis opinio, & existimatio apparentis sunt finis Logicæ vteutis, quod intendimus.

83. Tandem circa partitionem Logicæ nulla restat ex dictis difficultas. Licet enim antiqui aliis divisionibus vrantur; nemo tamen negare potest illam esse optimam, quæ ex obiecto desumitur. Doctores ergò, qui asserunt obiectum adæquatum Logicæ esse modum sciendi, proptè tantum comprehendit definitionem, & argumentationem, rectè Logicam cum Boëtio dividunt in rationem dividendi, definiendi, & argumentandi. Quam divisionem amplectuntur ex Arabibus Avicenna, & Alfaravius, laudatque B. Albert. tract. 1. in Porphyrt. c. 3.

Nos autem qui latius patere diximus obiectum Logicæ, extendique ad alias intentiones Logicales, dividemus Logicam iuxta earum divisionem, quæ ex nullo alio capite aptius desumitur, quam ex ipsis operibus intellectus ex quibus tales intentiones resultant. Quare cum D. Thom. 1. Periberm. lect. 1. & 1. Poster. lect. 1. quem sequuntur Caiet. Sor. Tol. & communiter Doctores, iuxta triplicem operationem intellectus, Logicam partiemur in tres partes generales. Quarum prima sibi vindicat explicandas intentiones, quæ primæ operationi dirigendæ deserviunt: complectiturque Porphyrii Isagogen, & prædicamenta Arist. In secunda erit sermo de secundis intentionibus; quibus dirigitur secunda operatio intellectus circa duos libros Periberm. Et tandem in tertia, quæ continet duos lib. Prior. duos Poster. octo Topicor. & duos Elench. agemus de secundis intentionibus tertiam operationem dirigentibus.

## APPENDIX.

### De methodo, seu modo procedendi.

84. Q Vanta sit vis methodo in omnibus disciplinis, ignorant proculdubio illi Dialectici, qui nec verbum unum de ea faciunt; sed nouerunt optime duo illa Philosophiæ lumina, Galen. & Arist. qui nullam partem Philosophiæ explicandam susceperunt quin prius methodum, qua illa facilius compareretur, tradiderint. Ego semper (ait Galen. in lib. Num ars tuendæ sanitatis ad Medicum spectet) idem censeo: neque enim unquam, vel tradidi, vel docui artem aliquam, cuius methodum prius non didicerim, & in ea non vix exercuerim. Idque ad vnguem observavit Arist. in omnibus suis operibus. Videatur 1. Metaph. c. ult. ubi eleganter differit de methodo, seu modo procedendi in omnibus scientiis. Ex cuius doctrina D. Th. ibid. docet proprium esse Logicæ tradere communes modos procedendi in aliis scientiis.

Videamus ergò breuiter quid, & quoruplex sit methodus, & quæ earum sit præstantior, ubi præcepta aliqua annectemus pro meliori applicatione methodi ad singulas materias. Quod præstabitur non omnino disputando, sed percensendo: neque enim discussio exacta est valde necessaria in hac materia. Pro qua tamen videri potest Carpentarius in disputat. de methodo. aduersus Ramum: ubi doctè illum confutat, eo quod asseruit Aristor. in Philosophia, & Dialectica nullam seruasse methodum, illum propterea appellans

F 2

appellans amethodicum. Quam ineptam opinionem confutat etiam Lemosius lib. 1. Paradox. Dialect. errore 10. Disputant etiam de methodo inter alios Mozon. lib. 1. compositionis Dialecticæ, Villap. quæst. vlt. Procemiali. Interpretisque Galen. sed præcipuè Ioannes Argent. in commentariis in artem parvam, & latissimè Iacobus Zabarella in 4. lib. quos conscripsit de methodo.

85. ¶ Variis nominibus solet appellari methodus. Veteres quidem ante Hippocratem appellabant *viam rectam*: aliquando etiam ab Aristot. dicitur *peritia*, vt primo de partibus animalium cap. 1. aliquando *modus sciendi*, vt loco sup. adducto ex 2. Metaph. aliquando *doctrina*, seu *disciplina*: nam vbi nos 1. Physic. cap. 2. habemus, *omnis cognitio, & disciplina*, & vbi 1. Ethic. cap. 5. habemus, *omnis ars, & doctrina*, in textu Græco, loco *doctrina, & disciplina*, habetur *methodus*. A Quintiliano etiam 1. lib. Institutionum appellatur, *breue compendium*: & tandem à Cicerone aliquando dicitur, *via*, & aliquando *doctrina*, vel *peritia*.

Methodum sub nomine peritiæ definit Arist. loco citato de partibus animalium. Ex quo loco, & aliis definitionibus, quæ sepè affert Galeus, sic possumus methodum describere: *Methodus est via communis, & ordinata, qua breuiter, & cum ratione ad opus finem peruenimus*. Vel breuiter: *Methodus est modus ordinatus procedendi in veritatis indagine*. Vbi aduertendum est, ex Hippoc. in lib. de Hominis natura, duas esse vias indagandæ veritatis: alteram per sensum, & experientiam; vt qui scire desiderant, an ignis sit calidus, manum illi applicaret: alteram per rationem; vt si ad sciendum ignem esse calidum, vteretur ratione petita ex Philosophiæ ex eo, quod sit tenuis, rarus, &c. Prima non pertinet ad methodum, sed secunda. Nam cum methodus versetur circa vniuersalia: sensui, & experientiæ ininiti non potest. Et propter hoc in prima descriptione posuimus illam particulam, *cum ratione*, & in secunda, *modus ordinatus*: utraque enim denotat viam illam, quæ reperitur in methodo, debere esse per rationem, & non per sensum.

86. ¶ Variè diuiditur methodus à DD. Nam Auctor Rhetoricæ ad Herennium lib. 3. c. 3. sub nomine dispositionis, diuidit methodum in eam, quæ progreditur ex instituto artis; & in eam quæ se accommodat ad causam temporis. Prima vtitur, qui iuxta artis præcepta progreditur; vt si in oratione, prius vteretur exordio: deinde narratione; tertio diuisione; quarto confirmatione, quinto confutatione, & sexto epologo: nam ita præscribit Rhetorica. Ceterum si quis propter temporum angustias, aut propter aliam occasionem exordiretur, vel à confutatione, vel à huiusmodi, prætermisso exordio aut narratione, ille vteretur secunda methodo, scilicet se accommodante ad causam temporis.

Rodolphus Agric. 3. de inuentione Dialect. c. 6. diuidit methodum in naturalem, arbitriam, & artificiosam. Sub naturali comprehenduntur omnes methodi, quæ procedunt iuxta regulas ordinarias artis; siue procedant componendo, siue resoluendo: de quo infra.

¶ Methodus arbitraria est illa, in qua, prætermissa methodo naturali, ad arbitrium, aliqua ratione compellente, alium ordinem sequimur. Quod nos ex parte obseruamus sup. in institutionibus, agentes prius de modo sciendi, quàm de terminis, & in his procemialibus prius inuestigantes differentiam Logicæ, quæ sumitur ex obiecto: quàm genus eius. Quod item obseruauit Porphy. in prædicabilibus, agens prius de specie, quàm de differentia: & Aristot. in prædicamentis, disputans prius de re-

latione, quàm de qualitate, vt ibi videbimus. ¶ Methodus artificiosa vocatur illa, in qua de industria peruertimus totum ordinem, ita vt posteriora prius & priora posterius tradantur. Quæ methodus familiaris est Oratoribus, & Poëtis. Vnde Virg. lib. 1. Eneadum tradit nauigationem Eneæ in Carthaginem: & 2. libr. canit excidium Troianum: cum tamen prius Troia destructa fuerit; quàm quod Eneas ad Carthaginis oras appulerit: Et quod amplius est, hac etiam methodo vtiuntur aliquando Euangelistæ, interdum prius referentes, quæ posterius facta sunt, vt patet Marc. 14. vers. & norant communiter DD. qui historiam Euangelicam texunt.

Cæterum quamuis hæc diuisiones optimæ sint, tamen non multum conferunt Philosophis: & idè non sunt ita propriè Dialecticæ. Non enim scientiæ vtiuntur omnibus his methodis. Nam methodus artificiosa nulli scientiæ deseruit. Methodo autem arbitraria, licet aliquoties in scientiis vtiatur, frequentius tamen vtiuntur methodo naturali, & idè de hac deinceps agemus.

87. Diuiditur ergo methodus naturalis in methodum compositionis, & resolutionis. Methodus compositionis est via, in qua progredimur à simplicioribus, & prioribus, ad magis composita, & posteriora: quod quatuor modis potest contingere. *Primo*, quando procedimus à simplicioribus ad magis composita, vt quando Grammaticus progreditur à literis, ad syllabas, à syllabis, ad dictiones, & ab his ad perfectas orationes. Quemadmodum, vt potè magis tyronibus accommodatum, ex parte etiam obseruauimus in summulis, agentes in lib. 1. de terminis, deinde de proportionibus: & vltimò de argumentatione. *Secundò*, quando progredimur à magis ad minus vniuersalia, vt si disputaturi de animalibus, prius ageremus de animali in communi, & postea de homine, vel alio speciali animali. Quem modum obseruauit Aristot. in tota Philosophia, & in libris de partibus, & historia animalium. *Tertiò*, quando proceditur à causis ad effectus. Quemadmodum obseruaret, qui disputaturus de eclipsi lunæ, prius ageret de interpositione terræ. *Quarto*, tandem, quando progreditur à mediis ad finem. Quem modum obseruat Architectus, iaciens prius fundamentum, erigens deinde parietes, & tandem constituens tectum, ad quod sequitur secunda, & commoda habitatio, quæ est finis.

At verò methodus resolutionis: cum sit contraria methodo compositionis; erit contrariò modo definienda, & diuidenda. Est ergo via, in qua progredimur à magis compositis, & posterioribus ad simpliciora, & priora. Quod consequenter aliis quatuor modis contingit. *Primo* à compositionibus ad simpliciora, vt in Grammatica ab oratione ad dictiones, &c. *Secundò* à minus ad magis vniuersalia, vt ab homine ad animal. *Tertiò* ab effectu ad causam, vt ab eclipsi ad interpositionem terræ. *Quarto* à fine ad media, vt à sanitate, ad medicamenta.

88. ¶ Ex his duabus methodis, methodus resolutionis est accommodata ad artes inueniendas: nam ex notione finis artes sunt adinuentæ. Et ita Aristot. ex demonstratione, quæ est vltimum in Dialectica, inuenit totam artem. Quia enim ad demonstrationem necessariae sunt propositiones; de illis egit in lib. Periherm. & quia ad propositiones necessariae sunt termini simplices; de illis egit in lib. Præd. Methodus autem compositionis, præcipuè duobus primis modis apta est ad disciplinas tradendas. Cum enim ars imitetur naturam, teste Arist. 1. Physic. cap. 3. & hæc in suis operibus progrediatur, vel à simplicibus ad composita, vt patet in elementis, ex quibus procedit ad mixta, vel ab vniuersalioribus ad minus

minus vniuersalia, vt patet in generatione hominis, in qua iuxta doctrinam eiusdem Arist. 2. de gener. animalium cap. 34. prius embrio est viuens; deinde animal, & postea homo: consequens est, vt ars qualibet tradenda sit methodo compositionis. Huius methodi vtrumque modum in hac Logica seruaturi sumus: nam ab inentionibus rerum simplicium ad propositiones, & ab his ad argumentationem cum Arist. deuenimus. iuxta tres generales partes, quas promissimus: & in vnaquaque earum ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia descendemus.


89. ¶ Tandem ad doctrinam de methodo singulis materiis rectè applicandam plura præcepta traduntur. Quæ magis necessaria videntur, sunt; Primum: vt in omnire habente principia, causas vel elementa; ab illis disputatio incipiat. Quod præcipit, & obseruat Aristot. 1. Phys. nam acturus de corpore, prius disputat de principiis eius, nempe materia & forma. ¶ Secundum est, vt quantum fieri possit, procedatur ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia, vt sup dicebamus. ¶ Tertium: vt procedatur etiam, quantum fieri possit, à notioribus nobis ad notiora naturæ, Sic præcipit & obseruat Aristot. in Metaphysica, vbi acturus de substantiis separatis, prius egit de materialibus. ¶ Diximus, quædam fieri possit: quia aliquando præcepta ista possunt se mutuo impedire: & tunc obseruandū est sequens præceptū.

¶ Quartum, & maximè norandum præceptum est, vt in tradenda qualibet disciplina habeatur ratio, tum rerum, quæ tractantur, tum etiam auditorum, quibus proponuntur. Primum docuit Plato in Phædro, & Arist. 1. Ethic. cap. 3. Non enim res omnes eodem genere argumentorum sunt tractandæ; sed res sempiternæ, & omnis mutationis expertes exactissimis demonstrationibus, quantum fieri possit, oportet discutere: at caducæ, & quæ statim labun-

tur, satis erit si rationibus verosimilibus, & probabilibus pertractentur: neque enim in omnibus rebus querenda est eadem certitudo, & acrobologia mathematica vt inquit Arist. 2. Metaphys. cap. vlt. De quod videri potest D. Th. ibidem lect. 5.

90. Quod autem, etiam auditorum sit habenda ratio in tradendis disciplinis, præcipiunt Pythagorici, vt testatur epist. Lydis ad Hiparcom. Idque docent Plat. epist. 2. ad Dionis. & Porphy. in lib. Responsum. Nam tyronibus alicuius artis non sunt alta mysteria proponenda: prouectioribus autem proponi poterunt res sublimes; & acutissimæ demonstrationes. Huc spectat, quod Plat. in Timæo docuit res omnes esse animatas animam quadam se diffundente per illas: cum tamen in aliis locis docuerit sola animalia esse animata. Non quod summi Philosophi sibi contrarietur, vt notat opimè Galenus in libello de substantia facultatum: sed quia diuersos auditores instituebat. Nam coram rudibus, qui percipere non possunt esse alia animata præter animalia, docuit sola animalia esse animata: at coram prouectioribus, quos in Timæo instituebat, aptique erant ad profunda quæque mysteria penetranda; docuit hoc reconditum mysterium: omnia scilicet esse animata.

Ex quo non parum reprehenditur abusus quorundam Dialecticorum nostri temporis: Nihil enim se fecisse putant, si in ipso limine Dialecticæ subtiliores Metaphysicæ quæstiones non pertractant. Et quod peius est, ij, qui regulas rectè procedendi seuerè obseruant, vt ignorantes spernuntur. Cedemus ergo nos aliquando abusui, vt morem nostri temporis sequamur; interdum attingentes Metaphysicas quæstiones vel quia erunt ad nostrum institutum necessariae: vel quia alio commodiori loco non poterunt pertractari. Id tamen raro fiet, & ita, vt propria non omittamus.



# PRIMA PARS LOGICÆ

## DE SECVNDIS INTENTIONIBVS.

### QVIBVS DIRIGITVR PRIMA

#### operatio intellectus.

**I**NC prima operatio intellectus censetur directæ quando res simplices apprehenduntur, sicut sunt in se. Quod magna ex parte fit, quando intellectus cognoscit rationes genericas in quibus vnaquæque res cum aliis conuenit; & propriam differentiam, per quam ab eis distinguitur. Ad quod perfectè consequendum oportet noscere, tum ipsas intentiones generis, & differentia: tum etiam res ipsas, seu perfectiones reales, quæ ab illis denominantur. Si enim has ignores, consequenter ignorabit, quæ earum pro genere; quæ verò pro differentia in definitione collocanda sit. Quod vt commodius fieret, opus fuit res omnes, quæ in mundo sunt, ad certa genera reuocare. Cum enim ens incomplexum, quod est obiectum prima operationis sit confusè dispersum in vniuerso; vt patet de albedine, quæ confusione quadam cum figuris, cum quantitate, aut relatione mixta est; difficillimum foret circa quodcumque incomplexum, intellectus aciem figere; nisi rerum ordines distinguerentur, & sic diuisa, ad certa capita reuocarentur.

Hac de causa Aristoteles in libro Prædicamentorum omnia entia realia ad decem classes reduxit: vt sic facile possemus rerum omnium essentias inuenire. Quia tamen prædicamenta solum pertinent ad institutum Dialecticum, vt obiectum materiale, quod in se recipiunt intentiones generis, & speciei, vt dictum est idè oportuit ante librum Prædicamentorum de huiusmodi intentionibus disputare. Et inde emanauit communis Dialecticorum usus, præmittens Porphyrij Isagogem de quinque vniuersalibus: quem ordinem nos etiam obseruabimus. Sed priusquam ad Porphyrij tractatum accedamus, sit.



## DISPUTATIO II.

## De Ente rationis.



¶ V A M V I s nulla scientia inferior, habens pro obiecto aliquam determinatam speciem entis, consideret per se gradus genericos talis obiecti (non enim Philosophia, per se considerat gradum substantiæ, qui inuenitur in corpore: neque Arithmetica rationes entis, aut accidentis, quæ inueniuntur in numero; & sic de aliis) tamen absque aliquali talium graduum notitia à scientia superiori mutuata, non potest scientia inferior commodè procedere. Hac de causa, quamvis Logicæ obiectum sit quædam determinata species entis rationis, ut disp. 1. n. m. 31. explicuimus: & per consequens ad Logicam per se non pertineat de ente rationis in communi disputare: quia tamen absque aliquali eius notitia non poterit perfectam sui obiecti cognitionem comparare: merito hanc disputationem instituiamus, eam à Metaphysicâ mutuantes, ad quam pertinet consideratio entis rationis in communi.

## QVÆSTIO I.

## An datur Ens rationis.

¶ Quid nomine entis rationis significetur, disput. 1. n. 11. explicuimus. Pro maiori tamen eius notitia, & tituli intelligentia sciendum est, et D. Thom. opusc. 48. tract. 2. c. 1. quod ens in anima, seu rationis dicitur multipliciter *Primo* effectiue: ut *arctæ* (inquit) *est in mente artificis, antequam fiat*: & generaliter omnes effectus intellectus, siue naturales; sicut artificiales appellantur hoc modo entia rationis. *Secundo*, subiectiue: sicut scientia aut quilibet habitus, vel actus, aut etiam species intelligibiles: quæ omnia sunt in intellectu tanquam in subiecto. *Tertio* tandem, & obiectiue, per modum scilicet obiecti cogniti, sicut sunt res omnes, quæ intellectui præsentantur. Quæ adhuc sunt in duplici differentia. Nam vel tales res habent esse extra intellectum: & hæc sunt entia realia; vel nullum aliud esse habent, quam obiecti ipsi intellectui, ut intellectus cognitione cessante statim euanescent; & hæc propriè appellantur entia rationis. De quibus inquirat difficultas; an sint amittenda, necne?

¶ 1. Partem negatiuam defendunt Balles q. 1. Philosophiæ, & Bern. quidam Mirand. (non Picus Mirandul. ut citat Murcia nominum similitudine deceptus) Mairon, & alij quos refert Aranx. lib. 3. Metaphysicæ qu. 1. art. 2. Quam reputant probabilem plures moderni.

¶ Probatur 1. quia ens rationalis nullas habet causas sui: ergo ipsum non est possibile, seu factibile. Consequentia patet: quia repugnat aliquod creatum habere esse, & non ab aliqua causa efficiendi, remouentur etiam alie causæ, si quidem efficiens est, quæ respiciens finem educit formam ex materia: sed nulla datur causa efficiens entis rationis; quandoquidem intellectus à quo solo poterat procedere causat media efficienda, seu actione reali, quæ necessariò terminatur ad effectum realem: ergo ens rationis nullas habet causas.

¶ Secundo quia ens rationis, antequam cognoscatur, nullo modo est ut supponimus: ergo non est cognoscibile: ergo neque ens. Patet hæc vltima consequentia: quia eo modo, quo aliquid est ens, est cognoscibile: sed id quod appellatur ens rationis, ante cognitionem est omnino nihil: ergo est incognoscibile & per consequens non potest terminare cognitionem quomodo enim cognoscetur, quod antequam cognoscatur non erat cognoscibile?

¶ Confirmatur, & explicatur hæc ratio: quia id quod in actu secundo intelligitur, debet præsupponi intelligibile in actu primo: sed ens rationis, antequam actu cognoscatur, non præsupponitur cognoscibile, ut probatum est, ergo nullum potest habere esse per ipsam cognitionem. Probatur maior: quia obiectum non sit intelligibile per ipsam cognitionem intellectus possibilis, sed per actionem intellectus agentis, quæ illi præsupponitur: ergo quidquid in actu secundo cognoscitur, siue cognoscatur ut obiectum primum, siue obiectum secundarium, proportionabiliter præsupponitur factum cognoscibile ab intellectu agente.

¶ Tertio tandem quia si daretur ens rationis, consequenter concedendum esset posse dari genus absque speciebus, essentiam absque passionibus & passionibus absque essentia: quæ omnia videntur absurda. Probatur sequela: quia si daretur ens rationis, totum solum esset cognosci: sed posset cognosci gradus genericus entis rationis v. g. gradus vniuersalitatis; qui inuenitur in quinque prædicabilibus, absque eo quod actu cognoscantur propriæ rationes vniuersales: similiter posset cognosci vniuersale, absque prædicabilitate, quæ est passio eius; & prædicabilitas, absque vniuersali: ergo actu daretur genus absque speciebus, essentia absque passionibus; & passio, absque essentia.

¶ Nihilominus dicendum est necessariò concedenda esse entia rationis. Hæc conclusio est communis consensu Peripateticorum. Quam docuit Arist. 4. metaph. textu. 12. & 14. & lib. 6. textu 8. D. Thom. locis sup. dist. 1. n. 17. adductis, cum etiam in 1. dist. 26. q. 2. art. 1. & 1. par qu. 28. art. 1. vbi Caietanus, & communiter expostores.

¶ Probatur primo, sumpta ratione in contrarium, ac sumebat opposita sententia: quia ens rationis est per se & directè scibile: ergo etiam est intelligibile & per consequens possibile. Consequentia patet: quia scibilitas est quædam specialis, & perfecta intelligibilitas. Antecedens verò latè ostensum est loco citato, vbi probauimus obiectum formæ Logicæ esse ens rationis.

¶ Secundo probatur experientia: quia privationes, & negationes cognoscimus: sed non ut in se sunt: quia sic sunt nihil: ergo cognoscuntur, ac si essent aliquid: ergo tunc, quæ nullum esse habent à parte rei, habent esse obiectiue in intellectu; quod est ens rationis à nobis intentum.

¶ Tertio: quia hæc propositio est vera, *animal est genus*, ergo de animali enuntiatur aliquid, quod illi conuenit. Sed non enuntiatur aliquod prædicatum, aut esse reale, ut patet: ergo enuntiatur aliquod prædicatum, aut esse illi per rationem conueniens.

¶ Confirmatur: quia quanto distinguimus, quæ à parte rei sunt idem, quando iungimus, quæ à parte rei sunt distincta; & quando comparamus ea, inter quæ nullus est ordo realis (quod in rebus tractandis sæpè necessarium, sæpius autem vtilissimum esse experientia ipsa testatur) cognoscimus illa ac si verè essent distincta vel haberent veram vniionem, aut relationem: ergo cognoscimus, quod non est, ac si esset: & per consequens tunc est in intellectu aliquod esse obiectiue.

obiectiue, quod non est rebus. Hoc autem vocamus ens rationis: ergo possibilia sunt & de facto dantur entia rationis.

6 Ad argumenta responderetur. Ad primum negatur antecedens. Ad cuius probationem Suarez disp. 54. Metaph. sect. 2. concedit quidem ens rationis, eo modo quo est ens, habere causam efficientem sui id tamen de aliis causis, & maxime de finali renuit concedere.

¶ Immerito tamen. Non est enim cur in entibus rationis causæ efficienti non corresponsdeat sua finalis, iuxta generalem doctrinam de connexionem harum causarum. Maxime cum intellectus sæpè formet entia rationis; ut rectè, & sine errore cognoscat: ad quem finem ex natura sua ordinantur intentiones logicæ; ergo non, solum cognitio ipsa intellectus, qua formatur ens rationis, habet causam finalem, ut inquit Suarez, sed ipsi etiam enti rationis corresponsdet causa finalis sibi proportionata.

De materiali etiam constat: nam ut quæst. sequenti videbimus, ens rationis non est pura denominatio extrinseca; sed ad modum formæ quasi intrinsecè subiecta denominat: unde res ipsæ denominatæ habent rationem causæ materialis respectu illius. Ipsumque consequenter erit quasi causa formalis illarum, & sic non indigebit alia causa formali.

Quare solum restat respondere ad id, quod de causa efficienti adducitur in argumento. Concedimus ergo ens rationis non habere causam efficientem propriè dictam; quæ scilicet verè, & realiter influat in effectum. Sicut enim ens rationis non habet esse verum, & reale; ita etiam non potest esse effectus causæ verè, & realiter influentis. Et idè non fit per propriam actionem realem, aut etiam per veram, & realem emanationem. Sed sicut est ens secundum quid, & quasi umbra & similitudo entis realis: ita etiam secundum quid dicitur fieri, aut esse effectum, per similitudinem ad ens reale, quatenus ex operatione intellectus res aliter, ac sunt in se, concipientis, intelligitur in illis resultare quoddam esse fictum, quod tantum habet esse obiectiue in intellectu.

Quomodo autem hoc fieri possit, explicat benè noster Didac. à Iesu disp. 3. q. 1. distinguens in intellectu duplicem quasi efficientiam: aliam, qua dicitur facere effectum, & aliam qua dicitur facere obiectum. Sic exemplum in verbo mentis: quod quando intellectus primo format per actum directum, dicitur facere effectum quia tunc verè & realiter producit illud. Quando verò per cognitionem reflexam cognoscit idem verbum, dicitur facere illud ad obiectum: quia tunc facit, ut id quod erat effectus intellectus, obiciatur cognitioni eius, quod est obiectum. Efficientia ergo, qua intellectus dicitur facere effectum, exigit actionem aut emanationem realem; quia per illam communicatur effectui verum esse reale. Efficientia verò, qua intellectus dicitur facere obiectum, proptèr sic non terminatur ex natura sua ad communicandum aliquod esse reale: & idè non exigit similem actionem, aut emanationem: sed est pura denominatio extrinseca, quando res cognoscuntur secundum esse, quod habent à parte rei: quando verò intellectus cognoscit eas aliter, ac sunt in se, facit quidem illas obiectum: non præcisè denominando cognitæ: sed communicando illis quoddam esse fictum, ratione cuius terminent cognitionem, ut magis constabit quæst. sequenti.

7 Ad respon. concedendo antecedens. Inde tamen non sequitur ens rationis, antequam cognoscatur absolute non esse cognoscibile: sed quod non sit prius cognoscibile, quam cognoscatur. Hoc autem idè est, quia actu cognosci est de essentia entis rationis. Quando verò actus de essentia entis; potentia

ad illum actum non antecedit in illo ente: ut patet in Deo, in quo quia actu existere aut intelligere est de essentia eius: non antecedit istos actus possibilitas existendi aut potestas intelligendi.

Ad confirmationem responder benè noster Didac. ubi suprâ, distinguendo duplex intelligibile. Aliud, respectu cuius intellectus cognoscitur comparatur ut passum; unde etiam possibilis denominatur: & hoc est, quod fit proximè intelligibile ab intellectu agente, supponiturque actioni intellectus possibilis. Aliud verò est intelligibile, respectu cuius ipse intellectus possibilis potius comparatur ut agens: & hoc non potest supponi illius actioni, ut patet, si quidem producit per illam. Et huiusmodi est ens rationis. Quod consequenter, non tam ratione sui, quam ratione obiectorum realium, supponit operationem intellectus agentis. Sed de hoc redibit sermo infra quæst. 3.

Ad tertium responderetur concludendo sequelam, in qua nullum est inconueniens: quia sicut in entibus realibus prædicata superiora possunt optimè cognosci absque inferioribus; & essentia absque passionem; & è contrâ: ita in his entibus vnum potest esse absque alio, quia in eis idem est esse, & cognosci; ut potè quæ recipiunt esse per ipsam cognitionem. Ratio autem vtriusque est: quia inferiora, non sunt de essentia superiorum neque essentia est de essentia passionis vel è contrâ & idè in entibus reahbus superius potest intelligi absque inferiori, &c. Et in entibus rationis vnum potest absque alio esse. Quia tamen superius est de essentia inferioris idè repugnat; quod in entibus realibus inferius intelligatur absque superiori; & quod entibus rationis sit absque illo. Ex quo tandem fit, quod licet genus possit esse absque specie; non tamen species absque genere.

## Q V Æ S T I O II.

*An in sola denominatione extrinseca, vel in aliquo esse ficto consistat essentia: Entis rationis.*

8. EX dictis quæstione præcedenti manet etiam aequaliter explicata essentia entis rationis; sed constabit plenius ex hîc dicendis. Vbi pro tituli intelligentia sciendum est determinationem esse duplicem: aliam intrinsecam; & aliam extrinsecam. Intrinseca est, quæ sumitur à forma existente in ipsa re denominata; extrinseca verò est, quæ sumitur à forma existente in alio subiecto: ut albedo, intrinsecè denominat parietem album: quia existit in illo; sed visio extrinsecè denominat eundem parietem visum: quia non existit in illo, sed in vidente. Quo fit ut eadem forma denominet intrinsecè subiectum, in quo est, extrinsecè verò terminum, quem respicit unde in subiecto ponit aliquod esse reale (si forma sit realis) in termino verò nihil reale ponit, quamvis denominet illum realiter tale, ut postea dicemus.

Plura alia circa essentiam denominationis, & denominationum dicenda sunt à nobis in antè prædicamentis. Nunc solum est addendum, quod quamvis *Denominatio denominari, denominatam, & alia huiusmodi*, propriè, & formaliter loquendo, non pertineant ad ordinem rerum, sed potius ad ordinem nominum; siquidem res, non vt res sunt, sed vt nominibus significantur, dicuntur denominari, vt denominatur, ut patet ex definitione denominationum ab Aristot. tradita loco citato: ac pròinde, denominatio ipsa sic pro formali sumpta sit ens rationis, si



quidem est ipsa significatio, vel derivatio nominis: quamvis inquam hæc ita sint in præfenti tamen non loquimur de denominatione in hoc formali sensu: sed materialiter, & ut continetur in ordine rerum; secundum quod forma tribuendo suum effectum formalem subiecto, vel respiciendo terminum; dicitur intrinsecè, vel extrinsecè denominare illa. In quo sensu, quando forma denominans est realis, verè dicimus denominationem, tam intrinsecam, quam extrinsecam, dari à parte rei: paries enim à parte rei dicitur albus ab albedine sibi inexistente, & à parte rei dicitur visus, à visione inexistente, in animali. Loquendo ergò in hoc sensu inquit quæstio: an essentia entis rationis consistat in aliqua denominatione extrinseca ab intellectu, vel aliunde proveniente, an potius sit aliquod esse fictum, resultans in obiecto ex ipsa cognitione, illudque ad modum formæ intrinsecæ denominans.

9 Prima sententia, cuius meminit Rub. in tractatu de ente rationis quæstione 2. asserit quamlibet denominationem extrinsecam, à quacunque forma provenientem, esse ens rationis. Iuxta quam sententiam, non solum denominatio, qua res denominatur cognita; sed etiam ea qua denominatur volita, visa, &c. imò qua res insensibilis, puta columna, dicitur dextra, vel sinistra & similes, sunt entia rationis.

Probatur primò hæc sententia, quia Deus ex tempore denominatur creator; non à relatione reali in ipso existente: implicat enim aliquid reale ex tempore Deo advenire, ergò à relatione rationis. Sed sola denominatione extrinseca dicitur creator: ergò relatio rationis est denominatio extrinseca. Prima consequentia patet: quia creator est terminus relationis dicens ordinem ad creaturam: ergò constituitur per aliquam relationem, realem vel rationis.

Secundò, quia denominatio est opus rationis: ergò non datur ante operationem intellectus. Sed denominationes extrinsecæ nihil ponunt in rebus denominatis, præter ipsam denominationem, quam efficit intellectus: ergò sunt entia rationis.

Secunda sententia docet non omnes denominationes intrinsecas esse entia rationis, sed eas tantum, quas res recipiunt ab actu intellectus. Iuxta quam sententiam ens rationis est illud esse cognitum, quod habent res ex eo, quòd à solo intellectu cognoscantur. Ita videtur sentire Durand. in primo d. 29. q. 5. num. 7. Sor. q. 2. universalium, Oña, & alij plures. Quorum aliqui adhuc magis limitant essentiam entis rationis, asserentes non quamlibet denominationem extrinsecam cogniti sed illam tantum quæ convenit rebus ex eo quòd aliter, ac sunt in se concipiuntur esse ens rationis.

Fundamentum huius sententiæ est: quia ens rationis est illud, cuius totum esse est obiecti intellectui: sed hoc nihil aliud est, quam denominatio extrinseca cogniti aliter, ac est in se: ergò in hac consistit essentia entis rationis. Probat minor: quia actu obiecti intellectui nihil aliud est, quam terminare actionem intellectus, seu quòd cognitio versetur circa illud, quod est esse cognitum: ergò quando aliquid ita obicitur, seu cognoscitur, ut nihil aliud habeat præter obiecti, seu cognosci, totum suum esse erit terminare actionem intellectus, seu esse cognitum. Sed quando intellectus cognoscendo rem aliter, ac est in se attingit quodammodo ipsum nihil: tunc res cognita propterea sic, nihil aliud habet, præter ipsum obiecti: seu cognosci: ergò in tali esse cognito consistit essentia entis rationis.

10 Dicendum est tamen, quòd essentia entis rationis non consistit in aliqua denominatione extrinseca,

etiam ab intellectu proveniente: sed est quoddam esse fictum, seu diminutum, resultans in rebus, dum sunt in intellectu, ipsasque ad modum formæ intrinsecæ denominans. V. g. quando intellectus naturam humanam à singularibus abstractam comparat, seu cognoscit in ordine ad illa; resultat in tali natura habitudo quædam, seu relatio ad ipsa singularia: quæ cum non conveniat naturæ humanæ, secundum quod est à partem rei; sed propterea ab intellectu concipitur: propriissime est ens rationis.

Ita sentiunt communiter Doctores. Sumiturque ex Arist. 6. Metaph. text. 8. ubi ens in anima, seu rationis appellatur ens diminutum, ut testatur D. Th. in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæst. inc. 2. Qui etiam planè docuit hanc conclusionem 1. part. quæst. 16. art. 3. ad 2. & opusculo 52. cap. 1. ubi inquit, *Tunc efficitur ens rationis quando intellectus nititur apprehendere, quod non est, & ideo fingit illud, ac si ens esset.* Id etiam colligitur ex primo d. 2. q. 1. art. 3. ubi ait: *Aliquando hoc quod significat nomen est aliquid, quod consequitur ex modo intelligendi rem; quæ est extra animam; Et huiusmodi sunt intentiones quas intellectus noster adinvenit, &c.* Qui modus loquendi frequens est in D. Thom. Videatur Sanchez lib. 2. Logicæ quæst. 2. conclus. 7. ubi ait: *Quod est subvertere totam Logicam, asserere ipsos actus intellectus extrinsecè denominantes esse secundas intentiones, & entia rationis.*

11 Probatur conclusio quoad primam partem: quia ens rationis id vocamus quod nullum aliud esse habet, nisi esse obiectivè in intellectu, sed ante operationem intellectus dantur denominationes extrinsecæ (loquendo de denominatione materialiter, & ut continetur intra ordinem rerum iuxta dicta num. 8.) ergò ens rationis non potest consistere in aliqua denominatione extrinseca. Probat minor: quia Deus dicitur creator, & paries quando videtur ab aliquo animali, dicitur visus, non solum ante operationem intellectus; sed etiam si nullus esset possibilis intellectus in rerum natura: ergò totum esse harum denominationum non est esse obiectivè in intellectu.

Confirmatur: quia non solum istæ denominationes; sed etiam eæ, quibus res denominantur cognite aliter, ac sunt in se, verè sunt denominationes reales; de quibus verissimè dicitur dari à parte rei: sed hoc manifestè pugnat cum essentia entis rationis: ergò non potest in huiusmodi denominationibus consistere. Minor est manifesta: nam ens rationis distinguitur contra ens reale, per esse, vel non esse à parte rei: & idèd communiter Doctores reputant absurdum absolute concedere, entia rationis dari à parte rei. Maior etiam, præterquam quod est D. Th. 2. p. q. 35. a. 5. facile suadetur: nam Deum esse creatorem, patientem visum, ad rem intellectam etiam aliter ac in se, (loquendo de denominatione materialiter in sensu explicato) nihil aliud est, quam creaturas referri ad Deum, visionem terminari ad patientem, & intellectum ad rem tali modo intellectam, quæ omnia constat esse à parte rei.

Dices: ergò denominatio extrinseca ponit aliquid reale in re denominata. Nam idem videtur esse, asserere quòd paries est realiter visus: & quòd esse visum est aliquid reale in pariete.

¶ Respondetur negando consequentiam. Dicitur enim propositiones sunt valde diuerse: & prima est verissima; secunda autem omninò falsa. Cuius ratio est: quia per primam solum significatur parietem esse materiam, circa quam operatur potentia, seu esse obiectum eius quòd à parte rei verum est. Secunda autem propositio significat parietem esse materiam in qua, seu subiectum alicuius esse realis in illo exactione potentie

potentiæ resultantis : quod falsum est. Ex quo patet, quod reuera prius est rem esse extrinsecè denominatam, ut esse visum patierem, & Deum esse creatorem : quam quod in re sic denominata intelligamus relationem aliquam rationis. Vnde Deus formaliter loquendo non denominatur creator à relatione rationis, quam in ipso concipimus respectu creaturarum, hæc enim posterior est, sed à reali relatione creaturarum ad ipsum. Et idem proportionabiliter est in aliis denominationibus extrinsecis etiam in ea, quæ res denominatur cognita aliter quàm est in se. Quando enim animal cognoscitur in ordine ad inferiora ; quamvis ex tali cognitione resultet relatio rationis, à qua constituitur in ratione generis : tamen formaliter loquendo animal non denominatur sic cognitum ab illa relatione : sed à reali cognitione, qua intellectus cognovit illud cum tali ordine.

12 Per quod facile probatur secunda pars conclusionis. Tum quia semel admissio, quod ens rationis non consistat in aliqua denominatione extrinseca ; necessarium asserendum est esse aliquod esse fictum resultans in rebus ex operatione intellectus. Tum & maxime quia omnes relationes rationis, & præcipue secundæ intentiones logicales nullo modo intelligi, aut explicari possunt si præter istas denominationes extrinsecas, quibus res dicuntur cognitæ, non admittimus illud esse fictum resultans in ipsis rebus, easque quasi intrinsecè denominans : sed eadem ratio est de his entibus rationis, ac de aliis omnibus : ergo asserendum est omnia consistere in isto esse ficto. Minor, & consequentia constant : nullus enim quantum ad hoc distinguit inter secundas intentiones, & alia entia rationis. Maior autem probatur quia illa esse cognita, seu illæ denominationes extrinsecæ, etiam ex quibus res dicuntur cognitæ in ordine ad illud, præcisè in quantum sunt denominationes extrinsecæ, solum dicunt ordinem ad formam realem, à qua sumuntur : ergo præcisè prout sic, non ordinant rem cognitam ad suum correlativum. Sed de essentia secundarum intentionum, & cuiuscumque relationis, rationis est referre rem cognitam ad suum correlativum, ut infra constabit : ergo non possunt essentialiter consistere in denominationibus extrinsecis.

13 ¶ Ex quibus potest facile describi ens rationis ( propriè enim sub his terminis definiri non potest, quia cum sit terminus complexus constans genere, & differentia, potius est definitio quàm definitum ) *Ens rationis est, quod solum habet esse obiectivè in intellectu*, ut definit Aver. 6. Metaph. Comment. 1. vel, ut sumitur ex D. Thom. 1. p. quæst. 16. art. 3. ad 1. *Ens rationis est quod cum non sit in rerum natura, accipitur ut ens in ratione*. Ex quo patet, quod si denominatio extrinseca : quam supra explicuimus, apprehendatur ab intellectu, ut quid existens in ipsa re denominata, verè efficitur ens rationis. Nam cum in re sic denominata illud esse reale ponat formale denominans : quodq; esse ibi apprehenditur, fingitur ab intellectu, & ex consequenti est ens rationis.

Dices, etiam denominatio extrinseca, quæ res denominatur cognita, nullum esse habet nisi esse obiectivè in intellectu : ergo illi convenit definitio entis rationis. Probatur antecedens, quia repugnat illud esse cognitum esse extra intellectum, & ibi non esse subiectivè, aut effectivè, ut patet, ergo tantum est obiectivè. ¶ Responderetur cum Suar. d. 54 Metaph. scilicet 2. num. 13. illud esse cognitum, quod est denominatio extrinseca, potius esse formaliter, & subiectivè in intellectu, quàm obiectivè. Est enim, ut vidimus, actus intellectus extrinsecè positus in obiecto. Vnde per ipsum actum, quo res aliqua denominatur cognita, non co-

noscitur istud esse cognitum, & per consequens nondum est obiectivè ; usque dum per alium actum cognoscatur, & tunc fiet ens rationis. Ex quo ulterius sequitur, quod licet aliqua entia rationis fiant per actum directum intellectus, ut postea dicemus ; ista tamen quæ habent pro materia denominationes extrinsecas cogniti, semper sunt per actum quasi reflexum, ut ex dictis patet.

14 Ad argumenta respondetur, ad primum patet ex dictis num. 11. Deus enim formaliter loquendo non denominatur creator à relatione rationis quæ in illo fingitur respectu creaturarum, sed à relatione reali creaturarum ad ipsum ; siquidem ante omnem considerationem nostram verè Deus denominatur creator. Vnde nomen *creator*, non significat pro formali aliquam relationem secundum esse ; sed ipsam substantiam, seu actionem divinam, secundum quod terminat relationem creaturarum, seu ut extrinsecè denominatur ab illa. Quod quidem antecedit omnem relationem rationis : atque ita huiusmodi denominationes fundamentaliter tantum sunt entia rationis.

Ad secundum constat ex dictis supra num. 8. Si enim denominatio sumatur formaliter, ut pertinet ad ordinem nominum, verum est esse ens rationis. Sed hoc non est peculiare in denominatione extrinseca : sed convenit etiam intrinsecæ, ut ibidem diximus. Si vero denominatio sumatur materialiter, & ut pertinet ad ordinem rerum : sic denominatio extrinseca verè datur à parte rei, & sic fundamentaliter tantum est ens rationis.

Ad tertium respondetur, quod quando dicitur totum esse entis rationis consistere in obiecti intellectu : non est sensus, quod ipsum pati, seu attingi rem ab intellectu ( in quo consistit denominatio extrinseca ) sit essentialiter ens rationis : tale enim obiecti, seu attingi verè datur à parte rei, sed sensus ille est causalis ; quod scilicet obiecti, seu attingi est causa seu occasio essendi entis rationis : quatenus ex eo, quod res attingatur ab intellectu aliter, ac est in se, resultat in illa quoddam esse fictum, quod quodammodo habet rationem obiecti, & termini. In quo esse ficto, & non in illa passiva attingentia sita est essentia entis rationis. Ad quod explicandum non diximus in definitione quod totum esse entis rationis est obiecti ; sed esse obiectivè in intellectu : sic enim melius significatur ens rationis habere rationem obiecti, & termini respectu intellectus.

### Q V Æ S T I O III.

*Per quam potentiam, & quo eius actum fiat ens rationis.*

15 **T**itulus quæstionis non procedit de causa propriè dicta, quæ verè & realiter influat in effectum : hanc enim non posse habere ens rationis explicuimus supra nu. 6. Quare solum inquirimus à qua potentia, & per quem actum fiat, seu resultet ens rationis eo modo quo fieri, aut resultare potest.

Auctores, qui quæstione præcedenti asseruerunt quamlibet denominationem extrinsecam esse ens rationis, consequenter asserunt à qualibet potentia, & per quemlibet actum illud fieri. Imò non solum à potentiis vitalibus, sed insuper asserunt à situ, actione, &c. fieri ens rationis. Cuius sententiæ eadem sunt fundamenta, quæ ibidem adduximus & solvimus.

Alij plures, qui nobiscum sentiunt de natura entis rationis, tenent non solum intellectum, sed voluntatem

tem, etiam & imaginatiuam illud efficere, de quorum numero est Scotus, in 1. dist. 45. quæst. vnica. Alij id extendunt ad alios sensus internos: alijque diuersimodè sentiunt. Nam cum ens rationis habeat esse quoddam fictum, faciliè Doctores pro suo quisque ingenio diuersimodè fingunt. Quorum sententiæ probari possunt his argumentis.

16 Primo ratione Scoti quia illa potentia, quæ ordinat vnum ad aliud, ad quod à parte rei non ordinatur, causat in illo relationem rationis: sed sæpè voluntas ordinat medium ad finem, ad quem à parte rei non ordinatur, vt cum perversè ordinat Deum ad creaturam: ergo tunc causat in illo relationem rationis. Maior patet quia relatio ficta, vbi non erat, non est ens reale, neque purum nihil: ergo est ens rationis. Minor verò probatur: quia amare vnum propter aliud est ordinare vnum ad aliud.

Secundò: quia sicut intellectus terminatur aliquando ad verum apparens scilicet priuationem, & negationem; sic voluntas sæpè terminatur ad bonum apparens nempe peccatum: sed intellectus ex eo quod versetur circa id, quod non habet veram entitatem, facit ens rationis: ergo pari ratione illud efficiet voluntas; siquidem versatur aliquando circa id, quod non habet veram bonitatem.

Tertiò de sensibus ibi probatur: quia sensus verè operatur circa sensibilia in communi: sed illa pro vt sic non sunt à parte rei ergo tantum habent esse obiectiue in sensibus, & ex consequenti sensus poterit facere ens rationis. Minor, & consequentia patent. Maior autem probatur: quia sensus non specificatur ab hoc aut illo sensibili inadæquato, & particulari; sed à sensibili adæquato quod est sensibile in communi, & vniuersale.

Quartò saltem de imaginatiua, seu phantasia hominis id efficaciter probatur: quia illa potens est duabus rebus tertiam componere, vt patet in somniis; & quando ex auro, & monte format montem aureum: sed tunc cognoscit illum ac si verè esset: ergo facit ens rationis. Minor, & consequentia constant. Maior verò est D. Thom. 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. cuius verba postea adducemus.

*STATUITUR VERA SENTENTIA,  
& legitimæ eius rationes indagantur.*

## §. II

17 **P**rima conclusio. Solus intellectus potest efficere ens rationis. Sic docent communiter Doctores. Sumiturque ex Arist. 6. Metaph. text. 8. qui vt rectè notat Caiet. 1. p. q. 28. art. 1. sufficienter se determinasse putauit de ente rationis, quod ibi appellat ens in anima determinando de ente vero: nulla alia ratione, nisi quia omne ens rationis pertinet, & fit ab intellectu. Idem etiam sumitur ex d. uo Thoma, qui sæpè diuidens adæquatè ens in reale, & rationis, istud appellat conceptionem, quam facit anima, seu intellectus, vt patet 1. part. quæst. 3. art. 4. ad 2. primo d. 19. quæst. 5. art. 1. & alibi sæpè.

18. Hæc conclusio probari solet impugnando alias sententias. Quia tamen similes rationes non sunt ita efficaces idèò radix istius veritatis alius inquirenda nobis est.

Pro quo nota primò intellectum, cum sit potentia cognoscitiua spiritualis, non esse organo affixum. Ex quo fit posse supra se ipsum reflectere, vt rectè notat D. Thom. opusc. 48. tract. 2. c. 1. Quod non solum verum est de propria reflectione, quando scilicet alio actu distincto reflectitur supra suos actus; sed in quolibet etiam

actu directo intellectus inuenitur quasi quidam modus reflectionis, quatenus quodammodo aduertit ad suum actum, aut effectum illius. Non secus ac in quolibet actu directo voluntatis concedunt Theologi cum D. Th. 1. 2. q. 26. art. 4. ad 3. proportionalem modum reflectionis, in quantum voluntas eligens verbi gratia medium quodammodo consentit se eligere: & vult se ad eligendum & econtrà.

Ex hac autem quasi reflectione, quæ inuenitur in actibus intellectus, fit vt per eundem actum, per quem intellectus producit ens rationis, cognoscat illud. quia tunc cognoscendo obiectum, aduertit etiam ad effectum talis cognitionis. Hic autem modus reflectionis omnino repugnat sensibus. Cuius differentie ratio à priori sumitur ex latitudine obiecti intellectus, scilicet entis: sub quo continentur, non solum alia quæ intellectus cognoscit, sed ipse etiam intellectus, & actus eius, & idèò in omnibus suis actibus, cognoscendo rationem entis; quodammodo cognoscit eisdem actus, aut effectus illius. At verò obiectum cuiuscumque sensus est aliquod particulare ens sub quo non continentur, neque sensus ipse neque actus aut effectus eius: vt patet in visu, sub cuius obiecto, scilicet colore, neque ipse, neque actus eius continentur & idèò quando videt colorem, nullo modo potest dici videre, aut aduertere ad seipsum, aut ad suum actum.

19 Secundò nota dupliciter explicari posse, quomodo intellectus cognoscat ens rationis. Primò, si dicamus intellectum ex specie impressa, & expressa, entis realis elicere aliam tertiam speciem impressam representatiuam entis rationis: à qua immediatè procedat cognitio illius. Iuxta quam sententiam dabitur quidem propria species impressa entis rationis: quamuis semper representet illud cum habitudine ad ens reale, & cum dependentia ab specie impressa, & expressa eius, à quibus fuit extracta. Et hic modus dicendi habet non paruum fundamentum in D. Th. loco citato ex quæst. 1. 2. primæ partis vbi ait, quod: *Alqua potentia cognoscitiua sunt, quæ ex speciebus primo conceptis alias formare possunt, sicut imaginatio ex præconceptis speciebus montis, & auri format speciem montis aurei, & intellectus ex præconceptis speciebus generis, & differentie, format rationem speciei, &c.* Per quem modum explicat, quomodo Paulus postquam desit videre essentiam diuinam, potuit recordari arcanorum, quæ viderat.

Secundò potest id explicari, si dicamus per ipsam speciem expressam entis realis simul cum expressa abque alia inde educta cognosci ens rationis: quia eadem species impressa, quæ primariò representat intellectui ens reale potest secundariò representare illi ens rationis. Iuxta quam sententiam non datur propria species entis rationis: sed cognitio eius immediatè procedit ab ipsa specie impressa entis realis. Qui etiam modus dicendi habet fundamentum in D. Th. Nam pluribus locis quæ effert Maius sect. 3. de vniuersalibus, q. 5. affirmat Deum cognosci per species creaturarum; priuationes per species formarum; potentiam per species actus, &c. atque ita vtramque sententiam esse probabilem, & conformem doctrinæ D. Thom. probat Sanchez libro 1. Logicæ quæst. 19. conclus. 6.

20. Hinc iam faciliè intelligitur, & probatur conclusio. Quæ ex primo fundamento sic specialiter suadet quia ens rationis est illud quod nullum aliud esse habet nisi cognosci, seu esse obiectiue in cognoscente: ergò per eundem actum, per quem fit, cognoscitur: ergò solum potest fieri à potentia potente aliquo modo reflectere, seu aduertere ad suum actum, & effectum eius. Sed solus intellectus potest hoc efficere: ergò solus intellectus potest facere ens rationis

rationis. Minor, & ultima consequentia constant ex dictis. Primum etiam antecedens supponitur ut certum, etiam apud contrarios: unde solum restant duæ priores consequentiae. Quarum prima probatur, quia si ens rationis solum habet esse dum est obiectiue in cognoscente: ergo quando non est obiectiue, non habet esse: ergo simul est effectus, & obiectum respectu cognitionis: & per consequens per eundem actum fit, & cognoscitur. ¶ Per quod etiam probatur secunda consequentia: quia si ens rationis per eundem actum fit, & cognoscitur: ergo solum fit à potentia, quæ possit versari circa suum effectum, tanquam circa obiectum. Sed hoc est posse aliquo modo reflectere modo explicato: ergo ens rationis solum potest fieri à potentia, potente sic reflectere: quam ex primo fundamento constat esse intellectum.

21. Ex secundo etiam fundamento sic generaliter probatur conclusio, quia ens rationis est quoddam esse fictum, quasi medium inter purum nihil, & ens reale, ut constat ex q. præcedenti: ergo si cognoscitur per speciem propriam iuxta primum modum dicendi num. 19. explicatum, solum potest fieri à potentia, potente ex speciebus entis realis elicere speciem representantem tale esse fictum. Sed nulla alia potentia præter intellectum potest elicere similem speciem: ergo nulla alia potest facere ens rationis. Antecedens, & duæ consequentiae constant. Minor vero in primis de sensibus externis est manifesta: nullus enim eorum potest ex pluribus speciebus elicere aliam, qua ipse cognoscat, ut constabit in libris de Anima. De voluntate etiam ibidem ostendimus non indigere speciebus, ut operetur: nec consequenter posse elicere illas. Unde solum restat difficultas de sensibus internis, & præcipue de imaginatiua, seu phantasia: cui hoc videtur tribuere D. Thom. loco citato.

De qua sic probatur minor: quia obiectum adæquatum imaginatiua (& idem argumentum fit de aliis sensibus internis) est aliqua determinata species entis realis: ergo dato, quod possit ex speciebus præconceptis montis, & auri elicere tertiam aliam montis aurei, nunquam tamen talis species pertingeret ad representandum eidem potentiae illud esse fictum, ut condistinguitur ab ente reali, alias representaret illi aliquid extra obiectum adæquatum quod est impossibile. Quæ ratio non currit in intellectu: quia obiectum adæquatum: eius est ens vniuersalissimum; ac proinde species propria entis rationis, sine eo quod egrediarur limites talis obiecti adæquati, potest pertingere ad representandum illud esse fictum, quantum sub similitudine entis realis. Sicut iuxta eundem modum dicendi species propria Dei pertingit ad representandum ipsum Deum; licet cum analogia ad creaturas.

22. Tandem si ens rationis immediate cognoscitur per speciem entis realis, iuxta secundum modum dicendi: tantum fieri poterit ab illa potentia, cui species impressa entis realis potest secundario representare esse fictum. Sed solus intellectus est huiusmodi: siquidem alia potentia, neque primario, neque secundario possunt percipere esse fictum, alias operarentur extra adæquatum obiectum: ergo solus intellectus potest facere ens rationis.

Ex dictis inferitur ad actum, seu speciem expressam, qua cognoscitur ens rationis, semper antecedere, non solum speciem impressam, sed etiam expressam alicuius entis realis, quocumque modo cognitio entis rationis explicetur. Unde, si actum reflexum improprie sumamus pro eo, qui quomodolibet supponit alium: sic omne ens rationis fit per actum reflexum: siquidem necessario supponit cognitionem alicuius entis realis. Quia tamen acceptio ista est valde improprie:

actus enim proprie reflexus est ille, qui versatur, vel circa ipsam cognitionem, vel circa obiectum secundum id quod habet, formaliter quatenus cognitum est: idcirco fit.

23. Secunda conclusio. Ens rationis non necessario fit per actum reflexum: sed potest optime fieri per actum proprie directum. Sensus huius conclusionis non est, quod omnia entia rationis fiant per actum directum: hoc enim non conuenit secundis intentionibus logicalibus, ut infra constabit; sed quod non omnia petunt fieri per actum proprie reflexum. In quo sensu intellecta conclusio est manifesta ex dictis. Breuiterque probatur: quia, ut infra constabit, plures sunt relationes rationis, quæ non habent pro ratione fundandi denominationem extrinsecam cogniti, sed immediate fundat illas intellectus supra ipsam entitatem realem, ut relatio creatoria, & similes: ergo tales relationes non resultant ex cognitione, quæ terminatur ad obiectum secundum id, quod habet, quia cognitum est: ac proinde non fiunt per actum proprie reflexum.

24. Tertia conclusio. Per quamlibet operationem intellectus potest fieri ens rationis. Sic docent communiter Doctores, ut testatur Rub. tractatu de ente rationis, quæst. 4. & probatur discurrendo per singulas operationes, & de prima quidem res est manifesta: nam quamuis de intentionibus logicalibus, ut de vniuersalitate, generalitate, & similibus aliqui negauerint fieri posse per primam operationem, ut infra disput. 3. num. 19. videbimus: vniuersaliter tamen loquendo de entibus rationis id negari non potest. Constat enim fieri ens rationis, quando negationes, & priuationes apprehendimus ad modum entis realis, etiam si nullum intercedat iudicium, aut discursus. Et idem est de pluribus relationibus rationis. Imò de vniuersalitate, & similibus intentionibus loco citato ostendimus fieri per simplicem apprehensionem: ergo hæc potest entia rationis formare.

De secunda etiam, & tertia operatione idem probatur: quia relatio, quam dicit pro formali prædicatum ad subiectum & antecedens ad consequens, sunt entia rationis: sed tales relationes resultant ex iudicio, & discursu: ergo iudicium & discursus faciunt entia rationis.

Maiores satis per se constat: nam prædicatum, formaliter prout sic, dicit habitudinem formæ respectu subiecti, & antecedens habitudinem causæ respectu consequentis: sed à parte rei prædicatum non semper est forma subiecti; neque antecedens causa realis consequentis, ut patet: ergo relatio, quam pro formali dicit subiectum, aut antecedens, non est realis; sed rationis.

Minor vero probatur: quia prædicatum, ut distinguitur à prædicabili, & dicit actum eius, non datur ante iudicium: tum quia per simplicem apprehensionem non cognoscitur animal, v. g. ut exercens officium prædicari, sed tantum, ut prædicabile, de quo infra; tum etiam, quia non datur prædicatum absque prædicatione, sicut non datur terminus absque propositione iuxta dicta secundo lib. Summarum: sed prædicatio, & propositio pertinent ad secundam operationem, ut patet: ergo relatio illa, quæ resultat in animali, quando efficitur actu forma, & prædicatum hominis, non potest fieri per apprehensionem: sed per iudicium, cuius proprium est prædicabilia reddere prædicata.

25. Idem etiam patet in argumentatione. Quamuis enim non habeamus distincta nomina ad significandum antecedens, prout est in potentia illatum, & prout est actu inferens; & similiter ad significandum consequens, prout est in potentia inferibile, & prout

propterea est actus illarum: negati tamen non potest, quod licet relationes, quas dicunt antecedens, & consequens, propterea sunt in potentia, vnum illarum, & alterum inferibile, possint resultare ex actu iudicii, aut etiam ex apprehensione; tamen antecedens, ut actus inferens, & consequens, ut actus illatus, solum cognoscuntur per discursum: ergo relationes quas dicunt antecedens, & consequens propterea sic non possunt ex alia operatione resultare.

Dices: habitudo, quam dicit prædicatum ad subiectum, etiam ut actus prædicatur, & consequens ad antecedens; etiam ut actus infertur, est quid simplex & incomplexum: ergo potest cognosci per apprehensionem. Ex consequenter per ipsam, & non per alias operationes fiunt huiusmodi relationes rationis.

Confirmatur: quia quando aduenit secunda aut tertia operatio intellectus iam præsupponitur ens rationis factum per primam: ergo alie aduenientes operantur circa illud iam factum, & non efficiunt illud.

Ad argumentum respondetur tales relationes posse considerari, vel quasi in abstracto, seu in actu signato; vel quasi in concreto, & in actu exercito. Priori modo sunt quid incomplexum, & cognosci possunt per apprehensionem: ex qua cognitione resultauit ens rationis pertinens ad primam operationem. Posteriori autem modo sunt quid complexum, & ex consequenti solum possunt cognosci per actum iudicii & discursus.

¶ Ad confirmationem dicimus, quod licet ens rationis pertinens ad primam operationem sit factum, quando aduenit secunda materia: non tamen facta sunt entia rationis, quæ pertinent ad istas operationes.

*Soluntur argumenta supraposita, simulque expenditur, quid de phantasia, & cogitatione hominis dicendum sit in hac questione.*

### §. III.

26. **A**d argumenta in principio questionis facta respondetur. Ad primum negatur minor. Quoniam ut docet D. Thom. 1. 2. quæst. 17. art. 1. probat ibidem Caiet contra Scotum, ordinare vnum ad aliud non est opus voluntatis, sed intellectus. Tum quia ordinare proprium est sapientis, ut dicitur lib. 1. Metaph. in principio, & refert D. Th. in proœmio contra Gentiles. Tum etiam quia quidquid ordinis est in naturalibus, à ratione proficiscitur, & in illam resoluitur: siquidem opus naturæ, est opus intelligentiæ, & quidquid ordinis apparet in electionibus, aut aliis actibus voluntatis, à consilio, & intellectu deriuatur.

Cuius indicium est, quod si intellectus proponit bonum voluntati absque aliqua ordinatione: fertur voluntas in illud absolute, neque illud potest ad aliud ordinare. Vnde quando voluntas amat vnum propter aliud, non ordinat vnum ad aliud formaliter loquendo; sed iam ordinatum per intellectum dirigit. Ex quo tandem fit voluntatem tantum posse præbere fundamentum proximum relationis rationis, sicut præbent etiam alie potentie, denominando extrinsecè sua obiecta, ut rectè obseruat Caietan. 1. p. q. 28. art. 1.

Ad secundum similiter respondetur, quod licet voluntas aliquando tendat in bonum apparens, ac si esset verum bonum, hoc tamen non est: quia ipsa ex se habet attingere tale obiectum formaliter quatenus apparens est; sed hoc habet ab intellectu; qui bonum apparens apprehendit, ac si verum bonum esset. Vnde ex tali apprehensione, & non ex actu voluntatis causatur ens rationis.

¶ Adde, quod cum voluntas differat ab intellectu per hoc, quod iste attrahat ad se res, illa verò feratur in ipsas, ut docet D. Th. p. q. 16. art. 1. Inde est quod intellectus ex proprio modo operandi habet communicare esse obiectuum rebus non solum denominando cognititas, ut facit respectu entium realium; sed fingendo etiam obiectiuam quandam entitatem intra animam, ut apparet in entibus rationis. At verò voluntas, cum potius exeat à se ad ipsas res: non potest communicare illis aliquod esse obiectiuum, aut bonitatem, ut per se patet.

27. Ad tertium respondetur sensum distingui ab intellectu penes hoc, quod huius obiectum est quid singulare, ut dicemus in libris de Anima. Quare visus verbi gratia (& idem est de aliis sensibus) nunquam videt colorem ut sic, sed aliquem singularem colorem: intellectus verò potest cognoscere quamlibet rationem vniuersalem, non cognitit singularibus.

Dicimus tamen vltimum terminari ad colorem in communi, & specificari ab illo: quia albedo, nigredo, & alia obiecta inadæquata visui, conueniunt in ratione communi coloris; & ideo eam assignamus pro obiecto adæquato. Quam differentiam inter sensum & intellectum explicuit bene Caietan. 1. parte q. 80. art. 2. dicens obiectum sensus esse vniuersale adverbialiter; obiectum verò intellectus vniuersale nominaliter: verè enim dicimus, quod obiectum visus est color vniuersaliter, non verò color vniuersalis. Videatur ibi Caietan.

Ad quartum respondetur, quod si loquamur de phantasia hominis secundum se, & secundum ea, quæ habet intra limites potentie sensitivæ: esto, quod propterea sic, possit ex duabus rebus tertiam componere, ut planè indicat D. Thom. loco ibi citato, & constat in insomniis, quæ etiam in brutis reperiuntur: adhuc formatio entis rationis est illi deneganda. Cuius ratio sumitur, ex dictis n. 18. quia cum phantasia sit potentia organo affixa, sicut reliqui sensus, habeatque pro obiecto adæquato quandam speciem entis realis: non potest secundum se, & secundum ea, quæ habet sibi propria, attingere illud non entis, quod est in monte aureo, ad modum entis. Quod tamen iuxta ibidem dicta necessarium est, ut fiat ens rationis.

28. Dices: eo ipso, quod phantasia propria virtute componat ex auro, & monte, montem aureum, aut aliam similem chimeram: attingit sua cognitione totum illud aggregatum, ac si esset verum ens reale: ergo quod non est, cognoscit ad modum entis: & per consequens fingit ibi aliquod esse.

Respondetur, quod loquendo de phantasia secundum se, non dicitur componere chimeram: quia attingat sua cognitione illud aggregatum, formaliter quatenus est quid compositum, & vnum: aut quia attingat formaliter in ratione obiecti unionem illam, seu esse fictum, quod intelligitur resultare in partibus componentibus, in quo consistit ens rationis. Sed dicitur eas componere materialiter, quatenus vna, & eadem cognitione fertur simul supra illas reales entitates partium, quas antea seorsum cognouit. Siue hoc proueniat ex eo, quod species sensibiles, propter aliquam alterationem organi perturbatur, non representent res perfectè, ut inter se distinctas: siue ex eo, quod formetur noua species simul representans illas res. Nunquam tamen, neque species impressa, neque expressa phantasiæ ex propria virtute pertingit ad representandum illud non entis, seu illud esse fictum, per quod tales partes formaliter componuntur; sicut pertingit intellectus ratione dicta. Cuius signum est, quod phantasia, saltem secundum se, nunquam percipit se decipi in formatione, aut cognitione talis chimere, quod tamen percipit intellectus, ut patet.

29. ¶ Dixi



29. ¶ Diximus: *Loquendo de phantasia hominis secundum se, & secundum ea, quæ habet intra limites potentia sensitiva.* Quia si loquamur de illa, propterea subordinatur intellectui; habet aliqualem difficultatem: multo maiorem in cogitativa, & reminiscencia: quibus propter maiorem coniunctionem ad intellectum, concedunt frequenter Philosophi aliquantulum iudicare, aut discurrere circa singularia. Cui sententia consequens videtur, quod efficiant etiam aliquam propositionem, aut syllogismum; & ex consequenti aliquale ens rationis. Hæc tamen omnino pendunt ex dicendis in libris de Anima: ac proinde non possunt hic plenè explicari.

Satis est dicere, quod si talis coniunctio solum consistat in eo, quod sensus isti immediate ministrent intellectui, absque eo, quod ab intellectu in illos refluat aliqua realis virtus, ut defendunt plures Doctores: ibidem proculdubio dicendum est, ac diximus de phantasia secundum se sumpta. Non enim per talem coniunctionem extrahuntur isti sensus à propria natura, ut patet.

Si verò per talem coniunctionem refluat ab intellectu in huiusmodi sensus aliqua realis virtus ratione cuius participant aliquid de ipso intellectu, & possint aliquantulum operari extra propriam sphaeram, eliciendo veros actus iudicii aut discursus, licet imperfectos, ut ex sententia Divi Thomæ, & gravissimorum Philosophorum. docent rectè Caiet. 1. qu. 74. art. 4. Bannez 1. parte q. 78. art. 4. dub. 2. & alij: sic satis probabiliter posset concedi, sensus istos, præcipuè cogitativam, & reminiscenciam per tales imperfectos actus aliquantulum pertingere ad formale propositionis, aut syllogismi: & per consequens aliquantulum efficere ens rationis. Neque hoc præiudicat supradictis: quia talia entia rationis fierent ubi istis sensibus non secundum quod sensus sunt; sed secundum quod participant aliquid de intellectu; & sic intellectus ipse esset causa principalis illorum.

30. Nihilominus tamen partem negativam longe probabiliorē iudicamus. Et fundamentum est: quia quando ex coniunctione alicuius causæ superioris ad inferiorem, profluit ab illa in hanc virtus, ut possit aliquantulum operari extra suam sphaeram; tunc quidem causa inferior ratione talis influentiæ solum potest producere imperfectiores, & faciliores effectus causæ superioris.

Cuius optimum exemplum est in sententia valde probabili, quam tradit D. Thom. quæst. 3. de Potentia art. 11. ad 14. & sequuntur plures DD. asserentes ab intelligentia mortice derivari in corpora cœlestia medio motu virtutem quandam intentionalem, ut possint producere viventia; & tamen ratione talis virtutis, & refluentiæ solum possunt producere aliqua imperfecta viventia, quorum generatio est facilis. Ergo etiam si ab intellectu refluat in istos sensus virtus explicata; ratione illius solum poterunt elicere aliquos imperfectos actus iudicii, & discursus secundum id, quod est in illis facilius, non verò secundum id, quod est ipsi intellectui valde difficile.

Cum autem perungere ad cognoscendum illud esse fictum quod est formale in propositione, aut syllogismo, sit ipsi intellectui valde difficile, ut constat experientia propter quod etiam Logica est difficillima, ut docet D. Th. Opusc. 70. quæst. 6. art. 1. ad 3. inde est, quod quamvis ratione talis refluentiæ concedatur sensibus internis aliquantulum iudicare, aut discurrere: non est tamen illis concedendum perungere ad formale propositionis, & syllogismi, & per consequens efficere ens rationis.

¶ Hic solet à quibusdam Modernis disputari: verum intellectus Angelicus, & divinus faciant entia rationis  
*Colleg. Compl. Logica.*

Sed quæstio hæc est propria Theologorum, & tractatur ab illis cum D. Tho. 1. p. q. 14. art. 9. Quæ, quia nullo modo est ad Dialecticum institutum necessaria, non est in præsentia examinanda: Qui voluerit, consulat Nazarium loco citato controu. 1. Ioannem Gonzalez disput. 39. Nauarrete controuersia 49. & alios Thomistas.

### Q V Æ S T I O III.

*Quotuplex sit ens rationis.*

31. IN hac difficultate parua, aut nulla est inter Doctores dissensio; & ideo non est cur eorum sententias referamus. Pro veritatis ergo explicatione primò notandum est, cum Suarez disp. 54. Metaph. sectione prima, num. 8. ex triplici capite posse oriri formationem entium rationis. Primò ex quadam fecunditate intellectus, ratione cuius potest pro libito ex veris entibus ficta componere, coniungereque partes, quæ in re coniungi non possunt, ut cum fingit chimeram. Et huiusmodi entia rationis, sicut nullum habent fundamentum in rebus, sed sunt omnino ficta; ita neque sunt doctrinalia, neque scientiis deferuire possunt.

Et ideo etiam aliquando inter entia rationis, non numerantur, & merito à nobis omittuntur in præsentia.

Secundò, ex latitudine cognitionis humanæ, ratione cuius se extendere conatur, etiam ad non entia. Sed quia obiectum adæquatum eius est ens, cuius limites transire non potest: sit, ut quantumcunque nitatur apprehendere non entia, semper cognoscat illa ad modum entis; & per consequens faciat ens rationis. Et huiusmodi entia rationis semper habent pro fundamento proximo ipsum non ens, seu priuationes, & negationes.

Quamvis enim commune sit omnibus entibus rationis, quod à parte rei non existat illud esse fictum, in quo consistunt: tamen non in omnibus ipsum non ens, seu carentia est fundamentum proximum, seu id quod concipitur. Ut patet in generalitate, quæ non resultat in animali ex eo, quod aliquod non ens apprehendatur ad modum entis; sed ex eo, quod animal consideretur cum ordine ad suas species, quem tamen ordinem à parte rei non habet.

Ex quo patet in isto secundo genere entium rationis, proximum fundamentum, seu id quod concipitur, esse non ens, siue id fiat in abstracto, ut quando concipimus cæcitatem ad modum formæ realis; siue in concreto, ut quando cognoscimus Petrum cæcum: nam tunc etiam fit ens rationis, quatenus cognoscimus illum sub tali carentia, & priuatione visus.

Tertiò tandem, formatio entium rationis potest provenire ex imperfectione, seu debilitate ipsius intellectus, qui aliquando non potest cognoscere res, propterea in se sunt: & ideo illas sæpè comparat ad alias, ad quas revera non ordinatur. Interdum etiam quia non potest vnice actu comprehendere quidquid est in obiecto, distinguit in illo plura, quæ in re distincta non sunt. Quomodo formantur relationes rationis, quæ consequenter semper habent pro fundamento aliquod ens positivum, quod istud cognoscitur cum ordine ad illud. Per quod istud genus entium rationis distinguitur à secundo, ut per se patet.

32. Secundò notandum est ex doctrina Arist. 4. Metaph. text. 4. & lib. 1. tex. 27. quam explicat D. Th. eisdem locis, & in 1. dist. 13. q. 1. art. 4. & dist. 28. q. 1. art. 1. ad 2. adiuncta etiam doctrina quam tradit 1. par. q. 12. art. 4. ad 2. q. 3. de malo art. 7. & alibi sæpè, negationem posse sumi tripliciter.

G

Primò

*Primò*, latè, pro quocunque non esse, solèrque appellari negatio simplex, seu pura: quia dicit meram remotionem, seu absentiam entitatis, nequè proptèr sic determinat sibi, aut connotat aliquod subiectum, in quo sensu ipsum nihil, seu non esse, non homo, non sedens, & similes termini infiniti dicuntur negationes: imò etiam fictiones, seu chimeræ, quia à parte rei nullum habent fundamentum, solent in hoc sensu appellari negationes.

*Secundò* sumitur negatio minùs latè pro remotione, seu carentia entitatis, seu formæ in aliquo subiecto, abstrahendo tamen ab hoc, quod habeat, vel non habeat aptitudinem ad talem formam. Quomodo comprehendit, tam priuationes, quàm negationes propriè dictas. Propter quod etiam solet frequentèr priuatio per negationem definiri, sicque definisse Aristot. Testatur D. Thomas dist. 18. citata, & 1. part. q. 16. art. 4.

*Tertiò* tandem sumitur negatio propriè, & strictè, pro carentia formæ in subiecto inepto ad illam recipiendam: ut equus habet negationem rationalitatis: quia nullam habet aptitudinem ad illam, & generaliter una species habet negationem alterius propter eandem rationem. Est negatio in hac acceptione opposita priuationi propriè dictæ, quæ est carentia formæ in subiecto apto nato.

33. Pro cuius maiori intelligentiâ, tertio nota tres alias conceptiones priuationis assignari ab Arist. lib. 5. citato Metaph. text. 27. quas explicat D. Tho. distinct. 28. citata, & 1. p. q. 33. art. 4. ad 2. & q. 9. de Potentia art. 7. ad 11.

*Prima* est, quando subiectum ceter forma, quæ quidem nata est haberi ab aliquo, quodcunque illud sit, sed ipsum subiectum non est aptum habere illam. Quomodo solet dici planam esse priuatam visu, aut lapidem esse rem mortuam: quia quàmvis neque planita apta nata sit habere visum, neque lapis vitam, visus tamen, & vita nata sunt haberi ab aliquo, nempe ab animali. Quæ acceptio priuationis coincidit secundæ acceptione negationis suprâ explicata, & distinguitur à prima, ut consideranti patebit. Propter quod etiam sæpè distinguunt DD. priuationem à negatione, per habere, vel non habere subiectum, ut patet in D. Thom. distinct. 28. citata, & 1. p. q. 17. art. 4. lib. 5. Metaph. lect. 12 & alibi sæpè.

*Secunda* acceptio priuationis est, quando subiectum caret forma, quam licet ipsum nequeat habere, nata tamen est haberi ab aliquo sui generis. Quomodo carentia visus in talpa dicitur priuatio, & cæcitas: quia quàmvis talpa, ut communiter dicitur, non sit apta nata habere visum, habetur tamen ab aliquo sui generis, scilicet ab aliis animalibus.

*Tertia* tandem acceptio priuationis est, quando subiectum caret forma, quam ipsum natum est habere, quando, & ubi natum est habere illam; ut tenebræ in ære, cæcitas in cane post nonnum diem, & similes. Et hæc est propria acceptio priuationis, ut inquit D. Thom. locis citatis ex dist. 28. quæst. 9. de Potentia: contraponiturque tertiæ acceptioni negationis suprâ explicatæ, quas in hoc sensu frequentius usurpant Doctores: & de illis sic sumptis loquimur in præfati.

34. Tandem nota quoddam tam priuationes, quàm negationes, si sumantur pro carentia, seu non esse formæ; sunt quidem à parte rei: non quia à parte rei habeant aliquam entitatem, seu essentiam, ut notauit Diuus Thomas in secunda distinctione 37. q. 1. art. 2. ad 2. cap. 1. de Ente, & essentia; sed quia à parte rei sunt remotiones, seu carentiæ entitatis, seu formæ. De quo videri possunt Caiet. 1. p. q. 48. art. 2. Capreol. in 2. dist. 34. q. 2. ad 2. & Ferr. 3. contra Genes cap. 19.

Quomodo priuationes, & negationes, formaliter loquendo, neque sunt entia realia, neque rationis, sed potius non entia. Sunt tamen fundamentaliter entia rationis: quia possunt ab intellectu considerari per modum entis: & tunc id quod à parte rei est non ens, fit ens in anima, seu rationis, ut rectè dixit D. Th. 1. dist. 46. q. 1. a. 2. ad 2. Et hoc modo de priuatione, & negatione loquimur in præfati.

35. Dicendum est ergo ens rationis habens fundamentum in rebus adæquatè diuidi in carentiam, seu negationem, & relationem. Sumimus hinc negationem in secunda acceptione suprâ explicata, ut comprehendit negationem, & priuationem propriè dictas: sic enim est immediatum membrum diuidens huius diuisionis. Quod claritatis gratia appellamus carentiam: quia hoc tamen æquè dicitur de priuatione, & negatione. Ex quo fit hanc diuisionem in re, non distingui ab ea, qua communiter diuiditur ens rationis in priuationem, negationem, & relationem, est tamen immediatior illa, & per consequens magis exacta. Quomodo tradit eam D. Th. quæst. 11. de veritate art. 1. dicens: *Id quod est ratio, tantum, non potest esse nisi duplex, scilicet negatio, vel relatio.* Sicq; sumitur ex Arist. 5. Metaph. text. 27. ubi sub communi nomine negationis priuationes, & negationes inter entia constituit: & text. 20. antecedenti relationem rationis insinuat. Pro quo etiam videri potest D. Th. in 1. dist. 2. q. 2. art. 3. & alibi sæpè.

Ratio sufficientiæ huius diuisionis patet ex dictis: quia formatio entium rationis non potest ex alio capite provenire, nisi ex tribus illis enumeratis: ergo omnia entia rationis, vel sunt merè fictiones, & chimeræ, quæ nullum habent fundamentum, vel sunt carentiæ, & relationes, quæ tale fundamentum habent.

Quod autem in has adæquatè diuidatur ens rationis habens fundamentum, ex ipso potest sic facile probari: quia, vel proximum fundamentum quod nritur intellectus cognoscere, est aliquod non ens, seu remotio entitatis, vel aliquod ens posituum: si primum, ens rationis inde resultans erit carentia, seu negatio communiter dicta, ut patet: si autem secundum, vel cognoscitur tale ens, sicut est à parte rei, & per seipsum, & sic nullum fit ens rationis: vel cognoscitur per comparisonem, aut ordinem ad aliquid aliud, quod à parte rei nullum talem dicit ordinem: & sic fit relatio rationis.

Verumque explicatur exemplo denominationis extrinsecæ. Si enim intellectus nitatur cognoscere illud esse visum, resultans ex visione animalis, quod à parte rei nihil est in pariete, apprehendatque, ut aliquid in eo existens; proculdubio ens rationis inde resultans non est relatio, sed carentia, seu negatio; si quidem ibi non ens apprehenditur per modum entis absoluti in pariete existentis. Si verò intellectus nitatur cognoscere ipsum parietem, quatenus est obiectum actu terminans visum; tunc refert illud ad potentiam, & causalat relationem rationis; quia à parte rei licet potentia referatur ad obiectum; obiectum tamen non refertur ad potentiam.

36. Contra assignatam doctrinam duobus modis possumus insurgere.

*Primò* quia omne ens rationis videtur relatio: ergo malè assignatur prædicta diuisio. Probarur autem recedens: tum quia ipsæ priuationes, aut negationes non sunt entia rationis sine habitudine ad aliud; priuatio enim alicuius est priuatio, & idem est de negatione: tum & maxime quia omnia entia rationis ex eo, quod totum esse eorum sit cognosci dicuntur essentialiter ordinem ad intellectum cognoscentem: ergo omnia sunt relationes rationis.

*Secundò* quia plura alia sunt entia rationis præter enumerata

enumerata: ergo diuisio est insufficiens. Probatur antecedens: quia præter chimeram, & alia monstræ rationis, quæ fingimus in prædicamento substantiæ possumus in aliis prædicamentis formare entia rationis habentia à parte rei fundamentum: ut cum concipimus spatium imaginarium per modum cuiusdam extensionis, & inane illud, quod apprehendimus supra cælum empyreum per modum loci continentis illud: item cum concipimus denominationem visi, aut cogniti in re denominata per modum cuiusdam passionis, & sic de aliis prædicamentis: ergo ultra priuationes, aut negationes, quæ apprehenduntur per modum qualitatæ, & relationes rationis, quæ apprehenduntur ad modum relationis realis, dantur alia entia rationis ad modum aliorum prædicamentorum.

37. Ad primum responderetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicitur habitudinem, quam priuatio, & negatio dicunt ad subiectum, & formam: & quam omne ens rationis dicit ad intellectum, esse tantum relationem secundum dici, seu transcendentalem. Non enim per illam dicuntur esse alicuius sicut termini, sed sicut subiecti formæ, seu principia. Quod non tollit, quin priuatio, & negatio constituent speciale genus entis rationis quasi absolutum, & condistinctum à relatione rationis, quæ intra limites entis rationis, suo modo est relatio secundum esse, & prædicamentalis, ut suo loco videbimus.

¶ Adde, quod si intellectus in ipso ente rationis, quod est priuatio, aut negatio, rursus cognoscat illum transcendentalem ordinem, quem habet; proculdubio efficiet veram relationem rationis: quia tunc comparat vnum alteri, & cognoscit respectum secundum dici, seu transcendentalem ad modum prædicamentalis: quod sufficit, ut fiat vera relatio rationis; siquidem eius fieri est cognosci.

Ad secundum, omissis quorundam solutionibus, inter quos videri potest noster Didacus disput. 3. qu. 5. breuiter responderetur entia rationis, quæ in illis, & similibus casibus fiunt, sufficienter reduci ad aliquod ex enumeratis.

Si enim spatium imaginarium, quod argumentum inducit, concipiatur intra latera alicuius corporis vacui, est vera priuatio, ut patet ex definitione vacui ab Aristot. tradita 5. Physicorum. Si verò concipiatur extra omne corpus continens, ut est inane illud, quod apprehenditur extra cælum empyreum, est pura negatio. Quod si vacuum illud, aut inane sic conceptum, comparemus ad aliquid aliud, per modum continentis ad contentum, tunc fiet relatio rationis. Et idem proportionabiliter est de denominatione extrinseca, ut n. 35. explicuimus.

38. Consulto omittimus quandam doctrinam, quam aliqui in præsentia adducunt ex D. Thom. 1. parte, q. 28. art. 1. quoniam commodiori, & proprio loco c. scilicet de relatione, eam exponendam reseruamus.

Ut autem omnia, quæ ad ens rationis pertinent, quantum in nobis est, completa relinquamus: obseruandum est ens rationis vniuersalissimè sumptum esse transcendens respectu suorum inferiorum. Cum enim eorum differentia non sint omnino nihil, neque entia realia: necessariò afferendum est esse entia rationis: & ex consequenti ens rationis includi in illis. Ex quo rursus sequitur non dari vnum supremum genus entis rationis: sed possumus ex dictis tria quasi prædicamenta constituere scilicet fieriorem carentiam, & relationem.

Primum genus est in infinitum multiplicabile, iuxta infinitas combinationes, quas intellectus potest fingere inter partes diuersarum specierum: & idè relinquendum est.

¶ Carentia etiam, seu negatio communiter sumpta

Colleg. Compl. Logica.

immediatè diuiditur in priuationem, & negationem propriè dictas, ut sup. diximus. Quæ etiam subdividuntur, iuxta diuisionem formarum, quarum sunt carentia, & per consequens diuagantur per omnia prædicamenta, propter quod etiam ut alienæ relinquendæ sunt.

¶ Tertium verò genus, scilicet relatio rationis, quia magis accedit ad institutum Dialecticum; sic potest definiri: *Est ens rationis ex aliqua intellectu comparatione resultans.* Relatio enim rationis, ut ipsum nomen indicat, non potest intelligi absque intellectu plura extrema comparante. Nomine autem comparationis in præsentia intelligimus quancumque cognitionem rei cum ordine ad aliam. In quas verò species relatio rationis diuidatur, commodius explicabimus quæstione sequenti.

## Q V Æ S T I O V.

*Quid sit secunda intentio Logicalis & quæ eius proprietates, & species.*

39. **E**xaminatis de ente rationis in communi iis quæ necessaria sunt ad cognoscendas secundas intentiones, quæ sunt obiectum Logicæ: tempus est ut de ipsis disputemus. Sed antequam ad vnamquamque in speciali descendamus: ad calcem huius disputationis de illis in generali, quæ necessaria visa fuerint, breuiter præmittemus. Qui plura voluerit, consulat Herueum tract. de secundis intentionibus. Mathematicum sect. 4. de Vniuersalibus, Sanch. lib. 2. Logicæ, Carolum Billeum in opere de secundis intentionibus, & alios.

Primo ergo sciendum est, quod intentio in communi sua significatione dicit tendentiam in aliud. Aliter autem à Theologis, & Philosophis: & aliter à Dialecticis usurpatur. Apud illos significat actum voluntatis circa finem; & aliquando etiam ipsum finem: ut cum dicimus, mea intentio in prædicando est salus animarum. Dialectici verò sumunt intentionem, quatenus sonat attentionem quandam: iuxta quod solet dici, pluribus intentus minor est ad singula sensus: id est pluribus attentus: idè nomen intentionis tribuunt actibus intellectus, cuius proprium est attendere. Sed quia sæpè nomina ipsa actuum applicari solent obiectis eorum: idè nomen intentionis non raro usurpant Dialectici pro obiectis actuum intellectus: distinctionis tamen gratia actus ipsos appellant intentionem formalem; obiecta verò intentionem obiectiuam.

40. Harum vnaquæque in primam, & secundam diuiditur, ex eo quod intellectus potest dupliciter versari circa res. Si enim cognoscat eas secundum id, quod habent à parte rei, ut quando cognoscit hominem esse animal, aut equum esse hinnibilem; tunc ipse actus cognoscens dicitur prima intentio formalis; res verò cognita dicitur prima intentio obiectiua: & nomina sic significantia res, dicuntur nomina primæ intentionis, ut *homo, equus*. Si verò intellectus cognoscat res, non secundum ea, quæ conueniunt illis à parte rei; sed secundum ea, quæ habent ab operatione eiusdem intellectus; ut quando cognoscit animal esse genus, aut hominem esse speciem: tunc ipse actus cognoscens dicitur secunda intentio formalis, res verò cognita secundum illud esse, quod habet ab intellectu, dicitur secunda intentio obiectiua: & nomina significantia res secundum tale esse, dicuntur nomina secundæ intentionis, ut *genus, & species*. Quamuis autem hæc ita sint; vsu tamen receptum est, ut prima & secunda intentio sic

absque addito prolata, pro obiectiuis ferè semper usurpantur.

Ex quibus apparet, quod secunda intentio obiectiua semper est ens rationis: utraque verò formalis, ut porè actus intellectus, semper est ens reale: prima etiam intentio obiectiua (quidquid dicat Hervæus ubi supra, quem rectè impugnant Caiet. cap. de specie, Soro quæst. 3. Vniuersalium, & Mas. loco citato, quæst. 2. absolūtè loquendo, etiam est ens reale: quia si ante formationem entis rationis necessariò supponitur cognitio entis realis, ut suprà num. 19. probatum est: ergo attentio, seu intentio obiectiua, quæ absolūtè, & simpliciter est prima; necessariò est ens reale. Verum est aliquando contingere, præsertim in prædicabilibus secundas intentiones materialiter acceptas, ab aliis secundis intentionibus denominari: sed tunc priores secundùm quid tantùm denominantur primæ, comparatione posteriorum superuenientium: quia respectu earum induunt conditionem, & officium primarum. Ex quo etiam fit intentiones istas non esse multiplicandas secundùm numerum, ita ut appellentur tertiæ, & quartæ: Si enim, quando una secunda intentio denominatur ab alia, induit rationem primæ; illa alia superueniens non rectè dicitur tertia, sed secunda.

41. Secundò notandum est plures esse relationes rationis præter illas, quæ considerantur à Logico, ut disp. I. n. 26. notabamus. Nam præter eas, quas ibidem adduximus manifestum est, tùm ea, quæ considerat Grammaticam, ut pronomen, participium, declinatio, & cætera, quæ pertinent ad orationis congruitatem; tùm etiam ea, quæ considerat Rhetoricam, ut exordium, epilogus, synecdoche, & alia, quæ ad orationis ornatum pertinent, pro formali significari relationes rationis: quæ tamen ut patet non continentur sub obiecto Logice. Quare explicandum restat, in quo differant relationes rationis, quas Logica speculatur, nempe definitio, propositio, subiectum, syllogismus, &c. ab illis, quas considerant Grammatica, & Rhetorica. In quo parum videmus immorari Doctores: cum tamen in hoc ita sit intima obiecti Logice penetratio.

Plena harum relationum cognitio pender ex dicendis in prædicamentis de relationibus realibus, per ordinem ad quas relationes rationis cognoscuntur. Ibi distinguemus in vnaquaque relatione, relationem ipsam fundamentum eius, rationem fundandi, & interdum conditionem sine qua non: ut in patte patet: nam ipsa relatio, substantia patris est fundamentum & (iuxta aliquorum sententiam) potentia generatiua est ratio fundandi, generatio verò ipsa est conditio, sine qua non.

42. Hæc ergo omnia suo modo docent inueniri in relationibus rationis. Nam relatio creatoris, v. g. quam in Deo concipimus ad creaturas, habet pro fundamento ipsam substantiam diuinam; pro ratione verò fundandi possumus assignare attributum omni potentie: ipsa enim est ratio, propter quam Deo tribuimus talem relationem & tandem in hac, & similibus relationibus cognitio nostri intellectus est conditio sine qua non, si enim illa non esset, omni potentia non intelligeretur fundare talem relationem. Quod autem nostra cognitio non sit ratio fundandi hanc relationem, patet: quia quamuis relatio creatoris sit effectus à cognitione, ipsa tamen cognitio non se habet ex parte fundamenti, ut ratio recipiendi talem relationem. Non enim idè Deus fundat per intellectum relationem creatoris; quia cognitus est: sed quia est omnipotens, & produxit creaturas: ac proinde omnipotentia ipsa & non

cognitio nostra, est ratio fundandi talem relationem.

Quia ergo specificatio, & distinctio relationum realium colligitur benè ex rationibus fundandi, ut suo loco ostendemus: idè hæc etiam erit congrua via ad inuestigandam specificam constitutionem, & distinctionem nostrarum relationum: & per consequens hinc petenda est prima diuisio relationis rationis. Aliquæ enim sunt, quæ immediatè fundantur ab intellectu supra aliquod ens reale, ut patet in relatione creatoris, quam explicuimus in similitudine, quam in essentia habent personæ diuinæ; & aliis huiusmodi. Aliæ verò sunt relationes rationis prædictis immaterialiores, quarum ratio fundandi non est aliqua entitas, ut perfectio realis; sed denominatio extrinseca, præcipuè quæ sumatur, vel à voluntate imponente vocibus significationem, vel ab intellectu cognoscente rerum veritatem. Et huiusmodi sunt relationes rationis, quas considerant Grammatica, Rhetorica, & Logica.

43. Quod satis demonstrant subiuncta exempla. Nam in Grammatica declinationes nominum, aut verborum coniugationes, quas diximus esse relationes rationis, non fundantur immediatè supra entitatem realem vocum; sed supra illas iam ad significandum deputatas ex libera imponentium voluntate. Vnde ratio fundandi non est ipsa entitas vocum, sed impositio passiva earum, seu denominatio extrinseca à voluntate imponente, quod idem est.

Similiter exordium, tropus, figura, & aliæ relationes, quas considerat Rhetorica, non solum præsupponunt impositionem vocum, ut patet: sed requirunt etiam ex parte rationis fundandi ipsam congruitatem, quam intendit Grammatica. Postquàm enim Grammatica ordinat voces significatiuas in forma orationis congruæ: deinde Rhetorica exornat, & reddit orationem pulchram. Per quod duæ istæ artes, & relationes rationis, quas considerant, essentialiter inter se distinguuntur, ut consideranti patebit.

Tandem idem cernitur in relationibus logicis; Nam generalitas, qua animal refertur ad suas species, non fundatur, immediatè supra entitatem realem, ita ut ipsa perfectio realis animalis sit ratio fundandi; sed supra talem entitatem, quatenus cognita est. Non enim animal ex eo præcisè, quod sit viuens sensibile, est immediatè capax genere entitatis; sed ex eo quòd sit cognitum sine speciebus, seu abstractum ab illis, ut infrà disput. 3. num. 61. ostendimus. Et idem est de aliis relationibus logicis, quibus quia commune est fieri per actum reflexum: commune etiam est fundari immediatè supra cognitionem passivam, seu denominationem extrinsecam cogniti. Quæ doctrina est expressa D. Thom. in 1. dist. 2. quæst. 1. artic. 3. de potentia quæst. 7. art. 1. & opusc. 48. cap. 1. cuius verba adducemus loco citato.

44. Ex quibus plura iam licet inferre. Hinc enim primò intelligitur, quare relationibus logicis vniuersaliter conueniat, ut propria passio, esse veritatis ostensiuas, ut suprà disput. 1. num. 30. tetigimus: cum tamen id non habeant relationes Grammaticæ aut Rhetoricæ. Quod significarunt antiqui Dialectici in illo versu, quem refert Flandria 1. Meth. q. 8. art. 6.

*G R A. loquitur, D I A, vera refert: R H E. verba colorat.*

*Gra*, id est Grammatica: *Dia* id est Dialectica: *Rhe*, id est Rhetorica. Nescitur inquam hoc ex eo quod, cum in relationibus logicis cognitio passiva sit ratio fundandi: non solum relationes ipsæ, sed etiam ratio fundandi, ex qua tota relationis essentia pender, est

est intra ipsum intellectum; quod non habent aliæ relationes dictæ: & ideo relationum Logicalium notitia, & non aliarum per se, & intrinsecè iuvat ad penetrandum intellectum, & modum operandi eius. Cum autem propria veritas reperiatur in intellectu, & ab eo derivetur ad res, ut docet D. Thom. 1. part. q. 26. artic. 1. & ostendimus in libris de Anima: inde tandem fit solas relationes Logicales, quæ per se notificant proprium modum operandi intellectus, esse veritatis ostensivas.

Ex quo ulterius sequitur, solas has relationes propriè appellari secundas intentiones. Cum enim secunda intentio formalis sit quasi secunda attentio rei: tunc aliqua relatio rationis propriè est secunda intentio obiectiva, quando fundatur supra rem, secundum quod cognita est, quod proprium est relationum Logicalium. Cum quo tamen stat, quod nomen secundæ intentionis sæpè Dialectici extendant ad omnia entia rationis; ut quando terminum dividunt in terminum primæ, & secundæ intentionis: quia in omnibus entibus rationis, quodammodo invenitur secunda attentio: secundum quod præsupponunt cognitionem entis realis, ut supra n. 19. notavimus. Sed hæc acceptio secundæ intentionis valdè impropria est, ut ex dictis constat.

45 ¶ Secundò inferitur quomodo possit utcumque ordinari arbor relationum rationis: (omnes enim comprehendere iuxta regulas divisionis essentialis est ferè impossibile.) Primò ergo relatio rationis dividitur in eam, cuius ratio fundandi est aliquod ens reale, & in eam, cuius ratio fundandi est denominatio extrinseca. Sub primo genere continentur, quæ per se non pertinent ad aliquam facultatem rationalem, ut relatio creatoris, similitudo inter divinas personas, relatio, qua Antichristus dicitur posterior Adam, & aliæ similes.

Secundum genus continet illas relationes, quæ sunt obiectum per se alicuius facultatis rationalis. Ex qua parte (omissis aliis quæ sunt in isto genere) potest dividi in eas, quarum ratio fundandi est denominatio extrinseca à voluntate imponente significationem; & in eas quarum ratio fundandi est denominatio extrinseca ab intellectu cognoscente. Hoc secundum genus propriè dicitur secunda intentio, estque obiectum adæquatum Logicæ. Primum verò genus subdividitur in relationes Grammaticæ, & Rhetoricæ tanquam in species subalternas, quarum unaquæque continet plures species, quas explicant Grammatici, & Rhetores, ad quos hoc tanquam proprium remittimus.

46 Relatio propriè dicta dividitur prima divisione in tria genera, iuxta tres operationes intellectus, à quibus res possunt denominari cognitæ: nempe in secundas intentiones quæ præsupponunt apprehensionem, & dirigunt illam; & in eas, quæ præsupponunt, & dirigunt iudicium; & in eas quæ præsupponunt, & dirigunt discursum. Iuxta quam secundarum intentionum divisionem, supra disp. 1. num. 38. Logicam divisimus in tres partes.

Primum genus plures continet intentiones, quas sic possumus ordinare. Aliæ enim sunt, quæ conse-

quantur apprehensionem rei, ut subiicitur alteri: & ab his res denominantur subiicibiles. Aliæ verò sunt, quæ consequuntur apprehensionem rei, ut de alia prædicatur, à quibus res denominantur prædicabiles. Subiicibile dividitur eadem proportionem, ac prædicabile: quia ut cap. de differentia ostendimus, unicuique prædicabili respondet proprium subiicibile: unde ex divisione prædicabilis potest sufficienter colligi divisio subiicibilis.

Prædicabile ergo dividitur in prædicabile de vno tantum, ut individuum; & in prædicabile de pluribus, scilicet universale, seu univocum. Sub primo membro continentur etiam prædicata æqualia, ut quando differentia prædicatur de specie: tunc enim non prædicatur de pluribus, neque respectu illius est univocalis, ut ostendimus cap. de differentia. Ad secundum verò, scilicet universale, pertinet reductivè analogia, aut etiam æquivocatio: quæ licet simpliciter sint relationes, & intentiones rationis; sunt tamen secundum quid universalitates: quia non in rebus ipsis, sed in nominibus tantum fundantur, ut suo loco dicemus. Deinde universale dividitur in quinque universalis, scilicet genus, speciem, differentiam, proprium, & accide: s. Quæ sunt species infimæ: ubi consequenter sistit divisio secundarum intentionum, quæ consequuntur apprehensionem.

47 Secundum genus secundarum intentionum, illarum scilicet, quæ supponunt, & dirigunt iudicium, potest nomine incomplexo appellari propositio: dividiturque essentialiter in affirmativam, & negativam, ut ex Arist. & D. Th. ostendimus lib. 2. Institutionum, c. 3. Quæ etiam sunt species infimæ: nam aliæ propositiones, divisiones, vel sūt analogæ in analogata, vel subiecti in accidentia, aut etiam accidentis in subiecta, ut ibidem diximus.

Tertium tandem genus secundarum intentionum potest nomine incomplexo appellari argumentatio; dividiturque in syllogismum, & inductionem, iuxta ea, quæ 3. lib. Summul. cap. 3. diximus. Ex quibus inductio dividitur in ascensum, & descensum: & syllogismus in tres figuras; & unaquæque in suos modos. Qui etiam sunt species infimæ sumpti formaliter pro secunda intentione: nam aliæ divisiones syllogismi in demonstrativum, topicum, & sophisticum; in singularem, & universalem; in categoricum, & hypotheticum, & similes, sunt accidentis in subiecta, ut ibidem diximus.

Tandem nota, quod licet secundæ intentiones, utpotè accidentia quædam rationis, collocentur in prædicamento in abstracto, & non in concreto, sicut de accidentibus realibus dicemus in antepædicamentis: defectu tamen nominum abstractorum, vel quia non sunt ita vñtata, aliquando vñ sumus nominibus concretis; qualia sunt subiicibile, prædicabile, genus, species, propositio, argumentatio, syllogismus, &c. Sed sumenda sunt in abstracto pro secundis intentionibus quas pro formali significant; ut ita exactior sit earum coordinatio. Quam ut ipsis oculis intuendam proponas: faciliè ex dictis poteris ad formam arboris redigere.



# PORPHYRII ISAGOGE

## DE QVINQVE VNIVERSALIBVS.

**S**OLENT Commentatores Autoris in cuius librum Commentaria parant, nomen, vitam operis inscriptionem, vtilitatem, methodum, & obiectum suis Commentariis præfigere. In his nos aliorum petentes non immorabitur.

Autoris nomen fuit Porphyrius, cuius vitam, & mores, patriam, & genus, Soto hîc, & Recentiores, ex Volateriano docent. ¶ Opus inscribitur Isagoge, seu introductio simpliciter, & absque aliquo alio, vel per antonomasiam, vt vult Ammonius, vel quia res, cuius erat introductio, nota erat Crisostomo, cui Porphyrius tractatum hunc remisit. ¶ Eius vtilitas est maxima: vniuersalium cognitio simpliciter est necessaria ad exactam prædicamentorum notitiam comparandam. Licet autem posset cum illis simul tradi; commodius tamen, & vtilius à Porphyrio in formam isagoges redacta est. ¶ Methodus est facilis, & modo introductorio definiendo, dividendo, singulæque exemplis illustrando, vt tyronibus expediebat.

Obiectum ( quidquid alij dicant ) est vniuersale in communi, sumptum pro secunda intentione, non pro denominata, aut aggregato ex utroque; sic enim est ens per se, & pars obiecti adæquati Logicæ, vt constat ex divisione eius paulò ante adducta; vnde non est cur in hoc amplius immoremur. Solum est advertendum Porphyrium, & Dialecticos frequentius tractare de hac & aliis intentionibus Logicalibus significatis in concreto; non quia Logica per se, & ex æquo consideret, tam intentiones, quàm res, quæ ab eis denominantur; aut quia de aliquo ex utrisque aggregato sit, vt rectè notauit Caiet. cap. de genere part. 2. in solutione ad vltimum; sed quia notitia secundarum intentionum non omninò propter se quæritur, sed propter res, quarum cognitioni deserviunt, vt diximus suprâ disp. 1. num. 30. & ideò de illis, non tam in abstracto, quàm in concreto significatis, disputatur; quia nomina concreta significant formas connotando subiectum, vt constabit infrâ disp. 4. In quo etiam sensu dixit benè Avic. Logicam esse de secundis intentionibus adiunctis primis; id est, de intentionibus formaliter, de rebus verò materialiter, & denominativè, vt explicat Caiet. loco citato.

Dividitur integer liber in tres partes. Prima continet procemium. Secunda de singulis quique vniuersalibus per quinque capita differit. Tertia omnia simul comparat, & in quibus conveniant, in quibusve differant; sexto, & finali cap. absolvit. Sic partitur hunc librum Ioan. Argyrop. cuius translatione, tam circa Porphyrium quàm circa Aristot. frequentius vtemur, eo quòd communius circumferatur.

# PROOEMIUM PORPHYRII.

S V M M A T E X T V S.

**P**RIMO proponit Porphyrius necessitatem huius tractatus ad notitiam prædicamentorum acquirendam. Deinde ostendit materiam de qua acturus est, enumerans quinque vniuersalia, scilicet genus differentiam, speciem, proprium, & accidens. Et tandem facit ores quæstiones, altioribus relictis, explicare pollicetur. Appellat autem altiores, quæ maiori indigent inquisitione, quàm ut a tyronibus percipi possint. De quarum numero (inquit) sunt, an vniuersalia in re subsistant, vel in sola intellectus notitia: an corpora sint, vel corporis expertia: an separata, vel in sensibilibus posita.

## NOTATIONES circa textum.

**Q**UAM sit necessaria prædicabilium cognitio ad prædicamentorum notitiam comparandam, inde satis liquet: quia prædicamentum, ut omnes communiter definiunt, est series, seu coordinatio prædicabilium secundum debitam subiectionem, vel prædicationem: ergo prædicabilia sunt partes prædicamentorum: ac proinde illorum notitia valde conducet ad horum cognitionem.

Iam verò circa hoc Porphyrij proœmium disputant Doctores de vniuersalibus in communi mouentes non solum eas quæstiones, quas Porphyrius tractare recusauit, sed & alias plures his adhuc altiores: quod Cano lib. 9. de Locis cap. 9. laudat; Soto tamen aliquas inuitus tractat. Sed reuera materia est summè necessaria, & ex ea pendent ferè omnia, quæ tractantur in Logica: Vnde nobis etiam erit ignoscendum, si morem nostri temporis sequentes easdem quæstiones pertractemus. Quas distinctionis gratia ad duas disputationes reducemus, in priori colligentes, quæ pertinent ad essentiam vniuersalis, tam ex parte materie, quàm ex parte formæ, ut postea in sequenti de passionibus eius disputemus.

Pro his autem, & aliis infra tractandis, aduertendum duximus sæpius vltoros esse nominibus apud Latinos non ita vtitis: quia summè sunt necessaria ad penetrandas res, de quibus disputatur. Et ideo, quamuis minùs Latina; non sunt tamen fastidiosè contemnenda: quia ut benè inquit August. 4. de Doctrina Christiana, cap. 11. *Quid obest clavis lignea, si per eam id quod volumus, perire licet.*

## DISPUTATIO III.

### De essentia vniuersalis.

**V**T Confusio quam *uniuersalis* nomen afferre potest auferatur, percipiamusque, de quo vniuersali sit nobis in præsentī sermō: notandum est vniuersale primò diuidi in complexum, & incomplexum. Complexum est principium illud gene-

rale, seu propositio vniuersalis, in qua veritates aliquis scientiæ fundantur: & generaliter omnis propositio signo vniuersali affecta dicitur in hoc sensu vniuersale. De quo agimus in præsentī.

Vniuersale incomplexum est, quod voce simplici significatur, & est sic vnum, ut dicat aliquem ordinem ad plura: vnde ex diuersitate huius ordinis sumuntur diuersæ acceptiones vniuersalis incomplexi. Primò enim potest aliquid vnum habere ordinem ad plura, ut causa eorum; & hoc appellatur *uniuersale in causando*; cuiusmodi est Deus, & aliæ causæ vniuersales. Secundò, ut exemplar, & similitudo eorum, appellaturque *uniuersale in representando*: & huiusmodi sunt idea artificis, species intelligibiles, & generaliter omnes actus intellectus, quibus cognoscuntur naturæ communes: omnia enim hæc sunt exemplar: & similitudo plurium, ut patet. Tertiò aliquid potest comparari ad plura, ut signum eorum: & huiusmodi sunt voces communes; quæ quia plura significant, dicuntur *uniuersales in significando*.

Quartò tandem aliquid potest respicere plura ut existens in illis; vnde oritur, quòd de eis prædicatur: cuiusmodi est animal, & aliæ naturæ communes, quæ verè existunt in suis inferioribus, & de illis prædicantur. Et hoc appellatur *uniuersale in essendo*, seu *in prædicando*, estque simpliciter, & absolute vniuersale: nam alia enumerata enutiativè, & simpliciter sunt singularia, ut per se constat; solumque dicuntur vniuersalia: quia causant, representant, vel significant plura, quòd est esse vniuersale secundum quid.

Aliis ergò acceptionibus relictis, solum disputamus in præsentī de vniuersali in essendo, seu in prædicando: quod solet etiam appellari *uniuersale Logicum*: quia continetur sub obiecto Logicæ. Differunt autem vniuersale in essendo, & in prædicando, tanquam essentia, & passio: quia ex eo, quòd aliquid sit in multis, sequitur posse de illis prædicari. Propter quod etiam Aristot. vniuersale Logicum interdum definit per esse in multis, interdum verò per prædicari de illis, ut magis infra constabit.

## Q V Æ S T I O I.

*An à parte rei dentur naturæ, quæ denominari possint vniuersales.*

**V**T clariùs procedamus, agemus in his prioribus quæstionibus de vniuersali ex parte materiæ, seu de his quæ pertinent ad naturam denominatam; postea verò de secunda intentione, quæ est forma illius.

Pro intelligentia ergo, cum tituli huius quæstionis, tum etiam eorum; quæ in aliis dicenda sunt, sciendum est, quod actus intellectus consueverunt appellari partus, seu conceptus mentis, sumpta Metaphora à partu, seu conceptu proli. Vnde etiam nomen conceptus extensum est ad significandum obiectum actus, seu rem ipsam, quæ intelligitur: claritatis tamen gratia actus ipse appellatur conceptus formalis, & res quæ cognoscitur, conceptus obiectivus.

Quia verò intellectus potest separare perfectiones, quæ à parte rei sunt idem in aliqua re, formatæque de vnaquaque distinctum conceptum formalem, ut quando in homine cognoscit rationem animalis sine rationale: hinc est, quod etiam dantur in qualibet re plures conceptus obiectivi, nempe rationes illæ, seu gradus, qui correspondent conceptibus formalibus; quamvis à parte rei tales rationes seu gradus non distinguantur. Ex quo rursus sequitur nomine conceptus obiectivi non significari ipsas res materialiter sumptas, & secundum omne id quod à parte rei habent, sed secundum illam rationem, gradum, aut perfectionem, quæ intelligitur per conceptum formalem. Quare si in quolibet singulari, verbi gratia Petro, præter differentiam individualement dantur etiam rationes gradus, seu perfectiones communes, quæ possint sine illa intelligi, manifestum est quod conceptus obiectivi non semper erunt rationes individuales: sed sæpiùs erunt rationes, gradus, seu naturæ communes: quæ consequenter erunt materia vniuersalis. In hac ergo quæstione inquiratur utrum à parte rei dentur tales conceptus obiectivi gradus, seu naturæ, quæ denominari possint vniuersales.

Heraclitus, & Cratylus philosophi Platone antiquiores, teste Aristotele libro primo, Metaphys. capite sexto, & libro quarto, capite quinto, negaverunt esse in rebus naturas vniuersales. Propter quod etiam scientias abstulerunt, nihil cerò sciri posse affirmantes; eò quod res omnes sint in continuo motu, & fluxu; scientiæ autem debeant esse de perpetuis, & necessariis.

Quartum fundamentum adducit Divus Thomas quarto Metaphys. lectione 12. quia de re quæ mutatur, in quantum mutatur, nihil potest verè affirmari; quod enim mutatur de albedine in nigredinem prout sic, nec est album, neque nigrum: sed res omnes sunt in continuo fluxu, & mutatione: Ergo de illis nihil potest verè affirmari. Quam opinionem vsque adeò securus est Cratylus (testibus Aristot. & D. Thom. ibidem) quod existimaverit non oportere aliquid verbo dicere; sed ad exprimendum, quod volebat: movebat solum digitum: quia credebat veritatem rei, quam volebat enuntiare, prius transire, quàm oratio finiretur; breviori autem spatio digitorum movebat. Propter quod etiam Hera-

clitum increpabat: quia dixit fieri posse, ut bis eundem fluxum quisquam ingrediatur; ipse enim neque semel arbitrabatur.

Ab hoc Heracliti, & Cratyli delirio non longè distant Nominales, qui vniuersalia, & scientias à rebus abstulerunt, asserentes dari quidem voces vniuersales, ut *homo est animal*; illisque in mente correspondere conceptus formales, vniuersales: ceterum, neque vocibus, neque conceptibus ipsis correspondere in rebus aliquid commune; sed tantum singularia. De quibus quia non potest esse scientia: consequenter asseruerunt sola nomina, aut etiam conceptus formales posse ad obiectum scientiarum pertinere.

Pro hac sententia refertur Ocham capite 14. suæ Logicæ in 1. dist. 14. quæstione 7. ubi etiam, idem tenent Gabriel. & alij quibus favere videtur Arist. cap. de substantia, ubi definiens secundas, id est vniuersales substantias ait: *Illas significare quale quid*, significare autem solis vocibus convenit ut patet. Et lib. 1. de anima. text. 8. ait: *animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posterius*. Similiter autem, & si quid commune aliud predicatur. Id est, animal ut vniuersale, nihil est, aut est post res: in vocibus scilicet, quæ imposuit sunt ad significandum, postquam res sunt.

Ratione etiam suaderi potest: quia quidquid existit à parte rei, est singulare: ergo à parte rei nulla datur res, seu natura vniuersalis; sed tantum voces aut conceptus: quæ ut paulo ante diximus, entitativè sunt singularia. Patet consequentia: quia vniuersale opponitur singulari: ergo si à parte rei omnes res sunt singulares, à parte rei nulla erit vniuersalis.

6. Secunda sententia præcedenti opposita concedit naturas vniuersales, & addit eas esse à parte rei à singularibus separatas, esseque principia omnium individuorum talis naturæ. Quam opinionem Aristot. 1. Metaphys. capite 6. & libro 7. capite 8. Platoni. Quem licet in bonum sensum explicari contendunt gravissimi Patres, & Doctores: quod scilicet loquatur de idæis in mente divina existentibus, ut exponunt Augustinus, Dionysius Areopagita, Nazianzenus, Seneca, Plutarchus, Eugubinus, & Picus Mirandulanus, quos referunt hic Masius, Conimbricenses, & alij: illud tamen est magni ponderis contra Platonem, quod quamvis Divus Thomas libro 4. de regimine Principum, cap. 4. dicat Aristot. non planè referre aliorum sententias, maximè Socratis, & Platonis in hoc tamen sequens Aristot. tribuit prædictam opinionem Platoni, 1. part. quæst. 15. art. 1. ad 1. & quæst. 84. artic. 1. opusc. 5. & alibi sæpè: quem sequuntur Abulensis art. 25. quæst. 572. Auerr. Ferrar. Sotus, Carthusianus, & alij.

Quicquid autem sit de hoc, duo fundamenta istius sententiæ adducit Aristot. 7. Metaphys. text. 55. Primum est: quia scientia est de vniuersalibus, perpetuis, & invariabilibus: ergo præter singularia, quæ sunt caduca, & contingentia, ponendæ sunt naturæ aliquæ reales & vniuersales à singularibus separata. Probatur consequentia: quia aliàs non essent mutationis, & contingentie expertes: si cum ipsis singularibus orirentur, & interirent.

Secundum est: quia vnumquodque producit à suo simili: sed multoties videmus ignem generari à non igne, & alia plura non similibus: ergo ponendæ sunt aliquæ naturæ vniuersales separata, quæ sint principia & causæ omnium habentium talem naturam: ut sic vnaquæque res semper producat à suo

# Disput. I. de Essentia vniuersalis, Quæst. I. 81

suo simili. Alia leuiora argumenta videri possunt apud Auctores citatos.

7. Nihilominus tamen dicendum est primò, à parte rei non solum dari voces, aut conceptus formales communes, sed illis verè correspondere conceptus obiectiuos, seu naturas vniuersales. Hæc conclusio est communis consensus Philosophorum contra Nominales. Pro qua videri possunt Boët. hic, D. Th. de ente & essentia, c. 4. & opusc. 55. & 56. Beatus Alber. tract. 2. Logicæ, Masius lect. 2. de Vniuersalibus q. 1. & alij. Recentiores, Sumiturque ex Arist. 1. Periermen. c. 5. vbi ait: *Rerum alia sunt vniuersales, alia particulares*, & lib. 1. Poster. c. 2. docet vniuersalia esse notiora singularibus, illaque intellectu, hæc verò sensu cognosci; quod etiam docet 2. de anima, c. 5. Quibus locis non potest esse sermo de vocibus: siquidem voces, etiam communes, sensu percipiuntur, vt patet: ergo loquitur de rebus significatis.

Ratione etiam probatur. Primò plures sunt prædicationes veræ, & necessariae, in quibus genus prædicatur de specie, & species de indiuiduis. Huiusmodi enim propositiones, *Petrus est homo*, *homo est animal*, veræ sunt, & necessariae. Ergo id quod in illis enuntiatur, est res aliqua, & non voces, aut conceptus formales: Patet consequentia: quia si voces, aut conceptus prædicarentur, utraque propositio esset falsa, & impossibilis: nam ita falsum est dicere Petrum esse hanc vocem, *homo*: sicut dicere hominem esse conceptum formalem animalis.

Respondebis eum Nominalibus voces communes, v.g. *hominem aut animal*, non significare aliquam naturam communem indiuiduis, sed immediatè ipsa singularia.

Sed contra hoc est: qui adhuc essent falsæ, & impossibiles propositiones, in quibus subiectum est terminus singularis & prædicatum terminus communis: si quidem hæc propositio, *Petrus est homo*, redderet hunc sensum: *Petrus est omnia singularia hominis*, quod per se constat esse falsum.

Secundò probatur: quia scientiæ reales verè tractant de rebus, sed de non singularibus: ergo de rebus vniuersalibus. Minor, & consequentia constant: quia singularia sunt corruptibilia, & à natura per accidens intentia. Maior autem probatur: quia Philosophia definiens hominem quod sit animal rationale, non definit hanc vocem, *Homo*: si quidem illa non constat corpore, & anima rationali. Et Astrologia demonstrans terram esse rotundam, id non probat de vocibus, vt patet. Vtimur tamen eius loco rebus: quia has ad solas adducere non possumus, vt inquit Arist. in lib. Topicorum: ergo verè dantur res, & naturæ vniuersales.

8. Dicendum est secundò naturas vniuersales non esse à parte rei à singularibus separatas. Hæc etiam conclusio recipitur vnanimitè à Philosophis. Quam probat Arist. contra Platonem pluribus locis: sed præcipuè 7. Metaph. text. 5. vbi illum ex professo impugnat. De quo videri possunt D. Th. ibidem lect. 14. & alij Auctores citati.

Probatur primò ratione desumpta ex eodem Angelico Doctore. opusc. 55. & 56. Quia impossibile est aliquid esse de essentia alterius, & quod non sit in illo: imò prædicatio necessario requirit aliquam identitatem rei de qua dicitur, vt indicat ipsa forma prædicationis, & nos infra ostendemus: ergo sibi ipsi contrarius est Plato, dum admittit naturas illas, seu ideas, esse de essentia singularium, verèque prædicari de illis, & simul asserit ab eis esse realiter separatas.

Confirmatur ex eodem D. Th. c. 4. de ente, & essentia: vbi impugnans sententiam Platonis inquit: *Neque separatim illud proficit in cognitione singulari signati*, Ex quibus verbis sic format rationem Caiet. ibid. quia genus, aut species est id, quo indiuidua cognoscuntur;

siquidem vnumquodque cognoscitur per suum genus, speciem, & differentiam: sed essentia per se subsistens non in singularibus, non est id, quo indiuidua cognoscuntur: cum vnumquodque cognoscatur quidditatiuè per id, quod est in eo, & non per id, quod in eo non est: ergo essentia per se subsistens, vt ponitur à Platone, non est genus, neque species, neque, aliquod aliud prædicatum essentiale respectu indiuiduorum.

Secundò: quia si daretur talis natura à singularibus separata, simul esset vniuersalis, & non vniuersalis: vniuersalis quidem, vt supponimus, & non vniuersalis: quia talis natura, seu idea verè existeret à parte rei: ergo ex vi alicuius actionis realis, si quidem esset quid creatum. Sed qualibet actio realis terminatur ad rem singularem: ergo idea illa verè esset singularis. Probatur minor: quia illius proprium est fieri, cuius proprium est esse, seu subsistere, vt probat D. Th. p. q. 65. art. 4. sed in rebus creatis esse, seu subsistere, proprium est suppositi singularis: non verò naturæ communis, vt docet idem Angelicus Doctor, q. 9. de potentia art. 5. ad 1; & nos aliquando ostendemus: ergo id, quod propriè fit, est suppositum singulare. ¶ Consultò omittimus alias rationes, quæ contra hæc Platonis vniuersalia ex principis fidei desumi possent: qualis est illa de peccato originali, quod totam naturam humanam infecit; cum tamen Christus homo fuerit illius incapax, & alia similes.

9. Ad argumenta respondetur, Ad fundamentum Heracliti & Cratylæ respondet Arist. loco ibi citato ex 4. Metaph. utramque præmissam esse falsam quod probat optimè sex rationibus. Et de maiori quidem constat: nam dato quod de pariete verbi gratia; dum mutatur de albedine in nigredinem, non posset verè dici esse album, aut nigrum; tamen verè potest dici oppositum, scilicet non esse album, neque nigrum, sed mutari; & sic iam erit aliqua determinata veritas, de qua possit esse scientia. Neque minor etiam est vniuersaliter vera. Inquit Arist. nam licet concedamus res esse sub motu ad quantitatem, & qualitatem, non tamen semper erit sub motu ad formam substantialem, & sic poterit esse aliqua determinata veritas. Quas rationes lausè prosequitur Aristot. de quo videri potest D. Thom. ibi lect. 12. Nos vnico verbo respondemus peccare argumentum arguendo à rebus secundum existentiam ad easdem secundum essentiam. Licet enim singularia sint contingentia, & mutabilia; essentiæ tamen sunt immutabiles, & perpetuæ, vt disp. sequenti explicabimus.

Ad loca Arist. pro sententia Nominalium respondetur. Ad primum, ibi loqui de nominibus significantibus secundas substantias, non de ipsis secundis substantiis, vt patet ex eius verbis. ¶ Secundum autem locum explicat optimè D. Th. ibid. lect. 1. & lib. 3. sequenti lect. 12. quod scilicet Arist. illis verbis simul excludit opinionem Platonis, & docet modum, quo sit vniuersale, & ita sensus est: animal vniuersale nihil est ab speciebus separatum, vt fingebar Plato: est tamen in eisdem, vt quid posterius, scilicet ab intellectu fundatum, & ex earum conuenientia desumptum: vnde mala est glossa adducta in argumento.

Ad rationem pro eadem sententia respondetur, quod sicut naturæ vniuersales à parte rei sunt idem cum singularibus, ita à parte rei existunt per existentiam singularium; sicut etiam fiunt per actiones, quibus fiunt singularia. Ex hoc tamen solum sequitur non dari vniuersale à parte rei separatum: hoc enim est quod opponitur singulari; non tamen infertur non dari à parte rei naturas communes, & vniuersales, singularizatas tamen, & à singularibus à parte rei non separatas.

Ad fundamentum Platonis ex dictis patet. Ad primum concedi

concedimus scientias esse de naturis vniuersalibus, perpetuis, &c. Sed hoc idem est, quia abstrahunt ab existentia, solumque considerant obiectum secundum essentiam. Constat enim, quod eodem modo, ac nunc est vera hæc propositio: *Omnis homo est animal*. Esset etiam vera, si nullum existeret individuum hominis. Imò dato quod esset possibilis sententia Platonis de existentia reali vniuersalis separati, talis existentia non esset necessaria ad veritatem propositionis: quia etiam ante illam existentiam, esset verum hominem esse animal, ut de se pater. Vnde ad probationem consequentiarum respondetur essentias, seu quidditates vniuersales dici perpetuas & inuariabiles; non quia cum singularibus non oriuntur, aut intereant, sed quia id non habent secundum se, sed ratione singularium. Vnde ipsæ secundum se, sunt perpetuæ, & inuariabiles negatiuè, ut explicabimus disp. seq.

Ad secundum responderetur errasse Platonem existimando inter causam, & effectum necessariam esse similitudinem formalem, & vniuocam: sufficit enim virtualis, seu eminentialis, ut patet in Deo respectu creaturarum, & generaliter in omnibus causis æquiuocis.

## Q V Æ S T I O I I.

*Utrum à parte rei detur unitas formalis, in natura.*

10. **S**upposito quod à parte rei dantur naturæ, quæ denominari possunt vniuersales, vltius inuestigandum est, quid requiratur ex parte ipsius naturæ seu quid in ea à parte rei præsupponatur, ratione cuius sit capax secundæ intentionis vniuersalis. Et ad hoc ordinantur ista, & sequentes quæstiones, de unitate formali: hæc enim (si datur à parte rei) præcul dubio est id, ratione cuius natura est capax vniuersalitatis; siquidem non recipit eam ratione unitatis numericæ, ut patet. Ut ergo à certioribus incipiamus, & necessaria alia simul explicemus.

Primo certum est, ad hoc ut natura sit materia apta vniuersalis, non debere esse singularem essentialiter, qualis est natura diuina; quæ quia est simplicissima, & actus purus, non admittit compositionem ex ratione communi, & singulari; sed ipsa per seipsam est essentialiter singularis; ac proinde repugnat esse vniuersalem. Vnde prædicationes in quibus natura diuina dicitur de personis, ut *Pater est Deus, Filius est Deus, &c.* non possunt esse alicuius ex quinque prædicabilibus. Vtrum autem naturæ, quibus repugnat habere plura individua, ut de naturis Angelicis tenent communiter Thomistæ, possint esse materia vniuersalis, disput. 6. dicemus.

11. Secundò certum est entia per accidens, ut æceruus, & generaliter quæ componuntur ex entibus completis, aut rebus diuersorum prædicamentorum, non posse esse materiam vniuersalis. Cuius ratio est manifesta: quia vniuersale, de quo loquimur in præsentia, est vnum simpliciter: sed ens per accidens non est simpliciter vnum, sicut neque est simpliciter ens: ergo non potest esse materia apta vniuersalis.

Eadem ratione excluduntur transcendentia analogæ, & æquiuoca. De quibus quia agendum est in antepredicamentis, nunc satis sit dicere, quod sicut defectu unitatis excluduntur à linea prædicamentali; ita etiam excluduntur à materia vniuersali. Vnde illæ tantum naturæ quæ vniuocè, seu æqualiter, quantum est ex parte sua, participantur ab inferioribus, ut est natura humana, & similes possunt esse materia vniuersalis.

Tandem quia de concretis accidentalibus infra

agendum est, nunc etiam sufficiat dicere, illud aggregatum ex subiecto, & accidenti (siue totum hoc significet nomen concretum, siue non, de quo infra) non posse esse materiam vniuersalis: quia prout sic est ens per accidens constans rebus diuersorum prædicamentorum, quod expressè docuit D. Th. cap. 6. de ente, & essentia dicens: *Ex accidenti, & subiecto non fit vnum per se. Vnde non resultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intentio generis, vel speciei possit attribui.*

Ergo cum naturæ istæ, quæ possunt esse materia vniuersalis, non sint à parte rei à singularibus separata, sed in eis existentes, ut ostendimus quæst. præcedenti: manifestum est iuxta pluralitatem realem, & distinctionem numericam individuium naturas ipsas esse realiter multiplicatas in illis, & ex consequenti naturam humanam Petri verbi gratia esse vnā numero per unitatem numericam quam habet Petrus, & naturam humanam Pauli esse vnā numero per unitatem numericam, quam habet Paulus, & sic de aliis. Sed quia duæ istæ naturæ solum distinguuntur per principia materialia, ex quibus sumitur distinctio numerica; non verò per aliqua principia formalia, seu essentialia, in quibus potius conueniunt: hinc emergunt plures difficultates circa unitatem formalem, vtrum scilicet in natura præter unitatem numericam detur à parte rei unitas formalis. Deinde tan talis unitas sit à parte rei communis indiuiduis, & vna in illis tan potius multiplicentur sicut multiplicentur unitates numericæ. Et tandem quomodo in quolibet indiuiduo distinguantur unitas formalis, & numerica. Quarum difficultatum rigidum examen est proprium Metaphysicæ: sed aliqualis earum notitia conducit plurimum ad cognitionem vniuersalium.

12. **A** prima ergo incipiendo, Pro tituli intelligentia sciendum est ex Aristot. 3. Metaph. cap. 6. & lib. 10. cap. 1. *Vnum* est ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: siue vnum pro formali dicat solam carentiam, ut quidam dicunt, siue ut volunt alij, includat etiam essentialiter ipsum ens, ita quod tam ens, quam carentia diuisionis intrent essentialiter rationem vnius, de quo alibi. Quare unitas erit vel ipsa indiuisio, seu carentia diuisionis: vel entitas indiuisa. Quidquid autem dicatur certum est tamen tot esse unitates, quot fuerint diuisiones: carentia enim specificatur, & cognoscitur per formam oppositam.

Diuisio autem est duplex, ut probat Caietanus de ente, & essentia, c. 4. quæst. 6. alia materialis, & alia formalis. Diuisio materialis est, quæ causatur per principia materialia, seu differentias indiuiduales; quæ quia sumuntur à materia, dicuntur materiales: & hac diuisione diuiditur quælibet species infirma in sua individua. Diuisio formalis est, quæ causatur per principia formalia, seu differentias essentialia; quæ quia sumuntur à forma, dicuntur formales quo modo differunt species cuiusunque generis. In hac autem diuisione formali est latitudo, ut rectè notat Caietan. potest enim fieri per differentias formales magis, ac magis communes; sicut genera ipsa, quæ diuiduntur, possunt esse magis ac magis communia.

Vtrumque cernere licet in Petro, qui à Paulo differt non per aliqua principia formalia, aut essentialia: in his enim omnino conueniunt, sed ratione materiæ, seu per differentiam indiuidualem, & sic inter eos solum est distinctio materialis. At verò Petrus ab hoc equo non solum differt ratione materiæ; sed per principium formale, scilicet rationale: sed ab hac planta differt per aliud principium formale

commun



communius scilicet per sensibile: similiter ab hoc lapide differt per principium formale superius, scilicet per animatam: & sic de aliis, ascendendo per lineam prædicamenti substantiæ. Ex quo fit, quod tantum diuisio; qua homo diuiditur in Petrum, & Paulum, est materialis, & ex consequenti quod in ea nulla est latitudo. At vero, non solum diuisio, qua animal diuiditur in hominem, & equum, sed etiam, qua viuens diuiditur in animal, & plantam, & etiam, qua mixtum diuiditur in viuens: & non viuens, & alie superiores sunt diuisiones formales & per consequens in diuisione formali inuenitur latitudo explicata.

13. Ex quibus sequitur primò vnitatem esse duplicem: aliam materialem, & aliam formalem, Vnitas materialis erit vel carentia diuisionis materialis, vel entitas carens diuisione materiali iuxta duos modos dicendi supra relatos. Vnitas verò formalis similiter erit, vel carentia diuisionis formalis, vel entitas carens diuisione formali. In qua, sicut in ipsa diuisione erit latitudo: siquidem Petrus non solum caret diuisione formali: quia est rationalis: sed etiam quia est sensibilis, animatus, &c. Quod expressè docuit Arist. 5. Metaph. cap. 6. cuius verba in conclusione adducemus.

Secundò sequitur, quod vnitas numerica est maxima vnitas, quia nullam admittit diuisionem: vnitas verò formalis minor est illa, quia non excludit diuisionem numericam: & intra latitudinem vnitatis formalis illa erit minor, quæ causatur per principium formale magis commune: quia plus admittit diuisionis. Verbi gratia in Petro vnitas, qua est hoc indiuiduum, est maxima: quia excludit omnem diuisionem: vnitas verò qua est vnus homo, est minor præcedenti: quia ex vi huius non excluditur, quod sit hic, vel hic homo: vnitas autem, qua est animal, est minor præcedentibus: quia ex vi illius non excluditur, quod sit hoc animal, scilicet homo: aut illud animal, scilicet equus. Et idem proportionabiliter est de aliis gradibus superioribus, ut consideranti patebit.

14 Ratio autem à priori huius doctrinæ est: quia vnitas dicit carentiam diuisionis: carentia autem tanto maior est, quanto minus relinquitur in subiecto de forma, qua priuat, ut patet de obscuritate, surditate & aliis priuationibus: unde illa carentia erit maxima, quæ in subiecto nihil relinquit suæ formæ. Cum ergò vnitas numerica nihil relinquat de diuisione: formalis verò admittat magis, ac magis iuxta latitudinem explicatam: manifestum fit vnitatem numericam esse maximam: formalem verò esse minorem, ac minorem, secundum quod causatur per principium magis, ac magis commune.

His sic explicatis: de vnitatem numericam nullus ambigit dari à parte rei. Constat enim quodlibet indiuiduum à parte rei esse ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio vltima diuisione: & per consequens esse vnum numero, quod est habere à parte rei vnitatem numericam. Vnde solum est difficultas de vnitatem formalem: scilicet in Petro, verbi gratia, præter vnitatem numericam detur à parte rei vnitas formalis. Cuius sensus non est: an vnitas formalis, & numerica distinguantur à parte rei; sed an sicut à parte rei datur vnitas numerica, sic etiam detur à parte rei vnitas formalis: potest enim hæc esse à parte rei, quin sit realiter distincta à numerica. Sicut à simili statui-mus quæstione præcedenti dari à parte rei, non solum differentias indiuiduales: sed etiam naturas communes quamuis istæ non distinguantur realiter ab illis. In hoc ergo sensu inquirimus: an sicut datur à parte rei vnitas numerica in natura, sic etiam detur vnitas formalis

15. Partem negatiuam defendunt quidam mo-

derni, contententes solam vnitatem numericam dari à parte rei. Et probant primò ex Aristot. 4. Metaphysic. text. 7. vbi agens de vno, solum enumerauit vnitatem numericam, specificam, & genericam: sed istæ duæ sunt per intellectum: ergo sola vnitas numerica datur à parte rei.

Secundò: sicut non datur nisi duplex ens, reale scilicet: & rationis; ita non datur nisi duplex vnitas, realis scilicet, & rationis: sed vnitas realis est vnitas numerica: ergò vnitas formalis solum potest esse per intellectum. Probatur minor: quia omnia, quæ sunt in singularibus, à parte rei sunt singularizata, & indiuiduata: ergò quamuis Petrus, verbi gratia, à parte rei sit homo, animal & viuens: nihil tamen istorum erit à parte rei commune, sed singulare: & ex consequenti omnia erunt vnum numero per vnitatem numericam, ac pròinde non dabitur vnitas formalis.

Tertiò, quia plures rationes reales quæ in quolibet ente possunt per intellectum distingui, non efficiunt à parte rei plura entia: ergo non faciunt plura vna: ergo vnitas realis, quæ est passio entis, non sequitur rationes formales, etiam reales; sed entitatem singularem: & indiuiduam.

Confirmatur, quia vnitas realis in actu tantum est passio entis realis in actu, nisi enim actu sit ens: actu vnum esse non potest: sed ens actu tantum est ens singulare: ergò vnitas realis tantum sequitur singularitatem, & indiuiduationem. Consultò omittimus plura alia argumenta, quæ pro hac sententia formant Auctores eius: quia solum probant vnitatem formalem à parte rei non esse distinctam à numerica, de quo agendum est quæst. 5.

16. Dicendum est tamen à parte rei, & ante omnem operationem intellectus dari vnitatem formalem in natura. Hæc conclusio vniuersim admitteretur à discipulis Diui Thomæ, & Scoti, ut testatur Suarez disput. 7. Metaph. sect. 1. num. 2. citans vtriusque scholæ Doctores. Pro qua videri possunt Antonius Andr. 7. Metaphysicæ, quæst. 17. & Caiet. de ente & essentia cap. 4. quæst. 6. vbi asserit hanc conclusionem esse adeò manifestam, ut nullus sanæ mentis possit eam negare. Colligitur manifestè ex Aristot. 5. Metaph. text. 11. vbi ait: *Vniuersaliter enim quæcumque non habent diuisionem, in quantum non habent, sic vnum dicuntur: ut si in quantum homo non habet diuisionem, vnus homo; si vero in quantum animal, vnum animal.* Idem docet D. Thom. opusc. 42. c. 7. vbi naturæ secundum se ut præscindit ab esse, quod habet in indiuiduis vel in intellectu, expressè concedit quandam vnitatem ratione cuius habet vnā definitionem, & vnum nomen: quod ut patet non potest esse verum, nisi de vnitatem formali.

Probatur conclusio ratione: quia vnitas formalis est carentia diuisionis formalis, seu entitas indiuisa formaliter: sed Petrus à parte rei habet carentiam diuisionis formalis, seu entitatem formalem indiuisam, & non tantum in diuisionem materialem: ergo à parte rei, non solum habet vnitatem numericam, sed etiam formalem.

Maiores, & consequentia constant.

Minor verò probatur: quia sicut à parte rei Petrus non est diuisus in plures materias, seu indiuidua: ita non est diuisus in plures formas, seu essentias: ergo sicut à parte rei habet carentiam diuisionis materialis; ita à parte rei habet carentiam diuisionis formalis.

Confirmatur: quia à parte rei non solum datur diuisio materialis inter indiuidua eiusdem speciei; sed etiam datur diuisio formalis inter indiuidua diuersarum specierum: ergò in Petro præter vnitatem numericam datur à parte rei vnitas formalis.

Conse

Consequentia patet: quia priuationes seu carentiæ regulantur per habitus seu formas oppositas. Antecedens verò probatur: quia nullo intellectu considerante sicut Petrus distinguitur à Paulo materialiter: ita distinguitur ab equo essentialiter.

17. Respondet Petrum à parte rei per ipsam unitatem numericam, non solum carere non diuisione materiali; sed etiam formali: & ex consequenti per illam à parte rei distingui, tum ab indiuiduis eiusdem speciei: tum ab aliis quibuscunque.

Sed contra: quia vel sumis unitatem numericam petri secundum quod sibi realiter identificat quamcunque entitatem indiuisam, seu quamcunque indiuisiōnem, quæ est in Petro, ex quacunque radice proueniat, & sic verum quidem est per eam Petrum carere quacunque diuisione, & distingui à quocunque alio; sed hoc ideo est: quia in unitate numerica sic sumpta includitur unitas formalis, quæ realiter cum illa identificatur. Vel sumis unitatem numericam, præcisè secundum quod est materialis, seu secundum quod causatur per principia materialia: quomodo non includit unitatem formalem; id distinguitur ab ea: & sic omnino falsum est per unitatem numericam Petrum distingui essentialiter ab equo. Principia enim materialia prout sic, cum desumuntur à materia prima tanquam à prima radice, non possunt causare distinctionem essentialē: sed hæc necessario causatur per principia formalia, quæ à forma tanquam à prima radice desumuntur. Et hoc modo loquimur in præsentī de unitate materiali, & formali, ut ex dictis patet.

Secundò probatur conclusio: quia à parte rei Petrus, & Paulus habent relationem similitudinis, seu identitatis in natura humana: ergo datur ibi unitas formalis. Probatur consequentia: quia relatio similitudinis, seu identitatis fundatur in unitate ex Arist. 3. Metaph. text. 20. Cum autem non fundetur in unitate numerica; siquidem potius sunt dissimiles, & diuersi: manifestum est fundari in unitate formali.

Confirmatur: quia multa alia necessario conceduntur esse à parte rei quæ saluari non possunt, nisi datur unitas formalis in natura: ergo illa concedenda est. Probatur antecedens: quia à parte rei concedimus in quolibet genere dari vnam speciem præstantissimam, quæ est mensura cæterarum: & similiter à parte rei vnum vni contrarium esse, & alia huiusmodi; quæ tamen non possunt intelligi de alia unitate nisi formali: ergo verè datur à parte rei in natura.

18. Ad argumenta respondetur.

Ad primum, Aristotelem ibi sub unitate specifica, & generica comprehendisse unitatem formalem: tum quia ex parte priuationis conueniunt; siquidem omnes dicunt carentiam diuisionis formalis: tum etiam quia unitas formalis est proximum fundamentum ex parte naturæ respectu unitatis specificæ, vel genericæ: & ideo solet appellari fundamentaliter specifica, vel generica.

Ad secundum negatur minor sicut enim entitas realis Petri non solum continet principia materialia, unde sumitur differentia numerica; sed etiam principia formalia, unde sumitur differentia essentialis: ita unitas realis Petri, non solum continet unitatem numericam, quæ sequitur principia materialia; sed etiam unitatem formalem, quæ sequitur principia essentialia: quamuis à parte rei, ut supponimus, non distinguantur istæ unitates, sicut non distinguuntur à parte rei differentia numerica, & essentialis.

Vnde ad probationem minoris concedimus quidem omnia, quæ à parte rei sunt in Petro, esse singularizata, nihilque esse à parte rei commune: inde tamen solum sequitur unitatem formalem esse à parte

rei coniunctam cum unitate numerica in vnoquoque indiuiduo: non dari aliquam vnam unitatem formalem communem omnibus. Cum quo tamen stat verè dari unitatem formalem, quod intendimus.

Tertium argumentum cum sua confirmatione præcipue probat unitatem formalem, & numericam à parte rei non esse plures unitates, seu non distingui realiter, quod nos non negamus, ut constabit quæstione 4. Adhuc tamen ad argumentum, quatenus potest esse contra nos respondetur, quod sicut rationes, seu perfectiones reales, quas distinguit intellectus in aliquo ente efficiunt à parte rei vnum ens, ita unitas formalis & numerica à parte rei efficiunt vnam unitatem realem, quæ est passio entis. Vnde malè infertur talem unitatem non sequi rationes formales reales; sed entitatem singularem, & indiuidua. Nam eo ipso, quod sequatur totam illam entitatem singularem; sequitur etiam omnes rationes reales, quæ in ea continentur seruata proportione.

Per quod patet ad confirmationem. Concedimus enim unitatem realem in actu, solum sequi entitatem singularem quæ est entitas in actu. Negandum est tamen tantum sequi ad singularitatem, seu differentiam numericam: quoniam etiam sequitur ad alias perfectiones essentielles, quæ in tali entitate singulari continentur, ut explicatum est.

### Q V Æ S T I O III.

*Utrum à parte rei detur in natura vna unitas communis, vel potius multiplicetur in inferioribus.*

19. **Q**uestio hæc celebris est inter discipulos D. Thom. Scoti. in qua pro tituli intelligentia notandum est ex Caietano de ente & essentia cap. 4. quæst. 6. unitatem naturæ dupliciter posse esse communem negatiuè scilicet, & positiuè. Tunc est communis negatiuè; quando natura non est appropriata alicui supposito, ut ipsum nomen indicat: nam negatiuè commune idem est, quod non singulare. Vnde natura sic sumpta idem est, quod natura solitaria ut loquitur Caiet. absque consortio scilicet indiuiduorum. Tunc verò unitas est positiuè communis, quando natura indiuisa manens secundum illam unitatem, reperitur in pluribus.

Cui Caiet. doctrinæ addit benè Mafius sec. 1. de vniuers. q. 1. unitatem positiuè communem posse subdiuidi in numericam, specificam, & genericam. Tunc natura habet unitatem numericam positiuè communem quando manens eadem numero, & indiuisa, reperitur in pluribus suppositis, ut natura diuina, quæ indiuisa manens, & eadem numero, identificatur cum tribus personis realiter distinctis. Tunc verò naturæ habet unitatem specificam, vel genericam positiuè communem quando indiuisa manens secundum illud gradum, specificum vel genericum, reperitur in pluribus realiter distinctis.

Non procedit ergò difficultas de unitate numerica positiuè communi. Certum enim est nullam naturam creatam habere talem unitatem; sed id proprium esse naturæ diuinæ: sed solum procedit de unitate formali specifica, vel generica; estque punctum difficultatis in hoc: an à parte rei detur in natura unitas formalis positiuè communis; ita ut manens indiuisa secundum illud gradum specificum, vel genericum ad quos cōsequitur, reperitur in pluribus absque eo, quod in illis realiter multiplicetur. Et hoc est, quod præcipue controuertitur inter D. Thomæ, & Scoti discipulos. Nos tamen simul etiam explicabimus: an saltem natura habeat à parte rei unitatem formalem negatiuè communem.

20. Prima

10. Prima sententia asserit naturam humanam, verbi gratia habere à parte rei quandam vnitatem formalem positivè communem, individuis, neque in illis multiplicatam, Sic docet Scot. 7. Metaph. qu. 18. & 2. dist. 3. qu. 1. quem sequuntur Antonius Andr. Monlorius & alij eius discip. quos refert Mas. vbi sup.

¶ Scimus aliquos diuersimodè explicare mentem Scoti; quous tamen modo exponatur, hoc tandem asserere tenentur, tam ipse quàm omnes illi qui asserunt dari à parte rei vniuersalem formaliter, seu vniuersalitatem, vt videbimus quæst. 55.

Sed quidquid de hoc sit, sententia sic intellecta probatur.

Primo: quia à parte rei Petrus, & Paulus sunt vnum in natura humana: ergo à parte rei talis natura habet vnitatem illis communem; & non multiplicatam in eis. Probat consequentia quia quando aliqua duo realiter distincta sunt vnum in aliqua ratione, talis ratio debet esse vna in illis.

Secundo: quia inter Petrum, & Paulum est realis relatio similitudinis, seu identitatis in natura: sed hæc relatio fundatur in vnitatem reali ex Aristot. c. de Relatione: ergo sicut inter Petrum & Paulum datur vnica relatio identitatis, ita dabitur aliqua vnitatem realis communis quæ non multiplicetur in eis. Maior, & minor patent: consequentia verò videtur constare ex paritate rationis.

Tertio: quia natura humana, quæ est in Petro & Paulo, definitur vnica definitione: ergo habet aliquam vnitatem in illis. nihil enim definit potest, nisi quatenus vnum ex Aristot. 4. Metaph. tex. 10. & l. b. 7. tex. 1. Sed hæc vnitatem non est per intellectum: nam à parte rei, & non ab intellectu habet natura, quod sit definibilis: ergo est vnitatem realis, & ex consequenti sicut definitio indiuisa manens est positivè communis indiuiduis, ita etiam vnitatem.

Quarto: quia quantumcunque natura diuidatur per differentias numericas: manet formaliter indiuisa, ergo in illa manet vnitatem formalis. Sed talis natura manens eadem formaliter, communicatur pluribus: ergo vnica, & eandem vnitatem formalem habent illa plura: & per consequens dabitur in natura vnitatem formalis quæ non multiplicetur in illis. plura alia argumenta congerunt Doctores pro hac sententia, quæ tamen solum probant dari à parte rei vnitatem formalem, quod nobis non aduersatur.

21. Secunda sententia negat naturæ à parte rei vnitatem formalem communem indiuiduis; quæ non multiplicetur in eis: sed similem vnitatem asserit provenire naturæ ab intellectu. Ita D. Tho. Opus. 55. & 1. parte quæst. 85. r. 1. ad 2. Quem sequuntur eius discipuli, Caietanus vbi supra. Capteolus in 3. disputatione 8. quæst. 2. Sorcinus 7. Metaph. quæst. 17. Sor. quæst. 2. Vniuers. l. b. 1. tract. 5. Tolletus quæst. 3. Rub. ibidem, & communiter Doctores. Qui tamen videntur diuisi in explicatione huius sententiæ, variosque dicendi modos adducit Rub. in sua Logica magna, sed certe in rei veritate non sunt discordes quoniam non eodem modo loquantur. Inter alios id explicat optimè Caietanus 4. illo cap. de Ente & Essentia quæstione 6. vbi concedit quidem præter vnitatem numericam aliam vnitatem realem, nempe formalem: sed hanc asserit non esse communem pluribus indiuiduis, aut in illis vniam; sed realiter in illis multiplicari, ita vt vnumquodque habeat suam vnitatem formalem. In quo contra Scotum conueniunt. Thomistæ concedunt tamen in omnibus indiuiduis esse à parte rei quandam vnitatem conformitatis, vt loquuntur veteres discipuli Diui Thomæ, Herbeus quodlib. quæst. 9. & N. ger. quæst. 2. Clipse. non quæ sit simpliciter vnitatem, aut aliquod tertium

Colleg. Compl. Logica.

commune indiuiduis: sed conformitas quædam, aut similitudo eorum, vt magis explicabimus concl. 3. Quem modum loquendi sumpserunt ex D. Thoma Opusc. 48. tract. 1. cap. 4.

Vt ergo clariùs procedamus, neque materiam ex se difficilem defectu distinctionis confundamus, aduertendum est: quod cum vnitatem vt supra nom. 22. notauimus dicat entitatem, & negationem: siue sola negatio sit ratio formalis, vnitatem suæ entitatem cum negatione, (quod nunc non interest) consequenter possumus loqui, vel de entitate ipsa reali, quam importat vnitatem formalis hominis, verbi gratia, quæ est ipsa natura humana vel præcisè de negatione, seu indiuidione formali quæ consequitur talem naturam. Quamuis autem negatio ipsa videatur quid formalius in vnitatem; tamen præcipua controversia inter vtriusque scholam non est de ipsa mera negatione: an scilicet vnica negatio diuisionis realiter sit in omnibus indiuiduis.

Neque id solum voluisse Scotum conuincitur manifestè: quia vt quæst. seq. videbimus, inter naturam humanam & singularitatem Petri posuit Scot. distinctionem quandam ex natura rei, & ante operationem intellectus, vt ita posset manere natura formaliter indiuisa in indiuiduis, multiplicatis numero singularitatibus eorum. Vnde etiam sit præcipuam Thomistarum sententiam contra Scotum, non esse de ipsa mera negatione, sed de positua entitate, quam importat vnitatem in quo sensu præcipuè discutienda est à nobis præfens difficultas: quamuis etiam agemus de negatione, vt quæstio ex nulla parte indecisa remaneat.

22. Prima conclusio Loquendo de vnitatem, quantum ad realem entitatem quam dicit, à parte rei nulla datur vnitatem formalis, quæ sit positivè communis indiuiduis, aut quid realiter vnum, & indiuiduum in illis: sed tot dantur à parte rei vnitatem formales in aliqua natura, quot dantur indiuidua illius. Conclusio hæc, quoad vtramque partem, recipitur vnanimitè à Thomistis: estque communis inter Doctores contra Scot. Quam etiam tenent D. Aug. Damasc. Basil. & Boëtius; quorum verba adducit Masius scilicet, de vniuersalitatibus qu. l. conclusionem 8. Et hanc vnitatem realem positivè communem excludit D. Tho. cap. 4. de ente & essentia, vbi loquens natura secundum se, ait: *Si queratur: verum ista natura possit dici vna, vel plures neutrum concedendum est: quia vtrumque est extra intellectum humanitatis: & vtrumque potest sibi accidere.* In quo etiam sensu explicandus est Sorus, quæst. 2 de Vniuers. & si qui alij graues Doctores asserere inueniantur nullam dari vnitatem realem præter numericam.

Prima pars conclusionis probatur ratione, quam indicat D. Thom. ibidem: quia si in natura daretur à parte rei, & ante intellectum vnitatem formalis positivè communis pluribus; cum illam non haberet natura ex reali contradictione ad indiuidua: necessariò conueniret naturæ secundum se, fluereque ex extrinsecis principiis eius, & per consequens esset propria eius passio: cum eodem D. Thoma non possit aliter considerari natura, quàm vel abstracta per intellectum vel contracta ad indiuidua; vel secundum se, & secundum suam prædicatam intrinsecam. Sed hæc vnitatem formalis positivè communis non conuenit naturæ per intellectum, vt supponimus ex Scoto, neque propter contradictionem realem, vt de se patet: ergo conuenit naturæ secundum se: & ex consequenti erit quid intrinsecum, & propria passio eius. Tunc sic conficienda est ratio D. Thomæ. Natura secundum se habet hanc vnitatem positivè communem, vt aduersarij fatentur: ergo repugnat contrahi, & esse singularem.

H

Probat

## 86. Disp. III. de Essentia vniuersalis, Quæst. III.

Probatur consequentia : quia non potest admitte-  
re talem vnitatem communem, vt potest ex intrinse-  
cis principis fluentem quod tamen necessarium erat, vt  
conteraheretur; siquidem repugnat naturam esse con-  
tractam, & positiuè communem, vt de se patet.

23. Secundo probatur conclusio directè contra  
mentem Scoti; quia natura humana à parte rei est  
multiplex in indiuiduis: ergo à parte rei non est vna  
in illis. Consequentia patet. Antecedens verò pro-  
batur, quia natura non distinguitur realiter à singu-  
laritate, vt ostendimus, q. sequenti: sed à parte rei  
tot sunt singularitates realiter distinctæ; quot indiui-  
dua vt per se constar, ergo tot etiam erunt naturæ;  
siquidem in creatis impossibile est aliqua duo esse  
realiter idem & quod multiplicetur realiter vnum,  
alio realiter non multiplicato.

Confirmatur: quia omnes proprietates reales, quæ  
prædicantur de aliqua natura, prædicantur etiam de  
indiuiduis illius: sed data à parte rei hac vnitatem posi-  
tiuè communi, esset proprietates reales naturæ vt pro-  
batum est: ergo prædicatur de indiuiduis eius; &  
per consequens, sicut in sententia Scoti hæc est vera  
Prædicatio: natura humana habet vnitatem positiuè  
communem pluribus; ita etiam vera esset hæc: Petrus  
habet vnitatem positiuè communem pluribus, quod  
absurdum est.

¶ Adde, quod cum natura humana Petri verè sit vna  
numero, vt potest singularizata, & contracta per diffe-  
rentiam numericam: iam eadem numero natura esset  
positiue communis pluribus, quod proprium est na-  
turæ diuinæ: vt vidimus. Ergo à parte rei nulli datur  
in natura talis vnitatem positiuè communis.

Per quod patet secunda pars conclusionis. Si enim  
natura humana à parte rei habet vnitatem formalem,  
vt ostendimus questione præcedenti: & talis vnitatem  
non est vna in omnibus indiuiduis: ergo à parte rei  
tot sunt constituendæ quot sunt indiuidua.

¶ Confirmatur primò: quia vnitatem formalem quan-  
tùm ad realem entitatem (vt modo loquimur) est ip-  
sa natura: ergo multiplicata natura, multiplicatur et-  
iam vnitatem.

¶ Confirmatur secundo: quia hæc vnitatem formalem  
est passio naturæ, sicut vnum est passio entis; sed pas-  
siones multiplicantur, multiplicata essentia: ergo si-  
cut alia est natura humana Petri, & alia Pauli; ita etiam  
alia erit vnitatem formalem vnius, & alia alterius.

24. Sed inquires: an sicut in vnoquoque indiuiduo  
dantur à parte rei vnitatem numerica, & formalem; sic  
etiam concedendum sit dari à parte rei plures vnitates  
formales pro numero graduum essentialium; quam-  
uis inter se non distinguantur realiter, sicut neque  
etiam distinguuntur vnitatem numerica, & formalem.

¶ Partem negatiuam absolutè defendunt aliqui mo-  
dèni. Sed non loquuntur consequenter, dum admit-  
tunt in Petro, vt aliquo modo plures vnitatem nume-  
ricam & formalem; & tamen in eodem sensu negant in  
illo plures vnitates formales.

Respondetur ergo affirmatiuè cum Caiet. loco cit.  
Brenitèrque probatur: quia eo modo, quo à parte rei  
constituitur Petrus in esse hominis per rationale, con-  
stituitur etiam in esse animalis per sensibile; & in esse  
viventis per animatum; & sic deinceps: ergo sicut caret  
diuisione formali specifica per rationale; ita caret diui-  
sione formali generica per sensibile, & alias differen-  
tias superiores; ergo non solùm habet vnitatem forma-  
lem specificam; sed genericam; & per consequens eo  
modo, quo à parte rei dantur in Petro vnitatem nume-  
rica, & formalem; dabuntur etiam plures vnitates forma-  
les pro numero graduum essentialium.

Addendum tamen est, quod sicut omnes isti gra-  
dus sunt quasi partes vnius integræ essentia, quæ ex

illis resultat: sic ex his vnitatibus formalibus integra-  
tur vna vnitatem formalem completa, ad cuius constitu-  
tionem non pertinet vnitatem numerica: quia differen-  
tia indiuidualis, vnde sumitur, est extra essentiam, &  
ideò plus differunt vnitatem numerica, & formalem, quàm  
dictæ formales inter se. In quo sensu possunt explica-  
ri Autores contrarij.

25. His statutis de vnitatem positiuè communi, cir-  
ca secundum sensum questionis: an scilicet à parte  
rei natura sit saltem negatiuè communis, videtur esse  
aliqua dissensio inter Sorum, & Masium vbi suprà. Imò  
Caietanus ibidem citatus videtur sibi esse contra-  
rius.

Cùm enim in conclusione secunda dixisset naturam  
à parte rei esse communem negatiuè: postea in solu-  
tione ad secundum expressè affirmat naturam secun-  
dum se esse communem negatiuè.

Pro veritatis ergò explicatione, & horum Docto-  
rum intelligentia notandum est, quod vt suprà ex  
Diuo Thoma dicebamus, triplex status potest, & de-  
bet in natura distingui: scilicet status abstractionis,  
quem habet natura ab intellectu; & status contractionis,  
quem habet propter realem contractionem ad in-  
diuidua; & tandem status, quem vocant, naturæ, secun-  
dum se: quando scilicet in natura tantùm attendun-  
tur prædicata intrinseca, & propria eius ratio.

De vnitatem ergò, quam habet natura in statu abstra-  
ctionis, nihil est in præsentī dicendum: quia hæc est  
vntas rationis, & forma vniuersalis, de qua quæstio-  
ne 5. & 6. agendum est. Vnde nunc solùm possumus  
loqui, vel de natura in statu contractionis, & vt est à  
parte rei; vel de natura secundum se, & secundum sua  
prædicata intrinseca.

26. Secunda conclusio. Loquendo de natura for-  
maliter prout est à parte rei, sed in statu contractionis,  
non est communis negatiuè; si verò eadem natura,  
quæ est à parte rei consideretur, non prout est in tali  
statu; sed secundum se, & secundum suam propriam  
rationem, seu ex principiis intrinsecis eius; sic est com-  
munis negatiuè, id est, non potest esse singularem. Iux-  
ta utramque partem huius conclusionis intelligendi  
sunt Autores citati.

Primam enim intendit Masius, vt patet, concl. 6.  
& latè Caiet. concl. 2. citata. Estque ex se euidens:  
nam quælibet natura prout est à parte rei; est realiter  
contracta, & positiuè singularis, ergò non solùm non  
est positiuè communis; sed neque etiam negatiuè. Pa-  
tet consequentia: quia negatiuè commune, vt diximus,  
idem est, quod non singulare.

Secundam partem conclusionis intendit Sor, &  
docet Caiet. in solutione ad 2. vt ipse se satis expli-  
cat. Quæ vt faciliè percipiatur, notandum est hanc  
propositionem: *Natura secundum se est communis ne-  
gatiuè*, in re non distingui ab ista negatiua: *Natura  
secundum se non est singularis*: quæ vt patet, verissima  
est. Sicut enim homo ex suis principiis essentialibus,  
neque est albus, neque niger; sed vtrumque accidit il-  
li: ita etiam natura secundum se, seu ex suis princi-  
piis intrinsecis, neque est singularis, neque vniuersa-  
lis; sed vtrumque accidit illi, vt dixit D. Th. loco ad-  
ducto ex ca. 4. de ente & essentia: ergò natura secun-  
dum se est communis negatiuè, id est, secundum se  
non est singularis.

Non autem est cur aliquis inferat: *Natura secundum  
se est communis negatiuè, id est secundum se est non sin-  
gularis*: quia prima propositio, vt diximus in re est ne-  
gatiua, & æquiualeat huic: *Natura secundum se non  
est singularis*: ex qua benè sequitur: *Ergo natura  
secundum se non est singularis*. Quoniam vt benè  
notat Sor. est fallacia à negatiua de prædicamen-  
to finito ad affirmatiuam de infinito; maxime  
quando

quando interuenit aliqua reduplicatio, seu limitatio: ut si quis argueret: *Petrus essentialiter non est albus: ergo essentialiter non est albus.* De quo videri potest Aristot. libro secundo perihier. cap. 1. & lib. 1. Priorum, cap. ult.

27 Tertia conclusio. Quamuis natura à parte rei non habeat aliquam vnā vnitatem in indiuiduis, ut explicatum est: rectè tamen loquuntur veteres Thomistæ, asserentes habere vnitatem conformitatis. Ita Masius ubi supra conclusione octaua. sicque expresse loquitur Diuus Thomas Opusc. 48. tract. 1. cap. 4. Vnde conclusio solum indiget explicatione. Appellat Thomistæ vnitatem conformitatem, seu similitudinem, quam habent à parte rei indiuidua ratione naturæ. Ad quod non requiritur alia tertia vnitas, aut entitas eadem in omnibus indiuiduis: (imò ad realem similitudinem obstat, ut dicemus in solutione secundi argumenti:) sed quod natura vnius indiuidui sit conformis naturæ alterius in prædicatis essentialibus. Ad eum modum, quo duorum hominum maxime in facie conformium, & similitum, dicimus esse vnā faciem: non quia verè, & realiter sit in illis aliqua vna facies, ut patet; sed quia facies eorum sunt inter se maxime similes. Similitudo enim est velut quædam identitas. Videatur D. Th. 2. Poster. lect. 10.

¶ Huc usque loquuti sumus de vnitatibus secundum realem vnitatem, quam dicunt: de quo, ut vidimus, est præcipua controuersia. Ne tamen quæstio circa ipsas negationes, seu carentias, quas important vnitates, in definita maneat, sit.

28 Postrema conclusio. à parte rei in natura non est aliqua negatio, seu carentia diuisionis, quæ sit vna, eadem in omnibus indiuiduis: sed tot sunt negationes quot indiuidua.

Hæc conclusio, licet non sit ita certa sicut præcedentes: posset enim aliquis dicere priuationes, & negationes non indiuiduari ab entitate, quæ habet rationem subiecti, sed aliunde: certè tamen id omnino irrationabiliter diceretur. Nam priuationes, & negationes se habent ad modum accidentium, ut omnes fatentur: ergo per similitudinem ad illa debent accipere suam quasi indiuiduationem. Sed repugnat vnum accidens realiter indiuisum esse in pluribus subiectis; propterea quod accidentia indiuiduantur à subiecto: ergo repugnat etiam vnicam, & indiuisam negationem esse in omnibus indiuiduis.

29. Ad argumenta ex dictis facile respondetur.

Ad primum respondet bene Caietanus ubi supra, Petrum, & Paulum à parte rei dici vnum formaliter: non quia habeant aliquam naturam ipsis positiuè communem; sed quia gaudent mutua negatione diuisionis formalis, id est, quia non habent à parte rei, vnde diuidantur formaliter. Quæ doctrina clarior erit, si dicatur, Petrum, & Paulum dici, & esse vnum per conformitatem, non verò per entitatem aliquam in illis vnā, ut diximus concl. 3.

Ad secundum, concessa maiori, & minori, neganda est consequentia. Imò potius ex illis præmissis sequitur in Petro, & Paulo esse duas vnitates reales, & non aliquam tertiam in illis indiuisam. Nam, ut dicemus capite de Relatione, ad hoc ut sit relatio realis: non solum debent distinguì realiter fundamentum, & terminus; sed etiam ratio fundandi, & terminandi. Defectu cuius æqualitas, vel similitudo, quæ est inter diuinas personas ratione essentiae, non est relatio realis, sed rationis, ut docet Diuus Thomas prima parte, quæst. 28. art. 4. & quæst. 42. art. 1. ad 4. quia quamuis personæ ipsæ realiter distinguantur, ratio tamen fundandi, & terminandi, nempe diuina essentia est realiter vna in illis.

Ad tertium respond. quod ut natura sit definibilis  
*Colleg. Compl. Logica.*

remotè, sufficit vnitas conformitatis, quam diximus habere à parte rei indiuidua alicuius naturæ: quia verò intellectus priusquam definiat naturam, necessariò concipit illam confusè vnico conceptu, in quo resplendet ipsa natura absque singularitatibus distinguendis: idèò ultra conformitatem illam realem, datur in natura aliqua vnitas rationis, ut saltem aliqua denominatio extrinseca, ratione cuius natura sit proximè definibilis. Quæ vnitas rationis proculdubio requiritur: nam quidquid definitur, debet esse simpliciter vnum, ut bene probat argumentum. Vnde ad minorem, dicimus naturam à parte rei habere, quoddam definibilis remotè, non verò proximè; sed hoc habere ab intellectu.

Ad quartum respondetur cum Caiet. concedendo naturam, quæ diuiditur realiter per differentias numericas, manere formaliter indiuisam; non tamen vnica diuisione, sed pluribus; idèò non sequitur habere vnā vnitatem formalem, sed plures.

¶ Adde, quod licet vnitas formalis à parte rei multiplicetur in indiuiduis, ut explicatum est: tamen vnitas formalis vnius non distinguitur formaliter ab vnitare formali alterius; sed tantum materialiter, & numericè. Quare licet natura, quæ in se quid formale est, sit realiter diuisa per indiuidua; non est tamen formaliter diuisa; & sic verè dicitur semper vnica ere formaliter indiuisam; non verò indiuisam realiter. Ex quo tandem fit naturam à parte rei habere plures indiuidiones, seu vnitates formales; non formaliter inter se distinguas, sed tantum materialiter, ut explicatum est.

## Q V Æ S T I O I V.

*Quomodo in vnoquoque indiuiduo distinguantur vnitas formalis, & numerica.*

30. Solutio huius difficultatis pendet ex decisione Salterius: an scilicet præter distinctionem realem, & rationis, detur alia distinctio media. Pro vtriusque autem intelligentia breuiter explicandum est, quid, & quoduplex sit distinctio.

Distinctio ergo est separatio vnius ab alio. Diuiditurque primò in realem, & rationis. Distinctio realis est, qua duo à parte rei separantur (*separantur* dicimus: non quod realiter secentur, aut diuidantur; sed quod à parte rei vnum non sit aliud: est enim proprium vnius esse in se indiuisum, & diuisum à quolibet alio) seu quæ versatur inter duo, quorum vnum à parte rei non est aliud. Distinctio rationis est, quæ versatur inter ea, quæ cum à parte rei sint idem, concipiuntur ab intellectu ut plura: de qua ex dictis constat esse ens rationis.

Distinctio realis subdiuiditur in negatiuam, & positiuam, ut ex communi Metaph. sentent. explicant Suar. disp. 7. Metaph. sect. 1. & Caberus hic tract. 2. disput. 2. dub. 1. Negatiua, est quæ versatur inter ens, & non ens; ut inter Petrum, & cæcitatem, vel inter duo non entia, ut inter cæcitatem, & surditatem: dicitur autem realis: non quia extrema sint aliquid reale: vel quia ex parte alicuius sit aliqua relatio realis; sed quia inter illa verificatur à parte rei propositio negatiua: vel ut inquit Suar. quia ita vnum non est aliud, quod si positiuæ res essent, realiter distinguerentur.

Distinctio realis positiua est, quæ à parte rei versatur inter duo entia. Quæ rursus diuiditur in distinctionem rei à re, & distinctionem modalem: Prima est, quæ versatur inter duas res (sumendo rem, ut distinguitur contra modum. Secunda est, quæ  
H 2 versatur



versatur inter rem, & modum; vt inter naturam, & substantiam. ad quam etiam reducitur, quæ versatur inter duos modos, vt inter vniõnem, & substantiam.

31. Rursus distinctio realis diuiditur in accidentalem, & essentialem. Illa est quæ causatur per principium accidentale: quomodo distinguitur homo albus à nigro. Ad quam reducitur distinctio numerica rerum materialium; quia differentia numerica, per quam individua eiusdem speciei differunt, licet sit quid substantiale; est tamen extra essentiam eorum. Distinctio essentialis est, quæ causatur per principium essentialē: quomodo distinguuntur res diuersi generis, vel speciei. Ad quam reducitur distinctio numerica Angelorum in sententia Thomistarum asserentium non posse esse plures Angelos eiusdem speciei. Tandem his distinctionibus additur distinctio includens ab inclusio: quæ est distinctio realis, & versatur inter totum, & partem: quomodo totum corpus distinguitur à brachio: quia includit illud, & addit aliquid aliud. Contineretur autem sub enumeratis pro ratione extremorum, inter quæ versatur.

Distinctio rationis diuiditur in distinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis. Prima sic vocatur, quia licet à ratione fiat inter ea, quæ à parte rei sunt idem; habet tamen fundamentum in rebus, vt eas sic distinguat, & separet: vt quando intellectus distinguit in essentia hominis principium sentiendi, & ratiocinandi ex diuersis operationibus, quas in illo experitur. Distinctio rationis ratiocinantis est, quæ ex mera intellectus operatione resultat: nullo in rebus præcedenti fundamento: sitque vel per quandam disunctionem eiusdem à seipso, vt quando dicimus, Petrus est Petrus; vel per identitatem ad se ipsum, vt quando illum apprehendimus, vt idem sibi ipsi vel aliis similibus modis.

Vbi obiter obseruandum est distinctionem rationis, & præcipue rationis ratiocinatæ, (hac enim in scientiis vtimur) frequenter appellari distinctionem formalem; quod etiam nomine sæpè appellatur distinctio realis essentialis: quia sumitur à forma. Et ita nomen distinctionis formalis, iam in vsu communi æquiuocum est, cognoscetur tamen ex subiecta materia, quando supponat pro vna, & quando pro altera, vt contingit in aliis æquiuocis.

32. Has omnes distinctiones enumerant communiter DD. Dubitant tamen an præter distinctionem realem, & rationis, detur aliqua distinctio actualis media, quæ sit minor distinctione reali, & maior distinctione rationis propter Scot. id affirmantem in 1. dist. 2. quæst. 7. & in 2. dist. 3. quæst. 1. vbi eam appellat distinctionem actualem ex natura rei. Procius intelligentia obseruandum est distinctionem realem sumi dupliciter. Primò pro distinctione rei à re suprâ explicata: id enim propriè significat *ly realis*, vt constat ex eius etymologia. Et in hoc sensu distinctio modalis potest congruè appellari distinctio media inter realem propriè dictam, & rationis, de quo non est controuersia apud Doctores.

Secundò verò, & frequentius sumitur distinctio realis pro distinctione actuali ante intellectum, vt comprehendit realem propriè dictam, & modalem, & distinguitur à distinctione rationis. In quo sensu tractatur hæc difficultas contra Scotum. Quem quamuis aliqui explicare conentur in priori sensu; frequentius tamen explicant illum discipuli eius in hoc secundo. Et merito: nam illam suam distinctionem constituit, non solum inter rem, & modum; sed etiam inter attributa diuina, & inter essentiam, & relationes diuinas, inter quæ tamen nulla potest esse distinctio actualis ante intellectum, vt probant communiter Theologi cum D. Thom. 1. part. qu. 13. art. 4. & quæst. 18.

art. 2. Hanc autem distinctionem mediam constituit Scot. inter naturam, & singularitatem, & consequenter inter vnitatem numericam, & formalem, vt ita simul vtramque difficultatem absoluamus.

Probatur primò generaliter concedendam esse dictam distinctionem mediam: quia quæ distinguuntur definitione, distinguuntur ante intellectum; sed plura distinguuntur definitione, quæ non distinguuntur realiter, vt de actione, & passione videtur docere Arist. 3. Physic. & de relatione, & fundamento tenent non pauci: ergo datur distinctio, quæ sit ante intellectum, & non sit realis; Minor, & consequentia constant. Maior autem probatur: quia quæ distinguuntur definitione, etiam nullo intellectu considerante, habet plures essentias: ac proinde distinguuntur ante intellectum. Alia argumenta ad idem probandum congerunt DD. Sed vel sunt eadem, quæ suprâ adduximus pro sententia Plat. ponentis vniuersalia separata, vt rectè notat Suar. disp. 5. Metaph. sect. 2. vel tantum probant præter vnitatem numericam dari in natura vnitatem formalem, & idem omittuntur.

33. Secundò probatur eadem sententia, quatenus specialiter ponit dictam distinctionem ex natura rei inter vnitatem numericam, & formalem: sed inter naturam, & singularitatem. Quia relatio realis identitatis in natura, quam Petrus dicit ad Paulum, fundatur in vnitatem formali, & non in vnitatem numericam: contra verò relatio diuersitatis individualis, quam idem Petrus dicit ad Paulum ratione singularitatis fundatur in vnitatem numericam, & non in vnitatem formali: ergo istæ vnitates distinguuntur ex natura rei. Patet consequentia: quia fundat relationes realiter diuersas.

Terriò: quia indiuiduum ante omnem intellectum addit aliquid reale suprâ naturam specificam, ratione cuius conuenit illi negatio diuisionis materialis: ergo illud superadditum distinguitur à natura aliqua distinctione actuali ante intellectum. Probatur consequentia: quia non potest intelligi additio absque actuali distinctione: sed additio est ante intellectum: ergo etiam distinctio. Cum autem ad illud additum sequatur vnitatem numericam, sicut ad naturam vnitatem formalem: planè videtur colligi, tales vnitates distingui actualiter ante intellectum.

34. Prima conclusio. Distinctio illa media inter realem, & rationis, quam ponit Scotus, est impossibilis. Hæc est communis inter Philosophos. Pro qua videri possunt Herbeus, quodlib. 3. q. 3. Soncinas. 7. Metaph. q. 36. Scotus q. 3. vniuers. Granado 1. part. controuers. 5. tract. 3. disp. 3. sect. 1. & alij.

Fundamentum est: quia diuisio distinctionis in realem, & rationis datur per differentias, quarum vna includit negationem alterius, ratione cuius opponuntur contradictoriè: ergo impossibilis est aliqua distinctio media inter illas. Consequentia patet: quia inter contradictoriè opposita nullum potest fingi medium, vt est per se euident. Antecedens verò probatur: quia distinctio realis, seu ante intellectum est distinctio, & non ab intellectu: & distinctio rationis est distinctio ab intellectu: ergo distinctio realis, & rationis æquivalent distinctioni, non ab intellectu, & distinctioni ab intellectu, quæ contradictoriè opponuntur.

Confirmatur ratione Scot. quia distinctio, sicut & vnitatem consequuntur rationem entis: ergo sicut implicat dari ens, quod non sit reale, vel rationis, aut vnitatem, quæ non sit à parte rei, vel per intellectum; ita etiam repugnabit dari aliquam distinctionem, quæ non comprehendatur sub distinctione reali, vel rationis.

35. Secunda conclusio loquendo de vnitatem quantum

quantum ad realem entitatem, quam dicit, vnitas formalis in vnoquoque indiuiduo solum distinguitur distinctione rationis ratiocinatae ab vnitate numerica. Hæc etiam conclusio est communis contra Scot. Quam solum conuincunt argumenta eius, & habetur passim apud D. Thom. videri potest c. 3. de ente, & essentia: vbi optimo discursu probat, quod neque genus posset per se prædicari de specie, neque species de indiuiduo: si genus distingueretur realiter à differentia specifica, aut species à differentia numerica. Videantur etiam alij Auctores citati.

Fundamentum est: quia indiuiduum non addit supra naturam aliquid à parte rei distinctum ab illa: ergo differentia individualis, & natura, non distinguuntur actualiter ante intellectum; & ex consequenti, neque vnitates inde confurgentes. Consequentia patet. Antecedens verò probatur: quia si illud, quod indiuiduum addit supra naturam, scilicet singularitas, seu differentia numerica, distingueretur ex natura rei ab illa, iam natura haberet à parte rei vnitatem positiuè communem pluribus, imò incideretur in sententiam Plat. de vniuersali separato, quam ex dictis satis constat esse falsam.

36. Quod autem hæc sequantur, sic potest facile ostendi: quia si natura esset à parte rei distincta à singularitate: necessariò haberet in se propriam vnitatem realem, per quam ipsa constitueretur in esse vnus, vt sic posset à singularitate distingui. Prius enim intelligitur rem esse in se indiuisam, & vnā, quā quod sit diuisa à quolibet alio. Sed talis vnitas à parte rei esset vna in omnibus indiuiduis: ergo esset positiuè communis. Maior, & consequentia constant. Minor verò probatur: tum quia natura intra se ipsam nihil habet, per quod posset multiplicari: tum & maxime: quia per vnionem cum indiuiduis, non amitteret illam suam vnitatem. Sicut quia materia prima, ex eo quod sit, entitas realiter à forma distincta, habet suam propriam vnitatem: idè non amittit illam per vnionem ad plures formas, sed semper manet eadem numero in illis, vt explicabimus lib. 1. Phys. Ergo vnitas naturæ à parte rei esset vna in omnibus indiuiduis.

Tandem quod incideretur in sententiam Platonis, etiam patet. Nam quamuis natura esset vnita cum singularitatibus, tamen ratione illius vnitatis verè esset entitas in se actu vniuersalis: & saltem de potentia absoluta posset esse sine singularitatibus: ac pròinde posset dari vniuersale separatum, quod omninò implicat, vt supra ostendimus contra Platonem. Maneat ergo differentiam individuale, & naturam non distingui realiter, neque vnitates inde confurgentes. Cum autem non sit possibilis aliqua distinctio media, vt vidimus, consequens est illa solum distingui per operationem intellectus. Et cum talis distinctio habeat fundamentum à parte rei; siquidem natura specifica, & vnitas formalis sumuntur tanquam à prima radice à forma substantiali; differentia verò individualis, & vnitas numerica à materia signata: fit tandem talem distinctionem esse rationis ratiocinatae.

37. Tertia conclusio loquendo de negationibus, in vnoquoque indiuiduo, negatio, quam importat vnitas numerica, distinguitur realiter negatiuè à negatione, quam importat vnitas formalis, sic tenet expressè Caiet. de ente, & essentia, cap. 4. quæst. 6. in fine. Et ratio est manifesta: quia diuisio materialis, & formalis, distinguuntur specie; siquidem est verè essentialis: illa verò quodammodo pertinet ad accidentalem, vtpotè quæ sumitur à materia signata quantitate, quæ est accidens, vt aliquando explicabimus: ergo negatio diuisionis materialis specie di-

Colleg. Compl. Logica.

stinguitur à negatione diuisionis formalis. Sed quæ distinguuntur specie, distinguuntur numero: ergo in quolibet indiuiduo à parte rei alia est priuatio, quæ sequitur vnitatem materialem, & alia quæ sequitur vnitatem formalem: & per consequens realiter negatiuè distinguuntur.

38. Ad argumenta resp. Ad primum distinguenda est maior, scilicet *quæ distinguuntur definitione, distinguuntur ante intellectum*: nam si definitio tradatur de re, prout in se est à parte rei verissima est. Quia enim definitio hominis explicat naturam eius, secundum quod in se est à parte rei: & definitio equi similiter: idè benè sequitur, quod distinguantur ante intellectum: Si verò definitio tradatur de re, secundum quod intellectus eam sic, vel sic accipit; falsa est maior. Per quod patet ad argumentum: quidquid sit de actione, & passione; relatione, & fundamento, de quibus suis locis agendum est.

Ad secundum resp. quod licet eadem entitas à parte rei non possit fundare in vnico subiecto plures relationes solo numero distinctas, etiam respectu diuersorum terminorum, vt dicemus cap. de relatione: benè tamen potest fundare plures relationes specificè diuersas. Eadem enim quantitas bicubita est æqualis respectu alterius bicubitæ; & inæqualis respectu tricubitæ. Et huiusmodi sunt relationes adductæ in argumento.

Solutio tertij arg. pendet ex quæstione de principio indiuiduationis substantiarum. Pro nunc tamen resp. quod licet differentia numerica sumatur principio realiter distincto: ipsa tamen non est realiter distincta à natura, sed est ipsa natura facta hæc per ordinem ad principium indiuiduationis, vt explicabimus in lib. de Genes. Quare si additionem propriè sumamus per differentiam numericam nihil realiter additur naturæ. Dicimus tamen naturam contrahi per additionem differentie individualis: quia quodlibet argumentum, seu mutationem, etiam rationis apprehendimus, & nominamus ad modum augmenti quantitatis, quod fit per additionem.

## Q V Æ S T I O V.

*An à parte rei detur vniuersale pro formali, seu vniuersalitas.*

39. Hucusque egimus de vniuersali pro materiali, seu de natura denominata, illque quæ in ea requiruntur, vt sit materia vniuersalis. Deinceps verò agemus de vniuersali pro formali, seu de vniuersalitate: de qua in hac quæst. inquirimus? an detur à parte rei in natura, vel per intellectum. Cuius resolutio ex dictis quidem est ferè manifesta. Cum enim vniuersalè ex Arist. 2. Post. c. vlt. & alibi sæpè sit: *Quod est vnum in multis, seu vnum præter multa, quod in omnibus illis est idem*: vt ibi subdit: necessariò petit vnitatem multis positiuè communem, neque in eis multiplicatam. Quare cum nulla talis vnitas sit in natura à parte rei, vt supra ostensum est: neque etiam erit à parte rei vnitas constitutiua vniuersalis, & ex consequenti vniuersale pro formali tantum erit per operationem intellectus. Quia tamen DD. specialiter tractant hanc quæstionem, & aduersarij non desistunt pro ea decertare: idè illam breuiter discutiemus, quædam alia huc spectantia obiter explicantes.

Scot. 7. Metaph. q. 18. & 2. dist. 3. qu. 1. consequenter ad ea, quæ sup. q. 3. ex ipso retulimus, asserit vniuersalitatem à parte rei conuenire naturæ, esseque proprietatem realem eius. Quam sententiā defendunt Valles, Monlor, & plures Parisien. vt testatur

H 3

Mal.

Maf. sect. 2. de vniuersalibus, qu. 4. vbi plurima pro illis congerit argumenta, quorum potissima sunt.

40. Primò ex Arist. 1. Perihet. c. 4. vbi ait: *Rerum alia sunt vniuersales, alia particulares*: Ergo sicut res sunt à parte rei particulares; ita etiam à parte rei erunt vniuersales. ¶ Confirmatur: quia vniuersale, & particulare sunt correlatiua: sed à parte rei datur particulare formaliter: ergo etiam dabitur vniuersale formaliter.

Secundò: quia obiectum præcedit potentiam, etiam secundum id, quo formaliter est obiectum; siquidem prout sic specificat eam; sed obiectum intellectus est vniuersale: ergo præcedit illum etiam secundum id, quod formaliter constituit illud in ratione vniuersalis; ac pròinde ante intellectum dabitur vniuersale formaliter, seu vniuersalitas.

Tertiò: quia vniuersale non potest constitui formaliter in esse talis per quid singulare: sed quæcunque intentio ab intellectu producta est singularis: ergo per illam non potest constitui formaliter vniuersale. Maior constat: quia vniuersale, & singulare opponuntur. Minor autem probatur: tum quia quæcunque secunda intentio fit à causa singulari, tum consequenter, quia continetur sub aliqua specio, vt individuum eius.

Tandem quia vniuersale pro formali duo dicit, nempe vnitatem, & aptitudinem ad essendū in multis: sed quælibet natura à parte rei est vna, siquidem habet vnitatem formalem: & simul est apta, imò de facto est in pluribus: ergo à parte rei est formaliter vniuersalis.

41. Nihilominus sententiam iam indicatam constanter amplectendo, dicendum est à parte rei non dari vniuersale formaliter, seu vniuersaliter, sed naturam fieri formaliter vniuersalem per operationem intellectus. Hæc conclusio est iam omninò in scholis recepta. Tradit eam S. Th. opusc. 55. & 56. & c. 4. de ente, & essentia, vbi latè Caietan. pro qua etiam videri possunt Maf. loc. cit. Suar. d. 6. Metaphys. sect. 5. & Rub. de vniuersalibus qu. 4. & alij.

Probatur primò ex Aristot. 1. de anima cap. 1. vbi ait: *Animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posterius, similiter autem, & si quid commune aliud prædicetur*. Quibus verbis, vt sup. n. 2. ex D. Tho. diximus, Arist. simul excludit opinionem Plat. & docet modum quo fit vniuersale: & est sensus, quòd animal nihil est ab speciebus separatim; est tamen, vt quid posterius, id est in eis ab intellectu fundatum, & ex earum similitudine desumptum. Quem sensum licet contrarij non admittant; illum tradunt præter D. Th. grauissimi alij Arist. interpretes, Auer. Alex. Themist. Philop. B. Alberr. Egid. & alij in expositione eiusdem loci. Idem etiam tradit Aristot. 2. de Anima, cap. 5. & 2. Post. cap. ult. vbi expressè dicit vniuersalia esse in anima.

42. Ratione etiam probatur conclusio ex dictis, quia natura in statu contractionis non est formaliter vniuersalis, neque etiam considerata secundum se: ergò solum potest esse vniuersalis formaliter, quatenus est in intellectu, seu in statu abstractionis. Consequentia patet: quia non est alius status in quo possit natura considerari. Antecedens verò quoad priorem partem est euident. Quoad posteriorem verò probatur: tum quia natura secundum se non habet vnitatem positivè communem, vt ostensum est: tum etiam quia illi, prout sic, omninò accidit esse vniuersalem, vel particularem: ergo secundum quod consideratur in tali statu, non est formaliter vniuersalis. ¶ Confirmatur: quia vt natura sit formaliter vniuersalis, debet esse simpliciter vna, & non multiplicata: sed nulla talis natura est à parte rei, vt constat ex dictis: ergo non da-

tur à parte rei formaliter vniuersalis.

Secundò: quia hæc prædicatio: *homo est vniuersalis*, est accidentaliter, sed prædicatum illius non est entitativè substantia, vt contingit in aliquibus prædicationibus accidentalibus: ergò dicit pro formali aliquid quod accidens non reale: ergo rationis. Maior patet: quia si esset prædicatio essentialis, prædicatum conueniret omni contento sub subiecto, & ita verè diceremus, Petrus est vniuersalis, Ioannes est vniuersalis. quod est absurdum. Minor etiam est manifestæ: quia vniuersale etiam reperitur in aliis prædicamentis, siquidem quantitas est vniuersalis, relatio est vniuersalis, &c. ergò non potest esse entitativè substantia. Per quod etiam patet non posse esse aliquod accidens reale: siquidem non continetur in aliquo determi-nato prædicamento. Restat ergò vniuersaliteratem esse formam rationis: ac pròinde non dari à parte rei. Plures alias rationes adducit Maf. vbi suprâ.

43. Ad argumenta respondetur. Ad primum desumptum ex Arist. D. Th. in eius expositione lect. 10. sibi obiciens quod sequeretur dari à parte rei vniuersale: respondet ibi diuidi res non absolute, sed vt significantur per nomina. Quia verò nomina non significant eas, nisi mediante intellectu; idè diuisio ista datur de rebus, non secundum quod referuntur ad intellectum, qui potest distinguere ea, quæ sunt coniuncta in rebus. Cuius signum (subdit D. Tho.) est, quod non definiuit Arist. vniuersale, & singulare secundum aliquid, quod pertinet ad res, sed per actum animæ, qui est prædicari de multis, vel de vno solo. ¶ Quod si contendis Arist. loqui de ipsis rebus secundum se, respondetur locutum fuisse de vniuersali fundamentaliter, non verò de vniuersali formaliter.

Ad confirmationem respondetur particulare, secundum suam entitatem realem, non esse correlatiuum vniuersalis, neque fundamentaliter, neque formaliter sumpti. Si verò singulare, seu particulare sumatur formaliter, in quantum subiicitur vniuersali, etiam formaliter sumpto: tunc propriè sunt correlatiua; sed vt sic neutrum datur à parte rei.

Ad secundum respondetur obiectum intellectus, etiam formaliter, vt obiectum est, tantum esse vniuersale fundamentaliter. Non enim ab eadem forma constituitur in esse obiecti, & in esse vniuersalis: & sic potest esse formaliter obiectum; cum tantum sit fundamentaliter vniuersale, vt magis infra explicabimus.

Ad tertium respondetur, quod sicut species impressa vel expressa rei etiam si in se sit quid singulare; dicitur tamen, & est in repræsentando vniuersalis: pari ratione secunda intentio vniuersalis potest esse entitativè singularis, cum tamen sit constitutiua vniuersalis.

44. Dices: ergo sicut vniuersale in repræsentando non est simpliciter vniuersale, vt suprâ diximus: ita etiam neque vniuersale in essendo.

Respondetur negando consequentiam. Et ratio est: quia species impressa, seu quæcumque alia res, quæ denominatur vniuersale in repræsentando, est verè, & realiter singularis: & vt sic denominetur, exigit necessariò singularitatem: vnde simpliciter est singularis, & secundum quid vniuersalis. Ceterum res quæ denominatur vniuersalis in essendo, non solum non est singularis; sed potius exigit abstractionem, & separationem à singularitatibus. Vnde proxima materia vniuersalis nullo modo est singularis: & per consequens potest denominari simpliciter vniuersalis; ad quod non requiritur forma denominantem, scilicet vniuersaliteratem esse vniuersalem, vt quod, sed sufficit esse vniuersalem, vt quo. Sicut albedo, quamuis non sit alba, vt quod, constituit propriissimè album: quia est alba, vt quo. Imò sicut albedo,

si esset, ut quod alibi non posset esse forma constitutiva alibi: ita si vniuersalitas esset, ut quod vniuersalis, non posset esse forma constitutiva illius.

*Quæ sit aptitudo, quam pro formali dicit vniuersale: & an ipsa detur à parte rei.*

## §. vnicus.

45. **V**ltimum argumentum petit, ut explicemus quæ sit aptitudo propria vniuersalis formaliter sumptæ, de qua disputant Doctores in præsentia.

¶ Pro cuius intelligentia primò notandum est, aptitudinem, ut ipsum nomen indicat, nihil aliud esse, quam potentiam ad aliquem actum, seu ad aliquod esse. Vnde aptitudo vniuersalis erit potentia ad essendum in multis, non indeterminatè, & vagè in hoc scilicet, vel in illo; sed simul, & posituè respiciendo plura. Ad quod, scilicet non sit necessarium vniuersale actualiter esse in pluribus; cum verba in definitione non dicant actum, sed aptitudinem: est tamen necessarium aptitudinem, seu potentiam vniuersalis posituè terminari ad plura; ita ut illa quasi componant, & integrent terminum adæquatam vniuersalis: sic enim propriè dicitur vniuersale esse vnum in multis, seu vnum præter multa. Hanc ergo aptitudinem contendunt Auctores contrarij reperiri in natura à parte rei, & ante intellectum. Sed, ut videamus, quæ aptitudo sit in natura ante intellectum, quæ verò non.

Secundò notandum est naturam posse considerari dupliciter: primò ut possibilem, seu ut antecedit realem existentiam; secundò, ut existentem realiter extra causas. Et hoc secundo modo, adhuc dupliciter: vel reduplicatiuè ut existentem; vel tantum præcisuè, id est naturam, quæ existit, non tamen considerata ipsa existentia. Igitur de natura reduplicatiuè, ut existens est, certum debet esse, non habere aptitudinem ad essendum in multis, sic enim est singularis, & propria vnus; ut patet. Quare solum potest esse dubium de natura possibili, vel de ipsa natura existente, præcisa tamen existentia.

Ratio dubitandi est: quia natura possibilis non petit essentialiter hanc numero singularitatem, vel existentiam: aliàs esset essentialiter singularis; quod nulli naturæ creatæ conuenit: ergo indifferens est ad plures existentias, & per consequens ex se, & non ab intellectu habet aptitudinem ad essendum in multis. Similiter natura existens, si præscindatur existentia, non manet determinata: ergo indifferens, siquidem indeterminatam, & indifferens idem sunt: ac pròinde etiam natura sic considerata, habebit aptitudinem ad essendum in multis.

46. Nihilominus dicendum est naturam, siue consideretur ut possibilem, siue ut existentem, præcisa tamen existentia, non habere à parte rei aptitudinem, ut sit in multis. sicut requiritur ad vniuersale: ac pròinde aptitudinem propriam vniuersalis, siue & eius unitatem solum dari in natura per operationem intellectus. Conclusio est communiter recepta contra Scot. pro qua videri possunt Suar. d. 6. Metaph. sect. 6. & alij Auctores citati.

Fundamentum est: quia aptitudo propria vniuersalis est posituè indifferens, seu habitudo ad essendum in pluribus: quæ pròinde erit verè, & simpliciter vna, neque amitteretur per hoc quod vniuersale descendat ad essendum in aliquo inferiori: sed talis aptitudo non datur à parte rei in natura, siue consideretur ut possibilem, siue ut existentem, præcisa existentia: ergo in ea prout sic, non datur à parte rei aptitudo propria vniuersalis. Maior ex dictis constat. Minor autem probatur: quia in

natura possibili ad summum potest intelligi aptitudo ad vnam singularitatem, seu existentiam vagè sumptam, id est hanc vel illam: quando autem contrahitur per singularitatem, vel existentiam, amittit illam indifferenciam ad essendum in hoc, vel in illo, ut per se constat.

Similiter natura existens si secundum se, & præcisa existentia sumatur; cum prout sic, tantum sit negatiue communis, seu indifferens, ut supra dictum est, ad summum potest habere aptitudinem negatiuam; quatenus secundum se non est inepta, neque illi repugnat, quod contrahatur per hanc, vel illam singularitatem. Quæ negatiua aptitudo, seu non repugnantia multiplicatur realiter, iuxta multiplicationem ipsius naturæ, ut patet ex dictis de unitate formali. Ergo neque natura possibilis, neque existens, præcisa existentia, habent à parte rei aptitudinem, quæ requiritur ad vniuersale: & per consequens hæc conuenit naturæ per intellectum.

Per quod patet, tum ad argumentum, propter quod hæc adducta sunt; tum etiam ad rationem dubitandi paulò antea factam, Respondetur enim naturam à parte rei non habere, neque unitatem, neque aptitudinem, quæ requiritur ad vniuersale: solum enim datur in ea à parte rei unitas conformitatis, quæ non est aliqua vna unitas in pluribus, ut supra diximus. Item solum est indifferens negatiue in quantum de se non est determinata ad hoc, vel illud. Non verò habet à parte rei aliquam indifferenciam, seu communicabilitatem positiuam, ut explicatum est.

47. ¶ Ex dictis inferitur formam istam rationis, à qua natura constituitur in esse vniuersalis, quæ nomine in complexo dicitur vniuersalitas, non esse negationem, aut priuationem rationis. Quod docent communiter Doctores cum Porphy. cap. de specie: & latè prosequitur D. Thom. quæst. 7. de potentia, art. 11. probantque Mal. de vniuersalibus sect. 4. quæst. 1. & Sanch. lib. 2. Logicæ q. 17. qui plures alios Thomistas adducunt, Ratio autem ex dictis manifesta est: quia vniuersalitas non confurgit ex eo quod intellectus apprehendat aliquod non ens ad modum entis; sed ex eo quod naturam positiuam cognoscat cum ordine ad inferiora: ergo non est negatio, aut priuatio, sed relatio.

¶ Ex quo iam facillè potest inuestigari, & inueniri definitio essentialis vniuersalitatis, descendendo per arborem relationis supra statutam; & querendo in eo genus vltimum, & propriam differentiam, ut, in qualibet definitione inuestiganda faciendum esse præcipit ex Arist. Caiet. 1. Poster. c. 10. conclus. 6. Sed quia non habemus nomina incomplexa ad significanda genera illa intermedia; neque adhuc examinauimus, vnde sumenda sit prædicta differentia in istis accidentibus, vel quomodo formandæ sint eorum definitiones, quando definiuntur, in abstracto, vel in concreto; de quo latè nobis agendum est cap. de gener. vbi DD. ista controuertunt: idcirco (supponendo pro nunc accidentia, quantum fieri possit, definienda esse per proprium subiectum; loco quidem generis, quando definiuntur in concreto; loco verò differentie, quando definiuntur in abstracto) sic possumus vniuersalitatem in abstracto definire. *Vniuersalitas est relatio, seu aptitudo rationis ad essendum in pluribus natura vnus.* Ex qua definitione formatur definitio vniuersalis in concreto, inuertendo terminos in hunc modum. *Vniuersale est natura vna relata seu apta ad essendum in pluribus.*

¶ Per quod tandem facillè penetrantur definitiones omnes, quas tradidit Aristoteli. de vniuersali in concreto, ponens locò generis subiectum, seu naturam: hanc enim significat relatum illud, quod,

semper ab Arist. positum in definitionibus vniuersalis, ut patet. 1. Perihet. c. 5. *Vniuersale dico, quod de pluribus aptum est predicari.* 2. Poster. c. ultimo. *Vniuersale est quod est unum prater multa, quodque in omnibus illis unum inest.* 4. Metaph. text. 14. *Singulare dicimus, quod numero est; vniuersale vero, quod in his lib. 7. quæst. 45. Hoc enim dicitur vniuersale, quod pluribus natura aptum est inesse.* Quem modum definiendi perpetuò obseruauit Aristot. à quo sumpsit illum Porphy. in suis definitionibus. Quod valde nota, vt rectè calleas item definiendi accidentia, quam latè explicauimus loco citato,

## QVÆSTIO VI.

*Per quem actum Intellectus resultat in natura vniuersalis.*

48. **S**ub aliis verbis proponi solet hæc difficultas: an scilicet vniuersale formaliter fiat per abstractionem vel per comparisonem intellectus. Sed generalior est titulus à nobis propositus: & melius comprehendit quæ dicenda sunt in hac quæstione. In qua mirum est, quàm variè Doctores loquantur: & ideo non omnes, sed præcipuas sententias referemus. Prius tamen vtrumque explicandus est modus operandi intellectus, seu quomodo fiat cognitio: vt sic pateat quomodo, & per quem actum fiat vniuersale.

Quia ergo nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu prior est operatio sensus, quàm intellectus. Fit autem sensatio in sensibus externis, per hoc quod obiectum sensibile mittit speciem intentionalem se ipsum representantem: qua informatus sensus producit in se speciem expressam obiecti; per cuius receptionem in sensu fit sensatio.

Rursus ex sensatione ista sensum externorum, imprimuntur aliæ species intentionales sensibus internis: in quibus proportionabili modo fit sensatio interior. De quorum numero, & diuersitate non est cur hic quæstionem moueamus. Id solum oportet aduertere, quod species expressæ, ab his sensibus internis productæ, solent communi nomine appellari phantasmata.

49. Cùm autem sensus ab intellectu differat per hoc, quod huius obiectum sit quid vniuersale; illius verò quid singulare, teste Arist. 1. Physic. cap. 5. duo inde sequuntur. Primum est phantasmata omnia, seu species expressas sensuum integrorum representare obiectum singulare, v. g. Petrum cum, hoc numero colore sapore, sono, calore, aut aliis qualitatibus sensibilibus, iuxta diuersitatem sensationum.

Secundum est obiectum istud prout sic, non posset ab intellectu percipi cùm nondum sit vniuersale. Vnde necessarium erit quod prius quasi denudetur ab illis conditionibus individualibus, separeturque ab omni materia singulari; vt sic fiat proximè intelligibile, & proportionatum obiectum intellectus. Et ad hoc ponitur intellectus agens: cuius officium est denudare phantasmata à conditionibus individualibus; vt ita species, quæ directè representabat Petrum, iam directè solum representet naturam humanam. Quod facit intellectus agens, illuminando phantasmata: vt medio tali lumine, producant in intellectu possibili, seu passibili speciem intelligibilem, directè representationem talis naturæ. Hæc ergo denudatio, seu separatio naturæ à conditionibus individualibus dicitur abstractio intellectus agentis; quia quasi abstrahit, & separat naturam à singularibus.

60. Rursus intellectus possibilis, prædicta specie informatus, seu secundatus, producit in se ipso spe-

ciem expressam, seu verbum mentis, quod est veluti conceptum parere, quod cognoscit naturam humanam. Hoc autem potest dupliciter contingere. Primò quando intellectus possibilis cognoscit naturam, præcisè secundum sua prædicata essentialia, non cognoscendo singularia, sed ab illis præseindendo, & abstrahendo. Et hæc dicitur abstractio præcisua, intellectus possibilis, pertinetque ab primam eius operationem (ad distinctionem alterius abstractionis, quæ dicitur negatiua, & reperitur in secunda operatione, quando scilicet aliquid ab alio separamus, media propositione negatiua. De qua abstractione non agimus in presenti: quia euident est per eam non fieri vniuersale: sicut etiam euident non fieri per tertiam operationem.) ¶ Secundo modo potest intellectus cognoscere naturam, in ordine ad singularia, & vt est ab illis participabilis. Quod necessario fit cognitione reflexa, vt bene notant Suarez. & Ruß. infra citandi: intellectus enim cognoscens naturam, vt est participabilis ab inferioribus, supponit ipsam separatam ab illis, à quibus participanda est: quod tamen natura non habet à partem, sed ab intellectu: & sic talis cognitio exterminatur ad eam, secundum id, quod habet ab intellectu, quod est esse reflexam. Hæc ergo cognitio intellectus dicitur comparatio. Quæ si fiat, vt fieri potest, per simplicem apprehensionem, cognoscendo scilicet naturam cum ordine ad inferiora, absque affirmatione aliqua: dicitur comparatio simplex si verò fiat attribuendo naturam illam singularibus, media actuali prædicatione: dicitur comparatio composita.

51. Ex quibus, si vera sunt, vt supponimus ex Libris de anima, duæ colliguntur abstractiones, nempe abstractio intellectus agentis, & abstractio præcisua intellectus possibilis. Quibus si addantur duæ comparationes eiusdem intellectus, simplex scilicet, & composita, iam habemus quatuor operationes, de quibus potest quæstio procedere. Iuxta quam operationem numerorum quatuor sunt apud auctores præcipuæ opiniones, quas breuiter attingemus.

## PARTE SENTENTIÆ CVM SVIS Auctoribus, & fundamentis referuntur

### §. I.

52. **P**rima sententia asserit vniuersalitem resultare in natura per abstractionem intellectus agentis. Sic docent Zumel. 1. p. q. 13. art. 7. conclusionem 7. Sor. quæst. 2. vniuersalium, & alij: Citaturque pro ea Caiet. c. 4. de ente, & essentia, vbi in quodam dubio post quæst. 6. §. *His visis* (inquit) *natura secundum esse obiectum in intellectu agente est vniuersalis in præcando.* ¶ Sed præculdicio ibi loquitur Caiet. de vniuersali fundamentaliter: tum quia statim eisdem verbis affirmat id ipsum de natura secundum esse obiectum in intellectu possibili: tum etiam quia quæst. 7. sequenti sæpè repetit vniuersalitem esse relationem rationis, factam ab intellectu possibili. Imò in fine cap. §. *Responsio autem*: expressè docet huiusmodi relationes fieri in natura per cognitionem reflexam, quia cognoscitur in ordine ad inferiora. Sed quidquid sit de hoc.

Probatum primò hæc sententia ex D. Thom. 1. p. quæst. 85. artic. 1. ad 1. vbi inquit: *Ea, quæ pertinent ad rationem speciei cuiuslibet rei materialis, possunt considerari sine principiis individualibus: quia non sunt de ratione speciei. Et hoc est abstrahere vniuersale à particulari, seu speciem intelligibilem à phantasmatibus.* Et opusc. 55. *Eadem natura, quæ singularis erat, efficitur postea vniuersalis, per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus, quia sunt hic, & nunc.* Quod etiam



etiam indicat. 7. Met. lect. 12. ergo ex sententia diui Thomæ vniuersale in actu fit per actionem intellectus agentis.

Secundò probatur ratione Soti quia esse vniuersale in actu, est esse intelligibile in actu; si quidem vniuersale est obiectum intellectus: sed res fit intelligibilis in actu per abstractionem intellectus agentis, ut docet Arist. 3. de anima, tex. 8. ergo per illam fit actu, formaliter vniuersalis.

Confirmatur: quia tunc natura fit formaliter vniuersalis, quando primò habet in intellectu illas condiciones, cum quibus à parte rei esset vniuersalis, si darentur vniuersalia separata Platonis: sed statim ac intelligitur natura abstracta, seu denudata per intellectum agentem, habet in intellectu totum quod Plato ponebat à parte rei vniuersali separato: ergo tunc fit formaliter vniuersalis.

Tertiò fieri aliquod vniuersale est fieri commune, & indifferens: sed esse sic commune & indifferens, nihil aliud est quàm esse denudatum à conditionibus indiuiduantibus: ergo res fit vniuersalis per eam actionem, per quam sic denudatur.

Confirmatur: quia natura per conditionem ad principia indiuiduantia, fit singularis: ergo per abstractionem, & denudationem ab illis, fit vniuersalis.

§ 3. Secunda sententia docet vniuersale fieri per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis. Ita Durand. in 1. disp. 3. p. 1. qu. 5. ad 2. & in 2. disp. 3. q. 7. item 7. & 12. Tolet. q. 2. vniuersalium, & alij. Habetque non paruum fundamentum in D. Th. qui 1. par. q. 85. art. 2. ad 2. sic inquit: *Sed quod humanitas apprehendatur sine indiuidualibus conditionibus, quod est ipsum abstrahi, ad quod sequitur intentio vniuersalis, acci dis humanitati, secundum quod percipitur ad intellectum, in quo est similitudo naturæ speciei, & non indiuidualium principiorum.* Idem videtur docere c. 4. de ente & essentia, & alibi sæpè.

Ratione etiam probatur: quia vniuersalitas tunc tribuitur naturæ ab intellectu, quando primo cognoscitur, ut aptum fundamentum illius: sed natura abstracta ab intellectu agente est aptum fundamentum vniuersalitatis; siquidem tunc est vna, & vniformis: ergo cum primò cognoscitur sic vniformis tribuitur illi vniuersalitas. Cumque hoc fiat ante comparisonem, per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis: consequens est tunc fieri formaliter vniuersalem.

Confirmatur: quia per abstractionem intellectus possibilis non accipit natura fundamentum proximum vniuersalitatis: ergo recipit ipsam vniuersalitem. Consequentia videtur nota. Et antecedens probatur: quia ex eo quod separatur à singularitatibus, à quibus realiter multiplicabatur, manet formaliter vna, indiuisa, & consequenter proximè apta ut respiciat plura: sed talem separationem habet ante abstractionem intellectus possibilis, ut patet: ergo ab illo non recipit natura fundamentum vniuersalitatis, sed ipsam vniuersalitem.

§ 4. Tertia sententia docet vniuersalitem fieri per comparisonem simplicem intellectus possibilis. Hæc est frequentior inter Thomistas eam defendunt Arauxo 3. Metaphys. quæst. 3. art. 5. Soncin. libr. 5. quæst. 27. & super Porphy. quæst. 1. conclus. 4. Sanch lib. 2. Logicæ quæst. 16. Rub. hic quæst. 5. noster Di. la. à Iesù disput. 4. quæst. & plures alij: quos refert, & sequitur Galleg. controuers. 10. Estque aperta mens Caietan. vbi supra, §. *responsio autem*, vbi expressè docet relationem generis, & similes fieri per cognitionem comparatiuam. Quod etiam generaliter de omni relatione rationis docet 1. part. quæst. 28. artic. 1. §. *aduersè*, quem sequitur Nazar. ibidem

in expositione textus estque proculdubio D. Thom. ut infra videbimus.

§ 5. Quarta sententia asserit vniuersalitem fieri per comparisonem compositam intellectus. Pro hac citantur aliqui Auctores antiqui. Sed quia eos non vidimus, neque in alio Doctore expressam inuenimus: & neminem pro ea adducimus. Potest tamen probari: quia vniuersalitas est relatio rationis, qua natura respicit multa, seu est in multis: ergo fit ab intellectu per comparisonem; qua eadem natura attribuitur multis. Sed hæc est comparatio composita: ergo per ipsam fit in natura vniuersalitas. Probatur minor: quia non potest intellectus cognoscere naturam esse in multis; nisi intellectualiter exprimat coniunctionem cum illis importatam per *ly est*, seu *esse*: ad quod, ut patet, necessaria est actualis prædicatio.

§ 6. Præter has opiniones extremas sunt multæ aliz mediæ, quas non oportet adducere tum quia eisdem scè fundamentis nituntur, tum etiam quia eorum aliquæ in re non distinguuntur à præcedentibus & consequenter eodem modo in pugnabuntur. Ut autem à certioribus incipiamus.

Quarta ista sententia ut omnino falsa & singularis, reicienda est: tamque rectè impugnatur nostri Didac vbi supra. Nam, ut constat ex definitionibus Arist. supra relatis, aptitudo ad essendum in pluribus vel ut prædicetur de pluribus, pertinet ad rationem vniuersalis, seu prædicabilis, non verò actualis prædicatio; hæc enim non facit prædicabilia, sed prædicata, ut patet ergo ante comparisonem compositiuam, iam est factum prædicabile; seu vniuersale. Solum ergo restat difficultas, in ferendo iudicio de tribus prioribus opinionibus. Quod quidem non est facile, non tam propter rei difficultatem, quàm propter D. Th. qui diuersis locis videtur diuersa tradidisse, propter quod etiam discipuli eius diuisi sunt, ut vidimus.

*CONCILIATIS VARIIS D. THOMÆ  
testimoniis, legitime eius mens, & vera  
sententia stabilitur.*

## § II.

§ 7. PRO solutione ergo difficultatis, & vera D. Thom. intelligentia, sciendum est vniuersale in representando esse illud, quod æqualiter est imago, & similitudo plurium quæ per illud representantur; licet in se sit quid singulare, ut supra circa præm. Porphy. dicebamus. Quomodo species intelligibilis naturæ humanæ dicitur vniuersalis: quia representat id, in quo singularia hominis conformantur. Et de hoc vniuersali frequenter loquitur D. Thom. appellans illud absolute vniuersale, ut patet, cap. 4. de ente & essentia, & opuscul. 55. & 56. Quam etiam speciem intelligibilem sæpè vocat inuentionem, ut patet in eodem opuscul. 56. circa medium.

Ex quibus D. Thom. locutionibus orta est magna ex parte dissensio discipulorum eius, & confusio in hac quæstione. Sed proculdubio de hoc vniuersali in representando loquitur S. Doctor quancumque asserit fieri per abstractionem intellectus agentis, ut satis ipse se explicat in primo loco adducto pro prima sententia dicens: *Et hoc est abstrahere vniuersale à particulari, seu speciem intelligibilem à phantasmatibus.* De hoc autem vniuersali non procedit præsens difficultas: sed de natura, ut affecta secunda intentione vniuersalis: per quam scilicet operationem triuantur naturæ illud esse fictum, seu illa forma rationis, à qua constituitur formaliter in esse vniuersali

Cum

Cum autem ad formationem entis rationis, necessarium sit rem concipi secundum aliquid, quod à parte rei non habeat, seu aliter ac in se, ut constat ex dictis d. 2. manifestum sit vniuersalitatē non posse fieri per operationem: quā cognoscitur natura secundum illa prædicata: quæ directè representantur per speciem intelligibilem, talia enim prædicata conueniunt naturæ à parte rei, ut patet. Quare si per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis, solum cognoscitur in natura, quod directè representatur per speciem intelligibilem: per talem operationem non resultabit ibi vniuersalitas, ut patet.

¶ Adde, quod cum vniuersalitas, sicut quælibet alia secunda intentio logicalis, fundetur in rebus, quatenus cognitæ sunt; ita ut denominatio cogniti sit ratio fundandi illam ut supra dicebamus; & constabit ex locis Diu. Thom. pro conclusione adducendis: consequens ad operationem est intellectus, per quam fit, necessario præcedere aliam cognitionem, à qua res denominentur cognitæ. Propterea enim istæ appellantur secundæ intentiones fiuntque per operationem reflexam intellectus.

§ 8 Ex quo tandem fit tam, per abstractionem intellectus agentis, quàm per cognitionem directam intellectus possibilis seruata proportionē, tantum constitui naturam in potentia proxima ad recipiendam secundam intentionem vniuersalis. Et hoc solum intendit D. Thom. quando locis citatis pro secunda sententia docet ad abstractionem consequi secundam intentionem vniuersalis: eo scilicet modo, quo relationes reales dicuntur consequi ad suum fundamentum proximum, ut bene explicat Arauxo ubi supra. Solet autem natura sic proximè apta, appellari absolute vniuersalis: quia ut aliud propositum dixit D. Th. opusc. 42. c. 20. *Quod propè est ad actum nihil ab actu differre videtur.* Quod doctrina, & D. Tho. concordia sumitur ex eodem Angel. doctore opusc. 48. c. 1. cuius titulus est: *Quid sit vniuersale, & quomodo origineatur.* Vbi D. Thom. naturam abstractam ab intellectu agente, vocat vniuersale; & abstractionem: ipsam appellat vniuersalitatē seu intentionem: & nihilominus docet propriam vniuersalitatē, seu secundam intentionem vniuersalitatis fieri per actum reflexum, postquam natura est iam abstracta, & cognita, quando scilicet cognoscitur in ordine ad inferiora. Qui actus est comparatio simplex intellectus, ut patet.

§ 9 Dicendum est ergo vniuersale formaliter, & in actu, seu vniuersalitatē propriam, quæ est secunda intentio logicalis, fieri in natura per comparationem simplicem intellectus possibilis. Ita docent Auctores tertiz sententiz: estque probè indubio expressa mens D. Thom. Tum quia 1. part. quæst. 18. art. 1. id generaliter docet de omni relatione rationis. Tum quia specialitè, de secundis intentionibus logicalibus præsupponere ut rationem fundandi denominationem, cogniti testatur in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. his verbis: *Ex hoc quod intellectus intelligit animal, ut in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis. Et huiusmodi intentionis licet proximum fundamentum non sit in re, sed in intellectu amen remotum fundamentum est res ipsa.* Et quæstione 7. de potentia articulo 11. *Huiusmodi sunt relationes rationis quæ attribuntur ab intellectu rebus intellectis, prout sunt intellecta, sicut relatio generis & speciei. Hæc enim relationes rationis ratio adinuenit, considerando ordinem eius quod est in intellectu, ad res quæ sunt extra.* Tum denique quia specialiter de secunda intentione vniuersalis; fieri per actum reflexum, quo natura abstracta, & cognita comparantur ad inferiora, docet expressè opusc. 48. citato c. 1. dicens. *Qui intellectus reflectitur supra se*

*ipsum, & supra ea, quæ in eo sunt, sine subiectiue, sine obiectiue: considerat iterum hominem, sic à se intellectum sine conditionibus materia, & videt, quod talis natura, cum tali vniuersalitate, seu abstractione intellecta, potest attribui huic, & illi individuo: & idè format secundam intentionem de tali natura. Et hanc vocat vniuersale, seu prædicabile.* Eisdem ferè verbis id explicat Caiet. loco citato de ente & essentia. Non potest ergo, perpenis omnibus, negari hanc esse D. Thom. sententiam.

60 Probatur prima conclusio, ratione excludente duas priores sententias: quia nullum ens rationis resultat in natura per abstractionem intellectus agentis & possibilis: sed omnis vniuersalitas propriè dicta est ens rationis, ergo nulla vniuersalitas propriè dicta resultat in natura per abstractionem intellectus agentis, & possibilis. Consequentia est euident: & minor ex dictis certa. Maior autem probatur Et in primis de intellectu agente id patet: quia ens rationis fieri non potest à potentia non cognoscitiua cum eius essentia sit cognosci, ut disp. 2. probatum est. Cum ergo intellectus agens sit potentia non cognoscitiua, ut supponimus ex libris de anima: planum sit ab ipso non posse fieri ens rationis.

De intellectu verò possibili sic probatur maior: quia per abstractionem præcisiuam, solum cognoscitur obiectum secundum illa prædicata, quæ directè representantur per speciem intelligibilem: ergo per illam non cognoscitur natura secundum aliquid quod à parte rei non habet, ac pròinde nullum per ipsam fiet ens rationis. Probatur hæc consequentia: quia ex eo, quod intellectus cognoscat naturam humanam non cognitis singularitatibus, formaliter loquendo non cognoscit illam aliter ac in se; neque fingit ibi aliquid esse. Sicut à simili idem intellectus cognoscens in pomo saporem, qui à parte rei est in illo, merè negatiuè se habens circa calorem eius, neque illud cognoscit aliter, ac est in se, neque per talem cognitionem format ens rationis. Ergo intellectus cognoscens prædicata communia naturæ, merè negatiuè se habens circa singularitates, (in quo consistit abstractio præcisua) non cognoscit naturam aliter ac est in se, neque ex consequenti per talem cognitionem, format ens rationis.

61. Secundò, quia vniuersalitas, sicut quælibet alia secunda intentio, præsupponit ut rationem fundandi denominationem extrinsecam cogniti: ergo antequam adueniat vniuersalitas, iam natura est cognita: ergo vniuersalitas non resultat in natura per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis, Antecedens & prima consequentia ex dictis parent. Secunda verò probatur: quia abstractio præcisua, quæ cognoscitur natura non cognitis singularitatibus est primus actus intellectus possibilis circa talem naturam. Ut enim ostendimus in lib. 2. de Anima, intellectus directè solum cognoscit naturas communes, & ex earum cognitione indirectè, & per quandam reflexionem cognoscit singularia. De quo videri potest Diu. Thom. in 4. dist. 50. qu. 1. artic. 1. Ergo per abstractionem præcisiuam non potest resultare in natura vniuersalitas. Si ergo, neque per abstractionem intellectus agentis, aut possibilis; neque per comparationem compositam eiusdem intellectus, potest fieri secunda intentio vniuersalis, ut probatum est: restat à sufficienti enumeratione, fieri per simplicem comparationem.

Tertiò posituè probatur per hanc comparationem fieri: quia vniuersale est relatiuum secundum esse, & vniuersalitas vera relatio rationis ex his: quæ sub primo genere secundarum intentionum logicalium enume

enumerauimus supra disp. 2. n. 46. ergo fit per comp. rationem simplicem intellectus. Probatur consequentia; quia ens rationis fit per hoc, quod apprehendatur aliquod esse, ubi nullum est: ergo ratio rationis fiet per hoc, quod apprehendatur ordo inter aliqua; inter quæ talis ordo non est. Hoc autem est vnum alteri comparare: ergo vniuersalitas ex ratione communi relationis rationis habet fieri per comparisonem. Cumque ratione proprii generis, in quantum scilicet est relatio, seu intentio rei simplicis, excludat iudicium, aut discursum planè sequitur fieri per simplicem apprehensionem naturæ in ordine ad inferiora, quæ est comparatio simplex intellectus possibilis, quod intendimus.

## FUNDAMENTIS ALIARVM Sententiarum satisf.

### §. III.

62. **A**D primum argumentum pro 1. sententia ex autoritatibus D. Th. constat ex his, quæ adduximus ad concilianda eius testimonia. Et quidem à priori loco satis ipse Sanctus explicat se loqui de vniuersali in representando. ¶ Quo etiam modo potest explicari secundus locus, vel melius de vniuersali fundamentaliter, & in potentia proxima. Quod colligitur ex vltimo adducto pro nostra conclusione: ubi eodem modo loquendi utitur, naturam abstractam ab intellectu agente appellans absolute vniuersalem & tamen statim docet secundam intentionem, seu vniuersalem formaliter, fieri per actum reflexum, seu comparisonem intellectus.

Ad secundum respondetur negando maiorem, si loquamur de vniuersali secundo intentionaliter, seu Logicè sicut in præsentì loquimur. Vt enim quæstione præcedenti dicebamus, obiectum intellectus, etiam formaliter quatenus obiectum est, & ut est actu intelligibile; tantum est vniuersale fundamentaliter, & in potentia proxima. Ratio est manifesta: quia esse obiectum intellectus, & actu intelligibile habet natura à reali, & intrinseca entitate sua, & à perfectione, & immaterialitate, quam habet, vel quia est actus, & forma separata, vel quia secundum se abstrahit ab aliqua materia, saltè singulari. At verò esse actu, & formaliter vniuersalem habet natura à secunda intentione, quam fundat intellectus, supra entitatem illam actu intelligibilem, quæ est obiectum eius. Et sic stat optimè obiectum intellectus, etiam formaliter quatenus est obiectum, & actu intelligibile, esse tantum fundamentaliter vniuersale. Quod solum significatur, quando communiter dicitur obiectum intellectus esse vniuersale. Sicut quando è contra dicitur obiectum sensus esse singulare, non significatur res constitui in esse obiecti sensus per secundam intentionem, quam pro formali dicit singulare.

Ad confirmationem, concessa maiori, neganda est minor. Cuius ratio est: quia ex eo præcisè quod natura esset realiter separata, ut ponebat Plato; statim esset in ea relatio realis, qua vniuersaliter respiceret individua, & ratione illius esset formaliter vniuersalis. At verò ex hoc præcisè, quod natura separatur per intellectum agentem; neque resultat in illa relatio realis ad individua, ut patet; neque etiam rationis: vnde quia intellectus agens, non est effectiuus entis rationis: cum etiam quia ipse non refert naturam ad inferiora, quod necessarium erat, ut resulter relatio rationis. Et sic ex eo præcisè quod natura separatur per intellectum agentem, non est formaliter vniuersalis; sed tantum fundamentaliter, & negatiue.

Ad tertium respondetur, quod fieri aliquid formaliter vniuersale, est fieri positiue commune, & indifferens. Hoc autem non habet formaliter naturam, per separationem à singularitatibus; sed per secundam intentionem, seu relationem rationis ad inferiora, ut explicatum est.

¶ Per quod patet ad confirmationem. Solum enim probat naturam per abstractionem fieri vniuersalem negatiue, & potentia: aliàs consequentia esset omnino falsa.

63. Ad auctoritatem D. Thom. pro secunda sententia adductam, iam diximus supra sensum eius esse ad abstractionem intellectus possibilis sequi secundam intentionem vniuersalis, eo modo quo relationes dicuntur consequi ad suum fundamentum. Abstrahio enim præcisua vltimò disponit naturam, ut fiat formaliter vniuersalis per subsequentem comparisonem.

Ad rationem pro eadem sententia respondetur per abstractionem præcisuiam intellectus possibilis non cognosci naturam, formaliter vt vnam, aut vniuersalem; neque vt proximum fundamentum vniuersalitatis: ad hoc enim necessarius est actus reflexus, ut patet, sed solum cognosci secundum sua prædicata essentialia, aut gradus communes, quod habet à parte rei. Per subsequentem autem comparisonem cognoscitur vt vna, dicens vniuersalem ordinem ad inferiora. Et sic per hanc fit formaliter vniuersalis.

Ad confirmationem respondetur negando antecedens. ad cuius probationem dicimus vniuersaliteratem cum sit secunda intentio, conueniens rebus quatenus cognite sunt, ut sæpè explicuimus: vltimè vnitatem formalem, aut diuisionem, quam habet natura abstracta per intellectum agentem, requirere proculdubio in ea denominationem extrinsecam cognitam, à qua vltimò compleretur in ratione fundamenti, & constituitur in potentia omnino proxima ad illam recipiendam. Et talem denominationem recipit natura per abstractionem præcisuiam intellectus possibilis, non verò ipsam vniuersaliteratem.

Ad fundamentum quartæ sententiæ constat ex eius impugnatione. Vniuersalitas enim non conuenit naturæ prout actu est in multis; sed prout est apta esse in illis, & ideo non exigit operationem intellectus, qua natura actu tribuatur multis, sed qua fiat proxime apta, ut tribuatur multis, seu qua cognoscatur in ordine ad multa. Ad quod non requiritur comparatio composita, ut per se patet.

## QV ID DE VNIVERSALI Metaphysico sentiendum sit, ex dicto explicatur.

### §. IV.

64. **I**am facillè intelligitur diuisio vniuersalis, quæ communiter circumfertur, in vniuersale Metaphysicum, & Logicum, per quam aliqui dissolunt hanc quæstionem, & conciliant sententias oppositas, asserentes vniuersale Metaphysicum fieri per abstractionem intellectus agentis, vel possibilis; Logicum verò per comparisonem. Sed licet hæc doctrina in se (si bene intelligatur) vera sit; insufficiens tamen est ad solutionem quæstionis. In qua non inquiruntur Doctores: per quam operationem natura fiat vniuersalis fundamentaliter, seu in potentia proxima; sed per quam operationem fiat actu, & formaliter vniuersalis.

Constat autem vniuersale Metaphysicum non esse vniuersale actu, & formaliter; sed in potentia tantum

tantum, & fundamentaliter : ac prout per hanc diuisionem non possunt conciliari adductæ sententiæ.

Quod autem tantum vniuersale Logicum sit actu, & formaliter vniuersale; Metaphysicum verò solum in potentia, & fundamentaliter satis ex se patet. Nihil enim velimus aburi terminis, vniuersale Metaphysicum nihil aliud sonat, nisi vniuersale, quod est obiectum Logicæ.

Cum ergo ex dictis disp. 1. constet res pertinere ad obiectum Logicæ, non ratione suæ entitatis realis, sed ratione secundarum intentionum : ad obiectum verò Metaphysicæ non nisi ratione suæ entitatis, & perfectionis realis : planum sit vniuersale Logicum esse naturam simul cum secunda intentione, à qua actu, & formaliter constituitur in esse vniuersalis; vniuersale verò Metaphysicum solum esse ipsas naturas, seu essentias reales, de quibus agit Metaphysica, quæ prout sic, tantum sunt fundamentaliter vniuersales. Quia tamen neque Metaphysica, neque aliæ scientiæ disputant de naturis prout sunt in singularibus; sed prout ab eis separantur, aut sine eis cognoscuntur: idcirco solet dici vniuersale Metaphysicum fieri per abstractionem intellectus agentis, aut possibilis. Non quia per hæc operationes, naturæ recipiant aliquam vniuersalitatem Metaphysicæ, ut aliqui fingunt, sed quia tunc habent immaterialitatem, & actualitatem necessariam ad terminandas scientias.

65. Ex quo tandem fit naturam, sic à singularibus præcisam, si pertineat ad obiectum Philosophiæ, posse dici vniuersale Philosophicum; si ad Mathematicas Mathematicum; si ad Metaphysicum, Metaphysicum.

Consueuerunt tamen omnes naturæ reales sic præcisæ appellari vniuersale Metaphysicum, vel sumpta denominatione à digniori scientia, ut optimè notat Rub. de vniuersalibus, quæstione 5. numero 93. vel quia obiectum Metaphysicæ transcendit obiecta aliarum scientiarum, & sic possunt quodammodo talia obiecta appellari vniuersale Metaphysicum. Ex quibus omnibus patet diuisionem adductam nullo modo esse vniuocam, sed vel totius concreti in suas partes, vel analogi in analogata.



## DISPUTATIO IV.

### De passionibus vniuersalis.

**S**icut accidentia realia suas habent passionibus, quas de illis scientiæ demonstrant, ut cernitur in Geometria, Arithmetica, & aliis: sic etiam secunda intentio vniuersalis, quæ est quædam forma, seu accidens rationis, suas habet proprietates: quarum notitia, & examen ad Logicam pertinet. Dux autem vniuersalis passionibus (omnibus aliis minoris notæ) assignantur communiter à Doctoribus, scilicet esse *perpetuum*, & esse *predicabile*. Quarum prima conuenit vniuersali ratione materiæ, seu naturæ denominatæ: ipsæ enim naturæ vniuersales dicuntur, & sunt perpetuæ. In quo sensu sæpè docet Arist. scientias agere de rebus perpetuis, ut patet 1. Poster. cap. 4. & 8. & lib. 6. Ethicorum cap. 4. cuius etiam passionis meminit D. Thom. 1. part. quæst. 46. artic. 2. & alibi sæpè. Secunda conuenit vniuersali ratione formæ: ipsa enim secunda intentio vniuersalis est prima radix, & ratio, quare naturæ reales prædicentur de inferioribus. Cuius etiam meminit Aristot. 1. Periherm. cap. 5. & D. Thom.

Opusc. 48. cap. 1. Cum ergo disputatione præcedenti explicauerimus essentiam vniuersalis, tam ex parte materiæ, seu naturæ denominatæ; quam ex parte formæ, seu intentionis, æquum est, ut in hac de passionibus vniuersalis eadem proportionem disputemus.

## QUESTIO PRIMA.

### Quomodo vniuersalia sint perpetua, & an peremptis singularibus pereant etiam vniuersalia.

**P**ROPOSITIOLI intelligentia, & solutione huius, consequentis difficultatis sciendum est ex Diuo Thoma in prima distinctione 33. artic. 1. esse dici tripliciter, scilicet esse essentia, esse existentia, & esse, quod significat veritatem propositionis. Verba Diui Thomæ sunt, *uno modo dicitur esse ipsa quidditas, vel natura rei: sicut dicitur quod definitio est oratio significans, quod est esse. Alio modo dicitur esse ipse actus essentia: sicut viuere, quod est esse viuensibus. Tercio modo dicitur esse, quod significat veritatem compositionis in propositionibus; secundum quod est dicitur copula.* Quam doctrinam inter alios explicat latè & optimè Nazar. 1. part. quæst. 3. art. 4. controu. 1.

De perpetuitate ergo vniuersalium, quantum ad istud tertium esse: an scilicet propositiones vniuersales sint perpetuæ veritatis quæstione sequenti. De esse verò in 2. acceptione, nempe de esse existentia: an scilicet vniuersalia sint perpetua quoad existentiam, Plato ut vidimus supra disputatione tertia num. 6. existimauit vniuersalia habuisse ab æterno realem existentiam à singularibus separatam, & per consequens realiter fore remansura, etiam si singularia omnia interirent.

Hæc tamen sententia omnino falsa est: tum quia falsò nititur fundamento, ut ibidem ostendimus: tum etiam quia quiddam efficit præter Deum dependet ab ipso, tanquam à primo efficiente, ut indicant verba illa Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et docet Arist. 12. Metaph. cap. ultimo: sed si vniuersalia haberent ab æterno realem existentiam non essent ipse Deus, ut supponimus: ergo ab illo recepissent talem existentiam, fuissentque ab æterno producta. Sed iuxta fidem Catholicam Genes. 1. *Nihil productum est à Deo ab æterno:* ergo vniuersalia non habuerunt ab æterno realem existentiam.

Ex quo etiam fit, quod si perirent omnia singularia alicuius naturæ vniuersalis (ut de facto continget in fine mundi) talis natura vniuersalis nullo modo maneret existens; sed cum singularibus interiret: ac prout si omnia singularia, quæ sunt in rerum natura, perirent: consequenter vniuersalia omnia, quoad realem existentiam funditus interirent. Et hoc est quod inquit Arist. c. de Substantia: *Destructis scilicet primis substantiis, impossibile esse aliquid aliorum remanere.*

Iuxta hanc ergo secundam acceptionem, quatenus esse significat existentiam, omnino certum est vniuersalia non esse perpetua. Quare solum difficultas est inter Doctores de prima acceptione, nempe de esse essentia.

Quamuis enim omnes fateantur rerum essentias aliquomodo esse ab æterno; non oriri, neque interire, esse semper, & vbique, & alia huiusmodi, quæ perpetuitatem denotant: non est tamen exploratum, quomodo hæc illis conueniant. Et hoc est quod in præsentem inuestigamus.

3. Verus est opinio asserens rerum essentias, seu vniuers

vniuersalia esse perpetua, eo quod verè habeant ab æterno extra Deum aliquam realitatem essentiae, quam vocant diminutam quandam entitatem; non verò existentiae. Sic videtur Scot. in 1. dist. 35. q. vnica. Quam sententiam tribuit Mayroni, & aliis Sco- ristiis, Niger secunda parte Clypei quæstio secunda. In eandemque fuisse quosdam antiquos Thomistas testatur Soncin. 9. Metaph. q. 4. qui plura pro illa ad- ducit argumenta. Hæc tamen sunt præcipua.

Primo: quia quæ continentur in prædicamentis, sunt aliquid extra Deum: sed vniuersalia, antequam existant, continentur in prædicamentis: antequam enim rosa existat, verè est in prædicamento substan- tia: ergo antequam vniuersalia existant, sunt aliquid extra Deum, non realitate existentiae, vt patet: ergo realitate essentiae.

Secundò quæ sunt vnum & idem, habent eandem entitatem: sed natura vniuersalis, antequam existat, & postquam existit, est vna & eadem: eadem enim est rosa, quæ in hyeme potest produci, & quæ in ve- re est producta: ergo natura vniuersalis, antequam sit, & postquam est, habet eandem entitatem, sed non quantum ad existentiam: ergo quantum ad essen- tiam.

Tertiò: quia ab æterno verum est dicere, homo est animal: ergo ab æterno dantur homo, & animal. Non secundum existentiam, vt patet, ergo secundum essentiam: ac pròinde vniuersalia erunt ab æterno se- cundum aliquam realitatem extra Deum. Iuxta quam etiam erunt positiuè perpetua, ingenerabilia, & in- corruptibilia: manebuntque cum aliqua entitate, & realitate essentiae, etiam si intereant omnia singularia.

Nihilominus tamen dicendum est primò, quòd vniuersalia non sunt perpetua secundum essentiam po- sitiue, ita scilicet quòd ab æterno fuerint in aliquo gradu entis extra Deum: ac pròinde nec remanere possunt secundum aliquam realitatem peremptis sin- gularibus; sed sicut nihil sunt, antequam singularia producantur, ita etiam in nihilum redeunt quando singularia destruuntur. Sic docet expressè D. Thom. 1. p. quæst. 10. art. 3. ad 3. & de potentia quæst. 1. art. 5. ad 2. vbi ait: *Quidditas creati, antequam esse habeat, nihil est nisi foris in intellectu creatis: ubi non est creatura; sed creatrix natura.* D. Thom. sequuntur Capreol. in 2. dist. 1. q. 1. Soncin. Nig. & Naza. vbi sup. Bannez & Zumel, loco citato, ex 1. par. Masius hic sect. 2. q. 8 & communiter Doctores.

Fundamentum est: quia omnino repugnat aliquam naturam vniuersalem esse secundum essentiam aliquid reale extra Deum, & non habere realem existentiam: sed ab æterno vniuersalia nihil sunt quantum ad exi- stentiam, vt dictum est: ergo nihil etiam sunt quantum ad essentiam.

Probat maior: quia quidquid est extra Deum, ha- bet illud esse à Deo: ergo si esse est quid reale: habe- bit illud per aliquam veram, & realem actionem, seu emanationem: sed chimericum est fingere actionem, aut emanationem realem, quæ non terminetur ad po- nendum aliquid singulare extra causas, in quo con- sistit existentia: ergo omnino repugnat essentiam ab æterno habere aliquod esse extra Deum, & non esse existentem, vel singularem.

Confirmatur: quia ex opposita sententia sequeretur nullam dari propriam creationem in tempore: si præ- cederet ab æterno esse reale essentiae extra Deum: hoc autem est absurdum: ergo illud ex quo sequitur. Probat sequela: quia creatio est productio totius entis secundum omnem realitatem, quam in se ha- bet: sed totis productio esset in tempore impossibilis; si præcederet ab æterno vniuersalia cum realitate essentiae: iam enim non producerentur secundum

Colleg. Compl. Logica.

essentiam, sed tantum secundum existentiam, vt patet: ergo nulla daretur vera creatio in tempore.

5. Dicendum est secundò, vniuersalia secundum essentiam esse perpetua negatiue, ex eo quod sunt ne- gatiue ingenerabilia, & incorruptibilia: quatenus se- cundum se non habent principium suæ corruptionis, aut generationis, & per consequens neque sui finis, aut principij. Ita D. Thom. 1. par. q. 46. artic. 7. ad 2. & q. 1. de Veritate art. 5. ad 13. & 14. quem sequuntur Auctores citati.

Probat breuiter & explicatur: quia quod est ne- gatiue incorruptibile, est negatiue perpetuum: sed vni- uersalia sunt negatiue incorruptibilia: ergo sunt ne- gatiue perpetua.

Maior est euidens: probatur minor: quia illud est negatiue incorruptibile, quod de se nullum habet principium, à quo corumpatur: sed vniuersalia ex se nullum habent principium corruptionis; si quidem corruptio & generatio in singularibus sunt: vt patet: ergo vniuersalia sunt negatiue incorruptibilia.

Confirmatur: quia sicut vniuersalia nullum sibi de- terminant locum: ita nullum sibi determinant tempus: sed ex eo quod non determinant sibi locum, dicuntur esse negatiue ubique, & immensa: ergo ex eo quòd non determinant sibi tempus, dicuntur esse negatiue æter- na, & semper.

Minorem probat D. Thom. loco citato ex 1. p. exemplo materie primæ, quæ secundum se non dicitur vna positiue: quia scilicet habear vnā formā, sicut homo dicitur vnus ab vnitāte vnus forme, sed negatiue tantum, per remotionem scilicet omnium formarum distinguendum: ergo eodem modo vniuer- salia erunt perpetua, siquidem ex se non habent, per quod determinentur ad hoc, vel illud tempus.

6. Ex quo iam sequitur solutio eius, quod in po- steriori quæstionis parte proposuimus. Sicut enim vnitas negatiua, quam habet materia prima secundum se, non tollit, quin positiue plurificetur iuxta nume- rum compositorum, habeatque à parte rei tot vnita- tes positiuas; quorū habet formas substantiales: ita si- militer quòd vniuersalia sint negatiue perpetua, vt explicatum est; non tollit quin verè, & realiter gene- rentur, aut corumpantur per accidens ad generatio- nem, & corruptionem singularium. Quod perspicue docuit Arist. 1. Post. c. 9. & explicant optime D. Thom. & Caiet. ibidem.

Ex quo tandem fit, peremptis singularibus perire vniuersalia. Potest tamen dici ipsa manere tripliciter: *Primò*, in virtute suarum causarum. 2. in exemplaribus, seu ideis diuinis. 3. tandem in intellectu creato, vel Angeli, vel hominis ratione specierum intelligibi- lium, quæ illa repræsentant. Videatur Mas. vbi sup.

7. Ad argumenta responderetur. Ad primum, negatur minor. Cum enim vniuersalia, antequam existant, nihil sint à parte rei: non possunt esse, & realiter contineri in prædicamento. Dicuntur tamen ab æter- no esse in prædicamento, potestare; in quantum scili- cet ab æterno sunt possibilia, non per aliquam po- tentiam passiuam realem ex parte ipsorum; sed per po- tentiam actiuam causæ, in cuius virtute præexistunt. Similiter dicuntur esse ab æterno in prædicamento, non formaliter, secundum aliquam realitatem essentiae eorum; sed repræsentatiue, ratione scilicet exempla- rium diuinorum, per quæ ab æterno repræsentantur vni- uersalia in propriis categoriis.

Ad secundum responderetur cum Mas. loco cita- to, ea quæ sunt vnum, & idem positiue, habere ean- dem entitatem, non verò ea quæ sunt vnum nega- tiue. Rationale enim, & animal in homine, quia sunt vnum positiue, habent eandem entitatem. sed materia prima, quia est vna numero negatiue in omnibus, quæ generant



generantur, & corrumpuntur; non habet eandem entitatem in illis: sed aliam entitatem, & realitatem habet in homine, aliam in equo, &c. Quia ergo natura vniuersalis, antequam sit in rerum natura, & postquam est, tantum est negativè una: (non enim possunt nihil, & aliquid esse positivè vnum, ut patet) inde est quod natura vniuersalis, antequam sit, & postquam est, non habeat eandem entitatem.

Ad tertium concessio antecedenti; negatur consequentia. Quamvis enim ab æterno detur entitas in qua fundatur veritas æterna illius propositionis, non est entitas creata hominis, & animalis, sed ipsa entitas exemplarium diuinorum, quæ non distinguuntur ab ipso Deo. Videatur Sencinas loco citato.

## Q V Æ S T I O II.

### *Quomodo propositiones vniuersales sint æternæ veritatis.*

8. **D**iuus Bonavent. Herb. Gabri & Ocham. quos refert Masius vbi suprâ, q. 9. existimant propositiones vniuersales, & necessarias ab æterno non habuisse actu veritatem, sed solum in potentia. v.g. hæc propositio: *Homo est rationalis*: (inquiunt solum est actu vera dum existit homo; dicitur tamen ab æterno vera, inquantum homo ab æterno potuit esse rationalis, vel (quod idem est) inquantum potuit existere res significata per propositionem. Eandem sententiam tenet etiam Zumel. 1. p. q. 10. art. 3. q. vnic. concl. 2. vbi addit sibi aliquando contrarium placuisse, sed re melius inspecta, mutasse sententiam. Quam probat dupliciter.

Primo: ex eo, quod res est, vel non est, dicitur oratio vera, vel falsa ex Arist. in post prædicamentis: sed res neque secundum existentiam, ut patet, neque secundum essentiam, ut vidimus, sunt ab æterno actu: ergo oratio, seu propositio illas enuntiens non potest esse ab æterno vera actu sola potestate.

Secundo: quia si veritas harum propositionum esset actu æterna, maxime quia connexio inter prædicatum, & subiectum esset actu ab æterno: sed hoc est falsum: ergo illud ex quo sequitur. Sequela videtur nota. Minor autem probatur: quia non potest esse actu vnio, seu connexio absque extremis: sed ab æterno non sunt actu homo, & animal, ut supponimus ex quæst. præcedenti: ergo ab æterno non est actu vnio inter illa.

9. Tertio probatur eadem sententia: quia in propositione verbum debet esse indicatiui modi, & temporis præsentis ut docent Dialectici lib. 1. Periherm. ergo nulla propositio potest significare veritatem actu æternam. Patet consequentia: quia quod significat cum tempore præsentis, non potest significare veritatem ab æterno.

Quarto hæc propositio: *Homo est vinus*, est essentialis, & tamen non est perpetuæ veritatis: ergo non omnis propositio necessaria est æternæ veritatis. Probatur minor: tum quia ad vitam in homine requiritur vnio animæ, ac corporis, quæ non est ab æterno: tum etiam quia homo est semper mortuus: ergo non semper est vinens; & per consequens talis propositio non erit æternæ veritatis.

Tandem: quia hæc propositio, *Christus est homo* est essentialis, & tamen non habet veritatem æternam: ergo intentum. Maior patet: quia Christus verè est indiuiduum naturæ, quamvis non habeat personalitatem, seu subsistentiam, imò nec existentiam creatam. Minor verò probatur: quia Christus in triduo mortis eius, non fuit homo, ut docent Scholastici cum Magistro in 3. dist. 22. & Theologi cum

D. Tho. 3. p. qu. 50. art. 4. ergo in illo triduo hæc propositio Christus est homo, fuit falsa: ac proinde non est æternæ veritatis.

10. Plena difficultatis solutio pendet ex perfecta notitia veritatis: quam tamen hic tradere, nec licet, nec vacat. Sed supponendum est ex D. Thoma 1. p. q. 16. art. 1. veritatem cuiuscunque rei consistere in conformitate eiusdem rei ad intellectum, ita ut veritas per prius sit in intellectu, & ab eo deriuetur ad res: secus ac bonitas, quæ per prius est in rebus, & ab aliis deriuatur ad voluntatem. Quod discrimen nascitur ex differentia inter has duas potentias suprâ disput. 2. n. 26. insinuata. Et hæc veritas solet appellari transcendentalis. Præter quam datur alia quæ appellatur veritas formalis, & tantum reperitur in intellectu componente, & diuidente, ut probat D. Thom. loc. cit. art. 2. & hæc est, quæ reperitur in propositionibus, quando aliquid affirmamus, vel negamus conformiter ad res significatas.

In hac autem veritate adhuc possumus duo considerare. Primum est id, quod formale est, & propriè veritas dicitur. & hoc nihil est aliud quàm enuntiare, seu cognoscere connexionem prædicati, & subiecti, quod patet esse in intellectu. Vnde si detur ab æterno intellectus cognoscens hanc connexionem: dabitur etiam in eo ab æterno veritas formalis talis propositionis.

Secundo possumus in hac veritate propositionum considerare, non id, quod formale est, sed fundamentum eius: illud scilicet super quod fundatur veritas formalis. Hoc autem nihil aliud est, quàm connexio, & vnio illarum rerum, inter quas sit enuntiatio: seu identitas prædicati, & subiecti: hæc enim saltem ex modo significandi necessaria est ad veritatem propositionis.

11. Secundo notandum est identitatem istam prædicati, & subiecti, quam possumus appellare veritatem fundamentalem esse duplicem, ut suprâ num. 7. dicebamus: aliam positivam, aliam negativam. Tunc est identitas positiva inter aliqua, quando illa, quæ dicuntur idem, verè habent eandem realitatem & entitatem, sicut animal rationale in Petro dum existit, verè habet entitatem, & realitatem naturæ humanæ, quæ in eo est.

Et hanc identitatem, seu veritatem fundamentalem positivam, ex quæst. præcedenti convincitur manifestè non fuisse ab æterno inter subiectum, & prædicatum alicuius propositionis necessariæ: cum nulla entitas extra Deum fuerit ab æterno.

Identitas verò negativa est negatio diuersitatis inter aliqua extrema, seu non diuersitas inter illa. Quæ identitas cum sit negatio, sequitur leges aliarum negationum. Vnde tandiu dicitur esse inter aliqua extrema, quandiu abfuerit ab illis diuersitas, quàm negat. Quare si ab æterno abest diuersitas inter aliquod prædicatum, & subiectum, & in æternum aberit, ut contingit in propositionibus necessariis: erit consequenter ab æterno negatio diuersitatis inter tale prædicatum, & subiectum: & per consequens identitas negativa, seu veritas fundamentalis negativa.

12. Dicendum est ergo primo veritatem fundamentalem positivam, seu identitatem positivam inter prædicatum, & subiectum in propositionibus necessariis non fuisse ab æterno: proinde vniuersalia, quantum ad hanc veritatem propositionis, non esse æterna: neque hoc modo dari propositiones æternæ veritatis. Hæc concl. est ex quæstione præcedenti, & modo adductis est manifesta: & idè in ea immorandum non est.

Dicendum est secundo veritatem fundamentalem negativam, seu identitatem negativam inter præ

prædicatum, & subiectum in propositionibus necessariis fuisse ab æterno: & hanc identitatem æternam sufficere ad æternitatem propositionum, secundum propriam, & formalem veritatem, quam conclusionem sequenti statuimus. Prima pars huius conclusionis constat ex dictis. Si enim inter prædicatum, & subiectum haram propositionum, nec fuit, nec est, nec erit, nec potest esse diuersitas: ergo ab æterno fuit negatio talis diuersitatis, & per consequens identitas negatiua. Secunda verò pars ex sequenti conclusione, & solutionibus argumentorum erit manifesta.

13. Postremò dicendum est, loquendo de propria, & formali veritate propositiones vniuersales necessarias, habere perpetuam, firmissimam, & actuaalem veritatem, siue res existant, siue non: ac pròinde vniuersalia, quoad istam veritatem propriam, & formalem, esse actū ab æterno. Ita Arist. 1. Poster. cap. 9. Vbi ut optimè notat Caiet. non solum ait scientiam esse sempiternorum, & non corruptibilem (quod est asserere vniuersalia quantum ad essentiam esse æterna) sed etiam demonstrationem esse sempiternorum, & non corruptibilem: ut indicaret non solum res, de quibus est scientia, esse æternas, sed etiam propositiones, de quibus est demonstratio, esse æternæ veritatis. Eandem conclusionem tenet D. Thom. 1. part. quæst. 10. artic. 3. ad 4. quem sequuntur inter alios Bannez ibidem, Capreol. in 1. dist. 8. quæst. 1. conclusionem 1. Soncinas 9. Meraph. quæst. 3. Niger 1. parte Clypei quæst. 48. Sor. 1. lib. Summular. cap. 2. & 10. & Mas. sect. 2. de vniuersalibus q. 9. Qui in confirmationem huius sententiæ adducit plura, eaque expressa loca D. August. Anselmi, & Porp. Qam etiam probat optimè Caiet. loco citato.

Fundamentum est: quia formalis veritas propositionis non est in ipsis rebus, sed in intellectu cognoscente connexionem prædicati, & subiecti: sed ab æterno intellectus diuinus actu cognoscit connexionem prædicati, & subiecti istarum propositionum: ergo ipsæ fuerunt ab æterno actu veræ veritate propria, & formali. Maior ex dictis constat. Minor verò, præterquam quod est per se nota, facile probatur: quia propositiones istæ sunt enuntiabilia necessaria, ac pròinde non potuit non intellectus diuinus ab æterno actu versari circa illa.

Confirmatur primò: quia huiusmodi enuntiationes necessariae non possunt habere indeterminatam, & quasi suspensam veritatem: cum non sint in materia contingenti: ergo ab æterno fuerunt determinatæ, & actu veræ, vel falsæ. Si primum, habetur intentum: si secundum: ergo verum fuisset ab æterno tales propositiones esse falsas.

Secundò confirmatur ex Caiet. quia ex duabus contradictoriis in materia naturali, altera necessariò est determinatè, & actu vera: sed istæ propositiones, *homo est animal*, *homo non est animal*, sunt huiusmodi etiam homine non existente, ut patet ex Arist. Poster. prædic. cap. de oppositis: ergò etiam homine non existente, altera necessariò erit determinatè vera, ac pròinde ab æterno fuit actu vera.

14. Ad argumenta respond. Ad primum, dictum Aristor. intelligendum esse de veritate fundamentali, seu de identitate inter prædicatum, & subiectum positua, si prædicatum, & subiectum existant; vel saltem negatiua, si non existant. Talis autem identitas negatiua fuit ab æterno sufficiens, ut intellectus diuinus cognosceret connexionem prædicati, & subiecti. Cum enim ipsa cognitio Dei non produxerit ab æterno prædicatum & subiectum, ut patet; non potuit esse necessaria ab æterno identitas positua inter illa, ac pròinde sufficiens fuit identitas negatiua illorum, ut in intellectu diuino esset actu, & formaliter veritas

Colleg. Compl. Logica.

talis propositionis. ¶ Per quod patet secundum argumentum. Procedit enim de identitate positua, quæ tamen non est necessaria, ut explicatum est.

Ad tertium resp. cum Sor. vbi supr. in his propositionibus necessariis, verbum, *est*, non significare cum tempore, propriè loquendo; sed abstrahere ab omni differentia temporis. Et hoc est, quod communiter docent Dialectici, scilicet in his propositionibus verbum absolui à tempore, id est, impediri ab extremis, ne significet aliquam differentiam temporis. ¶ Si tamen contendas verbum in his propositionibus verè importare aliquam durationem præsentem, dicendum est illam esse instans, seu nunc æternitatis; non verò instans, aut nunc temporis.

15. Ad quartum concessa maiori, neganda est minor. Ad cuius primam probationem dicendum est, non esse necessarium ad veritatem illius propositionis, *homo est viuens*, connexionem, aut vnionem posituam inter corpus, & animam fuisse ab æterno; sed sufficere identitatem negatiua prædicati, & subiecti, quæ tamen fuit ab æterno; siquidem nec homo fuit aliquando non viuens, nec datur homo absque connexionem animæ, & corporis. ¶ Per quod patet ad secundam probationem. Nam cadauer illud, in quod resoluitur homo abusuè, & æquiuocè appellatur homo: propriè enim loquendo nunquam homo est mortuus: quia quando moritur, definit esse homo.

Per quod etiam patet ad vltimum. Si enim in rigore loquamur, in triduo mortis Christi non fuit Christus, in quantum *Christus* significat hunc hominem: cum dissoluta fuerit vnio inter animam, & corpus eius: licet verbum diuinum manserit seorsim vnitum animæ, & seorsim corpori. Quare hæc propositio, *Christus est homo*, semper est vera. Quando tamen Theologi asserunt Christum in triduo non esse hominem, non inspicunt rigorem istum Logicum, sed volunt excludere errores asserentium Christum in triduo fuisse hominem, & docere ad veritatem mortis eius necessarium fuisse, quod inter animam, & corpus eius defierit vnio; & consequenter quod defierit etiam esse hominem. Ex hoc tamen nihil sequitur contra nos quia etiam defuit esse hunc hominem, scilicet Christum.

### Q V Æ S T I O III.

#### Q V I D E T Q V O T I P L E X sit prædicatio.

16. Explicata prima passione vniuersalis, quæ conuenit illi ratione naturæ, restat ut agamus de prædicabilitate, quæ conuenit illi ratione formæ, iuxta ea, quæ diximus in præmio disputationis. Cum autem prædicabilitas sit potentia, seu aptitudo naturæ, & prædicetur de inferioribus, eisque attribuat per actuaalem prædicationem: indè est plenam prædicabilitatis cognitionem omninò pendere ex cognitione prædicationis, quæ est proprius actus eius. Præterquam quod, ignorata prædicatione, & modo prædicandi, cognosci non potest, quæ prædicationes sint vnus prædicabilis, & quæ alterius: ad quod præcipuè ordinatur ista Porphyrij Illogice. Cum autem prædicationes exerceantur in nominibus concretis, vel abstractis: aliqua de iis, antequam ad alia procedamus, præmittenda sunt.

17. ¶ Primò ergo statuendum est concreta accidentium eandem prorsus rem significare, ac eorum abstracta. Ut enim optimè dixit Aristor. cap. de substantia: *Nomen albi nisi qualisatem nihil significat.* Quod etiam docuit expressè Diuus Thomas in 1.

1 2 distinct.

distinct. 18. quæst. 1. articul. 2. ad tertium vbi ait: *Subiectum non includitur in significatione nominis significantis accidens concretum, ut dixit Commentator 4. Metaphysica, quamuis Auicenna contrarium senserit. Quod etiam clarius habetur 7. Metaphys. lectione 1. vbi explicans ipse Sanctus dictum Aristot. quod accidentia in concreto magis entia videntur: inquit hoc idem esse: quia determinatur eis aliquod subiectum per ipsam nominis significationem, scilicet substantiam: Et idem (ait) unumquodque talium nominum, quod significans accidens in concreto, videtur importare predicamentum substantia: non ita quod predicamentum substantia sit pars significationis talium nominum: album enim, ut in predicamentis dicitur, solam qualitatem significat: sed in quantum huiusmodi nomina significant accidentia, ut inherencia substantia. Quæ doctrina communis est inter Doctores, & pro ea videri possunt Capreol. in prima distinct. 4. qu. 1. & 2. Caietan. cap. 7. de ente, & essentia. Soncin. 5. Metaph. quæst. 38. Mas. in antepredicamentis qu. 3. Sanch. lib. 4. Logice quæst. 3. & Fonseca 5. Metaph. cap. 7. qu. 5. sect. 3. qui plures alios adducit pro hac sententia, eamque variis rationibus confirmat.*

Breuius potest suaderi: quia hæc prædicatio, *homo est albus*, est accidentalis, & in materia contingenti: ergo res significata per prædicatum est id, quod potest adesse, & abesse à subiecto, & quod est accidens respectu illius. Hoc autem est sola qualitas albedinis, & non subiectum, ut de se patet: ergo sola albedo, & non subiectum, est res significata per nomen album.

Confirmatur: quia si subiectum esset pars significati istorum nominum: iam concretum accidentale, non solum ex modo significandi, sed etiam quoad rem significatam esset ens per accidens, & per consequens omnino indefinibile. Quod tamen est contra Arist. & communem Philosophorum usum, qui sæpè definiunt concreta accidentium, docentque artem definiendi illa, ut videbimus disp. seq. ergo huiusmodi concreta non important subiectum & formam ut partes sui significati, sed solam formam; ac proinde eandem rem significant, ac eorum abstracta.

18. ¶ Quamuis autem in hoc conueniant, differunt tamen in modo significandi talem rem. Nam abstractum significat formam accidentalem per modum substantiæ, seu per se stantis, quasi non esset alicui inherens, neque per ordinem ad illud acciperet entitatem, sed per seipsam, sicut habet substantia. Quod non idem est, ut optimè notat D. Thom. loco citato ex 7. Metaphys. & opusc. 42. cap. 19. quia accidens per se ipsum habeat entitatem, aut absque subiecto possit existere: sed quia, cum significatio conueniat nominibus mediante conceptione intellectus; siquidem voces sunt nomen passionum, quæ sunt in anima, ut dicitur 1. Periherm. intellectus autem possit seorsum intelligere ea, quæ sunt coniuncta; hinc sit posse etiam separare formam accidentalem à subiecto. Et quia illud, quod per se accipitur, ab alio separatum, (inquit D. Thom. opusc. citato) videtur per se existens: idem designatur nomine abstracto, quod significat remotionem eius ab alio. Et hoc modo abstracta accidentium significant formas; quæ quidem inherant, sed non significant eas per modum inherentium. At verò nomen concretum significat eandem formam, quasi alteri adiacentem, & innitentem, quod est significare formam concernendo & conueniendo subiectum tanquam id cui inheret forma, & in quo exercetur effectus formalis eius. Et propterea concretum accidentale appellatur connotatiuum: quia quasi in obliquo designat, & connotat

subiectum, in quo est forma, quam significat.

19. ¶ Iam verò ex hoc præcipuo discrimine inter concretum, & abstractum, plura alia deducuntur, ad præsentem disputationem omnino necessaria. Tria sunt præcipua, quæ enumerat D. Thom. opuscul. 69. lect. 2. Primum est, abstracta esse talia per se ipsa, ut albedo; concreta verò esse talia per abstracta, ut album est album per albedinem.

Secundum est, abstracta denotare formas simplices, puras, & impermixtas: albedo enim solam albedinem significat sine permixtione alterius qualitatis; concreta verò significare formas sine præcisione aliarum qualitatum, cum quibus permixtæ sunt, ut album significat albedinem in subiecto, in quo etiam reperitur quantitas, calor, &c. Cuius rationem reddit optimè D. Thom. quia id, quod abstractè consideratur, significatur ut quo aliquid est tale: albedo enim significat, ut quo aliquid est album. Cum autem nihil sit album, nisi per id, quod pertinet ad rationem albedinis: inde est huiusmodi abstracta nihil alienum in se habere posse. In concretis verò, cum ex modo significandi album, verbi gratia importet id, quod habet albedinem, & ex eo quod aliquid habeat albedinem, non prohibeatur habere aliquid aliud, quod sit extra essentiam albedinis: inde est concreta significare formas cum aliis permixtas. Et hæc est radix quare abstracta diuersarum specierum nequeant inter se prædicari, etiam si reperiantur in eodem subiecto: hæc enim est falsa, *albedo, est dulcedo*, quæuis utraque existat simul in lacte, cum tamen earum concreta de se mutuo prædicentur: verè enim dicitur, *album est dulce*, vel *dulce est album*.

Tertium tandem discrimen (quod etiam tangit D. Th. 1. q. 3. a. 1. & p. q. 1.) sequitur ex præcedenti, ut ait D. Th. Et consistit in hoc, quod abstracta sumuntur, ut partes; concreta verò ut tota. Quamuis enim utraque nomina significant eandem rem: quia tamen ex modo significandi abstractum significat, ut quo aliquid est; concretum verò, ut quod habet formam: inde est, abstractum eo modo significandi sumi ut partem formalem respectu concreti, concretum verò ut totum compositum ex subiecto, & accidenti. Et hæc radix, quare abstracta non possint prædicari de concretis: quia nulla pars prædicatur de toto. De quo iterum redibit sermo qu. seq.

20. ¶ His prænotatis, explicemus iam, quid, & quotuplex sit prædicatio. Prædicatio ergo, attributio, seu propositio (quantum ad præsens idem sunt,) est oratio enuntiativa; in qua scilicet prædicatum attribuitur, vel enuntiatur de subiecto. Diuiditurque à Sexto q. vi. vniuersalium, generali diuisione; in identicam, disparatam, & mediam. Prædicatio identica est illa in qua idem enuntiatur de seipso, disparata, in qua prædicatum nullam habet connexionem cum subiecto; media verò in qua prædicatum, & subiectum habent sufficientem connexionem, sed non omnimodam identitatem.

Rursus prædicatio media diuiditur in directam, & indirectam. Directa est illa, in qua illud, quod à parte rei habet rationem formæ, ponitur in propositione, ut prædicatum, & illud quod habet à parte rei rationem materiæ, ut subiectum. Cuius oppositum constituit propositionem indirectam. Vnde hæc propositiones: *Homo est animal: homo est rationalis: homo est risibilis*, sunt directæ, & earum conuercentes indirectæ.

Vbi considerare oportet, hanc doctrinam tenere, siue propositiones sint affirmatiuæ, siue negatiuæ, siue veræ, siue falsæ. Nam hæc est identica, licet falsa, *homo non est homo*: & hæc est disparata, licet vera: *homo non est lapis*. Similiter hæc est directa, licet falsa: *homo non est animal*: & hæc est indirecta quamvis nega

negatiua : *rationale non est homo*. Videatur Soto loco citato, ubi optimè confutat quosdam Dialecticos sui temporis, aliter explicantes propositionem directam, & indirectam. Cum enim ex modo essendi rerum sequatur modus prædicandi, vt testantur Arist. 5. Metaphys. text. 14. & Diu. Thom. ibidem lect. 9. & forma sit in subiecto, non verò subiectum in forma: consequens est prædicationem directam tunc fieri, quando ponitur vt forma, seu prædicatum, id quod verè est forma: & vt subiectum, id quod verè est subiectum. Et è contra prædicatione indirecta.

Vnde: quia superius se habet, vt forma respectu inferioris ex Aristot. 2. Physic. text. 28. & 5. Metaphysic. text. 2. intelligitur enim quasi recipi in inferiori quando contrahitur ad illud: idè quòties superius prædicatur de inferiori; prædicatio est directa. Ex quo tandem apparet, quod vt prædicatio sit directa, prædicatum debet esse, vel superius, vel saltem æquale respectu subiecti. Non autem erit directa; si prædicatum sit inferius, etiam si in se habeat rationem formæ, vt cernitur in hac: *animal est rationale*: quia licet rationale sit in se forma, tamen non exercet rationem formæ respectu superioris propter rationem directam. Esset tamen directa, si diceretur: *animal est rationale, vel, irrationale*: quia iam prædicatum esset æquale.

21. ¶ Dubitat autem Sotus de hac propositione: *hoc animal est homo* an sit directa. Videtur enim non esse directa: nam hæc indefinita: *animal est homo*, est indirecta: ergo etiam eius singularis, scilicet *hoc animal est homo*.

Sed nihilominus responderi bene illam propositionem esse directam, si designetur aliquis homo singularis; esse verò disparatam, si designetur aliquis equus. Ratio est: quia propositionem esse directam, vel indirectam, debet regulari ex parte suppositi, seu eius pro quo supponit subiectum: non verò præcisè ex parte rei significatæ: quia in nominibus potior est modus significandi, quam res significata, vt infra dicemus, sed quando, designato Petro dicimus: *hoc animal est homo* ly *hoc animal*, quamuis significet animalitatem, supponit tamen pro Petro: si verò designetur Bucefalus, supponit pro quodam equo: ergo talis propositio est directa, designato Petro; disparata verò, designato Bucefalo.

Nec ratio dubitandi vrget. Nam in hac propositione indefinita: *animal est homo*; ly *animal*, non solum significat gradum superiorem ad hominem; sed etiam supponit pro illo: quod non contingit in propositionibus singularibus, vt explicatum est.

¶ Ex quo etiam inferitur propositiones, in quibus diuersa accidentia in concreto de se inuicem prædicantur, omnes esse directas: cum tamen eadem prædicationes, si fiant in abstracto, sint disparatæ. Hæc enim prædicationes sunt directæ, *album est dulce*, *dulce est album*: istæ verò disparatæ, *albedo est dulcedo*: *dulcedo est albedo*. Cuius ratio sumitur ex ipso modo, & natura prædicationis, in qua prædicatum significatur vt forma, & habet proprium locum, & situm formæ: subiectum verò significatur vt materia, habetque proprium situm materiæ, & subiecti. Quia autem concretum accidentale simul significat formam, & ex modo significandi supponit pro subiecto: indè est, quod quando in huiusmodi propositionibus concretum ponitur à parte subiecti, non solum supponit, vtcumque pro subiecto (quod habet concretum ex se;) sed etiam exercet talem suppositionem, (quod illi conuenit ex situ propositionis: quando verò ponitur à parte prædicati, quamuis non amittat propriam suppositionem, quodamodò tamen impeditur propter situm prædicationis, & le-

ges appellationis; magisque attenditur in illo res significata, scilicet forma.

22. Radix autem huius doctrinæ est quod in his propositionibus, concretum accidentale positum à parte subiecti sumitur substantiue; positum verò à parte prædicati, sumitur adiectiue: vnde procedit diuersitas explicata, vt latius dicemus in notationibus ad cap. de genere. Maneat ergo huiusmodi prædicationes, quæ fiunt inter concreta, & accidentalia, quæ communicant in aliquo communi subiecto, semper esse directas. Quæ etiam ratione post incarnationem Verbi hæc sunt prædicationes directæ: *homo est Deus*, *Deus est homo*: quia duæ istæ naturæ, diuina scilicet, & humana, reperiuntur in eodem supposito Verbi, pro quo semper subiectum supponit.

¶ Secundo sequitur solam prædicationem directam esse propriè prædicationem, proprièque ad scientias pertinere; ac pròinde ipsam solam vocari absolute prædicationem. Quo sensu dixit porphy. capite de specie: *Nam aut paria de paribus, aut maiora de minoribus prædicentur oportet; minora verò de maioribus non oportet*. Propter quod etiam omnes aliz prædicationes, tam directæ, quam identicæ, & disparatæ, merito à prædicabilibus reiciuntur ad quæ tantum pertinent prædicationes formales, & directæ. Imò ex his etiam excluditur prædicatio, in qua definitio prædicatur de definito, vel de quolibet contento sub illo: quia quamuis essentia, quæ exprimitur per definitionem, sit ens per se, & idem quod species; tamen vt significatur nomine complexo, deficit à simplicitate prædicabilium, nec potest recipere intentiones eorum.

Tandem prædicatio formalis, & directa diuiditur ab eodem Soto in essentialem, & accidentalem. Essentialis est, in qua prædicatum est de quidditate subiecti: accidentalis verò in qua prædicatum accidit subiecto, siue sit entitatiue substantia, siue accidens, siue sit accidens proprium, siue commune.

His explicatis: quia duo sunt genera nominum, quibus possunt prædicationes exerceri, scilicet nomina primæ, & secundæ intentionis quæ explicuimus supra disputatione secunda, numero 40. Videamus iam, quomodo in vtriusque fiant prædicationes. Prius autem agemus de nominibus primæ generis.

#### QVÆSTIO IV.

##### DE MODO PRÆDICATIONES FIANT IN NOMINIBUS PRIMÆ INTENTIONIS.

23. ¶ Via nomina primæ intentionis, alia sunt abstracta, alia concreta: quatuor inter illa possunt fieri combinationes. Et sic potest primò dubitari: an concreta prædicentur de concretis. Secundò: an abstracta de abstractis. Tertiò: an concreta de abstractis. Quartò: an abstracta de concretis. Et quia tam concreta, quam abstracta alia sunt substantia, vt *homo*, *animal*, *humanitas*, *animalitas*: alia accidentalia, vt *album*, *coloratum*, *albedo*: deò de omnibus non nihil agemus. Id tamen ante omnia aduertendum est pro hac, & sequenti quæst. nos hic loqui de propositionibus affirmatiuis. Propositio enim negatiua non pertinet ad aliquod prædicabile; & sic à præsentī disputatione reicitur: Inquirimus ergo, quando propositiones affirmatiuæ sint veræ in nominibus primæ intentionis.

## A N C O N C R E T A

:Prædicentur de concretis.

## §. I.

24. **N**Vlla circa hoc est inter Autores difficultas, & ideo sit. ¶ Prima conclusio. Propositiones, in quibus concreta de concretis prædicantur, siue concretum sit substantiale, siue accidentale, sunt veræ, & concedendæ; ut *homo est animal, album, coloratum*: Et similes. Et idem est, quando concretum accidentale prædicatur de substantiali, ut *homo est albus* (quando enim sit è contra, propositio est indirecta, ut diximus: de quibus propositionibus modo non loquimur.) Ita docet expressè D. Thomas de ente, & essentia cap. 3. de quo videri potest Caietan. ibid.

Fundamentum est: quia concretum significat formam cum aliis permixtam, & sumitur ut totum, ut ex D. Thom. diximus q. præcedenti, propter quod etiam non præscindit ex modo significandi ab aliis, quæ inveniuntur, vel in eodem supposito, vel in eodem subiecto. Sed animal, & homo, v. g. sunt in eodem supposito, & album, & coloratum in eodem subiecto, neutraque significant cum præcisione aliorum; sed potius sumuntur ut tota permixte continentia, quidquid est in aliis. Ergo inter illa verissima est prædictio. Videatur D. Thom. loco citat.

25. Dices: nihil potest prædicari de alio nisi contineat illud, seu vnum concretum, nempe animal, aut coloratum non continet quidquid est in alio, scilicet in homine vel albo: ergo vnum concretum non potest prædicari de alio. Probatur minor: quia homo addit supra animal rationalitatem, & album supra coloratum addit propriam differentiam albedinis. ¶ Confirmatur: quia pars non potest verè prædicari de toto: sed animal est pars hominis & coloratum albi: ergo non possunt prædicari de illis.

Ad argumentum respondetur animal posse considerari, ut est pars actualis hominis, & ut est totum potentiale. Quatenus est pars actualis, componit Metaphysicè hominem: sicque nec continet totum, quod homo continet, nec est quid superius; & consequenter non prædicatur de illo. Quatenus verò est totum potentiale, est quid superius ad hominem, & equum; continetque confusè & in potentia rationalitatem, & ininibilitatem: & hoc modo non est pars, sed totum, & prædicatur de homine, & equo. Quæ doctrina constabit amplius cap. de gener. potestque cum propositione applicari ad concreta accidentalia. ¶ Per quod patet ad confirmationem.

## A N A B S T R A C T A, T A M

substantia, quam accidentalia verè  
prædicentur de abstractis.

## §. II.

26. **A**Certioribus incipiendo, ut certum statuemus, admodum est prædicationes, quæ sunt inter abstracta accidentium, quorum vnum est de essentia alterius; esse omnino veras, & formales, ut si dicas *albedo est color, color est qualitas: Logica est scientia, scientia est habitus*. Sic enim significata accidentia propriè ponuntur in prædicamento; suntque entia per se, & completa, & habent propriè genera, & species, ut postea dicemus.

Eadem certitudine, circa abstracta substantia statuendum est omnes prædicationes, in quibus ab-

stractum, quod ponitur loco prædicati, non pertinet ad essentiam abstracti, quod ponitur loco subiecti, esse omnino falsas, ut *humanitas est visibilitas, rationalitas est animalitas*, & è contra, *animalitas est rationalitas*, & similes. Ratio est manifesta: quia quando prædicatum non est de essentia subiecti, non potest prædicari de illo in *quid*, sed in *quale*, & per consequens prædictio erit accidentalis. Ut autem prædictio accidentalis sit vera, prædicatum debet significari adiectiuè, seu per modum alterius adiacentis: quod tamen non contingit, quando prædicatum significatur in abstracto, ut patet ex dictis quæstione præcedenti. Ergo huiusmodi propositiones, in quibus abstractum, quod ponitur loco prædicati, non est de essentia abstracti, quod ponitur loco subiecti: omnes sunt falsæ. Quæ etiam ratio conuincit propositionem, in qua abstractum differentie prædicatur de abstracto speciei, ut quando dicimus, *humanitas est rationalitas*, in sensu formali esse falsam. Quamvis enim differentia sit de essentia speciei: quia tamen prædicatur de illa, non omnino in *quid*, sed in *quale quid*, ut explicabimus cap. de differentia: ideo debet significari adiectiuè, seu per modum alterius adiacentis. Quod non contingit, quando prædicatur in abstracto, ut per se constat.

27. Tandem idem dicendum est de prædicationibus inter abstracta generis, & differentie; & inter abstracta differentie superioris, & inferioris, ut si dicas, *Rationalitas est animalitas, rationalitas est sensibilitas*, & similes. Cum enim differentia nullatenus includat genus, nec etiam differentias superiores, ut dicemus capite de differentia; & ex modo significandi vnum non significetur, ut adiacens alteri, ut sit, quando prædicantur in concreto: manifestum est tales prædicationes in abstracto esse falsas.

Tota ergo difficultas reducitur ad abstracta substantia, quorum vnum est de essentia alterius, & prædicatur in *quid*, ut quando de humanitate prædicatur animalitas, vel quilibet alius gradus genericus. Et ita inquirimus: an sicut hæc prædicationes sunt veræ, *homo est animal, animal est corpus*: ita etiam istæ sint veræ, *humanitas est animalitas, animalitas est corporeitas*. Procedit autem difficultas in sensu formali: nam in sensu identico evidens est apud omnes esse veras; siquidem ipsa res, quæ est humanitas, est res, quæ est animalitas aut corporeitas.

28. Partem negatiuam defendunt inter alios Scotus in primo distinct. 2. quæst. 7. & distinct. 5. quæst. 1. Niphus 3. Metaphys. quæst. 2. Canatien. 1. part. quæst. 28. artic. 2. disputat. 2. & Rubio tractatu de prædicationibus numero 14. qui pro eadem sententia adducit Caietanum, & Ferrar. sed immerito, ut postea videbimus.

Probatur primò ex D. Thom. 4. contra gentes, cap. 81. de ente, & essentia cap. 3. & 4. opuscul. 69. cap. 2. & alibi sæpè. Vbi docet abstracta ista substantia significari, ut partes formales, seu ut id, quo aliquid est tale, & consequenter cum præcisione aliorum: ergo vnum non potest prædicari de alio. Probatur consequentia: quia iam animalitas esset genus, & humanitas species: si vtraque haberet rationem totius. ¶ Confirmatur ex Avicenna, qui ut refert D. Thom. loco citato de ente, & essentia, inquit, quod *equinitas tantum est equinitas*: ergo non est animalitas.

Secundò probatur ratione: quia ut aliquid formaliter prædicetur de alio, necesse est, ut quidquid subiectum actu continet, contineat etiam prædicatum, saltem confusè & in potentia: sed abstractum generis, nec actu nec potentia continet totum, quod est



est in abstractio speciei: ergo non potest formaliter prædicari de illo. Probatum minor: quia quodcumque nomen abstractum significat suum significatum per modum formæ abstractæ abstractione formali, ut postea explicabimus. Omne autem abstractum abstractione formali, nec actu, nec potentia includit id, à quo abstrahitur: imò potius excludit illud; siquidem, prout sic, comparatur ad illud, ut pars ad suam partem.

Terriò: animalitas est illud, quo animal est animal, & humanitas illud, quo homo est homo: sed illud, quo homo est homo, non est illud, quo animal est animal: ergo humanitas non est animalitas. Maior habetur passim in D. Thom. Minor verò probatur: quia illud, quo homo est homo, significatur ut ratio formalis, & principium constitutiuum hominis, & illud, quo animal est animal, significatur ut ratio formalis, & principium constitutiuum animalis: sed ratio formalis, seu principium constitutiuum hominis, formaliter loquendo, non est ratio formalis, seu principium constitutiuum animalis; siquidem homo, & animal sunt diuersa constituta: ergo id, quo homo est homo, non est id, quo animal est animal.

29. Pro solutione difficultatis prius sciendum est ex D. Thom. 1. part. quæst. 40. artic. 3. abstractionem (ut latè in libris Posteriorum dicemus, agentes de variis abstractionibus à materia) esse duplicem. Alia dicitur totalis, seu vniuersalis; illa scilicet, qua vniuersale abstrahitur à particulari, ut animal ab homine. Alia dicitur formalis, seu præcisua; & est illa, per quam forma abstrahitur à materia: non quia semper id, quod abstrahitur hac abstractione, sit vera forma: sed quia habet modum formæ respectu eius, à quo abstrahitur. De discrimine harum abstractionum plura dicemus loco citato, potèstque videri Caicet. de ente & essentia cap. 1. quæst. 1. Nunc certum debet esse, nomina non dici abstracta ab abstractione vniuersali. Idque constat manifestè: tum quia homo, animal, viuens, & alia genera prædicamenti substantiæ sunt propriissimè vniuersalia, & consequenter abstrahunt abstractione vniuersali, & tamen non significantur in abstracto, sed in concreto: tum etiam quia ex quolibet concreto quantumuis singulari formatur nomen abstractum, ut ex Petro Petreitas, ex Deo Deitas: cum tamen nulla ibi interueniat abstractio vniuersalis: ergo ab hac abstractione nomina non denominantur abstracta, sed ab abstractione formali; per quam, non solum separamus accidens à subiecto, ut contingit in abstractis accidentalibus, sed etiam naturam à supposito: ut cernitur in abstractis substantialibus.

30. Ex quo primò fit vtraque abstracta præcisè secundum quod inuoluunt hanc abstractionem formalem, nullum dicere ordinem ad inferiora, sed ad concretum, seu suppositum, à quo abstracta, & separata sunt. Non enim dicimus: color alicuius albedinis est color, sed color alicuius colorati est color: nec similiter dicimus, animalitas alicuius humanitatis est animalitas, sed alicuius animalis est animalitas. Ac pròinde secundum istam rationem semper significantur per modum partis, seu ut quo aliquid est tale: quia id, quod abstrahitur abstractione formali, comparatur ut actus, & constitutiuum respectu eius, à quo abstrahitur. Ex hoc est, quod toties reperit D. Thomas tum locis pro secunda sententia citatis, tum etiam aliis multis, quæ videri possunt in tabula aurea, verbo *abstractum*, numero 6. Neque aliquid aliud docent Caieranus, & Ferrar. pro eadem sententia adducti.

Hinc etiam ulterius sequitur nullum abstractum,

præcisè ratione huius abstractionis formalis, posse prædicari de aliquo, nisi interueniat etiam abstractio vniuersalis. Cuius ratio est euident: quia, ut supra terigimus, & latius dicemus capite de genere, ut aliquid prædicetur de alio, debet habere rationem totius, ut sic possit continere subiectum: sed albedo, aut quodlibet aliud abstractum non habet rationem totius ab abstractione formali, cum potius ab illa habeat rationem partis: ergo, præcisè ratione talis abstractionis, non possunt prædicari de aliquo, nisi interueniat etiam ibi aliqua abstractio vniuersalis, ratione cuius induant rationem totius. Quare ad videndum, vtrum prædicationes possint fieri inter huiusmodi abstracta, inspiciendum est: an, & quomodo possint induere rationem totius, seu an, & quomodo inter illa possit esse abstractio vniuersalis.

31. Secundo consideranda est differentia compositi substantialis, & accidentalis. Illud enim, cum sit ens per se, & simpliciter vnum, & totum: componitur necessario ex partibus, quæ simpliciter sint partes, & per consequens nunquam erunt simpliciter tota, sed tantum secundum quid. At verò compositum accidentale; quia est ens per accidens: secundum quid tantum est vnum, & totum: & per consequens partes eius secundum quid tantum erunt partes; simpliciter autem tota. Quo fit, ut illud, quod significatur ut pars compositi substantialis, qualiter significatur abstractum substantiale, ex modo significandi simpliciter sit pars; & per consequens non possit esse simpliciter totum, sed tantum secundum quid: quod verò significatur ut pars compositi accidentalis, qualiter significatur abstractum accidentale, quia secundum quid tantum est pars: optimè poteris esse simpliciter totum.

Vnde sicut concreta accidentium ponuntur in prædicamento, & dicuntur vniuersalia, aut prædicabilia secundum quid tantum, & per reductionem ad sua abstracta; ita è contra abstracta substantialia sunt in prædicamento, & dicuntur vniuersalia, aut prædicabilia secundum quid tantum, & per reductionem ad sua concreta. Quæ est perpetua doctrina D. Thom. ut patet cap. 7. de ente, essentia, & alibi sæpè.

32. Ex quo tandem fit, quod sicut in abstractis accidentium significari; ut partes secundum quid suorum concretorum (quod habent ab abstractione formali) non impedit, quin simpliciter habeant rationem totius respectu suorum inferiorum: ita è contra in abstractis substantialibus, significari, ut partes simpliciter suorum concretorum quod habent ab abstractione formali) non tollit, quin possint secundum quid habere rationem totius respectu suorum inferiorum, & de illis prædicari.

Tandem nota, quod adhuc in ista comparatione ad inferiora, sicut concretum substantiale potest considerari, vel ut confusè continet illa; sicque est totum, & prædicatur in recto de illis, vel ut præstindit ab eis, seu excludit illa; sicque est pars eorum, neque prædicatur de eis, ut explicabimus capite de genere, ita similiter abstractum substantiale, quando comparatur ad inferiora, potest considerari, vel ut confusè continet illa, sicque conuenit illi ratio totius secundum quid, quam explicuimus, vel præstindit ab eis; & sic est pars eorum. Hoc secundo modo repugnat, quod in recto prædicetur: non autem primo.

73. Secunda conclusio. Animalitas, & alia abstracta substantialia, sumpta cum præcisione suorum inferiorum, non possunt de illis prædicari. Non tamen repugnat huiusmodi abstracta sumi

absque tali præcisione, seu vt confusè continent inferiora : & per consequens verè possunt prædicari de illis. Tales autem prædicationes non per se, & simpliciter, sed secundum quid, & per reductionem pertinent ad prædicabilia. Hæc conclusio habet tres partes, & quoad omnes est communior inter Thomistas. Illam tenent Soto qu. 3. vniuersalium, Mas. ibid. sect. 4. q. 6. Sanch. lib. 3. q. 13. Omnia q. 3. art. 3. Cante, c. de differentia, Suarez. disp. 6. Metaphys. sect. 10. & communiter moderni.

Prima pars satis ex se constat : quia animalitas, & alia abstracta sic præcisa ab vltioribus, perfectionibus inferioribus, sunt partes eorum : nulla autem pars, prout sic, potest prædicari de toto, vt explicabimus capite de genere. ¶ Adde, in tali præcisione semper interuenire abstractionem formalem, quæ propterea dicitur præcisiua : sed ratione huius abstractionis non contingit prædicatio, vt explicatum est : ergo huiusmodi abstracta sumpta cum tali præcisione nequeunt prædicari de inferioribus.

34. Secunda verò pars conclusionis, in qua est tota difficultas, probatur ex dictis : quia ad veram prædicationem de inferioribus sufficit prædicatum habere aliquo modo rationem totius respectu illorum, eaque continere in confuso : sed non est contra rationem istorum abstractorum substantialium habere aliquo modo rationem totius respectu abstractorum inferiorum, illaque continere in confuso : ergo, seruata eorum natura, possunt abstracta ista superiora verè prædicari de inferioribus. Maior constat : & probatur minor : quia ex vi abstractionis formalis, quam essentialiter exigunt huiusmodi abstracta, solum præcindunt à concreto, seu supposito, & significantur, vt partes illius : sed cum tali abstractione formali, & præcisione respectu concreti, non repugnat aliqualis abstractio vniuersalis, & continentia confusa respectu inferiorum : ( vt patet : tum in abstractis accidentalibus, tum etiam in formis physicis, quæ stante abstractione formali, qua præcinduntur, & sumuntur, vt partes suorum inferiorum, admittunt nihilominus abstractionem vniuersalem, ratione cuius induunt rationem totius, & prædicantur de suis inferioribus ) ergo non est contra naturam istorum abstractorum habere aliquo modo rationem totius, & prædicari de abstractis inferioribus.

35. Secundò probatur efficacius : quia designata humanitate, hæc prædicatio est vera : *Hæc animalitas, est animalitas* : ergo hæc etiam erit vera : *Humanitas est animalitas*. Antecedens patet : quia eadem est ratio de illa, ac de istis propositionibus : *Hæc humanitas est humanitas : humanitas Christi est humanitas*, & similibus, quæ sunt verissimæ, & à nemine negantur. Consequentia verò probatur : quia sicut in hac propositione : *Humanitas est animalitas*, subiectum includit aliquid, quod non est de essentia prædicati, nempe principium specificum, quod importat humanitas : sic etiam in ista : *Hæc animalitas est animalitas*, subiectum includit aliquid quod est extra essentiam prædicati, nempe principium indiuiduale, quod designatur per illud pronomen, *hec*, & ratione cuius talis prædicatio verè est superioris de inferiori. Ergo si de ratione animalitatis esset, significare naturam sensitiuam cum omnimoda præcisione quorumcumque aliorum, quæ sunt extra essentiam eius, & propterea esset falsa prima propositio, vt aduersarij dicunt : eadem ratione esset etiam falsa secunda. Maneat ergo è contra quod sicut animalitas, salua proprietate abstracti substantialis, potest inducere rationem totius, & prædicari de hac, & illa animalitate : ita etiam potest prædicari de humanitate, & equinitate.

Tertia tandem pars conclusionis, scilicet huiusmodi prædicationes, quæ sunt inter abstracta, substantialia, non pertinere ad prædicabilia per se, & simpliciter : sed tamen secundum quid, & per reductionem, manifestata est secundo notabili. Cum enim huiusmodi abstracta significantur, vt partes compositi substantialis : simpliciter conuenit illis esse partes ; & per consequens secundum quid tantum possunt inducere rationem totius. Quod non sufficit, vt aliquid sit simpliciter genus, aut species : quia naturæ, quæ ab his intentionibus denominantur, debent esse entia per se, & completa, vt supra explicatum est, & constabit amplius in antepædicamentis.

36. Per quod patet ad argumenta. Ad primum resp. D. Th. solum docere, abstracta ista significari vt partes, & sumi cum præcisione respectu concreti, seu suppositi : id enim solum postulat abstractio formalis, à qua denominantur abstracta. Hoc tamen non tollit, quominus respectu inferiorum possint inducere aliqualem rationem totius : quod sufficit, vt verè de illis prædicentur, quamuis non sint genera, aut species simpliciter, sed per reductionem, vt explicatum est.

Ad confirmationem respondetur in illa propositione Auicennæ, non excludi à subiecto prædicata essentialia, & generica, vt est animalitas respectu equinitatis : sed alia, quæ non conueniunt naturæ secundum se. Et ita sensus est : equinitas tantum est equinitas, id est, de se non habet prædicari, vel subiici, aut quoddam sit vniuersalis, vel singularis.

Ad secundum negatur minor. Cuius probationem integram concedimus, abstractum scilicet, præcisè ratione abstractionis formalis, quam importat habere rationem partis, nec illi prout sic conuenire, de alio prædicari quod verissimum est. Sed inde non sequitur abstractum esse incapax alicuius abstractionis vniuersalis, ratione cuius habeat conditionem totius respectu inferiorum, vt patet in abstractis accidentalibus.

Ad tertium, concessa maiori, distinguenda est minor. Si .n. illud, quo homo, est homo, & illud, quo animal est animal, sumantur cum omnimoda præcisione, vt aliquando etiam sumuntur concreta, iuxta dicta in prima parte conclusionis, concedenda est ; neganda verò, si sumantur absque tali præcisione. Neque aliquid amplius probat ratio ibi facta, vt consideranti patebit. ¶ Est tamen obseruatione dignum, quod quamuis iam concreta, quam abstracta substantialia comparata inferioribus possint sumi, vel cum omnimoda præcisione, vel sine illa, vt explicatum est : tamen propter eorum naturam, discriminatque supra inter illa explicata, frequentius abstracta sumuntur cum tali præcisione, concreta verò sine. Et hoc forte, deceptit Auctores contrarios.

#### AN CONCRETA PRÆDICENTUR DE ABSTRACTIS, & ABSTRACTA DE CONCRETIS.

##### §. III.

27. Pars affirmatiua potest probari. Primò : quia hæc propositiones sunt veræ, *entitas est ens*, & è contra : *bonitas est bona : unitas est vna*, & è contra : eaque admittit D. Thom. 1. 2. quæst. 55. art. 4. ad 1. & q. 21. de veritate art. 4. ad 4. & art. 5. ad 9. Ergo abstracta possunt prædicari de concretis, & è contra. ¶ Secundò, hæc propositiones sunt veræ, *Deus est Deitas, & Deitas est Deus*, & eas admittit D. Th. 2. p. q. 3. art. 3. ergo, &c. ¶ Tandem quia hæc propositiones sunt veræ, *linea est quantitas ; superficies est quantitas*, eaque admittunt Dialectici : ergo non solum in prædicatis transcen-

transcendentibus, & diuinis; sed etiam in prædicatis particularibus concreta prædicantur de abstractis, & è contra.

Pro solutione notandum est abstractum, cum ex modo significandi significetur ut pars concreti; tunc propriè habere istam significationem, tuncque sumi propriè ut partem; quando concretum includit aliquid aliud præter ipsum abstractum, ut contingit in humanitate respectu hominis, in albedine respectu albi, & similibus: homo enim, præter humanitatem, includit personalitatem, seu suppositum; & album, præter albedinem, includit subiectum. Et ita in his concretum non potest prædicari de abstracto, neque abstractum de concreto: quia nec pars potest in recto prædicari de toto, nec totum de parte ut inquit D. Thom. c. 3. de ente, & essentia.

38 Quare si contingat abstractum in rei veritate non esse partem respectu concreti: nec concretum includere aliquid præter abstractum: tunc propter omnimodam identitatem realem vtriusque, poterit vnum de alio prædicari. Adhuc tamen propter modum significandi diuersum soli abstracto conuenit esse relationem, qua concretum est tale. Et huiusmodi sunt Deus, & Deitas: quia enim nihil includit Deus, quod non includat Deitas: idè vnum potest de alio affirmari: sed quia Deitas diuerso modo significat, ac Deus idè de Deitate verè dicimus esse rationem qua Deus est Deus, quod tamen de concreto, scilicet Deo, affirmare non possumus: falsum est Deum esse rationem Deitatis.

Idem etiam contingit in prædicatis vniuersalissimis & transcendentibus. Nam licet propter transcendentiam, quam, tam concreto, quam in abstracto important de se inuicem, & de omnibus rebus prædicentur, ut præter loca allata docet D. Thom. 2. distin. 27. quæst. 1. art. 2. ad 1. & quæst. 1. de virtutibus, articul. 1. ad 8. nihilominus tamen propter diuersum significandi modum; non potest dici ens esse rationem essendi ens, aut veram rationem essendi verum: sed id conuenit abstractis; entitas enim est ratio essendi ens, & veritas ratio essendi verum. Videsatur Mas. de vniuersalibus sect. 4. q. 5.

39 Tertia conclusio. Quamuis in prædicatis generalibus, & diuinis abstracta verè prædicentur de concretis, & è contra; id tamen repugnat in aliis rebus creatis, & prædicatis particularibus. Vnde hæc sunt falsæ prædicationes; *homo est humanitas*, *albedo est alba*; & è contra. Ita docet expressè D. Thom. locis citatis, quem sequuntur Capreol in 1. dist. 4. q. 2. concl. 2. Sor. q. 3. vniuersalium, Caiet & banez, 1. p. qu. 3. art. 3. Mas. vbi suprà, noster Didacus à Iesu, disp. 5. q. 2. estque communis Doctorum consensus.

Fundamentum est: quia inter prædicatam, & subiectum debet esse vnitas, seu identitas realis, ut sæpe diximus: quando concretum includit aliquid aliud præter abstractum, ut contingit in rebus creatis, & particularibus; non sunt idem realiter concretum, & abstractum, sed distinguuntur distinctione reali includentis & inclusi: ergo repugnat, quod de se inuicem prædicentur.

Confirmatur: quia in his rebus abstractum verè, & propriè est pars concreti; quod non contingit in prædicatis generalibus, & diuinis: ergo licet in his, concretum verè prædicetur de abstracto; & è contra; in istis tamen id omnino repugnat.

40 Ex dictis patet solutio ad duo priora argumenta. Ad tertium verò, respondetur primò cum Mas. loco citato, quod quando Dialectici admittunt illam prædicationem, *linna est quanta*, & similes: ibi subiectum non accipitur, ut abstractum, seu ut mensura, sed ut concretum, seu ut est quid mensuratum

& facit hunc sensum: hoc mensuratum est quantum. Cuius doctrinæ signum est, quod similes prædicationes solent admitti, vbi non habemus nomen abstractum, & concretum alicuius rei, ut contingit in linea: & idè nomen interdum sumitur, ut concretum, interdum, ut abstractum.

Vel secundo respondetur cum D. Thoma in 4. dist. 12. quæst. 1. quæstiuncula 3. ad 3. quod quia quantitas inter omnia accidentia propinquior est substantiæ: non dependet secundum suam rationem à materia sensibili; & idè in prædicando, & subficiendo accipit modum substantiæ, & accidentis: vnde lineam dicimus, & quantitatem & quantum. Propter quod etiam Arist. cap. de quantitate, & 1. Metaphys. text. 10. lineam, & alias species quantitatis appellat quanta per se.

Iuxta quam Aristotel. & D. Thom. doctrinam, hoc speciale est in quantitate, quod scilicet denominat se ipsam; siue hoc proueniat ex eo, quod quantitas, ut quæ habeat in se ipsa, per quandam identitatem, eundem effectum, quem tribuit substantiæ, ut explicant aliqui: siue (quod verò similis est) eò quod eadem res, respectu diuersorum dicitur quantitas & quanta, ut bene explicat Mas. scolis ad cap. de quantitate. Cum enim quantitas simul sit mensura substantiæ, & mensurabilis per aliam quantitatem ut ibidem explicabimus inde est quod eadem res, secundum quod est mensuraturus, seu mensura substantiæ dicitur quantitas: secundum verò quod est mensurabilis, seu mensurata, dicitur quanta. Videatur D. Th. 5. Metaph. sect. 15.

## Q V Æ S T I O V.

*Quomodo Prædicationes fiant in nominibus secundæ intentionis, tam in se, quam respectu primarum.*

41 Secundæ intentiones habent rationem accidentium respectu primarum, ut sæpe diximus: & idè ex dictis de accidentibus realibus respectu substantiæ, habetur quid de secundis intentionibus respectu primarum dicendum sit. Quare sicut accidentia in abstracto non prædicantur de substantia: non enim dicimus, *Homo est albedo* propter rationem, num. 26. adductam: ita secundæ intentiones in abstracto non prædicantur de primis: falsum enim est dicere, *Animal est genericitas*, aut *Homo est specietas*. Sed sicut accidentia in concreto verè prædicantur de substantia: hæc enim est vera, *Homo est albus*: ita secundæ intentiones in concreto verè prædicantur de primis: dicimus enim, *animal est genus*, *homo est species*.

Potest autem dubitari: an secundæ intentiones in concreto prædicentur de primis, tam in concreto, quam in abstracto, loquendo generaliter tam de substantiis quam de accidentibus? An videlicet, sicut est verum, *Animal est genus*, ita etiam verum sit, *animalitas est genus*. Et sicut è contra verum *Albedo est species* ita etiam verum est, *Album est species*. Sed huius solutio habetur iam ex dictis. Et circa substantias traditam diuus Thomas de ente, & essentia cap. 4. dicens: *Quia illud cui conuenit ratio generis, speciei vel differentie prædicatur de hoc singulari signato; impossibile est, quod ratio generis speciei, vel differentie conueniat essentie; secundum quod per modum partis, significatur ut nomine humanitatis, vel animalitatis. Et idè dicit Auicenna, quod rationalitas non est differentia, sed differentia principium, & eadem ratione humanitas non est species, neque*

*animalitas genus.* De accidentibus vero contrarium statuit infra cap. 7. ubi sic ait: *Ex accidente, & subiecto non fit vnum per se. Unde non resultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intentio generis, vel speciei possit attribui. Unde nomina accidentalisa concretis dicta non ponuntur in predicamento: sicut species, vel genera, ut album & musicum, nisi per reductionem; sed solum secundum quod abstractè significantur, ut albedo, & musica.*

Ratio autem huius doctrinae sæpè insinuata, nunc breuiter statuitur. Quia duo requiruntur in primis intentionibus vt propriè, & simpliciter denominentur ab his secundis generis, & speciei scilicet entia completa, & esse entia per se: sed hæc duæ conditiones solum reperiuntur in concretis substantiis, & in abstractis accidentium: (abstractum enim substantia licet sit ens per se, non tamen est ens completum quia significatur vt pars; concretum vero accidentis licet sit ens completum, non tamen est ens per se, quia significatur, vt compositum accidentale) ergo sola concreta substantiæ, & abstracta accidentium propriè, & simpliciter denominantur genera, & species. Cum quo tamen stat, id quod supra statutum est, nimirum abstracta substantiæ, & concreta accidentium, secundum quid, & per reductionem denominari genera & species.

42. ¶ Quomodo autem prædicationes fiant inter ipsas secundas intentiones restat explicare. In quo primò certum est, vnam secundam intentionem, quando est de essentia alterius, optimè posse de illa prædicari, tam in concreto quàm in abstracto. Sicut enim verè dicimus, *Albedo est color, color est qualitas*: & similiter, *Album est coloratum, coloratum est quale*: ita verè dicimus, *Generitas est vniuersalitas: vniuersalitas est relatio rationis*: & similiter *Genus est vniuersale: vniuersale est relatum rationis*. Neque in hoc vlla est differentia inter secundas intentiones, & accidentia realia. Vnde solum restat difficultas de prædicationibus accidentalibus, seu denominatiuis quæ fiunt inter ipsas secundas intentiones.

Sed in hoc etiam philosophandum est cum proportionem ad accidentia realia. Sicut enim in his, quædam sunt inter se repugnantia, quæ scilicet non possunt eidem subiecto inesse, vt albedo, & nigredo; dulcedo, & amaritudo, & inter hæc falsa est prædicatio, tam in concreto, quàm in abstracto: Alia verò sunt quæ non habent tamen repugnantiam, sed comparantur in eodem subiecto, vt albedo, & dulcedo, calor, & siccitas; & inter hæc si fiat prædicatio in abstracto falsa est; vera tamen si fiat in concreto. ita proportionabiliter inter secundas intentiones quædam inter se pugnant, nec possunt eandem naturam denominare, vt intentio generis & differentia: & inter hæc falsa est prædicatio siue in abstracto, siue in concreto fiat: falsum enim est dicere: *Generitas est differentia: & genus est differentia*. Aliæ verò sunt quæ non habent talem repugnantiam, sed possunt eidem naturæ attribui, vt intentio generis & speciei subalternæ. Et inter hæc falsa est prædicatio si fiat in abstracto: falsum enim est dicere, *Generitas est specieitas subalterna*: est tamen vera si fiat in concreto: verum enim est, *Genus est species subalterna*.

43. ¶ Tandem addendum est, quod quamuis in his intentionibus abstractum non prædicetur de concreto in prædicatis particularibus, sicut diximus, de nominibus primæ intentionis; potest tamen optimè concretum prædicari de abstracto; in quo secundæ intentiones distinguuntur à primis. Nascitur autem hoc ex eo quod vna secunda intentio de abstracto significata potest esse fundamentum alterius, & in-

duere rationem primæ respectu illius. Quidquid enim potest esse obiectum intellectus, potest etiam denominari à secundis intentionibus, vt patet: Ergo quando vna secunda intentio capax est denominationis alterius, potest hæc in concreto significata, prædicari de illa in abstracto. Qua ratione verè, & propriè dicimus, *Vniuersalitas est genus, aut generitas est species*: Si enim vniuersalitas diuisione vniuoca, & essentiali diuiditur in generitatem, specieitatem, &c. vt postea dicemus: ergo vniuersalitas verè est genus ad illas, illæque sunt verè species vniuersalitatis.

Sed dices: si vna secunda intentio potest esse fundamentum alterius, & hæc alterius, & sic de aliis, iam dabitur processus in infinitum in secundis intentionibus quod videtur inconueniens. Talem autem processum non dari probatur: quia fundamentum debet esse maioris entitatis quàm id, quod fundatur supra illud: ergo sicut secunda intentio est debilior quàm prima supra quam fundatur; ita tertia erit debilior secunda, & sic deinceps, deueniemusque citò ad eam, quæ sit omnium debilissima; & ex consequenti, non dabitur infinitus processus.

44. Respondetur tamen quod Herb. q. 3. de secundis intentionibus, Mas. de vniuersalibus scilicet. 4. q. 8. & cum communi Dialecticorum talem processum in infinitum non solum non inconuenire, sed esse necessarium in secundis intentionibus. Hæc enim consequuntur actiones intellectus, in quibus necessariò concedendus est talis processus: si quidem qualibet intellectione posita, potest intellectus eam actu reflexo intelligere, hanc rursus in alio actu, & sic in infinitum. Quæ doctrina est expressa D. Thom. 1. Metaph. scilicet. 11.

Neque argumentum adductum vrget. Tum quia in entibus realibus vniuersaliter falsum est fundamentum debere esse maioris entitatis quàm res fundata; vt in materia prima quæ habet rationem fundamenti, respectu formæ substantialis. Tum etiam quia licet id possit verificari in accidentibus realibus respectu substantiæ cui inhzrent, & à qua dimanant, seu conseruantur; id tamen non est necessarium in entibus rationis, seu secundis intentionibus respectu quarum se habet merè passiuè, recipiendo eas ab intellectu, à quo proceduntur, & conseruantur.

## Q V Æ S T I O VI.

*An vniuersalia sint tantum quinque?*

45. ¶ Explicata essentia, & passionibus vniuersalium in communi antequam ad singula eius inferiora descendamus; oportet examinare ipsorum numerum, quem Porphy. in eodem proœmio statuit illis verbis. *Cum necessarius sit Crisostomi ad prædicamentorum notitiam, quidnam sit genus cognoscere, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens, &c.* Vbi Porphy. omnes prædicandi modos reducit ad certa capita, quæ vniuersalia, seu prædicabilia nuncupauit. Ad eum modum, quo Arist. omnes modos essendi ad certas coordinationes reuocauit, quas appellauit categorias, sua prædicamenta. Quamuis autem Porphy. vt certum supponat quinarium prædicabilium numerum: quia tamen contra illum pro vtraque parte militant plura, eaque non leuia argumenta, merito Doctores hanc difficultatem instituunt.

Igitur vniuersalia esse plura quàm quinque, his argumentis suadetur.

Primo: quia tot modis dicitur vnum contrariorum, quot

quot dicitur alterum ex Arist. 1. Top. c. 1. sed vniuersale, & singulare sunt contraria, & singularia sunt numero infinita: ergo vniuersalia, etiam erunt infinita.

Secundò: quia tot sunt partes vniuersalis, quot entis, ex eodem Arist. 4. Metaph. c. 1. sed partes entis, scilicet prædicamenta sunt decem: ergo decem etiam erunt vniuersalia.

Tertiò: quia existentia est in pluribus, & prædicatur de illis; & tamen non est genus, species, aut differentia: cum existentia in creaturis sit extra earum essentiam, ut sæpè docet D. Thom. nec similiter est proprium: cum sit prædicatum quoddam commune omnibus entibus, illis conueniens ex tempore per actionem causæ efficientis, & per consequens contingenter. Nec tandem est accidens commune: quia existentia non potest adesse, & abesse, absque subiecti corruptione: ergo constituit distinctum prædicabile.

Quartò tandem: quia individuum vagum, & similiter definitio prædicantur de pluribus, ut patet: ergo sunt prædicabilia. siquidem ab actu, ad potentiam, bene valet. Sed non sunt genus, species, &c. ergo sunt alia prædicabilia præter ista quinque.

46. In alio verò extremo vniuersalia, scilicet esse pauciora, his argumentis probatur.

Primò: quia prædicatio directa est actus prædicabilitatis, quæ est passio vniuersalis, ut sup. diximus: sed tantum datur duplex prædicatio directa, scilicet essentialis, & accidentalis, ut etiam vidimus: ergo tantum etiam datur duplex prædicabilitas: ergo duplex tantum vniuersalitas. Et per consequens tantum erunt prædicabilia, seu vniuersalia, nempe essentialia, & accidentalia.

Secundò: quia differentia subalterna, & infima, (& idem est de proprio, subalterno, & infimo) non constituunt duo prædicabilia, etiam si altera prædicetur de pluribus differentibus specie; altera verò de pluribus differentibus numero: sed penes hoc differunt genus, & species: ergo non constituunt duo prædicabilia.

Tertiò: quia omne accidens saltem completum, vel est genus, vel species: cum habeat propria inferiora de quibus essentialiter prædicatur: ergo quantum prædicabile, vel superfluit, vel coincidit cum genere, aut specie.

Quartò tandem: quia vniuersalia sunt quedam attributa, seu prædicata Dialectica, quæ de pluribus prædicantur: sed Aristot. 1. Topicor. c. 3. 4. & 5. assignat quatuor tantum prædicata Dialectica, scilicet genus, definitionem, proprium & accidens: Ergo tot, & non quinque erunt prædicabilia. Plura alia argumenta congerunt Masius hic sect. 5. q. 1. Sanch. lib. 3. q. 2. Rub. quæst. 9. & alij.

47. Nihilominus dicendum est quinque tantum dari vniuersalia, seu prædicabilia. Porphy. hic, & D. Thom. 1. contra Gentes c. 3. 2. quos sequuntur communiter Doctores, tam antiqui, quam moderni. Qui omnes hunc prædicabilium numerum à Porphy. statutum sic admittunt, ut paradoxum esset illum immutare.

Cæterum, non est facile huius numeri rationem reddere ostendendo diuisionis sufficientiam, quam iidem Doctores diuersis viis explicant. De quo videri possunt Mas. Sanch. & Rub. citati. Nos alius reperiri principio, eam inuestigabimus ex ipsa vniuersalis, seu vniuersalitatis natura; inde enim sumitur ratio à priori huius veritatis. Quod ut clarius fiat, duo notanda sunt.

Primum est, quod quamuis Doctores in præsentia, & nos cum illis loquentes de quinque vniuersalibus, frequentius utamur nominibus concretis, generis, speciei, differentie, &c. quia ista nomina sunt magis usitata; præcipue tamen loquimur non de toto

illo concreto, seu coniuuncto, sed de ipsis secundis intentionibus, scilicet generitate, specieitate, &c. His enim propriè, & per se conuenit esse species, non earum concretis, ut suprà explicatum est. Vnde quando inquirimus quot sint vniuersalia, & an vniuersale sit genus; legitimus sensus est: quot sint vniuersalitates, seu secundæ intentiones vniuersalium; & an vniuersalitas sit genus ad illas. Quare inuestigando quot sint differentie diuisionis vniuersalitatis in communi, cognoscemus consequenter, quot sint vniuersalitates, & vniuersalia.

Secundò pro nunc supponendum est propriam, & essentialem differentiam, tam in accidentibus rebus, quam in istis intentionibus rationis sumi ex proprio, & adæquato subiecto, ut ostendemus disputatione sequenti. Propter quod quando definiuntur in abstracto (sic enim habent propriam & perfectam definitionem,) subiectum ipsum ponitur loco differentie, ut terigimus suprà disp. 3. n. 47. & amplius explicabimus loco citato.

Quare hæc erit optima via ad cognoscendas species alicuius accidentis generici, scilicet inuestigare, quot possint esse subiecta adæquata, & inter se distincta intra illud genus: sic enim inuenientur omnes differentie diuisionis talis generis; & per consequens numerus specierum eius.

48. His suppositis, sic facile redditur ratio sufficientie huius diuisionis: quia proprium & adæquatum subiectum vniuersalitatis in communi, est natura simpliciter vna, per quam ipsam definiuimus disp. 3. citata: ergo quot fuerint modi diuersi nature simpliciter vnus, seu quot fuerint nature diuersæ in ratione subiecti vniuersalis, tot erunt differentie diuisionis vniuersalitatis, & per consequens species. Sed quinque tantum assignari possunt huiusmodi modi diuersi nature simpliciter vnus, scilicet natura perfectibilis, seu constitutibilis, quæ est subiectum adæquatum genericitatis, & natura perfectiua, seu constitutiva, quæ est subiectum adæquatum differentialeitatis, & natura perfecta, seu constituta, quæ est adæquatum subiectum specieitatis, & natura profluens ab essentia, quæ est subiectum adæquatum proprietateitatis, & denique natura extrinseca, seu contingens, quæ est subiectum adæquatum accidentaleitatis. Ergo quinque tantum dantur differentie diuisionis vniuersalitatis, & per consequens quinque species eius.

Antecedens, & prima consequentia patent ex secundo opposito. Minor vero cum sit exclusiua, continet duo probanda, scilicet quod in ratione subiecti vniuersalitatis, quinque istæ considerationes nature, sint inter se diuersæ, & quod non possit aliis modis considerari natura.

49. Primum probatur sic: natura perfectibilis comparatur ad inferiora, ut quid in illis potentiale, & per modum materie; Natura verò perfectiua comparatur ad inferiora, ut constitutum essentie eorum, & per modum actus seu forme; at verò natura perfecta comparatur ad inferiora, ut tota eorum essentia, seu per modum compositi, vel constituti ex potentia & actu. Item natura profluens comparatur ad inferiora, ut quid necessariò coniunctum, cum eorum essentia. Et tandem natura extrinseca, seu contingens, comparatur ad inferiora, ut quid potens adesse, & abesse ab eorum essentia: ergo nature istæ diuerso modo comparantur ad inferiora, & per consequens sunt diuersæ in ratione vniuersalis.

Secundum verò, scilicet non posse aliis modis considerari naturam in ratione vniuersalis, facile probatur: quia vel natura comparatur ad inferiora, ut quid illis essentialia, vel accidentalia; si primum, tantum possunt



possunt formari tres priores considerationes : sicut enim in essentia præter potentiam & actum, & compositum ex utroque nihil aliud est; ita natura non nisi tribus illis modis potest ad inferiora comparari ; si secundum, vel comparatur ad inferiora, ut accidens proprium, vel commune, nec possibilis est alius modus ; nam proprium, & commune ( quod æquivalere non proprio ) opponuntur contradictoriè. Manet ergo quinque tantum esse subiecta adæquata vniuersalitati; & ex consequenti quinque differentias diuinas, & species eius.

50. Ex dictis perspicue remanent propriissimæ, & essentielles definitiones harum quinque intentionum. cognitio enim proprio genere, nempe, *Vniuersalitas*, & proprio adæquato vniuscuiusque subiecto, quod debet poni in obliquo loco differentiarum, conficitur essentialis definitio vniuscuiusque, quas omnes opportunè adducemus disp. seq.

Ad argumenta respondetur. Ad primum pro prima parte dicimus cum Scot. quæst. 9. vniuersalium, dictum Aristot. verum esse de oppositis formaliter, quatenus opposita sunt : sic enim quot modis dicitur vnum; dicitur etiam & alterum, id est quot sunt significationes, vel acceptiones vnius, tot debent esse alterius.

Inde tamen non sequitur tot debere esse subiecta materialia, seu supposita vnius ; quot sunt alterius, ut patet in albo, & nigro, quæ opposita sunt, & formaliter prout sic, quot modis dicitur vnum, dicitur etiam aliud: non tamen est necessarium, tot esse res, seu supposita nigra, quot sunt alba, ut patet. Si ergo quamuis secundæ intentiones, quas pro formali dicunt vniuersale, & singulare, sint oppositæ, & formaliter prout sic, quot modis dicitur vna, dicatur etiam, & altera: inde tamen non sequitur, quod si subiecta materialia vnius possint esse infinita, possint etiam esse subiecta alterius.

Ad secundum respondetur ibi loqui Arist. de vniuersali materialiter, & sensum esse, quod tot sunt naturæ reales, quæ possunt denominari vniuersales, quot sunt partes entis. Nos tamen hîc non loquimur de numero subiectorum materialium, quæ possunt recipere vniuersalitates, sed de numero ipsarum intentionum.

51. Ad tertium respondetur existentiam esse quoddam complementum, seu terminum substantiæ, & per consequens ens incompletum, & habere rationem partis : vnde simpliciter loquendo, solum respicit essentiam, quam terminat, & non aliqua inferiora, sicut diximus de abstractis substantialibus ; ac proinde non potest constituere aliquod vniuersale, de cuius ratione est esse simpliciter totum, & consequenter naturam integram, & completam. Quod si intellectus ( sicut potest in aliis entibus incompletis ) abstrahat existentiam ab omnibus existentis, ( quomodo induit rationem totius secundum quid ) tunc existentia in sua communissima ratione, erit analogica : sicut essentia, seu ens ; si verò solam existentiam substantiæ, vel alterius prædicamenti abstrahat, & prædicet de inferioribus, tales prædicationes reducuntur ad illud prædicabile, cuius similitudinem sortiuntur : sicut contingit in aliis formis, & entibus incompletis.

Ad quartum in primis de definitione dicimus excludi à numero prædicabilium : quia est terminus complexus, ut ostendimus supra num. 22. De individuo vero vago, aliqui respondent esse analogum : sed certè irrationabiliter : nam aliquis homo non prædicatur per prius de Petro, quàm de Paulo. Alij dicunt esse nomen æquiucum, & utramque solutionem approbat, & explicat Masius lect. 5. de vniuersalibus quæst. 1. sed hanc posteriorem optimè impu-

gnat Caietan. cap. de specie, & Sanchez lib. 3. qu. 17.

Melius ergo responderetur ex doctrina D. Thomæ 1. parte, quæstione 30. art. 4. individuum vagum significare naturam cum determinato modo essendi, scilicet ut particulariter subsistentem, quamvis abstrahat ab hoc, vel illo determinato modo subsistendi. Vnde cum hæc convenientia individuorum solum sit in habere modum particulariter subsistendi, qui non est aliqua natura integra, ut requiritur ad rationem vniuersalis; idè non constituit distinctum vniuersale. Videantur Sanchez loco citato, & Arauxo lib. 3. Metaphysicæ, quæst. 4. art. 1.

52. Ad argumenta pro secunda parte adducta respondetur. Et primum quidem tangit difficultatem, quæ solet hîc tractari an scilicet vniuersale immediatè diuidatur in ista quinque ; an verò prius diuidatur in essenziale, & accidentale.

In quo aliqui sentiunt diuisionem illam esse immediatam, & ita respondent argumento, quod diuersitas vniuersalium non sumitur ex qualitate prædicationis, an scilicet sit essentialis, vel accidentalis, sed ex variis modis essendi in pluribus.

Ceterum hæc solutio, licet primo aspectu videatur sufficiens, inspecta tamen non satisfacit: nam in communi omnium sententia genus & species non ex eo præcisè distinguuntur : quia genus prædicatur de speciebus, species verò de indiuiduis ; ( aliàs differentia subalterna, & infima constituerent diuersa prædicabilia ; ) sed distinguuntur penes hoc, quod genus prædicetur de pluribus, ut essentia perfectibilis, & potentialis ; species verò ut quid perfectum, & actuum, seu ut tota essentia inferiorum. Ergo in propriis differentiis prædicabilium, intrinsecè clauditur, esse quid essenziale respectu inferiorum.

Præterea : quia differentia, & proprium prædicantur de pluribus per modum actus perfectiui, seu constitutiuui in aliquo esse : sicut enim rationale, prædicatur de pluribus indiuiduis, ut perfectio constitutiva hominis in aliquo esse: ita etiam risibile prædicatur de pluribus indiuiduis, ut actus, & perfectio constitutiva hominis in aliquo esse.

Nec inter ea potest fingi alia distinctio, nisi quod rationale est perfectio, & actus simpliciter constituens hominem in esse essentiali ; risibile verò est perfectio, & actus secundum quid, constituens hominem in esse accidentali: ergo sicut hæc duo prædicabilia non distinguuntur per hoc, quod alterum est essenziale ; alterum verò accidentale, nihil remanet vnde sumatur distinctio specifica eorum, in esse prædicabilium.

53. Propter hæc ergo, & alia quæ omittuntur: multò probabilius est diuisionem non esse immediatam. Quod inter alios docent Arauxo ubi supra in solutione ad vltimum, Rub. quæst. 7. vniuersalium, Canter. cap. 9. prædicamen. Murcia disput. 1. q. 1. & alij. Colligiturque satis expressè ex Beato Alberto, tractatu secundo in Porphy. cap. 9. & Soto quæst. vlt. vniuersalium, & aliis antiquis, dum quinarium prædicabilium numerum probat ex duplici genere prædicationis, essentiali scilicet, & accidentali.

Iuxta quam sententiam respondetur argumento, vniuersale prius diuidi in essenziale, & accidentale, & rursum essenziale in genus, speciem, & differentiam ; accidentale verò in proprium, & accidens ; quæ diuisiones apertè colliguntur ex Porphy. cap. vlt. de communitatibus.

In hoc autem præmio solum enumerauit species infimas : quia ut bene docet Soto lib. 2. Summularum cap. 4. lect. 2. diuisio alicuius generis etiam subalterni, potest fieri assignando omnes species infimas, quando illæ possunt certo numero comprehendendi.

54. Ad

54 Ad secundum respondetur magnum esse discrimen inter genus, & speciem, ex vna parte, & differentiam subalternam, & infimam: (& idem est de proprio) ex eo enim quod differentia prædicetur de pluribus in quale quid, eodem omnino modo respicit illa, siue sint species, siue indiuidua, nempe modum actus perfectiui, & constitutiui essentiarum eorum. Cum enim differentia subalterna non sit perfectibilis per infimam, sed vtraque sit actus quidam simplex, ut dicemus cap. de Differentia: inde est, quod vtraque propriè sit constitutiva, & perfectiua essentiarum.

Cæterum eo ipso quod genus prædicetur in quid de speciebus, & species in quid de indiuiduis, illud prædicatur ut quid perfectibile, & potentiale, ista verò ut quid perfectum, & constitutum; & per consequens diuerso modo prædicantur de inferioribus. Vnde genus, & species non differunt præcisè per prædicari de speciebus, vel indiuiduis; sed per prædicari in quid de speciebus; & per prædicari in quid de indiuiduis, ut explicabimus cap. de Genere.

Ad tertium respondetur, quod accidens, si comparatur ad propria inferiora, est de illorum essentia, & per consequens continetur sub genere, vel specie, & idem de differentia essentiali, & propriis passionibus cuiuslibet accidentis, quæ illi comparata continentur sub tertio, & quarto prædicabili, sed non sic accidens pertinet ad quintum, sed quatenus prædicatur de subiectis, quæ accidentaliter denominat, ut magis suo loco explicabimus.

55 Ad quartum respondetur, aliam esse rationem de prædicatis Topicis: de quibus ibi agit Aristot. & aliam de prædicatis, seu de prædicabilibus; de quibus agit hic Porphy. Quamuis autem longum, & molestum sit exactam eius disparitatis rationem reddere, non possumus tamen radicalem eius explicationem subterfugere.

Illic ergo Aristot. agit de prædicatis, ex quibus conficiuntur Problemata Dialectica, quæ sunt propositiones quædam; quæ in alterutram partem disputari possunt, & ex quibus fiunt syllogismi topici, seu probabiles. Ad quod, ut bene notat Scot. quæstione duodecima in Porphy. solum attenditur, quod prædicatum propositionis sit essentialia, vel accidentale, conuertibile, vel inconuertibile, nec villo modo obest esse complexum, & sic ponitur pro prædicato definitio (quam ibi appellat Aristoteles, terminum, sicut etiam facit 8. Metaphysicæ text. 9.) & quia ad Dialecticum solum pertinent per se syllogismi ex terminis communibus confecti, ut notat B. Albertus 1. Topic. tract. c. 2. ideo problemata, seu propositiones Dialecticæ, debent esse de subiecto communi definitionem habente, qualis est species; & propterea species non ponitur ab Arist. inter prædicata topica: quia est illorum subiectum.

Quia ergo quidquid de specie prædicatur, est conuertibile vel inconuertibile, essentialia, vel accidentale, quatuor inde colliguntur prædicata ex quibus fieri possint problemata: aliud essentialia non conuertibile, nempe genus: (sub quo comprehenditur differentia subalterna ut expressè inquit Arist. ibidem cap. 3.) aliud essentialia conuertibile, scilicet definitio: sub quo comprehenditur differentia infima; non enim refert ad problema Dialecticum, quod tota definitio, vel sola differentia prædicetur) aliud accidentale non conuertibile, ut accidens commune: & aliud accidentale conuertibile, videlicet proprium. Vel alio modo potest fieri problema Dialecticum ut patet; & sic optima est diuisio prædicati topici ab Arist. tradita.

Nos tamen hic cum Porph. longè aliter de prædicatis  
Colleg. Compl. Logica.

dicatis, seu prædicabilibus disputamus: loquimur enim de illis, ut deseruiunt prædicamentis, quomodo comparantur ad inferiora, & debent esse quid incomplezum; & idè excluditur definitio & includitur species, quæ verè potest ad inferiora comparari. Similiter licet differentia subalterna, & genus eodem modo constituent problema dialecticum, & sic non faciant distincta prædicata in illa consideratione, quia tamen diuerso modo comparantur ad inferiora, ut explicatum est; idè constituunt distincta prædicabilia. Ex quo tandem fit prædicabilia esse 5. licet 4. tantum sint prædicata Dialectica.

## Q V Æ S T I O V L T I M A.

*An vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia.*

56. **P**Artem negatiuam defendunt inter alios Beatus Albertus tractat. 2. prædicamentorum cap. 9. Canter. ibidem cap. 4. & Oña quæstione secunda Vniuersalium, artic. 3. qui omnes addunt diuisionem esse analogam, licet diuersimodè explicent talem analogiam. De quo videri potest Rub. quæstione septima Vniuersalium.

Refert autem Canter. pro sua sent. Alexander. Ammonium, Simplic. & Botum, sed immeritò ut bene notat Rub. illi enim loquuntur de vniuersali primò intentionaliter, seu de natura denominata, quæ respectu omnium rerum, quæ denominantur vniuersales, non potest esse vniuoca, sed analogica, ut patet. Eandem etiam opinionem inquit Fonseca esse ferè omnium sectatorum D. Th. sed planè deceptus est: nam præter vnum, aut alterum quos refert Mas. sect. 5. de Vniuersalibus quæ. 2. cæteri Thomistæ communiter docent oppositum, ut constabit ex nostra conclusione.

Probatum primò dicta sententia: quia non omnia prædicabilia sunt vniuoca: ergo non omnibus conuenit æqualiter, & simpliciter esse vniuersalia; & per consequens vniuersale non erit genus respectu illorum, sed analogum.

Antecedens probatur primò: quia denominatiua non sunt vniuoca, ut patet ex Arist. in antepædicamentis cap. 1. ubi illa distinguit: sed proprium, & accidens sunt denominatiua: siquidem constituunt 4. & 5. prædicabile & solum prædicantur de subiectis: ergo proprium, & accidens non sunt vniuoca.

¶ Secundò probatur idem antecedens: quia proprium, & accidens quando prædicantur prædicatiue 4. & 5. prædicabili, necessariò prædicantur in concreto, ut vidimus sup. n. 26. sed concretum accidentale non est propriè ens per se: ergo nec etiam potest esse propriè vniuersale, vel vniuocum; & consequenter non omnia vniuersalia æqualiter conueniunt in ratione vniuoci, vel vniuersalis.

57 Secundò: quia vniuersale prædicatur de omnibus prædicamentis, estque superius illis: sed supra prædicamenta nullum datur genus: ergo vniuersale non potest esse genus.

¶ Confirmatur: quia ideo ens non est genus respectu suorum inferiorum, quia transcendit eorum differentias: sed vniuersale transcendit differentias quinque prædicabilium: ergo non est genus respectu illorum. Probatum minor: quia differentia est vnum ex quinque prædicabilibus, ergo quælibet differentia est vniuersalis: ergo vniuersale transcendit differentias.

Tertiò tandem: quia si vniuersale esset genus ad quinque vniuersalia, magna sequeretur in hac materia confusio, imò & plura absurda.

¶ Primò enim vna species prædicaretur de alia, quod

quod sic probatur. Si vniuersale est genus ad quinque prædicabilia : ergo primum prædicabile scilicet genus, erit species vniuersalis; & per consequens species prædicabitur de genere. Et eadem ratione species prædicabitur de differentia, proprio, & accidenti.

¶ Secundò, eadem species prædicaretur de se ipsa prædicatione formali, & identica : nam hæc esset prædicatio secundi prædicabilis : *Species est species vniuersalis.*

¶ Tertiò, concretum prædicaretur de abstracto : nam hæc esset vera, *Species est species vniuersalis.*

Quartò, genus contineretur sub sua specie: nam vniuersale eo ipso quòd sit genus ad quinque vniuersalia, est quoddam particulare genus condistinctum ab animali, colore, & aliis generibus : ergo continebitur sub genere in communi, nempe sub primo prædicabili, quod est species ipsius vniuersalis.

Quintò tandem dabitur genus, quod sit indiuiduum speciei : quia primum prædicabile est species infima, vt supponimus, ergo sua inferiora erunt indiuidua. Sed si vniuersale est genus ad quinque prædicabilia, esset etiam inferius primi prædicabilis, vt ostensum est : ergo iam vniuersale, quod est genus respectu generis, esset indiuiduum ipsius generis. Quæ omnia, & plura alia his similia, quæ sequuntur ex contraria sententia, videntur absurda: ergo vniuersale non potest esse genus respectu quinque prædicabilium.

§ 8. Nihilominus dicendum est vniuersale secundò intentionaliter, seu vniuersaliter esse verum, & proprium genus, ad has quinque intentiones. Ita colligitur ex D. Th. 1. contra Gent. cap. 32. & Opusc. 56. de vniuers. quem sequuntur communiter Thomistæ Iabel. tract. de quinque prædicabilibus cap. 1. §. & 6. Sotus q. 4. vniuersalium, &c. de genere, q. vnica ad 4. Toletus q. 2. vniuersal. Mas. sc. §. q. 2. Sanchez lib. 2. q. 8. ad 3. & alij plures, quos refert, & sequitur Gallego controu. 11. Idem etiam docet Scot. q. 8. vniuersalium, quem sequuntur Ioan Angel. Anton. Andr. & alij eius discipuli.

Fundamentum est : quia vniuersalitas prædicatur in quid de pluribus differentibus specie, scilicet de genereitate, specieitate, &c. nec per prius dicitur de vna quàm de alia: sed omnes æqualiter participant vniuersaliteratem : ergo hæc est verum genus respectu illarum. Consequentia patet ex definit. generis : anteced. verò probatur. Et in primis vniuersaliteratem prædicari in quid de his intentionibus, res est manifesta : nam inquirenti quid est genereitas? optimè respondemus, est vniuersalitas : sicut inquirenti, quid est homo? respondetur esse animal.

Quòd verò intentiones istæ non accidentaliter, aut numericè, sed essentialiter, & specificè inter se distinguantur; iam ostensum est q. præced. Et tandem quòd omnes vniuocè, & æqualiter participant rationem vniuersaliteratis probatur : quia omnibus verè, & propriè conuenit esse relationes rationis; in quibus naturæ abstractæ referuntur ad plura, in quo consistit essentia vniuersaliteratis, vt vidimus supra dispu. 4. nu. 47. nec hanc rationem participat vna istarum intentionum cum dependentia ab alia : siquidem vnaquæque earum esset vera vniuersalitas; etiam si alie intentiones essent impossibiles, quod non contingit in analogatis, vt suo loco constabit : ergo vniuersalitas essentialiter, & vniuocè prædicatur de quinque intentionibus : ac pròinde est verum genus respectu illarum.

§ 9. Ad argumenta respondetur. Ad primum negatur antecedens, ad cuius primam probationem com-

muniter responderetur; *Vniuocum* posse considerari dupliciter. Primò strictè, prout condistinguitur non solum ab æquiuocis, & analogis, sed etiam à denominatis, quo sensu illa sola prædicabilia dicuntur vniuoca, quæ sunt de essentia inferiorum. Secundò magis latè prout condistinguitur tantum ab æquiuocis, & analogis, & significat vnā rationem, quæ æqualiter reperitur in inferioribus abstrahendo ab hoc quòd sit essentialis, vel accidentalis; quo sensu comprehendit denominatiua, & coincidit cum vniuersali, quod diuiditur in quinque vniuersalia.

¶ In priori ergo sensu inquirunt locutum esse Aristot. in antepædicamentis : quia ibi agitur tantum de vniuocis, quæ collocantur in prædicamentis: hic verò sermonem esse de vniuoco in secunda acceptione: quia inuestigamus omnes modos prædicabilium, vt sciamus, quæ eorum pertineant ad prædicamenta, quæ verò ab illis reiciantur.

Hæc solutio pro nunc sufficiens erat, donec de vniuocis, & denominatiuis in antepædicamentis ageremus. Sed quia ex vna parte prima illa acceptio, & restrictio vniuoci ad prædicabilia essentialia, non rectè fundatur in definitione vniuocorum ab Aristot. tradita, in qua nullum est verbum, quod non conueniat etiam vniuocis accidentalibus, vt ibidem constabit : ex alia verò parte Porphy. & D. Thom. semper usurpant vniuocum in secunda acceptione, vt patet c. 6. de communitatibus; & citato lib. contra Gentes: idè.

Aliiter responderetur ibi ex dicendis, quod licet denominatiua formaliter in quantum talia, non sint vniuoca: siquidem pro formali important secundas intentiones essentialiter diuersas, materialiter tamen sæpè coincidunt : quia contingit eandem rem diuersis comparatam denominari ab vtraque intentione : sicut de specie subiectionis, & prædicabili dicemus, cap. de Specie. Ita ergo similiter album, secundum quod consideratur in ordine ad formam denominantem, nempe albedinem, à qua nominis appellationem habet, dicitur denominatiuum : prout verò comparatur ad inferiora, in quibus æqualiter inuenitur, dicitur vniuocum, seu vniuersale.

60. Ad secundam probationem illius antecedentis responderetur concretum accidentale propriè non esse ens per accidens : cum significet solam formam, vt supra num. 17. ostendimus. Quamuis autem ex modo significandi sumatur, vt tale, tamen quando ponitur à parte prædicari, vt contingit in prædicationibus 4. & 5. prædicabilis, magis in illo attenditur res significata, quàm modus significandi, vt notauimus nu. 21. 22. Quo fit vt ipsa res significata, scilicet entitas accidentis, non autem totum concretum prout inuoluit subiectum, recipiat in se secundas intentiones constitutiuas proprii & accidentis, quod sufficit vt natura denominata ab illis sit simpliciter vna, & ens per se, quamuis non debeat significari in abstracto, sed in concreto : quia ista prædicabilia prædicantur in quale.

Ad secundum responderetur, quòd prædicamenta non conueniunt in aliquo vniuoco essentiali, & sic nullum habent genus supra se; conueniunt autem vniuocè in vniuersali, tanquam in quodam denominatiuo, seu accidente rationis, quod potest optimè tribuere illis intellectus, quamuis sint primò diuersa, vt infra constabit.

Ad confirmationem similiter responderetur vniuersaliteratem non transcendere differentias genereitatis, specieitatis, &c. hæc enim est falsa, *Differentia constitutiuā genereitatis essentialiter est vniuersalitas*, quod necessarium erat ad transcendentiam. Quia tamen rursum illud differentie possumus tribuere intentionem,

nem, à qua denominetur vniuersalis; idèd dicimus differentiam illam esse vniuersalem, sed hoc est accidentaliter, & denominatiue, non verò essentialiter, sicut requiritur ad transcendentiam.

61. Tertium argumentum non tam habet difficultatem, quàm confusionem ortam ex multitudine intentionum quas possumus ipsius intentionibus superaddere. Cum enim vna secunda intentio possit gerere vices primæ respectu alterius, & denominari ab illa, & hæc ab alia, & sic in infinitum; inde est quod genus possit, esse species & quod species sit supra suum genus, & quod genus sit indiuiduum suæ speciei, & alia huiusmodi, quæ in argumento tanguntur. Quæ vt clariùs explicentur loquemur de his intentionibus in abstracto, sic enim sunt propriè genera, & species; & inde faciliè applicabitur eadem doctrina concretis earum.

Ne igitur in hac materia confundamur: attendendum maxime est ad prædicationes. quæ inter has intentiones, & prædicabilia fiunt, quando scilicet sunt essentialis, vel denominatiue quod ex supra dictis faciliè dignoscetur. Tunc enim prædicatio erit essentialis quando prædicatum fuerit de quidditate subiecti; cuius optimum signum erit si prædicatio sit vera siue in abstracto, siue in concreto fiat, vt patet in his. *Generositas est vniuersalitas: genus est vniuersale: hac generositas est generositas: hoc genus est genus.* Tunc verò prædicatio erit denominatiua, quando prædicatum accidentaliter conuenit subiecto; cuius optimum signum erit, si prædicatio, quæ in concreto est vera sit in abstracto falsa, vt patet in his: *Vniuersale est genus: genus est species vniuersalis*, quæ sic sunt veræ: fiunt autem falsæ si dicas: *vniuersalitas est generositas, generositas est speciositas, &c.*

62. Quo supposito, responderetur ad argumentum, impossibile esse etiam in his intentionibus, quod vna species prædicetur de alia, vel species de suo genere, vel concretum de suo abstracto, &c. prædicatione essentiali & quidditatiua. Quare istæ prædicationes. *Vniuersale est genus ad quinque vniuersalia, genus est species vniuersalis: speciositas est species vniuersalis: vniuersale est indiuiduum generis: & similes omnes sunt denominatiuæ, pertinentque ad quintum prædicabile: siquidem factæ in abstracto omnes sunt falsæ.* In huiusmodi autem prædicationibus accidentalibus, quæ fiunt inter secundas intentiones, non solum non est inconueniens, vnâ speciem prædicari de alia, concretum de abstracto, &c. sed necessarium. Cum enim istæ intentiones adinuicem possint esse nominatiuæ, & denominatæ, inde est quod vna species verbi gratia generositas, possit esse natura denominata respectu speciositatis, & sic verè dicetur: *Generositas est species vniuersalis.* Similiter quod ipsum genus scilicet *vniuersalitas*, possit esse natura denominata respectu suæ speciei nempe *generositatis* & sic dicetur: *vniuersalitas est genus.* Item quod speciositas vt natura quædam particularis contenta sub particulari genere possit denominari à se ipsa, inquantum est forma & principium quo, constitutiuum speciei, & sic dicatur, *speciositas est species vniuersalis.* Quæ omnia fiunt ab intellectu multiplicando intentiones, & mediis posterioribus denominando priores. Ex eo enim quod vniuersalitatem comparat ad sua inferiora, attribuit illi intentionem generis, & vniuersalitas, quæ erat superior ad generositatem, & speciositatem, &c. per illam intentionem generis constituitur in esse talis generis, & per consequens collocatur sub generositate, & fit indiuiduum eius. Per quem modum intelligenda sunt alia plura, quæ in hac materia solent asserri: prolixum enim esset in his intentionibus amplius immorari.

Colleg. Compl. Logica.

63. Ex dictis in his disputationibus solutæ manent quæstiones illæ, quas porphy. in hoc proœmio tractare recusauit. Ad primam enim an vniuersalia sine à parte rei, vel in intellectu, iam constat, vniuersalia pro formali semper esse in intellectu: pro materiali verò aliquando esse à parte rei, scilicet quando naturæ denominatæ sunt reales: aliquando verò in intellectu nimirum quando naturæ denominatæ, sunt entis, rationis.

Ad secundam quæstionem an vniuersalia sint corporea vel incorporea: eodem modo responderetur, quod vniuersale pro formali semper est incorporeum: cum sit quid rationis ab intellectu effectum: pro materiali verò, aliquando est corporeum vt *animal arbor*, & aliquando incorporeum, vt *Angelus scientia.*

Ad tertiam quæstionem an vniuersale sit à rebus separatum vel non; iam diximus naturas vniuersales non esse à parte rei à singularibus separatas, sed solum per intellectum.

His quæstionibus addit quartam D. Thom. opusc. 56. an scilicet vniuersale sit substantia, vel accidens, cui responderet; vniuersale pro formali semper esse accidens rationis, pro materiali verò aliquando esse substantiam, & aliquando accidens.



## CAPVT PRIMVM.

### DE G E N E R E.

**I**n his Porphy. capitibus, & in aliis Arist. lib. adducemus breuem quandam textus summam, aliquibus (si opus fuerit) notationibus illustratam; vt cognita litera, fructuosius ad dispositiones procedamus. Oportet tamen textum ipsum, & præcipuè Arist. verum atque verum perlegere, ad quem penetrandum, semper adhibendus est D. Thom. qui extitit Arist. fidelissimus, & Interpres, & Discipulus, & quo sublato, vt rectè dicit Picus Mirandulanus, mutus maneret Aristoteles.

### S V M M A T E X T V S

1. **C**Apus hoc duas continet partes; in priori enumerat Porphy. tres generis acceptiones; in posteriori verò definit genus in tertia acceptione, & definitionem traditam probat esse rectam. In prima ergo parte genus primò sumitur pro collectione multorum, qui inter se sunt cognatione coniuncti; quo sensu, eos qui ab Hercule deriuati sunt; Heraclidarum genus appellamus. ¶ Secundo sumitur genus pro principio generationis, quod quis trahit à patre, vel à patria; quo sensu Orestes à Tantalos qui fuit eius atauus, & Pindarus à Thebis, quæ fuit, eius patria, genus duxisse dicuntur: dat enim vt, pater, sic patria cuique ortus initium. Quarum acceptionum secunda est magis propria, & ex ea deriuatur prima. Idèd enim multitudo aliquorum appellatur genus: quia ab aliquo vno deriuati sunt. ¶ Tertio sumitur genus pro eo, cui supponuntur species, quod appellat Porphy. genus Philosophorum, id est, Logicum.

In Secunda parte, relictis prioribus acceptionibus, definit genus in tertia dicens: *Genus est, quod de pluribus differentibus specie hoc ipso quid*

est predicatur, vel iuxta translationem Perionij; cum, quid res sit queritur, vel in eo quod quid, ut transfert Boëtius. Quam definitionem probat esse rectam: quia per illam particulam, de pluribus, differt genus ab individuo, quod

de vno tantum predicatur; per illam *differentibus specie*, differt ab specie, quæ predicatur differentibus numero: & tandem per illam, in eo quod quid, differt à tribus aliis predicabilibus, quæ predicantur in quale.



## NOTATIONES, ET DVBIA

*aliqua circa textum.*



**I**RCA primam partem capituli notandum est Porphyrum non enumerasse omnes acceptiones generis: constat enim à Grammaticis distingui genus masculinum, femininum, & neutrum, à Rhetoribus, demonstratiuum, deliberatiuum, & iudiciale, & à Iurisperitis, sæpiissime sumitur pro specie, ut testatur Petrus Gregorius lib. 1. in syntaxim artis mirabilis cap. 8. qua etiam acceptione vsus est Arist. in lib. de Longitudine, & breuitate vitæ dicens: hominum genus longiorem vitam ducere equotum genere; eiusdemque meminit D. Thom. 1. 2. quæst. 18. art. 2. Solum ergo Porphyrum enumerauit eas acceptiones, quæ cum genere Dialectico aliquam habeant similitudinem; ac pròinde conducere poterant ad illud cognoscendum; Desumpit autem eas ex Arist. 5. Metaph. cap. 28. vbi eadem generis acceptiones enumerat, quarum longiorem explicationem qui cupit, legat Caietan. Sotum, Tolet. Matium, & illos Commentatores.

Circa secundam partem capituli explicandæ erant particulæ definitionis, præcipue vltimæ; sed hoc commodius fiet in disputatione. Nunc verò.

4. **D**VBITATUR circa methodum, quam Porphyrius obseruat, agens prius de genere, deinde verò de specie, differentia, & cæteris. In hoc dubio complectemur omnia quæ de methodo circa vnumquodque predicabile solent à Doctoribus dubitari, ne eadem sæpius repetamus. Inquitimus ergo? an ordo, & methodus, quam Porphyrius obseruat in tradendis predicabilibus sit optima.

Et videtur quod non. Primò, quia in præmio promittit se acturum prius de differentia quàm de specie, quod tamen modò non seruat: ego vel errauit promittendo, vel non seruando promissum. ¶ Secundò, quia differentia est nobilior genere, sicut actus est nobilior potentia: ergo est prior illo: cum nobiliora sint priora; ac pròinde de illa prius agendum erat. \* Tertio, quia prius agendum est de parte quàm de toto, sed differentia est pars speciei: ergo prius agendum erat de differentia, quàm de specie. ¶ Quarto tandem: quia à facilioribus est incipiendum; sed accidentia communia sunt faciliora: ut potè sensibus nota; ergo ab accidente debebat Porphy. incipere; & ex consequenti non rectam seruauit methodum.

Pro huius solutione primò recolenda sunt quæ supra ad calcem disputationis primæ diximus, de variis speciebus methodi. Vbi ex Arist. ostendimus, methodum compositionis præcipue duobus primis modis, scilicet, quando proceditur à simplicioribus ad composita, & ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia aptiorem esse, ad tradendas disciplinas; ad quam etiam methodum pertinet quando proceditur à causa ad effectum, ut ibidem diximus.

5. Secundò, sciendum est ex Aristotele in postpredicamentis, quod aliquid esse prius alio contingit tripliciter. Primò prioritate temporis, quomodo pater est prior filio. Secundò prioritate naturæ,

quando scilicet natura vnius est prior natura alterius, & hac prioritate est prius illud, à quo non valet consequentia; ut superiora respectu inferiorum. Qua etiam prioritate causa est prior effectui, ut ibidem notat Arist. Tertiò modo aliquid dicitur prius dignitate; quo sensu honorabiles, & præpositos solemus appellare priores.

Igitur de prioritate temporis non est in præsentis sermo: quia nihil conducit ad methodum scientiarum: & propter eandem rationem prioritas dignitatis relinquenda est: nam præterquam quod impropiissime dicitur prioritas, ut ibidem ait Aristot. parum etiam conducit ad methodum, maximè sit compositionis, de qua nunc loquimur. Vnde sola prioritas naturæ potest in præsentis deservire.

6 Quo supposito, dicendum est methodum à Porphyrio obseruatam, fuisse optimam. Ita sentiunt concorditer Doctores. Et probatur ratione manifesta: quia methodus compositionis aptior est ad tradendas disciplinas, ut ex Aristotele ostendimus loco citato: sed hanc seruauit Porphy. ferè in omnibus predicabilibus: ergo methodus eius optima est. Probatur minor: quia imprimis substantia est prior naturæ accidenti, ex Aristotele 7. Metaphys. cap. 1. ut potè, quæ habet rationem causæ respectu illius: ergo iuxta methodum compositionis prius agendum est de illis predicabilibus, quæ significantur per modum substantiæ, quàm de illis quæ significantur per modum accidentis. In accidentibus verò propria passio immediatius tangit essentiam, quàm accidens commune: ergo iuxta rectam methodum quinto, & vltimo loco agendum est de accidente communi, & ante ipsum, scilicet, quarto loco, de proprio. Similiter inter predicabilia essentialia, priora sunt quæ significantur in quid, seu per modum substantiæ, quàm quæ significantur, ut quale, seu per modum alteri adiacentis, qualis est differentia: ergo de hac agendum est tertio loco. Iam verò inter genus, & speciem manifestum est prius de illo, quàm de ista agendum esse; nam in genere concurrunt duo illi modi principales methodi impositionis: cum sit simplicius, & vniuersalius specie; est etiam prius natura, quàm illa: siquidem à genere ad speciem non valet consequentia; ergo optima methodo ordinata sunt omnia predicabilia.

Diximus Porphyrum ferè in omnibus predicabilibus seruasse methodum compositionis: quia licet species aliquo modo sit prior differentia, quatenus illa significatur in quid, ista verò in quale, ex qua parte dici possit Porphy. seruasse methodum compositionis: dum prius de specie, quàm de differentia egit; absolute tamen loquendo in hoc seruauit methodum arbitrariam: nam iuxta methodum compositionis, prius agendum erat de differentia, quæ est simplicior specie, & habet rationem partis respectu eius: quando autem duo se impediunt intra idem genus methodi, vrendum est methodo arbitraria, ut vidimus loco citato.

7. Dices



7. Dices : ergo Porph. in hoc casu securus Methodum arbitrariam præmisit regulas artis : siquidem talis methodus est voluntaria ; & per consequens non rectè processit. ¶ Respondetur , tantum abesse , methodum arbitrariam esse ignobiliorem aliis , vel extra artem , ut potius sit perfectissima , & magis ad mentem artis. Sicut enim virtus epikæ non solum non est contra iustitiam , sed potius est summa iustitia : quia licet corrigat verba legis contrarium præcipientis , est tamen iuxta mentem Legislatoris in casu quo datur propter particulares circumstantias occurrentes , quas si Legislator aduerteret , proculdubio præciperet oppositum : sic similiter in præsentis methodus arbitraria corrigit alias propter particulares rationes , quæ occurrunt : quia tunc ipsa ars dicat sequendam esse talem methodum relictis aliis ; ac proinde in tali casu methodus arbitraria , non solum non est contra , sed magis ad mentem artis.

Propter quas autem rationes , seu causas Porphyrii relictæ methodo compositionis , usus sit arbitraria , agens prius de specie , quam de differentia , explicant Doctores cap. de specie. Aliquas non attingemus hic ubi semel de methodo huius libri disputauerimus. ¶ Primam tradunt Beatus Albert. & Boët. quia scilicet genus , & species sunt correlatiua , & sic vnius perfecta notitia ab alterius cognitione dependet , vnde incongruum esset hæc duo prædicabilia disiungere. ¶ Secundam tradunt alij : quia videlicet cap. de genere facta fuerat mentio speciei : & ita oportuit statim de specie disputare , ne diutius suspensi teneremur. ¶ Tertia potest esse : quia liber hic ordinatur ad categorias construendas , in quibus per se , & in recta linea ponuntur genera , & species , non verò differentia , proprium , aut accidens. Vnde æquum fuit prius de specie , quam de differentia disputare. Aliæ rationes videri possunt apud Mal. cap. de specie.

8. Ad argumenta respondetur. Ad primum Porphyrii in proœmio ordinasse prædicabilia iuxta methodum compositionis , ut doceret hanc regulariter sequendam esse in tradenda disciplina ; postea verò inuertit illam , & utitur methodo arbitraria : agens prius de specie ; ut ostenderet primam methodum quandoque relinquendam esse , quando scilicet sic rationes occurrentes suadent.

Ad secundum respondetur differentiam esse priorem genere , dignitate , non verò naturâ. Prioritas autem dignitatis parum refert ad methodum , maximè quando opponitur prioritati naturæ , ut contingit in præsentis ; nam genus est prius naturâ differentia ; siquidem ab illo ad eam non valet consequentia.

Ad tertium respondetur à parte ad totam procedi methodo compositionis , id autem non est necessarium in methodo arbitraria , quam in hoc casu Porphyrius obseruauit.

Ad quartum respondetur non semper nos incipere à facilibus , ut patet in scientiis , in quibus addiscendis incipimus à Logica , quæ est illis difficilior , ut docet Diuus Thomas , opuscul. 70. quæstione sexta , articulo primo , ad tertium. Præterquam quod accidentia sunt faciliora cognitione sensus : sed cognitione intellectus , vniuersaliora sunt faciliora , ut docet Aristoteles primo Physicorum capite primo.



## DISPUTATIO V.

De genere , primo prædicabili.



¶ VAMVIS plura , quæ communia sunt quinque prædicabilibus , discussa sint in præcedentibus ; nonnulla tamen alia , quæ circa modum definiendi illa , & circa definita , & definitiones eorum solent controuerti , in hunc locum remisimus. Quia licet in rei veritate generalia sint omnibus , ea tamen tractant Doctores , circa definitionem generis ; vnde potest facile doctrina aliis prædicabilibus applicari. Ut ergo communia hæc , & alia , quæ sunt propria , melius explicemus , ante omnia sit.

### QVÆSTIO I.

An definitio generis à Porphyrio tradita , sit bona , Et utrum sit essentialis , vel descriptiua.

Circa primum , Laurent. Valla , ut testantur Louanienfes in hoc capite , quos citat Mal. hic scilicet. 1. q. 2. reiecit , & impugnat hanc definitionem. Contra quam sic potest obijci.

Primo : quia quidquid definitur , debet esse species , ex Arist. 7. Meta. text. 39. sed genus non est species , sed potius aliud prædicabile condistinctum ab specie : ergo genus non potest definiri.

Respondebis genus esse speciem vniuersalis , & hac ratione posse definiri.

¶ Sed contra quia hæc definitio conuenit generi in quantum genus , sed genus in quantum genus non est species : ergo non definitur genus in quantum species , & per consequens non potest definiri hac definitione.

Confirmatur : quia quod definitur debet constare genere , & differentia : sed generis non datur aliud genus : aliàs istius etiam daretur aliud genus , & sic in infinitum : ergo genus non potest definiri.

Secundo quia tota hæc definitio conuenit definitioni , & tamen definitio non est genus ; sicut nec vniuersale , ut supra dictum est : ergo conuenit aliis à definito. Probatior maior : quia definitio animalis , scilicet viuens sensibile , prædicatur de pluribus differentibus specie , nempe de homine , & equo , & prædicatur in eo quod quid : Nam quærenti quid est homo ? sicut rectè respondemus : est animal , ita rectè etiam respondemus : est viuens sensibile.

Confirmatur : quia etiam ens prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid : siquidem dicitur de homine , & equo in quæstione , quid res est , ut patet : & tamen non est genus , ut testatur Aristot. tertio Metaphys. capite 3. ergo , &c. & idem argumentum fit de anima respectu vegetatiuæ , sensitiuæ , & rationalis : ergo hæc definitio conuenit aliis à definito.

Tercio : quia secundæ substantiæ significant quale quid , ex Aristotel. capite de substantia : sed genera sunt secundæ substantiæ , ut ibidem etiam docet Philosophus : ergo significant quale quid , & consequens , nec genus prædicatur in eo quod quid , nec per hoc differt à differentia.

Quarto ; quia etiam differentia prædicatur in eo quod

quod quid : ergo , dato quod hoc conueniat generi , adhuc nihil est in eius definitione , per quod distinguatur à differentia. Probatur antecedens : quia perfectiorem modum essendi consequitur perfectior modus prædicandi : sed differentia habet perfectiorem modum essendi , quàm genus : cum illa habeat rationem actus , istud verò rationem potentie : ergo perfectior modus prædicandi debetur differentie potius , quàm generi. Cum autem perfectius sit prædicari in quid , quàm in quale , planè videretur sequi , differentiam prædicari in quid.

11. Prima conclusio. Definitio generis à Porphyro tradita , scilicet genus est , quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid , recta est. Tradit eam Aristoteles eisdem verbis libro primo Topicorum capite quarto , & libro quarto , capite 1. & 2. & 5. Metaphys. cap. 28. Quam etiam admittit Diuus Thomas opusculo 48. tractatu primo , capite secundo , & in secundo distincto. 34. quæstione prima , articulo 2. ad 1. recipiuntque concorditer Dialectici. Et merito : nam hæc definitio non solum seruat communes leges bonæ definitionis ; siquidem nihil habet superfluum , aut diminutum ; & traditur per notiora definito : exprimitque aliud , quod habet rationem generis , & aliud , quod est differentia ; sed etiam seruat speciales leges definiendi concretæ accidentalium : dum traditur per subiectum loco generis. Quæ omnia manifestè constabunt ex dicendis. Ergo vndèquaque perfecta est prædicta definitio. Vnde solum restat verba eius explicare.

Et quidem primum illud relatiuum , *quod* , non esse idem quod vniuersale , aut aliud concretum superius ad genus , sed significare subiectum , seu naturam denominatam , quæ ponitur loco generis in hac definitione , infra latè ostendemus. Cæteræ omnes particule ponuntur loco differentie , & exprimunt peculiarem modum , quo genus prædicatur de inferioribus , seu prædicabilitatem , quæ est propria passio generis. Quia tamen priores particule sunt manifestæ : vltima solum est explicanda , scilicet *in eo quod quid* , tam pro hac definitione , quàm pro definitionibus aliorum prædicabilium.

12. Quod ut fiat , notanda est distinctio horum relatiuorum , *quid* & *quale* , prout ad præsens attinet. Nam *ly* , *quid* , est relatiuum substantiuum , seu absolutum ; & ita significat per modum substantie , seu per se stantis : sed *ly* , *quale* , est relatiuum adiectiuum , seu connotatiuum , & ita significat per modum accidentis , seu alteri adiacentis. Ex quo fit quod ad interrogationem *quid est hoc* , respondemus nominibus substantiuis , videlicet generis , vel speciei : quia hæc sensum significant per modum substantie , & per se stantis. Ad quæstionem verò *quale est hoc* , respondemus nominibus adiectiuis scilicet differentie propriæ , & accidentis : hæc enim tria significantur per modum accidentis , seu alteri adiacentis. Licet non eodem modo : nam differentia , quæ ratione pertinet ad substantiam , seu essentiam rei , non omnino significatur , ut quale ; & quæ ratione exprimitur per modum alteri adiacentis , non omnino significatur , ut quid ; & ideo dicimus differentiam significari , ut quale quid. Per quod denotatur differentiam , quantum ad rem significatam , esse de substantia , seu essentia rei ; ex modo tamen significandi sumi ut accidens , seu adiacens ipsi rei. At verò proprium , & accidens : quia tam quoad rem significantem , quàm quoad modum significandi sunt extrà essentiam rei : ideo omnino significantur in quale.

Ex quo tandem fit genus , & speciem prædicari omnino in quid proprium , & accidens omnino in quale : differentiam verò medio modo nempe in quale quid. De discrimine propriæ , & accidentis suo loco dicemus. De genere verò , & specie satis ex supra dictis constat. Cum enim genus sit quid essentialiter perfectibile , necessariò continet sub se plures species ; & ita prædicatur in quid de pluribus differentibus specie. Species verò cum sit quid vltimò in essentia perfectum , & constitutum , non potest sub se continere plura essentialiter distincta , sed tantum materialiter , & numericè ; scilicet indiuidua ; & sic prædicatur in quid de pluribus differentibus numero. Per quod non solum remanet perspicua definitio generis , hinc à Porphyro tradita ; sed aliæ etiam , quas de aliis prædicabilibus tradit capitibus sequentibus. Videantur D. Th. opuscul. 48. tract. 1. cap. 3. & 4. ubi tradit totam hanc doctrinam.

13. Ad argumenta respondetur. Ad primum , quod quidquid definitur debet esse species , ut *quod* , & denominatiue , id est , debet esse talis natura , ut possit denominari à secunda intentione speciei : & hoc est quod docet Aristoteles. Et in hoc sensu genus verè est species , ut supra explicatum est. Nec contra hoc urget replica argumenti : nam etiam genus , in quantum genus , est *quod* , & denominatiue species.

Ad confirmationem respondetur negando minorem. Quomodo enim solum datur vnicum genus , ut *quo* , & essentialiter , nempe intentio constitutiva primi prædicabilis : naturæ tamen , seu gradus , qui denominantur ab hac intentione , sunt plures , & vnus potest esse genus respectu alterius : ut animal respectu hominis , viuens respectu animalis , & sic de aliis generibus subalternis , in quibus tamen non proceditur in infinitum , sed peruenitur ad supremum genus substantie , quod non potest propriè definiri : quia non habet supra se aliud genus , per quod definatur. Et idem proportionabiliter contingit in secunda intentione generis , & aliis entibus rationis.

Ad secundum , simul cum confirmatione respondetur : *definitionem* , *ens* , aut alia analogæ , & *animam* , aut alia incompleta , propterea non esse propriè genera : quia non sunt simpliciter vniuersalia : & ita formaliter loquendo non excluduntur ab hac definitione per particulas , quæ in ea habent rationem differentie ; sed per illud relatiuum *quod* , positum loco generis. Significat enim genus , quæ ratione est vniuersale , debere esse naturam quandam simpliciter vnā , & per consequens vniuocam , per quod excluditur analogum : completam , per quod excluditur pars , & incomplexè significatam , per quod excluditur definitio , ut magis explicuimus supra disputatione 3.

14. Ad tertium respondetur , ex doctrina Diui Thomæ 7. Metaphysic. lect. 13. ubi explicat eadem verba Arist. quod sicut omnis forma dicitur qualitas materie , quia in illa reciditur , & quasi sustentatur ; ita etiam in quacumque propositione prædicatum dicitur qualitas subiecti , quatenus habet rationem forme respectu illius , eique quodammodo adiacet. In quo generali sensu dixit Aristot. primas substantias significare hoc aliquid , secundas verò quale quid. Id est , primæ substantie ( scilicet indiuidua , seu supposita ) semper habent rationem materie , & subiecti respectu secundarum : secundæ verò ( scilicet genera , & species ) semper habent rationem forme , & prædicati respectu primarum ; quod non tollit , quominus secundæ substantie prædicentur per modum per se stantis , seu in eo quod quid ; sicut in

In præsentī sumitur, ut per se patet.

Ad confirmationem respondetur differentiam habere quidem perfectiorem modum essendi, quàm genus secundum se; non verò prout concipitur, & significatur à nobis: qui illam apprehendimus, ad modum accidentis, seu qualitatis adiacentis generi: genus verò ad modum substantiæ, seu subiecti recipientis illam. Unde quia modus prædicandi sequitur modum essendi, non secundum se, sed mediante modo cognoscendi, inde fit, genus habere perfectiorem modum prædicandi, quàm differentiam.

13. ¶ Superest secunda pars difficultatis, in qua Scot. hic quæst. 14. & 15. & discipuli eius, quos sequitur Hurtado hic disput. 4. sect. 1. existimant definitionem istam esse essentialē. Quorum fundamentum est: quia obiectum formale huius tractatus non est vniuersale, sed prædicabile. Ergo hic consideratur genus formaliter quatenus est prædicabile. Cum autem genus quatenus prædicabile definiatur essentialiter per prædicationem, quæ est proprius actus prædicabilitatis, planè videtur sequi definitionem istam esse essentialē.

Secunda conclusio. Hæc definitio non est essentialis, sed descriptiua. Ita docent Porphy. in hoc cap. Beatus Albertus tract. 3. prædicabilem cap. 14. & D. Thom. opusc. 48. tract. 1. cap. 2. quem sequuntur Sotus quæst. vnica huius cap. 5. ultimo. Tolet. quæstione 2. Mal. sect. 1. quæst. 4. Rub. quæst. 3. & plures alij, quos refert, & sequitur Gallego hic controuersia 13. ¶ Ratio est manifesta ex disputatione præcedenti: nam prædicabilitas de pluribus est passio vniuersalis ut sic: siquidem ex eo quod vniuersale sit in pluribus, nascitur quod de illis prædicetur: ergo talis prædicabilitas, scilicet de pluribus differentibus specie in quid, erit passio talis vniuersalis, nempe generis. Et per consequens definitio, quæ traditur per illam erit descriptiua. Nec in hoc oportet amplius immorari.

Ad argumentum responderut falso niti fundamentum: non enim prædicabile, sed vniuersale est obiectum huius libri, ut diximus in præmio Porphy. & docet D. Thom. opusc. citato. Ratio est manifesta: nam vniuersale, & prædicabile considerantur per se in hoc libro, & illud se habet tanquam essentia, istud verò tanquam propria passio: ergo in hoc libro agitur de vniuersali tanquam de obiecto, de prædicabili verò, tanquam de passione, quæ de tali obiecto demonstratur. Quæ autem sit propria, & essentialis definitio generis, tam in concreto, quàm in abstracto, explicari non potest, nisi præmissa difficultate sequenti.

## Q V Æ S T I O I I.

*Quomodo definiantur, tam concreta, quàm abstracta accidentium.*

16. **A**D rectè formandam definitionem generis; & aliorum prædicabilium, pluraque alia, quæ inde dependent cognoscenda, præmittere oportuit hanc quæstionem. In qua, relictis variis sententiis, proponenda, est & ex professo explicanda ars definiendi accidentia, quam Aristot. & D. Thom. tradiderunt & perpetuè obseruauerunt. Ut enim bene inquit Arist. 7. Metaph. text. 1. *Oportet ut non lateat, quomodo ipsum quid erat esse, & ratio sit: nam absque hoc querere, nihil est facere.* Id est oportet scire, quomodo definiendum sit, hoc enim ignorato, aliud querere est nihil facere.

¶ Pro huius ergo explicatione omnino recolenda est doctrina, quam ex eodem Aristotel. & Diu.

Thom. tradidimus disputatione præcedenti num. 16. ubi ostendimus concreta, & abstracta accidentium eandem prorsus rem significare, solumque distinguui ex parte modi significandi, quatenus abstractum significat formam quasi per se stantem, & ab alio separatam, & ex consequenti puram, & impermixtam: concretum verò significat eandem formam quasi alteri adiacentem, & per consequens connotat subiectum, tanquam id cui inhaeret forma, & in quo exercetur effectus formalis eius, ut magis explicauimus loco citato.

17. Ex qua doctrina plura inferuntur ad præsentem quæstionem omnino necessaria. Primum enim sequitur, quod concretum licet quoad rem significatam sit ens per se, sicut abstractum; ex modo tamen significandi sumitur ut ens per accidens, & de illo loquimur, ut de ente per accidens. Cuius ratio est, quia ex D. Th. terigimus loco citato: quia scilicet nomina non significant res absolute, & secundum se: *Nec modus significandi* (inquit D. Thom. 7. Metaph. lect. 11.) *consequitur immediatè modum essendi rerum, sed mediante modo intelligendi: quia intellectus sunt similitudines rerum; voces autem intellectum, ut dicitur 1. peribet.* Unde in ipsis nominibus modus significandi potior, & immediatior est, quam res significata, plusquam ad illum attendimus, & propterea de concretis accidentalibus loquimur, ac de entibus per accidens. Quod non contingit in abstractis: quia tam quoad rem significatam, quàm quoad modum significandi sunt entia, ut per se explicatum est.

Secundò sequitur, accidentia in abstracto tantum significata posse propriè, & rigorosè definirì. His enim tantum attribuit intellectus intentiones generum, & specierum, ut optimè notauit D. Thom. de ente, & essentia, cap. 7. & opusc. 41. cap. 19. ¶ Ratio autem ex dictis est manifesta. Cum enim definiamus res, ut nominibus significantur: ad hoc quod aliquid possit propriè definirì, non solum requiritur, quod in se sit ens per se; sed etiam quod significetur per modum entis per se. Quod tamen non habent concreta accidentium, sed eorum abstracta, ut vidimus: ergo hæc tantum possunt propriè definirì.

18. Cæterum, quia concreta ista non omnino sunt entia per accidens, sicut est aceruus lapidum, aut alia huiusmodi: non omnino excluduntur à definitione, sed possunt, & sciunt quodammodo definirì. Et ita Arist. sæpè ea definit, ut patet in definitionibus vniuersalis, quas supra ex ipso retulimus, per quem etiam modum Porphy. definiuit hæc quinque prædicabilia. Et tandem D. Th. ex eodem Arist. sæpè tradit modum definiendi huiusmodi concreta, ut postea videbimus; ergo possunt aliquo modo definirì.

De huiusmodi tamen definitionibus idem semper debet esse iudicium, ac de earum definitis: ita ut quemadmodum concreta accidentium ex modo significandi censentur entia per accidens, nec suscipiunt denominationem generis, aut speciei, nec ponuntur in lineis prædicamentorum, nisi per reductionem, ut inquit D. Th. locis citatis, in quantum scilicet, reducuntur ad sua abstracta: eodem prorsus modo, definitiones accidentium in concreto, prout sic, non censentur simpliciter, & absolute definitiones, nec in eis inueniuntur propriæ, & rigorosæ definitionis conditiones, ut postea videbimus; sed sunt definitiones per reductionem, in quantum scilicet, reducuntur ad definitiones abstractorum quæ seruant leges propriæ, & rigorosæ definitionis.

19. ¶ Hæc autem doctrina eo magis notanda est, quod plures propter eius considerationem in arte definiendi accidentia allucinantur, nec penetrant definitiones, quas de his prædicabilibus tradit

K 4 Porphy.

Porphy. aliisque plures, quas de concretis accidentium tam realium, quam rationis, tradit sæpè Aristot. Vt ergo doctrina hæc plenius percipiat, aptum exemplum habemus, libro 3. institutionum capite 6. ubi de reductione syllogismorum imperfectorum ad perfectos egimus. Quemadmodum enim syllogismus imperfectus non omnino excluditur à ratione syllogismi, quamvis non ita immediate, & à se habeat vim inferendi conclusionem, sed virtute syllogismi perfecti, quem in se quodammodo imbibit, & ad quem si reducat, facta aliqua conuersione, aut transpositione præmissarum, fit syllogismus perfectus, ut ibidem explicuimus: ita similiter definitio concreti non omnino excluditur à vera ratione definitionis, quamvis non ita immediate, aut à se habeat explicare essentiam, sed ratione definitionis abstracti, quam in se virtualiter continet, & ad quam reduci potest, facta transpositione terminorum. Vt enim postea explicabimus ex eisdem terminis, qui ponuntur in definitione concreti, formatur definitio abstracti transmutando illos: ita ut terminus, qui in vna definitione habebat locum generis, in alia habeat locum differentie, & è contra. Quod pro nunc sufficiat explicare exemplo ab Arist. & D. Th. toties repetito: *simus* enim definitur quod sit *nasus curuus*. Vbi *nasus* ponitur loco generis, & *curuus* loco differentie: *simitas* verò definitur, quod sit *curuitas nasi*, vbi *curuitas* ponitur loco generis, & *nasus* loco differentie.

20. In quibus definitionibus perspicimus imperfectionem vnius, & perfectionem alterius; si aduertamus, quod in definitione concreti, scilicet, *simi*, ponuntur in recto res diversorum prædicamentorum; si quidem *nasus* significat substantiam, & *curuitas* qualitatē; quod tamen est contra rationem perfectæ definitionis, in qua (si sit essentialis, de qua nunc loquimur,) genus, & differentia necessarii pertinent ad idem prædicamentum, ut de se patet. Quia imperfectione caret definitio abstracti, nempe *similitatis*; quamvis enim ibi subiectum, scilicet, *nasus*, ponatur loco differentie: ponitur tamen in obliquo: ut detur intelligi subiectum non esse propriam differentiam limitatis, sed id vnde sumitur propria eius differentia; seu per ordinem ad quod constituitur in ratione limitatis. Vnde talis differentia significata per subiectum in obliquo positum, est intra idem prædicamentum cum suo genere, scilicet *curuitate*, & sic ex utroque constituitur perfecta definitio limitatis.

Maneat ergo ex hæcenus dictis, quod sicut concretum, & abstractum in re significata nullatenus differunt, sed tantum ex modo significandi; sic eorum definitiones in re definita omnino conueniunt, eandemque rem explicant; differunt tamen tanquam perfectum, & imperfectum in modo definiendi, & explicandi talem rem. Quando enim definitum significatur in abstracto, aptum est, ut illi assignetur genus, & differentia intra proprium prædicamentum, sic perfecte definiatur. Quando verò significatur in concreto quia habet modum entis per accidens, solum potest habere imperfectam definitionem. Quæ idè traditur per terminos diversorum prædicamentorum: quia huiusmodi definitionibus sic explicatur ipsa natura accidentis, ut simul etiam ostendatur, id, in quo exercetur definitio, seu effectus formalis accidentis, nempe subiectum, quod pertinet ad diuersum prædicamentum, ut patet.

21. His circa definitiones accidentium generaliter, sed necessariò, prælibatis specialiter inuestigandæ sunt leges ad illa, tam in concreto, quam abstracto definienda. Circa quod Arist. lib. 7. Metaph. text. 4. iuxta translationem antiquam sic ait: *Substantia omnium primum est ratio, & notitia, & tempore. Ra-*

*tiōne: quia necesse est vniuersæque ratione, substantia rationem esse, &c.* Quæ verba exponens D. Thom. lect. 1. inquit: *Substantia est prima inter omnia entia secundum definitionem, & secundum cognitionem, & secundum tempus. Quod si prima secundum definitionem, patet: quia in definitione cuiuslibet accidentis, oportet ponere definitionem substantia: sicut enim in definitione simi ponitur nasus, ita in definitione cuiuslibet accidentis ponitur proprium eius subiectum. Cuius rationem ex eodem Aristotel. reddit infra lect. 4. Quia substantia, qua habet quidditatem absolutam non dependet in sua quidditate ex alio; ita ut oporteat exteriori essentiam in eius definitione poni. Accidentia verò non habent esse nisi per hoc, quod insunt subiecto. Et idè eorum quidditas est dependens à subiecto, & per hoc oportet, quod subiectum in definitione accidentis ponatur, quandoque quidem in recto, quandoque verò in obliquo. In recto quidem, quando accidens significatur in concretionem ad subiectum, ut cum dico, *simus* est *nasus curuus*. Vbi prolequitur doctrinam suprà insinuatam.*

Quam adhuc magis explicat de sensu, & sensato lect. 6. ubi Aristotel. iuxta hanc legem inuestigat definitionem coloris. Quod ut explicet D. Thom. subdit: *Est autem considerandum quod semper oportet, subiectum ponere in definitione accidentis: ut dicitur 7. Metaphysica. Differenter tamen: nam si accidens definiatur in abstracto, subiectum ponitur loco differentie: id autem quod pertinet ad genus accidentis ponitur loco generis: ut cum dicitur, *simitas* est *curuitas nasi*. Cum autem accidens definiatur in concreto, è conuerso subiectum ponitur loco generis: sicut cum dicitur, *simus* est *nasus curuus*. Quia ergo hic color definiendus est in abstracto, primò incipit inuestigare id, quod est essentialiter ipse color. Idem repetit opuscul. 46. capite 1. & opuscul. 42. cap. 19. & quæstione 3. de veritate art. 7. ad 2.*

22. Quæ autem sit huius inuersionis ratio, & quare in definitione concreti subiectum ponatur ut genus; in definitione verò abstracti, ut differentia, ostendit elegantè Angelicus Doctor. 1. 2. quæstione 53. articulo 2. ad 3. ratione desumpta ex diuerso modo significandi veriusque suprà explicato, in hunc modum: *Quocumque modo significetur accidens, habet dependentiam ad subiectum, secundum suam rationem. Aliter tamen, & aliter, nam accidens significatum in abstracto importat habitudinem ad subiectum, qua incipit ab accidente, & terminatur ad subiectum: nam albedo dicitur, qua aliquid est album: & idè in definitione accidentis in abstracto non ponitur subiectum quasi prima pars definitionis, qua est genus: sed quasi secunda, qua est differentia: dicimus enim, quod *simitas* est *curuitas nasi*. Sed in concretis incipit habitudo à subiecto, & terminatur ad accidens: dicitur enim album, quod habet albedinem. Propter quod in definitione huiusmodi accidentis, ponitur subiectum tanquam genus, quod est prima pars definitionis: dicimus enim quod *simus* est *nasus curuus*.*

Aliam rationem huius veritatis adducit S. Doctor loco citato, ex septimo Metaphysicæ, ubi post verba iam adducta subdit. *Nasus ponitur in definitione simi tanquam genus, ad designandum, quod accidentia non habent substantiam nisi ex subiecto.* Cum enim genus in quacumque definitione significetur ut per se stans, & omnino in quid, differentia verò ut quid illi adiacens, seu in quale quid, concretum autem ex modo significandi (qui in omnibus potior est) supponat pro subiecto, quod substat formæ significatæ: indè est, quod in definitione concreti debet poni subiectum, ut per se stans, & substantans formæ significatæ, & per consequens ut genus; sic enim designatur quod acciden-

accidentia non subsistunt nisi ratione subiecti.

Tertiam tandem rationem ponit. D. Th. c. ultimo de ente & essentia. Vbi loquens de accidentibus ait: *E contrario esset, si eorum definitio sumeretur in concreto: sic enim subiectum poneretur sicut genus: quia tunc definirantur per modum substantiarum compositarum, in quibus ratio generis sumitur à materia.* Vbi D. Tho. eo quod concreta ex modo significandi censeantur composita ex subiecto, & accidente, ut supra explicuimus, infert, definienda esse ad eum modum, quo definiuntur substantiæ compositæ, seu corporeæ, in quibus, ut infra ostendemus, genus sumitur à materia, cuius vicem gerit subiectum in accidentibus. Sed huius rationis vis ex ibi dicendis melius percipietur.

43 ¶ Ex his omnibus perspicua remanet ars definiendi accidentia, & generalis regula pro utroque genere definitionum. Quod scilicet, tunc propriè, perfectè, & essentialiter definitur accidens in abstracto, quando ponitur pro genere prædicatum, seu gradus superior, qui inuenitur in essentia talis accidentis, & loco differentiarum proprium eius subiectum in obliquo significatum. Tunc verò accidens in concreto propriè, & essentialiter (eo modo quo definiri posse diximus) definitur, si è contra, loco generis ponatur proprium eius subiectum in recto, & loco differentiarum gradus ille superior in recto, & adiectiuè significatus, ut in exemplo toties à Diu. Thom. repetito constat.

Quare tunc melius definiens quæcumque accidentia, quando iuxta hanc regulam, quoad fieri possit, eorum definitiones texuerimus. Tuncque consequenter aliud penetrabimus definitiones ab Aristot. Porphy. & D. Thom. traditas, quando iuxta regulam ab ipsis præscriptam illas explicauerimus. Nec in hoc est amplius immorandum. Videri tamen possunt Comment. & Metaph. Comment. 17. Sonc. ib. q. 6. qui optimè explicant hanc Aristot. & D. Th. doctrinam. Quibus etiam consentiunt Caiet. de ente, & essentia, cap. 7. quæst. 15. in fine, Ferrar. 1. contra gentes. cap. 30. & lib. 3. cap. 7. Zancardus 7. Metaphysic. q. 1. Scotus in 4. dist. 12. & Canterus in prædicabilibus c. de accidente, ubi addit: sic semper definisse antiquiores Philosophos.

24 ¶ Hic oportebat explicare quid intelligatur per subiectum proprium accidentis: an scilicet sola substantia? an verò aliquid aliud. Si enim solam substantiam appellamus subiectum, nullo modo poni poterit pro differentia alicuius accidentis: cum sit commune omnium subiectum. Iam verò si intelligitur aliquid aliud cuilibet accidenti correspondens, incredibile videtur omne accidens habere proprium subiectum, à subiecto alterius accidentis distinctum; ex quo ambigua satis, & difficilis redditur regula statuta. Sed de hoc commodiori loco acturi sumus inf. à q. 6 generaliter inuestigantes, à quo sumatur genus, & differentia, &c. de accidente explicantes differentiam inter propriam passionem, & accidens commune.

Interim tenendum est ut certum, cuilibet accidenti correspondere proprium subiectum, seu principium à quo causetur; sicut est certum omne accidens dependere à substantia. ¶ Et ratio Metaphysica est: quia actus, & potentia ita intimè, & essentialiter sibi correspondent ut repugnet in rebus naturalibus dari aliquam potentiam, quæ per se non respiciat aliquem actum, per quem constituatur, & definatur. Ut sumitur ex Arist. 9. Metaph. text. 13. & probat optimè contra Scotum, Caiet. tom. 3. opuscul. tract. 3. q. 1. ergo è contra similiter repugnabit dari aliquem actum in rebus naturalibus, cui per se non correspondeat aliqua potentia, per ordinem ad quam cognoscatur, & definatur. Sed omne accidens est actus quidam se-

cundum quid, ut patet: ergo unicuique etiam suo modo correspondebit propria potentia, seu subiectum per quod definiatur.

25 Confirmatur: quia nullum potest dare accidens naturale, quod ab aliquo gradu generico, specifico, vel indiuiduali substantiæ non procedat: ergo quodlibet accidens habet intra substantiam causam adæquatam sui. Eadem autem est causa efficiens, & materialis accidentis: ergo sicut habet causam adæquatam à qua emanet; ita etiam habebit adæquatam materiam, seu subiectum in quo sit. Quod si ab eodem gradu substantiæ, plura accidentia sæpè oriuntur, semper id fiet cum aliquo ordine, & dependentia. Unde sicut substantia simul cum primo accidente habet rationem principij adæquari respectu secundi accidentis; ita etiam habet rationem propriij subiecti. Ex quo tandem fit quodlibet accidens habere proprium subiectum, per quod possit definiri. Per quod patet ad rationem dubitandi.

Quia tamen propria principia accidentium non semper sunt nobis nota; imò sæpius ea ignoramus; inde fit, ut non semper possimus dictam regulam obseruare in definitionibus accidentium, sed cogamur aliundè quærere eorum differentias, scilicet ex effectibus, vel proprietatibus eorum. Quod etiam notauit D. Th. loco citato de ente, & essentia, ubi post verba adducta subdit: *Sed quia propria principia accidentium non semper sunt manifesta; idèò quandoque sumimus differentias accidentium ex eorum effectibus. Sicut congregatum, & disgregatum, dicuntur differentia coloris: quia causantur ex abundantia, vel paucitate lucis, ex qua diuersæ species coloris causantur.* Hæc tamen ignorantia nostra, non præiudicat veritati generalis regulæ, imò etiam amplius confirmat, ut de se patet.

26 ¶ Contra illam tamen est difficile argumentum: quia genus in qualibet definitione est, id, in quod definitum conuenit cum aliis, differentia verò, per quod differt ab illis: sed impossibile est in eadem re definitum conuenire cum aliis, & differre ab illis; ergo impossibile est, quod tam gradus superior, quàm etiam subiectum, ponantur ut genus in vna definitione; & ut differentia in alia. Si enim *curuitas*, verbi gratia, est quid superius respectu *limitatis*, ut potè quæ comprehendit sub se alias curuitates; & propterea ponitur, ut genus in definitione limitatis; ergo fieri non potest, quod in definitione *limitatis*, ponatur loco differentiarum. Et idem argumentum fit de subiecto, scilicet de naso, ut consideranti patebit.

Hoc argumentum primo aspectu apparet difficile, & habet proculdubio vim apud eos, qui concedunt concreta accidentia esse propriè genera, & species, possèque propriè definiri. Sed in contraria doctrina Diu. Thom. quam supr. num. 17. statuimus, facillè responderetur, quod quia definitio abstracti est propriè, & simpliciter definitio, idèò in ea ponitur pro genere, quod propriè est genus definiti, & pro differentia, quod propriè est differentia eius, & ita seruantur ibi leges perfectæ, & rigorosæ definitionis. Ac verò in definitione concreti, cum secundum quid tantum, & impropriè sit definitio, sufficit poni, quæ secundum quid, & impropriè habent rationem generis, & differentiarum. Non autem repugnat, ut id quod in vna definitione est simpliciter differentia, in alia sit secundum quid genus, & è contra, respectu diuersarum rerum. Cuius ratio est: quia potest, & solet contingere, ut id, quod in vna coordinatione, aut diuisione est superius, & diuisum respectu aliquorum, in alia coordinatione, aut diuisione sit inferius, & membrum diuidens respectu vnus illorum; ut patet manifesto exemplo. Quando enim diuisione accidentis



in subiecta, diuiditur album in hominem, & equum, ibi *album* est diuifum, & fuperius ad hominem, & equum, quæ funt membra diuidentia: fi verò é contra, diuifione fubieâi in accidentia, diuidatur homo in album, & nigrum; iam *homo* fit diuifum, & fuperius refpectu albi: & idè quauis *album* fecundùm fe latius pateat, quàm homo, tamen formaliter, vt eft membrum diuidens, in hac diuifione, non extenditur vltra diuifum; & fic poteft eſſe differentia per quam homines albi diſtinguantur à nigris. Sic etiam in prima diuifione, quauis *homo* fecundùm fe fit quid commune albis, & nigris; tamen formaliter vt eft membrum diuidens refpectu *albi*, non extenditur vltra illud: & conſequenter, proptè fic ſolùm diſtinguitur ab equo albo.

27. Ad hunc ergo modum contingit in his definitionibus: quando enim definitur accidens in abstracto, conuenientia fit cum rebus eiusdem generis. & ita poteſt poni pro genere, quod propriè, & ſimpliciter eſt genus; & pro differentia, quod propriè eſt differentia intra illud genus, vt patet quando definitur ſimitas, quod fit curuitas naſi: tunc enim *ſimitas*, conuenit in *curuitate*, cum figuris eiusdem generis, ſcilicet, cum *gibofitate*, *criſpitudine*, & ſimilibus; differt verò ab illis, per hoc quod ipſa eſt curuitas talis partis, ſcilicet *naſi*, aliæ verò ſunt curuitates, *ſcapularum*, & *capillorum*. Sed quando definitur accidens in concreto, conuenientia fit per aliam lineam, nempe cum rebus diuerſi generis, in hoc tantùm quod inſunt eidem ſubiecto: & ita pro genere ponitur ipſum ſubiectum, in quo conueniunt, & pro differentia id, quod pertinet ad proprium genus vniufcuiusque, vt patet quando definitur *ſimas*, tunc enim *ſimitas* conuenit cum *rectitudine*, aut *aquilinitate*, quæ ſunt figuræ diuerſi generis, in hoc quod inſunt eidem ſubiecto, ſcilicet, *naſo*, & diſtinguitur per id, quod pertinet ad proprium genus, ſcilicet, per curuitatem aut rectitudinem: & ita definitur rectè ſimas per naſum loco generis, & per curuitatem loco differentie.

## D V B I U M A P P E N D I X.

*An accidens in concreto, rectè etiam definiatur per concretum ſuperius loco generis.*

28. **P**reſens dubium præcipuè procedit, quando ignoratur proprium ſubiectum accidentis, & definitur per ſuum effectum formalem, aut paſſionem. Et ita inquirimus: an ſicut hæc eſt exacta definitio albedinis, *Albedo eſt color diſgregatiuus viſus*: ita etiam ſit hæc, *Album eſt coloratum diſgregatiuum viſus*.

Quidam Doctores moderni cenſent non ſolùm illam definitionem eſſe exactam, ſed etiam perfectiorem illa, quæ traditur per ſubiectum.

Quod probant primò: quia connotatiuum tantùm ſignificat formam, licet connotet ſubiectum: ergò in eius definitione potiùs ſeruandus eſt modus, quo forma ipſa in abstracto definitur, ſeruata ſemper connotatione. Sed forma in abstracto definitur per ſuum genus: (albedo enim per colorem definitur, non per corpus) ergò connotatiuum nempe album potiùs debet defini per connotatiuum genericum, ſcilicet coloratum.

Secundò: quia hæc eſt perfecta definitio albedinis, albedo eſt color diſgregatiuus viſus: ergò hæc erit perfecta definitio albi, album eſt coloratum diſgregatiuum viſus. Probatur conſequentia: quia ſicut ſe habet genus in abstracto ad formam in abstracto

definitum: ita genus in concreto ad formam in concreto.

Tertiò: quia aliquando ſubiectum accidentis non eſt vniuocum: ergò ſaltem tunc non poterit accidens defini per illud loco generis. Antecedens patet in natura, quæ eſt ſubiectum genericitatis, & aliarum intentionum, ſub qua comprehenduntur naturæ reales, & rationis, & omnia prædicamenta, quibus tamen nihil poteſt dari commune vniuocum.

29. Vera tamen reſolutio eſt, quod ſeruata proprietate concreti accidentalis, & proprio modo ſignificandi, & definiendi, quem exigit, quatenùs tale eſt, nunquam rectè definitur per concretum, ſeu connotatiuum ſuperius loco generis. Vnde quando proprium ſubiectum accidentis non eſt notum, & idè definitur per ſuum effectum formalem, aut paſſionem, ponendum eſt pro genere ſubiectum concreti ſuperioris, & non ipſum concretum ſuperius v. g. ſupponamus ſubiectum coloris eſſe perſpicuum: & proprium ſubiectum albedinis non eſſe nobis notum, & idè definiendam eſſe per eius effectum, nempe diſgregare viſum: tunc quidem aſſerimus hanc eſſe exactam definitionem albi: *Album eſt perſpicuum diſgregatiuum viſus*, non autem illam, *album eſt coloratum diſgregatiuum viſus*.

Fundamentum planè conſtat ex dictis: cùm enim ſubiectum neceſſariò debeat intrare definitionem accidentis, vt ex Ariſt. & D. Thom. vidimus: aliundè autem in definitione concreti non poſſit poni loco differentie, manifeſtum ſit debere poni pro genere.

¶ Præterquam quod iam idem eſſet modus ſignificandi, & definiendi concreti, & abstracti, & vtriuſque definitio eſſet æquè perfecta in ratione definitionis, & vtrumque æquè propriè collocaretur in prædicamento; quæ omnia aliena ſunt à vera doctrina D. Thomæ.

¶ Adde connotatiuum, quando prædicatur vt tale, ſemper ſignificari, & prædicari, in *quale*: ergo non poteſt in definitione habere locum generis, cuius proprium eſt prædicari omninò in *quid*.

30. Tandem id conuincit modus definiendi, quem perpetuò obſeruauit Ariſt. vt patet in definitionibus vniuerſalis quas ex ipſo adduximus ſup. diſp. 3. nu. 47. in quarum nulla, poſuit pro genere *unum*, aut ſimile concretum ſuperius, ſed relatiuum illud *quod* exprimens naturam, ſeu ſubiectum. Quod etiam obſeruauit 5. Metaph. definiens, *diuerſum*, *different*, *ſimile*, *contrarium*, *quantum terminum*, *totum*, & ſimilia concreta: & lib. 1. Top. definiens, *genus*, *proprium*, & *accidens*, à quo acceperunt iſtum modum definiendi Porphy. D. Th. & quotquot rectè calluerunt attem definiendi: ergo aliter ſentientes non ſunt audiendi in Scola Ariſt. & D. Thom.

Diximus: *Seruata proprietate concreti, & proprio modo ſignificandi, quem exigit, &c.* Quia ſi concretum non ſumatur propriè, vt concretum eſt, ſed tantùm, attendatur in eo res ſignificata, tunc ſicut remanet per quod diſtinguatur ab abstracto; ita eadem erit vtriuſque definitio, & per conſequenter erit dicere: albedo eſt color diſgregatiuus viſus, & album eſt coloratum diſgregatiuum viſus. Sed hoc eſt abuti terminis, & omnia confundere, vt per ſe patet.

31. Ad argumenta reſponderetur. Ad primum, quod licet connotatiuum ſignificet ſolam formam, ſicut abstractum; in modo tamen illam ſignificandi valdè differunt, & quodammodo opponuntur, vt ex D. Thoma vidimus nu. 21. Quare cum definitio concreti non ſolùm correfpondeat rei ſignificatæ, ſed etiam proprio modo ſignificandi eius: manifeſtum ſit non poſſe eodem modo vtrumque defini. Vnde  
argu

argumentum potius probat oppositum : nam eo ipso quod in definitione debeat retineri connotatio, cum hæc non sit in definitione abstracti, debent diuerso modo definiti.

¶ Ad hæc: argumentum se ipsum destruit: si enim in definitione concreti, non solum explicatur forma, sed etiam connotatio eius: ergo necessarium debet poni in definitione subiectum. Repugnat enim quod explicetur connotatio, aut res connotans: quatenus talis absque re connotata, quæ in præsentia est subiectum.

Ad secundum negatur consequentia : imò potius cum Arist. & D. Th. inferendum erat oppositum : si quidem contrario modo debet procedi in utraque definitione. Ad probationem negatur paritas : cum enim res definiantur secundum quod significantur nominibus, & modus significandi concreti, & abstracti sit valde diuersus, & oppositus, quamuis res significata sit eadem : indè est, ut modus illa definiendi debeat esse diuersus, & oppositus.

32. Ad tertium respondetur non esse necessarium, quod subiectum ponendum loco generis in definitionibus generis, & aliarum intentionum, sit vniuocum. Et explicabimus infra quæst. 4.

¶ Tandem, antequam ad definitionem generis, vnde egressi sumus, reuertamur, ut primum principium statuendum est de secundis intentionibus proportionabili modo philosophandum esse, ac de accidentibus realibus : habent enim se respectu rerum, quas denominant, ad modum accidentium, per quem etiam modum de illis definitiones tradimus, fingimus diuisiones, & argumentationes fabricamus. Quæ regula sublata auferre etiam oportet totius Logicæ principia, & ex consequenti scientias. Quare eadem erit differentia inter abstracta, & concreta secundarum intentionum; eodemque modo eorum definitiones inuestigabuntur; sicut in accidentibus realibus. Iuxta quam regulam Arist. lib. 1. Perih. definit *orationem, nomen, verbum*, & alias huiusmodi intentiones De quo videri potest D. Th. ib. lect. 4. circa definitionem nominis.

### Q V Æ S T I O III.

*Quod sit definitum in definitione generis, & generaliter in definitionibus aliorum prædicabilium, quando definiuntur in concreto.*

33. Quamuis ex dictis difficultate præcedenti, facile solui posset quæstio præsens: ut tamen aliorum sententias discutiamus, eam oportet pertractare. Quam Dialectici mouent circa definitionem generis; ut indè applicetur doctrina aliis prædicabilibus; imò, & aliis concretis accidentalibus, quibus generalis est.

Ut autem status difficultatis explicetur; notandum est cum nostro Did. à Iesu hic dist. 6. quæst. 1. in genere quinque posse considerari. Primum est ipsa natura denominata secundum suam entitatem realem. Secundum est genericitas ipsa, sed secunda intentio secundum se. Tertium est aggregatum, seu compositum ex utraque: ita ut tam naturam, quam intentionem ex æquo includat. Quartum est ipsa natura non secundum se; sed ut connotat intentionem: ita ut natura principaliter, & quasi in recto sumatur, secunda verò intentio solum in obliquo, & de connotato. Quintum tandem è contra est ipsa secunda intentio, non secundum se, sed ut connotat naturam: ita ut intentio principaliter, & in recto sumatur; natura verò solum in obliquo, & de connotato.

34. Ut ergo certa ab incertis separemus, certum in primis debet esse, naturam denominatam, verbi

gratia, *animal*, secundum suam entitatem realem, non esse definitum in definitione generis. Cuius ratio est euidens: quia iam propria definitio conueniret accidentaliter suo definito, quod est contra lumen ipsum rationis; siquidem nihil est alicui magis intrinsecum, & essenziale, quam sua propria definitio.

¶ Quod autem id sequatur, patet: quia sicut hæc prædicationes, *animal est genus: homo est species*, similes sunt accidentales, & in materia contingenti: ita etiam istæ, *animal prædicatur de pluribus differentiis: species: homo prædicatur de pluribus differentiis numero*, &c. in quibus tamen prædicationibus prædicatur definitio generis, & aliorum prædicabilium de natura secundum suam entitatem, ut patet: ergo si natura prout sic esset definitum, iam definitio conueniret contingenter suo definito.

Secundò etiam certum est, secundam intentionem generis secundum se, & ut præscindit à natura, non esse definitum in hac definit. Ratio est: quia a intentio generis prout sic necessarium significatur in abstracto, ut patet: sed forma in abstracto significata non potest esse definitum in definito sui concreti: siquidem neque concretum, neque definitio eius prædicantur de suo abstracto, ut diximus disp. præced. ergo 2. intentio generis secundum se, ut præscindit à natura, non potest esse definitum in definito eius. Vnde solum restat difficultas de aliis tribus acceptionibus generis, iuxta quas sunt variae sententiæ.

35. Prima asserit definitum esse aggregatum, seu compositum ex natura, & secunda intentione; ita ut utrumque directè definiatur, scilicet natura, ut *quod*, & secunda intentio, ut *quo*. Sic defendit Caber hinc tract. 3. disp. 2. dub. 1. & videtur esse mens Rubij cap. de Genere q. 2. quatenus ait completum definitum huius definitionis coalescere ex utroque scilicet ex natura, & ex secunda intentione tanquam ex subiecto, & forma.

Probat primò hæc sententia ex dicto illo Auicennæ, quod Logica tractat de secundis intentionibus adiunctis primis: ergo coniunctum, seu compositum ex primis, & secundis intentionibus erit definitum quod Logicus explicat per hanc definitionem.

Secundò: quia illud definitum in aliqua definitione, cui per se conuenit talis definitio, & cum quo recipitur: sed compositum ex natura, & secunda intentione est huiusmodi: ergo est definitum in definitione generis.

Prob. minor: quia secundæ intentioni generis essentialiter conuenit esse id *quo*, seu ratione cuius natura prædicatur de pluribus, & naturæ prout denominatur à secunda intentione essentialiter conuenit esse id, *quod*, prædicatur: ergo utrumque directè, & per se definitur, natura ut *quod*; intentio verò ut *quo*.

36. Secunda intentio asserit definitam esse naturam, ut connotat secundam intentionem; ita ut principaliter, & in recto definiatur ipsa natura: secunda verò intentio quasi de connotato, & in obliquo. Hæc videtur esse sententia Tolari, & aliorum, quos citat Omnia q. 1. vniuersalium art. 1. quam nouissimè defendit Raphaël de Auerfa q. 8. Logic. sect. 1.

¶ Potestque probari 1. quia Porphy. in hoc cap. & Arist. 1. Top. c. 4. post traditam definitionem generis, statim subiungunt, *ut animal*, &c. ergo ipsa natura est, quæ principaliter, & in recto definitur,

Secundò: quia natura ut subiicitur intentioni, & non intentio ipsa est, quæ prædicatur de pluribus differentiis specie: ergo natura ut in obliquo connotat intentionem, non verò intentio ipsa in recto est definitum in hac definitione. Consequentia patet. Antecedens verò probatur: quia secunda intentio non prædicatur de multis, sed solum est ratio quare natura prædicetur

Tertiò

Tertiò : concretum accidentale supponit pro subiecto: ergo genus supponit pro natura: ergo natura est quæ definitur. Consequentia videntur notæ, Antecedens verò probatur : quia actiones, & passionis non tribuntur formis, sed suppositis; albedo enim non disgregat visum, sed album: nec forma generatur, sed compositum.

37. Tertia sententia docet definitum in definitione generis esse secundam intentionem, ut connotat naturam, seu in concreto significatam; ita ut ipsa secunda intentio sit res definita, natura verò connotetur ex modo definiti. Sic docent communiter Thomistæ. Caiet in hoc cap. de Ente, & Essentia cap. 9. Araux. lib. 3. Metaph. qu. 4. art. 2. Sot. in hoc c. q. vnic. concl. 1. Sanch. lib. 3. q. 3. noster Didac. à Iesu dist. 6. q. 1. Galleg. contron. 12. & plures alij, quos adducit, & sequitur Mas. hic scilicet. 1. q. 3.

In explicatione autem huius sententiæ variant aliquo modo Thomistæ: nam Caiet. Sanch. & Mas. asserere videntur ipsam entitatem secundæ intentionis esse definitum *quod*: cui consequenter, ut *quod*, convenit prædicari de pluribus differentibus specie, quod ad longum explicat Sanch. Hunc tamen modum dicendi relicto inter alios Sot. ubi supra concl. 2. docens quod sicut quando album definitur esse disgregatum visum, licet res, quæ definitur, sit albedo, non tamen definitur tanquam quod disgregat, sed tanquam ratio disgregandi; ita similiter in definitione generis, licet res quæ definitur sit ipsa entitas secundæ intentionis, non tamen definitur tanquam id, quod prædicatur tanquam ratio, quare naturæ prædicentur, ut magis infra explicabimus.

38. Prima conclusio. Definitum in definitione generis, nec est aggregatum, seu conflatum ex natura, & secunda intentione; nec natura ipsa ut subiicitur secundæ intentioni. In hac concl. conveniunt Auctores tertiæ sententiæ. Et prima eius pars sumitur ex D. Th. cap. 6. de Ente, & Essentia. Ex cuius doctrina.

Probatur primò: quia compositum ex accidente, & subiecto, non potest unica definitione defini; cum sit aggregatum ex rebus diversorum prædicamentorum; & per consequens ens per accidens, iuxta ea, quæ diximus supra dist. 3. num. 11. sed compositum ex natura, & secunda intentione est huiusmodi, siquidem constat ex ente reali, & rationis: ergo non potest unica definitione defini.

Secundò probatur argumento quo sup. n. 34. utebatur: quia si natura esset pars principalis definiti, seu definitum *quod*, ut ait prima sententia; iam definitio conveniret accidentaliter saltem vni parti definiti, seu definito *quod*; hoc autem est impossibile, ut patet ex Aristot. 1. Poster. cap. 4. asserente definitionem, & partes eius prædicari de definito in primo modo dicendi per se, scilicet essentialiter: ergo repugnat naturam esse definitum *quod* in hac definitione.

39. Huic argumento respondet Rub. loco citato, in genere, & quolibet alio concreto accidentali posse distingui duplex substratum, seu subiectum; aliud proximum, adæquatum, & per se, ut ipse loquitur, aliud verò remotum, inadæquatum, & per accidens. De primo inquit essentialiter prædicari concretum: hæc enim est prædicatio essentialis, *Corpus in quantum albedinis substratum, album est*. De secundo verò concludit concretum prædicari accidentaliter, hæc enim est accidentaliter: *Paries est album*.

Sed contrà: quia quavis in quolibet concreto distingui possit subiectum adæquatum, & inadæquatum (ut respectu coloris subiectum adæquatum est perspicuum terminatum; tale verò perspicuum, nempe *nix*, aut *paries* est subiectum adæquatum, & similiter respectu genericitatis subiectum adæquatum est natura per-

fectibilis: talis verò natura nempe *animal*, aut *quantitas* est subiectum inadæquatum, nunquam tamen concretum accidentale potest essentialiter prædicari de subiecto siue adæquato, siue inadæquato; quantumvis ratio subiecti reduplicetur. Vnde prædicatio illa, *Corpus in quantum albedinis subiectum, est album*: est omnino accidentaliter.

¶ Quod sic manifestè probatur: quia quantumcunque subiectum consideretur in quantum subiectum, semper manet, ut pars compositi accidentalis: ergo semper altera pars scilicet forma, manet extra essentiam talis subiecti: ergo accidentaliter tantum potest de illo prædicari.

40. Confirmatur, quia iam prædicationes in quibus propriæ passionis in concreto significatæ prædicantur de propria essentia, quæ est adæquatum earum subiectum, ut *Homo est visibilis: equus est inanimabilis*, & similes essent essentialiter, quod tamen inauditum est in Dialectica, quantumvis ratio subiecti in illis reduplicetur dicendo: *Homo in quantum est visibilis*, vel *homo in quantum subiectum visibilitatis est visibilis*: ergo similiter quantumcunque reduplicetur; dicendo: *Corpus in quantum subiectum albedinis est album*; vel *natura perfectibilis in quantum genericitatis est genus*, semper manet propositio accidentaliter, ac pròinde natura etiam, ut est subiectum adæquatum genericitatis, non poterit esse pars principalis definiti huius definitionis.

Eadem ratione convincitur secunda pars conclusionis. Sic enim subiectum cuiuscunque concreti quantumvis sumatur formaliter ut subiectum, seu ut subiicitur formæ, semper manet extra essentiam ipsius formæ: ergo quantumvis natura sumatur formaliter, ut subiicitur secundæ intentioni, semper secunda intentio manebit extra essentiam naturæ, & per consequens hæc erit prædicatio accidentaliter: *Natura in quantum subiicitur intentioni est genus*.

Ratio autem utriusque est: quia reduplicaciones istæ: *in quantum subiectum, in quantum subiicitur*, & similes, non reduplicant aliquid pertinens ad ipsam formam, sed quid pertinens ad subiectum, seu naturam, nempe subiectionem, capacitatem, seu potentiam passivam ad recipiendam talem formam, quæ subiectio, capacitas, aut potentia semper manent extra essentiam formæ: ergo naturæ etiam reduplicariuè, in quantum subiicitur, accidentaliter convenit esse genus & prædicari de pluribus, & per consequens ipsa provt sic non potest esse definitum in definitione generis.

41. ¶ Hic autem observandum venit reduplicaciones istas in quibus de subiecto alicuius formæ reduplicatur subiectio, seu capacitas ad illam formam, ut est illa adducta, *Corpus in quantum subiectum albedinis est album*, & similes, inanes esse, & vanas.

¶ Ratio est manifesta: nam ex vi prædicationis subiectum subiicitur prædicato, & recipit illud ratione capacitatis, seu potentie passivæ, quam habet ad ipsum recipiendum: ergo idem est dicere, *Corpus in quantum subiicitur albedini est album*, ac dicere, *Corpus est album*, & ex consequenti impertinenter reduplicatur illa subiectio in ipso subiecto.

Per quod excluditur solutio aliorum recentiorum, qui ut argumentum à nobis factum dissolvant, dicunt quod natura potest considerari formaliter, ut *habens* secundam intent. & illi formaliter quatenus *habens est*, convenit essentialiter definitio.

42. Sed hæc etiam reduplicatio est manifestum effugium: nam vel per ly, *in quantum habens*, reduplicatur potentia passiva naturæ, in qua intelligimus quasi recipi genericitatem, & sic iam constat, quod genericitas manet omnino extra essentiam talis naturæ; sicut omnis

Omnis actus, aut forma præcipue accidentalis, est extra essentiam potentie receptivæ eius.

Vel reduplicatur aliqua alia secunda intentio, aut forma rationis, per quam natura quasi disponatur, & fiat ultimo apta ad recipiendam genericitatem, & hoc in primis est absurdum: nam ea ratione qua ad recipiendam genericitatem requireretur in natura alia secunda intentio: ad hanc etiam requireretur alia, & sic in infinitum. Sed dato quod talis secunda intentio, aut forma rationis esset necessaria in natura: ut reciperet genericitatem, adhuc genericitas esset accidentalis naturæ sic ultimo dispositæ.

Cuius ratio est evidens: quia quæcumque dispositio est extra essentiam formæ ad quam disponit: sed talis intentio, aut ens rationis compararetur ad genericitatem, ut dispositio ad formam: ergo esset extra essentiam genericitatis; & per consequens genericitas erit accidentalis naturæ, quantumvis dispositæ ad illam recipiendam.

Vel tertio, per *ly inquantum habens*, reduplicatur aliqua unio rationis, qua genericitas actu coniungatur naturæ, & neque hoc etiam facit genericitatem convenire essentialiter naturæ: nam dato quod inter formam rationis, & subiectum eius, daretur aliqua unio, aut nexus medius, (quod est omnino vanum) talis unio esset accidentalis, ut patet: ergo ex vi illius genericitas non posset esse essentialis naturæ.

Vel tandem per illam particulam reduplicatur aliquid essentialiter pertinens ad ipsam genericitatem, & tunc libenter fatemur prædicationem esse essentialem: quia commune est prædicationibus accidentalibus fieri essentielles facta reduplicatione supra formam; ut quando dicimus, homo inquantum albus est disgregatius; animal inquantum genus est univertale, &c. sed tunc prædicatum appellat supra ipsam formam, ac proinde ipsa erit definitum huius definitionis, non verò natura, quod intendimus.

41. Secunda conclusio. Definitum in definitione generis, est secunda intentio in concreto significata, seu ut connotat naturam, ita quod intentio ipsa sit res definita, natura verò connotetur ex modo definiendi. In hac etiam conclusionem conveniunt Auctores tertie sententiæ, & breuiter probatur: quia hic definitur aliquid commune entibus realibus, & rationis; siquidem in utrisque reperiuntur genera, & species, ut patet: sed nihil potest esse illis commune nisi secunda intentio: ergo ipsa sola res, quæ definitur.

Confirmatur primò: quia definitio generis, & aliorum prædicabilium sunt proprie Logice: ergo in illis solum definitur id, quod per se pertinet ad Logicam: hoc autem est secunda intentio: ergo, &c.

¶ Confirmatur secundò: quia definitiones istæ dantur per subiectum loco generis, ut sup. diximus, & constabit amplius qu. seq. ergo definitum illarum est 2. intentio in concreto significata. Patet consequ. quia iste est modus proprius definiendi concreta accidentium, ut ostendimus n. 23.

44. Tertia concl. Quamvis sola 2. intentio sit res definita in his definitis, quia verò ex modo significandi connotatur natura tanquam id, in quo exercetur definitio: ideo ipsi entitati 2. inten. secundum se, non convenit definitio ut *quod*; sed, tantum ut *quo*; ex modo tamen quo significatur in concreto, supponit pro natura, cui ut *quod* convenit definitio. Hæc concl. est contra Caiet. & Sanch. sup. citatos, eam tamen defendit inter alios Sot. ibidem adductus, qui merito addit: *Quod quicumque aliud dixerit non est audiendus in schola Arist.* Colligiturque manifestè ex dictis quæst. præced. & docet proculdubio eam D. Tho. c. 4. de Ente, & Essentia circa finem.

Colleg. Compl. Logica,

Fundamentum est: quia res definiuntur secundum quod significantur per nomina: sed nomen concretum in accidentibus significat solam formam, & connotat, seu supponit pro subiecto: ergo quando definitur accidens significatum in concreto, sola forma est definitum, cum tamen fiat connotatio, & suppositio pro subiecto, tanquam in quo exercetur talis definitio, ergo definitio quæ totum hoc involuit, solum potest convenire formæ, ut *quo*, seu tanquam rationi, qua subiectum denominatur tale ut *quod*.

Confirmat, quia id quod proprie loquendo est definitum in aliqua definitione, est res significata per nomen definiti; quod verò involuitur ex modo significandi, non pertinet proprie ad definitum: sed ad modum definiendi: ergo proprie loquendo sola secunda intentio est res definita, seu quæ explicatur in his definitionibus: quamvis ex modo definiendi simul innuatur naturam esse id, cui, ut *quod* convenit definitio, & id quo exercetur effectus formalis secundæ intentionis; & ex consequenti huiusmodi definitiones non possunt convenire ipsi secundæ intentioni secundum se, nisi tantum ut *quo*.

Dices: definitio debet convenire ut *quod* suo definito, & non tantum ut *quo*: cum definitio prædicetur in recto de definito: ergo secunda intentio non potest esse definitum in definitione generis, aut aliorum prædicabilium; siquidem non convenit illi, ut *quod* prædicari de pluribus.

Ad hoc argument. imprimis resp. absolute loquendo falsum esse, quod huiusmodi definitiones non habent definitum, cui conveniant ut *quod*, in illis enim definitur secunda intentio, non in abstracto, sed in concreto significata: cui ut sic convenit ut *quod* definitio: nam licet genericitas, aut specificitas non prædicentur de pluribus, genus tamen, aut species verè prædicantur de pluribus, & sic absolute loquendo, datur definitum, cui conveniat ut *quod* definitio.

46. Quamvis autem hoc verum sit adhuc tamen non est omnino soluta difficultas: nam quod huiusmodi definitiones conveniant, ut secundæ intentioni significatæ in concreto, non provenit ex ipsa entitate secundæ intentionis, quæ est res significata per tale nomen, sed ex modo significandi, secundum quem nomen supponit pro natura: sed sola res significata est proprie definitum, non verò res, pro qua concretum supponit, ut dictum est. Ergo iam secundæ intentioni præcisè secundum id, secundum quod est definitum, non potest convenire, ut *quod* definitio, sed tantum ut *quo*. Et sic perstat inconueniens argumenti.

Resp. ergo argumentum esse quidem difficile apud illos, qui huiusmodi definitiones concretorum à perfectione definitionis degenerare non advertunt; teneretur enim consequenter assignare aliquod definitum, cui ut *quod* conveniat definitio. Nos verò facile ex dictis respondemus, in definitione perfecta necessariò assignandum esse definitum, cui ut *quod* conveniat definitio: quia ibi solum explicatur natura definiti, & nihil aliud connotatur: ac proinde eadem res est quam significat, & pro qua supponit nomen definiti. At verò cum definitiones concretorum accidentalium degenerant à perfectione definitionis; propterea quod nomen concretum significat unam rem & supponit pro alia, ut supra n. 16. explicuimus: inde fit ut in huiusmodi definitionibus præter rem illam quæ est definitum, fiat suppositio pro re, in qua exercetur ipsa definitio, & per consequens quod tota definitio non possit convenire ut *quod* sed tantum ut *quo* ipsi rei, quæ definitur. Sic enim simul explicatur essentia accidentium, quæ tantum est esse principium

L quo

quo suorum effectuum: & innuitur tales effectus exerceri in subiectis eorum, qui est proprius modus definiendi concreta accidentium quatenus concreta sunt.

47 Ad argumenta in principio facta resp. ad primum, quod ut recte glossat Caiet. in hoc c. 2. ad ultimum, & nos explicuimus sup. circa Procem. Porphy. n. 1. dictum illud Aujc. *Logica tractat. de secundis intentionibus adiunctis primis*, non est sic intelligendum, ut ex æquo consideret utrasque, aut de aliquo ex utriusque aggregato sit, sed de intentionibus formaliter, & per se, de rebus verò materialiter, & denominatiue.

Ad secundum negatur minor. Ad cuius probationem resp. quodd ut definitio conueniret per se, & essentialiter toti illi aggregato, seu composito ex natura, & secunda intentione; necessarium, erat, quod sicut secundæ intentioni ratione sui conuenit essentialiter esse principium quo prædicamenti: sic ipsi naturæ ratione sui, & non ratione secundæ intentionis conueniret essentialiter esse id quod prædicatur, ut sic ex utraque componeretur integrum definitum; Cæterum qui asserit naturæ formaliter ut denominatur à secunda, intentione, conuenire essentialiter, prædicari ut quod; totum refundit in ipsam intentionem: & consequenter tenetur concedere illam solam esse definitum.

48. Ad primum argum. secundæ sententiæ respon. Porph. & Arist. statim post definitionem generis, subiunxisse exemplum in natura; ut ostendant in huiusmodi definitionibus ex modo definiendi fieri suppositionem pro subiecto, tanquam in quo exercetur definitio, ut explicatum est.

Ad secundum respon. quod licet natura sit id quod prædicatur de pluribus, hoc tamen conuenit illi accidentaliter etiam prout subiicitur secundæ intentioni, ut sup. ostendimus: & ideo natura etiam prout sic, non potest esse definitum. Benè autem secunda intentio, quamuis illa non prædicetur, ut quod; quia huiusmodi definitiones concretorum solum ut quo debent conuenire illi rei, quæ propriè est definitum, propter rationem paulò ante adductam.

Ad tertium, concessio antecedenti, & prima consequentia, neganda est secunda. Quamuis enim nomen concretum ex modo significandi supponat pro subiecto, sola tamen forma est res significata, & per consequens illa sola propriè loquendo, est definitum.

#### Q V Æ S T I O I V.

*Quid ponatur pro genere in definitione huius & aliorum prædicabilium, ubi etiam statuuntur essentielles eorum definitiones.*

49 Solutio etiam huius difficultatis magna ex parte constat ex dictis; eam tamen breuiter discutimus, ut contrariorum argumenta dissoluamus.

Conueniunt ergo plures DD. in hoc, quod in definitione generis, & aliorum prædicabilium, quando definiuntur in concreto, non debet poni loco generis subiectum, seu natura denominata, sed aliquod concretum superius ad illa: sicque dicunt intelligendas esse definitiones Porph.

Adhuc tamen diuisi sunt. Nam Louanien. Titelm. & alij, quos refert Mas. hic sect. 1. q. 5. dicunt genus in his definitionibus esse *uniuersale*, & ita sensum earum esse: genus est uniuersale, quod prædicatur de pluribus differentiis specie; species est uniuersale quod prædicatur de pluribus differentiis numero.

Caietan, verò Tolet. & Villal. in hoc c. dicunt loco generis poni *prædicabile*, quod putant exprimi in alia

particula, *quod prædicatur*, sensumque definitionum esse, genus est prædicabile de pluribus differentiis specie; species est prædicabile de pluribus differentiis numero.

Tandem Nigèr, & alij, quorum meminit Mas. ubi supra dicunt utrumque, scilicet *uniuersale & prædicabile*, posse habere locum generis; parumque referre siue vnum, siue alterum constituatur.

50. Propria vniuscuiusque sententiæ fundamenta facile quisque soluet: & idèd solum adducemus communia quibus probatur, non subiectum, sed concretum aliquod superius ponendum esse pro genere in his definitionibus. Quod suadetur primò: quia definitio essentialis, & quælibet eius pars, prædicatur essentialiter de definito, ut docet Arist. 1. Posterior. c. 4. sed subiectum, seu natura denominata in recto significata non prædicatur essentialiter de genere, aut aliis prædicabilibus: alias ens reale prædicaretur essentialiter de entibus rationis: ergo subiectum, seu natura denominata non potest poni in recto, seu pro genere in definitionibus illorum.

Confirmatur: quia definitio, & definitum sunt idem, ut docet ex Arist. D. Thom. 1. d. 25. q. 1. a. 1. ad 2. sed secunda intentio, quam diximus esse definitum in his definitionibus, non est idem quod subiectum, seu natura posita loco generis: ergo non est idem cum tota definitione.

Secundò probatur argumento suprà qu. 2. facto, cuius solutionem in hunc locum remisimus. Quia subiectum, seu natura, quæ denominatur à secunda intentione generis, aut aliorum prædicabilium, non est quid vniuocum respectu omnium subiectorum, aut naturarum, quæ possunt recipere tales intentiones; si quidem non solum in prædicamentis, sed etiam in entibus rationis inueniuntur genera, species, & aliæ similes intentiones, quibus tamen omnibus nihil potest esse vniuocè commune, ut patet: ergo subiectum, seu natura non debet poni pro genere in definitione generis, & aliorum prædicabilium.

51. Prima conclusio. Id quod ponitur loco generis in definitione generis, & aliorum prædicabilium, quando definiuntur in concreto, id est subiectum seu natura, eamque significat relatiuum illud, *quod* à Porph. positum. Hanc esse mentem. Arist. & D. Tho. euident est ex dictis q. 2. quos sequuntur inter alios Sone. 7. Metaph. q. 7. Zonard. ibidem q. 3. Paul. Vener. & lab. in hoc c. Mas. ubi su. qui addit auctoritate D. Thom. coniunctos grauissimos modernos illam profiteri: quam etiam defendunt Cap. hic d. 2. dub. 4. & Rub. quæst. 3. qui plures alios adducit.

Breuiter probabitur ex dictis, quia in definitionibus concretorum accidentalium, iam realium, quam rationis subiectum ponitur loco generis, non verò aliquod concretum superius, ut ostensum est loco citato: sed genus, species, & alia prædicabilia sic significata sunt concreta accidentalia rationis, ut omnes fatentur: ergo in eorum definitionibus subiectum ponitur loco generis. Sed subiectum horum accidentium est natura denominata: ergo illa ponenda est loco generis.

Quod autem hæc fuerit mens Porphy. colligit benè Rub. tum ex eo, quod Aristor. à quo ferè omnes istæ definitiones sumptæ sunt, sic consuevit definire huiusmodi concreta rationis, ut supra vidimus: tum etiam quia exponens Porph. definitionem generis expressè inquit indiuiduum excludi per illam particulam, *quod prædicatur de pluribus*, quod falsum esset, si *uniuersale* esset genus definitionis. Cum enim indiuiduum non sit uniuersale iam esset verbo *uniuersalis* exclusum, & per consequens superuaganeum esset illud rursus excludere per particulas, quæ se tenent



nent ex parte differentiarum, Imò etiam esset impossibile: nam propriè loquendo per differentiam definitionis definitum non distinguitur nisi ab illis cum quibus conuenit in genere, quod inconueniens cessat, si in illo relativo quod, subintelligatur natura, & sensus definitionis sit: genus est natura, quæ prædicatur de pluribus, &c. ut consideranti patebit. Manet ergo hanc esse legitimam eius intelligentiam.

§2. Secunda conclusio. Quando genericitas, & aliæ intentiones prædicabilium in abstracto significantur definiuntur, *universalitas* debet poni loco generis. Hæc assertio recipitur ab omnibus, estque ex dictis manifesta. Cum enim definitiones abstractorum accidentalium sint propriæ, & perfectæ definitiones, ut supra explicatum est; in eis ponitur pro genere id, quod est verè genus definiti: sed huiusmodi est *universalitas* respectu genericitatis, cæterarum intentionum, ut ostendimus disputatione quarta, numero quinquagesimo-octauo: ergo *universalitas* ponitur pro genere in definitionibus illarum.

¶ Hinc iam faciliè formari possunt essentielles definitiones harum quinque intentionum in abstracto. Si enim *universalitas*, est propriè genus earum, & differentiarum essentielles; per quas distinguuntur, sumendæ sunt ex propriis, & adæquatis earum subiectis, quæ explicamus loco citato, numero 48. sic iuxta regulam statutam essentialiter definiuntur: *Genericitas est universalitas natura perfectibilis, seu constitutibilis. Specieitas est universalitas natura perfectæ, seu constitutæ; Differentialeitas est universalitas natura perfectiua, seu constitutiua: Proprietateitas est universalitas natura profueris ab essentia: Accidentaleitas est universalitas natura extrinseca, seu contingentis.* Cum autem ex definitione abstracti formetur definitio concreti inuertendo terminos, hæc erit essentialis definitio generis. *Genus est natura perfectibilis universalis*; per quem etiam modum formantur essentielles definitiones aliorum prædicabilium, & sic omnia consonant. Unde etiam faciliè quisque intelliget, in quo deficient plures definitiones essentielles generis, quas tradunt alij, & refert Sanch. lib. 3. Logicæ quæst. 5. & ideò illas omittimus.

§3. Dices: quomodo *universalis* ponitur pro differentia in prædicta definitione essentiali generis; cum potius *universalis* sit prædicatum superius in quo conueniunt quinque prædicabilia. ¶ Hoc argumentum generaliter contra modum definiendi concreta accidentalia, soluimus suprà q. 2. & nunc denud obicimus, ut faciliè quisque sciat doctrinam illam communem his prædicabilibus applicare.

Respondetur ergo non esse inconueniens, ut id, quod in definitione genericitatis est propriè, & simpliciter genus; sit secundum quid differentia in definitione generis: quia propter diuersum modum significandi abstracti, & concreti sit conuenientia per diuersam lineam, & respectu diuersorum. Quando enim definitur genericitas, conuenientia fit secundum lineam, seu diuisionem essentialem: & per consequens cum intentionibus eiusdem generis, nempe cum specieitate, & aliis *universalitatibus*, & ita imponitur pro genere *universalitas*, quæ est verum genus illarum: & pro differentia, *natura perfectibilis*, unde sumitur vera differentia genericitatis. Quando verò definitur genus, conuenientia fit secundum lineam, seu diuisionem subiecti in accidentia, & per consequens cum intentionibus diuersi generis, nempe cum subiectibilitate, aut aliis, quæ possunt esse cum genericitate in eadem natura perfectibili, &

sic ponitur pro genere tale subiectum, in quo conueniunt, & pro differentia *universalis*: quia per illud distinguitur genus à subiectibili generico, & ita secundum quid habet rationem differentiarum, ut consideranti patebit.

§4. Ad argumenta responderetur. Ad primum, quod Aristot. dictum procedit de definitione, quæ simpliciter, & perfectè est definitio, & de partibus, quæ verè, & quoad rem significatam, sunt partes definitionis: hæc enim constituunt essentiam definiti; & per consequens de illo essentialiter prædicantur. Subiectum autem, seu natura denominata non ponitur in recto in definitione concreti: non quia prout sic sit vera pars eius: sed quia ex modo significandi concretum supponit pro subiecto, ut explicatum est, & ita non est necessarium, ut subiectum prædicetur essentialiter de definito.

Per quod patet ad confirmationem. Dicimus enim, definitionem quæ simpliciter, & perfectè est definitio: quia nihil aliud præstat nisi explicare essentiam definiti: nihil aliud continere nisi partes essentielles eius: & ita esse omninò idem cum definito. Definitionem verò, quæ ex modo significandi sic explicat essentiam definiti, ut simul etiam exprimat id, in quo exercetur talis definitio, continere aliquid aliud præter essentiam definiti, & ita ex hac parte non posse esse idem cum illo. Et hoc est, quod contingit in definitione generis, & aliorum concretorum accidentalium.

Ad secundum responderetur, quod quia in definitione concreti non ponitur ut genus, id quod est verè genus definiti: sed id pro quo concretum supponit, ut sæpè explicatum est: ideo non est necessarium, ut genus in definitione concreti supponat *universaliter* distributiue; sed potest supponere indeterminatè, & vagè pro vna, vel altera natura, abique eo quod detur aliquis gradus, seu conceptus illis *uniuocè* communis; & ita quantumque diuersæ sint naturæ, quæ denominantur à secundis intentionibus prædicabilium; adhuc natura potest habere rationem generis in definitionibus eorum. Definitionesque erunt legitime, quia supponunt indeterminatè pro qualibet natura ut, explicatum est.

§5. Dices: subiectum, quod ponitur in definitione accidentium realium, supponit *universaliter* distributiue, & est *uniuocum* respectu subiectorum inadæquatorum: ergo idem dicendum est de subiecto, quod ponitur in definitione accidentium rationis. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens verò præbatur: quia quando dicimus, album est perspicuum digregatiuum visus: vel simus est nasus curuus, ly *Perspicuum* & *nasus*, distributiue supponunt pro omnibus perspicuis, & nasibus; & sunt *uniuoca* respectu illorum, quod etiam patet in aliis exemplis.

Respondetur transeat antecedens: non enim pro nunc possumus examinare, quomodo subiectum adæquatum accidentis realis sit *uniuocum*, respectu subiectorum inadæquatorum. Hoc tamen dato, negatur consequentia: est enim quoad hoc inter accidentia realia, & rationis disparitas valde noranda: & consistit in hoc, quod subiectum respectu accidentium realium non est merè subiectum, sed habet etiam rationem principij, & caulæ, ut enim sup. num. 24. dicebamus, accidens reale habet intra substantiam principium adæquatam à quo caulatur, & hoc est eius subiectum proprium. Cum autem principium accidentis per aliquam vnā rationem constitutur in esse principij eius; consequens est, ut etiam per aliquam vnā rationem constitutur in esse subiecti talis accidentis; ac pròinde quod subiectum in eius definitione possit supponere distributiue, & esse

L 3 *uniuocum*

vniuocum ad omnia subiecta, in quibus reperitur tale accidens. At verò respectu accidentium rationis; cum non causentur in rebus ex principiis intrinsecis earum, sed à causa merè extrinseca, nempe ab intellectu; subiectum habet meram rationem subiecti, & sic non est necessarium quod in esse talis constituatur per aliquam rationem vniuocam, sed potest intellectus rebus quantumvis diuersis tribuere ista accidentia rationis. Ex quo tandem fit non esse necessarium, vt subiectum adæquatum eorum supponat distributiue, vel sit vniuocum, etiam si id reperiat in accidentibus realibus.

§ 6. In fine huius quæstionis, antequàm ad propria huius prædicabilis accedamus, vt ipsum, & alia comprehendamus, penetrésque quo tendant difficultates, quas deinceps de vnoquoque instituemus, & quo modo ad institutum Dialecticum pertineant; considerandum est, quòd cum plena notitia harum intentionum pendeat ex comprehensione propriæ definitionis: ex præcedentibus autem disputationibus satis constet, quid sit vniuersalitas, quæ est genus earum, solum restat penetrare propria subiecta, per quæ illas definiuimus. Quid scilicet sit natura perfectibilis, seu potentialis, quid natura perfectiua, siue actiua, &c. Et ad hoc ordinantur quæstiones deinceps instituendæ in his disputationibus, vt consideranti parebit, & sub hac ratione Dialecticus mouet illas.

### Q V Æ S T I O V.

*An natura generica prædicetur de speciebus, vt totum, vel vt pars, & quomodo continent differentias.*

§ 7. **Q**uamuis prius sit naturam esse vniuersalem, quàm prædicabilem, quia tamen quantum ad hoc idem iudicium est de vtroque, meritò à Doctoribus quæstio hæc agitur de natura respectu prædicabilitatis, quæ nobis notior est, vt potè propria passio vniuersalis. Et sic sensus quæstionis est: an natura generica, vt *animal*, recipiat intentionem vniuersalem, aut prædicabilem, secundum quod habet rationem totius respectu specierum, vel quatenus consideratur vt pars illarum. Cum enim genus communiter appelletur totum potentiale, & simul etiam sit pars speciei; siquidem ex illo, & differentia componitur species: meritò dubitatur, quoniam ex his modis natura generica prædicetur de speciebus. In qua quæstione multa solent aliqui Doctores adducere, pluresque assignare generis acceptiones, sed id fortè ab imis fundamentis non adducunt, nec explicant, quid *animal*, verbi gratia habeat quando sumitur vt totum, & quando sumitur vt pars; aut quomodo ex genere, & differentia fiat compositio: quæ tamen omninò necessaria sunt ad plenam huius rei intelligentiam.

Vt ergò à certioribus incipiamus, primò certum est *animal*, aut quodlibet aliud genus (generalissimo tantum excepto) simul esse genus, & speciem subalternam: quia vt disput. sequenti videbimus, quodlibet genus intermedium potest comparari, vel ad inferiora, & sic habet rationem vniuersalem, seu prædicabilem, vel ad superius genus, & sic habet rationem subiicibilem. Primo illo modo appellatur genus; isto verò secundo dicitur species subalterna, sicque est totum actuale, compositum ex genere superiori, & propria differentia, quæ actu includit, non minùs ac species infima includit proprium genus, & vltimam differentiam, ex quibus actu componitur. Quia tamen *animal*,

aut quodlibet aliud genus, solum est totum actuale, & species respectu superiorum, non verò respectu inferiorum de quibus prædicatur; hinc est quod nunquam genus prædicatur de speciebus vt totum actuale cum actu non sit tota essentia earum, sed hoc proprium est speciei infimæ respectu indiuiduorum, & idè de illis prædicatur totum actuale. Aliter ergo prædicatur genus de speciebus, & hoc est, quod in præsentè quæstione inquirimus.

§ 8. Secundò ex dictis disp. 4. num. 29. satis constare potest, id quod est verè pars respectu alicuius, non posse prædicari de illo; & per consequens vt aliquid prædicetur de alio debere habere aliquo modo rationem totius respectu illius. Si enim *animal* (inquit D. Thom. c. 3. de ente, & essentia) non est totum quod est homo, sed pars eius, non prædicaretur de eo: cum nulla pars integralis prædicetur de suo toto. Quod etiam docet 7. Metaphysic. lectione 12. & constat manifesto signo: quia eadem res, nempe *materia* significata per modum totius; verè prædicatur de homine; dicimus enim *Homo est materialis*; significata verò per modum partis falsò de illo enuntiatur: non enim dicimus, *Homo est materia*, & idem cernitur in anima, & aliis partibus. Quare cum omnia prædicabilia verè prædicentur de suis inferioribus, necessariò asserendum est nullum eorum posse prædicari, vt veram partem suorum inferiorum, sed vt aliquo modo habet rationem totius, vt expressè docet Aristot. 1. Physic. cap. 1.

Et quidem de proprio, & accidente res est manifesta, nam quando prædicantur prædicatione quarti, & quinti prædicabilis necessariò significantur in concreto, vt vidimus sup. disput. 4. numero 26. concretum verò semper significatur per modum totius, vt ibidem diximus, ergo proprium, & accidens nunquam prædicantur vt partes, sed vt tota. De genere autem, & differentia, & proportionabiliter de specie, est specialis difficultas: quia quodlibet eorum potest considerari, vt totum, & vt pars Metaphysica, vt infra explicabimus. De quibus, quamuis in prima consideratione certum sit posse prædicari de inferioribus: merito tamen dubitatur: an etiam possint prædicari, quatenus considerantur vt partes Metaphysicæ: quia huiusmodi partes, non sunt verè, & propriè partes, sed magis videntur quædam tota. Vnde tota quæstionis solutio pendet ex cognitione compositionis Metaphysicæ, & partium eius; indè enim constabit, an aliis proptè sic conueniat, vel repugnet prædicari de inferioribus.

Vbi tandem nota; Doctores, de genere tantum, controuertere hanc quæstionem: quia quidquid de eo dictum fuerit, facillè potest applicari differentie, & suo etiam modo speciei; siquidem species etiam consideratur vt pars quæ cum differentia numerica componit indiuiduum.

### Q V I D S I T C O M P O S I T I O, quam appellant Metaphysicam, & quomodo sumantur partes eius.

#### §. I.

§ 9. **C**ompositio, quæ in eadem re fit ex materia, & forma, solet appellari Physica, seu naturalis, eiusque partes, scilicet materia, & forma, partes Physicæ, seu naturales. Et merito quidem: nam omne compositum ex materia, & forma continetur sub obiecto Philosophiæ naturalis; ac pròinde compositio ipsa per quam resultat, & partes etiam ex quibus resultat, pertinent ad Philosophiam naturalem, & de illis agit Aristot. in lib. Physic.

Præter

Præter hanc autem compositionem, inuenitur alia, quæ sit ex diuersis gradibus eiusdem essentia, quorum alter significatur ut materia, seu per modum potentia, & est quid commune; alter verò ut forma, seu per modum actus, & est quid proprium, ut in homine, præter compositionem realem ex materia prima, & anima rationali consideratur alia compositio ex gradu quodam communi in quo homo conuenit cum aliis nempe animali, & ex alio proprio, per quem ab illis distinguitur, scilicet rationali. Illum appellamus genus: istum verò differentiam: & sic dicimus speciem componi ex genere, & differentia. Vbi genus, & differentia non sumuntur formaliter pro intentionibus, ut patet, sed materialiter pro ipsi gradibus, qui aliàs suscipiunt tales denominationes.

60. Hæc ergo compositio frequenter appellatur Metaphysica, & partes eius partes Metaphysicæ, & forè impropria locutione: nam ad Metaphysicam non possunt pertinere omnes compositiones, quæ sunt ex quibuscumque gradibus genericis, & differentia- libus, sicut neque gradus ipsi, ut patet de generibus intermediis, & differentiis diuisiuis eorum, quæ continentur sub corpore in prædicamento substantia, quæ, ut alia sunt, non considerantur à Metaphysico. Nisi velis compositionem hanc appellari Metaphysicam, ad eum modum quo supra disp. 2. num.

65. diximus naturam, quæ denominatur vniuersalis, appellari vniuersale Metaphysicum; vel per antonomasiam à digniori scientia, vel propter transcendentiam obiecti Metaphysicæ.

Quamuis autem propterea communis modus loquendi possit retineri: proprius tamen, & melius compositio ista ex genere, & differentia, & partes eius dicuntur compositio, & partes Logicæ. Sicque ex Arist. appellat illa D. Thom. 3. p. q. 90. art. 2. & merito; tum quia sic melius distinguitur compositio hæc à compositione ex essentia, & existentia, quæ proprie dicitur, & est compositio Metaphysica; tum etiam: quia quamuis gradus ipsi generici, & differentiales, materialiter, & secundum suam entitatem realem non pertineant ad obiectum Logicæ: formaliter tamen, quantum ad eorum distinctionem, & compositionem pertinent ad illam. Quia, ut postea dicimus, talis distinctio, & compositio sunt ab intellectu, suntque entia rationis Logicalia.

61. Explicatis, *an sit, & quid nominis*: huius compositionis, ut quid rei cognoscamus; primo statuendum est hanc compositionem non esse realem, nec partes eius, scilicet gradus istos distingui realiter formaliter, ut loquitur Scot. neque aliqua alia distinctione ante intellectum, ut constat ex dictis disp. 3. ad 31. Quæ doctrina frequens est inter Doctores, & præcipue Thomistas: quamuis nonnulli eorum oppositum sentiant, ut notat Sanchez, lib. 2. q. 8. In quam opinionem inclinare videtur Caiet. cap. 3. de Ente, & Essentia. 9. alij dicunt; sed reuera non discedit à communi sententia, ut constat ex eodem paulò infra, scilicet c. 4. sequenti q. 6. Quam etiam sequuntur Ferrar. 2. contra gentes c. 95. Bannez 1. de Gener. c. 4. q. 8. art. 1. Sonc. 7. Metaph. q. 19. label. ibid. q. 18. Araux. lib. 3. q. 4. & 6. Et alij plures quos refert, & sequitur Gallego hic controuers. 16.

Quæ sententia probatur, expresso D. Thom. testimonio, q. 27. de veritate art. 1. ad 9. assentis: *Ad hoc, ut aliquid sit in prædicamento aliquo accidentis, non requiritur, quod sit compositum compositione reali, sed solummodo compositione rationis ex genere, & differentia*, & cap. 3. de Ente, & essentia, inquit, de hac compositione: quod non est. *Sicut ex duabus rebus res, sed sicut ex duobus intellectibus res unus intellectus*. Quem locum de distinctione, & compositione

Colleg. Compl. Logica.

rationis intellexit Capreol. in dist. 8. quæst. 2. art. 3.

Ratione etiam suadetur eadem sententia. Tum quia si animal verbi gratia, & rationale distinguerentur realiter in homine, essent verè & realiter partes eius, & per consequens nullo modo possent prædicari de illo, quod patet esse falsum. Tum etiam, quia ut optimè colligit D. Th. 1. part. q. 50. art. 4. ad 1. si genus, & differentia differrent sicut alia, & alia natura, & non tantum ut determinatum, & indeterminatum, iam in eodem composito essent plures formæ substantiales, quod esse impossibile probat optimè Angelicus Doctor q. 76. seq. art. 2. & nos ostendemus lib. 1. Physicorum. Cuius rationis efficacia constabit ex dicendis. Tum denique: quia si gradus genericus distingueretur realiter à differentia haberet potentiam realem ad recipiendam illam, non minùs à materia prima haberet potentiam realem, ut actuetur per formam. Ex quo vltèriùs sequeretur, quod sicut materia prima: quia habet talem potentiam in ordine ad plures, & oppositas formas, potest de vna in alteram transmutari, sic animal, cum necessariò respiciat plures, & oppositas differentias, posset de vna in alteram transmutari, quod est absurdum. Maneat ergo gradum genericum, & differentialem non distingui realiter, & ex consequenti compositionem quæ ex illis fit, solum esse compositionem rationis. Neque in hoc est ampliùs immorandum, suppositis his, quæ d. 3. nu. 15. & sequentibus diximus de gradu specifico, & individuali. Videri tamen possunt Sanchez, Gallego, & alij Autores citati.

62. Supposito ergo quod gradus isti, qui significantur nominibus generis, & differentia, ut *animal*, & *rationalis*, non sunt à parte rei distincti; sed sola operatione intellectus necessariò sequitur verumque nomen significare eandem rem à parte rei, scilicet essentiam nominis, quæ à parte rei est vna entitas realiter composita ex materia, & forma; sicut quilibet alia essentia rerum materialium: ac pròinde *animal*, non importate solam materiam, nec *rationalis* solam formam, sed verumque nomen significare totum compositum. Oportet autem explicare, quid distinguat intellectus in hac eadem entitate, ut ex ea sumat genus differentiam: indè enim planum fiet, & quomodo possint de specie prædicari. Et tandem detegemus radicem, unde sumi debent genus, & differentia. De quo agendum est quæstione sequenti Pro quo.

Secundò sciendum est, in quolibet composito materiali non esse plures formas substantiales, ut probabimus lib. 1. Physicorum, & docet sæpè D. Thom. sed in nomine verbi gratia tantum esse vnicam materiam primam, & vnicam formam substantialem, ex quarum coniunctione resultat homo; inter quas partes talis est ordo, ut altera sit potentia simpliciter, altera verò, actus simpliciter: huius proprium est dare esse, & constituere, illius verò recipere tale esse, & per formam constitui. Undè materia prima ex se neque est homo, aut equus, neque animal, aut viuens, &c. sed à forma habet quodcumque esse actuale in illa repertum. Forma verò iuxta maiorem, vel minorem perfectionem vnicam, & eadem existens, plures, vel pauciores perfectiones tribuit materiæ, ex eo quod sit radix plurium, vel pauciorum operationum. Non quod perfectiones istæ essentiales, quatum forma est principium, sint à parte rei actu distinctæ; cum forma sit vna in vna materia: sed quia ex diuersis operationibus, quarum forma est principium, colligimus ipsam quasi eminenter, seu virtualiter continere illas perfectiones. Verbi gratia anima rationalis per sui vnionem cum materia non solum tribuit illi esse hominem; sed

sed etiam esse animal viuens, corpus, &c. quia constituit quandam essentiam, à qua oriuntur non solum operationes intellectus, sed etiam sensus, nutritionis &c.

Cum ergo intellectus cernens has operationes, videat aliquas soli homini conuenire, vt *intelligere*, & *velle*: aliàs non solum illi, sed etiam animalibus, vt *sentire*: aliàs non solum animalibus, sed etiam plantis, vt *augeri*, & *nutriri*, & sic de aliis: distinguit in eadem essentia plures gradus aliis superiores, apprehenditque gradum inferiorem semper addere aliquam perfectionem gradui superiori. Qui omnes gradus totam entitatem hominis, scilicet compositum ex materia, & forma, important, diuersimodè tamen: nam quia intellectus potest distinguere in tali forma radicem vnius perfectionis, à radice alterius; potest consequenter vno nomine significare compositum, scilicet materiam cum forma dante solam perfectionem superiorem: & alio nomine eandem materiam cum eadem forma dante etiam vltiorem perfectionem: & ita distinguuntur nomina significantia gradus prædicamenti substantiæ: nam *corpus* significat compositum ex materia, & forma, secundum quod est principium quantitatis: *viuens* significat idem compositum ex materia, & forma, secundum quod est principium vitæ: *animal*, secundum quod est principium sentiendi; & tandem *homo*, secundum quod est principium intelligendi. Quæ perfectiones, quia habent rationem actus respectu graduum superiorum, & contrahunt illos, significantur nominibus adiectiuis, scilicet, *rationale*, *sensibile*, *animatum*, &c. Et ita ex gradu superiori quod est *corpus*, & perfectione superaddita significata adiectiue, scilicet *animatum*, conflatur gradus inferior nempè *viuens*. Et idem proportionabiliter contingit in cæteris, vt consideranti patebit.

64. Cæterum, quia quilibet istorum graduum simul est totum respectu inferioris, cum illum contineat in confuso; & etiam pars eius, cum includatur in eo: inuestigandum restat quomodo sit pars, & quomodo totum. Quod explicat eleganter D. Th. cap. 3. de ente, & essentia (vnde doctrina hæcenus tradita desumpta est adducens exemplum in *corpore*, & *animali*. Cum enim nomen *corpus*, significet compositum ex materia, & forma secundum illam perfectionem, à qua profluit quantitas vt dictum est, quæ perfectio ex se, neque includit actu vltiorem perfectionem, neque illam excludit; (homo enim ex eo quod habet perfectionem, non est radix quantitatis, neque actu dicit perfectionem, neque prohibetur habere illam; inde fit, vt corpus possit vno modo concipi cum præcisione vltioris perfectionis, excludendo scilicet per intellectum quamlibet aliam perfectionem, quæ non sit de conceptu corporis; quomodo est pars materialis hominis: siquidem non continet omnem perfectionem, quæ est in homine, sed potius excludit, & condistinguitur à perfectione viuendi, aut sentiendi. ¶ Secundo modo potest considerari corpus, vt dicit perfectionem, seu formam, à qua profluit quantitas, quæcumque sit talis forma, siue tribuat hanc solam perfectionem, siue alias vltiores addat. Et hoc modo corpus non præscindit, neque excludit tales vltiores perfectiones, sed potius in confuso, & in potentia continet illas. Sicque est totum respectu hominis; siquidem aliquo modo continet quicquid reperitur in homine.

75. Idem etiam cernitur in *animali*. Si enim sumatur, vt significat perfectionem sentiendi cum præcisione, & exclusionem vltioris perfectionis, est pars hominis: siquidem propterea sic non dicit totum quod est

in nomine, sed condistinguitur à perfectione ratiocinandi, & cum illa componit hominem. Si verò *animal* sumatur, vt dicit perfectionem seu formam sentiendi, quæcumque sit talis forma, siue sit sensitiva tantum, siue simul etiam intellectiva: sic in confuso, & in potentia continet omnem perfectionem hominis, & aliorum animalium; & per consequens est totum respectu illorum. Videantur etiam D. Th. 7. Metaph. lect. 12. vbi optimè explicat, & probat hanc doctrinam.

Quæ enim proportionabiliter applicanda est differentia, vt in principio quæstionis notabamus. Si enim differentia, verbi gratia *sensibile*, sumatur cum præcisione, vt scilicet excludit perfectionem gradus superioris, & quamlibet etiam perfectionem vltiorem, habet rationem partis. Si verò sumatur absque ista præcisione, & vt aliquo modo includit in confuso, quicquid est in illis quorum est differentia, sic habet rationem totius respectu illorum. Comparatur autem ad ea, non vt quid perfectibile, & potentiale sicut genus, sed vt quid perfectum, & actuum illorum, vt per se patet. Cum ergo omnis compositio necessariò fiat inter partes, qua ratione sunt partes, planè sequitur quod genus, & differentia non pertinent ad compositionem speciei: qua ratione sumuntur vt tota; & ex consequenti compositio ista fit ex gradu generico, & differentiali, vt sunt formaliter partes, & sumuntur cum mutua præcisione. per quod tandem explicatum manet, quid sit compositio ista Metaph. vel potius Logica; & quomodo sumantur partes eius. Videatur D. Thom. locis citatis, & Caiet. etiam, qui optimè explicat doctrinam illius, cap. 3. de Ente, & essentia.

#### TRACTATVR PRÆCIPVA DIFFICULTAS & quæstio resoluitur.

##### §. III.

66. **H**is necessariò prælibatis, ad quæstionem initio positam redeuntes inquirimus: an quando animal, verbi gratia prædicatur de homine, prædicetur de illo, qua ratione est pars in compositione Metaphysica eiusdem hominis? an verò qua ratione est totum potentiale respectu eius. Et quia pars generica hominis, nempè animal potest considerari vt actu componit hominem, quomodo est pars actualis eius, & vt antecedit actualem compositionem, quomodo appellatur pars potentialis; (ad eum modum quo materia prima, vt actu est vnita formæ, dicitur pars actualis compositi, & antequàm vnatur, dicitur pars potentialis) idè de vtroque procedit difficultas, & inquiritur: an animal non solum prædicetur de homine, qua ratione ex totum potentiale, de quo non potest esse dubium, sed etiam prædicetur de illo qua ratione est pars actualis eius vel saltem qua ratione est pars potentialis illius.

67. Prima sententia, absque distinctione partis actualis, & potentialis, docet naturam genericam posse prædicari de speciebus, non solum qua ratione est totum, sed etiam vt est pars Metaphysica illarum. Citantur pro hac sententia Paulus Venerus cap. de specie, & Scot. q. 16. prædicabilem. Eam defendunt Oñs art. vlt. huius capituli, Sanch. lib. 3. quæst. 6. & alij.

Probatum primò ex arist. 1. Posteriorum cap. 4. vbi inter modos *per se* enumerat prædicationem, qua definitio, & partes eius prædicantur de d. finito: ergo genus, & differentia non solum quatenus sunt quædam tota, sed etiam quatenus parte prædicantur de specie.

Secundò probatur ratione fundamentali huius sententiæ

sententiæ: quia partes istæ Metaphysicæ multam differunt à partibus Physicis, & ratio quare istis repugnat prædicari, omnino cessat in illis: ergo non est cur negetur genus, & differentiam posse ut partes prædicari. Probatur antecedens: quia partes Physicæ sunt veræ, & propriæ partes, distinguunturque à toto distinctione reali, includentis ab inclusio; & idem in definitione eius non ponuntur in recto, sed in obliquo: non enim dicimus, *homo est materia & forma*; sed *homo est ex materia, & forma*. Nihil autem horum inuenitur in gradu generico & differentiali; non enim, sunt veræ, & propriæ partes, cum significant totum compositum, nec sumuntur ab aliqua parte essentiae, sed à tota illa: propter quod etiam in definitione non ponuntur in obliquo; sed in recto; siquidem non dicimus: *homo est ex animali, & rationali*; sed *homo est animal rationale*. ¶ Alias rationes adducit Säch. quas in præsentia omittimus: quia ex dictis facillimè solvuntur, vel tantum concludunt in sensu materiali illud quod est pars Metaphysica, prædicari de toto, licet non quatenus pars, quod nemo dubitat.

Secunda sententia asserit naturam genericam posse prædicari de speciebus, ut est pars potentialis, licet repugnet illam prædicari ut est pars actualis in compositione explicata. Ita Canterus in hoc cap. dub. 3. Et potest breuiter suaderi: quia idem natura generica, ut componit speciem, non potest prædicari de illa: quia ut sic amittit potentialem continentiam, qua continebat species, & earum differentias, quæ tamen continentia necessaria omnino est, ut genus prædicetur de speciebus; sed talem continentiam potentialem nondum amisit quando consideratur pars potentialis: ergo propterea potest prædicari de speciebus.

68. Nihilominus tamen absolute dicendum est naturam genericam (& idem proportionabiliter est de differentiali) non posse prædicari de speciebus, quæ ratione est pars in compositione Metaphysica illarum, sed quandocumque prædicatur de eis, necessario debere sumi ut totum. Ita colligitur ex Arist. 2. Posterior. cap. 8. & 5. Metaphysic. ut postea videbimus. Docentque expressè Porphy. cap. sequenti. & Diu. Thom. opusc. 48. tract. 1. c. 4. in primo d. 25. q. 1. art. 1. ad 1. de ente, & essentia c. 3. sæpè citato. Quibus locis explicat optimè quomodo, *corpus*, & *animal*, & alia genera non sunt genera, nec prædicabilia respectu specierum, secundum quod sumuntur ut partes, & cum præcisione ulteriorum perfectionum, sed secundum quod sumuntur, ut quædam tota in confuso, & in potentia quidquid est in speciebus continentia D. Thom. sequuntur Caiet. eodem cap. 3. Sot. hic q. unica art. 2. (qui optimè notat, genus quando sumitur ut pars formaliter propterea sic non abstrahere abstractione vniuersali, sed potius abstractione formali, ratione cuius non contingit prædicatio, ut vidimus supra disputatione 4. numero 30.) Maius sect. 2. quæstio. 1. Rubio quæst. 5. Suarez disput. 15. Metaphysicæ sect. 1. nu. 15. & communiter Doctores.

Probatur, & explicatur conclusio ex dictis: quia ut aliquid prædicetur de alio debet saltem confuse & in potentia continere totum, quod est in illo. Sed gradus genericus, & differentialis, licet significant totum compositum ex materia, & forma: tamen formaliter quatenus sumuntur ut partes, non significant illud secundum omnes perfectiones, quas in se habet, sed cum mutua præcisione, & exclusionem aliquarum, ut explicatum est. Ergo formaliter propterea sic, non possunt prædicari de composito, sed solum quatenus induunt rationem totius. Minor, & consequentia constant ex dictis. Maior etiam admititur communiter ab omnibus, eamque pñe con-

uincit ipsa forma prædicationis, quæ propriè loquendo non importat uisionem, sed identitatem prædicati cum subiecto. Ad quam (si prædicatio sit formalis, & non identica) requiritur quod prædicatum confuse, & in potentia sit totum id, quod actu includit subiectum, & quod subiectum actu, & indistinctè sit totum, id quod actu includit prædicatum.

Confirmatur: quia partes Physicæ, & reales hominis non possunt in recto prædicari de illo: quia à parte rei non continent totum, quod est in homine: ergo pari ratione, quæ per intellectum sunt partes hominis formaliter propterea sic, non possunt in recto prædicari de illo; siquidem quatenus ab intellectu sumuntur ut partes, non continent totum quod est in homine. Quæ rationes æquè militent contra primam, & secundam sententiam supra relatas; repugnat enim quod pars Metaphysica, siue consideretur ut actu componit, siue ut antecedit compositionem, formaliter quatenus pars est, contineat totum illud, quod continet compositum, cuius est pars, ut consideranti patebit.

69. Ad argumenta responderetur. Ad primum ibi Aristot. loqui materialiter, dum asserit partes definitionis prædicari de definito. Et ita sensus est gradus illos, qui sunt partes definitionis, prædicari de definito, non tamen formaliter ut sunt partes; hoc enim nihil referebat ad intentum Aristotelis. Nam ibi solum intendebat statuere, quod prædicationes, in quibus tota definitio, & partes eius prædicantur de definito, sunt in primo modo dicendi per se: quia sunt essentielles; quod æquè verum est siue partes prædicentur ut partes, vel ut tota. Et ita standum est communi doctrinæ, quam ipse tradit 5. Metaphysic. capite 25. ubi partes subiectiuas in hoc distinguit à partibus integrantibus (sub quibus comprehendit partes definitionis), ut explicat D. Thom. ibidem lectione 21, quod partibus subiectiuis, (scilicet speciebus respectu generis) adest tota essentia totius, partibus autem integrantibus, quatenus tales sunt, non adest tota essentia totius. Quod etiam tradit, D. Th. 3. parte, quæst. 90. art. 4. & quodlibeto 10. art. 5. Ex quibus locis Aristotel. & D. Thom. vrgens argumentum sumitur pro nostra sententia, ut patebit consideranti.

Ad secundum responderetur, quod licet isti gradus, seu partes Metaphysicæ, proximè non sumantur à singulis partibus Physicis, nec significet solam materiam aut formam, sed sumantur à toto composito, & significant illud; tamen quatenus partes sunt, non significant compositum secundum omnes perfectiones, quas in se habet, sed cum præcisione facta inter illas: & idem propterea sic non possunt prædicari in recto de toto, sicut nec partes Physicæ. Differunt tamen ab his, quod partes Physicæ cum sint essentialiter partes, nunquam possunt habere rationem totius simpliciter loquendo, & sic nunquam prædicantur in recto de composito. At verò istis gradibus accedit, quod sumantur cum mutua præcisione, & consequenter esse partes, & propterea possunt considerari absque tali præcisione, & habere rationem totius simpliciter loquendo, sicque considerata prædicari de toto.

Ad fundamentum secundæ sententiæ responderetur, quod quocumque modo natura generica sumatur, ut pars, siue potentialis, siue actualis, semper sumitur cum præcisione alterius compartis, & ita propterea sic excludit illam; & consequenter non habent continentiam potentialem requisitam ad prædicationem: siquidem in quantum pars, non continet quidquid est in toto.

70. ¶ Ex dictis soluitur secunda pars difficultatis

L 4



cultatis in principio propositæ : quomodo scilicet genus contineat differentias. Dicendum est enim continere illas non in actu, sed tantum in potentia. Adeum modum; quo materia prima continet in genere causæ materialis omnes formas, quod expressè tradit Arist. 2. Poster. cap. 8. dicens: *Supponatur tale esse genus, ut sit secundum potentiam in plus.* Vbi D. Th. lect. 13. opusc. 42. cap. 9. & 10. eandem sententiam docet, quam etiam tradit Porphy. cap. de differentia. ¶ Et quidem de genere, qua ratione est pars speciei, non potest dubitari solum continere alteram partem, scilicet differentiam in potentia, & non in actu: prout sic enim actu se inuicem excludunt, ut ex dictis patet. Similiter de genere, qua ratione est totum respectu specierum, idem necessariò est concedendum: nam ut sic genus abstrahitur abstractione vniuersali, & separatur à differentiis: ergo non potest actu illas includere. Præterquàm quòd cum differentia diuisiue generis sint oppositæ, si actu includerentur in illo, genus non haberet vnum conceptum aut significatum distinctum ab speciebus, sed immediatè significaret illas, & per consequens esset analogum: non enim obest confusa, & indistincta inclusio, ut in antepredicamentis videbimus de *Ente*, quòd quauis confusè contineat prædicamenta; verè tamen est analogum: quia immediatè & actu significat illa.

¶ Secundò inferitur genus non prædicari formaliter de differentiis, prædicatione quæ sit propria cuius prædicabilis, licet prædicetur verè de illis: hæc enim est vera, *rationale est animal*, sed non est prædicatio formalis. Et ratio est: quia ad veritatem propositionis sufficit prædicatum aliquo modo continere subiectum, quod contingit in genere respectu differentie: tamen ut prædicatio sit formalis, vltèrius requiritur, quòd subiectum includat in se rationem prædicati, quod non contingit in differentia respectu generis. Semper enim differentia excludit genus: quia respectu eius semper habet rationem partis, ut ex dictis patet. Videatur D. Thom. 3. Metaph. lect. 8.

## QVÆSTIO VI.

*Undè sumatur genus, & differentia tam in substantiis, quàm in accidentibus.*

71. **H**Æc differentia tangitur à Porphy. cap. de differentia: propter quod ab aliquibus ibi pertractatur. Sed quia ex quæst. præcedenti pendet magna pars resolutionis eius, non oportuit eam illuc vsque differre.

Aristot. 7. Metaphysic. text. 33. sic ait: *Cum autem definitio ratio sit, omnis autem ratio partes habeat, ac sicut ratio ad rem, & pars rationis ad partem rei se habet. Quæ verba exponens Diu. Thom. inquit: Sed dicendum est, quod partes definitionis significant partes rei, inquantum à partibus rei sumuntur partes definitionis. Non ita quòd partes definitionis sint partes rei: non enim animal est pars hominis, nec rationale: sed animal sumitur ab una parte, & rationale ab alia. Animal enim est, quod habet naturam sensitivam: rationale verò, quod habet rationem: natura autem sensitiva est ut materialis respectu rationalis. Et inde est quòd genus sumitur à materia, differentia à forma, species à forma, & materia simul.*

Idem prosequitur Philosoph. 8. Metaph. text. 9. dicens: *Quare substantia est quidem, cuius contingit definitionem, & rationem esse, ut puta composita, siue sensibilis, siue intellectualis sit. Ex quibus autem hoc primis, non est: siquidem aliquid de aliquo signifi-*

*catur ratio definitiva, & oportet hoc quidem ut materiam: illud verò ut formam esse.* Vbi Aristot. inducit contra ideas Platonis argumentum Antisthenicorum probantium nihil posse definiri: quia quidditas rei est quid simplex, definitio verò est sermo longus, ut ipsi dicebant, compositus videlicet ex partibus. Cui argumento respondet, omnem substantiam, quæ definitur, esse compositam. Verba D. Th. lect. 3. in eius expositione sunt: *Ad solvendam istam dubitationem oportet dicere, quòd substantia qua definitur, siue sit intellectualis, siue sit sensibilis oportet quòd sit composita. Ea verò ex quibus primò componitur cum sint simplicia, non contingit definiri: Dicitur enim supra, quòd ratio definitiva adiungit aliquid alteri, quorum vnum est ut forma, aliud ut materia; nam genus sumitur à materia; & differentia à forma.*

Ex his, & aliis Aristotelis locis, sumpserunt D. Thom. & cæteri Philosophi hoc commune proloquium: *Genus sumitur à materia, & differentia à forma*, quod hic à nobis explicandum est. Et in primis certum debet esse iuxta hanc Aristot. & D. Th. doctrinam, ut aliqua substantia possit propriè definiri, vel recipere has intentiones, aut poni in prædicamento, debere esse compositam aliqua compositione, vel materiæ, & formæ, vel essentia, & existentia. Propter quod inter substantias solus Deus excluditur à Prædicamento, nec recipere potest intentiones generis, aut differentia, aut etiam definiri: quia nec ex materia, & forma componitur, ut patet, nec essentia sua est aliud à suo esse, seu existentia, sed ipsum suum esse est essentia eius. Quam doctrinam tradit eleganter Angelic. Doctor cap. 6. de ente, & essentia his verbis: *Triplex inuenitur modus habendi essentiam in substantiis. Aliquid enim est sicut Deus, cuius essentia est ipsum suum esse: & idè inueniuntur aliqui Philosophi dicentes: quòd Deus non habet essentiam: quia essentia eius non est aliud quàm esse ipsius. Et ex hoc sequitur, quòd ipse non sit in genere: quia omne quod est de genere, oportet quòd habeat quidditatem præter esse suum, &c.* Vbi optimè notat Caietan. ad intentum rationis D. Thom. sufficere, quòd esse, seu existentia non sit de quidditate eius quod est in genere: quod verum est in omni opinione, siue existentia distinguatur realiter ab essentia, siue non. Proprium enim Dei est, quòd existentia eius sit sua essentia; ita ut hæc propositio *Deus est*, sit quidditativa, & in primo modo dicendi per se, quòd nullo modo inuenitur in creaturis.

Quia tamen in creaturis, idè existentia est extra conceptum quidditativum essentia in sententia D. Thomæ, quia realiter distinguitur ab illa, idè rectè Sanctus Doctor ex identitate reali, quam in Deo habet esse, seu existentia, cum essentia, infert Deum non contineri in prædicamento, nec componi ex genere, & differentia; ac pròinde nullum esse in Deo fundamentum ad formandos tales gradus. Ex quo tandem è contra sequitur planè, realem compositionem ex essentia, & existentia esse primum requisitum, ut creaturæ collocentur in prædicamento, & ut in eis inueniatur fundamentum ad formandam compositionem ex genere, & differentia.

72. Hoc supposito, & relicto Durand. in secundo, distinctione 3. quæst. 1. qui ita strictè intellexit dictum axioma, ut convenientiam genericam negaret inter illa, quæ non habent materiam communem. Relicto etiam Vasquez 1. par. disp. 179. c. 1. qui contra communem omnium consensum negavit genus sumi à materia, & differentiam à forma, quem rectè impugnatur Nazar. ibidem quæstione 50. articulo 2. controuers. 2. Ex his qui hoc proloquium admittunt, non omnes eodem modo illud explicant.

Quidam

Quidam enim ut refert D. Thom. opusc. 42. capite 4. quos sequuntur aliqui Moderni, asserunt in substantiis materialibus genus sumi radicaliter à materia, & differentiam à forma: at verò in substantiis spiritualibus genus sumi ab essentia, differentiam verò ab existentia. Itaque sicut compositio Physica ex materia, & forma in substantiis materialibus est fundamentum compositionis ex genere, & differentia; ita in Angelis asserunt hi Doctores compositionem realem ex essentia, & existentia esse fundamentum, super quod fundatur intellectus, & à quo sumuntur genus, & differentia.

Hæc tamen sententia quoad secundam partem omnino falsa est, & contra D. Thom. opusc. citato. Ex cuius verbis planè conuincitur: inquit enim: *Cum autem omne quod est in genere ut completum existens, componatur ex genere, & differentia: genus autem sumatur ab eo quod est in potentia, differentia verò à forma, sine actu: in substantiis vero separatis essentia est ut potentia, esse verò ut actus: sequi quibusdam videtur genus huius sumi ab essentia: differentiam verò ab esse. Sed hoc nihil est: quia essentia est aliud ab esse Angelis: sed illud unde sumitur differentia, non est aliud ab essentia rei constituta per differentiam.* Quæ ratio evidens est, repugnat enim differentiam sumi, seu fundari supra id quod non pertinet ad essentiam eius, cuius est differentia, ut de se patet. Quam doctrinam latè prosequitur, & probat S. Doctor cap. 5. sequenti. Videtur etiam quodlibet 9. art. 6. ad 4.

Alij verò, inter quos Suar. disput. 6. Metaphys. sect. 11. explicant dictum axioma, per quandam similitudinem, & metaphoram; ita ut uniformiter verum sit in omnibus rebus genus sumi à materia, & differentiam à forma, in hoc sensu, quod sicut materia est potentia de se indifferens, ut determinetur, & limitetur per formam: forma verò est actus ex se determinans, & constituens, sic similiter genus tam in substantiis spiritualibus, & corporeis, quam in accidentibus se habet ut potentia quædam, & materia indifferens: differentia verò, ut actus, seu forma limitans, & constituens. Propter quam similitudinem genus, & differentia dicuntur desumi à materia, & forma.

Sed hæc etiam sententia relinquenda est: non enim explicat, sed potius fugit difficultatem: quia sola illa proportio, aut metaphora extrinseca non est sufficiens fundamentum ad formandam compositionem ex genere, & differentia, nisi in ipsa re, in qua distinguuntur isti gradus, sed intrinseca radix, & reale fundamentum ad talem distinctionem, & compositionem. Ergo intra ipsam essentiam Angelis, vel hominis, verbi gratia, debet assignari radix unde sumantur gradus generici, & differentiales eorum: & hoc est, quod in præsentem inuestigamus. Quare planè fugit difficultatem, qui in eius explicatione recurrit ad dictam similitudinem, & analogiam generis, & differentie cum materia, & forma.

73. Pro solutione ergo difficultatis sciendum est, aliud esse loqui de proximo fundamento, super quod fundantur, & à quo sumuntur gradus generici, & differentiales; aliud verò de fundamento, seu prima radice, à qua tales gradus oriuntur, & sumuntur. Loquendo in priori sensu ex quæst. præcedenti constat, totam essentiam esse, à qua sumitur tam gradus genericus, quam differentialis, siue in Angelis, siue in corporibus, aut accidentibus: nomina enim significantia tales gradus in quacumque essentia significant totam illam, & non aliquam eius partem, ut ibidem latè explicuimus. Et constat in Angelis: nomen enim significans gradum genericum,

in quo omnes conueniunt, scilicet *spiritus*, & nomina, quibus propriam cuiuslibet differentiam circumloquimur, sumuntur, & significant totam essentiam Angelis, licet diuersimodè: nam gradus genericus significat eam, ut est radix perfectionis communis, in qua omnes Angeli conueniunt, scilicet intellectualitatis, seu immaterialitatis; gradus verò differentialis significat eandem essentiam, ut est radix perfectionis particularis, & propriæ cuiuslibet Angelis. Quam quia ignoramus, explicamus per talem intellectualitatem, & immaterialitatem. Et idem contingit in substantiis materialibus, & accidentibus, in quibus omnibus ut inquit D. Th. opusc. citato, genus indifferenter sumitur ex ipsa potentia essentiae, id est, ex tota essentia, secundum quod consideratur elongata ab esse, differentia verò à perfectione talis essentiae, per quam appropinquat ad esse actus: id est à tota essentia, secundum illud quod in ea est magis actuale.

Ex quo fit, quod in fundamento proximo, à quo sumuntur, & super quod fundantur genus, & differentia, omnino conueniunt substantiæ spirituales, corporeæ, & accidentia. Et quia tota essentia secundum perfectionem communem habet rationem materię: respectu eiusdem secundum perfectionem propriam, ut supra retigimus in hoc sensu loquendo de fundamento proximo, vniuersaliter potest affirmari, in omnibus rebus genus sumi ab eo, quod est in illis materiale, & differentiam à eo, quod est formale. Quo modo loquendi vult D. Thom. in verbis adductis. Et de huiusmodi fundamento verè asserit Suar. appellari materiale, & formale per quandam similitudinem, & analogiam ad propriam materiam, & formam. Sed de hoc fundamento proximo parua, aut nulla controuersia est inter Doctores. Quare tota difficultas vertitur in declaranda prima radice, seu fundamento remoto, à quo sumuntur genus, & differentia, tam in substantiis spiritualibus, quam in corporeis, & accidentibus.

74. Dicendum est ergo primò in substantiis spiritualibus totam essentiam esse fundamentum non solum proximum, sed etiam radicale, à quo sumuntur genus, & differentia; & per consequens utrumque fundari super eandem simplicem essentiam, quæ secundum quod consideratur, ut indeterminata, & perfectibilis, est radix gradus generici; secundum verò quod consideratur, ut determinata, & perfecta, est radix gradus differentialis. Conclusio est expressa D. Th. 1. part. q. 50. art. 2. ad 1. de Ente, & Essentia, c. 6. & opusc. 42. c. 5. quem sequuntur Caiet. c. 6. citato, Ferrar. 2. contra Gent. c. 95. Sanch lib. 1. q. 7. Mas. cap. de differentia sect. 2. q. 5. Rub. 5. q. 4. & communiter Doctores.

Probat ratione manifesta, quam adducit D. Thom. opusc. citato: quia in Angelis nulla alia inuenitur compositio realis præter compositionem ex essentia, & existentia, sed hæc non potest esse radix compositionis, quam ex genere, & differentia format intellectus; ut ex eodem D. Th. vidimus in impugnatione primæ sententiæ: ergo utrumque fundatur super vnum simplex, & per essentiam indiuisibile, ut loquitur D. Th. nempe super ipsam essentiam Angelis, quæ est entitas quædam simplex, & forma separata, seu non immixta materię, & per consequens in eis tota essentia, est fundamentum, non solum proximum, sed etiam radicale, à quo sumuntur genus, & differentia, ut explicatum est.

75. Dicendum est secundò, in substantiis corporeis genus, & differentiam radicaliter sumi à materia, & forma; & per consequens in eis aliam esse radicem generis, & aliam differentie. Ita Auctores citati pro prima conclu-

conclusionem, & utramque tradit expressè D. Thom. loco citato ex 1. part. his verbis. *In rebus materialibus aliud est quod determinat ad speciem gradum, scilicet forma; & aliud quod determinatur, scilicet materia. Unde ab alio sumitur genus, & ab alio differentia. Sed in rebus materialibus non est aliud determinans, & determinatum, sed unaquæque earum secundum seipsam tenet determinatum gradum in entibus; & ideo genus, & differentia in eis non accipitur secundum aliud, & aliud, sed secundum unum, & idem.* Idem expressè docet, & probat Opusc. 42. citato cap. 5.

Facile suadetur, & explicatur conclusio sic. Proprium est gradus generici esse quid potentiale, & perfectibile, sicut proprium est gradus differentialis esse quid actualium, seu perfectum, ergo licet fundamentum proximum horum graduum sit tota essentia, secundum quod consideratur ut perfectibilis, vel perfectiva: tamen primæ radices, à quibus sumuntur tales gradus, erunt illæ res, à quibus primò oritur dicta potentialitas, & actualitas. Sed intra latitudinem substantiarum materialium, omnis potentialitas primò oritur à materia prima, & omnis actualitas primò oritur à forma: ergo materia, & forma sunt primæ radices, à quibus sumuntur gradus generici, & differentialis.

Antecedens, & prima consequentia constant: minor autem probatur: quia intra latitudinem substantiarum materialium; materia prima, est prima potentia, & forma substantialis primus actus; cum autem primum in unoquoque genere sit causa eorum, quæ sunt post in illo genere, ut dicitur 2. Metaph. text. 4. planum sit in genere substantiarum materialium omnem potentialitatem oriri à materia prima, & omnem actualitatem à forma; & consequenter ab eis tanquam à primis radicibus sumi gradum genericum, & differentialem. Videantur Caiet. cap. 6. citato de Ente, & Essentia, Conrad. 1. 2. q. 5 4. art. 1. ad primum: Naz. ubi sup. & alij Thomistæ.

76. Illud obiter advertendum est, quòd licet materia prima, & forma substantialis sint primæ radices generis, & differentie modo explicato; differunt tamen in hoc, quòd sola materia prima, non est integra radix gradus generici, si ab ea præcindatur omnis forma: cum tamen hoc conveniat formæ respectu differentie, quòd Sanch. & Suar. citati notant rectè ex D. Tho. de spiritualibus creaturis art. 1. ad 24. allegante. *In rebus compositis ex materia, & forma, genus sumitur à materia, & differentia à forma: ita tamen quòd per materiam non intelligatur materia prima, sed secundum quòd per formam recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse specifi; sicut esse animalis est imperfectum, & materiale respectu hominis, &c.* Quæ verba repetit opusc. 42. cap. 4. & sensus eorum est, quòd gradus generici animalis, verbi gratia, non potest integrè oriri à sola materia prima, nisi in ea intelligatur aliquod esse imperfectum proveniens à forma.

Cuius ratio est: quia gradus generici, qui à materia sumuntur, non solum dicunt potentialitatem, quæ à sola materia prima, tanquam à prima radice derivatur, ut vidimus, sed etiam includunt aliquod esse actuale, per quòd in tali gradu constituuntur: sed huius non potest esse radix materia prima per se sola, cum sit pura potentia, sed ad tale esse actuale necessariò requiritur forma: ergo materia prima per se sola, non potest esse integra radix gradus generici, nisi in ea intelligatur aliquod esse imperfectum proveniens à forma. Quòd autem hæc sit integra radix, unde sumitur differentia, patet in eodem exemplo: nam rationale, quòd est differentia hominis, integrè sumitur ab anima, siquidem ipsa est prima radix, à qua

recipit materia omnes perfectiones, tam superiores, quàm inferiores, ut explicatum est.

77. Dices: sicut gradus genericus, nempe animal, non solum dicit potentialitatem, sed etiam aliquod esse actuale, licet imperfectum, & propterea, non solum connotat materiam, sed etiam formam; ita è contra gradus differentialis, scilicet rationale, non dicit solam actualitatem, sed etiam connotat materiam: siquidem rationale, quòd est differentia hominis, non significat quamcumque naturam intellectuam, sed eam, quæ simul est materialis: ergo sicut sola materia prima non est integra radix gradus generici, nempe animalis, pari ratione, non sola forma hominis erit integra radix gradus differentialis, scilicet rationalis.

Respondetur, quòd licet rationale connotet materiam, & animal formam, adhuc tamen in ista connotatione est magnum discrimen, ex eo quòd gradus generici sint compositi ex gradu superiori, & proprio constitutivo, differentie verò sint conceptus simplices, nullam includentes compositionem, ut infra videbimus.

Hinc enim fit gradum genericum connotare utramque partem, videlicet materiam, & formam, tanquam quid intrinsecè petitur à tali gradu, & ex consequenti tanquam integram radicem, unde ipse desumitur; differentiam verò non sic connotare materiam, sed quasi extrinsecè, & illatiuè: eo modo quo ex differentia colligitur genus, & de illa prædicatur.

78. Dicendum est tertio, genus, & differentiam in accidentibus radicaliter non sumi à materia, & forma, sed primum genus sumi ex proprio modo essendi, quo quolibet prædicamentum accidentium constituitur in esse talis entis, differentiam verò ex diversitate principiorum, à quibus causantur. Hanc etiam concl. docent Auctores pro prima adducti, estque ad verbum desumpta ex D. Th. ad finem de Ente, & essentia, ubi optime eam probat, & explicat Caietanus.

Fundamentum est: quia accidentis essentia non componitur ex materia, & forma, nec aliqua alia compositione reali actus, & potentie: ergo in illo non est alia radix generis, & alia differentie, sed utrumque fundatur supra eandem simplicem essentiam accidentis; ad eum modum, quo de substantiis spiritualibus diximus; & consequenter tota essentia ut determinata, & perfectibilis fundavit gradum genericum accidentis, & eadem tota essentia, ut determinata, & perfecta fundavit gradum differentialem.

Differunt autem quantum ad hoc substantie spirituales & accidentia, quòd illæ cum sint entia simpliciter, habent completam definitionem, & sic integra earum differentia sumitur à propria essentia, & non ab aliquo alio extrinsecò: ista verò cum sint entia secundum quid, habent definitionem incompletam, seu per additionem: quia scilicet non possunt definiti, nisi ponatur subiectum in eorum definitione, ut vidimus sup. num. 23. Et ideo sola essentia non est integra radix, unde sumitur differentia, sed completur in esse radicis per extrinsecum subiectum, seu principium proprium talis accidentis. Propter quòd dicitur differentiam in accidentibus radicaliter sumi ex propriis principiis, à quibus causantur, seu (quòd idem est) ex propriis subiectis.

79. Quomodo autem primum genus sumatur ex proprio modo constitutivo cuiuslibet prædicamenti accidentium, planè constabit, cum de illis disputabimus. Sufficiat pro nunc dicere, quòd cum ens intimè transcendat rerum omnium ultimas differentias, ut ibidem ostendemus; inde fit, ut prædicamenta ista ex communi ratione entis non habeant

habeant sufficientem potentialitatem, & præcisionem, ut ab ea sumatur aliquod genus omnibus commune, & sic prima potentialitas, & radix generis in quolibet prædicamento, prouenit ex proprio modo constitutio talis prædicamenti. Videantur D. Th. & Caiet. loco citato.

Quid autem intelligatur per proprium principium, vel proprium subiectum, magna ex parte dictum est supra numero 24. & explicant bene Caietan. dicto capite septimo, de Ente, & Essentia, & Ferrar. 3. contra Gentes cap. 7. circa illa verba D. Thom. ratione 3. *Omne quod est de genere accidentis, oportet quod ex principiis alicuius substantia causetur.* Illud tantum est aduertendum, quod etiam aduertit Diu. Thom. eodem cap. 7. dicens: *Aliquando accidentia ex principiis essentialibus causantur secundum actum perfectum; sicut calor in igne, qui semper actu est calidus; aliquando verò secundum aptitudinem tantum, sed complementum accipiunt ex agente exteriori, sicut diaphaneitas in aëre, qua completur per corpus lucidum exterius, &c.*

In his ergo accidentibus cum proportionem loquendum est: nam in accidentibus primi generis differentia etiam secundum actum perfectum sumitur ex propriis principiis: in accidentibus tamen secundi generis cum illud complementum sit extrinsecum, & sola aptitudo sit essentialis, solum potest sumi ex propriis principiis differentia illius aptitudinis, non verò talis extrinseci complementi. Videantur Caiet. & Ferrar. citati.



## C A P V T I I.

### De Specie.

#### S V M M A T E X T V S.

**C**APUT hoc continet tres partes. In prima enumerat Porphyrius. acceptiones, & definitiones speciei. In secunda constituit sectionem prædicamenti, adducens exemplum in substantia. In tertia definit indiuiduum.

¶ Ad primam accedendo, species primò sumitur pro pulchritudine, quo sensu dicitur, quod præstantissima species digna est imperio. Secundò sumitur Logicè pro eo, quod sub genere collocatur, ut homo sub animali: quam sic definit: *Species est id, quod de pluribus differentiis numero hoc ipso quid est predicatur, & subdit hanc definitionem tantum conuenire speciei infimæ, aliàs verò conuenire etiam speciebus subalternis.*

2 In secunda parte docet in quolibet prædicamento esse vnum supremum genus, supra quod non est aliud, esse etiam speciem infimam, sub qua non est alia species, & tandem esse genera intermedia, quæ simul sunt species, & genera respectu diuersorum: nam si superioribus comparantur, sunt species; si verò inferioribus, genera; ex quo infert intermedia habere duos respectus, nempe ad superiora, & ad inferiora, extrema verò vnum tantum: nam primum genus solum respicit inferiora, & vltima species tantum superiora: quod quomodo verum sit, infra explicabitur.

¶ Addit etiam genera suprema esse decem, species verò infimas, licet sint plures, habere tamen determinatum numerum: at indiuidua esse infinita. Propter quod Plato iubeat à generibus descendere ad species

infimas, ibique sistere, infinita autem omittere: quia sub scientia cadere non possunt.

In tertia parte distinguit tres acceptiones indiuidui, scilicet indiuiduum determinatum, ut *Socrates*, demonstratiuum, ut *hic homo*, designato Socrate; & ex suppositione, seu circumlocutione, *Sophronici filius*, supposito quod Socrates fuerit vnicus filius Sophronici. Indiuiduum autem omnibus commune definit dupliciter. Primò sic: *Indiuiduum est, quod de vno solo predicatur.* Secundò sic: *Est illud quod ex talibus proprietatibus constat, quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet.*

#### NOTATIONES, ET DVBLIA circa litteram capituli.

3. **I**llud in primis circa primam partem notandum est, quod sicut capite præcedenti Porphyrius non enumerauit omnes acceptiones generis, sed eas, quæ habent aliquam similitudinem cum genere, quod ipse appellat Philosophorum: ita hîc non enumerat omnes acceptiones speciei. Nam aliter species apud Rhetores, aliter apud Grammaticos, & aliter apud Iurisprudentes sumitur, ut tradit noster Didacus à Iesu in præfati, de quo etiam videri possunt B. Albert. tractat. 4. in Porphyrii. capite. 1. Sor. Tolet. & alij in hoc cap. Meminit autem speciei, secundum quod sumitur pro forma, seu pulchritudine, propter similitudinem, quam in hac acceptione habet cum specie Logica. Sicut enim forma, & pulchritudo resultat ex actuatione, & formatione materiæ, quæ de se erat informis, eodem modo species Logica resultat ex actuatione, & formatione generis per differentiam, quod de se erat informe, & potentiale. Et ita dixit Boet. quod *Sicut as, accepta forma, transit in statum; ita genus accepta differentia transit in speciem.*

Deinde excusat se Porphyrius eo quod videatur circulo vti: dum c. præd. definit genus per speciem, & modò definit speciem per genus: asserens id fecisse, quia sunt correlatiua. Quod quidem in præfati examinandum erat: sed quia omninò pendet ex questione, quam Dialectici disputant cap. de relatione: an relatio terminetur ad absolutum, vel respectum? idèd communiter Doctores dictam quæst. ad cap. de relatione remittunt.

4. ¶ De coordinatione prædicamenti substantiæ, quam ponit hîc Porphyrius in secunda parte capit. agendum est quæst. 5. Modò verò DVBLIA TVR primò: quomodo sit verum id, quod infert, scilicet prædicata intermedia habere duos respectus, extrema verò vnum tantum.

¶ Ratio dubitandi est: nam quidquid de genere supremo, saltem de specie infima euident est, non solum respicere superiora genera in ordine ad quæ est subiiciibilis, sed etiam inferiora indiuidua, respectu quorum habet veram rationem vniuersalis, & prædicabilis: ergo etiam species infima habet duos respectus.

Respondetur intentum Porphyrii. solum esse, quod prædicata extrema, scilicet genus supremum, & species infima, non habent diuersos respectus, vnde sumant diuersas denominationes, sicut habent prædicata intermedia: hæc enim respectu superiorum appellantur species, & respectu inferiorum genera; sed genus supremum, dato quod respiciat ut aliquo modo superius rationem communem entis, respectu

pectu tamen eius non denominantur species, sed retinet denominationem generis, quam habet respectu inferiorum: & similiter species infima, tam respectu superiorum, quam respectu inferiorum denominatur species. ¶ Per quod patet ad rationem dubitandi.

5. ¶ De numero prædicamentorum, quem hic statuit Porphyrius agendum est in antepædicamentis. Nunc tamen DUBITATUR Secundo, quid intendat Porphyrius addens: species infinitas esse infinitas; indiuidua verò infinita.

¶ Ratio dubitandi est: nam si loquatur de facto, tam species, quam indiuidua sunt finita; si verò loquatur de possibili, tunc vel sermo est de infinito simpliciter, & in actu (infinitum categorematicè vocant,) & sic iuxta meliorem opinionem Diu. Thomæ, nec species, nec indiuidua possunt esse infinita, ut dicemus libro tertio Physicorum: vel sermo est de infinito secundum quid, & in potentia, (infinitum syncategorematicè appellant,) & sic tam species, quam indiuidua sunt infinita.

Respondetur, Porphyrium locutum esse de facto, quomodo constat species esse infinitas, habetque determinatum numerum: nec enim iuxta communem cursum rerum, species multiplicantur, sed semper sunt in eodem numero.

Addit verò indiuidua esse infinita: quia forte existimauit mundum fuisse ab æterno, & consequenter fuisse indiuidua categorematicè infinita: vel quia cum indiuidua sint in continua multiplicatione: iuxta communem modum loquendi, infinita esse videntur. Propter quod etiam non sunt per se intentæ à natura; nec consequenter cadunt sub scientia.

Et sic inducit Porphyrius regulam illam Platonis, quod in scientiis descendendo à generibus supremis, sistendum est in specie infima, nec progrediendum ad indiuidua, quod verissimum est, hæc enim cum à materia sumantur, contingentia sunt, nec ex se habent determinatum numerum, unde nec de illis potest esse scientia.

Ex quo rursus sequitur indiuiduum non poni in linea prædicamentali, ut veram partem illius coordinationis, sed ut fundamentum cui innituntur omnia prædicata talis prædicamenti. Et propterea integra est scientia alicuius prædicamenti, etiam si per eam non cognoscantur indiuidua secundum differentias numericas, quibus in esse talium constituantur.

6. Tandem circa tertiam partem aduerte, quòd tres illæ acceptiones indiuidui, seu tria illa nomina nempe, *Socrates hic homo*, (designato Socrate) & *Sophronici filius*, eandem omnino rem significant, ut patet; differunt tamen in modo illam significandi: nam ly *Socrates* significat rem, quæ est Socrates determinatè, & expressè: ly verò *hic homo*, quasi confusè, & indeterminatè: & tandem ly *Sophronici filius*, per quandam circumlocutionem. Maiorem de indiuiduo notitiam, & definitionem eius explicationem ad calcem disputationis adducemus.



## DISPUTATIO VI.

De Specie, secundò prædicabili.



VARI de secunda intentione speciei secundo loco disputemus, vidimus cap. præcedenti numero 7. Quamuis autem ex dictis in eadem disputatione magna ex parte constet, quid sit natura perfectæ, seu constitutæ, (quæ est proprium subiectum eius intentionis, unde sumitur essentialis eius differentia) & in quo distinguatur à natura perfectibili, quæ est proprium subiectum genericitatis, id tamen amplius explicabimus in hac disputatione. Quòd quia pendet etiam ex cognitione proprii correlatiui harum intentionum; idè de specie subicibili, quæ est correlatiua generis de indiuiduo quod est correlatiuum speciei prædicabilis, hic etiam agemus. Ante omnia amen sit.

## QVÆSTIO I.

An definitiones Speciei à Porphyrio tradita sint bonæ.

7. VARIAS speciei definitiones tradiderunt antiqui, ut refert Masius hic sectione 1. quæstione 1. eis tamen meritò præferuntur adductæ definitiones à Porph. quibus definiuit tam speciem subicibilem, quam prædicabilem, ut explicant communiter Interpretes: nam priora illa verba, scilicet, *Species est id quod subicitur generi: & de quo genus hoc ipso quid est prædicatur*, explicant speciem secundum respectum ad superiora, seu quatenus est subicibilis: alia verò scilicet, *Species est id quod de pluribus differentiis numero, hoc ipso quid est prædicatur*, explicant speciem secundum respectum ad inferiora, seu quatenus est vniuersalis, aut prædicabilis. De quibus definitionibus eodem ordine agemus in hac quæstione, non tam ut eas explicemus, cum satis ex supradictis constent, quam ut satisfaciamus aliquibus argumentis, quæ contra ipsas sunt.

Primò ergo aduertendum est priora illa verba non componere vnicam definitionem ut asseruerunt Auic. Sor. & Tolet. sed esse duas integras definitiones, & inter se valde diuersas, ut docent Boët. Albert. Canter. Caietan. Mas. Sanch. Rub. Et alij in hoc capite. Idque satis exprimit Porphyrius, qui citans dicta verba in plurali dicit: *cetera verò definitiones*. Itaque prima illa verba: *Species est id quod subicitur generi*: est integra definitio, diuersa ab alia, quæ continetur in verbis sequentibus, videlicet: *Species est id de quo genus hoc ipso quid est prædicatur*.

8. Differunt autem istæ definitiones, penes hoc quod prima est essentialis; alia verò descriptiua: nam sicut in genere diximus, quòd esse in pluribus speciebus est essentia eius, prædicari verò de illis, propria passio; ita similiter in specie quatenus est correlatiua generis, seu quatenus est subicibilis, duo possunt considerari, nempe esse id quod existit ratio superior, scilicet genus & esse id de quo eadem ratio superior prædicatur, ut magis explicabimus qu. 3.

Primum



Primum habet rationem essentiae in specie subiciibili, & explicatur optimè in prima definit. dicendo: *Species est id, quod subicitur generi, vel in quo est genus*, quod idem est. Secundum verò habet rationem passionis, & explicatur bene altera descriptione dicendo: *Species est id, de quo genus hoc ipso quid est prædicatur*.

Tandem nota tertiam definitionem, quam adducit Porph. speciei prædicabilis, scilicet *species est id, quod de pluribus differentibus numero hoc ipso quod prædicatur non esse essentialem, sed descriptiuam*, ut docent communiter Doctores, & constat ex his, quæ circa definitionem generis diximus disput. præced. num. 15.

Hoc supposito contra definitiones istas potest obijci: & primò contra duas priores, quia omnes earum particularæ conueniunt indiuiduo: sed indiuiduum non est species subiciibilis: ergo conueniunt aliis à definito. Probatur maior: quia indiuiduum verè ponitur sub genere, & de ipso verè prædicatur genus, in eo quod quid.

9 Respondet bis, in definitionibus assignatis subintelligi *immediatè*, ita ut sensus sit, species est, quæ immediatè subicitur generi. ¶ Sed contra: quia præterquam quòd talis particula debebat exprimi in definitione, & non subintelligi; quippè cum pertineat ad differentiam, adhuc isto modo intellectæ definitiones conueniunt aliis à definito, nempe indiuiduis genericis, quæ immediatè ponuntur sub genere, & de quibus genus immediatè prædicatur, ut patet quando dicimus: *Hoc animal est animal: hac quantitas est quantitas*: ergo tales definitiones non sunt admittendæ.

Secundò contra tertiam arguitur: quia hæc etiam conuenit aliis à definito: ergo est mala. Probatur antecedens. Primò; quia Deus prædicatur in quid de pluribus nempe de personis diuinis, & numero differentibus, siquidem verè sunt tres in eadem essentia, constituuntque veram trinitatem, quæ numerus est ut patet & tamen Deus non est species, cum sit quid singulare.

¶ Secundò: quia de anima rationali, puncto, & aliis huiusmodi constat non esse simpliciter species, cum sint entia incompleta; & tamen verè, simpliciter prædicentur de pluribus differentibus numero, in eo quod quid.

10. Tertio arguitur: quia dicta definitio non conuenit omni contento sub definito: ergo non est bona. Probatur antecedens. Primò, quia non omnis species prædicatur de pluribus, siquidem sol, luna, phoenix, & quælibet species angelica tantum habent vnicum indiuiduum, de quo prædicentur: ergo ex hac parte definitio ista non conuenit omni contento sub definito.

¶ Secundò: quia non omnis species prædicatur de pluribus differentibus numero, siquidem numerus est species quantitatis, teste Arist. in Prædicamentis, ergo non possunt differre numero, nisi quæ habent quantitatem: ergo ex hac etiam parte definitio ista non conuenit speciebus rerum spiritualium.

Quartò tandem: quia definitio debet conuenire definito, inquantum huiusmodi, seu secundum quod tale est; siquidem conuenit cum ipso definito: sed hæc non conuenit speciei inquantum species est: ergo, &c.

Probatur minor, quia species, ut species est, respicit genus, illique subicitur, sed species inquantum subiciibilis, non est prædicabilis ut dicemus quæ 3 ergo speciei inquantum species non conuenit prædicari de pluribus.

11. Respondet bis forè quod species, inquantum Colleg. Compl. Logica.

species est, habet simul respicere genus, & indiuidua, & ita nihil sequitur.

¶ Sed contra, quia relatiuum ex vnicò fundamento, seu ratione fundandi solum potest respicere vnicum terminum adæquatum, ut sumitur ex Diuo Th. 1. parte q. 32. art. 2. & constat inductione: sed ex vna parte ut species est, solum dicit vnicum fundamentum, seu rationem fundandi; ex alia verò parte genus, & indiuidua sunt termini adæquati inter se diuersi, ut patet: ergo species ut species est, non potest simul respicere genus, & indiuidua.

Dicendum tamen est definitiones speciei à Porphy. traditas esse bonas. Sic docent communiter Dialectici, sumiturque ex doctrina Arist. 1. Topic. c. 2. lib. 4. cap. 1. & 2. & Alibi sæpè. Et priorem quidem tradiderunt Stoici, ut testatur Laër. lib. 7. de vitis Philosoph. in Canone, eamque adducit Damasc. in sua Logica 2. Posterioriorem verò aditit & Probat D. Th. Opus. 48. tract. 1. c. 3. quarum omnium bonitas satis constat ex dictis c. præced. Omnes enim traduntur per subiectum loco generis, & quæ ex eis sunt descriptivæ, per propriam passionem loco differentiae, nihilque continent superfluum, aut diminutum, ut magis constabit ex solutione argumentorum.

12. Ad primum respondet acutè Caietan. hic ex Albert. Quia tamen aliqua supponit, quæ nondum examinata sunt, clariùs cum Tolet. responderetur, quòd quando dicimus, *Speciem esse, quæ ponitur sub genere*, &c. sermo est formalis, sicut debet esse in definitionibus, & sic intelligitur de immediata positione sub genere, secundum quod habet rationem generis: & ita sensus est: species est, quæ immediatè ponitur sub genere tali positione, secundum quam est genus, quod nulli præter speciem conuenit. Nam licet *animal* de hoc animali & *quantitas* de hac quantitate immediatè prædicetur: tamen ad eum modum quo *hoc animal*, aut *hæc quantitas*, ex modo significandi habent rationem indiuidui: ita etiam *animal*, aut *quantitas* ex modo, quo prædicantur *de hoc animali* aut *de hac quantitate*, habent rationem speciei, & non generis; siquidem proptèr sic enuntiatur ut tota essentia inferiorum, quod proprium est speciei, ut ex dictis supra constat.

¶ Per quod patet ad replicam ibi factam. Videatur Rub. hic quæst. 5. conclus. 2.

Ad secundum negatur antecedens. Ad cuius primam probationem respondetur personas diuinas propriè, & simpliciter loquendo, non differre numero, ut ex D. Thoma 1. parte quæst. 30. docet Sor. hic quæst. vnica, quia non differunt in natura, quod tamen necessarium est, ut aliquid sit species. Cum enim species sit vniuersalis, necessariò respicit plura, quæ simpliciter sunt plura, & sic necessariò est multiplicabilis, & diuisibilis per differentias: quod tamen naturæ diuinæ repugnat; cum non multiplicetur in personis. Vnde ibi non est pluralitas absolutorum, sed relationum tantum ut inquit D. Tho. q. citata. art. 1. ad 3. Quæ licet non sufficiat ut Deus sit species, sufficit tamen, ut in eo sit vera Trinitas personarum. Videatur Angelicus Doctor in 1. dist. 24. quæst. art. 2.

Ad secundam probationem illius antecedentis respondetur quòd entia incompleta, sicut non ponuntur in recta linea prædicamentorum, nec propriè, & simpliciter sunt vniuersalia, genera, aut species; sed tantum secundum quid; ita etiam non conuenit illis simpliciter prædicari de pluribus, sed tantum secundum quid; cum eadem sit ratio de essentia, aut de propria passione, Videantur quæ diximus supra disp. 4. numer. 31. & 31.

M 13 Ad

13. Ad tertium negatur etiam Antecedens. Cuius prima probatio tangit difficultatem infra q. 4. explicandam: an scilicet species Angelica sit prædicabilis, & ita ibi patebit solutio argumenti quantum ad species Angelicas. De aliis vero, ut de Sole, Phœnice, & huiusmodi, responderetur, quod licet de facto non habeant plura individua, non tamen repugnat ea habere, saltem ex principiis specificis talium naturarum, ut rectè docet D. Thom. 4. contra gentes, c. 35. & sic possunt potentia Logica prædicari de pluribus differentibus numero.

Ad secundam probationem eiusdem antecedentis responderetur etiam in aliis prædicamentis præter quantitatem reperiri unitatem, & numerum transcendentalem, ut docet idem D. Thomas 1. part. quæstione 70. articulo 3. & hoc sufficit ad verificanda verba definitionis. Nam omitendo pro nunc, utrum in substantiis quæ non habent quantitatem, possit esse distinctio numerica, certum est eam reperiri in accidentibus rerum spiritualium: siquidem iuxta probabilem opinionem intellectus Angelorum solum numero distinguuntur. Et saltem de gratia, aut charitate eorum negari non potest, ac proinde verè sunt species infinitæ, cum tamen numerus ille non sit species quantitatis, ut de se patet.

14. Ad quartum: cum sua replica respondet Caiet. in quodam dubio circa hanc definitionem, concedendo eam non convenire speciei in quantum species, sed esse secundum quandam eius proprietatem, quæ sequitur ad esse speciem: existimat enim ut quæstione 3. videbimus, essentiam speciei, quatenus species est, solum esse respicere genus, idque oriri tantquam passionem, quod sit universalis, seu prædicabilis, & sic concludit in hac definitione non definiri speciem, in eo quod species, sed secundum quandam eius passionem.

Hæc tamen solutio, ut loco citato ostendemus, falso nititur fundamento: idè illa relicta, responderetur ex ibi dicendis, subiectibilitatem, quam habet species respectu generis, & prædicabilitatem, quam habet respectu individuum, esse relationes inter se disparatas. Quia propter species æquivocè dicitur de specie subiectibili, & prædicabili, & consequenter non habet aliquam unam definitionem, prout comprehendit utræque; ut contingit in aliis æquivocis. Undè sicut canis, quatenus canis est, nec est solum latrabilis, nec solum marinus, sed utrumque ita species, quatenus species, nec solum habet respectum ad genus, nec solum ad individua, sed utrumque. Et in hoc sensu intellecta solutio ibi adducta, optima est.

15. Ad cuius replicam responderetur in ea tangi difficultatem, unde desumenda sit specificatio harum intentionum, quod tamen pendet ex dicendis cap. de relatione. Interim dicimus, quod si illa petenda sit ex fundamento, & ratione fundandi, ut tetigimus supra disputat. 2. numero 41. consequenter asserendum est, quod sicut subiectibilitas, & prædicabilitas sunt relationes disparatæ, quas nomen species æquivocè significat: ita etiam habent fundamenta: seu rationes fundandi inter se disparatas, quas idem nomen involuit, nempe cognitionem passivam naturæ specificæ ut id de quo dicitur generica, & cognitionem passivam eiusdem, ut id quod dicitur de individuis; & ita falsa est minor argumenti quoad primam partem.

Si verò asseratur tam à fundamento, quam à termino sumendam esse specificationem relationum: consequenter dicendum est, quod etiam si species, quatenus species est, solum dicat unam rationem fundandi, adhuc subiectibilitas, & prædicabilitas possunt esse relationes diuersæ, & disparatæ propter diuer-

fos & disparatos terminos adæquatos; videlicet genus, & individua. De quo constabit ampliùs cap. de relatione.

## Q V Æ S T I O II.

*An genus possit conservari in unica specie, & species in unico individuo.*

16. **H**æc difficultas maximè iuvat ad plenè percipiendum discrimen inter naturam genericam, & specificam, secundum quod sunt propria subiecta genericitatis, & specificitatis, per quæ hæc intentiones definiuntur. Et idè iuxta methodum supra præscriptam, statim post examinatas descriptiones Porphy. procedimus ad hanc quæstionem.

In qua quidem disputamus de ipsa natura generica, & specifica, non verò de secundis intentionibus, nam de his sicut certum est, esse relationes rationis ad plura inferiora, ab intellectu formatas, & intra ipsum manentes; sic etiam certum est non necessariò exigere, ut illa plura sint à parte rei existentia. Sine enim existant species, & individua, siue non, intellectus potest formare intentionem generis, & speciei apprehendendo naturas illas possibiles in ordine ad sua inferiora possibilia. Semper tamen intentiones istæ requirunt, ut terminum adæquatum, plura inferiora. Undè loquendo de naturis istis Logicè, id est, prout denominantur à secundis intentionibus, nec natura generica habet universalitatem in ordine ad unam speciem tantum; nec natura specifica in ordine ad unicum individuum, ut per se patet. Difficultas ergo solum est de ipsa natura generica, vel specifica secundum se: an scilicet, animal, quod est genus ad hominem, & equum possit conservari in sola specie humana, & aliis animalibus non existentibus. Et similiter: an homo, qui est species respectu Petri, & Pauli, possit conservari in solo Petro, aliis omnibus individuis de medio sublati.

17. Secundò notandum est naturas istas genericam, & specificam posse considerari dupliciter. Primò Physicè, & quasi materialiter, id est, secundum realem entitatem, quam dicunt prædicata essentialia, quæ actu includunt; ut in animali, illa entitas, quæ est principium sentiendi, est etiam realiter perfectio vitæ, corporis, substantiæ, &c. & idem est in homine. In quo sensu nulli dubium est, genus posse in unica specie conservari, & speciem in unico individuo: nam solo Petro existente, verè etiam existit entitas, & perfectio realis, quam actu dicunt, homo, animal, vivens, &c. cum omnia sint à parte rei in Petro unica, & eadem entitas realis.

Secundò possunt considerari natura generica, & specifica Metaphysicè, & quasi formaliter, ut scilicet sunt conceptus quidam præcisi, & gradus inter se diuersi: ex quibus alter, nempe genericus est totum quoddam potentiale, & informe materiæ valde simile; & per consequens ultra perfectibile, & diuisibile, per differentias formales; alter verò, videlicet specificus est quoddam totum actuale, & perfectum ultimumque in essentia constitutum, & per consequens solum diuisibile per differentias materiales, seu numericas. Et in hoc sensu procedit difficultas: an scilicet gradus genericus secundum potentialitatem, quam includit Metaphysicè consideratus, sufficienter intelligatur æuari, & saluari in unica specie, & similiter species in unico individuo.

18. Prima sententia absolutè affirmat posse genus conservari

conseruari in vnica specie, & speciem in vnico indiuiduo. Ita Scot. in hoc cap. q. 18. Louanienſes ibidem parte 4. Ioannes Anglicus qu. 15. in prædicationibus Scoti & alij, quos referunt Maſ. & Sanch. infra citandi. Non laet nos, Auctores iſtos poſſe explicari de conſideratione Phyſica generis, & ſpeciei: ſed quidquid ſit de hoc.

Probatuſ primò hæc ſententia: quia non minus materia prima ſecundum ſe eſt indifferens, & in potentia ad plures formas, quam genus ad plures differentias ſpecificas: nec minus formæ perficiunt materiam primam; quam differentia genus: ſed materia prima cum omni ſua potentialitate ſufficienter ſaluatur in vno indiuiduo: actiuata per vnā formam: ergo potentialitas generis ſufficienter ſaluatur in vna ſpecie actiuata per vnā differentiam.

Secundò: quia ſi genus ratione ſuæ potentialitatis, non poſſet ſaluari in vnica ſpecie, neque etiam poſſet ſaluari in duabus, ſed exigeret ſyncategorematicè infinitas, quod videtur abſurdum: ergo, &c. Probatuſ ſequela: quia potentialitas generis non eſt ad duas differentias, ſed ad ſyncategorematicè infinitas, vt patet in potentialitate numeri in ordine ad differentias ſpecificas numerorum, quæ poſſunt in infinitum multiplicari: ergo vel dicendum eſt genus poſſe ſaluari in vnica ſpecie, vel negandum quod ſaluatur in duabus.

19 Tertio: quia iam etiam ſequeretur, loquendo de potentialitate generis, Deum neque de potentia abſoluta poſſe conſeruare illud in vnica ſpecie: hoc autem videtur falſum: ergo, &c. Sequela eſt manifeſta, minor verò probatur: quia Deus poteſt, & de facto ſatiat totam potentialitatem materiæ primæ per vnā formam, vt patet in cælo: ergo poterit etiam producere vnā differentiam ita perfectam, vt exhauriat totam potentialitatem generis, ac pròinde tunc ſaluabitur in vna ſpecie ſecundum totam ſuam potentialitatem.

Quartò: quia ſi natura generica animalis tantum remaneret in aliqua ſuarum ſpecierum, v. g. in homine, vt de facto erit poſt diem iudicij, talis ſpecies poſſet definiri: ergo verè in ea eſſent conceptus Metaphyſici generis, & differentia; & ex conſequenti gradus genericus ſecundum potentialitatem, quam habet Metaphyſicè conſideratur, verè conſeruaretur in vnica ſpecie.

Confirmatur: quia etiam ſi nullum eſſet poſſibile animal præter hominem, adhuc hæc prædicatio. *homo eſt animal*, eſſet eſſentialis, & non ſpeciei, aut differentia: ergo eſſet prædicatio generis, ac pròinde ſimul animal eſſet genus, & ſaluaretur ſecundum totam ſuam potentialitatem in vnica ſpecie.

Alia argumenta, quibus probatur altera pars huius ſententiæ, ſcilicet quòd ſpecies poſſit conſeruari in vnico indiuiduo conſultò omittimus: quia non ſunt contra nos, vt infra conſtabit.

20 Secunda ſententia, præcedenti ex regione oppoſita, negat poſſe genus conſeruari in vnica ſpecie, aut ſpeciem in vnico indiuiduo. Sic defendit Oñs in hoc cap. quæſt. 2. artic. 2. quem ſequuntur aliqui moderni. Fundamentum eorum: eſt quia vtræque natura diuiditur per differentias oppoſitas, & incompatibiles: ergo vtræque exigit plura inferiora, vt earum potentialitas intelligatur plenè actiuata. Conſequentia videtur nota: quia, vt poſtea dicemus, hæc eſt ratio propter quam DD. communiter negant genus Metaphyſicè ſumptum poſſe conſeruari in vnica ſpecie. Antecedens verò probatur: quia ſicut animal diuiditur per rationale, & irrationale, quæ ſunt indifferentia oppoſita, & incompatibiles, ita etiam homo diuiditur per differentias in-

Colleg. Compl. Logica.

diuiduales, quæ ſimiliter ſunt oppoſita, & incompatibiles.

21 Vera tamen: & communis ſententia diſtinctione vtitur; iuxta quam dicendum eſt naturam genericam Metaphyſicè conſideratam, ſecundum potentialitatem, quam dicit intra latitudinem perfectionis eſſentialis, integrè non perfici, neque ſaluari in vnica ſpecie, benè autem naturam ſpecificam in vnico indiuiduo. Hæc eſt proculdubio mens Ariſtot. 4. Topicor. cap. 3. & 3. Metaphyſ. text. 10. eamque non obſcurè docet Diu. Thom. 1. Poſter. lect. 12. & in 1. diſtinct. 19. quæſt. 4. art. 2. quem ſequuntur eius diſcipuli, Sor. in hoc cap. quæſt. vnica Flandria, Venetia, & Niger, quos refert, & ſequitur Maſ. ſectio. 2. de genere quæſt. 1. Sanch. lib. 3. quæſt. 11. Tolet. in hoc cap. quæſt. vnica, Rub. ibidem quæſt. 3. & communiter DD.

Vt explicetur, & probeatur conſuſio, obſeruandum eſt diſcrimen inter naturam genericam, & ſpecificam ſuprà à nobis inſinuatam, quòd ſcilicet natura generica, cum ſit diuiſibilis per differentias formales, quæ neceſſariò cauſant diſtinctionem ſpecificam, ipſa in ſe eſt quid imperfectum, incompletum, & informe intra latitudinem perfectionis eſſentialis, in qua conſequenter perficitur, & completur per eandem differentias; ad eum modum quo materia prima perficitur, & completur per formas ſubſtantiales. At verò natura ſpecifica cum in ſe ſit quid perfectum, actuale, & vltimò conſtitutum intra latitudinem perfectionis eſſentialis: in hoc nullo modo perficitur per differentias numericas, ſed ſolum indiuiditur, & multiplicatur; quæ potiùs eſt imperfectio, vt ſtatim conſtabit.

21 Ex quo iam facile probatur conſuſio è priori: quia integra perfectio potentia ſumitur ex actu adæquato illi correfpondente: ſed natura generica, vt nunc loquimur de illa, eſt potentia quædam Metaphyſica, reſpiciens vt adæquatum actum omnes differentias, per quas contrahitur ad ſpecies: ergo non habebit integram perfectionem, quam prout ſic poſtulat, vſque dum fuerit actiuata, & contracta per tales differentias. Maior, & conſequentia conſtant. Minor etiam à nemine negatur, eſtque ſatis ex ſe manifeſta; tum quia vnaquæque differentia diuiſiua eſt inferior generi, & inconuertibilis cum illo; & per conſequentem ei inadæquata: tum etiam quia ex eo quòd talis differentia eſſentialiter faciat vnā ſpeciem diſtingui ab aliis, ſub eodem genere; huius potentialitas neceſſariò eſt radix oppoſitarum differentiarum: ergo nulla earum per ſe ſola poteſt adæquare ſalem potentialitatem.

At verò natura ſpecifica conſiderata intra latitudinem perfectionis eſſentialis, non habet rationem potentia, ſed potiùs eſt quoddam totum actuale vltimò in eſſentia completum, & perfectum; & conſequenter non reſpicit vt actum eſſentialem differentias indiuiduales. Imò potiùs, vt rectè notauit Diu. Thom. 2. Phyſic. lect. 5. ipſa natura ſpecifica quodammodo comparatur ad indiuiduum vt actus, & forma eius; ac pròinde quodammodo etiam deprimatur, & materializatur per differentias indiuiduales, ergo vt natura ſpecifica intelligatur cum omni moda perfectione eſſentiali, non requiruntur plura indiuidua.

Confirmatur: quia ſic ſe habet natura generica reſpectu differentiarum, ſicut materia prima rerum corruptibilium reſpectu formarum ſubſtantialium: ſed materia prima earum non poteſt habere omnem ſuam perfectionem ſub vnica forma, aliàs non haberet aptitudinem ad alias: ergo nec etiam genus poteſt habere omnem ſuam perfectionem ſub vnica differentia eſſentiali.

M 2

A 6

At verò natura specifica respectu differentiarum individualis, quodammodo assimilatur materię primę rei incorruptibilis respectu suę formę, quatenus sub ea intelligitur esse plenè perfectă, & actuată, nec habere appetitum ad alias, vt explicatur in lib. de cælo: ergo sicut materia prima rerum incorruptibilium, habet omnem suam perfectionem sub vnica forma, ita etiam species sub vnica differentia individuali.

23 Secundò probatur à posteriori: quia nullum datur in rerum natura genus, quod actu non habeat plures species; plures autem sunt species, quarum vnicum tantum est individuum: ergo signum manifestum est, quòd genus actu exigit plures species, vt saluetur omnimoda perfectio essentialis eius, non autem species plura individua. Pater consequentia: quia alias natura superflueret in multitudine illarum specierum, vel deficeret in singularitate horum individuorum, quorum vtrumque alienum est ab ingenio naturę.

Confirmatur: quia natura per se solùm intendit multitudinem specierum in vniuerso; non autem multitudinem individuorum, nisi propter conseruationem speciei, vt docet D. Tho. 1. part. quæst. 47. art. 2. & quæst. 85. art. 3. ad 4. Nec hoc alia ratione, nisi quia genus habet in vnaquaque specie distinctam perfectionem essentialem, quod non habet species respectu individuorum. Vnde etiam fit vt species pertineant per se ad ordinem vniuersi, & sint partes essentielles eius, non autem individua: ergo genus secundum potentialitatem, quam dicit intra latitudinem perfectionis essentialis, non intelligitur plenè saluari in vna specie, bene autem species in vno individuo.

Confirmatur secundò: quia etiam vltima naturę intentio non est ad ipsa genera, vt art. 3. citato addit D. Thom. nulla alia ratione, nisi quia genus secundum se est quid incompletum, & informe vltra perfectibile per plures differentias, & determinabile ad varias species. Ergo non intelligitur plenè perfectum in vna tantum specie.

24 Ad argumenta pro prima sententia respondetur. Ad primum neganda est minor loquendo de potentialitate materię primę metaphysicè, & secundum omnem eius latitudinem, vt in præsentī loquimur de genere. Quamuis enim tota entitas huius potentialitatis physicę, & realiter considerata inueniatur sub qualibet forma, sicut inuenitur tota essentia physica generis, numquam tamen plenè, & perfectè actuat per vnā formā, vt supra dicebamus, & ita nihil sequitur contra nos, imò indè sumitur efficax argumentum pro nostra sententia.

Ad secundum respondetur, argumentum optimè probare genus secundum omnem suam potentialitatem, & omnimodam perfectionem quam postulat intra latitudinem perfectionis essentialis, exigere tot species, quot sunt differentię diuissuę eius, siue finitę, siue infinitę, quod quidem verissimum est, & sequitur planè ex dictis. Soler autem frequenter dici, genus non posse saluari nisi in duabus speciebus: quia quę ad minus sunt necessarię, vt intelligatur genus esse totum potentiale. Vel etiam: quia sæpius sub quolibet genere assignamus duas tantum differentias alteram positiuam, & propriam principalioris speciei, alteram verò negatiuam, & impropriam, loco aliarum, vt patebit in arbore infra adducenda.

25 Ad tertium respondetur, quòd loquendo de genere physicè, & realiter, satis euident est posse Deum conseruare quodlibet genus in vnica specie: loquendo verò de illo metaphysicè, & secundum plenitudinem suę potentialitatis, est manifesta implicatio: quòd sit genus, & quòd intelligatur plenè perfectum in vna specie. Iam enim vna differentia simul esset actus ad-

quatus, & non adæquatus generis, quod à Deo fieri non potest. ¶ Ad id autem, quod contra hoc obiicitur de materia prima, iam constat ex dictis. Si enim sermo sit de materia prima rerum corruptibilium, implicat propter eandem rationem ipsam intelligi plenè actuatam per vnā formā, id autem habet de facto materia cæli: quia vt ibi explicabimus, illa respicit actum secundum genus, ista verò secundum speciem, & ita illa assimilatur generi, ista verò speciei. Vnde merito vti sumus hoc exemplo, ad probandam vtramque partem nostrę conclusionis.

Ad quartum respondetur conceptum Metaphysicum generis posse considerari præcisè secundum prædicata essentialia: quę actu includit, seu vt est pars speciei, & hoc modo intrat definitionem eius, saluatque in vna specie, vt supra dictum est, non vero secundum quod consideratur vt totum potentiale, siue secundum omnem perfectionem quam postulat intra latitudinem perfectionis essentialis, vt in præsentī loquimur.

Ad confirmationem respondetur, quòd dato illo impossibili, idem omnino esset animal, & homo, & ita prædicatio illa non esset formalis, sed identica, vt consideranti patet.

26 Ad fundamentum secundę sententię respondetur, quòd licet differentię individuales sint oppositę sicut specificę: hæc tamen addunt perfectionem essentialē supra genus, & sic potentialitas, quam dicit intra latitudinem perfectionis essentialis, non actuat totaliter per vnā differentiam. At differentię individuales nullam talem perfectionem addunt speciei, & ita natura specifica totam suam perfectionem essentialē habet in vnoquoque individuo. Verum est, quòd si natura specifica consideretur formaliter, quatenus vniuersalis, habet quandam potentialitatem, seu indifferentiam ad plura individua. Sed hæc est consideratio Logica, iuxta quam quælibet natura vniuersalis requirit vt terminum adæquatum plura inferiora, vt in principio quæstionis diximus, quo sensu non loquimur in præsentī, vt ex dictis patet.

### QVÆSTIO III.

*Vtrum species quatenus subiectibilis sit vniuersalis, vel quomodo se habeant  
bi respectu.*

27 EX dictis in præcedentibus satis constat, in qualibet natura vniuersali duas esse relationes rationis respectu inferiorum, nempe *vniuersalitatem*, & *prædicabilitatem*, quibus, cum sint mutue, necessariò correspondebunt ex parte ipsorum inferiorum duę alię relationes ad naturam vniuersalem. Quę indistinctę solent appellari *subiectibiles*, sed distinctionis gratia, primam possumus appellare *subiectibilitatem naturę in qua*; secundam verò *subiectibilitatem naturę de qua*. Ex quibus hæc secunda est passio primę, sicut prædicabilitas vniuersalitatis. Quę doctrina generalis est ad quinque prædicabilia, vt diximus disput. 2. num. 46. adducemus tamen exemplum in hoc secundo vniuersali, cui specialiter applicatur propter rationem sup. num. 4. insinuatam. Igitur in homine quatuor relationes rationis inueniuntur, duę respectu superioris, scilicet animalis, & totidem respectu inferiorum, scilicet Petri, & Pauli. Secundum quòd natura habet duas priores, dicitur *species subiectibilis*; secundum verò, quòd habet duas alias, dicitur *species vniuersalis*, & *prædicabilis*.

Præsens

Præfens ergo difficultas non comparat inter se duas subiicibilitates, neque item comparat vniuersalitatem & prædicabilitatem, de hoc enim satis ex dictis constat. Sed comparat duas priores cum duabus posterioribus; & inquit: an species quatenus respicit superiora & dicitur subiicibilis, respiciat etiam inferiora, & sit prædicabilis, vel (quod in idem recedit) an relationes istæ seruent inter se ordinem passionis, & essentiae, & una oriatur ex alia; sicut de duabus subiicibilitatibus inter se, & de vniuersalitate, & prædicabilitate dictum est.

28. Caiet. in hoc cap. quem sequitur Araux. lib. 3. Metaph. quæst. 4. art. 3. conclus. 3. concedit quidem speciem formaliter inquantum subiicibilem non esse vniuersalem, aut prædicabilem; ita quod per ipsum respectum ad genus constituatur in esse vniuersalis, aut prædicabilis. Afferit tamen subiicibilitatem in specie se habere ut essentiam, à qua tanquam passionibus oriuntur vniuersalitas, & prædicabilitas. ¶ Cuius fundamentum est: quia species formaliter quatenus species, solum respicit genus; ita ut hoc sit maximè proprium speciei: ex eo autem quod sit sub genere, consequens est habere sub se individua, & illa respicere: ergo relationes quibus respicit inferiora oriuntur à relationibus, quibus refertur ad genus, & per consequens illæ habent rationem passionis respectu istarum.

29. Tolet. è contra quæstione vnica huius c. in solutione ad 1. asserit vniuersalitatem habere rationem essentiae, à qua tanquam passionibus profluunt prædicabilitas, & subiicibilitas, & ex consequenti tenetur concedere, ut bene notat Rub. hic. q. 2. quod sicut hæc propositio est vera, *Species inquantum prædicabilis est vniuersalis*, & è contra; ita etiam hæc, *Species inquantum subiicibilis est vniuersalis*. Contrà.

Probatur primò hæc sententia: quia vniuersale in communi, est genus ad quinquè vniuersalia: ergo quodlibet vniuersale respiciet illud tanquam species subiicibilis eius. Sed quodlibet vniuersale, quatenus vniuersale est, respicit dictum genus: ergo quodlibet vniuersale quatenus vniuersale, est species subiicibilis.

Secundò: quia quod immediatè subiicitur generi, est vniuersale: sed species quatenus subiicibilis, immediatè subiicitur generi: ergo species quatenus subiicibilis, est vniuersalis.

Tertiò, quod correlatiua sunt sub eodem genere sed genus, inquantum genus est vniuersale: ergo species subiicibilis, inquantum subiicibilis, debet etiam esse vniuersalis.

Quartò tandem: quia species subiicibilis prædicatur essentialiter de hac specie subiicibili, & de illa specie subiicibili: ergo quatenus subiicibilis est vniuersalis.

30. Nihilominus dicendum est primò speciem formaliter quatenus subiicibilem non esse vniuersalem; ita quod natura constituatur in esse vniuersalis, aut prædicabilis per relationem ad superiora. Hanc conclusionem docuerunt Alpharabius, & Auicenna, quos refert; & sequitur Albert. tractat. 4. in Porphy. licet Auicenna videatur dubitare propter quod ab Alberto reprehenditur, qui addit hanc extitisse inter cæteros antiquos opinionem. Eam concedunt Caietan. & Arauxo vbi supra, èstque receptissima inter Dialecticos. ¶ Et breuiter probatur: quia natura specifica, constituitur in esse subiicibilis per ordinem ad genus cui comparatur ut subiectum ab eo contentum: vniuersale autem constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad inferiora, respectu quorum est prædicatum continens ipsa: ergo species inquantum subiicibilis non est vniuersalis.

Colleg. Compl. Logica.

31. Dicendum est secundò, relationes istas non habere inter se ordinem passionis, & essentiae, nec vnari oriri ex alia, sed esse omnino diuersas, & disparatas. Hæc est contra Auctores primæ, & secundæ sententiæ; recipiunt tamen communiter, tum à Thomistis, tum etiam ab aliis Dialecticis. Pro qua videri possunt Sanchez lib. 3. Logica q. 15. Mai. hic sect. 1. q. 4. noster Dialect. à Iesu disp. 2. quæst. 2. Rub. vbi supra, & Gall. hic controuers. 14. qui plures hos adducit.

Fundamentum est: quia istæ relationes adueniunt naturæ, ex eo quod comparat illam intellectus ad diuersos terminos: sed una harum comparisonum non dependet, nec deriuatur ex alia: ergo nec relationes ipsæ inter se; & ex consequenti non habent ordinem passionis, & essentiae. Maior, & consequentia ex dictis constant. Minor verò probatur: quia ex eo quod intellectus comparat speciem ad genus, ipsa non manet aptior, aut magis disposita, ut comparetur ad individua, quam si nullo modo præcessisset prima comparatio, ut consideranti patebit; & idem contingit è contrariò: ergo una istarum comparisonum non dependet, nec deriuatur ex alia.

Confirmatur: quia idèd prædicabilitas est passio vniuersalitatis, quia ex eo quod intellectus comparat naturam ad inferiora, ut quid in illis existens, natura redditur aptior, & vltimò disposita ut comparetur ad eadem inferiora: tanquam quid de illis prædicabile: sed hoc non inuenitur in præfenti: ergo, &c.

Dices: relatio, qua species respicit genus, necessario supponit vniuersalitatem in specie; alias definitio speciei subiicibilis conueniret etiam individuo, ergo subiicibilitas in specie oritur tanquam passio ab vniuersalitate.

Respondetur subiicibilitatem, qua species respicit genus, solum requirere in specie vniuersalitatem fundamentalem, seu indifferentiam illam negatiuam quam disp. 3. n. 57. diximus habere naturam ab abstractione intellectus; per quod sufficienter distinguitur species subiicibilis ab individuo. Statim autem ac natura est sic abstracta, potest intellectus prout voluerit comparare eam, vel ad genus, vel ad individua, & sic tales relationes sunt omnino diuersæ, & disparatæ.

32. Ad argumenta responderetur. Ad fundamentum primæ sententiæ, quod si speciem sumamus fundamentaliter pro natura specifica, quæ denominatur à secundis intentionibus, sic accidentaliter est illi, tam subiicibilitas, quam vniuersalitas, aut prædicabilitas: si verò loquamur de ipsis intentionibus inter se comparatis, neutra oritur ex alia, nec necessario supponit illam, sed sunt relationes disparatæ, ut ostensum est. Ambæ tamen intunt ipsi naturæ specificæ; & sic species, quatenus species, non habet solum respicere genus, nec solum individua: sed vtrumque, ut diximus sup. n. 14. Verum est tamen quodammodo esse magis connaturale, & quasi intrinsicè naturæ specificæ, fundare relationem ad genus, quam ad individua: quia illud respicit ut quid sibi essentialiter, hæc verò ut quid extra essentiam suam: sed ex hoc non sequitur vniuersalitatem habere rationem passionis, respectu subiicibilitatis, ut de se pater.

33. Ad argumenta pro secunda sententia responderetur. Ad primum, quinquè vniuersalia, quatenus sunt species subiicibiles, & respiciunt suum genus, nempe vniuersale, materialiter tantum esse vniuersalia, id est, quasdam naturas vniuersales; non verò esse formaliter vniuersalia, secundum quod subiiciuntur superiori: quia respectu eius non exercent vniuersalitatem, ut de se constat.

Per quod patet ad secundum: quando enim dicitur, *Illud quod immediatè subiicitur generi, est vniuersale*, intelligitur materialiter: & sensus est illam rem, M 3 quæ



quæ immediatè subiicitur generi debere esse naturam, quæ denominari possit vniuersalis, non formaliter prout subiicitur, sed aliàs; ex quo nihil sequitur contra nos.

Ad tertium responderetur correlatiua, quæ mutuo se respiciunt, necessariò esse saltem sub genere remoto relationis; siquidem ex utraque parte resultat relatio. Sed non in omnibus utraque relatio est eiusdem rationis, ut patet in relationibus, quas Dialectici appellant disquiparantiz. Et huiusmodi sunt vniuersalitas, & subiicitibilitas, non conueniunt in aliquo genere proximo, sed tantum in remoto, ut patet ex diuisione relationis rationis suprâ disput. 2. num. 46. statuta, & consequenter sunt diuersæ rationis. Unde non bene sequitur, quod si genus, ut respicit speciem, est vniuersale, etiam species, ut respicit genus, debeat esse vniuersalis: imò potius oppositum necessariò concluditur.

Ad quartum responderetur concedendo antecedens, quod scilicet species subiicitibilis respectu huius, & illius speciei subiicitibilis, verè est vniuersalis, & prædicabilis, sed hoc idè est; quia tunc materialiter tantum est ut de se patet.

34. ¶ Ex dictis infertur nomen *species* æquiuocè dici de specie subiicitibili, & prædicabili, quod rectè notarunt Sot. & Niger. in hoc cap. & probant latè Sanch. Mas. vbi suprâ. Ratioque est manifesta: quia licet species subiicitibilis, & prædicabilis aliis conueniat vniuoce in relatione rationis, aut aliis generibus subalternis: tamen prout isto nomine significantur, nihil habent commune præter nomen; siquidem in ratione *speciei* sunt relationes omnino disparatæ; ut explicatur est. Sicut à simili, cernimus, in cane latrabili, & marino, qui quamuis vniuoce conueniant in genere substantiæ, corporis, & animalis, tamen ut significantur nomine *canis*, sunt res omnino disparatæ, nihilque habent commune præter nomen: & idè æquiuocè prædicatur de illis.

#### Q V Æ S T I O IV.

*Vtrum omnis species subiicitibilis sit etiam prædicabilis.*

35. **Q**uestione præcedenti statutum est subiicitibilitatem, & prædicabilitatem nullum inter se seruare ordinem passionis, & essentiz. Restat nunc videre: an materialiter saltem, ratione subiecti, aliquam inter se seruent societatem, id est an quilibet natura specifica, quæ potest recipere intentionem subiicitibilis possit etiam fundare intentionem prædicabilis.

Mouetur autem hæc difficultas, propter aliquas species, quæ tantum habent vnicum indiuiduum, ut de Angelis tenet communis Thomistarum sententia. De quibus licet dubitari non possit esse species subiicitibiles; siquidem sunt sub determinato genere, merito tamen vocatur in dubium, an sint vniuersales, & prædicabiles. Cum enim de ratione vniuersalis sit ordo ad plura, ut sæpè dictum est: videtur id ex Diametro pugnare cum istis speciebus, quæ sub se non habent plura indiuidua.

Supponimus autem plura indiuidua intra tales species esse omnino impossibilia, etiam de potentia absoluta, ut tenent graues Thomistæ, & probat Sanch. lib. 3. q. 18. Ex hypothesi enim huius sententiæ procedit præsens difficultas. Nam de corporibus cælestibus, quibus saltem ex principiis suæ essentiz, non repugnat numero multiplicari: & de ipsis naturis An-

gelicis in sententia asserentium ipsas de facto, vel de possibili habere plura indiuidua, non debet dubitari esse etiam prædicabiles. Inquirimus ergo vtrum Jaro, quod sub specie Michaëlis sint omnino impossibilia plura indiuidua, adhuc talis natura, ut à nobis concipitur possit subire intentionem vniuersalis, & prædicabilis.

36. Partem negatiuam defendunt Molina 1. part. q. 50. art. 4. Suar. disp. 5. Metaph. sect. 2. nu. 18. Perez in Laurea Salmantina certamine, 3. scholastico. Rub. q. 4. Hurt. disp. 5. Logica sect. 3. Cabero tract. 3. disp. 3. dub. 3. Raphaël de Auerla quæst. 8. sect. 4. & alij Moderni.

Probatum primò hæc sententia: quia vniuersale est vnum in multis: sed natura Angelica non est vna in multis: ergo non est vniuersalis. Probatum minor. Vel illa multa sunt existentia, vel possibilia, vel ab intellectu conficta: non primum, neque secundum ut supponimus. Tertium autem esse impossibile, probatur: quia species prædicatur essentialiter de pluribus: sed natura Angelica non prædicatur essentialiter de illis inferioribus, quæ fingit intellectus; cum hæc sint entia rationis, illa verò ens reale: ergo ratione illorum non potest natura Angelica denominari vniuersalis, seu prædicabilis.

Confirmatur: quia vniuersalitas resultat in natura, ex eo quod ab intellectu comparetur ad plura inferiora, iuxta dicta disp. 3. num. 59. ergo vbi fuerit impossibilis talis comparatio, erit impossibilis vniuersalitas. Sed in natura Angelica impossibilis est comparatio ad plura, ex hypothesi quod sint impossibilia talia plura: ergo ibi est etiam impossibilis vniuersalitas.

Confirmatur secundò: quia idè Petrus non potest concipi, ut vniuersalitas: quia concipitur sub opposito eius, quod petit vniuersalitas, scilicet sub immultiplicabilitate secundum numerum: sed similiter natura Michaëlis concipitur sub eadem immultiplicabilitate, siquidem ex hypothesi facta concipitur, ut tantum potens descendere ad vnicum indiuiduum, tanquam ad quid adæquant talem naturam: ergo nequit concipi, ut vniuersalis.

Secundò probatur: quia licet Angelos apprehendamus ad modum corporum, & per species eorum: non tamen iudicamus esse corpora, nec illis tribuimus aliquid proprium corporum: ergo licet species Angelicas apprehendamus ad modum specierum materialium, quæ sunt vniuersales, & prædicabiles, non idè illis debemus tribuere easdem intentiones, quas tribuimus istis.

Confirmatur: quia aliàs natura diuina, ut à nobis pro hoc statu concipitur, verè posset denominari vniuersalis, & prædicabilis: consequens est falsum, & contra D. Thom. quæst. 7. de poten. artic. 3. ad 1. ergo &c. probatur sequela: quia licet essentia diuina in se singularissima sit; tamen ex modo concipiendi nostro apprehenditur, ut quid commune: nec illi, prout sic habet esse in intellectu, repugnat supponere pro pluribus naturis diuinis, si essent. Plura alia argumenta pro hac sententia adducunt, & soluunt Sanchez, & Gallego infra citandi.

37. Pro solutione difficultatis, primò notandum est, quod licet in Angelis non sit aliud à quo sumatur species, & aliud à quo sumatur indiuiduatio: sed eadem entitas simplex per se ipsam constituatur in sua essentia specifica, & simul sit hæc, & indiuidua, ut docent communiter Thomistæ cum D. Thom. 1. p. qu. 13. art. 9. & qu. 50. art. 4. hoc tamen non obest, quin eandem simplicem entitatem vno conceptu consideremus, ut constituit Angelum in sua specie, & habet rationem differentiz essentialis: & alio conceptu

ceptu ut indiuiduat, & habet rationem differentie numericæ constituentis Angelum in esse indiuidui, & singularis. Ex quo etiam sit posse nos præscindere unum ab alio, abstrahereque naturam specificam Michaëlis à differentia indiuiduali eiusdem. Quia licet eadem entitas realis sit differentia specifica, & indiuidualis: munera tamen talis entitatis sunt valde diuersa: cum singularitas non sit de essentia alicuius creature.

38. Secundò notandum est, quòd quamuis naturæ Angelicæ, eo quòd sint materiæ experies, sint in se actu intelligibiles, non solum quantum ad principia specifica, sed etiam quantum ad principia indiuidualia; qua tamen à nobis cognoscuntur per species corporum, quæ non sunt actu intelligibilia, quovsq; intellectus agens denuder phantasmata à conditionibus indiuidualibus, ut terigimus supra d. 3. n. 49. inde est naturas Angelicas non intelligi à nobis, secundum quod in se sunt intelligibiles, & secundum principia indiuidualia earum, sed secundum modum nostrum intelligendi, qui est cognoscere naturam specificam præcisam à conditionibus indiuidualibus. Ex quo tandem fit, quòd diuerso modo cognoscimus de facto Angelos, eisque aliter tribuimus intentiones, ac cognosceremus, & tribueremus, si perciperemus illos, secundum quòd in seipsis sunt intelligibiles: aut sicut ipsi se inuicem cognoscunt.

39. Dicendum est ergo naturas Angelicas, ut à nobis pro hoc statu concipiuntur, subire intentiones vniuersales, & prædicabiles, etiam si sint impossibilia plura indiuidua in vnaquaque earum. Si verò secundum quòd in seipsis sunt intelligenter non fore vniuersales, aut prædicabiles, ac pròinde de facto omnem speciem subiicibilem esse prædicabilem.

Vtraque pars conclusionis videtur expressa D. Th. questione 13. citata, ubi affirmat omnia nomina significantia naturas específicas esse communicabilia pluribus, *sive re, & ratione*, sive ratione tantum: & concludit his verbis: *Forma quæ nominandiuiduantur per aliud suppositum, sed per se ipsam; quia scilicet sunt forme subsistentes: si intelligerentur secundum quòd sunt in seipsis, non possunt communicari, neque re, neque ratione. Sed quia formas simplices non possumus intelligere secundum quòd sunt, sed intelligimus eas ad modum rerum compositarum, ideo imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito. Unde quantum pertinet ad rationem nominum, eadem ratio est de nominibus, quæ à nobis imponuntur ad significandum naturas rerum compositarum, & de nominibus, quæ à nobis imponuntur ad significandum naturas simplices subsistentes.* Idem docet Angelicus Doctor opuscul. 42. cap. 3. de spiritualibus creaturis art. 8. ad 4. & alibi sæpè. Et ideo hæc sententia est receptissima inter Thomistas. Pro qua videri possunt Capreol. in 2. d. 3. q. 1. ad 2. contra 5. conclus. Caiet. hic dub. 3. & q. 13. citata 1. partis, Raphaël de Ripa q. 50. sequenti art. 4. Zumel ibidem q. 2. conclus. 6. Arauxo 3. Metaph. q. 4. articul. 4. Soncin Iabel Masius & alij quos referunt, & sequuntur Sanch. lib. 3. questione 18. & Gallego controuerf. 15. qui addunt esse omnium Discipulorum D. Th. nec censendum esse Thomistam, qui oppositum senserit.

40. Probatur prima pars conclusionis ratione, quam format Diuus Thomas dicta questione 11. Quia intellectus noster intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari: ergo esse in vno supposito singulari, vel in pluribus, est præter intellectum naturæ speciei: ergo seruatō intellectu naturæ speciei potest intelligi, ut in pluribus existens. Omnia sunt verba D. Th.

Confirmatur, & explicatur ratio ista: quia natura

Michaëlis, prout à nobis intelligitur præcisa à sua differentia indiuiduali, non intelligitur determinata ad hoc indiuiduum, sed indifferens, & non appropriata illi, ergo prout sic est in tali statu, ut si per impossibile haberet plura indiuidua, determinaretur ad vnumquodque eorum per differentiam indiuidualem vniuscuiusque. Ergo ex modo nostro intelligendi natura Michaëlis sic præcisa, potest apprehendi ut vniuersalis, & prædicabilis.

Secundò: quia talis natura abstracta comparatur ab intellectu ad proprium indiuiduum, ut quid indifferens ad suum determinatum: ergo ex modo concipiendi nostro, comparatur ut quid superius ad suum inferius, & ex consequenti erit vniuersalis, & prædicabilis. Antecedens est evidens ex dictis. Et prima consequentia patet: nam indifferens inquantum tale, necessarid concipitur cum maiori latitudine, quam eius determinatiuum: ergo ex modo concipiendi apprehenditur ut quid superius: ac pròinde quando natura Michaëlis, sic præcisa, & indifferens, comparatur ad suum indiuiduum, fit formaliter vniuersalis, & prædicabilis.

41. Confirmatur: quia prædicatio, in qua naturam specificam Michaëlis prædicamus de suo indiuiduo, verè est prædicatio formalis, & propriè pertinet ad speciem: ergo talis natura specifica, ut à nobis concipitur, verè est vniuersalis, & prædicabilis respectu sui indiuidui. Consequentia patet; probatur antecedens: quia Michaël, ut est quædam res singularis à parte rei existens, est verum indiuiduum, quod directè ponitur in prædicamento substantiæ, ut fundamentum aliorum prædicatorum ut diximus supra nu. 3. ergo supra illud apprehendimus gradum aliquem specificum, cui immediatè subiiciatur. Implicat enim dari indiuiduum, quod non contineatur sub aliqua specie infima, ut per se patet. Ergo illud indiuiduum ut à nobis concipitur, subit intentionem subiicibilis respectu suæ naturæ specificæ. Cum autem relatio mutud correspondens subiicibilitati indiuidui, sit vniuersalitas, & prædicabilitas speciei, planè sequitur naturam specificam Michaëlis, ut à nobis concipitur respectu sui indiuidui, subire etiam intentionem vniuersalis, & prædicabilis.

Secunda pars conclusionis est etiam receptissima inter Thomistas: breuiterque probatur: quia Angelus secundum se est actu intelligibilis, non solum quantum ad naturam specificam, sed quantum ad differentiam indiuidualem, ab eodem principio, quo constituitur in esse specifico, constituitur etiam in esse indiuiduali: ergo si intelligeretur secundum quòd in se est, non solum intelligeretur secundum naturam specificam sed etiam secundum principium indiuiduale. Ergo simul intelligeretur ut Angelus, & ut hic Angelus: Ergo non intelligeretur ut vniuersalis, & prædicabilis. Videantur Sanch. & Gallego vbi supra.

42. Ad argumenta respondetur. Ad primum concedendum est naturam Angelicam esse vnā in multis: ad hoc tamen non est necessarium, quando natura est vniuersalis secundum rationem tantum, quòd illa multa sint actu existentia, vel actu possibilia vel actu conficta ab intellectu; sed sufficit quòd ex modo concipiendi nostro ita comparatur ad proprium indiuiduum, si haberet alia plura: quia tunc necessarid concipitur ut superior, cui prout sic, formaliter loquendo, non repugnat multiplicatio. Ut enim bene inquit Diuus Thomas loco citato de spiritualibus creaturis: *Natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex eo quòd pertinet ad rationem speciei, sed ex eo quòd pertinet ad rationem indiuidui.* Itaque non ponimus plura indiuidua ficta, de quibus naturā Angelicā prædicetur, neque exercemus prædicationem respectu

pectu talium . indiuiduorum fictorum , vt in obiectione inuenitur ; sed dicimus naturam illam ex modo concipiendi nostro, taliter comparari ad proprium indiuiduum, ac si haberet alia plura : quia respectu illius apprehenditur à nobis vt quid superius, & indifferens, & eo ipso est in tali statu , vt si per impossibile darentur plura indiuidua, verè prædicaretur de illis absque aliqua mutatione ipsius naturæ sic à nobis conceptæ.

Ad primam confirmationem similiter respondetur, quòd quando natura est vniuersalis , secundum rem, & rationem simul, tunc vniuersitas prouenit illi per comparationem, qua natura verè comparatur ad plura indiuidua , siue actu existentia, siue possibilia. Quando verò natura solum potest esse vniuersalis secundum rationem tantum , siue ex modo concipiendi nostro, tunc non est necessarium, vt actu comparatur ad plura, sed sufficit ita comparari ad proprium indiuiduum, ac si haberet plura alia, quòd est Logicè tantum esse vniuersalem.

43. Ad secundam confirmationem neganda est minor, loquendo de natura Michaëlis, vt à nobis concipitur præcisa à sua singularitate: nam formaliter prout sic, potius concipitur à nobis, vt communicabilis pluribus, seu vt non habent aliquid, quo prohibeatur descendere ad plura indiuidua, vt explicatum est. Alia autem ratio est de Petro, qui prout talis est, concipitur à nobis vt vnus vniuersitate numerica, ac pròinde apprehenditur vt immultiplicabilis secundum numerum.


Ad secundam negatur consequentia , & disparitas est manifesta : nam ex cognitione Angeli ad modum corporis, non sequitur necessariò iudicium, quo iudicemus Angelum esse corpus, aut tribuamus illi aliquid proprium corporum, vt de se patet, cum sint diuersi actus. At verò ex eo , quòd naturas Angelicas abstrahamus, & comparemus ad eum modum, quo abstrahimus, & comparamus naturas materiales, necessariò sequitur illas fieri vniuersales : quia vniuersalitas resultat in natura per ipsum actum comparationis, vt ex dictis patet.

Ad confirmationem respondetur, quòd licet hoc nomen *Deus*, vt à nobis apprehenditur, sit communicabile multis secundum rationem, vt inquit D. Th. citata quæst. 13. artic. 9. & propterea ex parte modi concipiendi nostri sit terminus communis, vt frequenter docent Thomistæ ibidem : adhuc tamen natura diuina non potest subire intentionem speciei, nec vniuersalis, aut prædicabilis. Tum quia vt latè probat Sanctus Doctor loco citato in argumento, & 1. part. quæstione 3. artic. 5. cum Deus sit ipsum suum esse, & actus immixtus potentie, nullum in eo est fundamentum ad formandum gradum genericum, aut specificum : quod tamen verè reperitur in Angelis, vt patet ex iis quæ diximus disput. præcedenti, num. 73. Tum etiam quia sola natura diuina est essentialissimè singularis, ac pròinde illi soli repugnat fieri vniuersalem, aut prædicabilem.

## Q V Æ S T I O V.

### *Quomodo ordinanda sit arbor prædicamenti substantia.*

44. **V**T doctrinam in hoc, & præcedenti cap. traditam de generibus, & speciebus magis explicaret Porphy. adduxit exemplum in prædicamento substantiæ ordinans arborem eius : propter quod non enumerauit omnia genera, sed ea tantum, quæ notiora erant; hoc enim suo instituto satis erat, maxime cum hic non sit proprius locus examinandi omnes diuisiones huius prædicamenti, sed cap. de substantia. Ceterum, quia vsu communi iam introductum est, vt in præsentem explicetur coordinatio eius : (quæ sumpta denominatione ab arboribus, arbor prædicamentalis appellatur) neque iterum de illa agendum nobis est : idèò integram arborem cum omnibus suis generibus proponendam, & explicandam esse duximus, sicut cernitur in sequenti figura.



45 In qua tria circuloꝝ genera continentur. Alii ponuntur ad latus dextrum, vbi collocantur propriæ, & positivæ differentiæ, quæ simul diuidunt gradum superiorem, & constituunt inferiorem. Alij ad latus sinistrum, vbi collocantur differentiæ improprie, & negativæ, quas ponimus loco aliarum specierum illius generis. Alij tandem collocantur in recta

linea, seu in medio arboris, vbi ponuntur genera, & species: nam de individuo iam diximus non esse partem quasi intrinsecam prædicamenti, sed fundamentum, cui cætera inniuntur.

In horum igitur supremo circulo collocatur substantia, quæ est supremum genus, seu generalissimum: quia supra se non habet aliud genus propter quod etiam non

non potest propriè definiti. Similiter in circulo ultimo ponitur *homo*, qui est speciei infima: quia sub se nō habet alias species. In circulis verò intermediis collocantur ea, quæ respectu superiorum sunt species, & respectu inferiorum genera. Hæc autem omnia inter generalissimum, & speciem infimam collocata, licet indistinctè, & præcipuè ab antiquis, appellentur species, vel genera subalterna: quia vicissim modò sunt species, modò generatiam tamen vsu receptum est, genus ultimum, quod scilicet immediatè diuiditur in species atomas appellari genus infimum: quia sub se non continet alia genera.

46. Nota tamen: idèd in penultimo circulo positum esse *animal*, pro genere infimo: quia saltem respectu hominis nullum aliud datur immediatius genus. An autem etiam respectu cæterorum animalium sit genus immediatum; & consequenter an animal verè sit genus infimum, sub lite est: quibusdam id affirmantibus cum Sor. hic q. vnic. ad 3. quem non pauci sequuntur: aliis verò id negantibus, quibus planè fauet Arist. 7. Metaph. text. 28. vbi expressè docet inter asinum, & animal esse aliud genus innominatum. Quo loco D. Th. lect. 7. id ipsum affirmat, dicens: *Est enim aliquod proximum genus, quod non est nominatum commune equo, & asino*. Propter quod etiam Bañez 1. p. q. 71. art. vnic. ad 2. & alij Thomistæ hanc sententiam probant. De quo videri potest Banch. lib. 3. q. 12.

47. Cætera, quæ hic addi possent, videlicet quæ ponantur in recta linea prædicamenti; quæ verò non: & cur differentias ad latus collocemus: & an substantia sit primum genus, vel potius corpus, aliæque huiusmodi, propriam sedem habent in antepædicamentis, & cap. de substantia. Quia tamen in hac arbore duo genera addidimus, quæ nec posuit Porphy. nec ponunt communiter Autores, oportet sufficientiam harum diuisionum, & necessitatem ponendi dicta genera autoritate, & ratione firmare.

Quantum ad autoritatem, licet DD. communiter non addant alia genera, nec constituent alias diuisiones præter eas, quas Porphy. attulit, propter rationem supra dictam, quod etiam obseruauit D. Th. opusc. 48. tract. 1. c. 3. collocans in arbore ea tantum genera, quæ Porph. collocauit. Tamen idem Angel. Doct. opus. 43. vbi ex professo inuestigat omnia genera prædicamenti substantiæ, adducit omnes diuisiones, quas in arbore posuimus. ¶ Primam quidem, quæ substantia diuiditur in corpoream, & incorpoream, siue in materialem, & immaterialem, seu extensibilem, & inextensibilem (quæ omnia idem sunt) adducit c. 4. §. 6. & 7. ¶ Secundam verò, quæ corpus diuiditur in inalterabile, & alterabile, siue in incorruptibile, & corruptibile, seu in cæleste, & sublunare, (quæ etiam idem sunt) tradit c. 14.

¶ Tandem tertiam, quæ generabile diuiditur per compositum, & simplex, & quartam quæ mixtum diuiditur per animatum, & inanimatum; & duas alias, scilicet *viuentis*, per sensibile, & insensibile, & *animalis* per rationale, & irrationale explicat, & latè probat cap. 18. Videatur ibi.

48. Ratione etiam idem facillè demonstratur à posteriori. Quod vt fiat, meminisse oportet id, quod supra disp. 5. n. 25. dicebamus, scilicet omnia accidentia, seu operationes attribui alicui gradui substantiæ, cui adæquatè, & conuertibiliter conueniunt. Omittimus nunc quæ eorum sunt propriæ passionēs, quæ verò non: de quo infra disp. 9. Vnde ex diuersis operationibus, seu accidentibus, quorum vnum, neque profluit ab alio, neque conuertitur cum illo, optimè colliguntur diuersi gradus seu genera prædicamenti substantiæ.

Qua ratione D. Th. c. 18 cit. probat, *animalis* esse distinctum à genere superiori *viuentis*, adderèque illi perfectionem positiuam: quia scilicet in *animali* (ver-

ba sunt D. Th. ) *super operationes vegetabiles, quæ sunt generari, nutrir, & augmentari, reperitur alio quadam superaddita, scilicet sentire*.

Iuxta quam doctrinam sic facillè colligemus gradus, seu genera prædicamenti substantiæ: quia in *Petro* reperiuntur intellectus, & voluntas; quæ tamen non conueniunt illi formaliter, quatenus Petrus est, aliàs non reperirentur in aliis hominibus.

Neque conueniunt illi, quia est substantia, corpus, generabile, mixtum, viuens, aut animal: aliàs omnes substantiæ, vel corpora, &c. aut omnia animalia haberent intellectum, & voluntatem quod patet esse falsum. Ergo conueniunt Petro; quia est homo, & per consequens immediatè supra indiuiduum collocandus est *homo*, tanquàm specie, infima huius prædicamenti.

Item potentia sensitiua conueniunt eidem Petro, & non quatenus homo, aliàs solis hominibus conuenirent: nec quatenus viuens, aut ratione alicuius gradus superioris, quia omnia non reperiuntur in plantis: ergo quatenus animal, ac pròinde gradus *animalis* collocandus erit immediatè supra hominem.

49. Similiter potentia vegetatiua conueniunt eidem Petro, & non quatenus homo, aut animal: aliàs solis hominibus, aut animalibus conuenirent; neque quatenus mixtum, aut ratione alicuius gradus superioris; siquidem non reperiuntur in lapidibus, aut metallis: ergo quatenus viuens; & ex consequenti gradus *viuentis* collocandus erit supra animal.

Item qualitates secundæ reperiuntur in eodem Petro, quæ tamen non conueniunt illi, quatenus homo, animal, aut viuens, siquidem reperiuntur etiam in rebus non viuentibus, nec quatenus generabile, aut ratione alicuius gradus superioris: siquidem non inueniuntur in elementis, quæ si pura sint non habent colorem, aut saporem &c. ergo conueniunt illi quatenus mixtum; & consequenter gradus *mixti* collocandus est supra viuens.

Præterea, in Petro reperitur potentia generatiua communiter dicta, seu productiua similis in specie: quæ tamen non conuenit illi quatenus homo animal viuens, aut mixtum: siquidem reperitur etiam in elementis, nec quatenus corpus, aut substantia: quia nec Angeli, aut corpora cælestia habent similem potentiam: ergo conuenit illi quatenus generabile; ac pròinde gradus *generabilis* collocandus est supra animal.

Item quantitas, smotus, tempus, & alia huiusmodi, conueniunt Petro, non quatenus homo, animal, viuens, mixtum, aut generabile: quia etiam reperiuntur in cælo, neque quatenus substantia, quia non inueniuntur in Angelis: ergo conueniunt illi quatenus corpus & per consequens gradus *corporis* collocandus supra generabile.

Tandem, Petro conuenit subsistere in se, & substatè accidentibus; non tamen quatenus homo, animal viuens, mixtum, generabile, aut corpus, quia etiam reperiuntur in Angelis: neque quatenus ens, quia non conueniunt accidentibus: ergo quatenus substantia, & ex consequenti gradus *substantiæ* collocandus est supra corpus. Ens autem non potest esse genus, vt ostendimus in antepædicamentis: ergo substantia est genus supremum in summo prædicamenti vertice collocandum. Ex quo tandem fit constituenda necessariò esse omnia genera à nobis assignata.

Quod autem non supersint alia, ex eo probatur: quia nullum datur accidens, quod ad aliquem ex istis gradibus, modo explicato, non reducat: ergo in arbore à nobis statuta nullum genus desideratur, nullum redundat.



## Q V Æ S T I O VI.

## De natura indiuidui.

50. **D**Vas indiuidui definitiones adduxit Porphyrius in hoc cap. ut vidimus ibi, quarum explicationem in hunc locum remisimus. Ante omnia tamen aduertendum est Porph. non definiuisse indiuiduum, quatenus est subiicibile respectu speciei: quia ex definitione speciei subiicibilis colligi facile poterat indiuiduum sic sumptum esse; *quod ponitur sub specie, vel de quo species predicatur*. Vnde dictæ definitiones procedunt de indiuiduo secundum se, & non formaliter, ut respicit speciem.

Secundò pro earum intelligentia notandum est, in indiuiduo duo inueniri, nempe naturam specificam, in qua conuenit cum aliis, & differentiam indiuidualem, per quam talis natura redditur alteri communicabilis, propriæque huius, & non alterius.

Sicut ergo ex natura specifica præcisa differentia indiuiduali, sumit intellectus fundamentum, ut attribuat illi vniuersalitatem, eamque apprehendat ut prædicabilem de pluribus: quia ut sic præcisa non est cuiquam illorum appropriata: ita ab eadē natura specifica, quando consideratur appropriata, & particularizata sumit intellectus fundamentum, ut attribuat illi intentionem particularis, & indiuidui; eamque apprehendat ut prædicabilem de vno tantum, idest de seipso.

51. Tertiò nota hinc fieri, quod sicut natura specifica potest significari dupliciter, videlicet nominibus primæ intentionis, ut sunt, *homo, leo, equus, &c.* & nominibus secundæ intentionis, qualia sunt, *species, vniuersale, subiicibile, &c.* ita etiam natura particularis, & indiuidua potest dupliciter significari, nempe nominibus primæ intentionis, ut sunt *persona, hypostasis, prima substantia, Petrus, hic homo, &c.* & nominibus secundæ intentionis, ut sunt hæc, *indiuiduum, singulare, particulare, & suppositum*. (Sic enim sumitur nomen istud iuxta propriam, & primam eius significationem, ut docet D. Th. 1. p. q. 29. art. 2. & in 1. dist. 26. q. 1. art. 1. ad 3.) Iuxta hunc ergo duplicem modum, quo natura singularis significatur, (de quo videri potest S. Doctor q. 9. de Potentia art. 2. ad secundum) correspondent duæ definitiones Porphyrij, ut communiter explicant eius interpretes. Prima enim, scilicet, *indiuiduum est, quod de vno tantum predicatur*, conuenit indiuiduo secundò intentionaliter sumptum; secunda verò, videlicet, *Cuius collectio proprietatum sic est in vno, ut nunquam in alio fiat*, conuenit indiuiduo primò intentionaliter, quamuis congruè etiam explicari posset secundò intentionaliter. De quo videri potest Sanch. lib. 3. q. 19. concl. 4.

Quarò circa hanc primam definitionem nota, eodem modo, quo in definitionibus prædicabilium diximus sup. d. 5. n. 44. definitum esse secundam intentionem in concreto significatam; ita ut ipsa secunda intentio sit res, quæ definitur, natura verò sit id; pro quo supponit, & in quo exercetur definitio; sic etiam philosophandum esse in hac definitione indiuidui. Itaque definitum erit secunda intentio, à qua res denominatur indiuidua, & singularis: naturæ verò particulares erunt id, pro quo supponit, in quo exercetur definitio, absque eo quod detur aliquid reale vniuersum illis commune, ut de natura generica diximus disp. citata num. 54.

52. Hanc ergo secundam intentionem indiuidui concreto significatam definit per negationem Arist. 1. Perih. c. 5. dicens *Singulare est id, quod non est prædicabile de multis*. Quod ipsum explicuit positiuè Por-

phyr. dicendo: *Indiuiduum est quod de vno tantum predicatur*.

Et utraque definitio facit hunc sensum, indiuiduum est natura quædam, quæ ad seipsam, & non ad plura refertur, & de seipsa, & non de pluribus predicatur. Hoc magis constabit reducendo hanc definitionem, (sicut in aliis præstitimus) ad definitionem eiusdem intentionis in abstracto significatæ, quæ sic potest formari: *Secunda intentio constitutiva indiuidui est relatio rationis naturæ, quæ tantum potest respicere seipsam relatione predicabilitatis, seu quæ nulla habet inferiorem, de quibus sit prædicabilis*.

Cum enim indiuiduum in serie prædicabilium sit fundamentum, cui cætera innituntur, & de quo prædicantur; consequens est, ut ipsum de nullo alio possit prædicari, nisi tantum de seipso; ac pròinde ipsum non est prædicabile prædicatione doctrinali, seu artificiali, ut loquitur Caiet. Sed tantum identica, & naturali,

53. Contra hanc definitionem sic explicatam plura solent obijci argumenta, quæ ex dictis facile solvuntur. Videri possunt (si placet) Mat. hic lect. 2. q. 1. & 2. Sanch. lib. 1. q. 19. & alij. Hoc vnum quod difficilius est sufficit in præsentia. Quia indiuiduum verè prædicatur de pluribus: ergo falsum est, quod de vno tantum prædicetur. Probatur antecedens: quia hæc sunt veræ prædicationes: *Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum*. Similiter istæ, *hoc indiuiduum est indiuiduum, & hoc indiuiduum est indiuiduum*: ergo indiuiduum verè prædicatur de pluribus.

Respondetur in his prædicationibus tantum prædicari secundam intentionem, quæ est omnibus communis, & quid vniuersale, non verò naturam particularem, & propterea prædicationes adductæ, non sicut prædicationes indiuidui, sed primæ pertinent ad quintum prædicabile, secundæ verò ad secundum. Sicut à simili cernitur in genere: nam ista prædictio *homo est animal*, est propria generis; si verò dicas, *animal est genus*, est prædictio accidentis; si autem dicas: *hoc genus est genus*, est prædictio speciei. Eodem ergo modo hæc prædictio, *Petrus est Petrus*, est propria prædictio indiuidui; si verò dicas: *Petrus est indiuiduum*, est prædictio quinti prædicabilis: si autem dicas: *hoc indiuiduum est indiuiduum*, est prædictio speciei. Nec inconuenit id quod essentialiter est indiuiduum, esse denominatiuè speciem, vel accidens, sicut de genere explicauimus sup. disp. 4. n. 61.

54. Quintò, circa secundam definitionem notandum est, nomen significans indiuiduum primò intentionaliter sumptum, si illud significet determinatè, id est, si in sua significatione includat determinatum indiuiduationis principium, ut *Socrates, Plato, &* huiusmodi verè definiti non possunt; sicut neque etiam potest esse subiectum scientiæ, ut communiter docent Dialectici. Et propterea D. Th. 1. p. q. 29. art. 2. ad 3. dixit: *Essentia est id quod significatur per definitionem: definitio autem completitur principia speciei: non autem principia indiuidualia*. Vnde quoties indiuiduum primò intentionaliter sumptum definitur, debet esse sub aliqua ratione communi, ut de indiuiduo vago diximus sup. disp. 4. n. 51. Quæ doctrina est expressa Angelici Doctoris q. 9. de potentia art. 2. ad 1. assertiui: *Sicut nomen quod significat naturam est commune, & definibile, ut homo, & animal; ita nomen quod significat naturam cum tali modo existendi; ut hypostasis, vel persona. Illud verò nomen, quod in sua significatione includit determinatum indiuiduationis principium, non est commune, nec definibile, ut Socrates, & Plato*.

55. In hac ergo definitione Porph. non definitur natura cum hoc, aut illo determinato modo essendi, ut significatur nomine *Socratis*, aut *Platonis*, sed natura cum particulari modo essendi, ut abstrahit ab hoc, vel illo.

illo. Sic enim sumptum indiuiduum primò intentiona-  
liter habet sufficientem communitatem, ut possit defi-  
niri. Et hoc modò definitur prima substantia ab Ari-  
stot. in prædicamentis, ut ibi videbimus. Hoc etiam  
modo definitur persona à Boëtio, quòd sit rationalis  
naturæ indiuidua substantia.

Denique notandum est collectionem illam pro-  
prietatum, quæ ita est in vno indiuiduo; ut in altero  
reperiri non possit, explicari à Dialecticis his versibus.

*Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,*

*Patria sunt septem, quæ non habet unus; & alter.*

Per *Formam* intelligitur singularis complexio. *Figura*  
verò significat partium proportionem, & delineamen-  
ta. *Locus*, eam partem terræ, vrbis vel domus, ubi quis  
natus est. *Tempus* verò, ipsius generationis momentum;  
quo etiam spectat propria constellatio, seu syderum  
aspectus sub quo natus est. *Nomen*, quod cuique impo-  
nitur. *Sanguis*, prosapiam; Et tandem *Patria* prouin-  
ciam significat. Quæ omnia simul sumpta non possunt  
duobus conuenire, ut de se patet.


Hæc autem definitio, ut bene notat Sot. solum con-  
uenit indiuiduis substantiæ. Nam hæc intendebat Por-  
phy. præcipue definire.



### C A P V T III.

#### De Differentia.

#### S V M M A T E X T V S.

**1**  *A* ut hoc duas continet partes in pri-  
ma enumerat Propy. quinque diuisiones  
differentiæ: in secunda totidem assignat  
definitiones. *Prima* diuisio est, differentia alia est  
communis, ut sedere, & currere: alia propria, ut  
ceruleus oculorum color, aut risibile: alia propriissi-  
ma, per quam scilicet res constituitur in sua essentia,  
& distinguitur essentialiter ab aliis, ut rationale  
in homine. *Secunda* diuisio. Differentia alia facit  
diuersum per accidens, ut communis & propria: alia  
diuersum per se, ut propriissima. Vel clariùs secun-  
dum Perionij translationem, alia facit *diuisum &*  
*varium*, ut communis, & propria: alia facit *omnino*  
*aliud*, ut propriissima. *Tertia* diuisio. Differentia,  
alia separabilis ut moueri, & quiescere: alia insepa-  
rabilis, ut aquilinum & simum rationale & irrationale  
*Differentia* inseparabilis rursus diuiditur (& est  
quarta diuisio: & hæc est de substantia rei, neque susci-  
pit magis, aut minus: alia per accidens, ut aquilinum,  
& simum & hæc solum facit diuersum, potestque susci-  
pere magis, & minus. Tandem differentia per se sub-  
diuiditur quinta, & vltima diuisione: nam alia est diui-  
sua generis, ut rationale, & irrationale respectu homi-  
nis: alia constitutiva speciei: ut sensibile respectu ani-  
malis, & rationale respectu hominis.

**2** In secunda parte definit differentiam, quinque  
definitionibus. *Prima* est: *Differentia est id, quo spe-  
cies excedit genus.* Contra quam mouet argumentum:  
nam vel genus continet differentias, vel non: si pri-  
mum ergo iam species per differentiam non excludit  
genus, imò eadem res contrarias formas habebit; si  
secundum, unde ergo species differentiam habet?  
nam ex nihilo nihil fit. Et responderet, genus conti-  
nere in potentia omnes differentias, actu verò nullā, &  
sic neque fieri ex nihilo, sed ex potentia generis neque  
dari actu duo contraria in eadem re. Quia verò spe-  
cies continet actu differentiam, quam genus tantum  
continet in potentia: inde est quod actu species per  
differentiam excedat genus. *Secunda* definitio est:

*Differentia est, quæ predicatur de pluribus differenti-  
bus specie in quale quid.* Tertia est: *differentia est  
id, quo ea, quæ sunt sub eodem genere separantur.* Quarta  
est: *Differentia est id, quo singula differunt.* Quinta,  
& vltima definitio, quam tradit Porphy. exactiùs  
(ut ipse inquit) pertransiens ea quæ ad differentiam  
pertinent, est: *Differentia est, quia ita singula diffe-  
runt, ut pertineat ad substantiam, & rationem, sitque  
pars rei, cuius est differentia.*

#### NOTATIONES, ET DVBIA. circa litteram capituli.

**3** Plura ex his, quæ Porph. docet in hoc cap. sum-  
pfit ex Arist. nam vltima diuisio differentiæ tra-  
ditur 1. Poster. c. 14. & 1. Topic. 7. & lib. 6. c. 3. Simili-  
liter, quòd genus contineat differentias in potentia, præ-  
ter locum sup. 5. c. 70. adductum, docet etiam 4. Topic.  
c. 2. & 7. Metaph. c. 12. Præterea differentias prædicari  
in quale quid, habetur 4. Topic. c. 2. & alibi sæpè. Et  
tandem quòd differentiæ propriissimæ, seu essentielles  
non suscipiant magis & minus docet Arist. 6  
Topic. c. 3.

Iam verò circa has diuisiones, & definitiones mul-  
ta solent in præsentia dubitari, quæ vel constant ex  
dictis circa alia prædicabilia, vel sunt parui ponderis,  
& ideo illa breuiter in his notationibus explicabimus.

Primò ergo notandum est, quòd *differre*, seu *diffe-  
rentia*, si vim nominis, ut in præsentia sumitur, atten-  
damus significat distantiam, distinctionem, seu di-  
uersitatem inter aliqua. Sumitur autem dupliciter, ut  
ex doctrina Arist. 5. Metaph. text. 15. docet & probat  
D. Thibid. lect. 12. & 1. q. 3. art. 8. ad 3. lib. 1. contra  
Gentes cap. 17. & alibi sæpè.

Primò enim sumitur latè, & improprie pro quacum-  
que diuersitate, aut distinctione aliquorum ad quod  
non requiritur, ut in aliquo vno conueniant. Quo  
sensu prædicamenta, ipsæque differentias dicimus in-  
ter se differre; cum tamen sint primò diuersa ut infra  
constabit.

*Secundò* sumitur proprie, pro diuersitate eorum,  
quæ in aliquo vno conueniunt, seu prout importat  
ea quæ non se ipsis, sed aliquo alio inter se differunt.  
Vnde etiam nomen, *differentia*, applicatum est ad sig-  
nificandum principium huius distinctionis, seu gra-  
dum illum, per quem vnum differt ab alio; & sic sumi-  
tur in præsentia.

**4** Secundò circa 1. diuisionem notandum est non  
dici aliquid differentiam communem, quia actu inue-  
niatur in vtroque extremo scilicet in re quam distin-  
guunt & in re à qua distinguit; hoc enim est manifesta  
implicatio: siquidem *sessio* non distinguit sedentem ab  
alio vel à seipso sedente. sed ab alio, vel à se ipso non  
sedente. Dicitur ergo differentia communis: quia est  
accidens neutri extremorum proprium, & vicissim po-  
test vtrique accideret: sicut è contra, non dicitur aliquid  
differentia propria, aut propriissima præcisè, quia non  
inuenitur in altero extremo, respectu cuius exercet ra-  
tionem differentiæ; sed quia cum vna sit propria pas-  
sio, & altera constitutum essentialè; sic inueniuntur  
in vno extremo ut non possint esse in altero, respectu  
cuius exercet rationem differentiæ. Qualis autem sit  
ista diuisio, explicabitur in disputatione.

**5.** Tertiò circa 2. diuisionem notandum est non  
esse subdiviisionem præcedentis, imò neque nouam  
diuisionem: nam differentia communis & propria co-  
incidunt cum differentia per accidens; seu quæ facit  
diuersum & varium: differentia verò propriissima coin-  
cidit cum differentia per se, seu quæ facit aliud. Ut au-  
tem

tem

ad 4. estque certissima: nam homo propriissime est aliud ab equo: secundam verò tradit in 2. dist. 21. q. 1. art. 1. dicens, non omne, quod est aliud à Socrate, esse aliud ab homine, quia scilicet Petrus, est aliud à Socrate, & tamen non est aliud ab homine. Et quia in essentia divina neutra diversitas reperitur; idè neutro modo fr̃ius dicitur aliud à patre. Potest tamen adiectivè dici aliud suppositum, vel aliud, aut alter, quia sic solum significatur diversitas suppositi, seu personæ.

Quamvis autem ly aliud, utramque acceptionem admittat, & utroque modo sumatur ab Arist. 2. Physic. Porph. tamen, & Dialectici in hac divisione sumunt ly, aliud in prima acceptione tantum, & sensus est, quod differentia propriissima facit diversitatem formalem. Cum enim sit constitutiva essentiae, distinguit eam essentialiter ab omnibus aliis, quod non habent differentia communis, & propria, quæ cum sint extra essentiam, tantum distinguunt accidentaliter rem, cuius sunt differentia. Et hoc significavit Porphy. dicens, has differentias facere diversum, ac varium, seu alterutrum, ut videtur Boët. quæ nomina tantum significat diversitatem accidentalem. Videatur Sanch. l. 3. q. 20.

Addit etiam Porphy. circa hanc divisionem, quod differentia faciens aliud dicitur specifica, differentia vero faciens diversum, seu varium simpliciter appellatur differentia. Quod non ob aliquam dignitatem, aut perfectionem huius differentia dictum est, sed potius ob eius ignobilitatem, & imperfectionem, ut ex B. Alberto notant bene Sor. & Mal. hinc, eo sensu quo bruta absolute, & sine addito solemus appellare animalia, & generaliter nomen generis, alio addito solet tribui speciei imperfectiori.

6 Circa tertiam, & quartam divisionem, nihil se offert notandum: nam ferè coincidunt cum precedentiibus.

Circa ultimum verò bene notat Sor. hinc, posse dupliciter intelligi. Primò, ita ut membra eius indicent diversas differentias, & sit sensus, quod eiusdem generis est differentia constitutiva, & divisiva; animal enim constituitur per sensibile, & dividitur per rationale, & irrationale, & idem est de aliis generibus.

Secundò membra illa dividenda possunt indicare diversas rationes formales eiusdem differentia; ita ut sit sensus, eandem differentiam verbi gratia rationale, secundum unam rationem formalem esse constitutivam speciei, scilicet hominis; & secundum aliam esse divisivam generis, scilicet animalis, & uterque sensus verus est, & utriusque exempla subiungit Porph. licet hinc secundus sit magis ad rem, & intentum eius.

7 Tandem DUBITABIS: an sit verum id, quod Porph. addit, scilicet differentias per se, seu propriissimas non suscipere magis, & minus. Dubium hoc propriam sedem habet cap. de Substantia, breviter tamen cum communi sententia respondetur affirmativè, quæ est expressa sententia Arist. 8. Metaph. text. 10 ubi rerum essentias comparans numeris, ait: *Quemadmodum de numero ablato, vel addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diversus, etiam si minimum auferatur, aut addatur: ita neque definitio, neque ipsum quid erat esse, erit amplius, ablato aliquo, vel addito.* Idem docent Caiet. Iabel. Sor. & alij, quos refert, & sequitur Rub. hic qu. 3.

Fundamentum est: quia essentia consistunt in indivisibili, iuxta commune Metaphysicorum axioma, cuius rationem reddit optimè D. Thomas, 1. 2. quæst. 52. artic. 1. nam illud secundum quod aliquid sortitur speciem, seu à quo accipit specificationem, oportet esse fixum, & trans, & quali indivisibile, ut ita res  
Colleg. Compl. Logica.

specificata, habeat determinatam, & certam essentiam; cuius manifestum signum est, quod prædicata essentialia non dicuntur de speciebus secundum magis, & minus. Cum ergo differentia essentialia sint constitutivæ rerum in propria essentia, & gradu certo entis, planum sit consistere in indivisibili, ac proinde non suscipere magis, & minus.



## DISPUTATIO VII.

### De Differentia, tertio prædicabili.



VI A de Universalis quod est genus respectu differentia, satis egimus in præcedentibus: ideo ut hoc tertium prædicabile comprehenderemus, iuxta methodum supra disp. 5. num. 56. præscriptam, solum restabat in hac disput. cognoscere quid sit natura constitutiva, seu contractiva, unde sumitur essentialis eius differentia, quod ostendunt quæstiones, quas de differentia, primò intentionaliter sumpta postea instituemus. Sed quia ex una parte, prima illa divisio differentia à Porphy. tradita, habet specialem difficultatem: ex alia verò quamvis de differentia constet esse universalis, non tamen constat respectu cuius habet istam universalitatem: an scilicet speciei, vel respectu individuorum: idè utramque istam quæstionem oportuit aliis præmittere.

## QVÆSTIO I.

### Qualis sit prima divisio differentia, ubi de divisionibus eius.

SVpponendum est ante omnia, divisionem istam differentia in communem, propriam, & propriissimam esse adæquatam, ut docent communiter Dialectici. Quamvis de hoc aliqui dubitaverint, quorum meminit Sanch. lib. 3. Logica, qu. 23.

Probat autem eius sufficientiam Mal. hinc scissione prima, quæst. 2. perfacili argumento: quia quidquid verè differt ab alio, vel differt secundum essentiam, vel secundum accidentia: si primum, erit differentia propriissima, seu essentialis: si secundum, vel est accipens proprium, & sic erit differentia propria, vel est accipens commune, & sic erit differentia communis: ergo prædicta divisio est adæquata. Videatur noster Dic. à Iesu hinc qu. 3.

Est tamen contra hoc vulgare argumentum sumptum ex differentia individuali, quæ quidem verè est differentia, ut patet: & tamen non est propriissima; cum non faciat differe essentialiter: neque est propria, aut communis; siquidem Petrus & Paulus inter se, non accidentaliter tantum, sed substantialiter distinguuntur.

Respondetur tamen, omissis aliis solutionibus, in prædicta divisione solum dividi differentiam, quæ aliquo modo potest pertinere ad hoc prædicabile, quæ scilicet potest subire intentionem universalis, & prædicabilis: quod non habet differentia individualis, ut patet. Et idè propriè, & per se neque continetur sub diviso, neque sub aliquo membrorum dividendum. Potest tamen aliquo modo reduci ad differentiam propriissimam ex ea parte, qua facit differe substantialiter, & sumitur radicaliter ab una parte substantia in quo assimilatur differentia propriissimæ

N

simæ. Licet, ex qua parte sumitur etiam à quantitate iuxta doctrinam D. Thom. in dist. 26. quæst. 2. art. 2. & 4. dist. 11. quæst. 1. art. Quæstionum. 3. ad 3. & alibi sæpè, interdum talis differentia appellatur accidentalis: & prout sic reducitur quodammodo ad communem: quia quantitas est accidens commune ut disp. 9. ostendimus.

9. Hoc supposito, pro explicatione quæstionis notandum est quadriplex posse fieri comparisonem inter diuisum, & membra diuidentia huius diuisionis, *Primo*, si tam diuisum, quàm membra diuidentia sumantur primo intentionaliter pro naturis denominatis. *Secundo*, si diuisum sumitur pro natura denominata, & membra diuidentia pro secundis intentionibus. *Tertio*, è contra, Et tandem *Quarto*, si tam diuisum, quàm membra diuidentia sumantur secundo intentionaliter.

—Primo modo certum est diuisionem non posse esse vniuocam, sed analogam: siquidem naturæ istæ denominatæ diuagantur per omnia prædicamenta. Secundo etiam, & tertio modo certum est diuisiones esse subiecti in accidentia: & accidentis in subiecta. Neque de hoc est difficultas inter Doctores. Quorum tamen quidam inquirunt; an ex aliquo ex his modis sumptæ Porphyri. istam diuisionem. Quibus respondendum est probabiliter posse explicare hoc tertio modo. Sed multò probabilius est tam diuisum, quàm membra diuidentia sumptæ ultimo modo scilicet secundo intentionaliter: tum quia sic explicant communiter Doctores hanc diuisionem: tum etiam quia nomen *differentia*, ut in presenti sumitur, est terminus secundæ intentionis, sicut genus species, & alia tum denique quia sic diuisio ista propriè per se pertinet ad Logicam, tam ex parte diuisi quàm ex parte membrorum diuidentium. Et ita sensus diuisionis erit: secunda intentio differentia alia est, quæ facit differre communiter, alia propriè & alia propriissimè. In quo sensu dubitatur à Dialecticis, qualis sit ista diuisio.

10. Relicta sententia eorum, qui dixerunt diuisionem esse purè æquiuocam, quam satis constat esse falsam. Omnia hæc quæst. 1. art. 2. Cabero tract. 3. disput. 4. dub. 1. & alij Moderni per oppositum contendunt diuisionem esse vniuocam, & generis in species.

¶ Quorum fundamentum est: quia non obstante, quod ex quinque intentionibus prædicabilium, tres priores sint rationes prædicandi essentialiter, adhuc vniuersalitas est quid vniuocum, & verum genus respectu omnium: ergo etiam si ex intentionibus harum differentiarum, altera faciat differre communiter, alia propriè, & alia propriissimè: adhuc secunda intentio differentia erit vniuoca, & genus respectu illarum. Probatur consequentia: quia idè conuenientia illarum quinque intentionum est vniuoca: quia omnibus verè, & simpliciter conuenit esse rationes prædicandi de pluribus: neque id habet vna per habitudinem, aut dependentiam ab alia, ut supra disputatione 4. numero 8. dicebamus. Sed eodem modo conuenit istis intentionibus esse rationes differendi: siquidem etiam si non daretur differentia, propriissima, adhuc alia essent differentia: ergo, &c.

11. Confirmatur primo: quia quamvis accidens dependeat à substantia, idè substantiæ, & accidenti physicè loquendo nihil detur commune vniuocum, hoc tamen non tollit, quominus æqualiter denominetur à secunda intentione generis, & vniuocè in illa conueniant. Ergo quamvis differentia communis, & propria physicè loquendo, aliquo modo dependeat à propriissima, & prout sic non conueniant vniuocè cum illa; adhuc secunda intentio differentia potest esse illis vniuocè communis.

Confirmatur secundo: quia quando intellectus comparat albedinem, aut risibilitatem, Petri, & Paulo, ut id, per quod distinguuntur ab Æthiopo, & equo, verè tribuit illis naturis intentiones vniuersalium. Sed tales intentiones propriæ, & simpliciter non pertinent ad primum, & secundum prædicabile, ut patet: neque etiam ad quartum, & quintum: siquidem per talem actum non cognoscitur risibilitas, ut quid profluens ab essentia: neque albedo ut quid contingens in quo consistunt propriæ rationes quarti, & quinti prædicabilis. Ergo tales intentiones propriæ, & simpliciter pertinent ad tertium prædicabile. probatur consequentia quia tales intentiones propriæ, & simpliciter debent pertinere ad aliquam speciem relationis rationis: non ad aliam nisi ad hoc tertium prædicabile: ergo, &c. ¶ Hæc & alia argumenta, quæ solent fieri pro hac opinione, eam probabilem efficiunt, sicque illam censuit Medina, ut testatur Sanchez postea citandus. Sed non idè discendum est à communi, & recepta sententia.

12. Dicendum est ergo diuisionem istam, etiam secundo intentionaliter sumptam esse analogam. Hæc fuit Veterum sententia cum Auic. in sua Logica. Quam etiam defendunt Beatus Albertus tract. 3. in Porphyri. cap. 1. label. Caleran, & Sor. in commentario huius capituli. Mas. sectione 1. quæst. 3. Medin. quem adducit, & sequitur Sanch. lib. 3. quæst. 22. & communiter Thomistæ. Quibus etiam consentiunt Scot. hic quæst. 2. & alij Moderni.

Fundamentum est, qui sola intentio differentia propriissimæ simpliciter participat rationem differentialitatis: ipsa quoque sola constituit hoc tertium prædicabile: ergo alia intentiones differentia communis, & propriæ solum, possunt conuenire cum illa analogicè in esse differentialitatis. Consequentia patet, Antecedens verò probatur, quia propria ratio differentialitatis, secundum quod constituit hoc tertium prædicabile, per quam distinguitur ab aliis intentionibus aliorum prædicabilium consistit in hoc, quod sit vniuersalitas naturæ, constitutiuæ, seu contractiuæ, ut diximus dist. 4. numero 41. Estque satis per se manifestum cum differentia comparatur generi, ut actus potentia, seu ut determinatum indeterminato, ut etiam ex D. Thom. vidimus disput. 5. numero 61. Esse autem vniuersaliter naturæ constitutiuæ, seu contractiuæ, non potest simpliciter conuenire intentionibus differentia communis & propriæ, sed solum intentioni differentia propriissimæ: siquidem id quod est simpliciter actus seu constitutiuum; debet esse in eodem genere cum potentia cuius est actus constitutiuum aliàs ex utroque non fieret ut per se patet inductione. Cum ergo sola differentia propriissima sit in eodem genere cum genere, quod constituit; differentia verò communis, & propria sint extra, & faciant cum illo compositionem accidentalem: planum sit solam differentiam propriissimam esse simpliciter actum, & constitutiuum respectu generis: ac pròinde ipsam solam simpliciter pertinere ad hoc prædicabile.

13. Confirmatur quia contraria sententia euerit totam ferè doctrinam de his prædicabilibus, à Dialecticis communiter receptam: ergo non est admittenda. Probatur antecedens: quia omnes enumerant differentiam inter prædicabilia essentialia, & hac via probant sufficientiam quinarum numeri

numeri prædicabilium. Adduntque differentiam non prædicari omnino in quid, neque omnino in quale, sed medio modo, scilicet, in quale quid: quia quantum ad rem significatam est de substantia seu essentia rei, ex modo verò significandi sumitur ut accidens, seu adiacens ipsi rei, ut magis explicuimus disp. 5. numero. 12. Item ferè omnes asserunt has quinque intentiones esse species infimas vniuersalitatis. Quæ omnia, & alia his similia directè pugnant cum prædicta sententia, ut consideranti parebit. Maneat ergo, quod sicut sub genereitate, specieitate, aut proprietate non collocantur per se, & simpliciter, sed secundum quid tantum & per reductionem illarum intentiones, quibus intellectus denominat ea, quæ secundum quid tantum sunt genera, species, aut propria, qualia sunt entia incompleta: ita similiter sub differentialitate non continentur per se, & simpliciter intentiones, quibus intellectus denominat ea, quæ secundum quid tantum sunt differentie, nempe communis, & propria.

14. Ad fundamentum contrariæ sententiæ, neganda est consequentia. Ad cuius probationem respondetur quia sublata differentia propriissima, per locum intrinsecum auferretur tertium prædicabile, tam physicè, quàm logicè loquendo: quia tunc nihil esset quoddam intra idem genus posset esse simpliciter actus & constitutum respectu generis; & consequenter neque simpliciter denominari differentia. Quod tamen non contingit in prædicabilibus essentialibus respectu accidentalium, vel è contra, ut consideranti parebit. Et ideo ratio vniuersalis potest esse illis omnibus vniuoca, non verò ratio differentie istis tribus.

Ad primam confirmationem similiter respondetur negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia quamuis accidens sit ens, & essentia secundum quid comparatione substantiæ: vnumquodque tamen intra suum genus habet, quiddam requiritur ad fundandas intentiones generis, speciei, vel differentie: quia utrobique essentia continet plures, perfectiones, & gradus habentes rationem actus & potentie, & compositi intra idem genus: & ideo tam in substantiis, quàm in accidentibus propriè, & simpliciter reperiuntur perfectibilis, perfectiui, & perfecti: & per consequens vera genera, differentia & species. At verò differentia communis, & propria etiam respectu eius cuius sunt differentie, habent rationem actus extranei, & alterius generis, faciuntque cum illo compositionem accidentalem: & ita non habent quiddam requiritur ad fundandam intentionem constitutionem huius tertij prædicabilis, ut explicatum est; ac proinde secundum quid tantum, & reductione possunt ad illud pertinere.

15. Ad secundam confirmationem, concessa maiori, & minori, neganda est consequentia. Committitur enim ibi fallacia, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Ad probationem autem dicimus, quod quodcumque intellectus comparat aliquid incompletum habens modum generis, aut speciei respectu suorum inferiorum, ut quando animam apprehendit ut genus respectu vegetatiuæ, & sensitiuæ; aut punctum ut speciem respectu huius & illius puncti: vel quando comparat differentiam communem, & propriam, ut albedinem, & risibilitatem respectu Petri, & Pauli: per tales actus resultant in huiusmodi naturis intentiones quædam, quæ in suo genere sunt quid imperfectum, & extra rectam lineam proprii prædicamenti: ad eum modum quo

Colleg. Compl. Logica.

de embrione, & cadauere in genere substantiæ docet D. Tho. 1. de generatione l. c. 8. Quo fit ut sicut embrio ad nullam speciem substantiæ per se pertinet; sed reducitur ad speciem animalis: sic intentiones istæ propriè, & simpliciter non pertinent ad prædicabilia; sed secundum quid tantum, & per reductionem.

16. ¶ Circa definitiones autem differentie aduertendum est Porphy. adduxisse omnes illas, quibus tunc solebat definiti differentia. Unde non est necessarium quamlibet definitionem esse in se distinctam ab alia, aut explicare diuersam perfectionem, seu munus differentie, ut patet in tertia, & quarta, quæ inter se parum, aut nihil differunt. Quia verò aliqua ex illis quinque definitionibus possunt accommodari differentie communi, & propriæ: aliunde autem sola differentia propriissima pertineat ad hoc prædicabile, ut explicatum est: ideo Porphy. in vltima definitione quasi corrigens illas & limitans, ut solum conueniant differentie propriissimæ, addit illam particulam, scilicet, *quod pertineat ad substantiam, & rationem, sique pars rei, &c.* Propter quod etiam omnes has definitiones ad duas possumus reducere, nempe ad secundam, & vltimam: quæ adæquatè conueniunt differentie propriissimæ. Ex quibus hæc vltima est essentialis, coinciditque cum ea, quam supra disp. 5. n. 52. diximus formandam esse ex definitione essentiali sui abstracti, ut consideranti parebit. Neque in hoc est amplius immorandum.

Secunda definitio, scilicet *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentiis specie in quale quid*, est descriptiua, ut constat ex dictis disput. citata, num. 15: Quare autem Porphyrius addiderit illam particulam, *differentibus specie*: vel an hæc definitio conuenire possit differentiis infimis, de quo est celebris controuersia inter dialecticos, examinabitur infra quæst. 3.

## Q V E S T I O II.

*An differentia sit vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit, vel per ordinem ad indiuidua.*

17. **T**itulus difficultatis loquitur de differentia infima: hæc enim tantum potest comparari ad speciem, quam constituit, & ad indiuidua eius. Sensus tamen, & resolutio quæstionis generalis est ad differentiam infimam, & subalternam: quia proportionabilis est de vtraque difficultas. Quare de differentia infima, verbi gratia *rationalis*, inquirimus: an sit vniuersalis per ordinem ad speciem, cum qua conuertitur, nempe *hominem*; ita ut hæc prædicatio; *homo est rationalis*, sit prædicatio huius prædicabilis: & similiter de differentia subalternam, ut *sensibile*, an sit vniuersalis per ordinem ad speciem subalternam, scilicet *animal*: vel solum habeant rationem vniuersalis, illa respectu indiuiduorum, & ista respectu specierum subinferiorum.

Prima sententia vtrumque negat, contendens differentiam non constitui in esse vniuersalis, neque per ordinem ad speciem, neque per ordinem ad indiuidua, sed per ordinem ad propria inferiora, ut *rationalis* (ait hæc opinio) non constituitur in esse vniuersalis respectu hominis, neque respectu Petri, & Pauli sed respectu huius, & illius rationalis. Hanc sententiam absque Auctoribus refert Sanch. lib. 30. q. 28. ¶ Et fundamentum eius est: quia vniuersale est

N 2

correla



correlatiuum particularis : ergo vnumquodque vniuersale habet proprium particulare. Sed proprium particulare rationalis non est homo, nec Petrus; cum hi sint correlatiui generis, & speciei: ergo proprium particulare rationalis est hoc aut illud rationale; ac prout respectu horum constituitur in esse vniuersalis, non verò respectu speciei, & indiuiduorum.

18. Secunda sententia affirmat differentiam vere esse vniuersalem per ordinem ad speciem, quam constituit ita vt hæc prædicatio, *homo est rationalis*, sit propria huius prædicabilis. Sic indicant Caiet. Sor. & Tolet in hoc cap. ¶ Potestque suaderi primò: quia differentia, formaliter quatenus talis, est vniuersalis: sed differentia constituitur in esse talis per ordinem ad speciem: si quidem prout sic dicitur esse constitutum eius: ergo per eundem ordinem constituitur in esse vniuersalis.

Respondebis fortè maiorem esse falsam: quia sicut homo formaliter quatenus rationalis: non est animal: ita differentia, formaliter quatenus tale vniuersale, non est vniuersalis. Et idè, licet quatenus differentia, respiciat speciem: non propterea constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad illam.

Sed contra: quia iam sequeretur, quòd differentia non solum quatenus vniuersalis, sed neque etiam quatenus differentia est, respiceret speciem; quod tamen patet esse falsum: ergo, &c. Probatur sequela, quia sicut vniuersale, vt sic, respicit inferiora vt sic; ita tale vniuersale debet respicere talia inferiora: ergo iam differentia non constituitur in esse talis vniuersalis per ordinem ad speciem: quæ est illi æqualis: sed per ordinem ad sua propria inferiora.

Secundò probatur eadem sententia: quia quodlibet vniuersale constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad ea, de quibus immediatè prædicatur: sed differentia immediatè prædicatur de specie, & media specie de indiuiduis. ergo differentiam in esse vniuersalis potius constituitur per ordinem ad speciem, quàm per ordinem ad indiuidua. Minor, & consequentia constant. Maior autem probatur: quia genus non constituitur proximè in esse vniuersalis per ordinem ad indiuidua, licet de illis prædicetur, sed per ordinem ad species, non alia ratione: nisi quia de superficiebus immediatè prædicatur, non verò de indiuiduis.

Confirmatur quia prædicatio, *homo est rationalis*, est prædicatio directa, & formalis: ergo est alicuius prædicabilis. Sed non potest esse alterius nisi differentie, vt petet: ergo differentia verè constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit.

19. Nihilominus dicendum est primò propria inferiora differentie, verb. gr. *rationalis*, non esse hoc, aut illud rationale, sed indiuidua speciei, scilicet Petrum & Paulum. Hæc conclusio est communis inter Dialecticos, & probatur: quia differentia prædicatur de pluribus in quale quid: sed *rationalis* non prædicatur de hoc, & illo rationali in quale quid, sed omnino in quod: ergo respectu illorum non habet rationem differentie; & consequenter neque tales prædicationes pertinent ad tertium prædicabile. Maior, & consequentia constant. Minor verò probatur: quia *animal*, quod in se genus est, quando prædicatur de indiuiduis genericis; nempe de hoc, & illo animali, ex modo prædicandi induit conditionem speciei; non alia ratione nisi quia tunc prædicatur de inferioribus vt tota eorum essentia, quod proprium est speciei, vt diximus suprà disp. 6. num. 12. Sed quando rationale prædicatur de hoc, aut illo rationali, prædicatur vt tota essentia talium inferiorum. Ergo respectu eorum induit conditionem speciei, & prædica-

tur omnino, in quid: etiam si in se sit differentia.

20. Dicendum est secundò differentiam infimam non constitui in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, sed per ordinem ad indiuidua: & idem proportionabiliter est de differentia subalterna. Hanc conclusionem indicat label. in hoc c. & defendunt Oña hic q. 1. ar. 2. postea Didacus, dis. 8. q. 2. & latè & optimè Sanch. lib. 3. q. 25. qui plures alios adducit. Colligitur ex D. Th. 1. Posterior. lect. 13. vbi affirmat differentiam vltimam nullo modo esse in plusquam speciem, quod tamen necessarium erat vt esset vniuersalis respectu speciei. Et tandem id planè docuit Porphy. in hoc c. dum definit differentiam, non in ordine ad vnam speciem, sed per prædicari de pluribus inferioribus: & cap. præcedenti, dum enumerans modos prædicationis directæ inquit: *Nam aut paria de paribus. vt hinnibile equo: aut maiora de minoribus prædicantur oportet.* Constat autem prædicationes vniuersalium esse illas, in quibus maiora de minoribus prædicantur: ergo alie prædicationes, in quibus paria de paribus prædicantur non pertinent ad prædicabilia. Et huiusmodi est differentia respectu speciei; vt patet in exemplo Porphy.

Ratione etiam probatur: quia vniuersale est natura vna dicens ordinem ad plura inferiora: sed species non est quid inferius ad differentiam: ergo differentia non est vniuersalis respectu speciei. Maior constat. Minor verò probatur: quia superius ex Arist. in postprædicamentis est id, à quo non valet subsistendi consequentia: sed à differentia ad speciem valet consequentia & contra: ergo differentia non est superior respectu speciei.

21. Respondebis primò; quod licet Physicè differentia sit æqualis cum specie, Logicè tamen, & in quantum prædicabilis, est superior ad illam: quia prædicatione formali differentia prædicatur, tum de ipsa specie; tum etiam de indiuiduis; cum tamen species prædicatione formali, tantum prædicetur de indiuiduis: hoc sufficit, vt differentia sit vniuersalis respectu speciei.

Sed contra: quia iam sequeretur nullam esse prædicationem æqualis de æquali, Logicè loquendo, contra dictum Porphy. & contra communem sententiam Dialecticorum, qui in libris Posteriorum, non solum tales prædicationes admittunt, sed eas afferunt aptiores esse ad perfectissimam demonstrationem: ergo, &c.

Præterea: & quia vniuersale tantum est superius Logicè loquendo respectu eorum, à quibus abstrahitur abstractione vniuersali; sed differentia non abstrahitur ab specie abstractione vniuersali, sed tantum abstractione formali: ergo respectu speciei non est quid superius Logicè loquendo. Maior constat, & probatur minor: quia ab illis abstrahitur aliquid abstractione vniuersali quæ immediatè vnit in vna ratione & in quibus multiplicatur per abstractionem: sed differentia non vnit in vna ratione speciem cum indiuiduis; neque per contractionem multiplicatur in specie, & indiuiduis, sed solum in indiuiduis, vt patet: ergo &c.

22. Secundò respondebis differentiam, quando prædicatur de specie, virtute prædicari de pluribus, quæ in specie continentur, & ita prædicatur de specie æquivalere pluribus prædicationibus de indiuiduis.

Sed contra: quia talis virtualis continentia non sufficit ad veram prædicationem vniuersalis: ergo, &c. Probatur antecedens: quia sicut vniuersale est simpliciter vnum, ita dicit ordinem ad multa, quæ simpliciter sint multa; aliàs non saluaretur propria abstractio, & superioritas, quam requirit vniuersale.

Sed

Sed individua propter virtutem continentur in specie non sunt simpliciter multa, sed potius simpliciter unum; siquidem, teste Porphyrio, *participatione speciei plures homines sunt unus homo*, ergo differentia non potest esse vniuersalis respectu speciei: ex eo quod virtute contineat individua.

Secundò impugnatur eadem solutio: quia quando differentia prædicatur de specie; tunc species formaliter loquendo non est prædicabilis, sed subiicibilis, ut constat ex dictis, ergo formaliter propter hoc, non continet virtute inferiora. Probatur consequentia quia sicut de ratione prædicari formaliter propter hoc, solum est continere in potentia subiectum; ita de ratione subiecti formaliter propter hoc solum est actu continere prædicatum: ergo quælibet continentia potentialis respectu inferiorum est extra rationem formalem subiecti, seu subiicibilis. Ergo quando differentia prædicatur de specie; tunc species formaliter loquendo vel non habet, vel saltem non exercet continentiam potentialem individuum; & per consequens hæc non potest facere, ut differentia sit vniuersalis respectu speciei.

23. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, quod sicut vniuersale non solum dicit naturam, seu rationem, quæ prædicatur, sed etiam relationem prædicabilitatis ad inferiora ita particulare non solum dicit naturam, seu rem, de qua vniuersale prædicatur, sed etiam relationem subiicibilitatis ad superiora: & mediis his relationibus vniuersale, & particulare sunt correlatiua. In hoc ergo sensu verum est vnumquodque vniuersale, habere proprium particulare: quia nimirum vnumquodque vniuersale, respicit inferiora habentia peculiarem rationem subiicibilitatis ad ipsum. Vnde eadem res, v. g. *Petrus* ut relatione subiicibilis respicit totam essentiam; est proprium particulare speciei: ut verò alia relatione subiicibilis respicit constitutum suæ essentiæ, est proprium particulare differentiæ: ut verò alia relatione respicit naturam quandam profluentem à sua essentia, est proprium particulare proprii: & sic de aliis. Quo fit: ut diuersa vniuersalia petant diuersa particularia, non materialiter, & inesse rei, sed formaliter, & inesse subiicibilis.

24. Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur. Ad primum benè ibi responsum est: quæstione 4. ostendimus, nulla differentia includit genus. Ad replicam autem eodem modo respondetur, verum esse, quod differentia, quatenus talis vniuersale, respicit talia inferiora. Sed sicut per ly, *tale vniuersale*, importantur duo, scilicet ratio communis, vniuersalis & talitas, seu differentia contrahens: ita similiter per ly, *talium inferiora*, importantur duo, scilicet inferiora ut sic, & talitas inferiorum. Quare sicut talitas vniuersalis non includit in se vniuersale ut sic; ita talitas inferiorum non includit in se inferiora ut sic: Ex quo tandem fit, quod sicut ratio propria differentiæ, per quam contrahitur vniuersale ut sic, scilicet esse perfectiuam, seu constitutiuam, sumitur per ordinem ad speciem, quam constituit; ita etiam illa specialis ratio, per quam inferiora ut sic contrahuntur, ut sint propria inferiora differentiæ attenditur respectu speciei, cuius differentia est constitutiuam.

Ad secundum distinguenda est maior. Si enim sensus sit, vniuersale constitui in esse vniuersalis per ordinem ad ea, de quibus prædicatur immediate, qua ratione est vniuersale, concedenda est; neganda verò, si prædicetur immediate, non ut vniuersale, sed alio modo. Differentia autem, qua ratione vni-

Colleg. Comp. Logica.

uersalis est, non prædicatur immediate de specie, sed tantum de indiuiduis: idèd quamvis Petrus, & Paulus sint rationales, quia sunt homines; tamen rationale non est vniuersale, quia respicit hominem, sed quia respicit Petrum, & Paulum. Vnde enim diuersa sunt quod Petro conueniat esse rationalem, quia est homo, & quod rationali conueniat secunda intentio vniuersalis: quia respicit hominem. Primum est verissimum; secundum autem omnino falsum, ut ex dictis patet.

25. Ad confirmationem respondetur non omnes prædicationes directas pertinere ad quinque vniuersalia, sed solum illas in quibus maiora de minoribus prædicantur, (si cætera necessaria adsint.) Præter quas constat plures alias esse directas, in quibus paria de paribus prædicantur. Quæ per se pertinent ad prædicabile de vno tantum, ut diximus supra disp. 2. n. 46. Si autem inquiras: quomodo appellandæ sint istæ prædicationes in quibus differentia, & proprium prædicantur de sua specie Respondetur graues auctores eas appellare prædicationes tertij, & quarti prædicati: quia in illis prædicantur res quæ aliàs, si comparentur ad inferiora, sunt tertium, & quartum prædicabile. Qui modus loquendi frequens est inter Thomistas de quo videri potest Sanch. vbi supra. Quidquid autem sit de modo loquendi, certum debet esse tales prædicationes non esse tertij & quarti prædicabilis.

## Q V Æ S T I O III.

*An dentur differentia vltima, quæ cum speciebus conuertantur.*

Celebris fuit hæc difficultas inter antiquos Dialecticos. Quibus non paruam occasionem præbuit Porphyrius, dum in secunda definitione asseruit differentiam prædicari de pluribus differentiis specie. Si enim hoc conuenit omni differentiæ: sequitur nullam esse, quæ cum specie infima conuertatur: & ex consequenti non dari differentias vltimas, seu infimas. Quare duo nobis examinanda sunt Primum est, an rei veritate dentur tales differentiæ vltimæ Deindè, quid in hoc senserit Porphyrius & quomodo saluetur definitio eius.

26. Circa primum multi ex antiquis asserere videntur, non dari differentias infimas, sed omnes esse subalternas; & ex consequenti ad definiendam aliquam speciem infimam ponendas esse duas vel plures differentias subalternas, quarum vnaquæque latius pateat quàm species definita omnes verò simul præter cum conuertantur. Pro hac sententia Mas. hic scilicet. 1. q. 6. refert Themistium 2. Post. c. 10. Philopon. ibidem cap. 14. & Aueroem 8. Metaphysicæ text. 43.

Probatur Primò ex Arist. 2. Post. cap. 14. vbi agens de definitionibus specierum, sic ait: *Talia eò usque sumenda sunt, quo usque tot fuerint sumpta: ut vnumquodque illorum quidem pluribus competat; cuncta autem simul non ad plura sese extendant.* Ferè idem docet 2. Topicor. cap. 7. & lib. 6. c. 3. Et lib. 1. de partibus animalium cap. 2. non admittit tot differentias vltimas, quot sunt species: ergo, &c.

27. Secundò probatur ex Porphyrio. qui cap. de communitatibus generis, & differentiæ sic ait: *continet enim, & differentia spectes, etsi non omnes eas quas genus continet: rationale enim, etsi non exportis rationis, ut animal; Deum tamen ac hominem quæ sunt species, continet.* Idiplum colligitur ex eo quod Porphyrius semper vitur duabus ut pluribus differentiis ad definiendam speciem, ut *rationali, & mortali* ad definiendū

N 3

hominem

*hominem.* Ex quibus unaquaque latius patet quam homo: nam rationale convenit Deo, & Angelis: mortale vero aliis animalibus, sed utraque simul iuncta soli homini. Ergo ex Porphyrii sententia non dantur differentie ultimæ, sed omnes sunt subalternæ.

Tertio probatur ratione: quia per solas differentias subalternas simul sumptas sufficienter constituitur species, & distinguitur ab aliis: ergo superfluum est alie differentie simplices, & ultimæ. Probatur antecedens exemplo, quod adducit Aristot. loco citato ex 2. Poster. nam hæc optima definitio Trinitatis: *Trinitas est numerus impar primus.* In qua tamen singulæ particule plus in se habent, quam Trinitas. Nam esse numerum imparem convenit quinario, septenario, &c. similiter esse numerum primum convenit binario: verumque autem simul sumptum nempe esse imparem primum solum potest convenire ternario. Ergo hæ differentie subalternæ simul sumptæ sufficienter constituere numerum ternarium, & distinguere eum ab aliis & ex consequenti superfluit alia differentia ultimæ.

28. Nihilominus dicendum est primo præter differentias subalternas verè dari differentias ultimas, & simplices, quæ cum superficiebus conuertantur. Hæc conclusio est communis inter Dialecticos illam docet D. Thom. 2. Post. leg. 13. & 7. Metaph. lect. 12. B. Alb. Alexand. Sim. Avic. & alij, quos adducit, & sequitur Mas. vbi supra, & communiter recentiores.

Tria loca Arist. adducit D. Thom. leg. 13. citata pro hac sententia. Primus est 7. Metaphysic. text. 42. vbi docet possibile esse, quod definitio ex duobus constituatur, quorum unum sit genus, & aliud differentia quod explicans Boet. in lib. de divisionibus, constanter affirmat quod si non esset penuria nominum, nulla definitio haberet plus quam duos terminos Item text. 43. sequenti inquit Arist. *Et sic semper vult procedere, donec utique veniat ad non differentiam: tunc autem erunt tot species pedis, quot differentie* Quod explicans D. Thom. ait. *Et ita semper procedendum est in divisione differentiarum, donec diuidens veniat ad non differentiam, id est, ad ultimas differentias, quæ non diuiduntur ulterius in alias differentias: & tunc tot erunt species pedis, quot differentie* Tandem idem colligitur ex lib. 8. Meth. text. 6. vbi dicitur differentiam correspondere formæ.

Ex quo loco sic probatur ratione conclusio: quia differentia in rebus materialibus sumitur à forma, sicut genus à materia: sed in qualibet re materiali est propria forma per quam ultimo constituitur in suo esse: ergo in qualibet re materiali etiam debet esse differentia per quam ultimo constituitur. Cum autem quilibet talis forma sit unica, & simplex, non composita ex pluribus, formis planè sequitur debere illi correspondere differentiam infimam, & simplicem. Quod Argumentum proportionabiliter habet locum in Angelis & in accidentibus: nam illud, à quo sumitur in eis differentia, est quid simplex & indivisibile: ergo talis etiam esse differentia.

Confirmatur quia differentia subalterna est quid simplex: ergo etiam differentia ultima Antecedens conceditur à contrariis. Consequentia vero probatur: quia si à gradu imperfecto & potenciali, quem tribuit forma, sumitur vera differentia simplex: potiori iure à gradu perfecto, & actuali sumitur vera, & simplex differentia, quæ sit ultima, & specifica. Confirmatur secundò: quia propriæ passionis, quæ consequuntur gradus infimos & específicos, sunt simplices & aliis perfectiores: ergo tales etiam debent esse differentie, à quibus radicaliter dimanant.

29. Ad argumenta ad primum ex Arist. respondet. D. Thom. 2. Post. lect. 13. quod quando in eadem

definitione sumimus plures differentias quarum singulæ latius patent quam definitum; tunc verò cum illo conveniunt: tales differentie verè sunt accidentales sumptæ ex aliquibus accidentibus communibus ad declarandam ultimam, & essentialem differentiam quam ignoramus. Et propterea sæpè differentie istæ dicuntur substantiales, seu essentielles: quia scilicet inducuntur ad declarandam sententiam, seu essentialiam rei: sed re vera sunt accidentales. Et de huiusmodi differentiis loquitur Aristot. locis in argumento adductis.

Quod addò verum est, ut ex differentiis subalternis, quæ sunt veræ, & substantiales differentie quantumcumque plures iungantur, nullo modo possit confici propria definitio speciei. Nam ut bene argumentatur Suar. disput. 15. Meth. lect. 11. numero 23. *si rationale & mortale*, essent differentie subalternæ: nunquam ex eorum conjunctione constitueretur homo. Cuius rationem tangit optimè Mas. vbi supra ad 2. Nam vel differentie subalternæ sunt constitutivæ duorum generum, quorum unum sub alio non continetur: tunc repugnat iungi in una definitione, si quidem sunt impossibiles ut patet: vel sunt constitutivæ generum, quorum unum continetur sub alio; & huiusmodi differentie, etiam si omnes iungantur in definitione alicuius speciei infimæ, adhuc conveniunt aliis speciebus; ac proinde definitio non erit bona.

30. Ad secundum ex Porph. constabit in secunda parte difficultatis. Verba autem adducta eundem videntur habere sensum, ac loca Arist. quamvis enim, erraverit existimans dari animalia immortalia: tamen in constituendis differentiis ultimis fuit procul dubio Peripateticus.

Ad tertium iam patet, quod differentie subalternæ si verè sint essentielles, non possunt constituere speciem in ultimo, & specifico gradu; si verò fuerint accidentales, solum possunt esse signum propriæ, & specificæ differentie, quando simul iungitur. Quod facere licet, cum ultimam differentiam ignoramus, ut contingit in definitione adducta numeri ternarij. Non enim ambæ differentie ibi assignatæ sunt essentielles: nam cum idem genus semel tantum possit in species diuidi; numerus una divisione adæquatè diuiditur in imparem, & parem & alia in primum; & non primum: necessarium est aliquas ex his differentiis esse accidentales.

#### AN SECUNDA DEFINITIO Porphyriana conveniat etiam differentiis infimis.

§. vnicus.

31. IN secunda parte quæstionis, circa mentem Porph. non est cur nimis solliciti simus: an senserit dari differentias ultimas. Eas tamen ipsum admisisse, colligitur ex lib. de interrogationibus c. 3. Vbi referente Mas. loco citato, sic interrogat; *cum dixeris differentiam de pluribus speciebus offerri: nunquid rem, ut ita sese habet, explicasti?* Et respondet: *non ita planè, sed ut plerumque esse consuevit: reperiuntur enim aliqua, quæ speciebus adæquantur, &c.* Quibus verbis planè concedit differentias ultimas. Quas licet videatur in aliquibus speciebus admittere, in aliis verò non: solum tamen intendit non semper esse nobis natas. Ex quo patet, quod quando loco supra in argumento 2. adducto, ait differentia continere plures species, loquitur, vel de differentia subalterna, vel saltem de aliquibus differentiis accidentalibus, quæ intra aliquod genus infimum solent convenire pluribus speciebus talis generis,

generis, sed non omnibus. Quare autem in definitionibus utatur Porph. aliquando pluribus differentiis, iam diximus n. 29. in explicatione verborum Arist.

12. Hinc ergo exurgit non parva difficultas: quomodo hoc tertium prædicabile definivit Porph. per prædicari de pluribus differentiis specie: Et ideo merito inquirunt Dialectici: an prædicta definitio conveniat etiam differentiis infimis. ¶ Ratio autem dubitandi est, quia ex una parte ipsa definitionis verba indicant illam tantum convenire differentiis subalternis; ex alia vero non videtur consonum intentioni Porphyrij definiendi differentiam, propterea est tertium prædicabile, ad quod non solum pertinet subalterna, sed etiam infima.

Prima sententia affirmat dictam definitionem convenire etiam differentiis infimis. Authores tamen eius non eodem modo explicant verba definitionis. Quidam enim, teste Avic. Bea. Alb. tract. 5. c. 6. sic intelligunt definitionem, quod differentia prædicetur de pluribus differentiis specie, non inter se, sed aliis: ut rationale prædicatur de Petro, & Paulo qui licet inter se non differant specie, differunt tamen specie ab equo & leone.

Hæc tamen subtilitas nimis crassa est, ut recte inquit Sanch. lib. 3. quæst. 24. & explicatio est extorta, ut bene inquirunt Albert. & Avic. citati. Neque enim talem sensum possunt reddere illa verba: nam hæc propositio, *Petrus & Paulus differunt specie*, sic exponitur: Petrus est alicuius speciei, & Paulus similiter: & Petrus non est eiusdem speciei, cuius est Paulus. Quod autem hic sit legitimus eius sensus, patet ex definitione generis: ubi eadem verba sic intelliguntur ab omnibus. Quare relicta hac explicatione, aliisque, quæ adducit, & impugnat Galleg. hic controversi, 17.

33. Secundo alij exponunt dictam definitionem, asserentes illam convenire per non repugnantiam differentiis ultimis, non in quantum sunt ultimæ, sed in quantum sunt differentiæ, ut *rationali*, in quantum differentia est, non repugnat prædicari de pluribus differentiis specie, aliis id omni differentiæ repugnaret. Quæ explicatio, & sententia antiquissima est, ut tradit Tolet. in hoc cap. Eamque illustrem fecerunt Caiet. ibidem, & Sor. hic quæst. unica ad 6. reputantque probabilem Tolet. & Galleg. ubi supra, & Araux. lib. 3. Metaph. q. 4. art. 6.

Probatum ratione: quia plures sunt definitiones, quæ necessarii explicandæ sunt per non repugnantiam: ergo hæc similiter potest explicari. Probatum antecedens: quia definitio *quantum* ab Aristot. 5. Metaph. sic. scilicet, *quantum est, quod est divisibile in ea, quæ insunt. &c.* licet positivè conveniat pluribus rebus, ut ligno, lapidi; aliis tamen convenit negativè solum, & per non repugnantiam rationi communi, ut cælo. quod quidem, quatenus tale est, dividi non potest, cum sit incorruptibile; ac proinde convenit illi definitio *quantum*, ex eo solum, quod quatenus quantum est, non repugnat illi divisio. ¶ Item licet minimum naturale, quatenus minimum est, non possit dividi: quia tamen quatenus quantum est, non repugnat ei definitio; absolute tribuimus ei definitionem *quantum*. Ergo similiter licet differentia ultima, quatenus ultima est, non possit prædicari de pluribus differentiis specie: quia tamen id non repugnat ei, quatenus differentia est, absolute dicemus prædictam definitionem convenire etiam differentiis ultimis.

34. Ceterum hic etiam modus dicendi falsus est. Nam si semel admittimus definitiones per non repugnantiam rationi communi, in plura devenimus manifesta absurda: iam enim hæc esset bo-

na definitio equi: *Equus est substantia sensibilis, rationalis*. Nam licet equo, quatenus equus est, repugnet esse rationale; id tamen non repugnat ei, quatenus animal est, ut patet. Et generaliter si hic modus definiendi esset bonus, definitio unius speciei conveniret alteri; siquidem differentia constitutiva unius speciei, non repugnat alteri propter rationem communem, & genericam, sed propter rationem propriam, & specificam. Ergo neque etiam est asserendum, definitionem differentiarum subalternarum convenire per non repugnantiam differentiis infimis.

Quod autem prædicta absurda sequantur, patet: quia sicut rationale, & inanimabile sunt rationes essentielles oppositæ, sic esse subalternam, & infimam, sunt rationes accidentales oppositæ, & repugnantes: ergo si harum oppositio non obstat, quominus definitio differentiarum subalternarum conveniat infimis per non repugnantiam; nec etiam oppositio rationum essentialium obstat, quin definitio unius speciei possit alteri per non repugnantiam convenire. Per quod excluduntur solutiones, quæ solent adduci in favorem Caiet. ut consideranti constabit. Videatur Vincentius Justinianus lib. 2. Dialect. institutionum cap. 6. ubi optime impugnat prædictum modum definiendi.

35. Dicendum est ergo dictam definitionem Porphyrij non convenire differentiis infimis, atque ita illum solum definivisse subalternas. Hæc conclusio communis est inter Dialecticos. Quorum non pauci affirmant esse Div. Thom. In quo tamen expressam non invenimus, neque invenire potuit Gallego, ut ipse fateatur. Repertum tamen quid simile 2. Poster. lect. 14. ubi explicans Aristot. asserentem quod differentia est in plus quam species, inquit, solum loqui de differentia subalterna, non autem meminisse infimarum: quia incognitæ sunt. Et ita hanc sententiam sequuntur communiter Thomistæ, label. & Mercat. in hoc cap. Sanch. & Araux. ubi supra Mas. hic sect. 2. quæst. 7. Vincentius Justinianus iam citatus, & plures alij quos refert, & sequitur Gallego controversi. 17. Quibus etiam contentiunt Scot. quæst. 37. in Porphyrij. Tolet. Fonseca & alij quos adducit, & sequitur Rub. hic quæst. 9. Ipsi quoque Caiet. & Sor. approbant hanc sententiam. Quæ satis patet ex verbis definitionis, & impugnatione contrariæ.

Inquires tamen: cur Porphyrij. agens de tertio prædicabili. quod complectitur utramque differentiam, specialiter definiret subalternam.

36. Respondetur primo cum Burleo, quem adducit Mas. quæst. 7. citata ad 1. quod sicut Porphyrij. cap. præcedenti plures adducit definitiones speciei, quarum aliquæ conveniunt speciei infimæ, & subalternæ, aliæ vero soli speciei infimæ: ita etiam in hoc cap. adducit aliquas definitiones, quæ conveniunt utrique differentiarum, ut sunt 1. 3. 4. 5. & aliam, quæ solum convenit differentiarum subalternarum, scilicet hanc secundam. Neque id illi vitio vertendum est, cuius institutum erat, non tam examinare, quam referre ea, quæ ad categorias Arist. poterant conducere.

Secundo & melius, respondetur cum Mas. Rub. & aliis, idem Porphyrij. solam differentiam subalternam definivisse: quia eius usus in definitionibus, divisionibus, & disputationibus frequentior est. Sicut è contra cap. sequenti solum definivit proprium infimum: (cum tamen proprium subalternum verè sit proprium: ) quia proprietatibus specificis frequentius quam subalternis utimur. In utroque Arist. imitatus, qui licet differentias ultimas concedat, ut vidimus numer. 28. tamen quando ex professo agit de differentia in ordine ad demonstrationes, vel argumenta probabilia, solum meminit subalternarum, ut

patet 1. Poster. c. 14. 15. & 16. & 1. Topic. c. 3. cum tamen è contra agens de proprio, solum definit in finem, ut patet ex primo Topicorum c. 3.

37 Ad argumentum pro sententia Caiet. negatur antecedens. Ad cuius probationem responderetur, quod *quanto*, secundum quod tale est, positivè convenit indivisibilitas: & sic omne quantum prout sic est positivè divisibile. Quod autem divisio ipsa sit, quasi impedita, nec possit exerceri in cælo, aut minimo naturali, provenit non ratione quantitatis, sed ratione subiecti, in quo est.

Vel secundò responderetur, & fortè melius, propriam passionem quantitatis, non esse divisibilitatem naturalem, seu realem, sed Mathematicam, sive per designationem. Quod docuit Sor. 1. Physic. quæst. 4 & colligitur non obscurè ex D. Thom. 1. par. qu. 68. art. 2. & in secundo dist. 30. qu. 2. art. 2. de potentia qu. 4. art. 1. ad 5. & alibi sæpè. Constat autem talem divisibilitatem positivè convenire corporibus cælestibus, aut minimo naturali. Præterquàm quod definitio alicuius divisi posset convenire vni membro dividendi per solam non repugnantiam; & quod sic contingeret in definitione quanti respectu cæli; inde tamen non licet inferre, definitionem vnius membri dividendi posse alteri convenire per non repugnantiam; aliàs sequerentur absurda suprà enumerata. Hoc autem contingeret in præsentī si definitio differentie subalternæ conveniret infimæ per non repugnantiam.

38 ¶ Ex dictis inferitur quod cum differentia species infima universalis, quæ divisione accidentis in subiecta dividitur in infimam, & subalternam, ut explicatum est: omnino per accidens se habet ad intentionem constitutivam huius prædicabilis, quod natura quam denominat, prædicetur de pluribus differentibus solo numero, vel de differentibus specie. Vnde sublata hac particula à definitione Porphyrij, manet optima, & adæquata descriptio huius prædicabilis dicendo: *Differentia est, quæ predicatur de pluribus in quale quid.*

#### Q V Æ S T I O IV.

*Utrum differentia infima includat subalternas.*

39 Sensus difficultatis est formalis, & procedit de differentia secundum perfectionem illam, seu gradum, quem formaliter significat: nam in sensu materiali, & identico, non est dubium differentiam infimam includere subalternas, & ipsa genera, cum quibus realiter identificatur. Querimus ergo: an rationale, v. g. formaliter prout significat perfectionem illam, seu gradum, per quem homo distinguitur ab aliis animalibus; & ratione cuius homo excedit animal, ita sit conceptus simplex; ut non solum non sit aggregatum plurium differentiarum, ut quæ præcedenti statutum est; sed neque etiam includat in sua ratione, formali aliquam differentiam subalternam, ex qua, & propria ratione intelligatur componi, ad eum modum, quo species componitur ex genere, & differentia. Cum hac autem quæstione coincidunt aliæ, scilicet: an differentia subalterna per se prædicetur de infima, & an genus includatur in differentiis ultimis, & tandem an per se se prædicetur de differentiis, per quas dividitur. Quorum omnium eadem est solutio, ut consideranti patebit.

40 Pro parte affirmativa referuntur communiter Nominales, quatenus constituunt rectam lineam in differentiis, non minus, ac in generibus, & speciebus.

Quam etiam sententiam defendit Soncin. 7. Metaph. qu. 37. Sed exercitij gratia, ut ipse ait: contraria enim plus illi placet.

Probatum autem primò ex Aristot. 7. Metaphysic. text. 43. ubi tria dicit. Primum: quod differentie superiores clauduntur in infima: & ideo nihil refert, sive in definitione ponantur illæ omnes, sive ista sola. Secundum: quod differentia infima est tota rei substantia: & ideo ea posita in definitione, non licet aliquam superiorem adiungere, aliàs committeretur nugatio, qualis esset, si hominem definiremus esse animal rationale sensibile. Tertium est, quod ad inveniendam ultimam differentiam procedendum est per divisionem differentie superioris in inferiores, quæ sint per se divisivæ eius; ut si *habens pedes* (quæ est differentia animalis) dividatur per habere pedes fissos, vel non fissos: hæc enim sunt differentie per se habentis pedes. Nam *fisso* (inquit) *pedum aliqua pedalitas est*. Ex quibus omnibus necessario sequi videtur differentias infimas includere subalternas.

Secundò arguit Soncin. quia conceptus differentie infimæ esset simpliciter simplex, si non includeret subalternas: hoc autem est falsum: ergo &c. Minor patet: quia conceptus differentie infimæ, non est simplicior conceptu generis generalissimi, cui tamen non est simpliciter simplex: cum solvatur in duos, scilicet conceptum entis, & modi proprii vniuscuiusque. Sequela vero probatur: quia conceptus differentie infimæ iam non esset resolvable in plures conceptus, si non includeret subalternas: ergo iam esset conceptus simpliciter simplex.

Tertiò: quia rationale verbi gratia, est substantia: ergo vel corporalis, vel spiritalis. Ergo iam aliqua differentia subalterna prædicatur formaliter de infima: & sic, &c. ¶ Confirmatur; quia hæc est bona consequentia in *darapti*. Omnis homo est sensibilis: omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est sensibile. Sed in præmissis maior, & minor extremitas includuntur, & prædicantur formaliter de medio: ergo in conclusione maior extremitas, scilicet *sensibile* includitur, & prædicatur formaliter de minori, scilicet *rationali*.

41 Nihilominus dicendum est differentias infimas non includere subalternas, & consequenter neque genera; sed esse conceptus simplices, ac pròinde de illis neque genus, neque differentias superiores posse formaliter, & per se prædicari. Sic sentiunt communiter Thomistæ, Capreol. Fland. Iabel. Ferrar. Tolet. & alij quos referunt, & sequuntur Sanch. lib. 3. quæst. 28. Mai. hic sect. 2. quæst. 7. & Rub. quæst. 7. Quibus etiam consentiunt Scor. in 4. distinct. 11. quæst. 3. & 7. Metaphysic. qu. 17. Anton. Andreas ibidem quæst. 15. & communiter Doctores. Estque expressa sententia Aristot. 4. Topicor. cap. 2. assertis: *Omne quod participat genus, vel species, vel individuum est. Differentia autem, neque individuum, neque species. Manifestum igitur, quod non participat genus differentia*. Idem docet 2. Metaphysic. text. 10. De quo videri potest D. Th. ibidem lect. 8. lib. 5. lect. 12. de Ente, & essentia, c. 7. & 1. contra gentes cap. 17.

Probatum primò conclusio, ratione ex eisdem locis desumpta: quia differentie sunt omnino diversæ, id est, se totis differunt, quod est in nullo convenire: ergo non includunt in se genera, neque differentias superiores. Consequentia est evidens: quia si illa includerent, convenirent in eis, ut patet. Antecedens verò præterquàm quod ex Aristot. & Diu. Thom. probatur: quia, si non sunt omnino diversæ



diversæ : ergo differunt aliis differentiis. De quibus inquirendum erit : an sint omnino diversæ , vel differant aliis differentiis : & sic vel dabitur processus in infinitum, quod est absurdum : vel pervenietur ad aliquas omnino diversas, seu quæ se totis differant, & in nullo convenient, quod intendimus.

42. Secundò : quia genus, & differentia formaliter sumpta comparantur ut actus & potentia, seu ut contrahibile, & contrahitum, suntque partes in compositione Metaphysica. Sed extra rationem potentia, seu contrahibilis est actus, seu contrahitum, & è contra : & generaliter quælibet pars in quacunque compositione præcindit ab alia, & excludit eam. Ergo extra rationem generis est differentia, & è contra ; & ab invicem excluduntur. Quare cum teste D. Th. i. contra gentes cap. 14. non solum genus, sed etiam differentia subalterna contrahatur per differentias ultimas, & habeat rationem potentia respectu earum, ut potè quæ constituit genus in quodam gradu essentia potenti, & ulterius perfectibili : planè sequitur non solum genus, sed etiam differentias subalternas esse extra essentiam ultimarum.

Tertiò tandem : quia inde Aristot. 3. Metaphysic. text. 10. probat genus non esse de essentia differentiarum : quia alia duplici ratione conveniret speciebus : semel quidem ratione sui, & iterum ratione differentia, in qua includeretur. Quod merito reputat absurdum : quia in definitione committeretur nugatio ; si quidem dicere, *homo est animal rationale*, esset dicere, *homo est animal, animal rationale*. Sed idem absurdum sequeretur, si differentia subalternæ includerentur in infimis : ergo, &c. Probatur minor : quia cum dicimus : *homo est animal rationale* ; idem est, ac dicere : *homo est vivens, sensibile, rationale* : ergo si rationale includeret insensibile, idem esset dicere : *homo est animal rationale*, ac dicere, *homo est vivens sensibile, sensibile rationale*. Maneat ergo differentias infimas non includere subalternas, aut genera ; sed esse conceptus simplices inter se omnino diversos.

43. Ad argumenta respondetur. Ad primum Aristotelem loqui in sensu identico, materiali. Quod ex eo patet : quia ibi movet quæstionem : quomodo definitio sit quid unum ; cum habeat partes. Quam ut solvat, meminit doctrinæ à se traditæ 2. Poster. cap. 14. ubi docuerat dupliciter posse speciem infimam definiri, scilicet ponendo primum genus, & omnes differentias intermediarias usque ad infimam, ut si dicas : *Homo est substantia corporea, animata, sensibilis, rationalis* : vel ponendo genus proximum, & ultimam differentiam dicendo : *Homo est animal rationale*. Et nihil refert (inquit Aristot.) an isto, vel illo modo fiat : nam genus proximum, nihil est præter genus primum, & aliquas differentias. Quo supposito probat, quod sive definitio componatur ex genere proximo, & differentia ultima ; sive ex genere primo, & pluribus differentiis : nihil obstat ad unitatem definitionis, quia genus, & differentia non distinguuntur tanquam duæ res, sed tanquam indeterminatum, & determinatum : siquidem eadem res significata, ut indeterminata, est genus ; & ut determinata differentia. Quod manifestè ostendit Aristot. loqui de identitate, quam differentia infima habet cum genere, & differentiis subalternis, & consequenter in sensu identico, & materiali : quomodo non procedit difficultas, ut in tituli explicatione notavimus. Videatur D. Thom. circa hunc locum.

Ad secundum neganda est sequela : quamvis enim differentia quodammodo sit simplicior primis generibus, quatenus ipsa sumpta cum præcisione est ultima pars, & actus constitutivus essentia : adhuc tamen propriè loquendo, non est quid simpliciter simplex :

quia hoc est proprium actus puri ; differentia vero multum habet potentialitatis ex conditione intima creatura, cui sicut repugnat, quod sua essentia sit suum esse, ita repugnat esse actum purum, aut quid simpliciter simplex.

44. Ad tertium responderetur substantiam, & corporeum, vel incorporeum posse dupliciter sumi. Primò propriè, secundum quod substantia est primum genus, & corporeum, & incorporeum differentia divisiva eius : & sic rationale, loquendo in sensu formali, non est substantia ; & consequenter, neque corporea, aut incorporea. Secundò latè provt substantia distinguitur contra accidens, & provt corporeum, & incorporeum significant quamcumque habitudinem ad corpus, vel spiritum, & hoc modo rationale dicitur substantia, sicut materia etiam, aut forma dicuntur hoc sensu substantia ; similiter dicitur corporea : quia est differentia cuiusdam substantia corporea nempe hominis.

Ad confirmationem respondent aliqui, inter quos Rub. hic quæst. 7. ad 1. quod ex virtute formæ syllogisticæ solum sequitur extremitates, quæ in præmissis uniuntur cum medio, uniri inter se in conclusionem : non tamen quod habeant eundem modum unionis, vel quod propositiones habeant eandem perfectitatem, & sic posse contingere, quod præmissæ in sensu formali sint veræ, conclusio verò solum in sensu materiali.

Hæc solutio procul dubio est vera : sicque respondent Mas. & Sanch. ubi sup. Credimus tamen in illo syllogismo, tam præmissas, quam conclusionem esse prædicationes formales, & in sensu formali veras. Non quia *rationale* ; formaliter ut est differentia, includat in se *sensibile* ; sed quia ibi *rationale*, quæ est minor extremitas, ex situ prædicationis supponit, non tam pro ipsa formali, & simplici differentia, quam pro supposito, quod de materiali importat. Vnde cum *sensibile*, quod est prædicatum habeat aliquo modo rationem formæ ex ea parte, qua quodammodo est quid superius : inde est, ut servata tali suppositione, nihil deficiat, ut conclusio illa sit prædicatio formalis, & directa. Hoc tamen non semper est necessarium : & ideo standum est solutioni datæ.

## Q V Æ S T I O V.

*An qualibet differentia sit perfectior genere.*

45. **Q**uamvis compatio circa perfectionem propriè, & simpliciter non fiat inter partes, sed inter entia completa, quibus tantum sicut simpliciter convenire esse entia ; ita etiam esse perfecta ; & consequenter magis, vel minus perfecta : adhuc tamen licet, saltem secundum quid, comparare ipsas partes inter se ; hoc modo comparamus in præsentem gradum genericum, & differentialem.

Quod notavit optimè Divus Thomas prima parte, quæst. 50. art. 4. ad primum dicens, quod differentia comparatur generi. *Sicut determinatum indeterminato, & proprium communi, non autem sicut alia, & alia natura.*

Inquirimus ergo : an qualibet differentia determet genus ad specialem naturam, addendo aliquam perfectionem ; ita ut semper verum sit, quod species in perfectione per differentiam excedit genus.

Oñia hic quæst. 1. art. 5. quem sequuntur aliqui Moderni, non admittit universaliter omnem differentiam addere aliquam perfectionem supra genus. Sed hoc inquit efficere eas tantum quæ elevent genus ad altiore gradum naturæ, ut *animatum*, quæ elevat mixtum

tum ad gradum vitæ; *rationale*, quæ elevat animal ad gradum intellectui, & similes.

Probatum primò: quia differentia quæ non elevat genus ad altiorum gradum, significant perfectionem ipsam generis magis contractam, & limitatam: ergo illæ non addunt generi perfectionem, sed potius auferunt.

Probatum consequentia: quia coarctatio, seu limitatio intra idem genus attestatur imperfectioni rei limitatæ: siquidem tollit illi aliquid talis generis, & non addit alterius gradus perfectionem.

Secundò: quia volitio libera est genus ad omnes volitiones liberas, tam bonas, quam malas: sed differentia contrahens illam ad esse pravæ, & peccanti est imperfectior, quam volitio libera in communi: cum hæc non sit ex natura sua mala, illa verò sit: ergo talis differentia nullam addit perfectionem.

Confirmatur: quia sapientia ut sic addit maiorem perfectionem, quam sapientia creata: ergo hæc differentia non addit perfectionem. Consequentia patet: Antecedens verò probatur: quia sapientia ut sic, est perfectio simpliciter simplex, non verò sapientia creata.

Tertio: quia iam sequeretur quamlibet speciem habere distinctam operationem ab aliis speciebus eiusdem generis, & unam perfectionem esse alia perfectionem: hoc autem est falsum: ergo, &c. Sequela videtur manifesta: Minor autem probatur: quia iuxta valde probabilem sententiam, omnes species Angelicæ habent easdem operationes scilicet intelligere, & velle; & aliqua animalia non solum non habent dictam operationem, sed potius deficiunt eis aliquæ ex his, quæ conveniunt ratione generis: siquidem vulgò dicitur talpam carere visu, pisces olfactu, & sic de aliis.

46. Nihilominus dicendum est omnem differentiam esse perfectiorem suo genere, ad modum quo actus est perfectior potentia; ac proinde nullam dari differentiam, quæ non addat generi aliquam perfectionem. Hæc est mens Arist. 8. Metaph. text. 10. ubi rerum essentias comparat numeris: quia sicut numeri per ultimam unitatem se invicem superant, & superantur; ita species per differentias. Quod etiam docet expressè, tum Porphy. in hoc cap. tum etiam D. Thomas de spiritualibus creaturis, art. 8. ad 9. (cuius verba adducemus in solutione ad 3.) & 1. p. q. 50. art. 4. ad 1. & quæst. 57. art. 2. ad 2. estque communis consensus Dialecticorum.

Fundamentum est: quia omne genus est perfectibile ulteriori perfectione: ergo omnis differentia addit aliquam perfectionem supra genus. Antecedens constat ex definitione generis, quod in hoc distinguitur ab specie, ut supra vidimus. Consequentia verò probatur: quia illa ulterior perfectio ad quam genus est in potentia, est differentia: sed in quacunque specie actualatur, & perficitur potentialitas generis; siquidem non datur species, quæ non sit totum actuale ultimum in essentia perfectum, & constitutum: ergo in quacunque specie differentia addit aliquam perfectionem supra genus.

Confirmatur: quia omnis actus, aut forma, est nobilior potentia, seu materia, secundum quod talis est; eique necessariò tribuit aliquam perfectionem, seu effectum formalem; sed omnis differentia habet rationem actus, seu formæ respectu generis: ergo omnis differentia est nobilior genere, eique tribuit aliquam perfectionem.

47. Ad argumenta respondetur.

Ad primum, quod illimitatio in genere causæ materialis potius est imperfectio: quia causatur ex privatione perfectionis, scilicet formæ, & actus, & ideo materia prima inter omnia entia, est imperfectissimum

& propriè nihil: quia secundum se est omnino illimitata in genere causæ materialis; cum sit pura potentia. Et idem proportionabiliter contingit in genere, quod hoc modo est quid illimitatum, ex eo quod non habet in se actu perfectiores, quas tribuunt illi differentia.

Ad secundum respondetur volitionem liberam malam posse considerari dupliciter. Primò in esse moris, seu formaliter quatenus mala: & sic non dicit perfectionem, sed summam imperfectionem; siue malitia illa sit aliquid positivum, & reale, siue sola privatio rectitudinis: de quo Theologi.

Secundo modo potest considerari physice, in esse rei, & sic habet differentiam positivam, & realem, quæ addit aliquam perfectionem supra genus, sicut qualiter alia differentia.

Ad confirmationem respondetur, quod sapientia ut sic, non est genus, sed analogum ad sapientiam creatam, & increatam. In analogis autem maiorem perfectionem dicit analogum quam secundaria analogata, ut suo loco ostendemus.

Ad tertium respondetur ex D. Thom. loc. cit. de spiritualibus creaturis, sic assentiente: *Illud, quod constituit in specie, est nobilius eo, quod constituit in genere; sicut determinatum indeterminato: habet enim se determinatum ad indeterminatum, ut actus ad potentiam. Non autem ita, quod semper illud, quod constituit in specie ad nobiliorem naturam pertineat, ut patet in speciebus animalium irrationalium. Non enim constituntur huiusmodi species per additionem alicuius nature nobilioris, supra naturam sensitivam, quæ est nobilissima in eis; sed per determinationem ad diversos gradus in illa natura: & similiter dicendum est de intellectuali, quod est commune in Angelis.*

Iuxta quam doctrinam respondetur negando sequelam. Quia differentia tunc solum est necessariò radix novæ operationis, quando elevat genus ad altiorum naturam. Quando verò non elevat, sufficit esse radicem, quare eadem ratio perfectiori, vel imperfectiori modo participetur ab speciebus. Unde etiam in illis animalibus, quæ aliquo sensu sunt distincta, propria uniuscuiusque differentia perfectior est, quam genus animalis: quia saltem determinat aliquam operationem, quæ confusè tantum indeterminatè, & simpliciter conveniebat generi. Ut autem rectè dixit D. Th. 2. distinct. 13. qu. 1. art. 6. ad 1. *Habere intellectum sic, nobilius est, quam habere intellectum simpliciter.*

48. Ex dictis inferitur, genus propriè loquendo non dividi in differentias; siquidem differentia non includunt genus: sed per differentias dividi in species.

Ut autem id rectè fiat, oportet sumere differentias, quæ per se dividant illud, ut dicitur Metaphys. text. 43. nam si sint differentia per accidens, divisio non erit generis in quantum genus, & consequenter neque essentialis. Quod explicuit optime D. Thom. 1. 2. qu. 35. artic. 8. dicens: *Ad rationem speciei pertinet, quod se habeat ex additione ad genus. Sed generi potest aliquid addi dupliciter: uno modo, quod per se ad ipsum pertinet, & virtute continetur in ipso, sicut rationale additur animali, & talis additio facit veras species, ut per Philosophum patet in 7. & 8. Metaphysica. Aliquid verò additur generi, quasi aliquid extraneum à ratione ipsius, sicut si album animali addatur, vel aliquid huiusmodi, & talis additio non facit veras species generis.*

C A P V T I V.

De Proprio.

S V M M A T E X T V S.

**Q**UATUOR acceptiones *Proprij* adducit Porphyrius in hoc cap. *Primò* enim dicitur proprium, quod convenit soli speciei, sed non omni individuo eius, ut homini esse Medicam, vel Geometram. *Secundò* quod convenit omni, & soli, sed non semper, ut canescere. *Quartò* tandem quod convenit omni, soli, & semper, ut risibile: quamvis enim homo non semper rideat; semper tamen habet ridendi facultatem. Et hoc (inquit) appellatur *maximè proprium*, ut vertit Perionius: seu *vero proprium*, ut habet Argyropilus: quia convertitur cum specie.

NOTATIONES, ET DVBIA  
circa hoc caput.

Plures huius nominis significationes adducit Petrus Gregorius libro secundo Syntaxis capite decimo tertio, & tomo primo, Comment. capite undecimo. Nam *proprium* apud Platonem sumitur pro optimo; apud Ciceronem pro eo, quo quis vititur, vel fruitur; in possessionibus etiam & rerum dominis diversimodè sumitur à Iurisperitis. Sed à Dialecticis dupliciter solet usurpari.

*Primò*, ut distinguitur ab improprio: quo sensu dicimus *leonem*, aut *agnum* propriè significare quoddam species animalis, & impropriè Christum Dominum.

*Secundò*, ut distinguitur à communi, sicque sumitur in præsentia, & comprehendit hoc quantum prædicabile. De quo cur quarto loco tractetur, satis constat ex dictis capite de Genere num. 6. ubi semel egimus de ordine omnium prædicabilium.

*Proprij* autem in hac secunda significatione assignavit Porphyrius quatuor acceptiones in textu adductas: quam doctrinam paucis mutatis, desumpsit ex primo Topicorum capite quarto, ubi primam, & secundam acceptionem Porphyrij sub una comprehendit Aristoteles, optimèque appellavit *proprium ad aliquid*: quia proprium in illis acceptionibus non absolute dicitur proprium, sed comparatione alterius speciei, vel individui, ut consideranti patebit. Similiter proprium in tertia acceptione vocavit Aristoteles *proprium quando*: quia secundum tempus convenit, ut canescere. Et tandem proprium in 4. acceptione definit Aristoteles: *Proprium est, quod non indicat quid esse rei, soli autem inest, & conversim prædicatur.* Et hoc appellat simpliciter proprium, reliqua vero secundum quid.

3 Circa primam acceptionem notandum est ex Aristotele loco citato, quodd ibi esse Medicum, seu Geometram non sumitur pro generali aptitudine, seu capacitate, quam habet homo ad acquirendas scientias, ex eo quodd ratio-

nalis est: hæc enim est proprium quarto modo; siquidem fluit ab essentia hominis, & convenit omni soli, & semper. Sed sumitur vel pro ipso habitu, seu actu Medicinæ, vel Geometriæ, ut explicat Villalpan. & alij, vel pro peculiari habilitate, & inclinatione, qua aliqui homines potius inclinantur ad unam scientiam, quàm ad aliam, ut rectè interpretatur Soto. His enim modis esse Medicum, vel Geometram convenit soli homini, sed non omni.

Circa secundam acceptionem DVBITABIS: quomodo Porphyrius assignet esse bipedem pro hominis proprio; cum Aristoteles secundo Perier. capite quarto, dicat esse eius indifferentiam.

¶ Sed respondet optimè Asclepius in hoc capite ad quintum argumentum, quodd esse bipedem non est vera differentia hominis, sed exempli gratia, ponitur ab Aristotele pro vera differentia ut etiam patet ex septimo Metaphysic. textu 43.

¶ Adde, quodd quamvis esse bipedem simpliciter loquendo, neque sit proprium, neque differentia, sed accidens commune, ut ex dicendis constat; secundum quid tamen, sicut induit rationem proprii ex eo quodd quodammodo consequitur ad esse hominis; ita etiam secundum quid induit rationem differentie, quatenus distinguit illum à quadrupedibus. Et sic potuit à Porphyrio assumi, ut exemplum proprii, & ab Aristotele differentie.

4 Circa tertiam etiam acceptionem. DVBITABIS: de exemplo tibi à Porphyrio adducto: nam canescere non soli homini convenit, siquidem alia animalia canescunt; ut testantur Aristoteles libro tertio, de historia animalium capite undecimo, & Plinius libro undecimo capite trigesimo-septimo.

¶ Aliqui respondent candorem, quis in pilis, aliquorum animalium cernitur, non esse veram canitiem; sicut neque etiam eorum hominum, qui à nativitate capillos habent albescentes, ut fertur de his, qui zonas frigidas inhabitant.

Hæc tamen solutio falsa est: nam vera, & legitima causa canitiei, quam assignat Aristoteles libro quinto, de generatione animalium, capite quarto, scilicet humor putrescens in radicibus pilorum, qui vi caloris naturalis consumi nequit, non minus reperitur in canibus, equis, & aliis, quàm in homine.

¶ Et idè melius responderetur Porphyrium attulisse exemplum non ex omni parte verum, sed quia sic contingit ut plurimum, (quodd sèpe invenitur apud graves Authores) frequentior enim est, & magis nota canities in hominibus, quàm in aliis animalibus, ut notavit Ari-

stoteles, loco citato de historia animalium.

\* \*



## DISPUTATIO VIII.

## De Proprio, Quarto prædicabili.



**P** L V R A, quæ circa hoc prædicabile in-  
quirit possent, satis constant ex dispu-  
tationibus præcedentibus : & pauca,  
quæ restant, breviter in præsentī per-  
stringemus.

## Q V Æ S T I O I.

*An Proprium, solum quarto modo acceptum,  
constituat hoc prædicabile, ubi etiam  
definitio eius exponitur.*

**E**X dictis disputatione præcedenti, numero 10.  
& sequentibus circa divisionem differentiarum, sa-  
tis constare potest, quid dicendum sit in prima parte  
huius questionis. Sed quia aliqui Doctores, etiam  
circa proprium, non desistant impugnare communem  
sententiam : ideo breviter eorum fundamenta addu-  
cenda, & solvenda sunt.

5. Est ergo prima sententia absolute affirmans  
tres priores acceptiones proprii verè, & simplici-  
ter pertinere ad hoc prædicabile ; & consequenter  
divisionem esse univocam, & generis in species.  
Sic docent Lovanienſ. & Canterus in hoc capite,  
Murc. ibidem questione unica in fine, & Hurta-  
do disputatione sexta Logice, sectione quinta, §.  
21. & 22.

Probatum primò : quia tres illæ acceptiones ha-  
bent specialem modum respiciendi inferiora, quem  
non habet accidens quintum prædicabile, ergo pro-  
priè, & per se non pertinent ad quintum, sed ad  
quartum.

Consequentia patet : quia prædicabilia distinguun-  
tur per diversos modos respiciendi, & prædicandi de  
inferioribus.

Antecedens verò probatur : quia proprium in  
prima acceptione respicit inferiora sub formalita-  
te solius, scilicet ut quid conveniens soli spe-  
ciei, sed non omni individuo eius ; in secunda ve-  
rò ut quid conveniens omni, sed non soli ; & in  
tertia ut quid conveniens omni, & soli ; sed non  
semper : ac accidens commune solum respicit infe-  
riora sub formalitate contingentis, seu ut potest  
abesse, & adesse præter subiecti corruptionem : er-  
go, &c.

Secundò : quia licet tres acceptiones illæ, sum-  
ptæ pro actu, sint accidentia communia ; si ta-  
men sumantur pro aptitudine, seu potentia, ve-  
rè dimanant ex principiis substantiæ : ergo ve-  
rè sunt passionis, pertinentque propriè ad hoc  
prædicabile.

Consequentia patet, & probatur antecedens :  
tum ex Diu. Thom. de Ente, & essentia capite 7.  
Vbi expresse affirmat omne accidens saltem se-  
cundum aptitudinem causari à principiis substan-  
tiæ : tum etiam inductione : quia aptitudo, seu  
potentia ad esse Medicum oritur ex principiis es-  
sentialibus naturæ humanæ, cum omnis homo natu-  
raliter scire desideret, ut inquit Aristot. 1. Metaphys.  
Et simile argumentum sit de duabus aliis acceptioni-  
bus.

6. Secunda sententia contendit, saltem aliquam ex  
his tribus acceptionibus verè, & propriè pertinere ad  
hoc prædicabile. Et de secunda quidem id docet Fon-  
seca 5. Metaph. c. 28. sect. 19. qu. ad 1. & 2.

7. Cuius fundamentum est : quia quod convenit  
omni, & semper, convenit necessariò ; sed proprium in  
2 acceptione, ut esse bipedem convenit omni, & sem-  
per : ergo convenit necessariò, ac pròinde non pertine-  
bit ad 5. sed ad 4. prædicabile. Minor, & Consequen-  
tia constant. Maior autem probatur : quia si ad veram  
rationem proprii esset necessarium, quod soli conve-  
niret ; proprium subalternum non esset verè proprium,  
sed accidens commune, respectu speciei infimæ, quod  
tamen esse falsum constabit infra.

Tandem de tertia acceptione verè pertinere ad hoc  
prædicabile, docent aliqui Moderni, ut restatur Rub.  
hic qu. 1.

8. Quorum fundamentum est : quia quod convenit  
omni, & soli, habet quicquid requiritur ad veram ra-  
tionem passionis etiam si non semper conveniat : ergo  
tertia acceptio verè pertinet ad hoc prædicabile.

Consequentia patet, & probatur antecedens : quia  
quod verè ab essentia dimanat, est propria passio : sed  
vera emanatio alicuius non tollitur ex eo, quod non  
semper conveniat, sed tempore à natura statuto : quia  
tunc solum adest in subiecto dispositio necessaria, ut  
patet in potentia visiva canis post nonum diem, &  
aliis huiusmodi : ergo vera ratio passionis tollitur ex eo,  
quod non semper conveniat.

7. Nihilominus dicendum est ultimam tantum ac-  
ceptionem proprii constituere hoc prædicabile, ceteras  
verò simpliciter pertinere ad quintum : & secundum  
quid, seu per reductionem ad hoc quartum, ad eum  
modum quo de differentia communi, & propria dixi-  
mus pertinere ad tertium : ac pròinde divisionem pro-  
prii in hac acceptione non esse univocam, sed analogam.  
Sic docet Arist. 1. Topic. c. 2. & Porphy. in hoc c.  
vbi expresse affirmant solum proprium in 4. acceptione  
esse simpliciter proprium : in aliis verò tantum se-  
cundum quid. Propter quod etiam D. Th. Opusc. 48.  
tract. 6. & 7. agens de proprio, solum explicat, & de-  
finit illud in 4. acceptione. Quam sententiam concor-  
diter sequuntur eius discipuli Caiet. label. Sor. & Mas.  
in Comment. huius capitis, Arauxo lib. 3. Metaph. q.  
4. art. 7. & Sanch. lib. 3. q. 53. quibus etiam consen-  
tiant Toletus, Oña, Rubio, Conimbricenses. & alij quos  
refert, & sequitur Gallego hic controu. 18.

Ratio à priori huius conclusionis facile deduci po-  
test ex ea, quæ disp. præced. num. 12. ostendimus, so-  
lam differentiam propriissimam constituere tertium  
prædicabile.

9. Sed denuò probatur ratione desumpta ex D.  
Th. loco citato : quia illud est verè, & simpliciter pro-  
prium, quod dimanat à principiis essentialibus, &  
cum eis habet naturalem, & necessariam connexionem ;  
sed tantum proprium, quod convenit omni soli,  
& semper, est huiusmodi : ergo illud solum est verè, &  
simpliciter proprium. Maior, & consequentia constant.  
Minor autem probatur per suam convertentem : quia si  
habent necessariam connexionem cum principiis es-  
sentialibus : ergo inveniuntur in omnibus, in quibus in-  
veniuntur talia principia essentialia, & per consequens  
conveniet omni habenti illa. Rursus : ergo ubi non  
fuerint talia principia essentialia, neque etiam erit  
tale proprium, & per consequens conveniet solum  
habentibus talem essentiam. Et tandem : ergo quan-  
diu illa habuerit talem essentiam, tandiù habebunt  
eius proprietatem. Sed quæ participant aliquam es-  
sentiali, semper habent illam : ergo semper etiam ha-  
bebunt talem proprietatem : & per consequens con-  
veniet omni, soli, & semper.

8. Confirma

8. Confirmatur primò : quia tres priores acceptiones verè non dimanant à principiis essentialibus , & consequenter non habent necessariam connexionem : ergo non constituunt hoc prædicabile.

Probaturs antecedens quia *esse Medicum* , si sumatur pro habitu vel actu medicinæ , satis constat non fluere ab essentia hominis ; si verò sumatur pro habilitate , seu inclinatione ad vnam scientiam , potius , quàm ad aliam iuxta dicta num. 3. manifestum est id prouenire ex principiis individualibus , & diuerso hominum temperamento , aut etiam ex variò syderum aspectu sub quo quisque natus est , ratione cuius ij , quibus Iupiter præest , procliuus sunt ad scientias : quibus verò Mercurius ( qui linguæ dominatur ) insitam habent propensionem ad eloquentiam , &c. Neque Medicum potest aliò modo pertinere ad hanc primam acceptionem , vt notauimus loco citato.

¶ Similiter *esse bipedem* : aut *canescere* , satis apparet consequi ex dispositione materiæ : sicut esse masculum , aut feminam : inuenem , aut senem , alia huiusmodi : ergo solum dimanant ex principiis materialibus & individualibus : non verò ex formalibus , & essentialibus.

Confirmatur secundò : quia quod habet necessariam connexionem cum essentia , licet possit ab ea præscindi abstractione præcisua : considerando scilicet essentiam absque illo : non tamen potest præscindi abstractione composita : scilicet , vt absque præiudicio talis essentia negetur de ea , aut affirmetur eius oppositum : per quod Dialectici distinguunt proprium à quinto prædicabile , vt videbimus capite sequenti. Sed esse medicum , bipedem , aut canem , possunt non solum præscindi , sed etiam negari , & eorum oppositum affirmari de essentia hominis , absque præiudicio eius : ergo non habent cum illa necessariam connexionem.

9. Ad argumenta responderetur.

Ad primum primæ scientiæ dicimus , quòd licet tres priores acceptiones proprii : formaliter prout sic , habeant species , modos seu formalitates respiciendi inferiora : distinctas ab intentione quinti prædicabilis ; illæ tamen non constituunt proprium simpliciter , sed tantum secundum quid , suntque intentiones quædam imperfectæ , reduciuntur pertinentes ad hoc prædicabile : ad eum modum quo disputatione præcedenti nu. 15. diximus de differentia propria & communi.

Ratio autem huius sumitur ex dictis : quia ad veram , & propriam rationem proprii exigitur , vt dimanet ab essentia , quatenus essentia est , siue à principiis formalibus rei , quod non habent tres priores acceptiones , vt ostensum est : & ideo simpliciter sunt accidentia communia.

Ad secundum ex dictis num. 3. constat , quòd si aptitudo ad Medicinam sumatur pro generali capacitate , seu inclinatione ad scientias , conuenit homini quarto modo proprii , non primo : si vero sumatur pro speciali habilitate ad vnam potius quàm ad aliam ; solum dimanat ex principiis materialibus seu individualibus , quod non sufficit ad veram rationem passionis : imò id peculiare est accidentium communium , vt ostendimus disput. sequenti. Et hoc ipsum intendit D. Thom. loco citato in argumento , vbi expressè docet accidentia causari ex principiis substantiæ : quædam quidem ex principiis formalibus : & hæc inquit esse proprias passiones ; quædam verò ex principiis materialibus : & hæc dicit esse accidentia in indiuiduis , seu communia. Sed de hoc redibit sermo disput. citata.

10. Ad fundamentum secundæ sententiæ negatur antecedens : non enim ex eo præcisè quòd aliquid

Colleg. Compl. Logica.

conueniat omni & semper , conuenit necessariò , vt patet de accidenti inseparabili , vt de albedine cigni , quæ conuenit omni & semper , & tamen est accidens commune , vt docent. Dialect. cum Porphy. cap. seq. Requiritur ergo ultra ; quod dimanet ex principiis essentialibus , seu formalibus : quod non habet proprium in secunda acceptione , vt explicatum est. ¶ Ad probationem autem antecedentis respondetur ad veram rationem proprii non esse necessarium , vt hoc , quod est *conuenire soli* , habeat respectu vniuscuiusque , de quo prædicatur ( imò hoc est impossibile ; aliàs neque daretur etiam proprium infimum , vt consideranti patebit ) sed respectu essentia à qua dimanat ; ita scilicet , quòd conueniat solis habentibus talem essentiam quòd patet conuenire proprio subalterno.

Ad vltimum negatur antecedens. Ad cuius probationem respondetur , id , quod est verè proprium dimanare ab essentia , quatenus essentia est , seu à principiis essentialibus , & formalibus ; & idèd semper adesse in subiecto dispositionem ad illud : quia semper ibi sunt ipsa principia essentialia , cum quibus habet necessariam connexionem. Vnde repugnat , quod propria passio , secundum vnum tempus conueniat & secundum aliud non. Hoc autem habent canities , & alia accidentia individualia : quia sequuntur ex tali , vel tali dispositione materiæ , aut complexione humorum in quibus contingit variatio. ¶ Per quod patet ad exemplum argumenti : nulla enim est variatio secundum tempus in ipsa potentia visiva canis , quæ est passio animalis , sed in dispositione organi ad eliciendum actum visionis.

¶ In secunda parte difficultas circa definitionem proprii , non est cur immoremur. Quamuis enim ipsum non definiuit Porphy. ex eius tamen verbis formatur definitio proprii sic : *Proprium est , quod conuenit omni , soli , & semper* Per quam definitionem , si rectè intelligatur definitur proprium , vt est quartum prædicabile. Ly enim , *conuenit omni* . non distribuitur pro omni specie , vt patet sed pro omnibus inferioribus speciei : & sic idem est ac si diceretur : *Proprium est , quod prædicatur de pluribus* . Cum autem in his acceptionibus , non loquatur Porphy. de conuenientia essentiali , vt patet : subintelligendum est *accidentaliter* , & sic definitio Porph. facit hunc sensum : *Proprium est quod prædicatur de pluribus accidentaliter , & necessariò* . Hoc enim expriment verba Porph. formaliter sumpta : quia quidquid ratione formæ conuenit omni indiuiduo alicuius speciei , & semper , nascitur ex principiis essentialibus : & sic prædicatur necessariò de inferioribus.

In eodem ferè sensu posset explicari definitio Aristot. sup. num. 2. adducta , scilicet *Proprium est quod non indicat quid esse rei ; soli autem inest , & conuersim prædicatur* . Sed quia vix in ea aliquis ordo ad inferiora insinuat : non tam videtur definisse proprium , vt est quartum prædicabile , quàm vt est quartum prædicatum. Præsertim cum ibi Arist. solum agat de proprio in ordine ad argumentationem , vt est problema dialecticum , & conuertitur cum specie quomodo non est quartum prædicabile , sed quartum prædicatum , vt diximus disput. præcedenti n. 25. Id autem quod ait Aristot. *Proprium non indicat quid esse rei* , intelligendum est extrinsecè , id est , non indicat essentiam rei tanquam pars extrinseca eius : nam extrinsecè , & tanquam signum certum & propriam possessionem indicare essentiam rei , vt de definitione descriptiua diximus suprà in præambulis institutionum.



## Q V Æ S T I O II.

*Respectu cuius Proprium constituitur in esse vniuersalis. Vbi etiam, an subalternum, & infimum pertineant ad hoc prædicabile.*

12. **P**roprium verè esse vniuersale, & vnum ex quinque prædicabilibus satis constat ex iis, quæ de numero eorum diximus disp. 4. Vnde solum inquirimus, respectu quorum habeat istam vniuersalitatem, an scilicet respectu illius essentia, à qua dimanat: an verò respectu inferiorum eius.

In quo certum debet esse, proprium non constitui in esse vniuersalis respectu inferiorum eodem nomine significatorum, videlicet risibile respectu huius, & illius risibilis; de differentia dicimus disp. præcedenti numero 18. Vtriusque enim eadem est ratio, quam ibi adduximus. Quamuis autem ex ibidem dictis de differentia facile deduci posset, quid dicendum sit in hac quæstione; eam tamen oportuit breuiter attingere: quia habet specialem difficultatem circa proprium præter hæc argumenta.

Primo: quia, ut disp. sequenti videbimus ex Arist. & D. Thom. in hoc distinguitur proprium ab accidenti communi quòd accidens commune conuenit speciei ratione indiuiduorum: nam ideo homo est albus, quia Petrus est albus; proprium verò communis indiuiduis ratione speciei; ideo enim Petrus est risibilis: quia homo est risibilis. Ergo proprium per prius prædicatur de specie, quàm de indiuiduis: ergo potius constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quàm per ordinem ad indiuidua.

Secundò: quia ex prædicationibus quinque vniuersalium solæ prædicationes huius quarti prædicabilis possunt propriè, & à priori demonstrari, ut colligitur ex Arist. 1. Post. capite quarto; sed proprium propriè, & à priori demonstratur de specie: ergo prædicatur de illa prædicatione quarti prædicabilis. Minor, & consequentia constant; Maior autem probatur: quia in primis prædicationes quinti prædicabilis, cum sint in materia contingenti, non sunt necessariæ: ergo non possunt demonstrari. Deinde prædicationes generis, speciei, vel differentia, licet sint necessariæ, sunt tamen essentielles: ergo à priori demonstrari non possunt, cum nihil possit esse prius ipsa essentia, ut patet: ergo solæ prædicationes quarti prædicabilis possunt propriè, & à priori demonstrari.

13. Tercius: quia idem in accidens, quod respectu illius gradus, à quo dimanat adæquatè, est propria passio, respectu graduum inferiorum est accidens commune: ergo vel nulla datur prædicatio quarti prædicabilis, quatenus vniuersalis est, vel constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad illam speciem, seu gradum, à quo adæquatè dimanat. Consequentia est euidens. Antecedens verò probatur: quia omne accidens habet proprium, & adæquatum subiectum, seu principium à quo dimanat, & per quod definitur, ut diximus disp. 5. numero 24. ergo omne accidens respectu illius gradus habet veram rationem passionis. Ergo saltem respectu gradus inferiorum erit accidens commune, alias nulla dabitur prædicatio quinti præ-

dicabilis.

Proxima conclusio. Proprium non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, seu essentiam, à qua dimanat & cum qua conuertitur; sed per ordinem ad inferiora illius. Quod proportionè seruata, intelligendum est de proprio subalterno, & infimo, (supponendo quòd utrumque pertineat ad hoc prædicabile) sicut disp. præcedenti num 10. explicuimus de differentia. Hanc conclusionem ostendunt manifestè, quæ ibidem adduximus: & idèd solum restat argumentis satisfacere in quo tota huius quæstionis difficultas sita est.

14. Ad primum ergo responderetur differentiam illam inter proprium, & accidens commune procedere de proprio & accidenti metaphysicè, & realiter sumptis; non verò de proprio logicè considerato, seu formaliter ut denominatur à secunda intentione. Vnde licet verum sit, quòd entitas risibilitatis, prius conueniat homini quàm Petro prædicatione tamen vniuersalis, seu prædicabilis non prius prædicatur de homine, quàm de Petro. Et quamuis differentia constitutiva proprii in esse quarti prædicabilis sumitur per ordinem ad speciem; tamen non idèd est vniuersale per ordinem ad illam: non enim proprium respectu eiusdem habet vniuersale, & tale vniuersale ut de differentia diximus disp. præcedenti num. 24.

Ad secundum responderetur non solum prædicationes, quæ propriè pertinent ad quartum prædicabile, posse à priori demonstrari, sed etiam prædicationes, quas disp. citata num. 25. appellauimus quarti prædicati: imò istæ probantur demonstratione perfectiori.

Ratio autem huius est: quia propria passio non ingreditur demonstrationem formaliter quatenus habet orationem, superioris, & vniuersalis; sed ut dimanat ab essentia, cuius est passio, ad quam comparatur, ut prædicatum æquale, seu conuertibile. Et idèd demonstratio, in qua talis passio concluditur de ipsa essentia, cum qua conuertitur, perfectior est aliis demonstrationibus: in quibus eadem passio concluditur de inferioribus, respectu quorum habet rationem vniuersalis: quia istæ necessariò supponunt illam, & dependent ab ea. Si quando autem Arist. aut alij graues Auctores insinuate videantur, solas prædicationes proprii à priori demonstrari intelligendi sunt non solum de proprio logicè, ut est quartum prædicabile sed etiam de proprio metaphysicè, ut est quartum prædicatum.

15. Ad tertium negatur antecedens: accidens enim quod verè est propria passio alicuius essentia, semper est propria passio, quando prædicatur de quibuscumque inferioribus talis essentia. Ad probationem autem responderetur non sequi ex eo præcisè, quòd accidens habeat proprium subiectum, seu principium, à quo causetur, & per quod definiatur esse propriam passionem eius: quia ultra requiritur, ut causetur ex principiis formalibus, & essentialibus. Quod non habent omnia accidentia, ut sæpè dictum est, non constabit amplius disp. sequenti.

Veniamus ad secundam partem difficultatis. In qua notandum est, quòd cum proprium dimanet ab essentia, & hæc componatur ex genere, & differentia, alia sunt propria, quæ dimanant, ab

ab essentia ratione gradus generici, & alia ratione gradus differentialis. Illa appellatur propria subalterna, ista verò de infima. De his certum est pertinere ad hoc prædicabile: de illis verò est aliqualis difficultas.

Sumitur autem ratio dubitandi. Primò ex Porphyrio, hic, & Arist. 1. Topicor. c. 4. qui solum definiunt proprium infimum: ergo illud tantum pertinet ad hoc prædicabile.

Secundò: quia emanatio propriæ passionis ab essentia reducitur ad genus causæ efficientis, ut sumitur ex Divo Thoma prima parte, quæstione 77. articulo septimo; sed nullum accidens potest sic dimanare à gradu generico: ergo nullum accidens potest esse propria passio respectu illius. Probat minor: quia nihil agit, nisi prout est in actu, & determinatum: sed gradus genericus est quid potentiale, & indeterminatum: ergo non agit ad emanationem passionis.

16 Secunda conclusio: licet proprium infimum propriissimè habeat rationem proprii, & strictissimè dicatur passio, ut potè quod sequitur essentiam ultimò completam, & perfectam; tamen proprium subalternum, est etiam propria passio, & per se pertinet ad hoc prædicabile. Sic sentiunt communiter Doctores, & docet expressè Divus Thomas, opusculo quadragesimo octavo, tractatu primo, capite septimo, & de Ente, & essentia capite 7. Breviterque probatur: quia plura sunt accidentia, quæ dimanant à principiis genericis, & cum eis habent necessariam connexionem; quæ consequenter, neque per intellectum possunt adesse, & abesse, salva manente tali essentia, ut de potentiis sensitivis patet respectu animalis, de nutritivis respectu viventis, & aliis huiusmodi: ergo verè dantur propria generica, seu subalterna.

Ad primam rationem dubitandi responderetur, Aristotelem, & Porphyrium definivisse proprium infimum propter rationem disputatione præcedenti numero trigesimo-sexto adductam; non verò: quia existimaverint non dari propria subalterna. Siquidem quinto Topicorum, capite secundo, aptum esse ad sentiendum, docet Aristoteles esse passionem animalis, & plures proprietates supremorum generum assignat in prædicamentis.

Ad secundum negatur minor. Ad cuius probationem responderetur propria subalterna non dimanare ab essentia generica, præcisè ut est totum potentiale, seu formaliter in quantum indeterminatè, & in confuso continet inferiora: sic enim non habet sufficientem actualitatem, ut bene probat argumentum, sed quatenus habet rationem totius actualis. Cum enim passio sit accidens essentia, dans illi esse secundum quid, necessario supponit eam constituentem in esse simpliciter. Vbi autem intelligitur constitutio, etiam apprehenditur compositio ex actu, & potentia,

& ex consequenti totum actuale.

\*\*\*

Colleg. Compl. Logica.



## C A P V T V.

De Accidenti.

### S V M M A T E X T V S.

**T**RES definitiones accidentis, & unam divisionem continet hoc caput. Prima definitio est; *Accidens est, quod adest, & abest sine subiecti corruptione.* Statim autem dividit illud Porphyrio in separabile, ut dormire, & inseparabile ut nigrum esse in corvo, vel Æthiope. Et quia ex hac divisione posset obici contra definitionem: si datur accidens inseparabile: ergo non omne accidens potest adesse, & abesse: tacite responderet huic obiectioni explicans definitionem, & dicit cogitatione, & intellectu eorum album, & Æthiopem non nigrum, sine subiecti corruptione concipi posse. Secunda definitio est; *Accidens est quod inesse, & non inesse idem potest.* Tertia: *Accidens est quod neque genus, neque species, neque differentia, neque proprium est; semper autem est in subiecto.*

### N O T A T I O N E S C I R- ca hoc Caput.

2 **A**Vicen. Alpharab. & alij Arabes, ut testatur Beatus Albertus tractatu septimo Logice capite primo, reprehendunt hic Porphyrio, eo quod statim definitur accidens, antequam varias eius significationes proponeret, invertens methodum, quam in aliis prædicabilibus servaverat. Sed pro eo responderet bene Caietanus, quod cum ex aliis capitibus iam constaret ipsum agere de universalibus, quatenus pertinent ad considerationem Logicam: non fuit necessarium id explicare de accidenti.

Cæterum, maioris claritatis gratia, duas eius acceptiones, (omissis aliis) referunt communiter Doctores, quas adducit, & explicat Divus Thomas de spiritualibus creaturis articulo undecimo. *Primò* sumitur Physicè. *Secundò* Logicè. Accidens Physicum est; quod distinguitur contra substantiam, & dividitur in novem genera, scilicet quantitatem, qualitatem, &c. Propter quod appellatur accidens prædicamentale; Accidens verò Logicum dividitur contra essentiam, & comprehendit quicquid non est, nec pertinet ad essentiam rei, sed se habet omnino accidentaliter, seu contingenter; sive entitativè sit substantia, sive accidens, sive ens reale, sive rationis. Quomodo dicimus aurum accidere vasi, rationale animali; existentiam Petro, & secundas intentiones entibus realibus: quia faciunt prædicationes accidentales, seu contingentes. Et propterea accidens in hac acceptione appellatur accidens prædicabile: estque terminus secundæ intentionis, & ultimum ex quinque universalibus, de quo in præsentia agimus. Cætera, quæ hic circa definitiones, & divisionem à Porphyrio traditas notari possent, quæst. 1. explicabuntur.



## DISPUTATIO IX.

## De Accidenti, Quinto prædicabili.

**M**ULTA in præsentī inquirunt aliqui de accidenti reali, & propterea pertinet ad prædicamenta; quæ tamen relinquenda sunt, ut potè aliena in hoc loco, ubi de accidenti Logico, seu de quinto prædicabili disputamus. De quo ex dictis disput. 4. num. 70. & sequentibus iam constat verè esse vnum ex quinque universalibus: & ideo huic quæstioni supercedendum est. Ut autem quæ restant, breuiter perstringamus, sit.

## QVÆSTIO I.

*An rectè definiatur accidens à Porphyro. ubi etiam respectu quorum constituatur inesse quinti prædicabilis.*

**P**rima pars difficultatis præcipuè procedit de prima definitione Porphyri. hac enim explicata, facile intelliguntur alie duæ.

Erantem ratio dubitandi: quia vel illa verba, *quod adest, & abest, sine subiecti corruptione*, intelliguntur primò intentionaliter de adesse, & abesse per realem inhesionem, sicut calor adest aquæ, quando est calida: abest autem, quando est frigida: & hoc non tum quia iam definitio non conveniret accidenti inseparabili; quod tamen directè pugnat cum Porphyro, qui accidens à se definitum statim dividit in separabile, & inseparabile: tum etiam quia mors, & existentia actualis accidunt homini, & de illo prædicantur prædicatione quinti prædicabilis; & tamen neque mors adesse, neque existentia abesse potest sine subiecti corruptione.

Vel intelliguntur secundò intentionaliter de adesse, & abesse per intellectum: & neque hoc etiam dici potest: tum quia valdè æquiuoce loqueretur Porphyrius. siquidem in diuisione, quam statim subiungit, planè loquitur de separabilitate, & inseparabilitate reali, ut omnes fatentur: tum etiam quia iam definitio conveniret aliis à definito scilicet proprio. Quod sic probatur: quia propria passio non est de conceptu, & quidditate rei, cuius est passio, sed quid posterius illa, & effectus eius: ergo etiam si per intellectum præscindatur, seu negetur de tali essentia integra manebit propria ratio, & definitio eius: & ex consequenti poterit cogitatione, & intellectu adesse absque subiecti corruptione.

4 Propter hæc Avicenna & alij antiqui, ut referunt Beatus Albertus ubi supra, & Caiet. in hoc cap. reprehendunt Porphyrius. eo quod nullam tradiderit definitionem accidentis, quatenus est quantum prædicabile. Alij verò, quos refert sequitur Rub. hic quæst. 2. admittentes illud definiri hac definitione, explicant verba eius de præsentia, seu absentia reali.

Sed utraque sententia procedit ex sinistra intelligentia definitionis, & veramque reiciunt communiter Dialectici. Qui dictam definitionem ut huius prædicabilis admittunt, eamque explicant, ut explicat ipse Porphyrius de abesse per intellectum, seu secundò intentionaliter quod. Quæ etiam est expressa sen-

tentia D. Thom. de spiritualibus creaturis art. ult. ad 7. quem consequuntur Caiet. & Scot. in hoc cap. Sanch. lib. 3. q. 43. & alij Thomistæ, nosque libenter amplectimur.

Probatum breviter contra Avicennam. quidem: quia hic Porphyrius intendebat explicare quantum prædicabile: ergo ipsum definiuit hac definitione. Quod etiam planè constat ex tertia, ubi explicatur accidens per negationem aliorum prædicabilium: ergo nomine accidentis intelligit quantum prædicabile. ¶ Contra Rub. verò, & alios: quia hic definitur secunda intentio quinti prædicabilis: sed hæc non est principium quo, seu ratio quare natura realiter inhaereat, vel non inhaereat, sed quare natura affirmetur, vel negetur sine subiecti corruptione: ergo non rectè definiretur in esse, vel non in esse realiter.

Confirmatur: quia sic intellecta definitio non convenit omnibus prædicatis accidentalibus; siquidem multa sunt entiarationis, aut etiam ententationis substantia, ut patet in his prædicationibus: *homo est species, vas est deauratum*, & similibus; quæ tamen verè pertinent ad hoc prædicabile: ergo verba illa, *quod adest, & abest, &c.* intelligenda sunt de adesse, & abesse secundum intellectum, seu de affirmatione, & negatione absque eo quod tollatur essentia, seu definitio subiecti.

Ex quo iam perspicua remanet tota definitio: reddit enim hunc sensum. *Accidens est, quod indifferenter affirmatur, vel negatur absque eo quod destruat definitio subiecti*; vel brevius cum Caiet. *Accidens est, cuius neque affirmatio, neque negatio subiecti rationem tollit.* Qua definitione satis apparet definiri accidens, ut est quantum prædicabile: siquidem datur per prædicabilitatem, quæ est passio universalis. Et cum ea coincidit descriptio qua communiter definitur hoc prædicabile dicendo *accidens est quod prædicatur de pluribus in qualis, & contingentibus*. Si enim prædicatur contingenter ergo indifferenter potest affirmari, & negari salva essentia subiecti.

5 Dices: accidentia inseparabilia non verè affirmantur, & negantur de subiecto. Si enim hæc est vera, *cignus est albus*: quia nullus datur cignus niger: ergo hæc erit falsa, *cignus non est albus*: siquidem ab eo quod res est, vel non est, ratio dicitur vera, vel falsa.

Respondetur dupliciter posse aliquam propositionem esse veram: Primò simpliciter, absolute prolata, quo modo hæc propositio simpliciter est vera *omnis cignus est albus*, & eius negatiua simpliciter falsa: secundò, secundum quid, & cum aliqua additione. Et hoc modo contingit in præsentī: non enim simpliciter dicimus accidens indifferenter negari, vel affirmari de subiecto; sed affirmari, vel negari de subiecto sine eius corruptione, id est, siue affirmetur, siue negetur non tollit naturam subiecti. Siue enim ponatur cignus albus, siue non albus, manet integra essentia eius: atque ita verum est, indifferenter affirmari, & negari de subiecto absque eius corruptione.

¶ Per quod etiam explicata manet 1. definitio Porphyrii. scilicet, *Accidens est, quod inesse, & non inesse eodem potest*. Satis enim constat intelligendam etiam esse secundo intentionaliter: tum quia ferè eisdem verbis traditur: tum etiam quia sumpto ex Arist. 1. Topic. 4. ubi definit accidens, secundum quod constituit vnum ex prædicatis Dialecticis. Et sic reddit eundem sensum, ac præcedens, videlicet: *accidens est quod potest* (id est contingit, ut vertit Boëtius) *affirmari, vel negari de subiecto*. Vbi ly *contingit*, satis benè explicat potentiam Logicam quinti prædicabilis, ut affirmetur, vel negetur, salva essentia subiecti: hoc

lis, ut affirmetur, vel negetur, salua essentia subiecti: hoc enim est prædicari contingenter.

6. Tandem circa tertiam definitionem notandum est quod licet non sit pluris facienda, sicut neque pluris facit eam Arist. loco citato: non est tamen omnino contemnenda: tum quia non datur per solas negationes: tum etiam quia quando iam notæ sunt res illæ, per quarum negationem aliquid explicatur, ut contingit in præsentibus non male definitur per tales negationes loco differentiarum. Et sic dicta definitio reddit hunc sensum: accidens est quod est in subiecto (non inhesionis sed prædicationis) idest, quod prædicatur de pluribus, & non sicut genus, species, differentia, vel proprium, per quod utcumque cognoscimus positum illud in quo accidens differt ab aliis prædicabilibus, scilicet prædicari contingenter.

Ad rationem dubitandi secundum ea, quæ nobis aduersantur, respondetur. & in primis ad id, quod primò affertur de morte, & existentia, quatenus etiam potest esse contra definitionem, secundò intentionaliter intellectam, relictis aliis solutionibus, dicimus existentiam quidem posse optimè affirmari, aut negari, salua essentia subiecti. Siue enim dicatur *homo existit*: siue *homo non existit*, semper manet eadem definitio, & essentia hominis.

De morte autem maior est difficultas: quia quando prædicatur de homine, tollit ab eo prædicatum essentiale, scilicet esse viuens, & sic non videtur posse affirmari & negari integra manente essentia hominis; sed relictis aliis solutionibus, quas adducit, & impugnat Sanchez ubi supra.

7. Respondetur primò, cum Caiet. in hoc cap. dub. 2. hanc prædicationem, *homo est mortuus*, propriè non esse quinti prædicabilis: quia prædicatum non est quid conueniens, sed omninò repugnans subiecto, & destruens illud. Ut enim probat optimè D. Tho. 3. part. quæst. 50. articul. 4. cum unio animæ, & corporis compleat essentiam hominis; per eorum separationem definit esse homo & ita mors facit, quod aliquid non sit homo. Est autem vera illa propositio, *homo est mortuus*, non quia extrema non sint disparata, & repugnantia; sed ratione ampliationis, secundum quam copula extenditur ad tempus præteritum: facit enim hunc sensum, *quod est, vel fuit homo, est mortuum*, idest, *olim homo, modò est mortuus*.

Vel secundò respondetur cum Sanch. loco citato, mortem pertinere ad quintum prædicabile, non in facto esse, & completo consideratam, sed in fieri, & quasi in via siue enim dicatur: *homo moritur*, siue: *homo non moritur*, non tollitur essentia hominis. Et hoc sufficit ut terminus huius motus qui explicatur in propositione per, *mortuum*, pertineat ad hoc prædicabile, non in se, sed in suo fieri aut via, siue in dispositionibus antecedentibus.

Vel tandem tertio respond. cum Soto hic, quod esse mortuum est accidens quinti prædicabilis ratione corporis respectu illius. & sic adest, & abest à corpore præter eius corruptionem: quia corpus, quod modo viuit, idem postea erit mortuum, licet habeat aliam formam cadaveris. Dicitur tamen idem corpus ratione materiæ ut inquit D. Thom. q. citata art. 5. ad primum: & quia sic homines communiter loquuntur.

8. Ad ea verò, quæ secundò afferuntur in ratione dubitandi respondetur. Ad illud de æquiuocatione dicimus, quod, ut magis explicaret Porph. accidens, secundò intentionaliter sumptum, à se definitum, diuisit statim illud in varia subiecta, quæ à tali intentione

denominari possunt, in quo nulla committitur æquiuocatio. Fuiſſet quidem aliqua si in ipsis definitionibus, ly *esse*, diuersimodè supponeret pro esse reali, & per intellectum: nullum tamen est inconueniens illud accepisse difformiter in definitione, & diuisione; ut ostenderet, quod à secunda intentione quinti prædicabilis denominatur quodcumque accidens non profluens ab essentia, siue sit realiter separabile, siue non.

Tandem ad id quod de proprio affertur, neganda est consequentia. Ex eo enim quod propria passio sit quid posterius essentia & effectus eius; solum sequitur essentiam posse intelligi absque tali passione abstractione præcisua, non verò abstractione completa; cum enim propria passio dimanet ab essentia, & cum ea habeat necessariam connectionem non solum pertinet ad integritatem eius; & ex consequenti ablata passione non manet integra essentia; sed etiam eo ipso, quod passio negatur de essentia, verè ipsa destruitur. Nam sicut bene valet: *est risibilis*: ergo *est homo*: ita etiam rectè sequitur: *non est risibilis*: ergo *non est homo*: Quod non contingit in accidentibus communibus quantumuis inseparabilia sint; ut consideranti patebit.

9. Circa secundam partem difficultatis, non est immorandum. Omnes enim fatentur accidens constitui in esse quinti prædicabilis per ordinem ad subiecta, quæ accidentaliter denominat; non verò per ordinem ad alia inferiora, quibus potest essentialiter conuenire. Vnde hæc prædicationes sunt quinti prædicabilis, *Petrus est albus*: *equus est coloratus*: non verò istæ: *hoc album, est album*; *album est coloratum*, &c.

Cuius ratio ex dictis est manifesta: quia esse quintum prædicabile; est posse abesse, & adesse absque subiecti corruptione: ergo accidens constituetur in esse quinti prædicabilis respectu eorum quibus potest sic abesse, & adesse. Sed hoc habet tantum respectu subiectorum quæ accidentaliter denominat, non verò respectu inferiorum essentialium, ut per se patet: albedo enim non potest separari ab hac albedine, salua eius essentia; benè tamen ab homine, vel equo: Ergo accidens non constituitur in esse quinti prædicabilis per ordinem ad inferiora essentialia, sed respectu subiectorum, quæ accidentaliter denominat.

Dices, Ergo quintum prædicabile non essentialiter sed accidentaliter est vniuersale, & ex consequenti vniuersale non erit genus ad quinque prædicabilia. Respondetur negando consequentiam. Aliud enim est quod secunda intentio quinti prædicabilis faciat naturam accidentaliter prædicari de subiectis; aliud verò, quod ipsa secunda intentio sit accidentaliter vniuersalitas. Illud quidem verissimum. Nam sicut genericitas, ex eo quod sit vniuersalitas naturæ perfectibilis facit ipsam prædicari de speciebus: ita accidentaritas, ex eo quod sit vniuersalitas naturæ extraneæ, se contingentis, facit ipsam prædicari accidentaliter de subiectis denominatis. Id tamen non tollit, quominus ipsa accidentaritas sit

essentialiter vniuersalitas: quia essentialiter est illi, quod faciat naturam prædicari accidentaliter de subiectis.

\* \*

## Q V Æ S T I O II.

*In quo differant propria passio, & accidens commune.*

**V**T plenè percipiamus secundas intentiones constitutivas huius & quarti prædicabilis: omnino necessarium est inuestigare, in quo differant propria passio, & accidens commune, seu natura profluens ab essentia, seu natura extrinseca, siue contingens, quæ sunt subiecta adæquata; per quæ intentiones istas definiuimus supra dist. 5. num. 52. Vnde non est præsentis instituti examine in particulari; an istud vel illud accidentis sit propria passio, aut accidens commune sed generaliter; quæ accidentia verè profluant ab essentia, & sint propriæ passionis; quæ verò ab essentia non dimanent, sed sint accidentia communia.

Louanienses, & alij, quos quidam Neoterici sequuntur existimant omnia accidentia esse proprias passiones respectu alicuius gradus substantiæ, seu respectui sui proprii, & adæquari subiecti per quod definiuntur: esse verò accidentia communia si comparantur aliis gradibus inferioribus, siue subiectis inadæquatis.

Probatur primò hæc sententia: quia differentia, quam Arist. & D. Th. videntur statuere inter propriam passionem, & accidens commune, scilicet quòd propria passio sequatur formam, & accidens commune materiam, non videtur euacuare difficultatem. ergo melius dicendum est, omnia accidentia esse proprias passiones respectu sui proprii, & adæquati subiecti. Probatur antecedens. Tum quia ambiguum valde est, quæ accidentia sequantur materiam, & quæ formam maxime in sententia D. Thom. cap. 7. de ente, & essentia afferentis nullum esse accidens, quod à sola materia dimanet. Tum etiam quantitas (idem est de aliis similibus accidentibus) sequitur materiam teste eodem Thom. 3. part. quæstio. 90. articulo secundo de potentia quæstione sexta articulo quinto, & alibi sæpè; & tamen est propria passio corporis: ergo aliquod accidens sequens materiam est propria passio.

Secundò: quia color respectu hominis, & equi, est accidens commune, vt omnes fatentur; & tamen respectu gradus mixti est propria passio: ergo idem accidens est propria passio: ergo idem accidens commune respectu diuersorum. Probatur minor: quia hæc propositio, *mixtum est coloratum*, potest probari per veram demonstrationem: ergo est necessaria. Ergo prædicatum non conuenit contingenter subiecto: & per consequens color respectu mixti non est accidens commune, sed propria passio.

Tertio: quia etiam accidentia quæ causantur ex varia dispositione materiæ, vt masculinum, & foeminum in animalibus, sunt propriæ passionis, saltem respectu illius complexionis, seu temperamenti, ex quo resultant: ergo omnia accidentia sunt propriæ passionis respectu alicuius gradus. Probatur antecedens: tum ex Arist. 10. Metaph. text. 25. vbi ait: *Masculus autem, & foemina propria quidem animalis passionis sunt.* Tum etiam quia talia accidentia per se prædicantur de illa dispositione, seu temperamento materiæ ex quo resultant: & sunt per se effectus eius.

11. Cæterum hæc sententia omnino falsa est. Et

quidquid sit de hoc aut illo accidenti in particulari, generaliter sustinere non potest omnia accidentia esse proprias passiones respectu alicuius gradus: respectu verò aliorum esse accidentia communia. Tum quia plura sunt accidentia, quæ quibuscumque comparantur sunt communia, & contingenter conueniunt, vt patet de actibus intellectus, & voluntatis: aliàs hæc propositiones, *homo intelligit, Petrus amat.*, & similes possent demonstrari, quod est absurdum. Tum etiam quia ex antecedenti necessario, sequeretur consequens contingens quod omnino implicat vt diximus lib. institutionum cap. 2. sequela patet: quia hæc propositio, *homo est coloratus*, apud Auctores contrarios est contingens; hæc autem necessaria, *mixtum est coloratum*; hæc autem necessaria, vt constat in hoc syllogismo: *omne mixtum est coloratum: omnis homo est mixtum: ergo omnis homo coloratus.* Vbi maior est necessaria; cum passio prædicetur de propria essentia; minor etiam est necessaria; siquidem in ea genus predicatur de sua specie vt patet: ergo iam ex antecedenti necessario sequeretur consequens.

12. Dicendum est ergo quod propriè, & in rigore loquendo, non omnia accidentia sunt propriæ passionis, sed illa tantum, quæ oriuntur ab essentia ratione formæ, & quæ per se primò conueniunt speciei; ea verò, quæ oriuntur ab essentia ratione materiæ, & quæ per se primò conueniunt indiuiduis, sunt accidentia communia. Hæc conclusio est communis ferè omnium Dialecticorum, vt testantur. Caiet. in hoc cap. & Masc. de proprio quæst. 9. Eamque expressè docet Aristot. 10. Metaph. text. 25. citato, vbi inquit, quare aliquæ differentie contrarie indicant distinctionem specificam; vt gressibile & volatile alia verò non, vt album, & nigrum, respondet: *An quoniam illa quidem propria passionis generis sunt: hæc verò minime?* Reddit autem statim rationem, quare illa sunt passionis, & non ista: quia illa sequuntur rationem, seu formam; hæc verò materiam dicens: *Et cum illud quidem ratio, hoc verò materia sit: quacumque in ratione contrarietates sunt specie differentiam faciunt: quacumque verò in consumpto materia, minime faciunt.* Ex quo tandem infert accidentia, quæ proueniunt ratione materiæ, per accidens se habere ad speciem: & idè per prius conuenire indiuiduis, & ratione illorum speciei. *Homo enim* (inquit) *est albus: quia Callias est albus: per accidens igitur homo est albus.*

13. Ex qua Aristot. doctrina deprehendimus duo discrimina in conclusione assignata inter proprias passiones & accidentia communia. Primum, & præcipuum, quòd scilicet illæ sequuntur compositum ratione formæ; hæc verò ratione materiæ, explicat optimè D. Th. cap. 7. de ente, & essentia. Vbi, cum prius dixisset quædam accidentia principaliter consequi materiam primam; quædam verò formam substantialem, subiungit: *Et quia unaquæque res indiuiduatur ex materia, & collocatur in genere, vel specie per suam formam: idè accidentia quæ consequuntur materiam, sunt accidentia indiuidui, secundum quæ etiam indiuidua eiusdem speciei differunt adinuicem. Accidentia vero, quæ consequuntur formam, sunt propriae passionis, vel generis, vel speciei: sicut risibile consequitur in homine formam, &c.* Cui doctrinæ si addatur, quod S. Doctor docet 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. ad 2. dicens: *Quædam sunt accidentia, quæ causantur ex principiis subiecti: & hoc dupliciter: quia vel causantur ex principis speciei, & sic sunt propriae passionis quæ consequuntur totam speciem: vel ex principis indiuidui, & sic*



*sic sunt communia* : quod etiam repetit 1. Posteriorum lect. 14. & alibi sæpè, evidenter sequitur in doctrina D. Th. hoc esse præcipuum discrimen inter proprias passiones, & accidentia communia, quod illæ consequuntur compositum ratione formæ; ita ut forma sit prima radix illarum; ista verò consequuntur compositum ratione materiæ, ita ut materia sit prima radix eorum.

14 Probatur ratione conclusio quoad hanc partem: quia illæ sunt propriæ passiones absolute, & simpliciter quæ dimanant ab essentia, quatenus essentia est: sed essentia constituitur in esse essentia per formam, & non per materiam: ergo illæ sunt propriæ passiones, quæ dimanant ab essentia ratione formæ, & non ratione materiæ.

Confirmatur primò: quia materia est prima radix differentia materialis, & numericæ, sicut forma est prima radix differentia specificæ, & essentialis: ergo accidentia, quæ sequuntur materiam, sunt propria individuum: quæ verò sequuntur formam, sunt propria speciei, seu essentia. Ergo hæc sunt propriæ passiones, illa verò non. Probatur hæc ultima consequentia: quia passio sequitur essentiam ratione differentia specificæ, non verò ratione differentia individualis; siquidem invenitur in omnibus participantibus talem naturam.

Confirmatur secundò: quia propriæ passiones, vel tribuuntur sunt naturis ad aliquas operationes, vel saltem sequuntur essentiam, prout constituta est in determinato gradu entis: ergo tantum accidentia, quæ sequuntur formam, sunt propriæ passiones. Probatur consequentia: quia forma, & non materia, est prima radix operationum, aut constitutionis essentia in determinato gradu; cum forma sola sit actus simpliciter.

15 ¶ Ex hoc præcipuo discrimine inter proprias passiones, & accidentia communia, sequitur secundum, quod tangitur in conclusione, & tradit Arist. loco citato, explicatque optimè D. Th. ibidem lect. 11. quod scilicet propriæ passiones per prius conveniunt speciei, & media illa individuis. Callias enim est risibilis: quia homo est risibilis; accidentia verò communia per prius conveniunt individuis, & ratione eorum speciei: homo enim est albus, quia Callias est albus. ¶ Cuius ratio est ex dictis manifesta: quia forma est prima radix, unde sumitur species; materia verò est prima radix, unde sumitur individuatio: ergo accidentia, quæ proveniunt à forma, per prius conveniunt speciei, quæ verò à materia, per prius individuis. Maior huius materiæ explicatio pendet ex libris de generatione, ubi de principio individuationis agemus.

16 Ad argumenta resp. Ad primum negatur antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quod licet ex defectu nostro, difficile sit generalem illam regulam cuilibet materiæ applicare, explicatque in particulari, quæ accidentia sequantur materiam, quæ verò formam, non tamen idè est falsa. Neque D. Th. contrarius est: non enim dicimus aliqua accidentia sequi, vel oriri à sola materia sine communicatione formæ: hoc enim falsum est, (quidquid aliud cant) & negat meritò D. Th. sed dicimus inter accidentia, quæ oriuntur à toto composito, alia oriri ab eo ratione formæ, & alia ratione materiæ, ita ut illorum prima radix sit forma, istorum vero materia.

Ad id autem, quod in eodem argumento affertur de quantitate responderetur cum Caiet. cap. 7. de Ente, & essentia quæst. 17. quantitatem in rigore loquedo non esse propriam passionem corporis, sed accidens commune: utpotè, quæ sequitur essen-

tiam ratione materiæ, & per se pertinet ad individuationem: & ita est de numero illorum accidentium, quibus individua inter se differunt. Ad quod, ut benè notat Caietanus non est necessarium, quod unum individuum habeat unum accidens, & aliud, aliud; sed sufficit utrumque individuum habere idem accidens diverso modo. Et sic individua differunt per quantitatem: nunquam enim inveniuntur duo quantitates omnino similes, siquidem propriis saltem scibus differre necesse est. Quod planè indicat quantitatem non esse propriam passionem. Nam propria passio, vel invenitur eodem omnino modo in habentibus essentiam, à qua procedit, vel saltem ex se non habet istam inæqualitatem, quam cernimus in quantitate.

17 Ad secundum ut responderetur, notandum est magnam fuisse ab antiquis temporibus de natura coloris controversiam, & adhuc sub iudice lis est. Pythagorici enim existimant colores esse de genere quantitatis, scilicet ultimam superficiem, quæ apparet, seu *Epiphaniam*, ut ipsi dicebant. Platonici autem flammulas, & lumina quædam esse dixerunt. Peripatetici verò fortè media via incedunt: nam Arist. in lib. de sensu, & sensato definit colorem, dicens: *color utique erit perspicui extremitas in corpore determinato*, ubi ly, *extremitas*, ut benè notat D. Thom. lect. 6. non sumitur pro extremitate corporis, quatenus corpus est; hæc enim est de genere quantitatis; sed pro extremitate perspicui, quatenus perspicuum est, quæ est de genere qualitatis, sicut ipsum perspicuum. Perspicuum autem ut ibidem docet Aristot. constituitur per lumen: nam lumen, ut ipse definit, 2. de anima text. 69. est *actus perspicui ex ratione qua perspicuum est*, Undè color aliquo modo supponit, & involvit lumen. Et tandem addit Aristot. quod sit in corpore determinato, seu terminato, id est opaco: quia color tantum invenitur in ultima superficie, quæ sola in corporibus opacis recipit lumen. De quo redibit sermo in lib. de anima.

Hoc supposito responderetur, quocumque ex his modis explicetur natura coloris, non posse esse propriam passionem, etiam respectu gradus substantialis mixti. Si enim est de genere quantitatis iuxta Pythagoram: iam constat quantitatem non esse propriam passionem. Si verò sit de genere luminis iuxta Platonicos; multò minùs erit propria passio: cum sit accidens ab extrinseco adveniens. Si tandem est quædam qualitas perspicui terminati iuxta Peripateticos, vel supponit lumen in ipso perspicuo, vel saltem temperamentum primarum qualitarum in tali, vel tali proportionem; quod nascitur ex principiis individualibus, estque dispositio quædam accidentalis: ac pròinde color ipse non potest esse propria passio.

Ad probationem autem minoris responderetur hanc propositionem, *mixtum, & coloratum*, non posse propriè demonstrari, si nomine *mixti*, intelligamus gradum illum essentialem, quem posuimus in arbore: sic entis propositio nullo modo est necessaria. Si verò nomine *mixti* intelligeremus accidentalem illam mixtionem, seu peculiare temperamentum, ad quod sequitur color: tunc posset quidem propositio demonstrari per medium, quod licet sic accidentale respectu rei, in qua est color, esset tamen per se respectu illius mixtionis, seu peculiaris temperamenti. Et ita color respectu talis temperamenti haberet quodammodo, & secundum quid rationem passionis, sicut reliqua accidentia communia respectu sui proprii, & adæquati subiecti, à quo causantur: de quo propterea prædicantur in quarto modo dicendi per se ex assignatis ab Arist. lib. 1. Post. cap. 4. Ex quo tan-

dem sit colorem respectu talis temperamentis induere rationem quarti prædicati : sed non ideo pertinet ad quartum prædicabile , neque simpliciter est propria passio, vt. ex dictis patet.

18 Ad tertium similiter responderetur masculinum, & foemininum simpliciter esse accidentia communia: quia licet per se convenient, & oriantur ab illo peculiari temperamento, seu dispositione, quam tempore conceptionis habet materia, ex eo quod calor operans sit fortis, vel remissus; & propterea respectu talis dispositionis secundum quid dicantur passionēs, possintque de illa demonstrari: tamen cum ipsa dispositio unde masculinum, & foemininum oriuntur simpliciter sit accidentalis, & per accidens respectu essentiae animalis; inde fit, ut talia accidentia simpliciter sint communia, licet respectu sui adaequati subiecti, seu principij, induant rationem quarti praedicati, & secundum quid appellentur passionēs. Et hoc solum intendit Aristot. nam post verba adducta in argumento statim subdit: *Sed non secundum substantiam; verum in materia, & corpore, &c.* id est, non


simpliciter, & ex parte formæ, sed ex parte materiæ, &  
secundum quid, ut explicat ibi D. Thom. Videatur  
Caiet. 1. Posterior. cap. 7. dub. 2.



C A P V T V I.


*De Communitatibus quinque praedicabilium.*

**H**ÆC est tertia pars tractatus Porphyrij iuxta partitionem in eius proœmio statutam : in qua ipse singula prædicabilia prolixe inter se comparat ; & in quibus convenient , in quibûsve differant , sexto , & finali capite absolvit. Quæ omnia sufficienter constant , tum ex dictis de universalibus in communi , tum etiam ex dictis de vnoquoque in particulari , & propterea nos cum communi DD. caput istud prætermittimus.



LIBER  
CATEGORIARVM  
ARISTOTELIS.

*P R O O E M I V M.*



GGREDIMVR iam Aristotelis lib.  
ingredimurque Licaum illud, unde vera  
naturalium rerum cognitio, Doctore Ari-  
stot. ad extremas usque orbis partes ema-  
navit. De cuius vita, & admirabili inge-  
nio, & in rebus vel inveniendis, vel iudicandis, vel dis-  
ponendis acumine, ac de absoluta in omni doctrina ge-  
nere perfectione plura praeibanda essent. Sed ne omnia  
pratermississe non sine tanti Philosophi iniuria videa-  
mur; aliqua saltem attingemus.

1. Fuit Arist. natione Macedo: Patria Stagiritis: natus circa annum ab orbe condito 3655. & ante partum Virginis 329. iuxta Chronologiam Bellarmini. A pueritia usque ad septem decimum ætatis annum, tum humanioribus studiis sub Præce quodam: tum ob consumptum patrimonium, militari, imo & pharmacopœæ arti operam dedit. Deinde Socrædis auditor usque ad annum ætatis 20. postea usque ad 40. fuit Platonis discipulus. Tres insuper annos cum Harmonia commoratus inde ad Alexandri Magni institutionem à Philippo Patre, Persarum Imperatore evocatur. Quod munus usque ad annum 50. feliciter executus, Athenas postmodum petiit: ubi Lyceum aperuit, ibique per tredecim circiter annos Philosophiam summa cum omnium admiratione, & utilitate docuit. Caterùm coram Senatu accusatus, quòd Deorum cultum contemneret, publica se oratione defendit: atque inde ad Calcidem Eboæ insula declinans, completo 63. ætatis anno, instante morte ut testantur Calius Rodiginus, lib. 16. cap. 34 & alij graves Auctores, auxilium prima causa imploravit illis verbis: causa causerum miserere mei. Leguntur Lactantius,

*Plutarchus, Ammonius, & alij: ex quibus multa refert  
Masius initio predicamentorum.*

2. *Exstant etiam plura gravissimorum Philosophorum encomia de ingenio, & doctrina Aristot. Eum Plato mentem sui gymnasij, & Philosophum veritatis appetentem. Calius collocatum illi esse dixit quidquid humano ingenio capi potest: Lucretius, Genus humanum ingenio superesse: Auerroes, fuisse regulam, & exemplar, quod ad ostendendam perfectionem ultimam inuenit natura: pluraque alia à Doctoribus referuntur, qua longum esset recensere. Scripsit in omni parte philosophia plura volumina: de quo videri possunt Franc. Patric. tom. 1. disquisitionum Peripateticarum lib. 4. & Possevinus lib. 12. suae Biblioth. selecta. Quorum Arist. operum non est parva laus, quod gravissimi Philosophi susceperint explicanda, Alexander, Thomistis, Pselus, Ammonius, Boëtius, Auerroes (qui ob diligentem explanationem commentatoris nomen assequi meritis:) tandem D. Tb. qui alios longè superans, extitit Arist. fidelissimus, & interpres, & discipulus.*

3. *Primus igitur inter opera Arist. est lib. hic Cate-*  
*goriarum. De quo licet Iamblicus teste Boëtio, dubita-*  
*rit esse Arist. styli samen brevitatis, & subtilitatis, commu-*  
*nisq; Peripateticorum consensus convincunt ipsum fuisse*  
*eius Autorem. Inscribitur autem Arist. Categoria, à*  
*verbo Græco κατηγορία Catigoreo, quod Latine idem est,*  
*ac prædico, siue enuntio. Quia nimirum categoria est*  
*series predicabilium, in qua superiora de inferioribus*  
*predicantur: & ideo Autore Boëtio latine predicamenta*  
*appellata sunt. Virumque autem nomen, scilicet cate-*  
*goria, seu prædicamentum, sumitur aliquando pro solo*  
*supremo*

primo genere: frequentius vero pro tota serie superiorum, & inferiorum. In quo sensu supra circa præambulum Porphyrii. num. 2. ex communi sententia definitum prædicamentum, quod sit series seu coordinatio prædicabilium.

Quod autem sit obiectum huius libri, & quare eum institueris Aristoteli. & quomodo ad Dialecticam pertineat de prædicamentis disputare, ex dictis in præambulo huius primæ partis constat. Renocantur enim in hoc libro ad certas classes omnia entia realia, ut facilius rerum definitiones, & divisiones inveniremus. Unde prædicamenta secundum suas entitates reales solum pertinent ad obiectum materiale Logica, ut sæpius à nobis explicatum est.

Adhuc autem DUBITANT aliqui: utrum Aristoteli in hoc lib. agat præcipue de vocibus, an de rebus, propter Alexandrum, Porphyrium Boetium, & alios quos refert Mas. lococitato, ad voces præcipuum Aristotelis intentum reducentes. Quorum fundamentum est: quia de ipsis rebus quæ sunt prædicamenta, egit in Metaphysica, ad quam rerum, & non vocum pertinet speculatio: ergo in Logica de vocibus, & non de rebus disputavit.

Respondetur tamen ex dictis supra disputatione prima, numero trigesimo-tercio, res, & voces per se pertinere ad obiectum materiale Logica: quia tam intentiones fundata in vocibus, quam quæ fundantur in rebus, clauduntur per se subiecto formali eius: ista quidem primario, & principaliter: ille verò secundario, & minus principaliter: quo ordine tractatur in hoc libro ab Aristotele de rebus, & vocibus. Unde Logica non attendit præcipue ad ipsas res sicut Metaphysica, sed ad res, secundum quod vocibus significantur. Per quod patet ad fundamentum contraria sententia.

Continet autem liber iste tres partes: antepredicamenta, prædicamenta, postpredicamenta. In prima agitur de quibusdam prærequisitis ad prædicamenta: unde dignoscitur, quæ in illis collocanda; quæ verò ab eis rescindenda sint: continetur quoque quatuor capita. Secunda de ipsis prædicamentis per quinque capita disputat.

Ultima tandem, & aliis quinque capitibus explicat quedam quæ consequuntur ipsa prædicamenta, & ad eorum plenioris notitiam consequendam inuaniunt.

# ANTEPRÆDICAMENTA ARISTOTELIS

## CAPUT I.

De Æquivocis, Univocis, & Denominativis.

## SUMMA TEXTVS.

**H**æc etiam definit in hoc cap. Aristoteli. sic: Æquivoca dicuntur, quorum nomen commune est; ratio verò substantia nomini accommodata, diversa: ut animal dicitur, & ipse homo, & id, quod est pictum. Univoca dicuntur, quorum, & nomen commune est, & ratio substantia nomini accommodata, est eadem: ut animal dicitur, & ipse homo, & equus: Denominativa dicuntur quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu: ut à Grammatica, Grammaticus.

## NOTATIONES, ET DUBIA circa hoc caput.

**T**ripliciter possunt comparari prædicamenta, ut notant Albertus & Egidius hic. Primo, si omnia cum ente conferamus, cuius partes, & membra sunt. Secundo, si singula cum suis inferioribus comparemus. Tertio, si quædam illorum aliis attribuamus. Primo modo prædicamenta sunt æquivocata, seu analogata respectu entis, (sub æquivocis enim comprehendit hic Aristoteli. analogata, ut postea dicemus.) secundo modo unumquodque prædicamentum est univocum respectu suorum inferiorum. Tercio modo prædicamenta accidentium sunt denomi-

nativa substantiæ. Cum ergo in unoquoque prædicamento prius consideretur ratio entis, deinde propria inferiora, & ultimò prædicata extranea: idem Aristoteli prius explicuit æquivoca (quamvis univocis dignitate cedant) deinde univoca, & tandem denominativa.

Vbi nota, quod nomen ipsum æquivocum, (& idem proportionabiliter est de univocis, denominativis, & analogis) dicitur æquivocum æquivocans, res verò per tale nomen significatæ æquivoca æquivocate. Unde constat res ipsas secundum se non dici univocas, aut æquivocas, sed propter nominibus significantur. Hæc enim intentiones sunt de genere earum, quæ immediatè fundantur in omnibus: propter quod eas definiens Aristoteli. non dixit: æquivoca sunt, univoca sunt, &c. sed æquivoca dicuntur, univoca dicuntur. Quo supposito solum superest traditas definitiones breviter exponere.

6. Definiens Aristoteli. æquivoca sic inquit: æquivoca dicuntur. Loquitur de æquivocis æquivocatis, ut patet, quorum nomen. Nomen hic ut notat Boetius, accipitur ut comprehendit verbum, participium, & alias partes orationis: in quibus inveniri potest æquivocatio, est commune: ut innuat nomen debere esse omnino unum: sic enim propriè erit commune. Unde quælibet diversitas in nomine etiam si fiat sola mutatione alicuius literæ, vel solius accentus tollit æquivocationem.

Quia ratione occido, non est æquivocum, licet significet actionem auferendi vitam, & passionem, seu mortem: quia in prima significatione producit, & in secunda corripit: ratio verò, id est conceptus obiectivus, sive sit propria definitio, sive non, substantiæ: id est essentiæ. Substantia enim interdum sumitur pro essentia, interdum verò pro substantia, quæ distinguitur contra accidens: quibus acceptionibus correspondent duæ aliæ accidentis, quas disp. 9. n. 2. explicui

explicuitur: Præterquàm quòd loco *substantia* habetur in Græco *ὀνία*, *ὄνία*: quod nomen, autore Macrobio in somnium Scipionis lib. 1. cap. 14. propriè non substantiam, sed essentiam significat: *nomini accommodata, diversa*; ut ostendat ad æquivocationem solum requiri, ut æquivocata, secundum quod significantur per nomen æquivocum, non habeant unam rationem, licet aliàs secundum quod aliis nominibus significantur, verè habeant unam rationem, & univocè conveniant. Nomen enim *canis*, æquivocum est ad latrabilem, & marinum; quia secundum quod significantur per tale nomen, non habent unam: licet aliàs in nomine *substantia*, aut *animalis*, conveniant univocè.

7 Per quod explicata etiam manet definitio univocorum, quæ ab æquivocis solum distinguitur in hoc, quòd nomen univocum immediatè significat unam rationem, quæ est communis univocatis; æquivocum verò immediatè significat proprias rationes æquivocatorum. Quod probat à posteriori in hoc cap. Aristot. quia si quis quærat, quæ est ratio canis, quæ invenitur in latrabili, & marino; non assignabit unam definitionem illis communem, sed proprias eorum definitiones adducet. Si verò quærat, quæ est ratio animalis, quæ invenitur in homine, & equo; responderet unica definitione animalis: dicendo: est vivens sensibile: absque eo quòd cogatur proprias hominis, & animalis definitiones adducere.

8 *Circa* definitionem denominativorum notandum est in quacumque denominatione tria inveniri, scilicet formam denominantem, rem denominatam, & ipsam denominativum. Ut albedo est forma denominans parietem album, paries est res denominata: concretum, scilicet album, est denominativum. Quibus non converteramus denominationem ipsam: quia non omnino distinguitur ab his, sed quodammodo involvit ea. Denominatio enim est illa quasi causalitas, seu applicatio, qua denominativum ratione formæ denominantis applicatur rei denominatæ.

Ex his ergo, forma denominans est prima radix, & origo totius denominationis, à qua denominativum accipit appellationem, & vim denominandi. Quando enim dicitur *paries est albus*, illud denominativum positum à parte prædicati, denominat subiectum ratione albedinis, quam significat, & à qua solo casu differt, id est cadentia nominis; siquidem nomina in principio conveniunt, & in fine differunt: res verò significata per utrumque eadem est.

Ex quo plana remanet definitio denominativorum; reddit enim hunc sensum. *Illæ dicuntur denominativa, quæ cum solum differunt casu*, id est, cadentia nominis ab aliquo alio, scilicet à forma denominante: *ab illo tamen habent nominis appellationem*: quia forma denominans est prima radix totius denominationis.

In qua definitione tres denominativorum conditiones insinuari notat bene Caietanus hic.

*Prima* est, quòd denominativum debet derivari à forma denominante secundum nomen. Quod non est intelligendum iuxta regulas Grammaticarum apud quos non semper concretum derivatur ab abstracto, imò frequentius sit è contrariis; sed iuxta regulas Logicæ, in qua abstractum est prima radix concreti.

*Secunda*, est quòd denominativum differat à forma denominante casu, id est, accidentia nominis. Hoc autem intelligendum est per se loquendo: nam per accidens potest contingere utrumque nomen, non differre casu, seu cadentia, ut patet in *Musica* sumpta pro muliere, & pro arte. Quod tamen non tollit, quin in priori significatione verè sit denominativum: cum hæc sit prædicatio quinti prædicabilis. *Maria est*

*Musica*. Quia dum ex nomine derivativo Masculino formatur fæmininum; casu accidit, ut coincideret cum nomine formæ denominantis.

*Tertia* conditio est, ut denominativum, & forma denominans non differant in re significata, sed solà cadentia nominis. Per quod ut inquit bene Caiet. non excluditur differentia, quàm ex modo significandi inter concretum, & abstractum explicuitur sup. disp. 4. num. 18. quia hæc differentia comitatur differentiam secundum cadentiam nominis. Regula autem generalis est, dictionem exclusivam non excludere à concomitantibus: dicendo enim: solus Sortes currit, non excluditur hoc risibile à cursu, ut notavimus lib. 2. Institut. cap. ultimo.

9 Explicatis his definitionibus, DUBITATUR primò: an sint rectæ propter hæc argum. Primò: quia quicquid definitur, debet esse species, ut sumitur ex Arist. 8. Metaph. text. 9. ergo quid univocum: ergo æquivoca non possunt definiti.

Secundò nomen æquivocum verè non est unum, neque commune, sed potius plura: ergo malè in definitione dicitur, *quorum nomen est commune*. Probatur antecedens: quia nomen constituitur inesse talis per significationem: sed in æquivoco sunt plures significationes, cum significet immediatè plura; ergo sunt etiam plura nomina.

Tertiò: quia omnia genera, de quibus quidem dubitari non potest esse univoca, sunt etiam æquivoca teste Arist. 7. Physic. text. 31. ergo æquivoca non distinguuntur; & per consequens malè assignatur utraque definitio.

Quartò quia denominativa sunt univoca: ergo malè definiuntur diversa definitione. Probatur antecedens: quia quartum, & quintum prædicabile sunt denominativa, & tamen propriè sunt univoca: ut diximus disp. 4. num. 60.

Quintò: quia *homo*, sumit denominationem ab humanitate, & *animal* ab animalitate, à quibus solo casu differunt; & tamen, neque homo, neque animal sunt denominativa: ergo definitio convenit aliis à definito.

Sextò: quia *studiosus*, vel est denominativum ab studio, vel à virtute, non primùm: quia ab studio non solum casu differt; sed etiam in re significata; neque secundum: quia à virtute non differt solà cadentia nominis, sed in toto nomine: ergo malè dicitur in definitione, denominativum, & formam denominantem differre solo casu.

10 Nihilominus definitiones Arist. esse rectas probat autoritas eius, & communis Dialecticorum consensus, quòd iuxta subiectam materiam est genus probandi ita efficax, ut irrationale sit aliud postulare. Unde ad argumenta responderetur.

Ad primum, concessio antecedenti, distinguendum est consequens. Si enim sensus sit, quòd æquivoca non possunt definiti primò intentionaliter, & secundum illas entitates, seu rationes diversas; concedenda est consequentia. Si verò sensus sit non posse definiti secundò intentionaliter, ut scilicet induunt secundam intentionem, à qua constituuntur in esse æquivocorum neganda est. Nam hoc modo sunt univoca: siquidem æquivocatio est quædam species secundæ intentionis, quæ æqualiter participatur ab his, vel illis æquivocis.

Ad secundum responderetur, ad multiplicationem concreti, seu compositi accidentalis non sufficere multiplicationem formæ. Quamvis enim aliquis habeat plures artes; dicitur tamen unus artifex. Cuius ratio est: quia concretum significat formam concernendo subiectum, & ex modo significandi supponit pro illo: unde ad eius multiplicationem debet multiplicari

triplicari subiectum. Videatur D. Thom. 1. part. quæst. 30. art. 3. Cum ergo in præfenti *canis*, & aliud nomen æquivocum sit concretum accidentale importans de formali significationem, & connotans pro materiali vocem, non sufficit multiplicatio significationis, ut dicantur plura nomina; sed necessaria etiam est pluralitas vocis.

11 Ad tertium respondet Divus Thomas explicans Arist. loco ibi citato lectione 8. quod genera solent physicè loquendo appellari æquivoca: quia non significant aliquam rationem, quæ physicè, & à parte rei sit una in speciebus. Animal enim verbi gratia, non sumitur ab aliqua forma substantiali, quæ realiter sit una in homine, & equo, sed à peculiaribus formis eorum, secundum quod tribuunt perfectionem sentiendi, ut explicuimus disp. 5. n. 63. Solent etiam genera appellari analogà inæqualitatis, seu physica, propter rationem infra adducendam. Hoc tamen non tollit, quin sint propriè vnivoca; siquidem significant rationem, quæ logicè loquendo, & prout abstracta est à speciebus, eadem omnino est illis.

Ad quartum respondetur, quod sicut species formaliter quatenus subiectibilis, non est universalis, neque è contra, etiam si intentiones istarum materialiter coincident in eadem natura: ita denominativa, non sunt vnivoca, neque è contra, etiam si intentiones istarum coincident in eadem re.

Et ratio est manifesta: quia album habet esse denominativum in ordine ad formam denominantem, à qua nominis appellationem recipit: esse verò vniuocum habet in ordine ad subiecta inferiora, in quibus æqualiter invenitur. Quos respectus, & rationes esse inter se essentialiter diversas, & disparatas, satis ex se patet, & convincitur plarè ex eo, quod ratio formalis denominativorum æquè benè salvatur tam in terminis vnivocis, quàm analogis, tam communibus, quàm particularibus. Et contra etiam ratio formalis vniuocorum æquè benè salvatur, tam in terminis denominativis, quàm non denominativis.

Quod signum evidens est, intentiones constitutivas denominativorum, & vniuocorum esse inter se essentialiter diversas, & disparatas; ac pròinde exigere diversas definitiones.

12 Ad quintum respondetur, quod per illam particulam *ab aliquo*, posita in definitione denominativorum, communiter Doctores intelligunt, formam denominantem non debere esse de essentia rei denominatæ: nam quod essentia rei est, propriè non dicitur aliquid aliud ab ipsa, neque ponit in numero cum illa. Et propterea *homo* non est denominativum ab humanitate, neque *animal* ab animalitate; benè tamen humanum, & animale: quia cum sint termini adiectivi, significant humanitatem, & animalitatem per modum accidentium alteri adiacentium; & per consequens cum alicuius sufficiency ad rationem denominativam.

Vbi etiam advertendum est ex Caiet. nomine formæ denominantis in præfenti, non solum intelligi, id quod verè est forma aut accidens; sed omne illud quo aliquid dicitur tale accidentaliter, sive in se sit accidens, sive substantia, sive materia, sive forma. Non enim est minus denominativa ista prædicatio: *Cathedra lignea*, vel *vas est terrenum*, quam ista, *homo est albus*. Venit siquidem à ligno ligneum, & à terra terrenum, sicut ab albedine album.

Ad sextum respondetur communiter assignari tres modos denominativorum; alia *re*, & *non voce*, ut studiosus à virtute; alia *voce*, & *non re*, ut studiosus ab studio, alia *re*, & *voce*, ut albus ab albedine. Ex quibus hæc vltima propriè, & simpliciter sunt denominativa,

Et ratio est: quia esse denominativa, neque convenit rebus secundum se, neque etiam vocibus secundum suum esse reale; sed rebus, ut significantur per voces. Et sic ad rationem denominativi propriè dicti utrumque requiritur, scilicet denominativum, & forma denominans convenient in principio nominis, & quod non differant in re significata.

Defectu primi, *studiosus*, verè non est denominativum à virtute: & defectu secundi non est denominativum ab studio; ac pròinde negandum est antecedens argumenti.

13 ¶ Secundò solet hinc DVBITARI, quod sit definitum in his definitionibus. ¶ Respondetur ex his, quæ circa definitionem generis, & aliorum prædicabilium diximus disputatione 5. num. 43. definitum esse secundam intentionem constitutivam æquivocorum, vniuocorum, & denominativorum significatam in concreto, quomodo supponit pro ipsis rebus æquivocis vniuocis, &c. Vide ipsi intentioni convenit definitio ut *quo*; rebus autem, ut *quod*. Neque hoc indiget nova probatione. Videantur, quæ ibidem diximus, & etiam Sanchez lib. 4. qu. 1. conclusionem 4.

14 ¶ Tertio tandem DVBITATUR. An sub æquivocis comprehenderit Arist. analogà.

Analogà, ut infra constabit, dicuntur illa, quæ inter se differunt, ut tamen habeant aliquam similitudinem & proportionem. Propter quod communiter à Doctoribus appellantur media inter purè æquivoca, & vniuoca; quia ratio significata per nomen analogum, neque est omnino eadem sicut in vniuocis, neque omnino diversa sicut in æquivocis, sed partim eadem, & partim diversa.

Est ergo dubium: an sub altero ex his extremis definit Aristoteles analogà: an verò ea prætermiserit. ¶ Et ratio dubitandi est: quia non videtur maior ratio, quare sub vno potius quàm sub altero extremo contineatur.

Respondetur tamen Arist. sub definitione æquivocorum procul dubio comprehendisse analogà. Ita expressè D. Thomas. Opusc. 48. tract. 2. cap. 1. Caiet 1. parte quæst. 13. artic. 5. & communiter Doctores. Quod manifestè constat; tum ex exemplo ab Aristot. adducto de *homine* respectu viui, & picti respectu quorum non est purè æquivocum, sed analogum, ut patet: tum etiam quia ratio importata per nomen analogum non sic est partim eadem, & partim diversa, quasi ex æquo contineat utrumque: sed simpliciter est diversa, & secundum quid eadem, ut infra explicabimus.

Ergo analogum non sic, est medium inter æquivocum, & vniuocum quasi æqualiter distat ab utroque: sed multò magis approximat æquivocis, & simpliciter annumeratur illis; ac pròinde sub iis comprehensum est ab Aristot. Per quod patet ad rationem dubitandi.

Iuxta quam doctrinam communiter Doctores dividunt æquivoca ut sic, in purè æquivoca, & analogà. In his ratio significata per nomen simpliciter est diversa, & secundum quid eadem; in illis verò tam simpliciter quàm secundum quid est diversa; & ita est omnino diversa. Propter quod etiam solent appellari æquivoca à casu, & ita appellavit illa Aristot. 1. Ethic. lect. 7. apud D. Thomam.





## DISPUTATIO X.

## De nominum Analogia.



QVAM necessaria sit analogiæ cognitio, tum ad Physicas, & Metaphysicas, tum etiam ad Theologiæ quæstiones experientia sola potest ostendere. Vix enim in scientiis reperitur nomen, quod aliqua analogia non sit analogum. Vix tractatur difficultas ad cuius solutionem aditum non patefaciat analogia. Sed si multum necessaria, est tamen procul dubio plus difficilis; si iuxta Peripateticam veritatem penetranda sit: & ideo oportet Aristot. & D. Thom. iterum atque iterum evolueri. Quorum mentem, veramque analogiæ notitiam inter alios assequutus est plenè Caiet. in aureo illo opusculo de nominum analogia, à quo eam acceperunt Nazarius 1. part. quæst. 13. artic. 5. in tract. de Analogia: Arauxo lib. Metaphys. q. 2. per totam, Zanardus ibidem quæst. 3. 4. & 5. Elandria lib. 12. quæst. 8. Soto in hoc cap. Malius ibid. disput. 1. sect. 1. de quo etiam videri possunt Ferrar. 1. contra Genes cap. 34. & alij Thomistæ. Quorum nos, vestigiis inhærendo, agemus in hac disput. de Analogia in communi, quæ propriè ad Dialecticum pertinet, infra verò de Analogia entis circa cap. 4. ubi propriam sedem habet, disputabimus.

## QVÆSTIO I.

## Quid sit Analogia.

IN hac, & duabus sequentibus quæstionibus breviter proponemus doctrinam Analogiæ à prædictis autoribus traditam, & in schola Divi Thomæ communiter receptam. Quam postea conabimur ab imis fundamentis deducere: si fortè plus aliquid lucis huic pernecessariæ materiæ ex proprio Marte afferre possimus.

1 Igitur Græca præpositio *ἀνα*, *ana*, sæpè significat proportionalem quandam distributionem, ut notant Ioannes Scapula, & Iacobus Zeratinus in suis dictionariis: & patet Mat. 20. *ἀνα δηνάριον ἐλάσας*, *ana dinarion elabon*, id est, acceperunt singuli denarium. Et ab ea in hac significatione formatur nomen *ἀνάλογος*, *analogos*, quod idem est, ac *ad proportionem similes*, seu *proportionem respondens*, scilicet res, quæ ad aliam proportionem quadam constituta, & comparata est, ut ex Aristot. adducit idem Scapula. Et inde *analogia* Græcè idem est, quòd Latine *proportio*, *comparatio*, seu *proportionalitas*: quæ omnia ut infra constabit, non omnimodam æqualitatem, aut similitudinem, sed aliqualem convenientiam simul cum differentia, aut inæqualitate important. Et ideo illa propriè appellamus proportionata, aut proportionalia, quæ cum simpliciter sint diversa, aut inæqualia habent tamen aliquam similitudinem, aut æqualitatem. Ex quo tandem fit, analogiæ nomen involvere diversitatem, seu inæqualitatem, simul cum aliqua convenientia, aut similitudine.

2 Hinc nomen istud extensum est ad significandam quancumque inæqualitatem rationis communis, unde cumque proveniat. Et quia genera, licet quantum ad essentiam, seu rationem præcisam æqua-

liter convenient speciebus; habent tamen perfectius esse in vna, quàm in alia, ratione inæqualium differentiarum contrahentium: ideo consueverunt appellari analogæ.

3 Hic tamen modus analogiæ imperfectissimus est, neque tollit univocationem: quia inæqualitas illa non attenditur in ipsa ratione præcisa significata per nomen, sed ratione differentiarum contrahentium, & secundum esse, seu existentiam. Et ideo huiusmodi analogæ appellantur à Divo Thoma in 1. distinctione 19. quæstione 5. articulo 2. ad 1. *Analogæ secundum esse, & non secundum intentionem*. Appellantur etiam *analogæ Physicæ*: quia talis inæqualitas attenditur secundum esse, & perfectionem realem; non verò secundum rationes præcisas, & abstractas. Et tandem dicuntur *analogæ inæqualitatis*: quia licet in omni analogia reperitur inæqualitas, consuevit tamen nomen divisi simpliciter, & absque addito applicari imperfectiori membro diidenti, ut notauimus capite de differentia, num. 5.

4 Analogæ ergo in hac communissima acceptione, ut comprehendunt analogæ physica iam explicata, definiuntur à Doctoribus, esse illa: *Quorum nomen est commune, ratio verò substantia secundum illud nomen partim est eadem, & partim diversa*. Proportionabiliter enim potest applicari hæc definitio, tam analogis propriè dictis, quàm etiam analogis physicis, seu inæqualitatis. Nam *animal*, verbi gratia, quæ ratione diuiditur analogum inæqualitatis, significat rationem, quæ partim est eadem in speciebus, scilicet quantum ad essentiam, & conceptum præcisum, & partim diversa, nempe quantum ad esse, & inæqualem participationem. Et ideo huiusmodi analogæ physica communiter definiuntur esse illa: *Quorum nomen est commune; ratio verò substantia secundum illud nomen est omnino eadem; inæqualiter tamen participata*.

5 Sed relictis his analogis, quæ apud Logicum non sunt analogæ, sed verè & propriè uniuocæ, deinceps agemus de analogis propriè dictis, quæ verè mediant inter uniuocæ, & æquivocæ: quæque merito *analogæ logica*, seu *secundum intentionem*, communiter appellantur. Quorum naturam ut melius percipiamus.

6 Observandum est, quod inter rationem omnino eandem, rationem omnino diversam, mediat ratio, quæ partim est eadem, & partim diversa, ut de se constat. Hæc autem ratio media tripliciter potest excogitari. Primo, si æqualiter participet de utroque extremo; ita ut simul tripliciter sit eadem, & simpliciter diversa. Secundo, si magis inclinet ad omnimodam identitatem; ita ut sit simpliciter eadem, & secundum quid diversa. Tertiò, si magis propendeat in omnimodam diversitatem; ita ut sit simpliciter diversa, & secundum quid eadem. Neque fingi potest inter duo illa extrema alter modus medij, ut patet. Cum ergo analogæ propriè dictæ non includant omnimodam identitatem, sicut uniuocæ; neque omnimodam diversitatem, sicut æquivocæ; sed medio modo se habeant: videndum est quænam ex his modis mediant inter illa.

7 Et quidem satis constat primo modo mediare non posse. Nam idem simpliciter, & diversam simpliciter opponuntur contradictoriè: ergo repugnat rationem significatam per nomen analogum simul esse simpliciter eandem, & simpliciter diversam in analogatis.

8 Neque secundo etiam modo potest analogum mediare inter uniuocum, & æquivocum. Tum quia iam analogæ essent simpliciter uniuocæ: tum etiam quia

quia eo ipso, quoddam aliquid ratio præcisa, & abstracta sit simpliciter una & eadem; excludit pro ut sic, quæcumque principia distinguuntur: ergo repugnat, quod quantum est ex parte sui, includat actu aliquam diuersitatem. De quo redibit sermo disput. seq. quæst. 5.

¶ Potest autem optimè fieri, ut rationes simpliciter diuersæ habeant aliquam identitatem, secundum quid, & quodammodo inter se assimilentur ratione alicuius attributionis, vel proportionalitatis, ut postea videbimus: ergo non primo, aut secundo, sed tertio modo mediant analogia inter vniuoca, & pura æquiuoca: & ex consequenti important diuersitatem simpliciter, & identitatem secundum quid:

7. Ex quo iam facile deprehenditur, quid sit analogia logica. Quamuis enim eadem definitione, quam supra tradimus de analogis in generali, prout comprehendunt analogia physica, possint etiam specialiter definiri analogia propriè dicta seu logica; sequidem definitio analogi simpliciter intellecta est definitio analogati principalis, ut infra constabit: tamen quia per particulas illius definitionis non ita clarè exprimitur quando analogia mediant inter purè æquiuoca, & vniuoca in quo propria eorum ratio consistit: ideo exactius definimus analogia logica in communi, dicendò: *Analogia sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantia secundum illud nomen, simpliciter est diuersa, & secundum quid eadem.* Cuius definitionis bonitas satis ex dictis patet, neque indiget ampliori probatione.

## Q V Æ S T I O II.

### Quotuplex sit analogia.

Communi Dialecticorum consensu analogia propriè dicta, seu Logica diuiditur in analogiam attributionis, seu proportionis, & analogiam proportionalitatis. Quæ diuisio sumitur ex Aristot. 1. Ethicor. cap. 6. Eamque sub his terminis tradit Diu. Thom. quæst. 1. de veritate art. 2. & explicat optimè Caieran. de nominum analogia capit. 2. & 3. ubi ex mente Angelici doctoris 1. 2. Metaphysic. lect. 3. definit analogia attributionis esse. *Ilia, quorum nomen est commune ratio verò substantia, secundum illud nomen est eadem secundum terminum, & diuersa secundum habitudines ad illum.* Vt sanum, commune nomen est Medicinæ, vrinæ, & animalis; ratio verò omnium in quantum sana sunt est eadem secundum terminum: quia eademmet sanitas est, quam respicit animal, in quo est; & Medicina à qua causatur; & vrina quæ illam indicat. Est verò diuersa secundum diuersas habitudines ad sanitatem: quia si quis assignet, quid est animal in quantum sanum subiectum dicet sanitas: Medicinam verò in quantum sanam, causam sanitatis, &c. ubi terminus quidem idem est, nempe sanitas: sed habitudines diuersæ sunt, nempe subiecti, causæ, ut indicatui.

9. Appellatur autem hæc analogia, attributionis vel quia in ea principale analogatum tribuit denominationem aliis (Medicina enim dicitur sana quia est causa sanitatis animalis; vrina dicitur sana: quia signum sanitatis animalis, &c.) vel quia analogata minus principalia quasi attribuuntur principaliori analogato, & reducuntur ad illud tanquam ad propriam mensuram, & radicem, unde ratio significata per nomen derivatur ad ipsa. ¶ Dicitur etiam, analogia proportionalis, ad distinctionem analogiæ proportionalitatis: quia, ut infra constabit, non proportio, sed proportionalitas requirit quatuor

terminos qui tamen non sunt necessarij in analogia attributionis.

¶ Item hæc analogia appellatur ab Aristot. loco citato, & à D. Thom. ibidem *analogia ab uno*, vel *ad unum*: quia in ea minus principalia analogata quandoque procedunt tanquam ab efficiente ab uno, scilicet à principali analogata; quandoque verò tanquam ad finem ordinantur ad illud. ¶ Et tandem ab eodem Diu. Thom. in primo distinct. 19, quæst. 5. art. 2. ad primum appellatur *analogia secundum intentionem tantum, & non secundum esse*: quia in ea ratio significata, licet referatur ad omnia analogata per prius, & posterius; tamen non habet esse nisi in uno. *Intentio enim sanitatis* (inquit D. Th.) *refertur ad animal, vrinam; & dictam diuersimodè secundum prius, & posterius; non tamen secundum diuersum esse: quia esse sanitatis non est nisi in animali.*

10. Vbi obseruandum est cum Caieran. loco citato hanc analogiam attributionis posse fieri in quolibet genere causæ, præcipue si causam exemplarem ad formalem reducamus. Possunt enim plura ad vnum finem, vel ad vnum efficiens, vel ad vnum exemplar, vel ad vnum subiectum, secundum aliquam ad vnum denominationem; attributionem diuersimodè habere. Exemplum primi adducit Aristot. 1. 1. Metaphysic. lect. 3. apud Diu. Thom. de sano respectu animalis, & Medicinæ: hæc enim ad animal tanquam ad finem ordinatur. Exemplum secundi adducit etiam ibidem de meditatione respectu Medicinæ & sermonis medicinalis, & instrumentorum; hæc enim à Medicina ut ab efficiente procedunt Ibidem etiam adducit exemplum quarti, de ente respectu substantiæ, & accidentium, quæ ad substantiam tanquam ad commune subiectum ordinantur. Et tandem exemplum terrij adducit 1. Ethic. lect. 7. apud D. Thom. de bono respectu boni, quod per se est bonum & boni, quod est bonum propter aliud; hoc enim ad illud tanquam ad exemplar ordinatur.

11. ¶ Hæc autem analogia attributionis duplex est: vel ut proprius loquamur, in hac analogia dupliciter potest comparari analogum ad analogata, ut docet Diu. Thom. 1. par. q. 13. artic. 5 & potentia quæstione 7. artic. 7. Primo si comparatur ad omnia analogata: tunc enim vnum suscipit denominationem per ordinem ad alterum, scilicet ad principale. Et propterea dicitur *analogia vnius ad alterum*, vel *vnius ad unum*, siue sit vnum tantum analogatum minus principale, siue plura hoc enim nihil refert) ut cum sanum comparatur animali ex vna parte, & medicinæ, & vrinæ & alia: & similiter cum ens comparatur substantiæ ex vna parte & quantitati, qualitati, &c. ex alia: tunc enim vnum membrum diuidens suscipit denominationem per ordinem ad alterum.

Secundo modo potest comparari analogum ad sola analogata minus principalia, ut cum sanum comparatur medicinæ ex vna parte, & vrinæ ex alia; & similiter cum ens comparatur quantitati ex vna parte, & qualitati ex alia. Et tunc vnum non recipit denominationem per ordinem ad alterum, sed ambo per respectum ad aliud tertium, scilicet ad principale analogatum propter quod etiam appellatur à D. Th. *analogia multorum ad unum*, vel *duorum ad aliquid tertium*. Qui quidem modus comparationis, iuxta hanc D. Thom. doctrinam, sufficiens ad causandam veram analogiam. Nam quamvis analogum comparatum secundis analogatis, æqualiter denominat illa: non ideo est vniuocum respectu eorum: quia talia analogata suscipiunt denominationem per ordinem ad aliud tertium, scilicet ad primum analogatum quod est in rei veritate, continetur sub diuisio

P

alis

Colleg. Compl. Logica.

talis diuisionis. Per quod soluuntur plura argumenta quæ possint fieri in hac materia.

12. ¶ Analoga proportionalitatis, ut definit Caiet. opusc. citato c. 3. sunt illa, *quorum nomen est commune, ratio uero substantia secundum illud nomen est similis secundum proportionem*. Ut Videre corporali visione; & videre intellectuualiter communi nomine vocantur *videre*: quia sicut visio corporalis rem corpori animato ostendit intellectio rem animæ representat: & ita sicut se habet visio ad potentiam visiuam, ita intellectio ad intellectum. ¶ Aliud exemplum communiter affertur de nomine, *principium*, quod proportionaliter dicitur de corde hominis, & fundamento domus: nam sicut se habet cor ad principium hominem; ita fundamentum ad principium domum. In quibus exemplis nomen est commune ut patet; ratio uero per illud importata similis est secundum proportionem: quamvis valde diuerso modo oculus cognoscat, & cor principiet hominem; ac intellectus intelligit, & fundamentum principiat domum neque vnum ab alio deriuatur: tamen proportio, quam habet visio ad oculum, & cor ad hominem similis est proportioni, quam habet intellectio ad intellectum, & fundamentum ad domum.

Appellatur autem hæc analogia, *proportionalitatis* quia versatur inter quatuor terminos, & à D. Thoma. in 1. dist. 19. quæst. 3. art. 2. ad 1. vocatur *analogia secundum intensionem, & esse*: quia ratio significata refertur ab intellectu ad omnia analogata, in quo conuenit cum analogia attributionis; & habet esse in vnoquoque, eo quod intrinsecè reperiatur in omnibus quando proportionalitas est propria: in quo distinguitur ab analogia attributionis. Quo fit, ut quamuis utraque hæc analogia sit vera analogia Logica & quamvis analogia attributionis, frequentior sit in significationibus nominum; analogia tamen proportionalitatis est illa multo nobilior: si quidem in ea propius intercedit proportio & comparatio, quam analogiz nomen significat. Et ideo apud Arist. & Græcos ipsa sola nomen analogiz sibi vltimè paret, ut notat Ferrar. 1. contra gent. cap. 34. & colligitur ex pluribus locis Arist. quæ adducit Caiet. c. 3. citato: habeturque expressè 1. Et hic cap. 3. iuxta translationem antiquam.

13. ¶ Tandem analogia proportionalitatis diuiditur in analogiam proportionalitatis propriæ, & Proportionalitatis metaphoricæ. Quæ in hoc præcipue differunt, quod in prima, ratio significata per nomen analogum intrinsecè inuenitur in omnibus analogatis. Et hoc modo *ens* est analogum substantiæ, & accidenti: nam sicut se habet substantia ad suum esse, ita accidens ad suum. Ratione cuius proportionalitatis, ratio entis significata per nomen suo modo saluatur intrinsecè in accidenti. In analogia uero proportionalitatis metaphoricæ ratio significata intrinsecè est in vno, & extrinsecè in alio. Quo modo risus est analogum ad risum hominis, & viriditatem prati: quia sicut se habet risus hominis ad hominem, ita viriditas ad pratum: in quo ratio significata per nomen risus extrinsecè tantum reperitur, ut de se patet.

### Q U E S T I O III.

#### Q U A S I N T C O N D I T I O N E S vtriusque analogia.

4. ¶ Analogia attributionis tres communiter assignantur conditiones, quas rectè explicat Caiet. c. 2. citato. *Prima*, & præcipua est, ut fiat secundum

denominationem extrinsecam tantum, ita ut ratio significata per nomen analogum, tantum sit intrinsecè, & formaliter in primo analogato; in aliis uero per extrinsecam denominationem. Quæ conditio formaliter intellecta verè conuenit omnibus huiusmodi analogis ut patet in sano quod significat sanitatem, quæ solum reperitur formaliter in animali: ipsum enim solum est intrinsecè sanum, ut potè habens in se sanitatem, medicina uero, aut vrina extrinsecè: quia causat vel significat sanitatem existentem in animali: Similiter ratio *entis*, secundum quod formaliter est analogum attributionis respectu substantiæ, & accidentis solum reperitur intrinsecè in substantia, in accidentibus uero extrinsecè; nam quantitas ratione istius analogiz non dicitur *ens*; quasi ipsa in se sit ens: sed quia est mensura entis scilicet substantiæ & qualitas dicitur *ens*: quia est dispositio entis & idem est de aliis.

Quæ doctrina est expressa Aristot. 1. Metaph. lect. 3. apud D. Thom. ubi comparat analogiam *entis* respectu substantiæ, & accidentis cum analogia *sani*. Quod explicans D. Thom. inquit: *In his uero, quæ prædicto modo dicuntur, idem nomen de diuersis predicatur secundum rationem partim eandem, & partim diuersam: diuersam quidem quantum ad diuersos modos relationis eandem uero quantum ad id, ad quod fit relatio: esse enim significatum, & esse effectuum. diuersum est sed sanus una, est: Et similiter est de multiplicitate entis. Nam ens simpliciter dicitur id, quod in se habet esse, scilicet substantia; alia uero dicuntur entia: quia sunt huius, quod per se est, vel passio, vel habitus, vel aliquid huiusmodi. Non enim qualitas dicitur ens, quia ipsa habeat esse; sed quia per eam substantia dicitur esse disposita: & similiter de aliis accidentibus. Et propter hoc dicitur, quod sunt entis. Idem docet cum Aristot. 4. Metaph. in principio, & alibi sæpè.*

Non est autem hinc inferendum accidens non habere intrinsecè entitatem: hoc enim stultum est nec nos absolute dicimus rationem entis inueniri extrinsecè in accidenti; sed quod ratio entis formaliter secundum quod est analogum attributionis, inuenitur extrinsecè in accidenti: quod magis constabit quaestione sequenti.

15. ¶ Secunda conditio infertur ex hac prima & eam tradit expressè D. Thom. 4. Metaph. lect. 1. & 1. 2. quæst. 20. art. 3. ad 3. quod scilicet ratio significata per nomen analogum attributionis est una, non solum ratione sed etiam numero saltem negatiuè, id est, quod non multiplicetur realiter in analogatis, sicut multiplicatur ratio significata per nomen vniuocum. Nam a parte rei alia est animalitas hominis, & alia equi: & ita animalitas non potest esse eadem numero in speciebus, sed ratione tantum: non est tamen alia sanitas animalis, & alia Medicinæ, & c. Sed eadem numero sanitas, quæ intrinsecè est in animali, extrinsecè denominat Medicinam, & vrinam sanam. Sequitur autem hæc conditio ex præcedenti. Quia distinctio denominationis intrinsecæ, & extrinsecæ non sumitur ex parte formæ, sed ex parte subiectorum: & ita vnica numero forma realis causat in vno subiecto denominationem intrinsecam, in alio uero extrinsecam.

16. Tertia conditio huius analogiz est, quod in eaprimum analogatum ponitur in definitione cæterorum: nam cætera non suscipiunt denominationem nisi per ordinem ad aliud. Si enim velis definire Medicinam in quantum sanam, dices, *esse causam sanitatis animalis*: si vrinam, *esse signum sanitatis animalis*, & sic de aliis. Cum enim analogata, quæ extrinsecè denominantur à primo, respiciant illud ut terminum suum habitudinum: oportet ipsum ponere

in eorum definitione, quando definiuntur, secundum quod habent talem relationem. Et eadem ratione hæc conditio habet etiam locum in analogia proportionalitatis metaphoricæ suprà explicata. Ex quo tandem fit commune illud Dialecticorum axioma, videlicet: *Analogum per se sumptum stat pro famosiore significato*, de his duabus analogiis, proportionis scilicet, & proportionalitatis metaphoricæ intelligendum esse.

17 Tandem, relicta analogia proportionalitatis metaphoricæ, quæ ferè eadem habet condiciones, ac analogia attributionis, ut patet ex dictis Analogiæ proportionalitatis propriæ: aliqua etiam assignantur condiciones, quas ex Caiet. adduxit Arauxo lib. 4. Metaph. q. 2. art. 4. *Prima*, & præcipua est quam supra tetigimus, quod scilicet hæc analogia necessariò fit secundum denominationem intrinsecam utriusque analogati. Tunc enim aliqua propriè dicuntur proportionabiliter eadem, quando inuenitur æqualitas proportionum inter illa: ad quod necessarium est, ut in vnoquoque sit verum, & intrinsecum fundamentum proportionalis conuenientie, ut infrà constabit. Hinc oritur, quod in his analogis vnum non definiatur per alterum; sed definitio vnius proportionabiliter sit definitio alterius; & quod ibi analogum sit quid superius analogatis: & ut tale diuidatur, & prædicatur de illis, sitque medium demonstrationis, quæ sunt aliæ condiciones huius analogiæ. De quibus tamen, quia potius sunt proprietates illam consequentes, commodius agemus ad calcem q. sequentis.

Hæc sunt quæ ex Aristot. D. Thom. & Caiet. docent concorditer Thomistæ de analogia. Quia tamen ex eorum ignorantia, ut benè inquit Caietan. cap. 1. plures in scientiis errores emergunt, oportet illa amplius explicare, quod præstabitur quæstione sequenti.

## Q V Æ S T I O I I.

### AD CONDITIONES VTRIVSQUE analogia sint rectè assignata.

18. **P**ræsens difficultas præcipue procedit de prima conditione utriusque analogiæ: hæc enim explicata, facile intelligentur aliæ analogorum condiciones: & proprietates. Inquirimus ergo: an analogia attributionis semper fiat secundum denominationem extrinsecam tantum: ita ut ratio significata per nomen, secundum quod sic est analogum, solum reperiatur intrinsecè in primo analogato, in aliis verò per extrinsecam denominationem. Et similiter: an analogia proportionalitatis propriæ necessariò fiat secundum denominationem intrinsecam: ita ut ratio significata per nomen sic analogum, intrinsecè, & formaliter reperiatur in omnibus analogatis. Quamuis enim vtrumque ut certum receptum sit in scola Aristot. & D. Thom. ut vidimus: de utroque tamen nouiter dubitant aliqui Moderni.

Suarez disput. 23. Metaph. sect. 3. num. 14. quem sequuntur Rub. hic quæst. 3. & alij, negat ex vna parte primam illam conditionem conuenire omnibus analogis attributionis, distinguens duplicem modum huius analogiæ: alterum, quando ratio analogi reperiatur intrinsecè in vno analogato: in aliis verò extrinsecè: & alterum quando ratio analogi intrinsecè reperiatur in omnibus. Inter quos modos attributionis plures assignat differentias. *Prima*, est, quod in priori, secunda analogata definiuntur per primum: non verò in posteriori, *Secunda*, quod in priori non datur vnus conceptus communis omnibus analogatis; bene tamen in po-

steriori. *Tertia*, tandem, quod in priori analogia nomen analogum non potest esse medium demonstrationis; benè tamen in posteriori. pro qua sententia adducit D. Thom. & Caiet. 1. p. qu. 3. artic. 6. eamque probat num. 17. sequenti ex Arist. 4. Metaph. cap. 1. & lib. 5. cap. 6. & lib. 7. cap. 4. quibus locis constituit analogiam attributionis accidentium ad substantiam quam satis constat (inquit Suarez) talem esse, ut ratio entis propriè, & intrinsecè omnibus conueniat.

19. Secundò probatur eadem sententia: quia creaturæ analogantur analogia attributionis cum primo ente, quatenus sunt effectus ab eo causati: sed ut effectus Dei, sunt formaliter, & intrinsecè entia: ergo ratio entis etiam formaliter ut est analogum attributionis, reperitur intrinsecè in creaturis, Maior est certa, ut constabit infrà. Minor verò probatur quia esse effectus Dei est esse entia per participationem: ergo sicut explicat creaturas, secundum quod analogantur analogia attributionis cum Deo, subterfugere rationem effectus, ita implicat subterfugere intrinsecam rationem entis participati.

Confirmatur quia creaturæ, etiam ut sic analogatæ, non possunt suscipere denominationem entis ab entitate primi entis: ergo talem denominationem habent à suis intrinsecis entitatibus. Probatur antecedens, quia entitas primi entis cum sit entitas per essentiam solum potest tribuere denominationem entis per essentiam: sed creaturæ nequeunt subire hanc denominationem, cum sint entia per participationem: ergo &c.

Ex alia etiam parte, circa analogiam proportionalitatis, idem Suar. sect. citata num. 11. singularem inuenit opinionem, cui subscribit Cabero hic tract. 4. disput. 2. dub. 3. in fine, quod scilicet, omnis vera analogia proportionalitatis includit aliquid metaphoræ, & improprietatis, sicut ridere dictum de homine, & de prato. Et consequenter negat primam illam conditionem analogorum proportionalitatis propriæ.

Cuius fundamentum est: quia non omnis proportionalitas sufficit ad causandam analogiam proportionalitatis: siquidem vera proportionalitas potest etiam reperiri inter res vniocas, & omnino similes. Verè enim dicimus, quod sicut se habent quatuor ad duo: ita octo ad quatuor: vel quod sicut homo comparatur ad suos sensus, ita equus ad suos: & tamen nomen *dupli*, vel *animalis*, non est analogum, sed vniocum. Ergo illa sola proportionalitas causat veram analogiam proportionalitatis, quæ includit aliquid metaphoræ, & improprietatis.

### NON NVLLA EX MATHEMATICIS ad præsentem materiam necessaria præmittuntur.

#### § I.

20. **P**ro solutione quæst. supponendum est, quod sicut *magnum*, & *paruum*, *æquale*, & *inequale*, & alia huiusmodi propriè reperiuntur in quantitativibus, ut notauit D. Thom. 1. 2. qu. 15. art. 1. & inde transferuntur ad alia prædicamenta; dicitur enim magna virtus, æqualis scientia: ita *proportio*, & *proportionalitas* propriè inveniuntur inter quantitates; siquidem sunt passionēs numeri, & magnitudinis: & inde ad res alias transferuntur. Cum autem nequeat cognosci, quod per translationem dicitur tale, ignotato eo quod propriè habet talem denominationem: inde est, ut nunquam possit percipi, quid sit proportio, aut proportionalitas, quam format intellectus in aliis prædicamentis; nisi præcognitis propriis

proportione, & proportionalitate quantitatum quas considerant Mathematici.

Quia ergo glures moderni, dum de analogia disputant, non curant de cognoscendis proportionibus, & proportionalitate Mathematicis: idè materiam hanc comprehendere, imò & cognoscere minimè possunt. Indèque ortæ sunt opiniones constituentes analogiam in unitate conceptus communis, & abstracti cum inæquali participatione, & aliæ similes: quas Caiet. de nominum analogica c. 1. meritiò appellat originem errorum in aliis scientiis. Videamus ergo quid sint proportio, & proportionalitas propriè dictæ, seu Mathematicæ.

1. *¶* Pro quo, primò sciendum est proportionem definiri ab Euclide lib. 5. Element. *Proportio est certa duarum quantitatum eiusdem generis proximi unius ad alteram habitudo.* vel ut brevius definit D. Thom. 5. Et hic leq. 5. *Proportio est habitudo unius quantitatis ad aliam.* Nulla enim est quantitas, cui respectu alterius non conveniat aliqua habitudo seu relatio realis: & hæc habitudo quantitatem nomine incomplexo appellatur proportio. Relicta autem ea, quæ est inter quantitates incommensurabiles, quam propterea Mathematici appellant proportionem irrationalem; cuius cognitio nihil refert ad presens.

Proportio rationalis, seu quæ est inter quantitates commensurabiles, dividitur Euclide ubi sup. & à D. Thom. 5. Metaph. leq. 17. in proportionem æqualitatis, & inæqualitatis. Prima versatur inter quantitates eiusdem extensionis, ut inter 2. & 2. vel palmum, & palmum. Et hæc frequentius appellatur æqualitas quàm proportio quia ut sup. n. 2. dicebamus nomen *proportionis* involvit aliquam inæqualitatem: ob idque quantitates eiusdem omnino extensionis, non tam proportionatas, quàm æquales solemus appellare. Secunda verò versatur inter quantitates diversæ extensionis, ut inter 2. & 4. vel inter magnitudines unius, & duorum palmorum. Et hæc rectè cõmuni nomine frequentius appellatur proportio.

Proportionis autem inæqualitatis sunt inæqualitas scilicet excedens, & excelsum, seu magis, & minus. proportio autem inæqualitatis excedentis, seu inæquale excedens in quinque species dividitur, quarum nomina sunt. *Multiplex, superparticularis, superpartiens, multiplex superparticularis, & multiplex superpartiens.* Et quia harum specierum notitia valdè conducit, non solum ad præsentem tractatum; sed etiam ad prædicamentum relationis, & ad alias materias, in quibus exempla sæpius à Mathematicis petuntur, placuit eas breviter explanare ferè eisdem verbis quibus D. Thom. ipsas exponit 5. Met. lec. 17.

Proportio ergo tunc *multiplex* dicitur, quando magnitudo, aut numerus maior aliquoties continet minorem, sicut sex continet duo, ter. Et siquidem contineat ipsum bis, dicitur *duplum*, sicut se habent 4. ad 2. si ter, *triplum*; si quater, *quadruplum*, & sic deinde *Superparticularis* appellatur quando numerus maior continet minorem semel, & insuper unam aliquam partem eius, & tunc si contineat totum, & medium vocatur *sesquialterum*, sicut se habent 3. ad 2. Si autem totum, & tertiam partem: *sesquitercium*, sicut 4. ad 3. Si verò totum, & quartam partem: dicitur *sesquiquartum*, sicut 5. ad 4. & sic deinde.

*Superpartiens* dicitur, quando numerus maior continet minorem semel, & insuper non solum unam, sed plures partes eius, & si contineat duas partes appellatur *superbipartiens*, sicut se habent 5. ad 3. si verò tres, dicitur *supertripartiens*, sicut 7. ad 4. & sic de reliquis.

*Multiplex superparticularis* vocatur, quando numerus maior continet totum minorem pluries, & insuper

aliquam partem eius. Et siquidè contineat ipsum bis, & mediam partem eius, dicitur *duplum sesquialterum*, sicut se habent 5. ad 2. si autem ter & mediam partem illius nuncupatur *triplum sesquialterum*, sicut 7. & 1. & sic deinceps. *Multiplex superpartiens*, dicitur quando numerus maior habet totum minorem pluries, & etiam plures partes illius, & si contineat minorem bis, & duas partes eius sicut se habent 8. ad 3. appellatur *duplum superbipartiens* & sic de aliis: hæc enim proportio potest dividi secundum species *multiplicitatis* & secundum species *superpartientis*, quas iam explicuimus. Et totidem etiam sunt species ex parte inæqualitatis eius quantitatis quæ exciditur, nam merus minor, & proportio inæqualitatis ad maiorem dicitur *submultiplex*, *subparticularis*, &c. facile intelligentur ex dictis.

2. *¶* Secundò sciendum est proportionalitatem propriè dictam definiri ab Euclide eodem lib. 5. Element. sic *Proportionalitas est similitudo, seu comparatio multarum proportionum.* Vel ut clarius ex Arist. definit D. Thom. eodem 5. Ethico leq. 5. *Proportionalitas est æqualitas proportionum: cum scilicet æqualem proportionem habet hoc ad hoc, & illud ad illud* Semper enim in proportionalitate Mathematica reperitur aliqua vera, & propria æqualitas proportionum.

Ut si dicas: sicut se habent 6. ad 3. ita 4. ad 2. ibi est vera proportionalitas, quia quàmvis numeri ipsi sint inæquales, & similiter excessus, quibus extrema nempe 6. & 4. superant 3. & 2. proportio tamen, quæ est inter 6. 3. æqualis est proportioni, quæ est inter 4. 2. siquidem utraque est proportio dupla. Similiter si dicas: sicut se habent 6. & 4. ita 3. ad 2. ibi utraque est proportio sesquialtera. Item: sicut se habent 8. ad 6. ita 4. ad 3. ubi utraque est proportio sesquitercia & sic de aliis. Quo fit: proportionem in hoc distinguere à proportionalitate, quod illa versatur inter quantitates, hæc verò inter proportionem. Et sic proportionalitas necessario requirit quatuor terminos; siue omnes sint diversi, ut contingit in proportionalitate, quam Mathematici appellant *disiunctam*, seu *discretam*; siue alter bis repetatur; ut quando dicimus: sicut se habent 8. ad 4. ita 4. ad 2. quæ appellatur *proportionalitas continua*, seu *coniuncta*. De quo videri potest D. Th. loco citato.

3. *¶* Tertiò sciendum est quod quàmvis ad veram, & propriam proportionalitatem non sufficiat quæcunque similitudo, seu habitudo inter proportionem sed debeat esse vera æqualitas; ita ut ambæ sint eiusdem speciei, ut explicatum est: quia tamen sicut inter numeros, ita etiam inter proportionem diversæ speciei datur dependentia, & habitudo in ratione mensuræ, & per consequens aliqualis similitudo, & attributio unius ad alia, ut postea dicemus inde est, quòd si ex una parte proponatur proportio dupla v. g. & ex alia sesquialtera dicendo: sicut se habent 4. ad 2. ita 6. ad 4. fiet aliqualis proportionalitas, licet imperfecta, & impropria. Quia tunc secunda proportio aliquo modo attribuitur primæ & dependet ab ea: & per consequens ibi intercedit aliqualis habitudo proportionum. Quam possumus appellare proportionalitatem secundum quid, imperfectam, seu impropriam; ad distinctionem proportionalitatis propriè dictæ, quæ absolute, & simpliciter dicitur proportionalitas.

Iam ergo habemus ex dictis quatuor relationes, seu habitudines; duas inter quantitates, scilicet *omnimodam æqualitatem, & proportionem*; & duas inter proportionem, scilicet *æqualitatem proportionum, seu proportionalitatem propriè dictam, & proportionem, seu attributionem proportionum*, quæ est *proportionalitas secundum quid, & impropria*. Quibus quatuor



quatuor relationibus realibus correspondent quatuor intentiones rationis, quas ad illarum similitudinem format intellectus: Primæ correspondet univocatio: Secundæ analogia proportionis, seu attributionis: Tertiæ, analogia proportionalitatis propriæ: & ultimæ analogia proportionalitatis Metaphoricæ, ut magis ex dicendis constabit.

24 § Quarto sciendum est, quod unitas, & punctum sunt primæ mensuræ numerorum, & magnitudinum: ex unitate enim pluries sumpta causantur binarius, & ternarius, &c. ipsa verò non mensuratur per aliud intra genus quantitatis. Similiter ex ductu puncti causantur linea, ex ductu lineæ superficies, &c. ipsum verò non mensuratur per aliud intra idem genus. Vnde numerus, vel magnitudo quando propinquior est unitati vel puncto, tantò plus participat de ratione mensuræ. Quo fit: ut in quacumque proportionem numerus, seu magnitudo minor habeat rationem mensuræ respectu maioris, & per consequens maior dependeat à minori tanquam à regula per quam cognoscitur. § Sit exemplum in numeris quadratis, id est, qui coalescunt ex eodem numero multoties repetito. Nam 256. mensuratur per 16. qui est eius radix quadrata; siquidem 16. per 16. multiplicata reddunt 256. mensuratur per 4. & 4. per 2. quæ sunt eorum radices quadratæ; & tandem 2. per unitatem, quæ est prima mensura numerorum. § Idem cernimus in magnitudinibus. Nam leuca mensuratur per milliarium, milliarium per stadium, stadium per passus, passus per pedes, pes per palmos, palmus per digitos, & digitus per granum ordei, quod assumitur à Geometra, ut prima mensura magnitudinis: quia nulla linea, quantumvis minima potest certò resolvi in punctum.

Quod autem dictum est de numero, & magnitudine, dicendum est etiam de eorum proportionibus. Nam omnes super particulares mensurantur per seque alteram, quæ est prima illius generis: & omnes multiplicatares per duplam; & hæc per unitatem. Vnde sicut inter numeros, aut magnitudines maior dependet à minori tanquam à mensura: ita similiter inter proportionem, & per consequens quoties fit proportionalitas illa, quam appellavimus secundum quid, & improprietatem: minor proportio habet rationem mensuræ respectu maioris: hæcque dependet ab ea, ut explicatum est. (Appellatur in præsentem proportio minor, quæ magis accedit ad unitatem.) § Ex quo tandem collige, quod ex quatuor illis relationibus suprà explicatis, in *omnimoda æqualitate*, una quantitas non dependet ab alia: siquidem neutra mensuratur per alteram, cum sint eiusdem extensionis. Et similiter in *proportionalitate propriè dicta*, una proportio non dependet ab alia: siquidem utraq; est eiusdem speciei: ac verò in *proportionem* una quantitas dependet ab alia; cum mensuretur per illam. Et similiter in in *proportionalitate* secundum quid una proportio dependet ab alia: siquidem una mensuratur per aliam, ut dictum est.

25 § Quintò, & maximè notandum est, quod licet proportionalitas inveniat inter numeros, qui aliàs univocè conveniunt in ratione numeri: non idè ipsa proportio, aut proportionalitas est convenientia univoca, sed quid ab ea valde diversum, & ex diverso principio desumptum. Convenientia enim univoca numerorum attenditur penes gradum communem numeri, qui in illis invenitur; non verò penes proprias eorum differentias, quas potius excludit, & ab eis præcindit. At vero proportio, aut proportionalitas omninò tollerentur à numeris, si præcinderentur eorum differentia; ac pròinde non attenditur penes gradum communem numeri, sed penes

Colleg. Compl. Logica.

propriam uniuscuiusque differentiam: super eam immediate fundatur.

Sit exemplum in istis numeris 8.4.2 quorum convenientia univoca attenditur ex eo quod intellectus considerat rationem numeri ut sic; non considerat propriam uniuscuiusque differentiam. At verò proportionem duplæ eorum, & consequenter ipsarum proportionalitas fundatur in hoc, quod numerus octonarius, secundum quod talis est, bis includit quaternarium, secundum quod est quaternarius, & quaternarius secundum quod talis est: bis includit binarium, secundum quod est binarius. Ex quo patet, quomodo univocatio includat identitatem simpliciter, proportio verò & proportionalitas diversitatem simpliciter: quia nimirum illa intenditur penes gradum præciturum, & abstractum à principiis distinctivis, & per consequens simpliciter unum; istæ verò attenduntur penes gradus differentiales, qui sunt primò diversi.

26 § Hinc sequitur (& ultimà nota) quod inter quacumque invenit intellectus convenientiam genericam, potest etiam formare veram analogiam ratione alicuius proportionis, vel proportionalitatis eorum: quamvis de facto ferè nulla sunt imposita nomina ad significandam talem convenientiam analogam inter illa. Ratio autem est manifesta: quia quacumque conveniunt genericè in aliquo gradu, habent necessariò aliquid primò diversum, per quod distinguantur, scilicet differentias, ratione quarum potest fieri aliqua proportio, vel proportionalitas inter ipsa. Ergo inter quacumque est convenientia generica, potest etiam (licet ex diversa radice) formari vera analogia. Non tamen contingit è contra. Nam bene potest inter aliqua esse analogia, absque eo, quod sit ibi convenientia generica: quia possunt aliqua esse primò diversa secundum se tota; & ex consequenti nullum habere gradum in quo conveniant, ut de prædicamentis infra dicemus.

Doctrinam hanc tradit expressè Arist. 5. Metaph. text. 12. ubi distinguens quadruplicem unitatem scilicet numericam, specificam, genericam, & analogam inter eas hunc constituit ordinem, quod maior includit minorem, non tamen è contra. Et ita quæ sunt unum numero, sunt unum specie; non tamen è contra & quæ sunt unum specie sunt unum genere; non tamen è contra: tandem quæ sunt unum genere, sunt etiam unum Analogia; non tamen è contra. Videatur D. Th. ibid. lect. 8. Quare si haberemus nomen ad significandum hominem, & equum secundum suas proprias rationes cum aliqua eorum habitudine, vel attributionis vel proportionalitatis; sicut habemus ad significandum gradum genericum animalis, in quo conveniunt, illud verè esset analogum attributionis vel proportionalitatis; sicut illud verè est univocum.

APPLICATIO DOCTRINÆ  
traditæ præsentis institutio, & qua-  
estio resolvitur.

## § II.

27 Cognito, quid propriè significant proportio & proportionalitas, & quomodo inter quantitates inveniantur, facile cognoscitur, quomodo ad alia prædicamenta transferantur, & quomodo intellectus funder analogiam. § Tunc enim inter quascumque res erit analogia proportionis, seu attributionis, quando assimiletur numeris inæqualibus: qui quamvis secundum id in quo sunt datur proportio, sint inæquales, ut primò diversi, unus tamen eorum dependet ab alio, & mensuratur per il-

P 3 lu

lum. Vnde nomen sic analogum ita debet significare immediatè analogata; ut primum, qui est terminus, & mensura cæterorum, primariò, & distinctè significet; reliquæ verò secundariò, & confusè, quatenus à primo denominantur. Ut *sanum*, ita significat immediatè animal, medicinam, & urinam; ut primariò, & distinctè significet sanitatem animalis, quæ est terminum, quem medicina, & urina respiciunt, & à quo sana denominantur, secundariò verò, & confusè ipsam medicinam, & urinam, secundum quod sunt causa, & signum talis sanitatis animalis.

18 ¶ Similiter tunc erit inter quascunque res analogia proportionalitatis propriæ; quando earum habitudines assimilantur proportionalitè, quæ est inter proportionem æquales numerorum: quarum neutra dependet, neque mensuratur per alteram, quamvis numeri sint inæquales. Quare nomen sic analogum, ita debet significare immediatè analogata secundum suas proprias rationes, ut neutrum significet secundariò, & per ordinem ad aliud, sed utrumque æqualiter, secundum quod mutuo assimilantur inter se in hoc, quod sicut unum se habet ad suum esse; ita aliud ad suum V.G. *principium* (supposito quod sit analogum proportionalitatis propriæ, ut communiter ponitur respectu cordis, & fundamenti domus) non debet significare immediatè aliquam rationem ab eis præcisam, & abstractam; (in hac enim non potest fundari proportionalitas, sed uniuocatio, ut dictum est) sed ita immediatè verumque, ut neutrum primariò, aut secundariò significet, sed ambo æqualiter, ut proportionabiliter assimilantur inter se. Et ita non refert si dicas: sicut se habet cor ad hominem, ita fundamentum ad domum, vel è contra,

19 ¶ Tandem tunc erit inter quascunque res analogia Proportionalitatis Metaphoricæ; quando earum habitudines assimilantur proportionalitati illi secundum quid, & impropriè, quæ est inter proportionem inæquales numerorum: quorum una necessariò mensuratur per aliam, & dependet ab ea. Vnde nomen sic analogum, ita significat immediatè analogata secundum proprias proportionem; ut alterum primariò, & distinctè significet; alterum verò secundariò, & confusè, & prout à primo denominatur. V.G. *risus*, significat immediatè risum hominis, & viriditatem prati, ut illum primariò, & distinctè, hanc verò secundariò, & confusè, & prout à primo recipit, denominationem, significet.

20 His suppositis dicendum est primò in quacunque analogia attributionis rationem significatam per nomen analogum, secundum quod tali analogia est analogum, intrinsecè reperiri in primo analogato, in aliis verò per extrinsecam denominationem: ac pròinde fictitiâ esse divisionem analogiæ attributionis suprâ num. 18. relatam. Hæc est plena mens Arist. & D. Th. 11. Metaphys. lect. 3. ut vidimus suprâ numero 14. quod etiam constat ex lib. 4. text. 1. ubi Philosophus docet ens esse analogum attributionis eo modo quo sanum, his verbis: *Ens autem multipliciter dicitur; verum ad unum, utramque naturam: & non equivocè, sed quemadmodum omne salubre ad sanitatem, &c.* ubi prosequitur Aristor. eandem comparisonem, docens accidentia secundum hanc analogiam non dici entia: quia in se habeant esse; sed quia sunt substantiæ, quæ per se est ens, vel passiones, vel viæ vel effectiones, vel corruptiones, &c. Quem locum exponens D. Th. lect. 1: inter alia inquit illis verbis: *Verum ad unum, utramque naturam* significari in hac analogia entis rationem significatam per nomen, esse unam, non solum ratione, sed etiam numero in omnibus analogatis, id est, non multiplicari in illis, ut suprâ numero 15. in secunda conditione huius analogiæ explicuimus.

Ex quo loco sumitur evidens argumentum: quia impossibile est, ut forma creata non multiplicata realiter, sit intrinsecè in pluribus realiter distinctis: sed ratio significata per analogum attributionis est forma realiter non multiplicata: ergo repugnat esse intrinsecè in pluribus analogatis realiter distinctis. Maior est evidens: Minor Div. Thom. consequentia legitima: ergo, &c. Vnde mirum est, quomodo Suarez pro illa sua sententia adducat hæc, & similia Arist. & D. Thom. testimonia, ubi planè docent oppositum.

21 Eandem conclusionem docent expressè D. Th. 1. Eth. lect. 17. ubi Arist. inquit, quomodo bonum dicatur de omnibus bonis: & respondet non omninò æquivocè: sed *vel quia sunt ab uno, vel ad unum omnia conferunt: vel comparatione potius rationum.* Etenim *ut est in corpore visus, ita est in anima mens.* In quibus verbis duo priores modi, scilicet *ab uno ad unum*, pertinent ad analogiam attributionis: quæ quandoque sit in genere causæ efficientis, quod vocat Aristot. *ab uno*, & quandoque in genere causæ finalis, quod vocat Aristot. *ad unum*. ut vidimus suprâ numero 9. & 10. Tertius verò modus est analogia proportionalitatis, ut docent communiter Interpretes, & constat ex exemplo adducto ab Aristotele. Explicans ergo hunc locum Div. Thom. concludit his verbis: *Ideo hunc tertium modum præfert, quia accipitur secundum bonitatem inherentem rebus: primi autem duo modi secundum bonitatem separatam, à qua non ita propriè aliquid denominatur.* D. Thom. sequuntur concorditer discipuli eius, Ferrara, Nazarius, Zanaidus, Arauxo, Masius, Soto, & alij suprâ numero 1. citati. Explicatque optimè hanc sententiam Caiet. c. 3. de nominum analogia, & 1. part. qu. 13. art. 6. ubi non solum non concedit dari analogiam attributionis, in qua secunda analogata non definiuntur per primum, ut illi Suar. adscribit: sed potius generalem doctrinam, quam priori loco tradiderat de omni analogia attributionis, quod scilicet in ea secunda analogata definiuntur, per primum extendit ad analogiam proportionalitatis Metaphoricæ, ut patet ex eius verbis.

22 Probatur primò conclusio ratione desumpta ex definitione huius analogiæ, quam admittunt contrarij. Quia analogia attributionis sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundum illud nomen, est eadem secundum terminum, diueria verò secundum diuersas habitudines ad illum: ergo huiusmodi analogia solum conveniunt in termino, quem respiciunt. Sed terminus respectus non potest esse intrinsecè in omnibus: ergo neque ratio significata per nomen sic analogum. Antecedens & primæ consequentia constant. Minor verò probatur: quia terminus quem huiusmodi analogata respiciunt, non distinguitur à principali analogato: ipsum enim est, cui reliqua attribuantur, & ad quod dicunt habitudinem. Cum ergo principale analogatum non possit esse intrinsecè in aliis, sed solum extrinsecè ut patet; planum fit terminum, quem huiusmodi analogata respiciunt, non posse esse intrinsecè in omnibus.

Confirmatur ex ipsa nominis ethymologia. Nam idè analogia ista dicitur *attributionis*: quia in ea secunda analogata suscipiunt denominationem analogi per attributionem ad principale analogatum: sed dici aliquid tale per attributionem ad aliquid extrinsecum, est dici tale extrinseca denominatione: ergo, dices: ex hac ratione sequi analogum, & principale analogatum non distingui. Quod tamen esse falsum constat: quia hæc propositio, *accidens est ens*, est vera, hæc autem falsa, *accidens est substantia*. Ad hoc argumentum non potest hîc commodè responderi: Sed

sed constabit infra n. 41. ubi agemus de distinctione analogi ab analogatis.

33. Secundo probatur conclusio: quia quod *ens*, *bonum*, aut alia huiusmodi sunt etiam analogia proportionalitatis propriæ respectu Dei, & creaturarum, non tollit creaturas posse denominari extrinsecè entia, aut bona formaliter secundum quod attribuuntur Deo ut aliquid eius: sed hoc non potest illis convenire ratione analogiæ proportionalitatis propriæ: ergo convenit illis ratione analogiæ attributionis; & ex consequenti proprium erit istius analogiæ rationem significatam per nomen analogum inveniri extrinsecè in secundis analogatis. Minor, & consequentia constant: maior autem probatur: tum ex D. Th. 1. p. q. 6. art. 4. expresse affirmant omnia creata, non solum dici entia bona intrinsecè, & formaliter bonitatibus propriis, sed etiam extrinsecè, & causaliter bonitate ipsa divina, sicut primo principio exemplari, effectiuo, & finali totius bonitatis. Tum etiam quia idèd vna dicitur extrinsecè sana à sanitate animalis, quia dicitur ad illam habitudinem signi, & effectus, in qua habitudine fundatur analogia, quam habet sanum respectu eorum, sed creaturæ etiam sunt signa, & effectus diuinæ entitatis, & bonitatis: ergo poterunt ab ea extrinsecè entia, & bona denominari, etiam si per impossibile ab entitatibus, & bonitatibus sibi inhaerentibus intrinsecè non denominarentur; & consequenter in tali habitudine fundabitur analogia attributionis, quæ convenit *enti*, & *bono* respectu Dei, & creaturarum. Plures alias rationes adducit Arauxo lib. 4. citato Metaph. q. 2. art. 2. ubi late probat hanc conditionem convenire etiam analogis proportionalitatis metaphoricæ: sed hoc à nemine negatur, & satis constat ex dictis.

34. Dicendum est secundò rationem significatam per nomen analogum proportionalitatis propriæ intrinsecè reperiri in omnibus analogatis. Hæc conclusio expressa D. Th. loco adducto ex 1. Eth. eamque admittunt non solum discipuli eius, sed ferè omnes alij Doctores. Quia tamen plures ex istis improbant dari conceptum communem analogatis ut disp. sequent, videbimus; idèd oportet legitimum huius conclusionis sensum breviter aperire.

Dupliciter ergo potest explicari conclusio. Primò, si dicatur nomen analogum proportionalitatis propriæ immediatè significare aliquam vnam rationem, seu gradum præcisum, qui intrinsecè participetur ab utroque analogato; & mediatè ipsa analogata: sicut univocum immediatè significat vnam rationem communem, & abstractam ab univocatis. & mediatè ipsa univocata licet differant in hoc, quòd analogum ex se & intrinsecè ratione sua petit descendere ad analogata cum quadam subordinatione, prioritate, & dependentia, quod non habet univocum. Quomodo intelligunt hanc conclusionem, qui ponunt conceptum communem entis & aliorum analogatorum. Sed explicatio ista omnino falsa est, ut videbimus loco citato.

Secundo modo potest explicari conclusio, dicendo nomen analogum proportionalitatis propriæ immediatè significare ipsa analogata secundum suas proprias rationes non absolute sumptas, sed ut proportionabiliter se habentes inter se: in quantum scilicet vnumquodque fundat habitudinem ad suum esse similem habitudini quàm fundat alterum. Quomodo sicut est verum, quòd esse uniuscuiusque analogati est illi intrinsecum; ita est verum, quòd analogum significans proportionabiliter utrumque, significat rationem, quæ est intrinsecè in analogatis. Et hic est legitimus, & Peripateticus sensus nostræ conclusionis: sicque defendunt illam Caietan opuscul. citat. cap. 3. & 4. cæteri Thomistæ, qui negant conceptum

communem entis & aliis analogis. In quo sensu.

35. Probatur breviter conclusio: quia non repugnat dari nomen æquivocum immediatè significans plura absque aliqua habitudine & proportionè, de quibus quando prædicatur non prædicat aliquid commune neque omnia simul: sed propriam uniuscuiusque rationem sine habitudine ad alterum: ergo neque etiam repugnabit dari nomen analogum immediatè significans analogata, ut proportionabiliter se habentia; de quibus quando prædicatur; non prædicabit aliquid vnum commune neque omnia simul; sed propriam uniuscuiusque rationem, non absolute sumptam, sed cum proportionabilitate explicata. Aliunde autem repugnat nomen analogum immediatè significare aliquam rationem simpliciter vnam, & abstractam; aliàs cum univocis coincideret, ut infra ostendemus: ergo concedenda analogia, in qua ratio significata intrinsecè sit in omnibus analogatis modo explicato. Quæ cum non sit analogia attributionis, aut proportionalitatis metaphoricæ constat ex prima conclusione: necessariò asserendum est esse analogiam proportionalitatis propriæ.

*Argumentis in principio questionis adductis respondetur*

### §. III.

36. **A**D primum ex auctoritatibus constat ex 2. conclus. Nullibi enim Arist. & D. Th. neque leuiter insinuant rationem significatam per nomen analogum attributionis, formaliter prope sic, reperiri intrinsecè in omnis analogatis: quin potius priori loco ex 4. Metaph. planè docent oppositum. Ex aliis vero solum colligitur ens esse analogum attributionis respectu substantiæ, & accidentis, de quo non dubitamus.

Id autem quod addit Suar. scilicet hanc analogiam, talem esse, ut ratio entis propriæ, & intrinsecè conveniat omnibus nihil urget. Quamvis enim ens intrinsecè reperitur, tam in substantia, quàm in accidentibus: id tamen non habet: formaliter quatenus est analogum attributionis; sed quatenus est analogum proportionalitatis propriæ, vel ratione transcendentis Videatur Caiet ubi supra c. 1.

Ad secundum responderetur, quòd sicut quando dicimus medicinam analogari analogia attributionis cum animali quatenus est causa sanitatis eius, non est sensus hoc ipsum, quòd est medicinam esse causativam, formaliter esse ipsam denominationem, qua dicitur extrinsecè sana à sanitate animalis, sed esse proximum, & reale fundamentum supra quod cadit talis denominatio; ita similiter quando dicimus creaturas analogari analogia attributionis cum primo ente, quatenus sunt effectus eius non est sensus hoc ipsum, quòd est creaturas esse effectus Dei, seu habere esse participatum, esse ipsam formalem denominationem, qua dicuntur entia ab entitate, qua significat ens, ut est analogum attributionis, sed esse proprium; & reale fundamentum, supra quod cadit talis denominatio Vnde sicut stat optimè, quòd respicere sanitatem animalis, seu esse causativum illius, sit quid intrinsecum medicinæ, materialiter tamen se habens ad denominationem analogi, quæ est illis extrinsecè: ita etiam stat optimè, quòd creaturæ ut effectus Dei sint intrinsecè entia entitatibus sibi propriis; materialiter tamen se habentibus ad denominationem entis, secundum quòd est analogum attributionis Quæ quidem est illis extrinsecè; quia ut dictum est, & magis infra constabit analogum attributionis simpliciter non distinguuntur à principali analogato: ac proinde ens, secundum quòd tali analogia est analogum ad Deum, & creaturæ

creaturas, tantum significat entitatem increatam, à qua fitis constat non posse creaturas intrinsecè denominari. Videatur Aurax lib. 4. Metaph. q. 2. art. 2. n. 25. ubi optimè explicat hanc doctrinam.

37. Ad confirmationem negatur antecedens. Ad cuius probationem respondetur, quod entitas per essentiam subiectum quidem illam habens denominat ens per essentiam in recto; aliis vero qui illam respiciunt ut terminum extrinsecum, tribuit denominationem entis per essentiam, non in recto, sed in obliquo: & idè creatura non dicitur ens per essentiam, sed quid entis per essentiam, sicut iuxta hanc analogiam accidens non dicitur ens, sed entis.

Ad fundamentum alterius sententiæ, quam n. 19. retinimus ex Suar. Respondetur virum hunc doctissimum in hac parte fuisse procul dubio de numero eorum, de quibus dixit Arist. 2. Elencho. & referi Caiet. loco citato, c. 10. quod *equivocatio latens in his proportionalibus peritissimè etiam latet*. Nam certe ratio illa peccat non distinguens radices seu principia, unde somnuntur, & supra quæ fundantur proportionalitas, & univocatio: neque attendens, quàm sint inter se diversæ, etiam si in eisdem rebus inveniuntur, ut vidimus supra n. 35. & 26. ¶ Quare ad argumentum respondetur negando antecedens: si enim imponeretur non en ad significandos hominem, & equum secundum suas proprias rationes, ut proportionabiliter se habentes; verè esset analogum proportionalitatis propriæ, sicut nomen *animalis* est illis univocum; & idem esset de numeris & aliis quibuscunque; ut ibid. explicuimus.

*Cetera analogorum conditiones, & proprietates ex dictis inferuntur, & explicantur.*

#### S. IV.

38. **E**X prædictis fundamentis facile deducuntur, & explicantur cetera, quæ de analogis solent disputari: & idè illa hic breviter perstringemus. Videri tamen potest Caiet. quia latè, & optimè tractat opusculum, citat. à c. 4. vsque ad finem. ¶ Primò: ergo ex dictis intelligeret, quare in analogia attributionis, & proportionalitatis Metaph. secunda analogata definiuntur per primum; non verò in analogia proportionalitatis propriæ, quæ est doctrina D. Th. de veritate q. 2. art. 11. ad 7. & 1. par. q. 3. art. 6. ut ibi explicat Caiet ratio est: quia ad hoc, ut aliquid definatur per aliud, necessarium est, quod in sua essentia dependeat ab illo. In analogis autem proportionalitatis propriæ habitudines, seu proportionales sunt æquales: & ita neutra dependet ab altero: & per consequens res ipsæ, inter quas attenditur proportionalitas, ratione istius analogiæ non dicunt dependentiam. Cuius contrarium contingit in analogia attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ, ut sup. explicatum est.

39. ¶ Secundò plenè percipitur, quare in his duabus analogiis, analogum per se sumptum stat pro famosiori significato, non verò in analogia proportionalitatis propriæ. Ratio enim est; quia hoc analogum non magis significat unum analogatum, quàm aliud, sed æqualiter utrumque cum proportionalitate explicata, & ita absolute prolaturum non magis stat pro uno, quàm pro alio. At verò analogum attributionis & proportionalitatis metaphoricæ non significant æqualiter omnia analogata, sed primum ex propria impositione, primariò & distinctè: reliqua verò secundariò & confusè, & quatenus à primo denominantur; & ita simpliciter prolata stant pro illo.

40. ¶ Tertiò inferitur analogum attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ, formaliter prout sic, non posse esse medium demonstrationis; bene autem

analogum proportionalitatis propriæ. Ratio est: quia cum in prioribus analogiis analogum ex propria impositione, & distinctè tantum significet principale analogatum; alia verò confundat & connotet, ut recipiunt illud, & denominatur ab eo: idè nomen sic analogum, non distribuitur secundum aliquid intrinsecum in omnibus; & per consequens præmissa, in qua predicatur de secundo analogato, semper est contingens quod repugnat demonstrationi. At verò analogum proportionalitatis propriæ æqualiter significat utrumque; & ratio significata intrinsecè reperitur in omnibus: & idè distribuitur secundum aliquid intrinsecum pro omnibus, & præmissa habent sufficientem necessitatem ad demonstrationem.

41. ¶ Quartò inferitur, quomodo analogum distinguitur ab analogatis. Non enim distinguuntur tanquam conceptus aut gradus diversi: sed penes diversum modum concipiendi, & significandi eundem gradum. V. g. *ens*, & *substantia* non distinguuntur sicut duo gradus: sed sicut idem diverso modo significatus, & conceptus. Nomine enim *substantia* significatur ratio substantiæ absolute in se ipsa considerata: nomine verò *entis*, significatur eadem ratio, prout fundat similitudinem cum accidentibus, vel terminat habitudinem eorum.

Hoc autem diverso modo contingit in diversis analogiis. Nam analogum attributionis, aut proportionalitatis metaphoricæ non significat utrumque, analogatum intrinsecè ut ita dicamus & quasi partes principales sui significati: sed primum propriè & distinctè; alia verò quasi de connotato & confusè, in quantum ad primum ordinantur. Unde nomini sic analogo correspondet quidem conceptus, qui in se simpliciter est unus, sed non distinctus à conceptu principalis analogati, nisi penes modum concipiendi, & significandi explicatum: ab aliis tamen analogatis verè, & simpliciter distinguitur, ut ex dictis patet.

At verò analogo proportionalitatis propriæ correspondent tot conceptus obiectivi; quot sunt analogata, cum quadam tamen proportionabilitate inter se quam non dicunt ipsa analogata: ratione cuius nomen sic analogum distinguitur ab eis. V. g. hoc nomen *ens* si sumatur ut est analogum attributionis ad substantiam, & accidens, significat eundem gradum, quem significat hoc nomen, *substantia*, licet cum discrimine explicato, & ex consequenti sicut conceptus accidentis simpliciter est distinctus à conceptu substantiæ: ita etiam à conceptu entis prout est sic analogum. Si verò *ens* sumatur, quatenus est analogum proportionalitatis propriæ: tunc æquè significat substantiam, & accidens, non absolute sumpta, sed ut proportionabiliter se habentia, in quantum scilicet simili modo fundant habitudines, seu proportionales unumquodque ad suum esse. Et in hoc sensu dicitur analogum proportionalitatis propriæ distingui ab analogatis: sicut res ut similis alteri distinguitur à se ipsa absolute concepta, quod est distingui secundum quid.

42. ¶ Quintò inferitur ab analogis non posse abstrahi aliquam rationem, quæ simpliciter sit communis, & præcisa ab eis. Et quidem de analogia attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ satis patet: siquidem ibi idem est conceptus adiectivus analogi, & principalis analogatis ut dictum est. De analogia verò proportionalitatis propriæ etiam constat.

Quia cum hæc attendatur penes rationes proprias analogatorum, & immediatè fundetur in eis: ipsa proportionalis convenientia secum affert, & intimè includit differentiam, seu diversitatem analogatorum: ac proinde repugnat ut simpliciter præscindatur ab eis. Dicitur tamen nomen sic analogum abstrahere ab analogatis, eò modo, quo distinguitur ab eis: quatenus

tenus scilicet res ut sic habens ad aliam, abstrahit à se ipsa absolute sumpta, quod est abstrahere secundum quid de quo redibit sermo infra citata cap. 4. cum de conceptu communi entis disputemus.

Hoc autem sufficit, analogum proportionalitatis sic superius analogatis, & prædicetur formaliter de eis, sufficienterque distribuat. Quæ omnia, & alia his similia, quæ in vniuocis simpliciter reperiuntur, verificantur in his analogis, tantum secundum quid Videatur Caiet. loco citato, c. 4. & 5.

43. ¶ Sextò tandem inferitur analogia attributionis, proportionalitatis metaphoricæ causari per dependentiam: siquidem in eis secunda analogata suscipiunt denominationem per habitudinem ad primum, à quo secundum illud nomen omnino dependent; analogiam verò proportionalitatis propriæ formaliter pro ut sic, non causari per dependentiam: siquidem proportionibus, quas importat, sunt inter se omnino æquales; ac proinde adinuicem independentes. Quamuis enim analogata secundum suas proprias rationes possint aliunde habere aliquam subordinationem, & dependentiam: hæc tamen non attenditur in hac analogia, sed potius æqualitas proportionum, ut supra explicatum est.

Contra dicta de analogia proportionalitatis propriæ est vulgare argumentum: quod quamuis ex dictis facile solui posset, ad plenioram tamen dictorum notitiam breuiter proponendum est. Quia si ad propriam proportionalitatem non sufficeret quæcumque habitudo proportionum, sed requireretur propria æqualitas earum ita ut proportionibus essent eiusdem speciei, iam analogia proportionalitatis propriæ verè esset vniuoca: consequens est falsum: ergo, &c.

Probat sequela, quia à duabus proportionibus eiusdem speciei abstrahibilis est ratio proportionis, quæ sit illis vniuoca: ergo si ens significat æqualitatem istam proportionum verè significabit rationem vniuocam inferioribus.

44. Respondetur tamen, quod aliud est loqui de fundamento relationis & aliud de ipsa relatione. Potest enim contingere aliquas relationes vniuocè conuenire in ratione relationis: cum tamen earum fundamenta sint primò diuersa, ut patet ex Arist. c. 7. huius libri, ut relationem eiusdem generis assignat pro fundamentis diuersa prædicamenta. Quare, licet nomen significans ipsas relationes possit esse vniuocum: non ideo erit vniuocum nomen significans earum fundamenta. Et sic contingit in præsentis. Nam analogum proportionalitatis propriæ, ut *ens*, aut *bonum*, non significat gradum ipsum relationis, in quo conueniunt duæ proportionibus: (hunc enim significat nomen istud, *proportio*, quod verè est vniuocum; neque similiter significat ipsam æqualitatem proportionum:) hanc enim significat nomen istud, *proportionalitas*, quod etiam est vniuocum (sed significat res fundantes tales proportionibus, & proportionalitatem. Quæ, quia non attenduntur penes gradum communem, sed penes propriam vniuocitatisque differentiam: idè ab illis rebus non potest abstrahi ratio aliqua vniuoca, bene tamen ab ipsis relationibus.



## C A P V T II.

De Complexis & Incomplexis.

### S V M M A T E X T V S.

1. **D** V A S diuisiones, & vnam definitionem continet hoc caput. ¶ Prima diuisione est eorum, quæ dicuntur, alia cum complexione dicuntur, ut *homo currit*, alia sine complexione, ut *homo*. ¶ Secunda, eorum quæ sunt quædam de subiecto dicuntur, in subiecto tamen non sunt, ut substantiæ vniuersales: quædam in subiecto sunt, de subiecto autem non dicuntur, ut accidentia singularia: quædam in subiecto sunt, de & subiecto dicuntur, ut accidentia vniuersalia: quædam verò neque in subiecto sunt neque de subiecto dicuntur, ut substantiæ singulares. ¶ Tandem definitio, quod est esse in subiecto dicens: *In subiecto autem esse dico, quod cunctis in aliquo, non sicut pars. impossibile est esse sine eo in quo est.*

### N O T A T I O N E S E T D V B I A circa hoc caput.

2. **P** R I M O notandum est primam diuisionem huius capitis correspondere illi qua libro Secundo. Summularum diuisimus terminum incomplexum, & incomplexum cum hoc tamen discrimine, quod illa principaliter datur de vocibus, quarum notitiam tractatus Summularum sibi vendicauit, hæc verò præcipue est de rebus: quia res sunt, quæ collocantur in prædicamentis, in ordine ad quæ agit hic Arist. de complexis & incomplexis, ut illa reiciat, ista verò admittat. Et sic sensus diuisionis est: rerum, quæ per voces significantur, aliæ sunt incomplexæ, quæ scilicet pluribus conceptibus concipiuntur, correspondentibus pluribus vocibus, per quas significantur; & aliæ incomplexæ, quæ scilicet vni conceptu concipiuntur, correspondenti vni voci, per quam significantur: quæ pro ut sic simpliciter dicuntur vni, aliæ verò tantum secundum quid. Et ita diuisione est analogia.

3. Secundo pro explicatione secundæ diuisionis, nota ex Caietano quatuor esse rationes, duas reales, & duas rationis, quarum aliquas necessariò debet habere quicquid in recta linea prædicamenti collocatur: scilicet *substantialitas*, & *accidentalitas*; *uniuersalitas*, & *particularitas*. Ad primam sequitur *non esse in subiecto*: ad secundam *esse in subiecto*. (Intelligitur de subiecto in hætionis, cum sint rationes reales.) Ad tertiam sequitur *de subiecto*: (de subiecto scilicet prædicationis, cum sint rationes rationis.) Combinatis ergo inter se singulis rationibus realibus, cum singulis rationibus rationis, formantur quatuor membra diuidentia huius diuisionis quæ consequenter faciunt hunc sensum: quæcumque res in prædicamento collocantur, vel sunt substantiæ vniuersales vel substantiæ particulares, vel accidentia vniuersalia, vel accidentia particularia. Vnde hæc propriè non est vna diuisione, ut bene notat Tolens: sed quædam entium enumeratio, in qua plures diuisiones inuoluuntur.

Continetur enim ibi diuisione entis in substantiam, & accidens, de qua infra agendum est, & diuisione substantiæ



stantiæ in vniuersalem, & particularem; & similiter diuisio accidentis in vniuersalem, & particularem: quæ duæ sunt diuisiones subiecti in accidentia quædam rationis. Et tandem continentur diuisio vniuersalis in substantiam, & accidens, & diuisio particularis in substantiam, & accidens: quæ sunt diuisiones accidentis in subiecta.

4. Tertio circa definitionem notandum est, quod octo modis dicitur aliquid esse in alio; quos ex Arist. lib. 4. Physicorum colligit hîc Boëtius. Primo ut *pars in toto*, sicut manus in corpore. Secundo ut *totum in parte*, sicut dicimus perfectionem totius esse in partibus. Tertio ut *species in genere*. Quarto ut *genus in speciebus*. Qui duo modi ad priores reducuntur: quia species est pars subiectiua generis. Quinto ut *forma in materia*, sicut anima in corpore. Sexto ut *in mouente, seu efficiente*, sicut subditi sunt in manu Regis. Septimo ut *in fine*, sicut avarus in diuitiis. Octauo sicut *locatum in loco*, ut aqua in vase. Quibus non addidit Aristotel. esse *in tempore*: quia statim de illo erat acturus. Præter hos autem datur modus essendi in *subiecto*: quem Aristot. ut ab omnibus aliis distinguat, in præsentia definit, sicut vidimus in textu.

5. Hoc supposito, sic explicat definitionem Caiet. ut prima particula habeat vicem generis; secunda verò, & tertia locum differentie. Et ita in prima conuenit accidens cum aliis modis essendi in alio; per secundam verò distinguitur à quatuor prioribus, intelligendo per illam, tam quod non est sicut pars, quàm quod non est sicut in parte: per tertiam verò distinguitur à quatuor modis posterioribus, in quibus res, quæ est in alio, potest esse sine illo.

Meliùs tamen explicabitur definitio, dicendo illam particulam, *in alio*, si simpliciter intelligatur, sufficienter distinguere accidens à substantia, & ideo habere vicem differentie; ly verò, *quod non est*, seu *ens*, vicem generis: ac proinde integram definitionem accidentis contineri in illis primis verbis, *quod est in alio*, id est, *ens in alio*: alias verò particulas addidisse Aristot. maioris claritatis gratia. Ly ergo *in alio*, quod habet vicem differentie, simpliciter intellectum duo importat. Primum est, ut illud, in quo accidens est, sit omnino aliud, ita ut neque sit de eius essentia, neque cum eo componat vnâ essentiam: per quod distinguitur accidens à quinque prioribus modis essendi in alio. Ad quod magis explicandum addidit Aristotel. illam particulam, & *non sicut pars*. Secundum est quod de accidentis essentia sit esse in alio, ita ut verè illi inhæreat, & absque eo iuxta exigentiam suæ naturæ non possit existere: per quod accidens distinguitur ab aliis modis essendi in alio. Ad quod magis explicandum addidit Arist. vltimam particulam.

6. Modo DVBITATUR: an definitio Aristot. sit sufficiens, propter hæc argumenta. ¶ Primo: quia dicta definitio conuenit formis brutorum. Nam anima equi est in materia, non tanquam pars eius, & impossibile est ab ea separari, saltem naturaliter. ¶ Secundo: quia corpus est in loco, & in tempore, & non tanquam pars illorum, ut de se patet, impossibileque est ab eis separari: siquidem non datur corpus sine loco, aut tempore: ergo, &c.

¶ Tertio: quia odor pomi est in subiecto, & tamen separatur ab illo, quando de pomo transit ad

manum: ergo definitio non conuenit omni contento sub definito.

Respondetur tamen definitionem esse sufficientem, ut patet ex dictis.

¶ Et ita ad primum argumentum dicimus, formam non esse in alio, propriè loquendo. Tum quia ly, *aliud*, ut diximus, significat, quod est omnino aliud, ita ut neque sit de eius essentia, neque pertineat ad eandem essentiam, quod non habet forma respectu materiæ, ut patet. Tum etiam quia, ut bene Commentator ait, Aristotel. utitur sermone famoso, appellans absolute *aliquid*, quod est simpliciter aliquid: at materia prima neque est quid, neque quantum, &c. ¶ Ad secundum responderetur ly, *in alio* importare veram inhæssionem: quia significat, de essentia illius esse, in alio existere: quod tamen non habet corpus respectu loci, & temporis; siquidem ab eis extrinsecè mensuratur. ¶ Ad tertium responderetur odorem non separari, à pomo: (non enim accidens transit de subiecto in subiectum, &c.) sed exhalari subtiliores partes substantiæ in quibus odor defertur. Cuius signum est, quod pomum marcescit manibus attritum.



## C A P V T III.

### De Regulis.

#### S V M M A T E X T V S.

**D**E V A s regulas prædicamentis deservientes continet caput istud. Prima est: *Quando aliquid predicatur de aliquo ut subiecto, quidquid predicatur de prædicato, dicitur etiam de subiecto*. Ut si de Petro prædicatur homo, & de homine prædicatur animal, viuens, &c. etiam prædicabuntur de Petro. Secunda circumfertur communiter sic, iuxta translationem Boëtij: *Diuersorum generum & non subalter-natim positorum, diuersa sunt specie differentie; sub-alternorum verò generum nihil prohibet easdem differentias esse*.

#### N O T A T I O N E S E T D V B I A circa hoc caput.

1. **D**Vo prædicatorum genera collocati in prædicamento diximus supra disput. 6. num. 41. alia in relicta linea, scilicet genera, & species; & alia ad latus, scilicet differentias. His ergo duobus generibus prædicatorum cognoscendis deserviunt duæ istæ regulæ. Et propterea, ut ex Boëtio, Ammonio, & Simplicio notant Caiet. Sor. Toler. & alij, prima solum statuitur ab Arist. pro prædicationibus essentialibus generis, & speciei: hæc enim tantum ponuntur in recta linea. Quod innuit Aristot. illis verbis: *Quando aliquid predicatur de aliquo, ut de subiecto, &c.* id est, ut de substantia, si in eo quod quid: quod solum conuenit generi & speciei. Et ita sensus regulæ est. Quando aliquid predicatur quidditatiuè de aliquo subiecto, quidquid predicatur quidditatiuè

quidditatiuè de prædicato, prædicatur enim quidditatiuè de subiecto.

Alij extendunt hanc regulam, tum ad prædicationes quinque prædicabilium; tum ad alias quascumque, dummodo seruetur eadem suppositio: defectu cuius non valet: *homo est animal: animal est genus: ergo homo est genus*: quæ quidem extensiones veræ sunt, sed non intentæ ab Arist. qui in præsentia agit de hac regula, præcisè ut est ante prædicamentum. Iuxta alias autem extensiones continet principia syllogistica, scilicet *dicti omni*, & *dicti de nullo*: quæ non sunt antepredicamenta, sed priora analytica.

Ex hac regula elicitur modus arguendi, quem Cicero acerbaiem, Græc. *οσπρὸν Σορίτην*, nostri verò vocant de primo ad vltimum. Quia si homo est animal; & animal viuens; & viuens substantia, de primo ad vltimum homo est substantia.

3. Circa secundam regulam notant bene Caiet. & Toler. in aliquibus Codicibus corruptè legi: *diuersa sunt species, & differentia*: debet enim legi: *diuersa sunt species differentia*: quia in Græco legitur in datiuo: *τῶ ειδῶ, το ειδῶ*. Appellat autem differentias specie diuersas: non quia genere conueniant, sed ut differentias materiales excludat, differentias essentielles, seu formales vocauit specie, id est, essentialiter diuersas.

DVBITATVR primò: quomodo sit intelligenda hæc secunda regula. Est autem tota difficultas in explicando, quid intelligatur per genera subalternatim posita: inde enim cognoscemus, quæ sint genera non subalternatim.

In quo certum est illa genera, quorum vnum est sub alio, esse subalternatim posita, ut animal, & viuens. Vnde solum est difficultas: an ea genera, quorum vnum non continetur sub alio, sed ambo sub vno tertio, ut animal, & planta, quæ continentur, sub viuenti, sint subalternatim posita. Id enim affirmant Caiet. Toler. Oñs, & alij contententes Arist. hic, per genera subalternatim posita, intelligere tam illa, quorum vnum continetur sub alio, quàm ea, quæ continentur sub vno tertio: & ita, per genera non subalternatim posita, vtrumque excludere; tantumque intelligere ea genera, quæ continentur sub diuersis prædicamentis.

4. Sed melius cum Soro, & aliis responderetur negatiuè. Non enim duo genera dicuntur inter se subalterna, seu subalternatim posita: si vnum non continetur sub alio: etiam si ambo contineantur sub vno tertio. Sicut Astrologia, & Perspectiua non sunt inter se scientiæ subalterne: etiam si vtrique vni Geometriæ subalternetur. Hanc autem fuisse mentem Aristot. patet tum ex translatione Perioni, & Argyropili, qui ita vertunt: *Quando genera diuersa sunt, neque vnum ab alio continetur: eorum etiam differentia specie differunt. Eorum autem generum, quorum vnum sub altero continetur, nihil prohibet easdem differentias esse*: tum etiam in textu Græco: nam vox *ἡ ἀλλήλα*, *hypallila*, ab Arist. posita significat ea, quorum vnum continetur sub alio, ut notat Budzus in suis Commentariis. Et ita sensus regulæ est.

Quando duo genera ita sunt diuersa, ut vnum non continetur sub alio; siue quia sunt in diuersis prædicamentis, ut animal, & scientia; siue quia inter se condistinguuntur, & opponuntur sub aliquo tertio, ut animal, & planta; necesse est,

ut habeant differentias essentielles, tam diuersas, quàm constitutivas formaliter diuersas. Genera enim primò diuersa, vel opposita, prout sic, nec possunt constitui per eandem differentiam, neque diuidi in eadem membra, ut postea dicemus. Quando verò vnum genus continetur sub alio, possunt quidem habere eas differentias, ut iam explicabimus.

5. DVBITATVR secundò vtrum vera sit hæc regula, ut nobis explicata est. ¶ Non dubitamus de veritate istius regulæ iuxta expositionem adductam Caiet. & aliorum, qui per genera non subalternatim posita, solum intelligunt genera diuersorum prædicamentorum: sic enim satis constat esse verissimam. Nam si genera suprema sunt diuersa: quæcumque sub illis continentur, erunt à fortiori diuersa; & consequenter repugnabit eisdem differentias essentielles in duobus prædicamentis collocari, ut patet in exemplo Aristot. animal enim, & scientia, neque possunt eisdem differentiis diuidi, neque eadem differentia constitui.

Quare si quando in diuersis prædicamentis eadem nomina pro differentiis ponuntur: id fit, vel quia sunt differentia accidentales, ut quando substantia diuiditur in vniuersalem, & particularem; & item quantitas, aut qualitas in vniuersalem, & particularem: vel quia ignoramus proprias differentias, & loco earum substituimus alias, ut quando qualitas diuiditur in naturalem, & supernaturalem, & similiter actio, aut vbi. Vel tandem id contingit: quia talia nomina in rei veritate sunt æquiuoca, & consequenter non significant vnā rationem, sed plures. Quod notauit expressè Arist. Topic. cap. 13. adducens pro exemplo, *ly, acutum*, quod invenitur in quantitativis, & qualitativis: dicimus enim angulum acutum & vocem acutam. Redditque pro ratione regulam statutam dicens: *Vox enim à voce differt, quòd acuta; item magnitudo à magnitudine. Ita fit, ut acuti-vocabulum sit in homonymis: diuersorum enim generum, quorum vnum ab alio continetur, diuersa sunt differentia*. Per quod faciliè soluantur plures instantiæ, quæ contra hanc regulam afferri solent.

Hoc supposito tota difficultas est: an prædicta regula sit etiam vniuersaliter vera, iuxta nostram expositionem. Ita quòd quæcumque genera, intra idem prædicamentum inter se condistincta, & opposita, ut planta, & animal, debeant necessariò habere diuersas differentias, tam diuisiuas, quàm constitutivas. ¶ Circa quod Alexand. Boët. & Simpl. quos citat, & sequitur Oñs in Annotationibus huius Cap. negant, dictam regulam iuxta expositionem nostram esse vniuersaliter veram, asserentes bene posse duo genera, quorum vnum sub alio non continetur, habere eandem differentias: dummodò contineatur sub vno tertio, & consequenter sint intra idem prædicamentum.

7. Probat Oñs suam sententiam aliquibus instantiis.

Primò: quia animal gressibile, & volatile sunt genera, quorum vnum non continetur sub alio, sed ambo sub vno tertio; & tamen habent easdem differentias diuisiuas, scilicet *bipes*, & *quadrupes*.

Secundò: quia quantitas diuiditur in continuam, & discretam; & vnaquæque in successiuam, & permanentem; vel si prius fiat diuisio quantitatis in successiuam, & permanentem; postea vnaquæque

quæque debet diuidi in continuam, & discretam: ergo. &c.

Tertio idem dicitur in *potentia*, quæ potest diuidi in cognoscitiuam, & appetitiuam; & deinde vnaquæque in spiritualem, & corporalem, vel è contra: & in *propositiones*, quæ diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam, & vnaquæque in veram & falsam.

Tandem de differentiis constitutiuis potest sic probari: quia homo, & Angelus sunt inter se ita diuersi, vt vnus non contineatur sub alio, & tamen eadem differentia, nempe *rationale*, est constitutiva vtriusque: ergo genera, quæ continentur sub vno tertio, etiam si vnum non contineatur sub alio; possunt habere easdem differentias, tam constitutiuas, quam diuisiones.

8 Nihilominus dicendum est primò genera, quorum vnum non continetur sub alio, sed ambo sub vno tertio necessariò habere diuersas differentias constitutiuas sibi proprias. Hæc conclusio est euidentis, breuiterque probatur: quia illa duo genera, quæ in aliquo tertio conueniunt, vt animal & planta, sunt inter se diuersa, & opposita, vt supponimus: ergo per aliquid distinguuntur, & opponuntur. Non per gradum genericum, in quo conueniunt: ergo per propriam vniuscuiusque differentiam.

9. Dicendum est secundò, genera quorum vnum continetur sub alio, sed ambo sub vno tertio, non posse habere easdem differentias diuisiones: sed vnumquodque necessariò habere differentias diuisiones diuersas à differentiis diuisionis alterius. Et loquimur de differentiis essentialibus: nam de accidentalibus id non repugnat. Hæc conclusio, & regula in hoc sensu nobis ita certa est, sicut iuxta Caiet. expositionem certum est genera diuersorum prædicamentorum non posse habere easdem differentias diuisiones: nam eadem est vtrouque ratio. Quare sic primò probatur conclusio. Diuersa genera quorum vnum non est sub alio, sunt diuersæ potentie Metaphysicæ essentialiter distinctæ: ergo correspondent illis actus essentialiter diuersi. Sed differentiæ diuisionis sunt actus generis, quatenus est potentia Metaph. ergo generibus essentialiter diuersis, correspondent differentiæ diuisionis essentialiter diuersæ.

Confirmatur: quia genus, & differentiæ diuisionis eius, assimilantur materie primæ, & formis substantialibus: sed in sententia Thomistarum constituyente materias primas essentialiter diuersas, scilicet materiam cælorum, & sublanarium, vniuique materie correspondent diuersæ formæ: neque fieri potest, vt eadem forma informet vtramque: ergo pari ratione generibus essentialiter diuersis, vt animali, & planta debent correspondere differentiæ diuisionis essentialiter diuersæ.

Secundò probatur: quia eadem species non potest esse sub diuersis generibus quorum vnum non sit sub alio, verbi gratia, sub *animali*, & *planta*: ergo diuersa genera, quorum vnum non est sub alio, non possunt habere easdem differentias.

Consequentia est euidentis: quia sicut differentia constituit speciem, ita vna, & eadem differentia, vbi cumque sit, constituit vnam, & eandem speciem; aliàs differentias non conuerteretur cum specie, rollereturque præcipuus arguendi locus, à differentia ad speciem. Antecedens verò ex Arist. 4. Topicor. cap. 2. affertur: *Cum enim species vna duobus generibus subiecta est: tunc alterum ab altero continetur*. Maneat ergo genera diuersa, quorum vnum non est sub alio, non posse habere easdem differentias.

10. Ad argumenta responderetur.

Ad primū, quod *bipes*, & *quadrupes* sunt differentiæ

materiales, non verò essentielles: & ita nihil sequitur.

Ad secundum, non omnes illas diuisiones esse essentielles. Quando enim aliquod diuisum adæquatè diuiditur duplici diuisione, altera necessariò est accidentalis: quia idem genus non potest bis diuidi in species. Et hoc contingit in præsentī: nam quantitas adæquatè diuiditur in continuam, & discretam; & similiter in successiuam, & permanentem. Prima ergo diuisio est essentialis, secunda verò accidentalis. De quo infra cap. de Quantitate.

Per quod patet ad tertium. Diuisio enim potentie in cognoscitiuam, & appetitiuam est essentialis: quia sumitur ex obiecto, à quo potentie specificantur. Alia verò in spiritualem, & corpoream sumitur ex obiecto materiali; & ita est accidentalis. Idem etiam contingit in diuisionibus propositionis, vt explicuimus lib. 1. Summularum, cap. 3.

Ad vltimum responderetur, quod *rationale*, vt est differentia hominis, importat cognitionem discursiuam, & mediis phantasmatibus: & ita prout sic non conuenit Angelo. Ablatis tamen imperfectionibus, solet tribui Angelis, vt docet Diuus Thomas secunda secundæ, quæst. 83. art. 10. ad 2. sed tunc non est differentia hominis, vt de se patet.

11. Tandem circa 2. partem huius regulæ obseruandum est, quòd licet genera, quorum vnum est sub alio, habeant quodammodo easdem differentias; tam diuisiones, quam constitutiuas: quas differentia constitutiva superioris, est etiam inadæquatè, & remotè constitutiva inferioris differentie diuisionis inferioris, sunt etiam inadæquatè, & remotè diuisionis superioris: per hoc tamen non excluditur, quod ista genera habeant proprias differentias, per quas proximè, & adæquatè constituantur; diuidantur, vt consideranti patebit, exceptis tamen generalissimis, quæ licet habeant proprias differentias diuisiones, non tamen habeant constitutiuas, vt in infra videbimus.



## C A P V T I V.

*De diuisione entis in decem prædicamenta.*

### S V M M A T E X T V S.



**V** N I C A M diuisionem, & vnicam membrorum diuidentium proprietatem continet hoc caput. Diuisio est entis per se in decem prædicamenta. Quam tradit Arist. diuidendo nomina incomplexa: nam vel significant substantiam, vt homo; aut quantitatem, vt bicubitum: aut qualitatem, vt album: aut ad aliquid, vt duplum: aut vbi, vt in foro: aut quando, vt heri: aut situm, vt iacere: aut habitum, vt armatum esse: aut actionem, vt secare: aut passionem, vt secari. Sunt ergo prædicamenta, nempe substantia, quantitas, qualitas, relatio, vbi, quando situs, habitus, actio, & passio. Proprietas autem omnium est, vt secundum se sumpta, cum nulla affirmatione, aut negatione dicantur. Quod probat: quia omnis affirmatio est vera, vel falsa: incomplexa autem qualia sunt prædicamenta, non dicunt verum, vel falsum.

**N O T A T I O**

NOTATIONES CIRCA  
hoc Caput.

**P**raesens diuifio est subdivifio primæ, quam cap. 2. statuti Aristot. & ita in eodem sensu intelligenda est. Non enim agit hic præcipue de vocibus, sed de rebus, quæ per voces significantur. Et ita sensus est. Res per voces incomplexas significata, vel est substantia, vel quantitas, &c.

Circa secundam partem capitis dubitant Oña, Conimbricenses, Mas. & alij: quomodo Aristot. probet prædicamenta esse incomplexa, ex eo quod non dicant affirmationem, vel negationem: propter Sotum sic Arist. interpretantem. Videtur enim ratio inefficax, cum sint aliqua incomplexa, quæ non habent affirmationem, vel negationem, vt *homo albus*. ¶ Et respondet, Arist. tantum velle distribuere librum istum, à libris Perihier. vbi agitur de propositione: ad quod efficax est ratio inducta.

Sed (pace horum Doctorum dictum sit) non bene dubitant, & planè falluntur circa intentum, & processum Arist. Non enim ipse probat prædicamenta esse incomplexa ex eo, quod non dicant affirmationem vel negationem: nam talis consequentia indigna est Aristot. sed potius e contra probat, prædicamenta secundum se non dicere affirmationem, vel negationem, ex eo quod sint incomplexa. Assignata enim proprietate, quod scilicet non dicant affirmationem, vel negationem id probat: quia non dicunt veritatem vel falsitatem; quod tandem probat, quia sunt incomplexa, vt patet in littera: quæ consequentiæ efficaces, & evidentes sunt. Reliqua quæ hic notari solent sequenti disputatione explicabuntur.



DISPUTATIO XI.

De diuisione Entis in sua inferiora.



**Q**UAMVIS res hæc sit propria Metaphisicæ, ad quam pertinet rationem entis, & habitudines eius speculari: est tamen ad prædicamentorum notitiam omnino necessaria neque aderit alibi opportunior occasio ista explicandi. Et idè, quæ de materia diffusè à Doctoribus in præsentì pertractantur, sequentibus difficultatibus complectemur.

QVÆSTIO I.

UTRUM ENS SIT PURE ESSENTIALIS  
hocum respectu suorum inferiorum.

**L**oquimur in præsentì de ente in sua latissima significatione, prout se extendit ad omnia. Cuius plures solent assignari diuisiones adæquatæ. Diuiditur enim *Primò*, in ens per se, & per accidens. *Secundò*, in ens reale, & rationis. *Tertiò*, in Deum, & creaturas. *Quartò*, in substantiam, & accidens. *Quintò*, in ens absolutum, & relatiuum. *Sextò*, in ens completum, & incompletum. *Septimò*, in decem prædicamenta. *Octauò*, in actum, & potentiam: & sic de alijs diuisionibus. Quarum aliquas tradit Aristot. 5. Metaph. text. 13. lib. 6. text. 4. lib. 6. text. 21. & alibi sæpè: & ferè omnes habentur apud Diu. Thom. vt videri potest in Colleg. Compl. Logica.

tabula aurea verbo *Entis*.

**4** Vt autem eas, vtcumque ordinemus (exactè enim discussio plura petit à præsentì instituto aliena) aduertendum est id quod suprà circa caput 3. num. 10. dicebamus: nullum scilicet esse inconueniens, quod aliquid diuidatur pluribus diuisionibus adæquatæ, dum tamen non omnes sint essentielles: nam in his, si omnes sunt essentielles, necessariò debet esse subordinatio, ita vt vna sit subdivifio alterius.

Igitur ex his diuisionibus, *Prima* communiter omittitur in præsentì. Quia cum ens per se sit illud quod simpliciter est vnum; ens verò per accidens, quod aggregatione tantum est vnum: talis diuifio magis attenditur ex parte vnitatis, quæ est passio entis, quàm ex parte ipsius entis. Similiter *quarta*, & *septima*, non sunt duæ diuisiones, sed vna, & eadem, vt ex D. Thom. ostendemus infrà nu. 58.

Præterea in *quinta* diuisione vtræque differentia non est positiua, & consequenter, neque propriè essentialis. Ly enim *absolutum* formaliter non dicit aliquem gradum positium, in quo conueniant substantia, quantitas, & reliqua accidentia absolute, sed solum negationem relationis, quæ consequitur ad talia prædicamenta, & fundatur in propria ratione vniuscuiusque. Quod si ly *absolutum* sumatur non formaliter pro negatione, sed materialiter pro fundamentis illius: iam hæc diuifio erit eadem cum *septima*, qua ens diuiditur in decem prædicamenta.

*Sexta* etiam diuifio verè non est essentialis: nam eius membra diuidentia, formaliter prout sic, non dicunt perfectiones oppositas; sed solum exprimunt maiorem, & minorem perfectionem: quibus proindè non repugnat inueniri intra eandem speciem, vt patet in natura humana, intra quam inueniuntur *completum* & *incompletum*, nempe compositum, & partes eius. Quod planè indicat diuisionem non esse essentialem: à simili constat de *masculino* & *fæminino*, quas non esse differentias essentielles optime colligimus ex eo, quod inueniuntur intra eandem speciem.

**5** Denique *octaua* diuifio entis per actum, & potentiam tripliciter potest intelligi. Primò: ita vt sit diuifio totius in partes, ex quibus componitur: quomodo accipiunt illam Aristot. 1. Physicor. text. 73. & D. Thom. 41. cap. 3. Sic autem est diuifio actualis: neque pertinet ad præsentem considerationem, vbi diuisiones potentiales entis inquirimus. ¶ Secundò, ita vt sit diuifio eiusdem entis quasi in diuersos status, perfectum scilicet, & imperfectum: sicut frumentum dicitur in potentia, quando est in herba; & in actu, quando est perfectum. Sicque accipit illam frequenter Aristot. vt patet. 3. Metaph. text. 13. lib. 3. Physic. text. 3. & alibi sæpè. ¶ Tertiò, tandem potest generalius intelligi, vt comprehendit quidquid habet qualemcumque rationem actus, & potentie siue sint tota siue partes, siue essentialiter diuersa siue tantum penes statum perfectum, & imperfectum. Quomodo eam videntur accepisse Aristot. & D. Tho. 11. Metaph. lect. 9. Et his duobus modis intellecta diuifio, habet quidem modum diuisionis essentialis: sed formaliter vt traditur per hæc membra non est talis, sicut diximus de diuisione præcedenti. Erratio est eadem: quia vtrumque membrum huius diuisionis sic explicatæ potest inueniri intra eandem speciem: ergo ex se non causant distinctionem essentialem. Qua etiam ratione de Thom. loco citato ex 3. Physic. dixit, quod diuifio ente per actum, & potentiam non distinguit genera entium: quia actus & potentia inueniuntur in quolibet genere.

Q His

His ergo diuisionibus omiſſis tres alias ſic poſſumus ordinare, vt primò deriuatur in ens reale, & rationis: deinde ens reale in Deum, & creaturas: & tertio ens creatum in ſubſtantiam, & accidens, ſeu in decem prædicamenta. Quæ omnes verè ſunt diuisiones effeſſentiales, ſignificantque perfectiones poſitiuas, vt conſideranti patebit. Et ideo de illis deinceps agemus. Nunc autem inquirimus, an earum diuiſum ſit purè æquiuocum reſpectu membrorum diuidendum,

6 Ens eſſe purè æquiuocum ad ens reale, & rationis docent aliqui ex Thomiſtis, Soncinas Quarto metaph. quæſt. quinta & libro decimo quæſtione prima, label. libro primo quæſtione prima Bannez prima p. quæſtione vigesima octaua articulo primo alij. ¶ Probat hanc ſententiam Soncinas primò: quia ens rationis, & ens reale nullam habent ſimilitudinem: ergo ens dictum de vtroque nihil importat illis commune præter nomen. Conſequentia patet, & probatur antecedens: quia magis diſtant ens reale, & rationis, quàm ens finitum, & infinitum: ſed inter hæc nulla eſt ſimilitudo: ergo neque inter illa. Probat minor quia maior diſtantia minuit ſimilitudinem: ergo diſtantia infinita illam omnino tollit. Sed inter ens finitum, & infinitum eſt diſtantia infinita: ergo, &c.

Secundò: quia talis eſt diuiſio entis in reale, & rationis, qualis diuiſio hominis in viuum, & mortuum: ſed hæc eſt purè æquiuoca: ergo & illa: probatur minor, quia ita ſe habet homo deficiente vita ſicut oculus deficiente viſu: ſed oculus, deficiente viſu, æquiuocè dicitur oculus, ex Ariſtot. ſecundo de anima text. nono ergo etiam homo deficiente vita, æquiuocè dicitur homo.

7 Præterea ens eſſe purè æquiuocum reſpectu Dei, & creaturarum, docuit Rabi Moyſes, vt refert D. Thom. quæſtione ſeptima de potentia articulo ſeptimo Tribuiturque Aureolus in prima diſtinct. ſecunda quæſtione prima Sed neque id illa aſſeruit, neque in tali ſenſu impugnat cum Capreolus ibidem articulo vt falſo aliqui exiſtimant. ¶ Poſſe tamen probari hæc ſententia. Primò: quia æterno, & temporali nihil eſt commune præter nomen, ex Ariſtotele decimo Metaph. capite vltimo: ſed Deus eſt æternus, creatura autem temporalis: ergo eis nihil eſt commune niſi nomen: Hoc autem eſt proprium purè æquiuocorum, ergo, &c.

Secundò, vbiſcumque eſt aliqua ſimilitudo, poſſe eſſe comparatio: ſed inter Deum, & creaturas nulla poſſe eſſe comparatio: ergo neque aliqua ſimilitudo: & ex conſequenti æquiuocè conueniunt. Maior & conſequentia conſtant. Minor verò probatur: quia vbiſcumque eſt aliqua comparatio, oportet eſſe aliquam formam quæ participetur à pluribus: vel æqualiter vel ſecundum magis, & minus: ſed nulla talis forma poſſe eſſe in Deo, & creaturis, cum Deus ſit ſimpliciſſimus: ergo nulla poſſe ibi eſſe comparatio. Alia argumenta pro hac parte adducit Diuus Thomas quæſtione citata de potentia, & quæſtione ſecunda de veritate articulo 11.

8 Tandem, quod ens ſi purè æquiuocum ad ſubſtantiam, & accidens, ſeu ad decem prædicamenta, docuerunt plures antiqui, quos refert Maſ. hic capite ſexto ſeſtione prima quæſtione prima. Quibus facere videtur Porphyrius capite de

ſpecie, dum ex Ariſtot. ait: *Si enim omnia quis entia vocauerit, æquiuocè, & non vniuocè vocauerit.* Et probatur primò, quia magis differunt ſubſtantia, & accidens quàm canis latrabilis, & marinus: ſiquidem hæc continentur ſub eodem prædicamento; non autem illa: ſed nomen *canis* reſpectu horum eſt purè æquiuocum: ergo etiam nomen *ens* reſpectu illorum.

Secundò: quia ens immediate ſignificat omnia prædicamenta: ergo eſt purè æquiuocum reſpectu illorum. Antecedens conſtat inſrà. Conſequentia verò probatur quia ideo canis eſt purè æquiuocum reſpectu latrabilis, & marini: quia immediate ſignificat illos.

9 Nihilominus dicendum eſt ens non eſſe purè æquiuocum reſpectu entis realis, & rationis, neque reſpectu Dei, & creaturarum: neque reſpectu ſubſtantie, & accidentis. Primam partem conſiſionis docuit Ariſtoteleſis quarto Metaphoricæ capite ſecundo, vbi inter entia, de quibus ait ens analogicè, & non æquiuocè prædicari, enumerat priuationes, & negationes. Idem docet Diuus Thomas ibidem, & quæſtione ſecunda de veritate articulo vndecimo ad quintum Caietanus de nominum analogia capite octauo & alij plures, quos refert, & ſequitur Maſ. loco citato. ¶ Breuiterque probatur: quia ens rationis ſit, & cognoscitur ad modum entis realis: & quidquid de entibus rationis docent Metaphyſici, & logici explicant per ſimilitudinem, & proportionem ad entia realia: ergo ens non dicitur de illis purè æquiuocè.

Secundam partem conſiſionis docet Diu. Thom. prima parte quæſtione vndecima tertia art. quinta lib. contra gentes cap. 34. & alibi ſæpè: eſtque communis inter doctores. Et probatur ratione ſuprà ex Ariſtot. 11. Metaph. capite 3. quia ſi ens eſſet purè æquiuocum reſpectu Dei & creaturarum, non poſſet cadere ſub vna ſcientia Metaphyſicæ, neque poſſet in illo fieri contradictio, neque eſſe medium demonſtrationis, quæ tamen conſtat eſſe falſa: ergo, &c.

Conſirmatur ratione D. Thom. quia ex cognitione vnus æquiuocati nihil poſſe cognosci alterius: ſed ex cognitione creaturarum deuenimus in cognitionem Dei, iuxta illud Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta conſpiciuntur* ergo ens non eſſe purè æquiuocum reſpectu Dei, & creaturarum.

Tertia etiam pars conſiſionis receptiſſima eſt inter Doctores eam docent Ariſtot. quarto Metaph. capite ſecundo libro ſexto, capite 8. & lib. vndecimo capite tertio & Diuus Thmo. ibidem. Probatque cum eiſdem rationibus, ac præcedentes. Tum etiam quia inter æquiuocata nullus attenditur ordo prioris, & poſterioris ſecundum nomen æquiuocum: ſed inter ſubſtantiam, & accidens in ratione entis reperitur talis ordo, &c. Probat minor: quia accidens definitur per ſubſtantiam, & totum eius eſſe eſt in eſſe ſubſtantie: ergo ex natura ſua præſupponit illam, & dependet ab ea. Plures autem rationes videri poſſunt apud D. Thom. & Auctores citatos.

10 Ad argumenta reſp. Ad 1. primæ ſententie negantur, primum antecedens, & minor ſyllogiſmi ſequentis. Ad cuius probationem dicendum eſt, duplicem eſſe ſimilitudinem, vt ex Ariſtot. ſecundo Topic. tradit. Diu. Tho. qu. ſecunda de veritate articulo vndecimo ad ſecundum. Alia eſt inter res eiſdem generis, quando ſcilicet eadem ratio reperitur in diuerſis. Et hæc quidem minuitur per



per distantiam : ac proinde non stat cum infinita distantia Dei , & creaturarum. Alia est similitudo inter res diuersi generis , quæ attenditur secundum aliquam proportionem , vel proportionalitatem ; vt quando alterum se habet ad alterum , sicut aliud ad aliud , vt ibidem , inquit Arist. Et hæc similitudo non minuitur per maiorem distantiam ; non enim est maior similitudo proportionalis inter duo , & vnum ; & sex , & tria quàm inter duo , & vnum , & centum , & quinquaginta , vt inquit D. Tho. ibidem in solutione ad quartum : ac proinde talis similitudo potest stare cum distantia infinita. Et ratione huius creaturæ dicuntur similes Deo. Licet è contra non dicamus Deum esse similem creaturis : quia vt ex Dionysio notauit D. Thom. in solutione ad primum , res non dicitur similis suæ imagini , sed è contra.

Ad secundum neganda est minor ad cuius probationem respondetur , Arist. sub æquiuocis comprehendisse analogia vt vidimus circa cap. 1. n. 14. Quo etiam sensu locutus est Porphyrius adductus pro tertia sententia , vt patet ex illis verbis : *æquiuocè , & non vniuocè &c.* Vbi à negatione vniuocationis infert æquiuocationem ; quod non rectè fieret , si sub æquiuocis non comprehenderet analogia , vt per se patet.

11. Ad primum secundæ sententiæ respondetur ex D. Thom. de potentia quæst. 7. art. 7. ad 1. Arist. loqui de communitate naturaliter , & non logicè. Quia nimirum corruptibile , & incorruptibile non conueniunt in aliquo Physico , sicut conueniunt corruptibilia , in quibus omnibus materia prima est eiusdem rationis in sententia Aristot. diuersa verò essentialiter à materia cælestium corporum. Non tamen negat conuenientiam Logicam quæ fit in aliqua ratione abstracta per intellectum , quomodo corpora cælestia , & sublunaria conueniunt in gradu corporis & substantiæ. & propterea hæc dicuntur genera Logica , & non Physica : quia non sumuntur à materia eiusdem rationis. Videatur D. Thom. opusc. 42. cap. 7. & 8. Præterquam quod Arist. loco citato in argumento non ait : *æterno , & temporali nihil est commune præter nomen ; sed corruptibile , & incorruptibile differunt genere* : quod de genere Physico , scilicet materia prima , verissimum est , vt nuper dicebamus. Videatur D. Th. in Comment. illius loci.

Ad secundum negatur minor. Ad cuius probationem respondetur ex dictis primæ sententiæ , quod sicut duplex est similitudo ; ita duplex potest fieri comparatio quando ergo comparatio fit inter res eiusdem generis tuoc datur aliqua forma , vt vel gradus , qui participetur ab his inter quæ fit comparatio. Et hæc propriè , & simpliciter dicitur similitudo , & comparatio. De qua loquitur Arist. 7. Physicor. text. 30. negans comparationem inter res diuersi generis. Alia tamen est comparatio secundum quid , quæ sequitur similitudinem proportionalem. Et ad hanc non est necesse , vt aliquid vnum participetur à pluribus ; sed quoddam habeant , aliquam proportionem vel proportionalitatem.

Ad primum tertiæ sententiæ respondetur distinguendo antecedens. Si enim sensus sit quod secundum se magis differunt substantia , & accidens , quàm canis marinus & latrabilis , concedendum est : negandum verò , si sensus sit , magis differre , secundum quod significantur nominibus *entis* , & *canis* : Nam vt rectè notauit D. Thom. qu. 2 de veritate artic. 11. ad 7. potest optimè speciebus vnus generis imponi aliquod nomen absque consideratione alicuius conuenientię , & huiusmodi est nomen *canis* : rebus verò diuersorum generum potuit imponi nomen ex consideratione alicuius proportionis , aut propor-

Colleg. Compl. Logica;

tionalitatis , & huiusmodi est nomen *ens*.

Ad secundum negatur consequentia. Nam ad puram æquiuocationem vltra requiritur , vt nomen significet immediatè plura absque consideratione alicuius conuenientię : quod non contingit in ente.

## Q V E S T I O II.

VTRVM ENS SIT VNIVOCVM RESPECTV  
suorum inferiorum.

13. **E**NS non esse vniuocum respectu entis realis , & rationis respectuissimum est inter doctores : quamuis id negent Bonetus quidam , & pauci alij Scotistæ ; & refert Mas. hic scilicet. 1. qu. 2. Irrationabiliter tamen : nam præterquam quod ens non est vniuocum respectu quorumcumque inferiorum , vt iam ostendemus ; multo minus id potest habere respectu entis realis , & rationis : siquidem hoc est similitudo quædam imperfectissima & umbra entis realis , à quo in suo esse , & cognosci omnino pendet. Quare solum est difficultas de ente respectu Dei , & creaturarum , & respectu substantiæ & accidentis.

Scotus in primo distinct. 3. qu. 1. & 3. & lib. 4. Metaph. qu. 1. quem sequuntur Discipulieius , & Nominales , vt refert Mas. loco citato , docent ens esse vniuocum tam respectu Dei , & creaturarum , quàm respectu substantiæ , & accidentis. Cuius rationes , quia supponunt ens habere vnum conceptum simpliciter præcisum à suis inferioribus , quem nos infra excludemus ; nihil virgent in nostra sententia ; & ideo aliis nunc probanda est dicta opinio. Prius tamen aduertendum duximus id , quod notarunt Ferr. 1. contra gentes cap. 32. & Iabel. 4. Metaphysicæ quæst. 1. forte Scotum in re non discordare à vera sententia : nam quid ipse per vniuocationem intellexerit , explicat dicens : *Ne fiat contentio de nomine vniuocationis , conceptum vniuocum dico , qui ita est vnum , quod eius unitas sufficiat ad contradictionem , & potest esse medium syllogisticum.* Quod quidem nos libenter concedimus ; sed non bene Scotus unitatem istam appellat vniuocationem , cum ad hæc sufficiat analogia , vt sæpè diximus , & patet ex Arist. 4. Metaph. cap. 2. Non lateat nos , alios aliter interpretari Scotum , de quo videri potest Arauxo 4. Metaph. quæst. 3. art. 2. Sed quidquid sit de hoc.

14. Probatum primò hæc sententia : quia mensura , & mensuratum debent esse eiusdem rationis : sed perfectio diuina est mensura omnium creaturarum : ergo sunt eiusdem rationis , & ex consequenti conueniunt vniuocè. Probatum maiot : quia mensura debet esse *homogenea* , seu *cognata* mensurato , vt loquitur Aristot. 10. Metaph. text. 4. Propterea enim quadratura circuli non est scita , quia linea recta , & circularis non habent aliquam mensuram vtrique homogeneam.

Secundò : quia nihil cognoscitur , nisi per speciem eiusdem rationis : sed creaturas cognoscit Deus per suam essentiam : ergo essentia Dei , & creaturæ sunt eiusdem rationis.

Tertiò : quia ens potest esse medium demonstrationis : ergo est vniuocum. Probatum consequentia : quia vnitas analogiæ , præcipuè in sententia negante conceptum communem analogatis , non sufficit , vt distribuat aliquam vnā ratio , quæ vniatur cum extremis in præmissis ; siquidem non datur talis vnā ratio , aut conceptus communis analogatis.

15. Prima conclusio. Ens non est vniuocum respectu Dei & creaturarum. Et idem est de quocumque alio nomine significante , aliquid illis commune. Ita D. Thom. 1. part. qu. 13. art. 5. de potentia quæst. 7.

Q 2

art. 7.

# 180 Caput XI. de diuisione Entis, Quæst. II.

art. 7. de veritate qu. 2. art. 11. primò contra gentes cap. 32. & alibi sæpè, quem sequuntur concorditer discipuli eius communiter DD. Colligiturque ex illo Exod. 3. *Ego sum, qui sum*: & Isaia 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*: quibus verbis, vt Dionysius ait significatur Deum non quodammodo esse, sed absolute & sine vlllo termino, vniuerso illo, quod est esse, in se comprehenso, & occupato; creaturas verò esse vestigia quædam, & vmbra ipsius Dei, ab illo suum esse mendicantes.

Probatum primò ratione. D. Thom. Quia quando aliquis effectus non adæquat virtutem causæ, nomen illis commune non potest esse vniucum: sed creaturæ sunt effectus Dei non adæquantes virtutem eius in aliqua ratione: ergo nomen illis commune non potest esse vniucum. Probatum maior: quia quando effectus non adæquant virtutem causæ agentis, non recipiunt similitudinem eius secundum eandem rationem sed deficienter; ita vt quodd diuisim, & multipliciter est in effectibus, sit in causa simpliciter, & vniiformiter: ergo nomen non potest esse commune causæ & effectibus secundum eandem rationem, & per consequens neque vniucum.

16 Dices plures esse effectus non adæquantes virtutem causæ qui tamen vniucum conueniunt cum illa in aliquo gradu, vt patet in causis æquiuocis. Verè enim sol conuenit vniucum cum auro in gradu corporis, substantiæ: & tamen aurum est effectus solis non adæquans virtutem eius. Ergo ratio adducta D. Thom. non est efficax.

Respondetur illam esse efficacissimam, si formaliter intelligatur. Est autem sensus formalis eius, quodd effectus in illa ratione, in qua effectus non adæquans virtutem causæ non potest vniucum cum illa conuenire, licet aliàs in alia ratione, secundum quam non habet rationem effectus, possit vniucum conuenire. Et hoc contingit in sole, & auro; nam aurum secundum gradus corporis, & substantiæ, non est effectus solis, nisi per accidens: & idè in illis possunt vniucum conuenire. Si vero imponeretur nomen ad significandam illam rationem, secundum quam aurum est effectus solis non adæquans virtutem eius; proculdubio esset analogum, & non vniucum. Cum ergo creaturæ sint effectus Dei non adæquantes virtutem eius, non solum secundum gradus particulares, sed neque etiam secundum vniuersalissimam rationem entis, vt probat S. Doctor. 1. part. qu. 43. art. 3. planè sequitur nullum nomen posse de Deo, & creaturis vniucum prædicari. Videatur Suarez disp. 18. Metaphysic. sect. 1. nu. 7.

17 Secundò probatur conclusio ab eodem D. Thom. quæst. 13. citata, & qu. 2. de veritate. quia ratio entis taliter est Deo, vt includat essentialiter omnem gradum essendi, imò sit ipsum esse simplicissimum absque admixtione alicuius potentie, aut distinctione inter essentiam, & esse. In creaturis verò inuenitur alio modo longè diuerso cum ibi esse recipiatur, & limitetur per essentiam finitam; & consequenter sit compositio ex potentia, & actu. ergo ens non prædicatur de Deo, & creaturis secundum eandem rationem; & per consequens neque vniucum.

Has duas rationes graues acutas appellat Suarez loco citato num. 9. Ens tamen impugnatur: quia vel nimium (inquit, probant, vel efficaces non sunt. Probant enim, non solum ens non vniucum, sed etiam non habere conceptum abstractum, & præcisum, quem ipse ponit: & idè infert non esse efficaces. Nos autem inde inferimus esse efficacissimas; quia simul destruunt plures opiniones falsas de quarum numero esse hanc eius sententiam de

conceptu communi entis, ostendemus infra quæstione 5.

18 Tertiò probatur ab eodem D. Thom. 1. contra gentes cap. 32. sic: *Omne, quod pluribus vniucum prædicatur vel est genus, vel species, vel differentia vel accidens vel proprium. De Deo autem nihil prædicatur vt genus vt supra, scilicet cap. 16. ostensum est: & similiter, neque vt differentia, neque vt species, quæ ex genere, differentia constituitur. Neque aliquid ei accidere potest, vt supra. scilicet cap. 24. demonstratum est: & ita nihil de Deo prædicatur, neque vt accidens, neque proprium: nam proprium de genere accidentium est. Relinquatur ergo nihil de Deo, & rebus aliis vniucum prædicari.*

Maiores huius argumenti negant Scotus in 1. dist. 3. q. 3. & dist. 8. q. 2. Suarez disputat. 32. Metaph. sect. 2. nu. 10. & alij Moderni asserentes quod quamuis ens verè esset vniucum; non tamen esset genus; quia includitur in vltimis differentiis, quod repugnat rationi generis: neque aliud ex quinque esset prædicabile, vt de se patet. Et idè sic breuiter probatur: quia omne nomen vniucum significat rationem simpliciter vnā in inferioribus vt patet ex definitione vniucorum. Ergo talis ratio actu non includit inferiora talia simul esset simpliciter vnā, & simpliciter plures, quod omnino repugnat. Ergo simpliciter abstrahit ab vniuersi cuiusque ratione, & solum in potentia continet illa. Sed omnis potentia respicit suum proprium actu: ergo ratio sic abstracta respicit sua inferiora: ergo est natura vnā relata ad plura inferiora, seu vnā in multis: ergo vniuersalis: ergo vel genus vel species vel differentia, &c. aliàs diuisio vniuersalis in quinque prædicabilia non esset adæquata, quod supra disp. 4. n. 47. ostendimus esse falsum. Videatur Ferrar. loco citato, qui optimè expendit rationem adductam D. Thomæ.

19 Ex quo intelliges: quā fruola sit ratio contrariorum, qui concedentes ens esse conceptum quendam abstractum, & vniucum, contrahibilemque per varios modos constitutivas Dei, & creaturarum; substantiæ, & accidentis; negant tamen esse genus: quia deficit illi proprietas generis scilicet non includi in differentiis. Sicut quia concederet equum esse animal rationale, ineptè negaret esse hominem, quia deficit risibilitas. Repugnat enim quodd alicui conueniat essentia, & quodd non conueniat propria passio: vel contra, quodd de aliquo negetur propria passio, & quodd negetur essentia. Sed essentia generis est esse naturam essentialiter Perfectibilem, habentem rationem potentie respectu illorum per quæ contrahitur. Et hoc oritur tanquam passio, quodd non includatur in differentiis: quia potentia est extra actu, & actu extra potentiam. Ergo cum aduersarij concedant ens importare rationem quandam præcisam essentialiter contrahibilem per varios modos, habentemque rationem potentie respectu eorum, concedere etiam tenentur non includi in illis: vel si hoc inficiantur, oportet etiam, vt negent esse rationem abstractam, contrahibilem. Videatur Ferrar. loco citato.

20 Secunda conclusio, Ens non est vniucum respectu substantiæ, & accidentis Ita docet Arist. vbi cumque de hac materia tractat. 4. Metaph. cap. 1. lib. 7. cap. 1. & 4. lib. 11. cap. 2. & 1. Ethicor. cap. 6. Vbi etiam D. Thom. & cap. 2. de ente & essentia. Quem sequuntur concorditer Thomistæ, Capreol. Caiet. Ferrar. Deza, Niger, Iabel. Soncin. Soto, & alij plures, quos refert & sequitur Malhic sect. 1. quæst. 2. & communiter Doctores.

Hanc conclusionem probat etiam tertia ratio pro prima conclusione facta: si enim ens respectu substan

substantiæ, & accidentis esset vniuocum; cum non esset species, differentia, proprium, aut accidens, esset necessariò genus quod tamen est falsum: cum ens sit de essentia differentiarum, quod repugnat generi, ut vidimus disp. n. 41. Ergo ens non est vniuocum respectu substantiæ, & accidentis

Secundò probatur: quia omne accidens definitur per substantiam; ut docet Arist. 7. Metaph. cap. 1. & non explicuimus suprà disputat. 5. nu. 21. Ergo ens non potest esse vniuocum vtrique. Probatur consequentia: quia vniuocata æqualiter participant rationem vniuocum & per consequens absque dependentia vnius ab alio. Hoc autem non potest inueniri in ente; si accidens definitur per substantiam, ut de se constat: ergo, &c.

21 Hanc etiam rationem labefactere conatur Suarez vbi supra num. 7. quia destruit conceptum communem entis. Et ita respondet, quod licet accidens, quatenus est accidens definiatur per substantiam: non tamen qua ratione est ens, Quia accidens, præcisè quatenus accidens dicit habitudinem ab substantia: non verò quatenus est ens; sed potiùs substantia, & accidens in quantum entia habent vnā & eandem definitionem. Et ita propterea sic vnum non definitur per aliud.

Cæterum hæc solutio, & doctrina omnino falsa est: & planè destruit analogiam attributionis, in qua secunda analogata, non solum secundum suas proprias rationes sed etiam secundum rationem analogam, dependent à primo, & definiuntur per illud, ut suprà vidimus. Repugnat etiam Aristoteli 7. Metaph. cap. 1. vbi docet accidentia idèd dici entia quia sunt entis entia; hæc quidem quantitates, illa verò qualitates, &c. Et inde infert accidentia in concreto esse magis entia, quàm in abstracto: quia significata in concreto connotant substantiam, à qua accipiunt rationem entis. Vbi Commentator. comm. 3. addit, quod *sedens, & stans non dicuntur entia sine substantia* Repugnat etiam D. Thom. qui 1. Perihermenias lect. 8. & alibi sæpè expressè affirmat inter accidens, & substantiam esse prioritatem, & dependentiam, non solum secundum proprias rationes, sed etiam in ipsa ratione communi entis: ergo non solum ratio præcisè accidentis, sed ipsa etiam ratio entis quæ est in accidentibus, participatur dependentèr à substantia. & ex consequenti accidentia, non solum in quantum accidentia, sed etiam in quantum entia, definiuntur per substantiam.

Tandem dicta solutio repugnat ipsi Suarez, qui ponens in ente respectu substantiæ, & accidentis conceptum communem, asserit ibidem numer. 15. illum non esse vniuocum, sed analogum ex eo, quod ipse conceptus præcisus entis ex se postulat descendere inæqualiter ad substantiam, & accidens, & cum subordinatione secundum prius & posterius; ita quod ipsa ratio entis descendenda ad accidens media substantia Ergo non præcisè rationem accidentis, sed ipsam etiam rationem entis participat accidens cum subordinatione, & dependentia à substantia: & per consequens non solum secundum quod accidens, sed etiam in quantum ens definitur per substantiam. Videantur Caietan. cap. 1. de ente, & essentia quæst. 3. Ferrar. 1. contra gentes cap. 31. Plures rationes, alia quibus Thomæ probant hanc conclusionem, impugnat. Suar. loco citato Quas tamen expendemus infra cum de conceptu entis disputabimus.

22 Ad argumenta respondetur, Ad primum respondetur D. Thom. qu. 7. de potentia art. 7. ad 1. pare qu. 13. art. 5. ad 3. rationem illam, & dictum Arist. procedere de mensura, cui mensuratum potest coequari,

ri, vel commensuralis. Talis autem non est Deus, cum in infinitum excedat creaturas. Itaque iuxta hanc doctrinam duplex est mensura alia commensurabilis, seu proportionata; alia incommensurabilis, & excedens. prima debet esse eiusdem rationis, seu homo genera non verò secunda. Deus autem non dicitur mensura creaturarum in primo, sed secundo modo.

Dices distinctionem hanc videri voluntariam quia de ratione mensuræ est, quod sit commensurabilis, & proportionata mensurato ut ipsum nomen indicat: quomodo enim potest aliquid per aliquam regulam mensurari; nisi illis commensuretur, & coequetur; Ergo voluntariè ponitur mensura, quæ sit incommensurabilis mensurato.

Respondetur nomen mensuræ primò impositum esse ad significandum id, per quod certificamur de quantitate alicuius rei. Et idèd ratio mensuræ propriè inuenitur in quantitatibus: inter quas quia semper est mutua proportio, idèd quantitas mensurans, & mensurata semper commensurantur, & coequantur inter se. Et in hoc rigore, & proprietate nihil habet rationem mensuræ extra prædicamentum quantitatis. Indè tamen nomen mensuræ translatus est ad res omnes, quibus quomodolibet certificamus de aliis, licet in se ipsis improporionate sint. Et hoc modo Deus dicitur mensura creaturarum: quia cum sit fons, & origo totius perfectionis, & ex maiori, vel minori participatione ipsius certificamur de perfectione, vel imperfectione creaturarum.

23 Ad secundum respondetur distinguendo antecedens; si enim sensus sit nihil cognosce, nisi per speciem eiusdem rationis in representando, concedendum est: negandum verò, si conterat debere esse eiusdem rationis in essendo imò ut benè aduertit D. Th. loco citato de potentia ad quintum, quando species intelligibilis eminentius, & nobilior esse habet; tanto ex ea relinquitur perfectior cognitio, ut cernimus in speciebus inditis Angelorum. Et idèd cognitio Dei, est excellentissima: quia essentia sua, per quam cognoscit, est supereminens species, seu idea rerum creaturarum.

Ad tertium concessio accidenti: neganda est consequentia. Ad cuius probationem respondetur, quod licet ens non habeat conceptum communem simpliciter vnum, & præcisum ab inferioribus; adhuc potest esse medium demonstrationis: quia ad hoc sufficit identitas proportionalis, quam habent in ente inferiora eius: ratio est, quia ut aliquid sit medium demonstrationis; sufficit posse integrè coniungi cum extremitatibus, & distribui vnica distributione pro omnibus inferioribus: ad quod satis proportionalis conuenientia eorum. Nam eo ipso quod aliquid sequitur ad rationem vnius, ut proportionabiliter se habet ad aliud: idem etiam sequitur proportionabiliter ad rationem alterius. V. G. si ex immaterialitate animæ rationalis sequitur esse spiritualem, proportionabiliter in Deo ex immateriali: ipsius sequetur eius spiritualitas, absque eo quod detur aliqua ratio immaterialitatis simpliciter vna in illis. De quo redibit sermo infra q. 5. Videatur tamen Caiet. de nominum analogia cap. 10.

Ex dictis infertur ens respectu quorumcumque consideretur non posse esse vniuocum: quia includitur in differentiis illorum, & consequenter neque habere conceptum communem, ut infra constabit,

## Q V Æ S T I O III.

## QVA ANALOGIA ENS SIT ANALOGUM respectu suorum inferiorum.

SVpposito quod ens, neque est purè æquiuocum, neque vniuocum, necessariò sequitur à sufficienti enumeratione, illud esse analogum. Et idèd solum restat difficultas, quo genere analogiz dicatur analogum: an scilicet sola attributione, vel sola proportionalitate, vel vtraque simul.

124. Et in primis de ente respectu entis realis, & rationis certum est esse analogum attributionis. Hoc enim definitur per illud, sicque dependet; vt ab ipso participet totum suum esse: ergo verè illi attribuitur, & per ordinem ad ipsum denominatur ens. Vtrum autem sit etiam analogum proportionalitatis propriæ, dubium potest esse. In quo illi, qui asserunt ens rationis consistere in denominatione extrinseca, consequenter negant ibi esse propriam proportionalitatem, sed tantum metaphoricam. In sententia verò asserente ens rationis consistere in quodam esse ficto quod ad modum formæ intrinsecè denominat res, quam suprà disp. 2. numer. 10. sequuti sumus: consequenter afferendum est, ens respectu entis realis, & rationis verè esse analogum proportionalitatis propriæ. Ratio est manifesta: quia, cum ratio entis sit vniuersalissima, quidquid non habet illam intrinsecè, intrinsecè est nihil. Quod iuxta hanc sententiam affirmati non potest de ente rationis: cui intrinsecum est illud esse fictum, in quo consistit. Ergo æqualem proportionem habet cum ente reali in hoc, quod sicut ens reale se habet ad suum esse reale; ita ens rationis ad suum esse fictum; & ex consequenti ens respectu illorum erit analogum proportionalitatis propriæ. Quare solum restat difficultas de aliis duabus diuisionibus.

25. Prima sententia absolutè negat ens esse analogum proportionalitatis propriæ, tam respectu Dei, & creaturarum, quàm respectu substantiæ, & accidentis, solam analogiam attributionis vtrouque constituens. Ita Suar. disp. 28. Metaph. sect. 3. num. 11. & disp. 3. 2. sect. 2. num. 12. ¶ Et probat primò: quia nomen analogum proportionalitatis non significat analogata vnica impositione: sed pluribus: at hoc non habet ens; neque respectu Dei, & creaturarum; neque respectu substantiæ, & accidentis, ergo non est analogum proportionalitati, respectu illorum.

Secundò: quia omnis vera analogia proportionalitatis includit aliquid metaphoræ, & impropriæ, sicut ridere dicitur de prato per translationem metaphoricam: sed ens respectu Dei, & creaturarum, aut substantiæ, & accidentis nihil metaphoræ, seu impropriæ, includit: ergo, &c. Probat maior: quia aliàs vera analogia proportionalitatis posset esse inter vniuocata; siquidem inter illa reperitur vera proportionalitas absque metaphora, vt patet in numeris.

16 Secunda sententia affirmat ens respectu Dei, & creaturarum solum esse analogum proportionalitatis propriæ: respectu verò substantiæ, & accidentis habere vtramque analogiam. Ita Caiet. cap. 2. de ente, & essentia, q. 3. concl. 2. & videtur expresse sententia D. Thom. q. 2. de veritate, art. 11. ¶ Probatque ratione, quam ibi insinuat Sanctus Doctor. Quia proportio, & non proportionalitas importat determinatum excessum inter res, inter quas inuenitur. Cuius signum manifestum est, quod non est æqualis proportio inter vnum, & duo: & inter vnum, & tria; & inter vnum, & quatuor: sed quanto magis

numerus elongatur ab vnitate, tantò minus proportionatur illi & per consequens si in infinitum elongatur deficeret omnino proportio: quod non contingit in proportionalitate, vt supra num. 10. explicuimus. Cum ergo inter Deum, & creaturas non sit determinatus excessus, sed infinitus, planè videtur sequi, nullam posse ibi proportionem, sed tantum proportionalitatem. Ac proindè inter Deum, & creaturas non erit analogia attributionis; sed tantum proportionalitatis propriæ.

27. Prima conclusio. Ens respectu Dei, & creaturarum, non solum est analogum proportionalitatis, sed etiam attributionis. Hæc est communis inter Thomistas, vt testatur Araux. 4. Metaph. q. 3. art. 3. Pro qua videri possunt Zanard. ibidem. q. 1. Nazar. 1. part. q. 13. art. 5. conclus. 9. Mas. hic sect. 1. q. 4. concl. 2. & alij: prima pars conclusionis satis ex se patet tum: quia inter Deum, & creaturas verè est similitudo proportionalis: quæ non minuitur per quamcumque distantiam, vt ex Thom. vidimus loco citato: tum entia quia ratio entis formaliter, & intrinsecè reperitur in creatura, vt per se constat sed id non conuenit enti, quatenus est analogum attributionis; vt supra disput. 10. num. 30. ostensum est ergo quatenus est analogum proportionalitatis.

Secunda etiam pars conclusionis est procul dubio D. Th. 1. p. q. 13. art. 6. & q. 7. de potentia art. 7. vbi negans inter Deum, & creaturas analogiam *multarum ad vnum*: seu *duorum ad aliquod tertium*, expresse concedit analogiam *vnus ad alterum*, seu *vnus ad vnum*: qui modus analogiz pertinet ad analogiam attributionis, vt vidimus disput. citata num. 11. & docent communiter Doctores. ¶ Probat breuiter ratio: quia Deus dicitur ens per essentiam, creaturæ autem dicuntur entia per participationem, & ab entitate Dei, possunt extrinsecè denominari entia, in quantum sunt vestigia Dei, & ordinantur in illum: ergo ens est analogum attributionis respectu illorum.

18 Secunda conclusio. Ens etiam est analogum attributionis, & proportionalitatis respectu substantiæ, & accidentis. Vtraque pars conclusionis est communis inter Thomist. De quo vltra prædictos, videri posset Caiet. vbi supra conclus. 1. Ferr. 1. contra gentes c. 34 Flandria 4. Metaph. quæst. 2. artic. 4. & alij Primam docent Aristot. & Dio. Thom. 4. Metaph. lect. 1. lib. 6. lect. 1. lib. 11. lect. 3. & alibi sæpè. Breuiterque probatur quia accidens in ratione entis dependet essentialiter à substantia, & per illam definitur, estque effectus eius non adæquans virtutem agentis: & tandem ad ipsam tanquam ad finem ordinatur: ergo ens respectu substantiæ, & accidentis, est analogum attributionis.

Confirmatur: quia substantia dicitur ens quasi habens esse, accidentia verò denominantur entia: quia sunt eius vel dispositiones, vel mensuræ, vel passionis, &c. Ergo ens significat rationem, quæ est eadem secundum terminum, diuersa verò secundum diuersas habitudines ad illum, quæ est definitio analogiz attributionis.

Secundam etiam partem conclusionis docet cum Aristot. Dio. Thom. 12. Metaph. lect. 4. primo dist. 19. q. 5. art. 2. ad 1. & 3. distinct. 1. q. 1. artic. 2. Breuiterque probatur: quia ratio entis non inuenitur extrinsecè in accidenti secundum omnem considerationem; aliàs accidens à parte rei esset nihil, neque posset ens esse medium demonstrationis: ergo secundum aliquam considerationem accidens habet veram, & intrinsecam entitatem, secundum quam posset attendi in illo vera, & propria proportionalitas respectu substantiæ. Cumque talem entitatem non importet ens ratione analogiz attributionis, vt supra

suprà ostensum est planum sic id habere rationem analogiæ proportionalitatis propriæ.

29 Ad argumenta responderetur. Ad primum primæ sententiæ dicimus antecedens esse verum de analogo proportionalitatis metaphoricæ, non verò de analogo proportionalitatis propriæ. Neque hoc indiget maiori explicatione.

Ad secundum negatur antecedens. Cuius probatio peccat non distinguens inter rationes communes, secundum quas attenditur vniuocatio, & rationes proprias, secundum quas attenditur proportionalitas, vt magis explicauimus suprà disp. 10. num. 25. & 37.

Ad locum D. Thomæ & rationem inde desumptam pro secunda sententia responderetur ex doctrina eiusdem Angel. doct. suprà num. 22. adducta quòd sicut ratio mensuræ, ita etiam proportio potest sumi dupliciter. Primò propriè, & in rigore, vt est passio quantitatis: & hoc modo requirit determinatum excessum quia est certa habitudo duarum quantitatum definiunt Mathematici. Et à proportionem in hoc sensu negat D. Th. posse desumi analogiam attributionis inter Deum, & creaturas, vt patet ex ratione quam ibi adducit. Secundo modo potest latius sumi proportio, vt extenditur ad quacumque res inter quas inuenitur dependentia in aliquo genere causæ; vel quia vna definitur per aliam; vel quia ab illa recipit esse; vel quia ad eam, vt ad finem ordinatur, aut alio simili modo. Et hoc modo verè est inter Deum & creaturas analogia proportionis *ab vno vel ad vnum*: siquidem omnes creaturæ ab vno Deo procedunt, & ad vnum Deum ordinantur. Sicque conceditur hanc analogiam D. Tho. locis citatis in prima conclusione.

30. Sed obiicit: quia non nomen proportionis, quando à quantitibus transfertur ad res aliàs, non omnino remouetur à sua significatione, sed alienatur: ergo determinatus excessus, secundum quem attenditur proportio propriè dicta inter quantitates, debet aliquo modo manere, quando proportio transfertur ad res alias. Et per consequens doctrina tradita non est sufficiens.

Responderetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio est: quia id ratione cuius formaliter & per se primò loquendo, nomen proportionis transfertur à quantitibus ad aliàs res, non est determinatus excessus, sed ratio mensuræ. Quia tamen vna quantitas non est mensura alterius, nisi habeant inter se determinatum excessum; & similiter vna res finita respectu alterius: idè ibi rationem mensuræ semper comitatur determinatus excessus. Si verò contingat aliquam rem habere rationem mensuræ respectu aliarum, quas infinire excèdat: tunc non deficiet omnino proportio: etiam si omnino deficiat terminatus excessus: quia non deficit ratio mensuræ supra quam proportio fundatur. Et hoc modo inter Deum, & creaturas, etiam si non sit determinatus excessus, est tamen proportio sufficiens ad analogiam attributionis.

31 ¶ In fine huius quæstionis vt analogia aliorum nominum, quæ de Deo, & creaturis dicuntur, comprehendatur, obseruandum est, quatuor esse genera nominum. Alia enim significant perfectionem infinitam, & illimitatam, vt *omnipotens, æternus, &c.* Et hæc sunt Dei propria, neque creaturis attribuuntur. Alia significant imperfectionem, & defectum, vt *finitum, temporale*, & similia: & hæc sunt propria creaturarum, neque Deo possunt attribui. Alia significant quidem perfectionem, sed finitam & limitatam, vt *leo, petra, &c.* & hæc propriè de creaturis prædicantur: de Deo autem impropriè, & per

metaphoram. Alia tandem significant in suo conceptu perfectionem absolutè, non determinando quòd sit finita, vel infinita vt *ens, sapiens, iustus*; & hæc propriè de Deo, & creaturis prædicantur. Adhuc tamen in eis potest considerari, vel res significata, vel modus significandi. Si rem significatam attendamus: per prius dicuntur de Deo quàm de creaturis: e contra verò, si modus significandi præcipuè attendatur: quia hunc semper comitatur in nominibus aliqua imperfectio. Videatur Diu. Thom. 1. part. quæstio, 13. art. 6.

32 ¶ Tandem inquire: in quo genere causæ fiat analogia attributionis, quæ est inter Deum, & creaturas; substantiam, & accidens.

Ad quod breuiter responderetur creaturas dependere à Deo in genere causæ finalis, efficientis, & exemplaris, vt notat benè Caiet. 1. p. quæst. 12. art. 6. & idè in hoc triplici genere causæ fieri analogiam, quæ est inter Deum, & creaturas. Accidens etiam dependet à substantia in genere causæ finalis, efficientis, & materialis, vt probat D. Th. 1. part. quæst. 77. artic. 7. & adè iuxta hoc triplex genus causæ causatur inter illa analogia attributionis: quamuis ad eam frequentius attendatur dependentia in genere causæ materialis, vt ex commentare notauit Caiet. loco citato: quia nomen ens videtur magis significare istam dependentiam.

## Q V Æ S T I O V.

*Verum ens sit transcendens respectu suorum inferiorum.*

33 **T**Ranscendens appellatur id, quod ita est de essentia rerum, vt nihil in eis inueniatur, de quo formaliter non prædicetur, in cuiusque ratione non imbibatur: ad distinctionem vniuoci, quod licet sic de essentia suorum inferiorum; in eis tamen est aliquid, nempe differentia, de qua formaliter prædicatur, vt patet in animali, quod quamuis sit de essentia hominis; non tamen est de essentia rationalis, vt diximus suprà disput. 7. num. 41. At verò prædicatum transcendens, ita est de essentia inferiorum, vt etiam imbibatur essentialiter in vltimis eorum differentiis, seu modis constitutivis. Quomodo sex transcendentia communiter numeratur à Doctoribus præcipuè à Diu. Thom. q. 1. de veritate artic. 1. opusc. 41. c. 2. & alibi sæpè, scilicet *ens, res, vnum, aliquid, verum, & bonum*. Ex quibus *ens* habet rationem essentiae: quia est id, quod primo apprehenditur de quacumque re: alia verò rationem passionis, quia supponunt, & consequuntur ens. Quia ergo aliqui negant transcendentiam entis, & passionem eius: idè breuiter examinanda est. Quid autem de ente dictum fuerit proportionabiliter applicari potest suis passionibus, propterea enim in titulo solùm inquirimus de ente, an sit transcendens.

34 Partem negatiuam defendit Scotus in primo distinct. 3. q. 3. contendens ens formalitè non includi in vltimis differentiis rerum; neque in modis constitutivis prædicamentorum; ac proinde solùm prædicari de illis idè, eo modo, quo genus prædicatur de differentiis. Probatur primò hæc sententia: quia si vltimæ differentie hominis, & equi, aut modi constitutivi quantitatis & qualitatis includerent in se rationem entis necessariò conuenirent in ente: ergo vt inter se differrent, indigerent differentiis: nam quæ conueniunt, differentiis differunt ex Aristot. Metaph. cap. 9. Quod si illæ differentie includant etiam ens, conuenient similiter in ente, & indigebunt differentiis aliis, per quas differant: ergo vel dandus est processus



in infinitum, vel dicendum differentias non conuenire in ente, & per consequens non includere illud.

Secundò: quia sicut compositum reale constat ex actu, & potentia reali; ita compositum, quod format intellectus ex diversis gradibus, componitur ex gradu potentiali, seu determinabili, & ex gradu actuali, seu determinante. Ergo sicut resolutio compositi realis non sistit, usque dum perueniatur ad simpliciter simplicia, scilicet ad potentiam, quæ nihil includat actus & ad actum, qui nihil includat potentiam: ita in resolutione compositi rationis deueniendum est ad gradus simpliciter simplices scilicet omnino potentialem, & omnino actuaalem, quorum unus nihil includat alterius. Tales autem sunt conceptus entis, & ultimæ differentie: ergo neque ens includit differentias, neque differentie includunt ens. Alias rationes pro hac sententia adducit Soncin. 4. Metaph. q. 19.

35. Pro solutione difficultatis, & intelligentia eorum, quæ postea dicenda sunt, explicare oportet, quid significet *ens*: propriè enim definiri non potest cum sit res vniuersalissima, supra quam nihil est assignabile, per quod definiatur. Illud tamen utcumque explicat D. Th. opusc. 42. cap. 1. dicens, *Ens est, cuius actus est esse*. Vel, ut ait quolibet. 2. & quæst. 2. artic. 3. *Ens est id, cui composit esse*. Quæ quasi descriptio licet extendi posset ad omnia, propriè tamen loquendo solum conuenit enti reali creato. Non enim ens rationis dicitur ens, quasi habeat esse, seu existentiam, sed quia de illo format intellectus propositiones, ut eisdem locis notat ex Aristot. D. Thom. Neque similiter Deus dicitur ens, quasi habeat esse, si in rigore loquamur, hæc enim phrasi denotatur distinctio inter rem, quæ habet esse, & ipsum esse habitum. Quod tamen nullo modo repetitur in Deo, in quo nulla est compositio ex actu, & potentia, neque esse eius est receptum in aliqua essentia. Et idèd, ut ex Dionysio & Damasceno notat Diu. Thom. opusc. citato, & explicat latè Picus Mirandulanus de ente, & vno, cap. 3. & 4. verius dicitur Deum esse super omne ens, quàm esse ens, quia scilicet non habet esse, sed essentialiter est ipsum esse simplicissimum, purissimum, & per se subsistens. Propter quod etiam, ut ex eodem Dionysio probat Angel. Doctor. dist. 8. quæst. 2. artic. 3. & 1. p. quæst. 13. art. 1. *qui est*, seu *esse* est propriissimum inter omnia diuina nomina, iuxta illud Exodi 3. *Ego sum, qui sum*, &c. *qui est*, misit me ad vos. Vbi Septuaginta transtulerunt, *ego enim o mni ego imi hoen*, id est, ego sum ipsum ens, seu ipsum esse. Quod idem significat nomen illud ineffabile tetragrammaton *Iehona*, quod Iudæi pronuntiare non audebant, eo quòd ab ipsis haberetur sacratissimum, utpotè nomen Dei primum, & essenziale. radixque aliorum omnium nominum. Deducitur enim à radice *hai*. Quæ idem valet, *ac est*. De quo videri potest inter alios Cornelius Cornelij, Exod. 6. vers. 30.

Sicut ergo, si daretur Albedo in se subsistens, & separata, non diceretur habere albedinem, sed esset ipsa albedo per essentiam, & in genere albedinis infinita, à qua consequenter esse album deriuaretur ad omnia alba: ita Deus, qui est ipsum esse subsistens, non dicitur propriè habere esse, sed est ipsum esse per essentiam, & in genere entis infinitum, à quo consequenter deriuatur esse ad omnes creaturas, quæ propterea dicuntur entia per participationem, verèque recipiunt esse ab ipso ente per essentiam. Vnde in eis ipsum esse non est actus purus, & impermixtus sed verè limitatus, & receptus in essentia, quæ est eius potentia, & idèd realiter distinguuntur, ut aliquando ostendimus.

36. Iuxta quam doctrinam, vniuersalissima compositio, quæ in creaturis inuenitur, sit ex vniuersalissimo actu, qui est *existentia* seu *esse*, & ex vniuersalissima potentia, quæ est *essentia*, seu *ens*. Distinguntur autem à Diu. Thom. opusculo citato *ens*, & *essentia*, sicut *quod*, & *quo*, quemadmodum *uiuens*, & *vita*, sicut enim *vita*, est id quo *uiuens* uiuit: ita *essentia* est id quo *ens* est. Ex quo iam plana remanet descriptio suprà ex Diu. Thom. adducta. *Ens* enim propriè significat id, quod est, seu id, cuius actus est esse, seu id, cui competit esse, non verò ipsum esse. Et hoc modo est prædicatum essenziale omnium rerum: quia potentia, seu aptitudo ad esse est intrinseca, & essentialis cuilibet creaturæ. Si verò nomen entis sumatur, non pro potentia ad esse, sed pro ipso esse, seu existere: sic de solo Deo prædicatur essentialiter, ut optimè explicat D. Thomas quodlibito 2. qu. 2. artic. 3. ubi iuxta hunc sensum docet ex mente Commentatoris, hanc propositionem, *Sors est esse* accidentalem: quia cum esse in creaturis, sit ab alio participatum, & receptum, necessariò debet esse extra essentiam, quæ eo sensu quod est æternæ, est etiam independens, & nullo recepta.

37. Ex quibus, iam duæ formantur, entis acceptiones. Primò enim sumitur, ut significat potentiam illam, cuius actus esse. Sicque solet appellari *ens nominaliter*: quia in tali significatione quasi non exercetur ipsum esse, sed solum connotatur.

Secundò sumitur *ens*, ut includit ipsum esse, & valet ibidem; quod *existens*. Sicque solet appellari *ens participaliter*: quia tunc exercetur ipsum esse, & non solum connotatur iuxta distinctionem nominis, & participij, quam explicuimus lib. 2. Institut. cap. 1. Videatur Ferr. contra Gentes. c. 25. qui breuiter explicat, quid sit *ens nominaliter*, & *participaliter*, dicens *ens* esse nomen concretum, quod potest duas formas significare, scilicet, *essentiam*, & *existentiam*. Quando ergo *ens* pro formali significat essentiam, dicitur *ens nominaliter*; quando verò pro formali significat existentiam, dicitur *ens participaliter*.

38. Dicendum est ergo primò. *Ens nominaliter* sumptum verè esse transcendens respectu suorum inferiorum. Ita D. Thomas 1. parte qu. 3. artic. 5. & 1. contra Gentes c. 25. Ferrat. ibidem, Sonci. 4. Metaph. qu. 19. & communiter Doctores quorum plures refert, & sequitur Suar disp. 2. Metaph. sectione 5.

Probat primò conclusio ex Arist. 3. Metaph. text. 12. ubi *ens* non esse genus probat hac ratione. Nullum genus prædicatur de differentiis: *ens* prædicatur de differentiis: ergo *ens* non est genus. Quærit ergo optimè à Scoto Sôcinas: an maiorem intelligat Arist. de prædicatione formali, an de identica. Si secundum ergo maior est *falsus*: nam genus in sensu identico prædicatur de differentiis, cum non distinguatur ab illis. Ut ergo maior sit vera, debet intelligi de prædicatione formali. Ergo in eodem sensu procedit minor ne varietur suppositio: & per consequens ex sententia Arist. *ens* prædicatur formaliter de differentiis, & transcendit illas.

Secundò, quia *ens*, & nihil opponuntur contradiçtoriè, sicut aliquid, & nihil consequenter inter illa nullum datur medium: ergo quidquid non est essentialiter *ens*, est omnino nihil: sed differentie non sunt omnino nihil ut per se constat: ergo includunt essentialiter *ens*.

Confirmatur quia omne obiectum intellectus est essentialiter *ens*: sed differentie sunt obiectum intellectus, cum possit illas cognoscere: ergo sunt essentialiter *ens*. Quæ rationes procedunt de ente nominaliter sumpto: sic enim est de essentia differentiarum, ut patet.

39 Dicendum est secundò ens participialiter sumptum non includi essentialiter in vltimis differentiis suorum inferiorum, & consequenter non esse transcendens, prædicatur tamen de illis accidentaliter, & denominatiuè. Hæc etiam conclusio satis ex dictis constat breuiter tamen probatur: quia ens participialiter sumptum significat pro formali ipsum esse, seu existentiam, sed hæc non includitur essentialiter in vltimis differentiis: ergo neque ens participialiter sumptum.

Probat minor quia esse, seu existentia non est de essentia alicuius creaturæ, siquidem conuenit ei per causam efficientem, & est quid receptum in ipsa essentia: ergo non includitur essentialiter in vltimis differentiis creaturarum. Prædicatur tamen accidentaliter de illis: quia sicut hæc est prædicatio denominatiua *homo est*, seu *homo est existens*; ita etiam hæc, *rationale est*, seu *rationale est existens*, Videatur D. Tho quod lib. 2. citato.

40 Ad argumenta Scoti videant quid respondere possint Auctores asserentes ens verè habere vnum conceptum communem, & præcisum: contra hos enim procul dubio conuincuntur ens non esse transcendens. Quam conceptum quia concessit Scotus, satis consequenter asseruit ens esse vniuocum, & non transcendere rerum differentias. Cæterum in nostra sententia, nullam vim habent eius argumenta. Vnde ad primum respondetur differentias, propriè loquendo, non conuenire in ente; quasi ens sit aliquid vnum, in quo conformentur: quod necessarium est ad propriam conuenientiam de qua loquitur Arist. loco ibi citato. *Conuenire* enim propriè est plura simul in vnum venire, ac proinde ubi non est aliquid vnum non possunt duo conuenire. Quia ergo ens non dicit aliquem vnum gradum, in illo differentiarum, propriè loquendo non conueniunt; sed sunt primò diuersæ, & se totis differunt & ex consequentia non indigent aliis differentiis, per quas distinguantur. Dicitur autem differentias, vel prædicamenta conuenire in ente non propriè, & simpliciter, sed secundum quid, & proportionabiliter, vt sæpè explicuimus, & constabit amplius quæst. sequenti.

Ad secundum respon. proportionem illam, & paritatem, quam continet primum enthymema, si rectè intelligatur, verissimam esse, sed minorem subsumptam in rigore esse falsam. Non enim ens est gradus verè vnus, in quem compositum Metaphysicum possit resolui, tanquam in aliquam vnā potentiam, sicut compositum physicum resoluitur in potentiam verè vnā; sed in vnoquoque prædicamento compositum. Metaphysicum resoluitur, tanquam in primam potentiam, id genus supremum illius prædicamenti. Ideò enim prædicamenta dicuntur prima genera: quia ibi, propriè loquendo, sistit resolutio: cum sint conceptus omnino simplices; & consequenter irresolubiles in alios simplices. Dicimus tamen frequenter suprema genera quasi componi ex gradu entis, & modo constitutiuo vniuscuiusque, & in eos posse resolui: non quia verè habeant in se plures gradus aut conceptus obiectiuos, ex quibus componantur: sed vel quia res simplices apprehendere non possumus absque aliqua compositione: vel quia ens quodammodo, & secundum quid saltem ex modo significandi, distinguitur & abstrahit à generibus supremis, vt de analogis explicuimus sup. disp. 10. n. 42.

41 Ex dictis facilè soluitur quæstio quam nouiter mouent aliqui Moderni: an scilicet analogia entis causetur per dependentiam, vel per transcendentiam quam ex Thomistis nullus, quem viderimus, tractat: quia semel statuta generali doctrina suprà tradita de analogia, superuacanea est. Dicimus ergo analogiam attributionis, quam habet ens respectu

suorum inferiorum causati per dependentiam, & non per transcendentiam.

In illa enim, 2. analogata suscipiunt denominationem à primo, & per ordinem ad istud constituuntur quod formaliter loquendo non prouenit à transcendentia entis sed ex eo quod primò, & per se significat vnum; alia verò non nisi per respectum, & habitudinem ad istud: in quo consistit dependentia.

De analogia verò proportionalitatis propriæ, quam habet ens è contra dicendum est, formaliter loquendo, non causari dependentiam: propter rationem sup. disp. 10. n. 28. & 43. adductam. Causatur tamen per transcendentiam. Et ratio est quia prædicamenta, aut alia inferiora entis, quæ immediatè significantur per illud, vt est analogum proportionalitatis propriæ prout sic, sunt primò diuersa, & se totis differunt propter quod talis proportionalitas attenditur inter illa secundum se tota, & non præcisè ratione differentiarum; sed transcendentia est causa: quòd inferiora entis sint primò diuersa, & quòd inter illa secundum se tota attendatur proportionalitas, vt de se constat: Ergo ipsa est causa talis analogiæ proportionalitatis. Posset quidem, dato quod ens non esset transcendens, sed vniuocum attendi inter inferiora eius ratione differentiarum propria proportionalitatis, sicut inter numeros, aut alias res vniuocas attendi posse diximus loco citato nu. 26. Sed illa distincta esset ab ea, quam de facto habent inferiora eius, & quam ipsum nomen importat. Et ideo hæc necessariò supponit transcendentia, & fundatur in illa, vt explicatum est.

## Q V Æ S T I O V.

*Verum ens dicat vnum conceptum communem, & præcisum à suis inferioribus.*

42 Pro tituli intelligentia recolenda sunt, quæ diximus disput. 3. n. 4. ubi distinximus duplicem conceptum, alium formalem qui est ipse actus intellectus, & alium obiectiuum, qui est gradus illè, seu perfectioque cognoscitur per conceptum formalem. De vtroque ergo procedit difficultas: & ita duo inquirimus.

Primum est: an enti corresponsdeat in intellectu vnus conceptus formalis distinctus à conceptibus formalibus inferiorum. Et loquimur de conceptu formali vltimato, quo scilicet cognoscimus res significatas per voces, nam de non vltimo (quo scilicet percipimus ipsas voces: certum est esse vnum: cum nomen sit vnum)

Secundum est: an ex parte obiecti ens significet aliquem gradum seu perfectionem distinctam à gradibus, seu perfectionibus, quas significant inferiora eius, ita vt sicut hoc nomen, *animal*, non significat immediatè hominem, & equum, sed gradum sentiendi: ita nomen *entis*, non significet immediatè substantiam, & accidens, vel Deum & creaturas, sed gradum illum, seu perfectionem ipsis communem. loquimur autem de ente, secundum quod est analogum proportionalitatis. Nam formaliter vt est analogum attributionis, satis constat ex dictis suprà disputatione 10. num. 30. & 42. non posse habere vnum conceptum præcisum; cum prout sic non distinguatur à primo analogato, neque reperiatur intrinsece in omnibus.

43 Igitur circa primam partem quæstionis Aureor. in primo distinct. 2. q. 1. & alij absolūtè negant; enti corresponsdere vnum conceptum formalem. E contra verò Soncin. 4. Metaph. q. 2. & alij illum absolūtè concedunt. Sed opus est distinct. qua videntur Caic.

Caiet. Fer. & alij Thomistæ infrà citandi.

Pro cuius intelligentia sciendum est, quod conceptus mentalis potest esse duplex, alius perfectus, seu explicitus, aut distinctus; & alius imperfectus, seu implicitus, aut confusus.

Conceptum perfectum, seu explicitum in præsentia appellamus actum illum intellectus, qui repræsentat plura secundum aliquam vnam rationem, seu gradum, ita vt immediatè, & distinctè repræsentet talem gradum, seu perfectionem, quæ in illis inuenitur. Et conceptus iste, non solum entitatiuè, sed etiam formaliter in ratione imaginis, & simpliciter vnus; cum res repræsentata sit simpliciter vna. Conceptum verò imperfectum, seu confusum appellamus eum qui immediatè repræsentat plura secundum aliquam similitudinem proportionalem, quæ proinde non intenditur in aliqua vna ratione illis communi, sed secundum suas proprias rationes, non absolutè consideratas sed vt proportionaliter se habentes. Et hic conceptus licet entitatiuè sit verè vnus, vtpotè vnus numero actus intellectus, tamen, formaliter in ratione imaginis, seu in repræsentando non potest dici absolutè, & simpliciter vnus, sed tantum secundum quid; cum res repræsentata non sit simpliciter vna, sed tantum proportionabiliter; seu secundum quid.

44 Prima conclusio. Enti non correspondet in intellectu vnus conceptus formalis perfectus, distinctus, sed imperfectus, & confusus: qui licet entitatiuè, & realiter sit verè vnus; in repræsentando tamen, seu in ratione imaginis, tantum est vnus secundum quid. Sic docet. Caiet de nominum analogia cap. 4. & 5. Qui licet aliquo modo videatur ab hoc dissentire q. 3. de Ente & essentia, ipse tamen se explicat pro hac concl. in tract. de conceptu entis, qui habet ut post tractatum de nominum analogia. Quem sequuntur communiter Thomistæ Ferrar. 1. contra Gent. c. 34. Zanard. 4. Metaph. q. 2. Arauxo ibid. q. 3. artic. 4. Nay. 1. parte quæst. 1. 5. artic. 5. ad argumenta contra quintam conclusionem, & alij antiqui, quos referunt, & sequuntur Nas. hic sect. 2. q. 6. & Galleg. controu. 20.

Fundamentum est: quia ens significat immediatè sua inferiora, vt sunt proportionabiliter similia, non verò aliquem vnum gradum, seu rationem ab eis præcisam: ergo in intellectu non correspondet enti aliquis conceptus formalis, perfectus, & distinctus, simpliciterque vnus in præsentando; sed imperfectus & confusus, tantumque proportionabiliter vnus. Consequentia patet: quia ex vnitatem rei repræsentatæ pensatur vnitatem imaginis, antecedens verò probabitur à nobis concl. 2.

*Quid de conceptu obiectiuo dicendum sit.*

### §. 1.

45 **V**eniamus ergo ad secundam partem quæst. de qua est porissima difficultas. In qua Scotus 1. dist. 3. & dist. 8. q. 2. docet eos immediatè significare vnum conceptum obiectiuum communem inferioribus, simpliciter ab illis distinctum, & præcisum, & consequenter actu non includentem inferiora.

Sequuntur hanc sententiam Antonius Andr. Bonnetus, Lycherus, & alij Scoti discipuli, quos refert Mas. ubi sup. Ex Thomistis verò Iabel. 4. Metaph. q. 1. & Soto hic q. 1. concl. 2. & lib. 1. Phys. q. 2. concl. 5. Ex aliis verò Suar. disp. 2. Metaph. sect. 2. n. 8. Hurta. ibid. sect. 3. & Cabero hic tra. 4. disp. 3. dubio 6.

Probatur primò auctoritate D. Th. 1. p. q. 5. art. 1.

ad 1. asserentis: *substantia, quantitas, & qualitas, contrahunt ens, aplicando ens ad aliquam quidditatem, secundum naturam*. Contractio autem intelligi non potest absque conceptu abstracto præciso: ergo, &c. Et quæst. 1. de veritate artic. 1. docet ens esse id, quod primò intellectus concipit, & in quod resoluit omnes conceptiones: explicatque modum quo contrahitur ad prædicamenta: quæ omnia saluari non possunt absque conceptu obiectiuo qui sit verè vnus, & præcisus: ergo concedendus est iuxta mentem D. Thomæ.

Secundò probatur ratione Scoti quia conceptus obiectiuus, de quo intellectus est certus, distinctus est à conceptu, de quo est dubius. Sed potest intellectus esse certus de aliqua re, quod sit ens & dubitare, an sit substantia, vel accidens, vt patet in quantitate de qua nemo dubitat esse ens; cum tamen plures dubitauerint, an sit substantia. Ergo conceptus obiectiuus entis distinctus est à conceptibus substantiæ & accidentis.

Tertio: quia ens vt est analogum proportionalitatis vel significat immediatè substantiam, vel accidens, vel vtrumque simul vel aliquid illis commune. Non primum: quia hæc esset falsa, *accidens est ens*. Neque secundum: quia hæc esset falsa, *substantia est ens*. Neque tertium: quia, vel edificat vtrumque copulatiuè vel disiunctiuè: non copulatiuè: quia iam hæc propositio, *substantia est ens*, erit falsa; siquidem faciet hunc sensum: *substantia, est substantia & accidens*: neque etiam disiunctiuè, vt opinatus est Syncinas quia hoc est contra ipsam experientiam. Ergo ens significat aliquam vnam rationem, seu gradum communem substantiæ & accidenti, actu non includentem illas, sed ab eis distinctum, & separatum.

Quartò quia ens est prior natura quàm substantia & accidens; siquidem ab illo ad vnumquodque ex his non valet consequentia: ergo in illo priori habet conceptum aliquem obiectiuum distinctum à conceptibus substantiæ, & accidentis.

Probatur consequentia: quia in illo priori, *sudito* nomine entis mens non distrahitur ad substantiam, vel accidens: ergo verè concipit aliquam vnam rationem vtrique communem.

Confirmatur quia primum in vnoquoque genere debet esse maximè vnum: ergo in genere intelligibilem, quod primò cognoscitur ab intellectu, erit maximè vnum; sed ens est, quod primò cognoscit intellectus vt docent Arist. & D. Th. 1. physic. lect. 1. ergo ens ex maximè vnum.

Vltimò probatur à priori (inquit Suarez) quia omnia entia realia habent similitudinem, & conuenientiam in ente: ergo omnia possunt concipi & repræsentari secundum illam præcisam rationem, in qua conueniunt: ergo verè habent aliquem conceptum obiectiuum abstractum.

46 Secunda conclusio. Ens non significat immediatè aliquem gradum seu rationem communem inferioribus ab eis distinctam, & abstractam: sed immediatè significat ipsa inferiora vt proportionabiliter se habentia inter se: atque ita simpliciter loquendo, ens non habet vnum conceptum obiectiuum suis inferioribus communem. Ita docet Diu. Thomas de Ente respectu substantiæ, & accidentis 8. Metaph. lect. 3. & ib. 10. lectione 3. de ente verò respectu Dei, & creaturarum planè indicat 1. par. q. 13. artic. 5. secundò dist. 16. quæst. 1. artic. 1. ad 3. de potentia quæst. 7. artic. 7. & quæstione 2. de veritate artic. 11. dum docet nullum nomen prædicari de Deo, & creaturis secundum eandem rationem. Intelligit autem per *rationem* conceptum vt obiectum, ipse Sanctus explicat, & notat Ferrar. 1. contra Gentes c. 34. Diuina Thomam

Thomam sequuntur communiter discipuli eius, Caiet, Ferrar. Zanardus Arauxo, Nazarius, & Masius, concl. 1. adducti. Soncin. 4. Metaph. quæst. 2. Flandria ibidem artic. 5. & alij quos refert, & sequitur Galleg. controuersia citata. Quam sententiam appellat verissimam Vasquez 1. parte, disput. 114. cap. 2. qui etiam videri potest disp. 22. antecedenti cap. 5. & Rub. in tractatu de Analogia, qui plures alios adducit.

47 Probat primò hanc sententiam Caiet. quæstione 2. de Ente & essentia ex Arist. 8. Metaph. text. 16. vbi docet, quòd ens statim se ipso est substantia, quantitas, & cetera prædicamenta, non expectans aliud faciens ipsum naturas prædicamentales: ergo ens non significat conceptum aliquem communem prædicamentis.

Paret consequentia: quia si talem conceptum significaret, cum hic actu non includeret prædicamenta, vt supponimus: iam expectaret aliquid: per quod ad ipsa contraheretur.

Confirmatur, ex eodem Aristor. 10. Metaph. text. 8. docente ens non significare aliquem gradum supra prædicamenta, sed immediatè ipsa prædicamenta, his verbis: *In predicatione vnus homo, non addit aliquid aliud quam, homo, sicut neque ipsum esse præter quid est, aut quale aut quantum.* Quem locum exponens Commentator, inquit: *Ens & vnum significat id, quod significat in predicatione substantia, quantitatis, aut qualis, prima significatione sine medio, & non mediante aliquo communi.* Quo etiam sensu intellexit Arist. D. Thom. ibidem lect. 3. dum ait: *Cum dicitur vnus homo, non aliquam naturam aliam ab homine prædicat, sicut neque ipsum, quod est ens, prædicat aliam naturam à decem prædicamentis, &c.* Et tandem idem docet Porph. cap. de Specie asserens: *Cum autem sint decem prima, communicatio nomine tantum, haud verò, & ratione ad id nomen accommodata est.*

48 Secundò probatur ratione: quia nullus gradus verè communis & præcisus, potest, esse transcendens: ergo nullum transcendens: ergo potest esse gradus, aut conceptus communis. Sed ens est transcendens: ergo non potest esse gradus aut conceptus communis. Minor, & vltima consequentia constat. Prima etiam est manifesta per regulas conuersionis, iuxta quas vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter. Antecedens verò probatur: quia repugnat, quòd aliquid comparatur ad aliud, vt pars ad partem, & quod transcendat illud, seu includatur in eo; aliàs inter ipsa esset impossibilis compositio, ad quam sicut necessaria est coniunctio extremorum, ita etiam ipsa se inuicem excludant, & vnum non sit aliud. Ergo nullus gradus potentialis & determinabilis potest transcendere, aut includi in illis, per quæ contrahitur, & determinatur; siquidem inter se comparantur, vt partes. Cum ergo omnis gradus verè communis & præcisus, sit potentialis, & determinabilis per alios, liquet profecto nullum talem gradum posse transcendere illos; & ex consequenti omnino inter se pugnare, quòd ens sit transcendens, & quòd simul habeat conceptum communem, & præcisum.

Confirmatur, quia ideo genus dicit vnum conceptum præcisum, & communem: quia non est de essentia differentiarum, sed ens de essentia differentiarum, seu modorum per quos ad prædicamenta determinatur: ergo ens non dicit vnum conceptum præcisum, & communem.

Probat maior: quia quòd est de essentia alicuius, non potest verè præscindi, seu abstrahi ab illo, ergo ideo genus præscinditur, seu abstrahitur à differentiis: quia non est de essentia illarum.

49 Dices genus præscinditur, & abstrahitur ab speciebus, & tamen est de essentia illarum.

¶ Respondetur, propriè loquendo, genus non præscindi ab speciebus, sed à differentiis. Præcisio enim scissionem importat, sicut abstractio separationem. Separatio autem, seu scisso fit necessariò inter partes, vt de se patet. Quando autem dicimus aliquam partem abstrahi à toto, vt lapidem ab accruo, aut genus ab specie locutio est per synecdochen, idèque verificatur: quia in toto remanet alia pars, à qua propriè abstrahitur, & separatur, quia in ea non excluditur quòd quidem inuenitur in genere respectu specierum; sed non in ente respectu inferiorum: & ita in sensu explicato potest rectè dici genus abstrahi ab speciebus, non verò ens ab inferioribus.

50 Tertio probatur conclusio ab inconuenientibus: quia si ens haberet conceptum communem, esset vniuocum: consequens est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Sequela admissit Scotus: quia penetrari vim illationis: facileque suaderetur ex definitione vniuocorum. Nam conceptus ille haberet nomen commune, vt patet: & ratio significata esset omnino eadem. Quod sic probatur: quia illa ratio est omnino eadem, vt requiritur ad vniuocationem, quæ in se non includit actu principia distinguentia, etiam si illa includat in potentia: sed ille conceptus præcisus esset huiusmodi: ergo, &c.

Maior constat in animali, quòd quamuis contineat in potentia rationale, & irrationale; dicit tamen rationem omnino eandem, & vniuocat: quia actu non includit illa; Minorem autem concedunt aduersarij: estque satis clara quia ille conceptus apud ipsos est actu vnus: ergo actu non includit ea, per quæ multiplicatur.

Respondebis id quod Sugar. & alij Moderni communiter respondent, quòd conceptus analogus, qualis est conceptus præcisus entis etiam si actu non includat principia distinguentia; tamen ex se postulat descendere ad inferiora cum quadam inæqualitate, subordinatione, non solum ex parte ipsorum inferiorum, sed etiam ex intimis visceribus ipsius conceptus analogi: quòd tamen non habet conceptus vniuocus. Animal enim ex se non petit hanc inæqualitatem, sed tota prouenit à differentiis, per quas contrahitur.

Sed contra, quia vel loqueris de inæqualitate actuali, & formali, asserens conceptum analogum abstractum in se habere aliquam actualem inæqualitatem, quam in se non habet conceptus vniuocus: & hoc non, quia iam conceptus ille actu includeret aliqua principia distinguentia, à quibus causaretur ista inæqualitas actualis, & per consequens actu non esset vnus. Vel loqueris de inæqualitate radicali & potenciali, asserens conceptum analogum præcisum ex se esse radicem inæqualitatis, quam habent inferiora, eamque continere in potentia. Hoc autem non tollit vniuocationem: quia conceptus genericus est etiam radix inæqualitatis, quæ inuenitur inter species, & continet illam in potentia; siquidem in potentia, & in radice continet earum differentias, quòd autem est radix principiorum causantium inæqualitatem, etiam est radix ipsius inæqualitatis, vt per se patet. Ergo semel admissio conceptu præcisò entis, negari non potest illum esse vniuocum.

51 Vt etiam sequeretur ens posse poni in definitionibus, contra Aristor. 8. Metaph. text. 16. asserentem: *Quare non inest in definitionibus, neque ens, neque vnum, &c.* Probat sequela: quia in qualibet definitione, loco generis potest poni definitio ipsius generis ex Arist. 2. Topic. cap. 2. sed si ens diceret

ceret vnum conceptum præcisum, iam genera suprema haberent veras definitiones: ergo in qualibet definitione, loco generum supremorum possent poni eorum definitiones, in quibus necessariò continetur ens; ac proinde iam in definitionibus poneretur ens.

Quòd autem hoc sit absurdum, probatur ratione, qua Arist. 3. Metaph. text. 10. probat genus non esse de essentia differentiarum. Quia scilicet duplici ratione genus intraret definitionem, semel quidem ratione sui, & iterum ratione differentie, & ita commicaretur nugatio: nam bis genus repeteretur in definitione, vt magis explicuimus supra disp. 7. n. 42. Sed hæc eadem nugatio contingeret, si poneretur ens in definitionibus; siquidem est de essentia differentiarum, vt patet: ergo, &c.

Hoc inconueniens esse parui momenti iudicauit Suar. disp. 32. Metaph. sect. 2. n. 8. quod tamen omnino absurdum reputauit Arist. & merito: nam ita certum est vnam partem definitionis non posse includi in alia; sicut est certum partes cuiuscunque compositionis realis se inuicem excludere.

§ 2 Tandem si ens diceret conceptum communem & præcisum, sequeretur aliquid esse prius, & simplicius Deo; in eoque dari compositionem ex actu & potentia; & prædicamenta non esse conceptus simplices, nec primò diuersa: quæ tamen falsa sunt: ergo & illud ex quo sequuntur.

Probat sequela: quia quilibet conceptus abstractus habet rationem partis respectu inferioris; cum ex illo, & ex gradu proprio intelligatur componi. sed omnis pars prior, & simplicior est composito: ergo, &c. Quòd si conceptus ille habet rationem partis, iam Deus, & prædicamenta erunt composita ex diuersis gradibus, in quorum vno conuenient, in alio different; & per consequens nõ different se totis, neque erunt primò diuersa. Videatur pro hac ratione D. Thomas 1. p. q. 3. art. 5. & 1. contra Gentes c. 42. ratione 7.

Ex quibus omnibus probata manet secunda pars conclusionis. Si enim ens non significat immediatè aliquem gradum, seu conceptum obiectiuum præcisum à suis inferioribus: ergo immediatè significat ipsa secundum suas proprias rationes.

*Argumentis pro contraria sententia factis responderetur.*

### §. II.

§ 3 **A**D primum locum D. Tho. respondetur, quod eo sensu, quo supra disputatione 10. n. 42. diximus analogum abstrahere ab analogis, dicitur etià contrahi ad illa: non scilicet simpliciter tanquam gradus præcisus ab eis, sed per maiorem expressionem eiusdem conceptus, quod est contrahi secundum quid. Et hoc modo concedit D. Thomas ens contrahi ad prædicamenta: quia eandem rem, seu gradum, quem ens confusè & imperfectè significat, significat substantia, aut accidens perfectè & distinctè. Propter quod D. Th. addidit illam limitationem, *applicando ens ad aliquam quidditatem*. Hanc autem esse mentem Angelici Doctoris patet ex primo contra Gentes c. 25. Vbi loquens de propria contradictione, negat ens contrahi posse per aliquam differentiam.

Ad alium locum D. Thom. respondetur ens esse primò notum, & omnia resolui in illud, non tanquam in vnum, conceptum simpliciter, sed vnum analogicè. Quod ibi explicat D. Thom. dum docet, quod inferiora dicuntur addere enti: non quia addant aliquam naturam, aut conceptum distinctum, per quem propriè contrahatur; sed per maiorem expressionem eiusdem conceptus: *in quantum scilicet in-*

*feriora entis (inquit) exprimunt ipsius modum, qui nomine entis non exprimitur.*

§ 4 Ad secundum distinguenda est maior. Si enim sensus sit conceptus, de quo intellectus est certus, debere esse distinctum simpliciter à conceptu, de quo est dubius, neganda est: concedenda verò, si sensus sit debere esse distinctum secundum quid, seu penes maiorem, & minorem expressionem. De eodem enim conceptu, vt est alteri similis, & vt imperfectè, & confusè significatur, potest intellectus esse certus alicui conuenire; cum tamen dubitet an illi conueniat idem conceptus absolute sumptus, vel vt perfectè, & distinctè significatur.

Ad tertium responderetur ens non significare aliquem gradum communem substantiæ, & accidenti, neque solam substantiam neque solum accidens, sed vtrumque simul secundum suas proprias rationes. Hoc autem dupliciter potest intelligi. *Primò*, quòd ens, significat substantiam, & accidens secundum suas proprias rationes absolute sumptas, vt exprimuntur nominibus substantiæ, & accidentis, vel disiunctiue, vt voluit Soncinas, vel copulatiue, vt intendit argumentum: & vtrumque est falsum, neque amplius probat ratio ibi facta. *Secundò*, quòd ens significet substantiam, & accidens secundum suas proprias rationes, vt proportionabiliter inter se similes. Et hoc, propriè loquendo, neque est significare copulatiue, neque disiunctiue: quia copulatio, vel disiunctio exercetur inter res absolute sumptas; sed sufficienter explicatur dicendo, ens significare substantiam, & accidens secundum suas rationes, proportionabiliter simpliciter similes, quod est significare vtrumque simpliciter, seu nudè, non verò cum copulatione, vel disiunctione. Et ita quando ens prædicatur de substantia, & accidenti, non prædicat eandem omninò rationem. Sed quando dicimus, *substantia est ens*, ibi de substantia absolute sumpta prædicatur ratio eiusdem substantiæ, vt proportionabiliter similis accidentibus: & quando dicimus, *accidens est ens*, ibi de accidenti absolute sumpto prædicatur ratio accidentis, vt proportionabiliter similis substantiæ. Et hic est proprius modus prædicandi analogi proportionalitatis propriæ, in quo distinguitur ab vniuoco, & æquiuoco, vt etiam notauimus supra disputat. 10. numero 35.

§ 5 Ad quartum responderetur, quòd sicut conuenientia proportionalis, quam substantia, & accidens habent in ente, sufficit, vt sit secundum quid superior: ita etiam vt sit prius natura illis, & vt audito nomine entis, mens propriè loquendo non distrahat. Ad distractionem enim necessarium erat, vt nomen significaret plura vt plura, seu rationes omninò diuersas, sicut æquiuocum: quod non habet ens, vt patet.

Ad confirmationem responderetur antecedens esse, verum de eo, quod est primum in vnoquoque genere via perfectionis. Secus verò, si sit primum secundum imperfectionem, seu ordine generationis, vt patet de materia prima: quæ quia in genere substantiæ est prima via imperfectionis, idè habet minimam vnitatem, scilicet negatiuum, vt suo loco dicemus. Et hoc modo ens in genere intelligibile est primò cognitum, vt docent Aristot. & D. Thom. loco citato in argumento. Quia, vt ibidem explicabimus, cum intellectus noster in cognoscendo procedat de potentia ad actum, prius peruenit ad cognitionem confusam. Et ita prius occurrunt illi vniuersaliora, quæ sunt potentialiora, & confusiora. Et in hæc primò occurrit id, quod vniuersalissimum est, nempe ens. Quod con-



consequenter inter alia potius habet minimam unitatem.

Ad quintum, quod est ratio à priori P. Suarez, respondetur distinguendo antecedens. Si enim sensus sit omnia entia realia in ratione entis habere similitudinem, & convenientiam secundum quid, seu proportionalem, concedendum est: negandum verò, si intelligatur de convenientia simpliciter, & propria. Quæ etiam modo distinguendum est consequens. Et ita solum sequitur omnia entia realia habere conceptum obiectiuum abstractum secundum quid, non verò simpliciter.

¶ Ex quo non solum ruit ratio illa à priori: sed sic faciliè contra suum Auctorem retorquetur. Omnia entia realia in ratione entis solum habent convenientiam secundum quid, & proportionalem; quæ consequenter secum affert, & intimè includet eorum diuersitatem: ergo solum possunt concipi, & representari secundum rationem secundum quid præcisam, in qua proportionaliter conueniant. Ergo solum habent conceptum obiectiuum secundum quid, seu proportionaliter vnum, & ex consequenti simpliciter plures.

56 ¶ Ex dictis inferitur primò suprema genera propriissimè esse conceptus simplices, sicut de differentiis diximus disput. 7. numero 41. cum enim ens non significet aliquem vnum gradum, in quo prædicamenta conueniant; non potest in eis fundari ab intellectu compositio rationis, quæ sit vera compositio ex duobus gradibus, sicut fundatur in generibus intermediis. Vnde quamuis apprehendamus prædicamenta, quasi componi ex ente, & peculiari modo vniuscuiusque, id. prouenit: non quia ex parte ipsorum sit sufficiens fundamentum ad formandos diuersos gradus: sed quia nos res simplices semper apprehendimus cum aliqua compositione. Ex quo rursus sequitur prædicamenta in toto rigore esse primò diuersa, & se totis differre. Non enim conueniunt in aliquo conceptu, & in aliquo differunt, quæ non componentur ex diuersis conceptibus, ut de se patet.

57 ¶ Secundò inferitur ens, in rigore loquendo non idè esse transcendens respectu supremorum generum: quia includatur in differentiis constitutivis eorum; siquidem non habent tales differentias, ut explicatum est. Vnde transcendentia essentialiter consistit in quadam identitate conceptus, seu in eo, quòd transcendens non significet immediatè aliquem gradum distinctum ab iis, respectu quorum dicitur transcendens: sed immediatè sit ipsa secundum omnem rationem, quam habent. Propter quod transcendentia melius applicatur per negationem sicut illam explicauimus num. 33. dicendo transcendens esse, id quod in rebus conuenit ut nihil in eis inueniatur, de quo formaliter non prædicetur, quia autem ex hac identitate conceptus prouenit in rebus habentibus differentias, quo transcendens prædicatur essentialiter de illis: idè solent aliqui definire transcendens esse id, quod imbibitur in ultimis differentiis sed hoc non semper inuenitur, ut explicatum est. Ex quo vterius sequitur, non solum ens, ut abstrahit à completo, & incompleto, sed etiam ens completum esse transcendens respectu supremorum generum, nihil enim in eis, de quo formaliter non prædicetur ens completum; siquidem non habent partes, ex quibus componantur.

58. ¶ Tertiò tandem inferitur, quod etiam accidens est transcendens respectu nouem prædicamentorum; siquidem in eis nihil inuenitur, de quo formaliter non prædicetur; & per consequens non significat immediatè aliquem gradum, seu conceptum

Colleg. Compl. Logica.

obiectiuum illis communem; sed ipsa nouem genera secundum suas proprias rationes, ut proportionaliter se habentes. Ac proinde erit analogum proportionalitatis, propriæ quidem si omnia nouem prædicamenta sint intrinsecè entia, & accidentia, ut multi docent: si verò eorum aliqua consistant in sola denominatione extrinseca, ut alij volumus (de quo infra disput. 16.) tunc analogia respectu omnium erit proportionalitatis metaphoricæ: neque in hoc est amplius immorandum. Ex his tamen collige eandem omnino esse diuisionem entis in substantiam, & accidens, ac in decem prædicamenta. Quod docuit expressè Diu. Thomas opusc. 42. cap. 3. dicens *Ens vno modo dicitur substantia, alio modo accidens: & hæc est diuisio entis per decem prædicamenta.* Ratio autem est clara: quia cum accidens non significet aliquem gradum medium inter ens, & quantitatem, qualitatem, aut alia prædicamenta accidentium, sed immediatè ipsa nouem genera, ut dictum est: æquè immediatè, & in eadem membra diuiditur ens in vtraque diuisione.

## QVÆSTIO VLTIMA.

2 V O M O D O A L I Q V A A L I A  
dubia antepædicamentalia expedienda sint.

### D V B I T A T V R P R I M O.

*Quæ entia, & quomodo in prædicamentis collocentur.*

59 C O N S T A N S Dialecticorum sententia est, in prædicamentis quædam collocari per se, & in recta linea; alia verò per accidens, & reduci, & ea, quæ in recta linea collocantur, in primis debere esse entia realia: nam ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, est ens reale: similiter debere esse entia per se, completa, incompleta, vniuoca, & essentialia: & consequenter à recta linea prædicamentorum excludi entia per accidens, incompleta, complexa, æquivoca: analoga, & prædicata accidentalia. Cuius ratio sumitur ex ipsa definitione prædicamenti. Cum enim prædicamentum sit series, seu ordinatio prædicabilium: ad hoc, ut aliqua per se collocentur in prædicamento, requiritur, & quòd propriè, & simpliciter sint prædicabilia, & quòd habeant inter se propriam seriem seu ordinationem; siquidem verba in definitione stant simpliciter. Sed ut sint simpliciter prædicabilia, debent esse entia per se completa, incompleta, & vniuoca: & ut habeant propriam seriem, seu coordinationem, debent esse prædicata essentialia; siquidem solum inter ea potest esse essentialis subordinatio superioris, & inferioris. Ergo omnia præassignata requiruntur.

Hæc etiam ratione, differentiarum essentialium excluduntur à recta linea prædicamenti. quia cum non prædicentur omnino in quid, sed in quale quid; inter ipsas, & alia prædicata essentialia non est propriè series, aut subordinatio essentialis superioris & inferioris: siquidem respectu gradus genericum non est propriè inferior; cum non includat illud: & respectu gradus specifici non est superior, sed æqualis; cum sit constitutiva eius. Quia verò differentiarum solum ex modo significandi significantur per modum alteri adiacentis; cum tamen res significata sit ipsa tota essentia, quam significat genus ut dicitur

R

put

put. 5. num. 63. explicatum est: idè inter alia omnia, quæ reductiue collocantur in prædicamentis differentiarum habent specialem dignitatem, & proprium locum, scilicet ad latus illius speciei, quam constituunt, vt etiam vidimus supra disp. 6. n. 45.

60 Quomodo autem res collocentur in prædicamentis, an scilicet in concreto, vel in abstracto significatur, satis constat ex dictis disputat. 3. citata, vbi explicuimus radicem quare in prædicamento substantiæ propriè, per se collocentur concreta; abstracta verò non nisi per reductionem: & contra in prædicamentis accidentium.

Adhuc tamen propter Caietanum inuestigandum est: an saltem dici possit concreta accidentium per se collocari in prædicamentis, secundum quod ad Metaphysicum spectant.

Pro quo sciendum est Caietanum cap. 7. de ente, & essentia circa finem, distinguere duas considerationes prædicamentorum: vnã, secundum quod de eis tractat metaphysicus, qui tantum attendit res significatas; & aliam, secundum quod pertinent ad Logicum, qui etiam attendit modum significandi. Cum ergo concreta accidentium, quantum ad rem significatam, sint entia per se; ex modo verò significandi sint entia per accidens: idè inquit in prædicamentis, secundum quod considerantur à Metaphysico collocati per se, tam concreta, quam abstracta accidentium in eisdem verò, vt considerantur à Logico, collocari sola abstracta.

61 Hanc Caietani sententiam approbant, & defendunt Sanchez libr. 5. logicæ quæstio. 2. Ma. hic sectione 2. quæstione quarta & Arauxo libro 5. Metaph. quæst. 1. artic. 3. Alij tamen eam contemnunt, appellantque singularem, & improbabilem. Sed immerito: nam in rei veritate solum vult Caiet. quòd res significata per concretum accidentale, per se ponatur in prædicamento, licet non secundum quod tali nomine significatur: in quo nihil nouum in re asserit. Verum est tamen hanc eius doctrinam parum necessariam esse, neque satis propriè loqui. Nam tota distinctio inter concretum, & abstractum sumitur ex modo significandi, vt supponit ipse Caietan. & nos explicuimus supra disp. 4. num. 18. Ergo, si Metaphysicus non attendit in prædicamentis modum significandi, sed tantum res significatas: proprius diceretur, in eis formaliter vt à Metaphysico considerantur, neque poni concreta, neque abstracta; siquidem hæc essentialiter includunt modum significandi; & per consequens eo sublato, neque manet concretum, neque abstractum, sed hæc formalitates parum profunt, & minus firmitatis habent. Quamuis enim Metaphysicus non consideret nomina vt partem sui obiecti, sicut considerat Logicus; tamen non adducit res ipsas ad scholas, neque eas per se ipsas collocat, in prædicamentis, sed loco illarum substituit nomina: quibus eum sit intrinsecus modus significandi, non rectè faciet si in prædicamentis accidentium loco rerum substituat nomina concreta; quare standum est communi doctrinæ, quam loco citato absolute tradidimus, quamque absque tali distinctione tradunt Aristoteles tertio Topicorum, capite primo, Diu. Thomas cap. 7. de ente, & essentia, & opusculo 42. cap. 19. Socio capite de quantitate quæstione prima ad secundum, & communiter Dialectici.

## D V B I T A T V R II.

*Quot sint prædicamenta:*

62. **M**inor est his temporibus de numero prædicamentorum dissensio, quam fuit apud antiquos Philosophos. Plato enim teste Aristot. 3. Metaphys. cap. 3. vnum constituit rerum omnium prædicamentum, scilicet ens. Quam sententiam secuti sunt Scotus & plures alij. ¶ Xenocrates. & Andronicus, vt refert Simplicius, duo constituunt prædicamenta, scilicet substantiam, & accidens. ¶ Laurentius Valla, vt testantur Conimbricenses. hic qu. 2. art. 3. enumerat tria, nempe substantiam, quantitatem, & actionem. ¶ Stoici, vt Auctor est Plotinus lib. 1. Enneade 6. quatuor assignant. ¶ Plato etiam in Sophista, vt refert Ma. hic sect. 2. q. 1. quinque constituit.

Vt harum opinionum defectum emendarent alij, quorum meminit Niphus 6. Metaphys. disp. 7. vndecim constituerunt prædicamenta, addentes communi numero vnum prædicamentum entium rationis. ¶ Et tandem Pythagorici, vt colligitur ex Aristot. 1. Metaphys. cap. 5. vsque ad viginti prædicamentorum numerum protulerunt. Quæ antiquorum sententiæ ex dictis in hac, & præcedenti disput. & ex dicendis de vnoquoque prædicamento facile reiciuntur: & idè illis relictis.

63. Vera, & communis sententia decem constituit prædicamenta. Quam primus docuit Architas Tarentinus quem sequutus Aristotel. tantam huic numero apud subsequentes Philosophos conciliauit auctoritatem, vt quamuis non adeò firma ratione stabilietur: iam tamen paradoxum esset illi repugnare. Vnde Auicenna 7. Metaphysicæ, vt refert, Scotus 4. dist. 13. quæst. 1. art. 1. *Coguntur (inquit) observare illam diuisionem famosam prædicamentorum, qua dicitur esse decem generalissima, propter Philosophorum antiquam auctoritatem, cui non debet facile contradici.* Sed antequam utcumque ostendamus huius diuisionis sufficientiam.

Notandum est denarium istum prædicamentorum numerum probabiliter tantum sustineri. Neque enim perspectas habere possumus rerum omnium essentias, vt omnino conuincatur eas omnes ad decem classes esse necessariò reducendas. Quare non sic huic numero inhzendum est, vt velimus ita propriè, & exactè saluare rigorem prædicamentorum, sicut saluatur in substantia, verbi gratia, quantitate, aut qualitate. Nam de situ quidem vix intelligitur, quid addat supra vbi, quòd ab ipso, & relatione sit primò diuersum. Similiter de habitu non facile explicatur quomodo constituat notum prædicamentum. Et idem fortè est de quibusdam alijs. Hanc autem fuisse mentem grauiorum Philosophorum post Aristot. satis apparet ex eo quòd ferè omnes antiqui sex vltima prædicamenta in denominatione extrinseca constituere videntur; ita vt eadem forma respectu subiecti, in quo est, sit in vno prædicamento; quatenus verò comparatur ad aliud, quòd intrinsecè denominat, ponatur in alio: per quod distinguunt sex ista prædicamenta ab alijs quatuor, vt suo loco videbimus. Iuxta quam tamen sententiam vix explicari potest, quomodo hæc sunt ab illis primò diuersa, si prædicamentorum condiciones, & rigorem in omnibus ad vnguem obseruare velimus. Restat ergo hanc prædicamentorum enumerationem solum esse propositionem quandam Dialecticam, probabilem, præcipuè innitentem auctoritati Philosophorum, qui eam tradiderunt, & probauerunt.

64 Hinc

64. Hinc fit sufficientiam huius diuisionis non posse omnino conuinci ac proinde non esse quærendam rationem, cui repugnari non possit, sed quæ verosimiliter ostendat numerum istum satis congruenter esse constitutum. Quod sic nos deducere possumus cum Diu. Thom. 5. Metaphysic. lect. 9. & 3. Physicorum lect. 5. Quia prædicamentum est series prædicabilium; ergo tot erunt prædicamenta quot fuerint coordinationes seu series prædicabilium. Sed hæc sunt tantum decem: ergo decem tantum sunt prædicamenta. Minorem probat Diu. Thomas ex diuerso modo prædicandi rerum: qui consequenter arguit diuersum modum essendi: virtuturque hoc discursu. Quia prædicatum tripliciter potest se habere ad primam substantiam. *Uno modo* quando prædicatum est id.; quod est ipsum subiectum, non solum quantum ad modum significandi, sed etiam quantum ad rem significatam, ut cum dicimus: Petrus est homo animal, &c. Et huiusmodi prædicata constituunt prædicamentum *Substantia*. *Secundo modo*, cum prædicatum sumitur, secundum quod inest subiecto. Et tunc vel prædicatum inest subiecto absolute, ut consequens materiam, & sic est *quantitas*: vel ut consequens formam & sic est *qualitas*: vel inest, non absolute, sed in ordine ad aliud & sic est *relatio*. *Tertio modo* cum prædicatum sumitur ab eo, quod est extra subiectum: & hoc dupliciter. Nam vel id, à quo sumitur prædicatum non omnino est extra subiectum; sed secundum aliquid est in illo & tunc si sit secundum principium, est *actio*; si verò secundum terminum, *passio*. Vel id, à quo sumitur prædicatum, est omnino extra & tunc si non sit mensura subiecti, prædicatur per modum *habitus*: si verò sit mensura: cum mensura extrinseca sit vel tempus, vel locus; ex tempore sumitur *quando*, & ex loco *vbi*; non considerato ordine partium in loco; eo autem considerato, erit *spatium*. Ergo decem sunt prædicamenta. Videatur D. Thom. vbi supra. Quomodo autem inter se distinguantur, explicabimus capite de relatione, agentes, de distinctione eius à fundamento.

### D V B I T A T V R III.

*An inherencia aptitudinalis sit de essentia accidentium.*

65. **D**Vbius istud commune est nouem generibus accidentium: & idem suus etiam locus debetur ei in his antepædicamentis. Pro tituli autem intelligentia nota, illud dici *inherere*, quod est in aliquo tanquam in subiecto, à quo sustentatur: quod etiam solet appellari *in esse*, seu *inexistere*. Et hoc inherere, seu inesse in abstracto, & quasi in actu signato, dicitur *inherencia*. Quæ proinde est propria accidentium: siquidem accidentis esse inesse. Si ergo accidens consideretur, ut actus est in subiecto, talis inherencia dicitur *actualis*: si verò solum consideretur in accidenti aptitudo, seu propensio ad inherendum; dicitur *inherencia aptitudinalis*. Et ita merito dubitatur, utra harum sit de essentia accidentium.

Scotus in quarto distinct. 2. quæst. 1. existimat utramque inherentiam esse veram relationem, ac proinde neutram esse essentia nouem prædicamentorum: quia ex eis plura sunt entia absoluta. Additque eos, qui hoc verunt in dubium, ignorare quid nominis ipsius inherentiæ.

Econtra verò Gentiles Philosophi fortè existima-

Colleg. Compl. Logica.

runt de essentia accidentis esse inherentiam, non solum aptitudinalem, sed etiam actuale. Nam, ut benè notat label. 7. Metaphysic. quæst. 1. ex sensatis non potest conuinci, accidens posse esse sine actuali inherencia. Hancque fuisse mentem Aristotelis, & Commentatoris defendit noister Ioannes Bacon, ut ibidem refert label. quod etiam latè prosequitur Niphus 7. Metaphysic. disputatione 1. Mediam tamen sententiam, quod scilicet inherencia aptitudinalis sit de essentia accidentium; non verò actualis, recipit communiter schola Diui Thomæ iuxta quam.

66. Dicendum est solam inherentiam aptitudinalem esse de essentia accidentium. Sic docet Angelicus Doctor. 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 1. quæstioncula 1. ad secundum; vbi reddens rationem, quare accidentia possint à Deo conseruari sine actuali inherencia ad subiectum, ait: *Esse in subiecto non est definitio accidentis: sed è contrario rei, cui debetur esse in alio: & hoc nunquam separatur ab aliquo accidenti, neque separari potest: quia illi rei, quæ est accidens, secundum rationem suam quidditatis semper debetur esse in alio, &c.* Diuum Thomam sequuntur Caietan. de ente, & essentia c. 7. quæstione 15. Capreolus in primo distinct. 42. quæstione 1. artic. 3. label. vbi supra Ferrar. 4. contra gentes c. 75. & Mafius sect. 1. de accidentibus quæstione 1. qui addit esse omnium Thomistarum. Quibus etiam alij Doctores consentiunt.

Fundamentum potissimum sumitur ex mysterio Eucharistiæ, vbi quantitas, & alia accidentia conseruantur sine subiecto: ergo actu inherere non est de essentia illorum. Antecedens pater ex Concilio Tridentino sessione 13. can. 2. Consequentia verò probatur: quia implicat rem conseruari sine propria essentia.

67. Dices, hoc argumento solum conuinci intentum de quantitate; non verò de aliis accidentibus: siquidem hæc in Eucharistia non omnino conseruantur absque subiecto. Sed contra est: quia quamuis ratio adducta non inducat utrobique eandem certitudinem; tamen, supposito mysterio, negari non potest, valde efficax desumi argumentum à quantitate ad alia accidentia Eucharistiæ. Tum quia quantum ad hoc eadem est ratio de omnibus accidentibus completis; siquidem quod quantitas, aut qualitas exigant subiectum, à quo sustententur, non oriuntur ex peculiari ratione huius, aut illius, sed ex communi ratione accidentis. Tum etiam quia alia accidentia Eucharistiæ verè conseruantur absque integro, & connaturali subiecto, ad quod dicunt essentialem habitudinem; & per consequens non habent actuale inherentiam ad illud. Tum demum quia inherencia actualis ad subiectum supernaturaliter, seu per miraculum sustentans, non potest esse de essentia alicuius accidentis; siquidem nihil est cuiuslibet rei magis naturale, quam sua essentia: ergo si de essentia albedinis verbi gratia esset aliqua inherencia actualis: hæc non deberet esse respectu solius quantitatis, sed respectu totius subiecti, à quo connaturaliter petit sustentari. Cum ergo talis inherencia actualis non sit in Eucharistia: planum sit ipsam non posse esse de essentia albedinis, & aliorum accidentium, quæ ibi manent.

68. Secundò probatur nostra sententia: quia inherencia actualis, vel non est aliqua entitas distincta ab ipsa existentia accidentium, ut docent plures Thomistæ, & defendit Mafius, vbi supra quæstione secunda, vel ad summum est aliqua unio, seu nexus medius quo accidens copulatur subiecto: sed neutrum potest esse de essentia accidentis: ergo, &c.

R 2 Maior

Maiores videtur certa: nam inherencia adualis, ut ipsum nomen indicat, est id, ratione cuius accidens actu existit in subiecto, seu ipsum actuale esse in subiecto: ergo vel est ipsa actualis existentia accidentis, vel aliquid, medio quo actu coniungatur illi. Minor verò probatur: quia existentia est extra essentiam cuiuscumque creaturæ, & cum illa facit compositionem, ut aliquando ostendemus. Similiter nexus ille medius, esto quod detur, distinguitur ab ipso accidenti ergo non potest esse ipsa, essentia eius.

Per quod patet, quid dicendum sit ad Scorum. Si

enim nomine inherencia intelligatur relatio aliqua prædicamentalis, quam accidens habeat respectu subiecti, fateamur nullo modo esse de essentia accidentis. Nos tamen nomine inherencia non intelligimus talem relationem, sed fundamentum eius: quod explicamus per relationem transcendentalem eiusdem accidentis ad subiectum. In quo sensu sumitur nomen istud à Dialecticis. Vnde cum Scoro solum remanet quæstio de nomine, in qua adhuc non potest ipse efficaciter probare, inherenciam esse nomen relationis.

## PRÆDICAMENTA ARISTOTELIS.

**A**PLICATIS iis quæ ad Prædicamentorum notitiam erant necessariò præmittenda, & propterea antepredicamenta meritis nuncupantur: iam in hac secunda parte libri per quinque sequentia capita differis Aristoteles de unoquoque prædicamento in speciali. Quos nos imitantes eodem ordine de illis agemus.

### CAPUT V.

*De substantia.*

*SUMMA TEXTVS.*

**T**RES partes continet hoc Caput. In Prima, subintellecta diuisione substantiæ in primam, & secundam, veramque definit Arist. dicens: *Substantia, quæ propriè, primò, & maximè dicitur, est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est. Secunda verò substantia sunt species, & genera, in quibus insunt primæ.*

In secunda parte comparat primas substantias cum secundis, & res inter se, dicens primas substantias esse magis substantias, quàm secundas: quia pluribus subiiciuntur, Substant enim accidentibus, quibus substantia secundæ substantiæ & insuper subiiciuntur ipsis secundis substantiis. Ex quo inferit, sublati primis substantiis, impossibile esse aliquid aliorum remanere, Differunt autem accidentia, & secundæ substantiæ, quod hæ prædicantur de primis, non solum nomine, sed etiam ratione, aut definitione: illorum verò aliqua neque nomine; neque ratione: cætera verò nomine tantum, & non ratione, aut definitione de primis prædicantur. Comparat deinde secundas substantias inter se, dicens ex eis speciem esse magis substantiam, quàm genus: quia propinquior est primæ substantiæ; & idè inter ipsas species vnā non esse magis substantiam, quàm aliam, sicut etiam inter primas substantias vnā non est magis substantia, quàm alia: quia æquè omnibus aliis subiiciuntur.

In tertia parte enumera sex proprietates substantiæ, *Prima*, est, quod tam prima, quàm secunda substantia non est in subiecto. *Secunda*, quod secundæ substantiæ, & differentiæ vniocè prædicantur de prima substantia. *Tertia*, quod prima substantia significat hoc aliquid; secundæ verò videntur significare quale quid. *Quarta*, quod substantiæ nihil est contrarium. *Quinta*, quod non suscipit magis

& minus. Et *ultima*, quæ maximè videtur propria substantia, est quod eadem manens sit contrariorum susceptiua.

### NOTATIONES ET DVBIA circa hoc caput.

**C**irca primam partem Iabel. existimat in prioribus verbis Arist. duas contineri definitiones primæ substantiæ, vnā in illis aduerbiis: *Quæ propriè, primò, & maximè dicitur*, & aliam in verbis sequentibus: *Quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est.* Sed quidem aduerbia illa non habent formam definitionis; sed ea posuit Arist. à parte definiti, tanquam encomia quædam, primæ substantiæ dignitatem declarantia: & ita tantum sequentia verba relata pertinent ad definitionem. De qua, & de definitione secundæ substantiæ, ac diuisione in vtramque agemus in disp. Nunc tamen.

Dubitatur primò: quo sensu substantia singularis dicitur propriè, primò, & maximè substantia.

¶ Ratio dubitandi sumitur ex Arist. 8. Metaph. cap. primò, ubi expressè vniuersalia appellat magis substantias, quàm singularia: Qui etiam in postprædicamentis docet vniuersalia esse priora singularibus.

3 Diversimodè respondent aliqui ex antiquis: quorum sententias refert Maius hîc sectione secunda, quæstione prima. Illis tamen relictis, respondetur cum Caietano, & aliis quod quia substantia dicta est à substando accidentibus, vel à subsistendo: idè illa dicitur propriè, primò, & maximè substantia; quæ propriè, & primò sustentat accidentia, & quæ propriè, & primò subsistit. Quod constat conuenire primis substantiis: nam ideo homo substat, seu sustentat accidentia, quia Petrus illa sustentat & idè subsistit, quia Petrus subsistit. Hoc autem intendit Aristoteles in præsentî, probans primam substantiam esse magis substantiam, quàm secundam: quia pluribus substat. Quod non solum de prædicatione, sed etiam, & maximè de reali sustentatione accidentium intelligendum est. Idè enim homo est albus, quia Petrus est albus.

Dices

Dices : propriæ passiones conueniunt primis substantiis ratione secundarum : ideo enim Petrus est risibilis, quia homo est risibilis, ut diximus supra disput. 9. numero 12. ergo vniuersaliter non est verum secundas substantias subistere accidentibus ratione primarum.

Respondetur doctrinam illam procedere de conexione prædicati cum subiecto ; non verò de reali eorum existentia. Quamuis enim risibile prius respiciat hominem quàm Petrum : quia dimanat ab homine ; ratione cuius conuenit Petro ; tamen quantum ad realem existentiam, ideo risibile realiter existit in homine : quia realiter existit in Petro ; vel Paulo. Radix autem vtriusque est : quia conexio prædicati cum subiecto est necessaria, & absoluitur à tempore : atque ita per prius conuenit speciei. At eorum existentia est temporalis, & contingens, conueniens eis per actionem causæ efficientis : ac proinde per prius conuenit singularibus quæ propriæ dicuntur fieri, ut supra disp. 3. num. 8. vidimus.

4 Ad rationem dubitandi respondetur. Ad primum locum Aristot. dicimus primò cum Alexandro, & D. Thom. ibi loqui Aristotelem ex mente Platonis, cuius rangit sententiam asserentem substantias vniuersales, seu ideas esse magis substantias : quæ tamen opinio supra à nobis explosa est. ¶ Vel secundò respondetur ibi secundas substantias appellari magis substantias : quia secundum se sunt incorruptibiles, & immutabiles : quod non habent substantiæ singulares.

Ad secundum locum respondetur ibi Aristot. distinguere duplicem prioritatem aliam consequentiæ ; & hoc modo vniuersalia sunt priora singularibus : quia ab vniuersalibus ad singularia non valet consequentia : & aliam causalitatis ; & hoc modo singularia sunt priora vniuersalibus : quia vniuersalia recipiunt à singularibus existentiam, & causalitatem. Dicimus ergo cum Caietano quod Aristot. substantias singulares appellat primas secundo modo ; qui pertinet ad perfectionem ; non verò primò ; qui potius arguit imperfectionem.

Dubitabis secundò : circa secundam partem capitis : quomodo intelligatur discrimen ibi assignatum inter accidentia, & secundas substantias. ¶ Ratio dubitandi est : quia sicut de primis substantiis prædicantur secundæ, & earum definitiones : ita etiam prædicantur accidentia in concreto significata, & eorum definitiones : ergo sicut illæ prædicantur nomine, & definitione ; ita etiam & istæ.

5 Respondetur tamen cum B. Albert. Caietan. Soto, & aliis. quos refert & sequitur Mas. in scholiis huius capitis, discrimen illud formaliter esse intelligendum ; & consistere in hoc, quod de primis substantiis prædicantur secundæ, & earum definitiones, formaliter quatenus definitiones. Quando enim dicitur : *Petrus est animal rationale*, ibi prædicatur de Petro definitio hominis formaliter quatenus est definitio : quia prædicatur in quid : & ideo talis prædicatio reducitur ad secundum prædicabile. Quod non habent accidentia respectu primæ substantiæ : nam horum aliqua, nec nomine, nec ratione prædicantur, scilicet accidentia in abstracto : alia verò, scilicet concreta, nomine quidem, sed non definitione prædicantur : quia quamuis verè dicatur : *Petrus est albus*, & *Petrus est perspicuum digressiuum visus* : ibi tamen prædicatur definitio albi, formaliter, quatenus est definitio, sed ut accidens commune : & ideo prædicatio est quinti prædicabilis. Per quod patet ad rationem dubitandi.

Sed instabis, quando accidens prædicatur de primis  
Colleg. Compl. Logica.

mis substantiis prædicatione quinti prædicabilis, prædicatur de illis vniocè : ergo prædicatur nomine, & ratione ; siquidem vnioca sunt, quorum nomen est commune ; ratio verò substantiæ est omnino eadem. Sed prædicari ratione, est prædicari definitione : ergo, &c.

Respondetur tamen, per rationem in definitione vniocorum, significari quemcumque conceptum obiectiuum simpliciter vnum, siue prædicetur essentialiter ; siue accidentaliter ; ut suo loco explicuimus. In presenti verò prædicari ratione, seu definitione sumitur ab Aristot. formaliter pro prædicatione essentiali, ut explicatum est. Et ita nihil sequitur contra nos.

6 Circa tertiam partem capitis *prima proprietatis* satis constat ex dictis cap. 2. antepredicamentorum. Pro *secunda* verò solum est aduertendum, ibi prædicari vniocè, idem esse, quod prædicari nomine, & ratione quidditativa, seu essentialiter. Sic enim est proprietas substantiæ. *Tertia* autem difficilis est sensus : & ideo eam diuersimodè explicant Auctores, ut refert Mas. hinc vera tamen interpretatio est, quam ex Diu. Thom. tradidimus supra disput. 5. num. 14. quod scilicet prima substantia dicitur significare hoc aliquid, quia semper in prædicatione habet locum subiecti, seu substantiæ : secundæ verò dicuntur significare quale quid : quia respectu primarum habent locum prædicati, quod generali quadam ratione dicitur qualitas, & forma subiecti : quia quodammodo adiacet illi. Hunc autem esse sensum Aristot. patet ex textu, ubi reddens rationem huius differentię ait. *Neque enim res una subiecta est, ut in prima substantia : sed de multis homo, anima que dicuntur, &c.* & postea subdit, quod secundæ substantiæ non significant qualitatem, sed quasi designant, & adsignificant. ¶ De aliis proprietatibus, quia indigent maiori explicatione, agemus disput. sequenti.

7 Dubitatur vltimò : quare de substantia egerit Aristot. ante alia omnia prædicamenta. Non mouemus hoc dubium : quia dubitare liceat substantiam esse priorem accidentibus, & priori loco de illa disputandum ; sed ut hac occasione explicemus, quæ sint huius causæ, & quibus modis substantia sit prior accidentibus : res scitu valde digna, quam definit Arist. 7. Metaph. cap. 1. dicens : *Substantia omnium primum est, ratione & notitia, & tempore. Aliorum nullum est separabile : hac autem sola. Et ratione hoc primum : necesse est enim in vniuersiusque ratione substantiæ rationem esse. Et scire tunc singula maxima putamus : quando, quid est homo cognoscimus magis, quàm aut quale ; aut quantum, &c.* Vbi tribus modis docet Arist. substantiam esse priorem accidentibus scilicet *definitione, cognitione, & tempore* : singulæque probat : quæ in presenti oportet explicare.

Et quidem horum primum satis constat ex iis, quæ diximus supra disput. 5. num. 21. explicantes aliqua ex his verbis Arist. Si enim in definitione cuiuscunque accidentis ponitur substantia ; in definitione verò substantiæ non ponitur accidens : manifestum est definitionem substantiæ esse priorem definitionibus accidentium. Neque in hoc est amplius immorandum.

8. Quantum ad secundum verò, in quo est maior difficultas, Herb. landunus, & alij, quos refert Mas. hinc sect. 1. quæst. 3. voluerunt substantiam dici priorem notitiæ, & cognitione, per quandam tantum dignitatem, & excellentiam : quia scilicet est ens nobilius accidentibus : non verò quia secundum originem cognitio substantiæ præcedat cognitionem illorum. Potestque probari.

Primò : quia substantia mediis qualitatibus sensibilibus



bilibus intrat ad intellectum : ergo accidentia prius cognoscuntur , quàm substantia. ¶ Secundo : quia ex cognitione accidentium , & proprietatum devenimus in cognitionem substantiæ : ergo hæc posterius cognoscitur , quàm illa. ¶ Tertio , quia quæ sunt minùs entia , prius cognoscuntur , ut videtur sentire Aristot. 7. Metaph. cap. 4. ubi docet substantias materiales , quæ sunt minùs entia prius cognosci , quàm immateriales , quæ sunt magis entia : sed accidentia sunt minùs entia quàm substantia : ergo &c.

Pro solutione notandum est duplicem esse cognitionem , scilicet sensus , & intellectus. Et hæc rursus est duplex : alia confusa , & alia distincta. Confusam in præsentia appellamus eam qua cognoscitur res imperfectè , & secundum gradus generales tantum perinde ac quando à longè videmus , aliquid , de quo tunc solum apprehendimus esse substantiam . vel corpus ; non tamen discernimus , an sit animal , vel homo , &c. Distincta verò est , qua rem apprehendimus perfectè , & secundum gradus , tam communes , quàm proprios ; non secus ac quando res èt propinquo videmus.

¶ Dicendum est ergo quod quamvis cognitione sensus prius accidentia cognoscantur , quàm substantia ; cognitione tamen intellectus prius cognoscitur substantia , quàm accidentia. Cum hæc tamen proportione , quod cognitio confusa substantiæ prior est cognitione confusa accidentium ; & similiter cognitio distincta substantiæ , prior est cognitione distincta accidentium : at cognitio confusa accidentium præcedit cognitionem distinctam substantiæ. Sic docent communiter Doctores , de quo videri possunt Zanardus 7. Metaphysicæ quæstione 5. Soncinus ibidem , quæstione decima tertia , Aquarius quæstione quarta , label. quæstione tertia , & Mas. ubi suprâ.

Probatür breuiter : nam in primis , quod cognitione sensus prius cognoscantur accidentia , evidens est : & id , convincit primum argumentum in contrarium adductum. Quod verè cognitione intellectus prius substantia cognoscatur cum proportione explicata , patet. Nam accidentia sunt entia secundum quid , respiciuntque substantiam , ut propriam mensuram , à qua sicut participant esse , ita & cognosci ut argumentatur Diu. Thom. explicans verba adducta Aristot. : ergo quælibet cognitio accidentium præsupponit cognitionem saltem confusam substantiæ.

Specialiter autem de cognitione distincta probatur : quia accidentia definiuntur per substantiam : ergo cognitio distincta eorum supponit cognitionem distinctam substantiæ. Patet consequentia : quia cognitio distincta definiti pendet ex cognitione distincta partium definitionis.

Denique quoddam aliqualis cognitio accidentium præsupponatur ad cognitionem distinctam substantiæ , probat secundum argumentum in contrarium adductum , & docet Arist. 1. de Anima cap. 1. Satisquæ ex se patet : nam ex proprietatibus , operationibus & accidentibus , quæ nobis viciniora sunt investigamus latentes substantiarum essentias : ergo , &c. Per quod patet ad primum , & secundum argumentum.

10 Ad tertium verò negatur maior. Neque illa potest colligi ex Arist. Ipse enim solum ait substantias materiales , quæ sunt minùs entia prius cognosci ubi ly. *qua sunt minùs entia* , est copula implicationis , quæ nihil refundit in principalem proportionem. Non verò inquit per causalem , *quia sunt minùs entia* ,

&c. Quod tamen necessarium erat ut teneret argumentum.

Tandem quantum ab tertium , quo modo scilicet substantia sit prior tempore accidentibus , plures non parum laborant in eius explicatione. Quorum varios modos dicendi referunt & impugnat. Zanardus , ubi suprâ & Mas. q. 2. ¶ Illis tamen omiſſis , vera expositio Aristot. est , quam ibidem , lect. adducit Diu. Thom. quod scilicet , quia in tota latitudine substantiarum , datur aliqua substantia absque vllis accidentibus , scilicet Deus : at verò in tota latitudine accidentium , non datur aliquod accidens absque substantia : idè merito substantia dicitur prior accidentibus *tempore* , id est , *duratione* , quia in rei veritate substantia aliqua præcessit existentiam omnium accidentium prioritate durationis. Et hoc est , quod loco adducto significavit Aristot. dicens : *Aliorum enim nullum est separabile , hæc autem sola.*



## DISPUTATIO XII.

### De Prædicamento Substantiæ.

**R**ECIPV A cura Aristot. in hoc cap. est explicare quid sint prima , & secunda substantia : hæc enim sunt , quæ in hoc prædicamento tanquam inferiora , & superiora disponuntur : quod solum pertinet ad Logicum. Et idè hic nullas mouet quæstiones ex his , quas de substantia tractat. 5. Metaph. Quem nos etiam imitantes in præsentia ea tantum examinabimus , quæ sunt Dialectici instituti , commodiori loco reliquæ plura alia , quæ de substantiæ , & existentia disputant Metaph. & ab aliquibus hic non necessariò ; imò & intempestivè admiscuntur.

## QVÆSTIO I.

### Quanam sit propria , & formalis ratio constitutiva huius prædicamenti.

**A**B Etymologia incipiendo , nomen substantiæ , ut notat D. Isidorus lib. 2. Originum. capit. 27. & lib. 1. Similitudinum capit. 4. impositum est huic prædicamento ex duplici eius proprietate , scilicet subsistendi in se , & substandi aliis. Differunt autem *subsistere* & *substare* , quod subsistere est perfectè in se esse independentè à quolibet alio , ut à sustentante , substare verò est tanquam fundamentum , & sulcimentum subesse. Ex quibus licet subsistere prius sit , quàm substare , sicut prior est res in se , quàm in ordine ad alias : quia tamen hoc nobis notius est , idè frequentius substantiam à substando deriuamus. Et idè huius tantum etymologiæ meminit Arist. in hoc cap. & 5. Metaphysicæ cap. 8.

Hinc iam desumuntur tres substantiæ acceptiones , omiſſis aliis. Quia enim quælibet essentia etiam accidentium quodammodo substât suis passionibus : idè nomen substantiæ lata quadam significatione primò sumitur pro essentia , ut ex Arist. vidimus cap. 1 huius libri num. 6.

Quia tamen accidentia simpliciter non substant aliis , sed tantum secundum quid , & ut quo , ut infra explicabimus : idè nomen substantiæ secundo , & magis

gis propriè sumitur, ut distinguitur contra accidens, comprehendit quidquid non est in alio tanquam in subiecto. Quo sensu materiam, & formam, & modos etiam substantiales substantias appellamus.

Sed quia neque etiam substantiæ incompletæ (excepta anima rationali, cui iuxta probabilissimam sententiam peculiare est habere propriam substantiam, ut videbimus lib. 1. Physicorum) & multò minus modi substantiales propriè, & per se substant accidentibus: idè *tertio*, & propriissima acceptione sumitur substantia pro ea, quæ ponitur in recta linea huius prædicamenti, nempe pro substantia creata completa, quæ propriè, & simpliciter substant accidentibus utpote quæ in se, & per se subsistit independentè à quocumque alio, non solum ut à subiecto, sed etiam ut à comparte, seu concansa suæ substantiæ. Et de hac inquirimus per quid constitutur in sua propria, & essentiali ratione.

12. Prima sententia docet hoc prædicamentum formaliter non constitui per aliquid positivum, sed per negationem essendi in alio; & hanc tantum significari ly *per se*, quod solet poni in definitione substantiæ. Pro hac citatur Porph. in interrogationibus, eamque defendit Soncin. 5. Metaph. q. 14.

Cuius fundamentum est: quia supra ens addit substantia aliquid, per quod constituitur in sua propria ratione: sed non addit aliquid positivum: ergo solum addit negationem, quæ sit constitutiva eius. Maior, & consequentia constant. Minor autem probatur: quia illud positivum non est quid rationis, ut patet; cum nequeat per aliquid rationis constitui prædicamentum reale; neque etiam potest esse quid reale: tum quia in quolibet clauditur essentialiter ens; ac proinde non potest esse illi superadditum: tum consequenter, quia in definitione substantiæ committeretur negatio: siquidem bis repeteretur ens, si ly *per se*, positum pro differentia esset quoddam positivum includens ipsum ens. Restat ergo substantiam nihil positivum addere supra ens, sed suam negationem.

13. Secunda sententia asserit substantiam constitui in sua propria, & essentiali ratione per hoc, quod est subiecti, seu substant accidentibus. Sic docent Boëtius, & alij, quos refert noster Didacus à Iesu disp. 12. quæst. 1. ¶ Potestque probari ex ipsa etymologia supra explicata. Nam ut inquit Isidorus, ibidem adductus: *Substantia est, quæ propriè substant dicitur*: ergo essentialis eius ratio erit subiecti, vel substant accidentibus. ¶ Confirmatur: quia inde Aristot. in hoc cap. probat primas substantias esse magis substantias, quàm secundas: quia magis substant, & pluribus subiiciuntur, ut vidimus in textu. Ergo ipsa ratio substantiæ consistit in hoc quod est subiecti, vel substant accidentibus.

24. Prima conclusio. Substantia non constituitur in sua propria, & essentiali ratione per negationem essendi in alio: neque similiter per hoc, quod est subiecti aut substant accidentibus. Hæc est communis consensus Dialecticorum: pro qua videri potest inter alios Mal. hic sect. 2. q. 5.

Prior pars probatur primò: quia nullum ens reale positivum potest constitui in sua essentia per solam negationem, aliàs pura negatio esset natura aliqua positiva, quod est absurdum: sed substantia est ens reale positivum, & inter omnia alia perfectissimum: ergo non potest in essentia constitui per solam negationem.

Secundò, quia in qualibet re essentia debet esse omnium primum, à quo oriantur cætera, quæ cum illa habent connexionem: sed negatio essendi in alio non potest esse primum, quod inveniatur in substantia, & generaliter nulla negatio potest esse primum, quod

invenitur in re: ergo, &c. Probatur minor: quia quicumque negatio innitur alicui affirmationi, & causatur, ab ea, ut patet in inductione. Idè enim homo non est lapis: quia est rationalis, idè equus non est rationalis: quia est hinnibilis, & sic de aliis. Ergo idè substantia non est in alio tanquam in subiecto: quia essentialiter petit in se, & per se esse: ac proinde hoc præcedit talem negationem.

Per quod etiam probatur posterior pars conclusionis. Subiici enim, seu substant accidentibus, non est primum, quod inveniatur in substantia: tum quia prius est rem in se, & per se esse, quàm quod aliis fundamentum, aut fulcimentum præstet, eaque sustentet: tum etiam quia non idè substantia in se, & per se existit quia substant accidentibus; sed econtrà, idè substant illis, quia est res in se, & per se consistens: ergo subiecti, aut substant accidentibus non potest esse ratio essentialis substantiæ, sed proprietas ab illa dimanans.

Confirmatur: quia substantia non definitur essentialiter per habitudinem ad accidentia: ergo subiecti, seu substant illis non potest esse constitutivum essentialis ipsius. Consequentia patet: quia subiecti, seu substant intrinsecè dicit ordinem ad accidentia, ut de se constat. Antecedens verò probatur: nam ex Arist. 7. Metaph. c. 1. asserente substantiam esse priorem definitione accidentibus: tum etiam quia iam substantia haberet definitionem incompletam, seu ex additione, sicut accidentia: quod supra n. 7. vidimus esse falsum.

15. Secunda conclusio. Propria, & essentialis ratio huius prædicamenti sufficienter explicatur per *esse per se*, seu *per se stare*, si intelligatur simpliciter, & secundum aptitudinem, ad eum modum quo supra cap. 2. huius lib. num. 5. diximus propriam rationem accidentis sufficienter explicari per *esse in alio*, sumptum simpliciter, & secundum aptitudinem. Hæc etiam est communiter inter Dialecticos. Sumiturque ex libro de causis, ubi definitur hoc prædicamentum sic: *Substantia est quæ per se stat*: vel definit Damasc. cap. 2. 3. suæ Logicæ: *Substantia est res per se existens, non indigens altero ad consistentiam*. Quam etiam definitionem admittit D. Thom. opusc. 42. cap. 10. & explicatè tradit. 4. dist. 12. q. 1. art. 1. qu. 1. ad 2. dicens definitionem, vel quasi definitionem substantiæ esse, quoddam sit *res, cui debetur esse per se*, sicut definitio accidentis est, *res, cui debetur esse in alio*. De quo videri potest Mal. ubi supra.

Explicatur, & probatur breuiter conclusio: quia *per se* potest sumi tripliciter. Primò, ut distinguitur contra per accidens, & significat id, quod verè habet unicam essentiam: hoc autem modo commune est omnibus prædicamentis, ut patet; ac proinde non potest esse constitutivum substantiæ. Secundò, ut distinguitur contra *per aliud*, & valet idem, quod ens à se: & hoc modo nulli creaturæ convenit, sed soli Deo: qui cum sit primum ens, à se ipso, & non ab alio habet suum esse: & consequenter neque hoc etiam modo potest esse constitutivum huius prædicamenti, ut de se constat. Tertio, tandem sumitur *esse per se*, ut distinguitur ab *esse in alio*, quod est proprium accidentium, ut scilicet significat id, quod ex natura sua postulat per se stare independentè à quocumque subiecto sustentante. Quo modo *esse per se*, & *esse in alio* sunt quidam modi generales oppositi; determinantes ens ad substantiam, & accidens. Ergo sicut propria ratio, & essentia accidentis est *esse in alio* secundum aptitudinem, seu inclinatio ad inherendum: sic propria ratio, & essentia substantiæ creaturæ erit ista aptitudinalis perfectitas, seu *esse rem*, cui debetur per se existere independentè ab alio.

R 4 Quod

Quod simpliciter intellectum satis constat conuenire substantiæ completæ, quæ per se pertinet ad hoc prædicamentum: alia enim, quæ ad ipsum reducuntur, scilicet partes, & modi, seu termini substantiales, licet non dependant ab alio tanquam à subiecto; dependent tamen tanquam à comparte, seu concausa suæ substantiæ, vel tanquam ab essentia, quam modificant, aut terminant: & ita simpliciter loquendo, non stant per se, neque sunt res, quibus debeat per se existere. Ex quo tandem fit, definitiones adductas sufficientes explicare naturam huius prædicamenti.

16. Ad fundamentum primæ sententiæ neganda est minor. Ad cuius probationem fatemur propriam rationem, quam exprimit substantia, esse quid positiuum.

Ad huius autem primam impugnationem resp. quod cum prædicamenta sint conceptus omnino simplices, ut explicuimus disp. præced. n. 56. substantia nondicitur addere supra ens aliquid positiuum, quia ibi dantur duo conceptus; quorum vnus addatur alteri: sed quia exprimit proprium conceptum, qui nomine entis non exprimitur, ut ibidem explicuimus.

¶ Per quod patet ad secundam: propterea enim prædicamenta non possunt verè defini, quia ens non potest poni in definitionibus, ut ex Arist. vidimus sup. disp. 5. n. 42. & disp. 11. n. 51. & ideo supra adductæ non sunt definitiones, sed quasi definitiones, ut inquit D. Th. citato loco, sententiarum.

17. Ad fundamentum secundæ sententiæ resp. argumentum ab etymologia sumptum non esse efficax, ut sumitur ex D. Thom. 2. 2. q. 92. art. 2. ad 2. sæpè enim res, à qua nomen imponitur, & res, ad quam significandam imponitur, valdè diuersæ sunt, ut patet in lapide, & aliis multis. Præterquam quod etiam nomen substantiæ derivatur à per se stando, seu per se subsistendo, ut ex Isidoro vidimus in principio quæstionis.

Ad confirmationem responderetur, argumentum Arist. esse à posteriori, procedens ex reali proprietate substanciandi ad ipsam essentiam substantiæ: & ita nihil sequitur contra nos.

## Q V Æ S T I O II.

*Iuxta quam rationem Substantia diuidatur in primam, & secundam, & qualis sit hæc diuisio.*

18. **C**um prima, & secunda substantia, de quibus nunc agimus, sint substantiæ completæ, ut potest in recta linea huius prædicamenti collocare: planum sit diuisum huius diuisionis non esse substantiam in prima, aut secunda acceptione quæst. præced. explicatis, aliæ diuisio non esset adæquata; sed substantiam directè ponibilem in prædicamento, seu completam. Quod satis explicuit Aristot. in cap. dum, excludit differentias à ratione primæ & secundæ substantiæ. Quia tamen in substantia completa, tria adhuc considerare possumus iuxta supra dicta, scilicet essentiam ipsam, seu conceptum quidditatum substantiæ, realem eius proprietatem subsistendi, vel substanciandi accidentibus, & secundam intentionem, à qua substantia denominatur subiectum prædicationis: idèò difficilis est inter Doctores, secundum quam harum rationum diuidatur substantia in primam & secundam: inde enim pendet qualis sit dicta diuisio.

Prima sententia asserit diuisum huius diuisionis esse substantiam, ratione secundæ intentionis, ita ut sensus sit: substantia secundum quod est subiectum prædicationis, alia est vniuersalis, alia particularis: & consequenter diuisionem esse vniocam. Sic docet Tartaretus, ut referunt Conimbricenses hic q. 2.

¶ Hæc tamen opinio omnino videtur aliena à mente Arist. qui in præsentī disputat de substantia, secundum quod ponitur in prædicamento: in quo non collocatur ratione alicuius intentionis, sed ratione suæ entitatis realis, ut per se constat. Propter quod etiam liber hic pertinet ad obiectum materiale Logicæ, ut disp. 1. explicuimus.

19. Secunda sententia docet diuisum huius diuisionis esse substantiam ratione realis proprietatis subsistendi, vel substanciandi accidentibus: ita ut diuisio reddat hunc sensum: substantia, qua ratione substat accidentibus, alia primò substat, scilicet particularis; alia secundò substat, scilicet vniuersalis: & consequenter diuisionem esse analogam. Sic tenent ex Thomistis Iabel. 5. Metaph. q. 7. Caiet. & Mal. hic: & ex aliis Suarez disputatione 33. Metaph. sect. 2. Tolet. & Rub. in hoc cap. & Conimb. vbi supra.

Tertia tandem sententia (omissis aliis) docet diuisam esse substantiam secundum suam essentiam, & conceptum quidditatum; diuidi que in duos modos subsistendi, scilicet particulariter, & vniuersaliter: ex quibus alter est modus realis, quem suppositum addit supra naturam: alter verò est modus, & accidens rationis, à quo natura constituitur in esse vniuersalis.

Et consequenter, inquit hæc sententia, diuisionem esse subiecti in accidentia: quamuis quodammodo etiam sit analogæ, cum vnum membrum diuidens sit quid reale, & aliud rationis. Pro hac citantur Mercatus, & alij antiqui: eamque defendunt Sanchez lib. 5. Logicæ, q. 4. Gall. controuer. 23. & latè Arauxo 5. Metaph. q. 2. art. 1. & 2. à quibus non dissentiant Caiet. & Mal. vbi supra: hic enim expressè fatetur se amplecti sententiam istam sic explicatam; ille verò expressè affirmat hic diuidi essentiam substantiæ per duos modos subsistendi. De quo etiam videri potest Zanar. 5. Metaph. q. 14.

20. Prima conclusio. Secunda sententia valdè probabilis est: & licet iuxta eam non diuidatur substantia secundum suam essentialem rationem; videtur tamen satis ad mentem Arist. Hæc concl. colligitur ex toto hoc cap. vbi sæpè comparat Philosophus primam, & secundam substantiam in ratione substanciandi: ergo ibi loquitur de substantia sub tali ratione. Quo semel admissio, rectè asseritur diuisionem verè & propriè esse analogam: ac proinde nihil falsum continet hæc sententia, sed potest optimè sustineri.

21. Secunda conclusio. Tertia etiam sententia optimè explicat diuisionem substantiæ in primam & secundam: & ita diuisio simpliciter est subiecti in accidentia, & secundum quid analogi in analogata. Hæc est procul dubio mens D. Thom. ut expendunt rectè Sanch. & Gall. citati. Nam q. 9. de Potentia art. 2. ad 6. sic inquit: *Cum diuiditur substantia in primam & secundam, non est diuisio generis in species: sed est diuisio generis secundum diuersos modos essendi. Nam secunda substantia significat naturam generis secundum se absolutam; prima verò significat eam, ut indiuidualiter subsistentem. Vnde magis est diuisio analogi, quam generis.* Quibus verbis, ut notat bene Sanchez, non dixit D. Thom. absolutè diuisionem esse analogam; siquidem præmiserat in ea diuidi genus in diuersos modos, qui modus diuisionis necessariò pertinet ad diuisionem subiecti in accidentia: sed dixit magis esse analogi, quam generis: quia magis accedit ad

ad diuisionem analogam, quàm ad vniuocam: & ideo diximus secundùm quid esse analogam. Videatur Angelic. Dōctōr. 1. part. quæst. 29. art. 1. ad 2. & ibidem Caiet.

Probat breuiter conclusio: quia diuifum in hac diuisione est id, quod per se pertinet ad prædicamentum substantiæ, & collocatur in eius recta linea: sed hoc est ipsa essentia substantiæ, & non proprietates eius: ergo melius explicatur hæc diuifio in tertia sententia, quàm in aliis. Iam verò si diuifum est ipsa essentia substantiæ, manifestum fit, diuisionem simpliciter esse subiecti in accidentia.

Nam id, quod prima substantia addit supra substantiam, est modus quidam realis particulariter subsistendi: & id, quod addit secunda substantia supra substantiam, est modus vniuersaliter subsistendi in intellectu: sed isti habent rationem accidentium, respectu substantiæ: ergo quando substantia diuiditur in illos, diuiditur subiectum in accidentia.

Est autem inter ipsa membra diuidentia subordinatio, & dependentia; cùm alterum sit ens reale, & alterum rationis: ergo eadem diuifio quodammodo etiam est analogæ. Videantur Sanch. & Arauxo vbi suprâ.

22. Contra hanc tamen diuisionem quocumque modo explicetur, potest obijci. Primò: quia membra diuidentia cuiuscumque diuisionis debent esse opposita, neque se mutuo includere: sed prima & secunda substantia non opponuntur, imò vna includitur in alia, & prædicatur de illa: ergo hæc est mala diuifio. Probat minor: quia homo, aut animal, quæ sunt secundæ substantiæ, verè prædicantur de Petro, qui est prima substantia.

Secundò: quia diuifum huius diuisionis, quocumque modo explicetur, coincidit cum vno membro diuidenti; ergo est mala. Probat antecedens: quia siue hic diuidatur substantia secundùm suam essentiam, siue secundùm rationem substandi; diuifum debet esse substantia vt sic, & communiter considerata: ergo est substantia; communis; ergo substantia secunda.

Ad primum respond. secundam substantiam formaliter sumptam, vt est membrum diuidens in hac diuisione, non includi, neque prædicari de prima, hæc enim est formaliter falsa, *substantia prima, est substantia secunda*: & ita membra diuidentia verè sunt opposita.

Ad probationem autem minoris respond. solùm conuincere rem illam, quæ materialiter denominatur secunda substantia, prædicari de prima. Quod quidem verum est, quia talis res est ipsa natura substantiæ secundùm se, vt præuenit modos primæ, vel secundæ substantiæ. Sic autem non est membrum diuidens, sed potius diuifum. Vnde non sequitur vnum membrum diuidens, formaliter, vt tale, prædicari de alio.

23. Per quod patet ad secundum. Respondetur enim diuifum esse substantiam consideratam secundùm se, & secundùm sua essentialia tantùm, seu vt præuenit modos individualiter, vel vniuersaliter essendi. Quo modo neque est indiuiduum, neque genus, aut species: & consequenter neque prima, aut secunda substantia.

Sed instabis: quia adhuc substantia prout sic, & vt præuenit tales modos, verè est communis: & D. Thomas in verbis adductis asseruit esse diuisionem generis in diuersos modos essendi: ergo diuifum verè est substantia vniuersalis, & per consequens substantia secunda.

Respondetur, quod quia ipsa natura substantiæ secundùm sua essentialia considerata, habet vnitatem formalem, quæ de se non est propria huius, vel illius indiuidui, idèd dicitur communis, seu vniuersalis ne-

gatiuè tantùm, vt explicuimus suprâ disp. 3. num. 26. & quia hoc est fundamentum vnitatis genericæ: ideo appellatur à D. Thom. diuifio generis in diuersos modos. Esse tamen sic communem non sufficit ad veram, & formalem vniuersalitatem, vt vidimus ibidem n. 46. & consequenter neque ad rationem secundæ substantiæ: proinde diuifum non coincidit cum vno membro diuidenti.

### Q V Æ S T I O III.

*An definitiones prima & secunda substantiæ sint rectè assignatæ.*

24. **D**efinitionem primæ substantiæ, quam hic tradit Aristot. scilicet: *Qua neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est*; non esse exactam, his argumentis suadetur.

¶ *Primò*: quia definitio, quæ datur per negationem est vitiosa: sed hæc datur per negationem, imò per duas negationes: ergo est vitiosa.

¶ *Secundò*: quia substantia considerata secundùm se, & vt præuenit modos individualiter, vel vniuersaliter essendi, neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto: & tamen prout sic non est prima substantia, vt dictum est: ergo definitio conuenit aliis à definito.

¶ *Tertio*: quia substantia prima est substantia singularis: sed singularia non definiuntur, ex Arist. 7. Metaph. cap. 5. ergo, &c.

¶ *Quarto*: quia substantia prima prædicatur de hac, & illa prima substantia: ergo falsè dicitur primam substantiam non dici de subiecto.

Similiter definitionem secundæ substantiæ, quam in eodem cap. tradit Aristot. scilicet: *Substantia secunda sunt genera & species, in quibus insunt prima*, non esse bonam, probatur his argumentis.

¶ *Primò*: quia de ratione secundæ substantiæ non est, quod sit genus, vel species; sed tantùm quod sit vniuersalis: ergo malè definitur ab Aristot. quod sunt genera & species, &c. Probat antecedens: quia substantiam esse genus, aut speciem, est esse talem, vel talem secundam substantiam: ergo id non est de ratione secundæ substantiæ, vt abstrahit ab omnibus secundis substantiis, quomodo hic definitur.

¶ *Secundò*: quia secundæ substantiæ prædicantur de primis: ergo insunt illis: ergo falsum est dicere, quod in secundis substantiis insunt primæ.

25. Nihilominus definitiones istas non esse vitiosas probat auctoritas Aristot. & concors consensus Dialecticorum illas admittentium. Quod genus argumenti est adeò sufficiens in proposito, vt nullum disciplinarum ingenium possit eas non admittere: & idèd solùm indigent explicatione. Pro qua meminisse oportet quæ sup. disp. 5. n. 44. diximus circa definitiones accidentium, & earum definita, quando definiuntur in concreto: vbi ostendimus rem definitam esse ipsum accidens, licet ex modo significandi fiat suppositi pro subiecto, ac proinde accidenti cōuenire definitionem tantùm, vt quo, vt ibidem explicuimus. Ad hunc ergo modum intelligenda est definitio primæ substantiæ, vt bene notat Caiet. hic. Cū enim prima substantia pro materiali dicat ipsam essentiam substantiæ, & pro formali modum quandam realem particulariter subsistendi, vel substandi accidentibus: inde fit, vt definitio conueniat vt quo, illi modo reali: simulque explicetur talem definitionem exerceri in ipsa substantia, quæ habet rationem subiecti respectu talis modi. Et ita sensus planus definitionis est, quod ille modus realis particulariter subsistendi est ratio, quare

quare substantia prima, neque sit in subiecto, per quod distinguitur ab accidentibus, neque dicatur de subiecto, per quod distinguitur à secundis substantiis.

Simili modo debet etiam explicari definitio secundæ substantiæ. Nam modus ille vniuersaliter essendi, seu secundæ intentio, à qua substantia constituitur in esse secundæ, seu vniuersalis, est ratio, quare in secundis substantiis insunt primæ, id est, continentur potentialiter in eis tanquam partes subiecti earum. Primæ enim substantiæ continentur in secundis, vt inferiora essentialia in superioribus: quam potentialem continentiam habent ipsa à secundæ intentione vniuersalis, non cuiuscumque, sed generis vel speciei: hæ enim tantum possunt esse superiora essentialia, respectu primarum substantiarum.

Et ideo rectè Arist. definiens secundas substantias, dixit esse genera & species, in quibus insunt primæ: vbi tandem aduertendum est, quod cum prima & secunda substantia sint termini complexi, ipsæ potius sunt definitiones: & ideo adductæ ab Arist. seruare non possunt rigorem definitionum, sed tantum sunt explicationes quædam, seu circumlocutiones primæ & secundæ substantiæ. Quas si breuius velis explicare: *Prima substantia, est substantia singularis: & secunda substantia, est substantia vniuersalis.*

26. Ad argumenta responderetur.

Ad primum plures adhibet solutiones Mas. hic scilicet. 1. q. 2. quæ ibi videri possunt. Respond. tamen primò, quòd quando definitio est descriptiua, vel non est propria definitio; non est vitium ponere pro differentia aliquas negationes, præcipue quando iam explicatum est illud positium, cuius sunt negationes, vt contingit in præsentia: iam enim Arist. cap. 1. explicauerat, quid sint esse in subiecto, & dici de subiecto.

Vel secundò, vt melius respond. illa verba: *Neque in subiecto, est, neque de subiecto dicitur*, quæ ponuntur loco differentie, non esse explicanda merè negatiue, sed quasi contrariè, ita vt sensus sit: prima substantia est id, cui positiue repugnat esse in subiecto, vel dici de subiecto. Vt à simili contingit, quando Philosophi definiunt violentum esse, quod sit à principio intrinseco, passo non conferente vim: vbi ly, *non conferente vim*, non intelligitur negatiue, sed contrariè, id est, resistente.

Ad secundum respond. quod substantiæ secundum se consideratæ, & vt præuenit singularitatem, vel vniuersalitatem, neque conuenit, neque repugnat esse, aut dici de subiecto, sed merè negatiue se habet. Ad rationem verò primæ substantiæ necessarium est, quod positiue repugnet illi: & hoc significatur in eius definitione, vt explicatum est.

Ad tertium respond. singularia determinata, vt Petrus, vel Paulus non posse definiri; singularia verò indeterminata, vt indiuiduum vagum, personam & alia huiusmodi posse definiri, eo quod important modum particulariter existendi absque determinatione, & cum quadam communitate: & huiusmodi est prima substantia. Videantur, quæ diximus sup. disp. 4. n. 51. & disp. 6. num. 34.

Ad quartum resp. quod licet prima substantia significet modum subsistendi communem; supponit tamen pro Petro, vel Paulo, verbi gratia, in quibus exercetur definitio: & de his debet verificari, quod non dicuntur de subiecto. Quod solet aliis terminis explicari, dicendo primam substantiam in actu exercito non dici de aliquo; non verò primam substantiam in actu signato. Videantur, quæ circa definitionem indiuidui diximus disputatione sexta citata, n. 51.

27. Ad primum contra secundam definitionem responderetur, quòd licet de ratione secundæ substan-

tiæ vt sic, non sit esse determinatè genus, vel determinatè speciem, tamen neque etiam est esse quodcumque vniuersale, sed illud quod potest esse superius essentialiter, respectu primæ substantiæ. Et hoc necessariò est genus, vel species: quia in his solum possunt essentialiter contineri primæ substantiæ. Et ideo sic definiuit Arist. secundas.

Ad secundum responderetur, quòd secundæ substantiæ insunt actu in primis: quia sunt de earum essentia; è contra verò primæ insunt in potentia in secundis: quia sunt partes subiecti earum. Et hoc secundum significatur in definitione: dicendo enim quòd primæ substantiæ continentur in genere: euidenter est sermonem esse de continentia potenciali.

## Q V Æ S T I O IV.

*Quanam substantia in hoc prædicamento collocetur.*

28. **O**Mnia, quæ in hac materia solent disputari, magna ex parte constant ex dictis sup. disp. 5. neque de eis est ferè iam disceptatio inter Doctores: & ideo illa breuiter perstringemus in hac quæst. In primis autem certum est omnes substantias completas, corporeas, & corruptibiles, vt sunt elementa, mixta, inanimata, plantæ, & animalia, per se collocari in hoc prædicamento: neque de his dubitauit aliquis, quem viderimus. Cernitur siquidem in eis sufficiens fundamentum ad formandos gradus genericos, & differentiales: cum sint compositæ ex materia & forma: & ideo non est cur à prædicamento reiciantur. Quare solum potest moueri difficultas de corporibus cælestibus, de Angelis, de Deo Opt. Max. & de Christo Domino. De quibus eodem ordine per singula breuiter discurremus.

¶ Et in primis de corporibus cælestibus id receptissimum est: (quidquid dicant Auerr. Nip. & Gandauo explicantes quædam verba Arist. 10. Metaph. cap. vii. Ratio est clara: quia, vt in Philosophia ostendimus, etiam corpora cælestia verè sunt composita ex materia & forma: ergo ibi etiam est sufficiens fundamentum, vnde intellectus desumat genus & differentiam. Quòd enim illa sint incorruptibilia, aut quòd materia eorum sit alterius rationis à materia sublunaria, solum probat ipsa naturaliter non conuenire in aliqua vna entitate reali, seu quòd corruptibile, & incorruptibile differunt genere physico, quod tantum intendit Arist. loco cit. vt vidimus sup. disp. 11. n. 11. Hoc autem non obstat, quominus logicè detur gradus præcisus, in quo vniocè conueniant corpora cælestia & sublunaria: atque adeo quod in prædicamento per se, & propriè collocentur. De quo videri potest D. Thom. locis citatis.

29. Secundò de Angelis communis Philosophorum sententia tenet, verè esse in hoc prædicamento. Quamuis id negauerint præter Auerr. & alios adductos, Plotinus lib. 2. Aenead. 6. Alb. & Aenead. in hoc cap. forè ducti auctoritate Arist. 9. Metaph. text. 22. vbi eos appellat substantias, simplices, & entia semper in actu.

¶ Sed fundamentum est nullius roboris, & ratio in contrarium manifesta. Quia quamuis Angeli non sint compositi ex materia & forma, & per consequens physicè loquendo, sint materiæ puræ, & substantiæ simplices; neque habeant potentiam contradictionis ad essendum, & non essendum, quod loco citato intendit Aristot. tamen metaphysicè loquendo non sunt actus puri, sed realiter compositi ex essentia & existentia: vt generaliter de omni creatura ostendimus lib. 1. Physic. Ergo intra eorum essentiam est potentia



potentialitas sufficiens ad fundandum gradum genericum, in quo cum aliis conveniat; & per consequens verè collocantur in hoc prædicamento. Videantur quæ diximus suprâ disput. 5. num. 73. & sequentibus.

30. ¶ Tertio, de Deo opt. Max. (quidquid dicant Nominales) constans est Philosophorum, & Theologorum sententia, non contineri in recta linea huius prædicamenti. Quod sancti Patres non obscurè docent: quorum plura loca addunt noster Didacus hic disput. 12. quæst. 2. & Naza. 1. parte quæstione 3. artic. 5. Probâtque latè & optimè D. Thom. ibid. & primò contra Gentes cap. 24. & 25. Cum enim in Deo nulla sit compositio ex actu & potentia; sed sua essentia sit ipsum suum esse per se subsistens, & per consequens actus secundum omnem considerationem simplicissimus, & purissimus; inde fit ut in eo nihil sit, quod possit esse radix, aut fundamentum gradus potentialis, qualis est gradus genericus. Videantur quæ diximus disp. citata, & disp. 11. n. 13. vbi ostendimus nihil posse esse uniuocum Deo, & creaturis.

Per quod facilè excluditur Vazqu. prima parte, disputatione vigesima secunda cap. 3. qui suscitans Nominalium sententiam; admittit in Deo compositionem ex genere & differentia: impugnatque rationes, quibus D. Tho. q. 3. citata, probat Deum non contineri in aliquo prædicamento. Sed illum merito reitiunt Theologi, etiam suæ societatis: ex quibus Molina ibid. artic. 5. affirmat talem sententiam non rectè stare cum definitione Ecclesiæ cap. firmiter de summa Trinit. & fide Catholica: vbi decernitur Deum esse omnino simplicem. De quo etiam videri possunt Suarez disp. 30. Metaph. sect. 4. & 1. part. lib. de Essentia Dei, cap. 4. Valent. ibid. q. 3. disp. 1. punct. 5. Rub. cap. de differentia q. 4. & Conimbr. hic quæst. 1. art. 2. Ex Thomistis verò impugnant rectè hanc sententiam Arauxo lib. 5. Metaph. q. 2. art. 3. Ioan. Gonçalves 1. part. q. 7. controu. 1. 5. Nauarrete controu. 20. & latè Nazari. 5. citato controu. 1. 2. 3. & 4.

31. ¶ Vtrum autem Deus reductiue collocetur in hoc prædicamento, secundum quod est principium efficiens omnium substantiarum: sicut collocantur materia & forma, secundum quod sunt principia substantiarum materialium, difficultas esse potest, propter D. Th. qui q. 7. de potentia artic. 2. ad 7. concedit Deum esse per reductionem in genere substantiæ, ut principium eius, quemadmodum punctum & unitas in genere quantitatis: cuius tamen contrarium expressè docet loco citato ex 1. parte art. 5.

Propter hæc duo loca, Capreol. in 1. dist. 8. q. 2. & Sanch. lib. 5. q. 13. fatentur D. Thom. mutasse sententiam; ea tamen rectè concordat Caiet. dicto artic. 5. ex doctrina eiusdem Angelici Doctoris in primo dist. & quæst. 4. artic. 2. ad 3. dicens, quod dupliciter potest aliquid esse in prædicamento reductiue, sicut principium. *Uno modo*, tanquam principium contentum ab ipso genere: & hoc modo negat D. Thom. posteriori loco Deum esse per reductionem in prædicamento substantiæ. *Alio modo*, ut principium continens ipsum genus: & sic concedit D. Th. Deum esse reductiue in genere: quia in hoc sensu quodammodo est in omnibus generibus, cum omnia contineat: licet per appropriationem quandam dicatur esse in prædicamento substantiæ: quia hæc propinquior est Deo, quam accidentia. De quo etiam videri possunt Nazarius vbi sup. dub. 3. & Bergomensis in concordantiis D. Th. dub. 464.

32. Cæterum, quamuis in re hæc ita sint: absolute tamen negandum est Deum reductiue collocari in prædicamento substantiæ: tum quia in comuni

modo loquendi, illa dicimus collocari in prædicamento, quæ continentur intra illud: tum etiam quia principium, de quo propriè dicitur reduci ad aliquod genus, non se extendit ultra illud: ut patet de puncto, & unitate, respectu quantitatis. At Deus est supereminens principium totius esse, & omnium prædicamentorum: & idè standum est modo loquendi, & doctrinæ D. Th. loco cit. ex 1. parte.

33. ¶ Tandem de Christo Domino (quidquid dicant Scot. in 3. distinct. 7. quæst. 1. Basolis & Durandus ibidem) asserendum est verè esse primam substantiam contineri in prædicamento substantiæ; sicut continentur alia indiuidua naturæ humanæ. Sic docet expressè D. Thom. 3. part. q. 2. art. 3. ad 3. & art. 5. lib. 4. contra Gentes cap. 37. & in tertio distinct. 7. quæst. 1. artic. 1. Quem sequuntur communiter Doctores.

Potestque probari ex cap. *Cum Christus*, de Hæreticis, vbi Alex. 3. definit Christum, secundum quod est homo, esse aliquid, id est singulare quid. Cuius rationem reddit dicens: *Quia sicut Christus, est verus Deus, ita est verus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens*. Vbi quamuis Valq. 3. parte, disp. 17. cap. 5. dicat solum definiri, Christum esse aliquid, ut distinguitur contra nihil; non verò esse hoc aliquid de genere substantiæ: tamen in hoc posteriori sensu intellexerunt illa verba Glossa, & Panormitanus ibidem, D. Thom. 3. parte, quæst. 2. art. 6. in argumento, sed contra, D. Bonaventura in 3. distinct. 6. art. 1. quæst. 3. & Scot. ibidem quæstione vltima. Satisque patet ex illa causali, quam subdit Pontifex: vnde in hoc non est immorandum.

Ratione etiam perfacili, omittis aliis, probatur: quia res collocantur in prædicamento ratione essentiae, seu naturæ: sed natura humana Christi Domini in toto rigore, & proprietate est eiusdem speciei cum nostra: ergo verè & propriè collocatur in eodem prædicamento. Quia tamen naturæ substantiales non ponuntur in prædicamento significatæ in abstracto, sed in concreto, quomodo connotant suppositum quod in Christo est ipsum suppositum Verbi diuini: idè hoc ponitur in prædicamento, non secundum se, & absolute; sed præcisè quatenus sustentat humanitatem Christi Domini, ut expressè docet D. Thom. in 3. distinct. 6. q. 1. quæstiuncula 1. ad 1. Videantur Bañes 1. part. q. 3. art. 3. & Araux. lib. 5. Metaph. quæst. 2. art. 4.

34. Neque valet vulgare argumentum: *Christus ponitur in prædicamento: Christus est Deus; ergo Deus ponitur in prædicamento*. Variatur enim appellatio: quia poni in prædicamento est secunda intentio appellans supra Christum ratione humanæ naturæ. Quando verò absolute inferitur: *Ergo Deus ponitur in prædicamento*, appellat supra Deum ratione Deitatis. Valet autem consequentia, si inferretur: *Ergo Deus ponitur ratione humanæ naturæ*.

Dices: Christus non est creatura ex D. Th. 3. part. quæst. 16. ergo non ponitur in prædicamento. Probat consequentia: quia quidquid ponitur in prædicamento, debet esse aliquid creatum, ut patet ex dictis.

Respondetur tamen sufficere, ut aliquid ponatur in prædicamento, quòd sit quid creatum secundum illud, secundum quod formaliter constituitur in prædicamento. Et hoc inuenitur in Christo Domino: in quo natura humana aliquid creatum est, licet suppositum sit diuinum.

Sed instabis: quia hæc propositio: *Christus est creatura*, absolute non admittitur: quia ponit in Christo imperfectionem: sed hæc etiam, *Christus ponitur in prædicamento*, ponit in illo imperfectionem: ergo absolute non est admittenda.

Respond.

Respondetur, quod prima propositio ponit imperfectionem in supposito Christi Domini; secunda vero tantum ponit imperfectionem in natura humana eius: quia fieri, seu creati per se primò conuenit supposito, & quasi per accidens naturæ, seu essentia; siquidem hæc per se, neque fit, neque creatur, sed potius est æterna, ut explicuimus suprâ disput. 4. num. 5. At verò poni in prædicamento per se primò conuenit essentia; siquidem hæc est, quæ denominatur genus, vel species; quasi per accidens supposito, à quo sustentatur. Et ideo prima propositio absolute negatur, & secunda conceditur: quia supposito Christi repugnat imperfectio; non verò naturæ humanæ eius.

### Q V Æ S T I O V.

*Quomodo intelligenda sunt proprietates substantia ab Arist. tradita.*

35. **P**rima, secunda, & tertia proprietates explicatæ sunt in rationibus: & ideo de aliis tribus agendum est in præsentia. Et quidem circa quartam solum est notandum id, quod aduertit Aristot. illam conuenire substantiæ, non tamen soli: nam quantitas etiam non habet contrarium. Vtrumque autem intelligendum est de contrariis propriè dictis: quæ ut infra in postprædicamentis videbimus, sunt illa, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt: sic enim satis constat substantiæ, & quantitati nihil esse contrarium.

Per quod soluantur plura argumenta, quæ contra hanc proprietatem sunt: ut quod formæ substantiali contrarietur priuatio, ex Arist. 1. Physicorum text. 10. asserente hominem fieri ex non homine tanquam ex contrariis. Item quod differentia substantiales eiusdem generis sunt contrariæ, ut sumitur ex Aristot. 10. Metaph. text.

Et tandem quod elementa sunt contraria, ut docet idem Aristot. lib. 2. de generat. Ergo substantiæ potest aliquid esse contrarium. Respondetur enim formam, & priuationem non esse propriè contraria: quia non continentur sub eodem genere: Neque differentias substantiales: quia non sunt subiecto; neque tandem elementa: quia ipsa non se expellunt ab eodem subiecto, sed eorum qualitates. Appellantur autem forma, & priuatio contraria, largè: quia opponuntur priuationi. Et largius differentia: quia sunt primò diuersæ. Et tandem elementa dicuntur contraria, radicaliter: quia scilicet sunt radices qualitarum, inter quas est formalis contrarietas.

36. **C**irca quintam proprietatem dubitant Doctores: an conueniant omni substantiæ etiam incompletæ, propter Auerr. 3. cæli com. 67. & alios, quos refert Mal. h. scilicet 2. quæst. 9. qui existimant omnes formas substantiales, excepta anima rationali, suscipere magis, & minus. Imò de anima rationali potest idem suaderi: quia animæ rationales sunt inæquales, ut docent granissimi Philosophi, D. Tho. in 2. dist. 32. quæst. 2. art. 3. & 1. part. quæstio. 85. art. 7. Caiet. ibidem, Ferrar. contra gent. cap. 30. Med. 3. part. quæst. 5. art. 3. & alij: ergo aliqua substantia suscipit magis & minus.

Contrariam tamen sententiam tenent communiter Doctores cum Arist. in hoc cap. ubi non solum substantias completas: sed quasque alias negat suscipere magis, & minus, dum ait: *Substantia non dicitur magis, & minus, neque cæterarum quidquam omnino, quæ substantia subeunt rationem.*

Pro cuius intelligentia notandum est ex eodem Aristot. in præsentia, aliud esse, quod una substantia sit perfectior alia; aliud verò, quod suscipiat magis, vel minus; vel quod intendatur, aut remittatur. Ad illud enim sufficit, ut eadem indiuisibilis essentia habeat perfectius esse in vno, quàm in alio, seu quod inæqualiter participetur ab eis ratione inæqualium differentiarum, siue essentialium, siue individualium. Ad hoc verò, ut rectè explicat D. Thom. 1. 2. q. 52. art. 1. & opusc. 48. tr. 2. cap. 4. necessarium est, quod in ipsa essentia etiam individuali sit latitudo quædam gradualis, ratione cuius possit secundum se ipsam augeri, vel minui, seu magis, aut minus vehementer imprimi subiecto. Hoc enim significant nomina, *intensionis*, & *remissionis*, quæ iuxta primam sui impositionem dicuntur de lyra fidibus: quæ quando vehementius sonant, appellantur intensæ; quando verò reddunt grauiorem sonum, remissæ.

Quod quidem non posse conuenire substantiæ, sed qualitatibus explicat D. Thom. 1. part. quæst. 93. art. 3. ad 3. & colligit Caiet. hic optimo signo. Quamuis enim una substantia sit altera perfectior; eadem tamen non perficitur secundum essentiam, ita ut Petrus v. g. modo sit minus homo, & postea magis homo. Qualitates verò, quæ suscipiunt magis, & minus, non solum inveniuntur secundum magis, & minus in diuersis subiectis; sed etiam in eodem, saltem de possibili. Quamuis enim de facto aliqua ex his qualitatibus in eodem subiecto non intendatur, aut remittantur; hoc tamen illis non repugnat ut substantiæ repugnare diximus.

Per quod patet ad substantiam de animâ rationali. Dicimus enim vnâ esse meliorem alia ratione perfectioris esse, vel perfectioris corporis, seu ratione perfectioris differentia individualis, quæ desumitur ab illo: non verò quia suscipiat magis, aut minus, ut explicatum est. Videatur D. Th. opusc. citat.

37. **C**irca sextam, & vltimam proprietatem est etiam difficultas inter Doctores; an conueniat substantiæ quarto modo proprii. Quamuis enim id videatur voluisse Arist. dum dixit: *Maximè verò proprium substantia esse videtur, &c.* contra tamen militat hæc argumenta.

Primò: quia hæc proprietas ex Aristot. in hoc cap. continet substantiæ, quæ est una numero: sic enim ait: *Maximè substantia proprium esse videtur, cum vnum idemque numero, sit contrariorum susceptum esse.* Sed sola prima substantia est una numero: ergo soli illi conuenit, & non secundæ: & per consequens non conuenit omni substantiæ.

Secundò: quia neque Deus, neque Angeli, neque corpora cœlestia possunt recipere contraria; aliâ essent corruptibilia: ergo talis proprietas non conuenit omni substantiæ.

Tertiò: quia, ut hic Arist. contra se argumetur, eadem operatio recipit contraria, nempe veritatem, & falsitatem: nam Petro sedente vera est hæc propositio, *Petrus sedet*: quæ tamen sit falsa, surgente Petro: sed oratio est accidens: ergo hæc proprietas non conuenit soli substantiæ.

Quartò: quia etiam quantitas potest suscipere contraria: eadem enim superficies potest esse alba, & nigra. Similiter intellectus recipit scientiam, & errorem. Et quod maius est, in mysterio Eucharistiæ, quantitas per se solam verè calefit, & frigeat, recipitque alia contraria: ergo &c.

38. Propter hæc argumenta aliqui existimarunt, recipere contraria non conuenire substantiæ quarto modo proprii. Sed non ideo deferenda est recepta sententia, quam ante Aristot. significauit Architas, ut referunt Conimb. hic quæst. 3. docetque D. Thom. opusc.

opus. 48. tract. 2. cap. 4. & sequuntur hîc Caiet. Sor. Mas. Sanch. & communiter Doctores.

Pro cuius explicatione nota: quod recipere contraria, propriè loquendo, provt hîc loquitur Aristor. necessariò sit cum mutatione intrinseca subiecti, vt ipse Arist. se explicat, repugnat enim, quod vnum numero subiectum abiiciat vnum contrarium, & recipiat alterum: quin intrinsecè mutetur. Similiter non loquitur hîc Arist. de quocumque subiecto, sed de eo, quod propriè, & absolutè est subiectum, & solet appellari subiectum *quod*. Quo supposito.

39 Ad argumenta respondetur. Ad primum respondet benè Caiet. hanc proprietatem non esse restringendam ad solas primas substantias. Non enim inquit Arist. quod proprium est illius substantiæ, quæ est vna numero, esse susceptivam contrariorum, sed *Proprium est substantia, quod cum vna numero sit, sit susceptiva contrariorum*. Cuius sensus est, proprium esse substantiæ, quod, servata unitate numerica, sit susceptiva contrariorum. Quod etiam convenit secundæ substantiæ, homo enim servata unitate numerica, quam habet in Petro, recipit contraria.

Dices: dato, quod secundæ substantiæ recipiant contraria: tamen id habent ratione primarum: idè enim homo recipit calorem, & frigus: quia Petrus recipit illa: ergo esse susceptivum contrariorum non est propria passio substantiæ; & consequenter non convenit illi quarto modo. Antecedens patet ex dictis supra n. 3. Consequentia verò probatur: quia propria passio prius debet convenire secundæ substantiæ, quàm primæ, vt explicuimus disp. 9. n. 1.

Respondetur, quod aliud est substantiam habere aptitudinem ad recipienda contraria, seu esse susceptivum eorum: aliud verò: actu recipere illa: sicut aliud est hominem esse risibilem, & actu ridere. Aptitudo ergo ad recipiendum contraria est propria passio substantiæ; receptio verò actualis accidens commune: sicut aptitudo ad ridendum est passio hominis; actualis verò risus accidens commune. Quod etiam patet mille aliis exemplis. Dicimus ergo, quod sicut idè Petrus est risibilis, quia homo est risibilis; è contra verò idè homo ridet quia Petrus ridet: sic similiter idè Petrus est susceptivus contrariorum, quia substantia est susceptiva contrariorum, e contra verò idè substantia recipit contraria: quia Petrus recipit illa.

40 Ad secundum resp. quod hîc agit Arist. de substantia, quæ ponitur in prædicamento nempe de substantia creata: & ita proprietas eius non debet convenire Deo. Angeli autem, & cæli verè possunt recipere contraria. Nam Angelus potest recipere scientiam, & errorem; & corpora cælestia motus contrarios, vt patet in motibus naturali, & rapto planetarum, qui etiam id propriis epicyclis interdum moventur sursum, vt quando tendunt versus augem; interdum verò deorsum, vt cum ad oppositum augis regrediuntur. Verum est motus istos propriè non esse contrarios, vt rectè probat D. Thom. lib. 1. de Cælo lect. 8. quia neque fiunt à contrario in contrarium, neque per eandem lineam, neque super eisdem polos, vt ibidem explicabimus. Sed hoc nihil obstat. In præsentem enim non sumit Arist. contraria rigorosè: sed tantum vult maximè proprium esse substantiæ, esse subiectum *quod* accidentium, siue sint propriè contraria, siue non.

Ad tertium respondet Arist. quod licet oratio possit transire de vera in falsam; propriè tamen non recipit contraria: quia oratio ipsa non mutatur intrinsecè; cum non abiiciat à se aliquid, & recipiat aliud. Sed talis mutatio sit in ipso obiecto, scilicet Petro, qui amittit sessionem, & acquirit stationem, per

Colleg. Compl. Logica,

cuius variationem oratio extrinsecè dicitur transire de vera in falsam. At verò substantia propriè recipit contraria: quia in se ipsa mutatur abiiciendo vnum, & acquirendo aliud. In quo sensu intelligenda est hæc proprietas, vt supra explicatum est.

41 Ad quartum responderetur quantitas, intellectum, & alias potentias non recipere accidentia vt *quod*, sed vt *quo*, siue vt rationes recipiendi. Vnde de illis non potest absolutè dici, recipere accidentia, sicut dicitur de substantia. Quod si in Eucharistia quantitas per se solam recipit accidentia, & habes modum subiecti *quod*; idè est: quia ibi quantitas virtute diuina habet modum substantiæ, vt docet D. Thom. 3. p. q. 77. art. 3. ad 2. Siue id fiat à Deo tribuendo quantitati modum quasi substantialem, ratione cuius per se sit vt tenent plures Doctores; siue conseruando existentiam substantiæ panis, & vini; vt aliqui etiam inconsideratè asserere ausi sunt; siue per solam manutentionem conseruando quantitatem cum sua existentia, & supplendo per nouum concursum vicem substantiæ, vt docent plures alij: de quo disputant Theologi loco citato in materia de Eucharistia.

EXPLICATUR AMPLIUS, QVOD  
modo soli substantia conueniat esse subiectum quod accidentium.

#### §. vnicus.

42. O Causatione huius argumenti magis explicare oportet, quomodo vnum accidens sit subiectum alterius, propter Suarez. disputat. 14. Metaph. sect. 4. vbi distinguens ly. *quod*, *quo*, inquit, si per subiectum *quod* intelligatur primum fundamentum, & basis totius causalitatis, in qua sustentatur accidens; & per subiectum *quo*, id, quod ita recipit aliud, vt ipsum sustentetur in alio: sic procul dubio solam substantiam esse subiectum quod accidentium, & quodcumque accidens respectu alterius subiectum quo tantum. Si verò per subiectum *quod*, intelligatur id, cui inhæret accidens, non tantum vt rationi recipiendi, sed vt integro, & immediato subiecto, quod respectu eius exercet propriam causalitatem materialem; & per subiectum *quo*, id quod tantum est ratio recipiendi, sic inquit iste Auctor plura accidentia verè esse subiectum quod aliorum; licet alia tantum sint subiectum quo, siue rationes recipiendi.

Si autem quæras ab illo: quæ sit regula ad discernenda talia accidentia; respondet numero 12. nullam posse statui, sed respiciendum esse ad naturam vniuersiuique. Quam doctrinam mirum est velle Suarez esse Diui Thomæ: cum neque leuiter insinuet eam, & oppositum sæpius doceat, vt postea videbimus.

Potest tamen probari hac ratione: quia in Eucharistia qualitates panis inhærent soli quantitati, non per nouam inhærentiam, quæ illis per consecrationem conferatur; sed per antiquam, quam habebant in quantitate, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 77. artic. 2. ergo ante consecrationem soli quantitati immediate inhærebant.

43 Cæterum hæc sententia falsa est, & omnino aliena à mente Aristotelis, & Diui Thomæ. Qui quantum ad hoc nunquam distinguunt inter accidentia, vt distinguit Suarez; sed vniuersaliter affirmant vnum accidens, in tantum esse subiectum alterius, in quantum est ratio recipiendi illud, siue in quantum ambo recipiuntur, & inhærent ipsi substantiæ ordine quodam, ita vt vnum prius, & alterum posterius recipiatur. Quod sit, vt respectu secundi accidentis,

dentis, propriè loquendo, non dentur duo integra subiecta, vñum proximum, & aliud remotum: sed substantia simul cum proprio accidenti constituit integrum, & immediatum subiectum secundi: ad eum modum, quo in causis efficientibus substantia ignis, verbi gratia, & calor eius propriè loquendo, non sunt duæ causæ, alia proxima, & alia remota; sed ab vtroque simul procedit calefactio; ab illa vt à supposito, quod operatur; ab hoc verò, vt à ratione agendi, seu virtute, qua ignis agit.

Hæc est expressa doctrina Aristot. 4. Metaphys. text. decimo quarto, vbi ait: *Accidenti enim non est accidens nisi quia ambo eidem accidunt.* A quo accipit eam Diu. Thom. 1. 2. quæstione septima, articulo primo, (quem locum non apparet qua ratione adducat Suar. pro sua sententiâ: ) nam in solutione ad secundum sic ait Angelic. Doct. *Aliquid dicitur accidens alicuius dupliciter vno modo: quia inest ei, sicut album dicitur accidens Sortis. Alio modo quia est simul cum eo in eodem subiecto, &c.* Quem modum statim in solutione ad tertium subdiuidit dicens: *Sicut dictum est, accidens dicitur accidenti accidere propter conuenientiam in subiecto. Sed hoc contingit dupliciter vno modo, secundum quod duo accidentia comparantur ad vnum subiectum absque aliquo ordine, sicut album, & musicum ad Sortem. Alio modo cum aliquo ordine, puta quia subiectum recipit vnum accidens alio mediante, sicut corpus recipit albedinem mediante, superficie, &c.* Vbi expressè docet accidens soli substantiæ propriè in esse, seu inherere; alteri verò accidenti non nisi in quantum ambo ordine quodam substantiæ insunt. Ergo sola substantia est, quæ propriè loquendo exercet causalitatem materiale respectu accidentium cum subordinatione explicata.

Idem docet quæstione secunda, de virtutibus articulo tertio ad secundum, dum inquit: *Forma non est forma, ita quod una forma præstet subiectum alieri. Nihil tamen prohibet plures formas in eodem subiecto esse, secundum quendam ordinem, scilicet vt vna sit formalis respectu alterius, sicut calor est formalis respectu superficies, &c.* Videatur etiam quæstione prima, antecedenti articulo quarto ad quintum, libro primo. Post. lect. 34. in 3. disp. 33. quæstione secunda, articulo quarto, quæstione prima, in corpore; & ad 1. & 2. in 4. distinct. 16. quæstione tertia, articulo primo, quæstione prima ad tertium, & alibi sæpè. Ex quibus, & aliis locis Diuus Thom. probant hanc sententiam Capr. in 1. distinct. tertia, quæstione tertia, articulo tertio, ad secundam, Scoti, & prima distinct. decima octaua, quæst. in 2. 2. 3. ad 1. Estque receptissima inter Thomistas. Pro qua videri possunt Caiet. prima parte, quæst. 77. articulo primo, & in hoc cap. circa finem. Soto ibid. in quarta distinct. decima, quæstione secunda, articulo secundo, Mas. hic sectione secunda, quæstione decima, Sanchez, lib. 5. quæst. 11. Bergom. in Concordantiis D. Thom. dub. 20. & alij.

44. Fundamentum est: quia omne accidens definitur per proprium, & immediatum subiectum, cui inheret, vt ostendimus supra disputatione quinta, numero vigesimo primo, sed semper definitur per substantiam, vt ibidem ex Arist. diximus: ergo semper substantia pertinet ad proprium, & immediatum subiectum accidentis.

Confirmatur primò: quia quælibet forma, seu actus immediatè attingit propriam materiam, seu potentiam, vt patet inductione: sed in propria materia, seu potentia accidentium semper includitur substantia: ergo semper accidentia immediatè attingunt substantiam.

Probatur minor: quia accedens dat propriæ materiæ esse secundum quid: ergo requirit, & supponit in illa esse simpliciter.

Confirmatur secundò: quia idè in sententia D. Thom. materia prima non est integrum, & immediatum subiectum quantitatis, aut alterius accidentis (& idem est de formis materialibus) quia non habet propriam substantiam, vt videbimus libro primo Physicorum: sed nullum accidens habet propriam substantiam, vt patet: ergo nullum accidens potest esse subiectum integrum, & immediatum alterius.

45. Argumentum in contrarium adductum pendet ex pluribus, quæ in materia de Eucharistia habent non paruum difficultatem. Pro nunc tamen dicimus, quod si inherentiæ actualis accidentium non distinguitur ab eorum existentia, sed accidens per ipsum suum existere absque aliquo alio vnitur subiecto, vt explicat noster Didacus à Iesu disputatione duodecima, quæstione vltima, conclusione tertia, & docent plures Thomistæ: sic consequenter dicendum est, quod qualitates panis ante consecrationem per ipsam suam existentiam inhererent substantiæ quantæ tanquam vni integro subiecto; post consecrationem verò manet quidem eadem existentia qualitatium; & ita manent cum antiqua inherentiâ; sed hæc iam non exercetur circa substantiam, & quantitatem; sed solum circa quantitatem: & ita quantitas tunc habet vices subiecti quod. Videatur Naz. prima parte, quæstione tertia, & controuersia prima, parum ante conclusiones. Si verò inherentiæ actualis, seu vnio accidentis ad subiectum sit aliquis alius modus distinctus ab eius existentia, vt alij volunt; consequenter asserendum est post consecrationem, licet maneat in qualitatibus antiqua existentia, non tamen manere antiquam vnionem; sed virtute consecrationis de nouo vniri quantitati. Neque Diu. Thom. in argumento adductus contrarius est. Solum enim asserit manere accidentia secundum esse, quod prius habebant, quod verissimum est: sed inde non sequitur manere cum antiqua vnione, si hæc ponitur distincta ab existentia accidentium.

49. Ex dictis inferitur, qua acceptione proprii conueniant substantiæ istæ sex proprietates. *Secunda* enim & *tertia* conueniunt primo modo, scilicet soli, sed non omni. Nam prædicari essentialiter de prima substantia conuenit quidem soli substantiæ, vt patet, sed non omni: cum ipsa prima substantia non prædicetur formaliter de se ipsa. Scilicet significare hoc aliquid conuenit soli substantiæ: sed non omni cum non conueniant secundis substantiis.

Deinde *quarta*, & *quinta* proprietates conueniunt substantiæ secundo modo proprii scilicet omni, sed non soli. Nam omni substantiæ conuenit non habere contrarium, & non suscipere magis, & minus, non tamen soli: cum id conueniat etiam quantitati, & aliis pluribus prædicamentis.

Tandem *prima*, & *ultima* proprietates, scilicet non esse in subiecto, & esse subscriptum contrariorum modo explicato, conueniunt substantiæ quarto modo proprii, vt satis ex dictis patet. Ex illis tamen vltima appellatur ab Arist. maximè propria: quia est positiva perfectio substantiæ, & non mera negatio sicut prima.



## CAP V T VI.

## De Quantitate.

## SV MMA TEXTVS.

**I**N tres partes diuiditur hoc Caput. Prima continet duas diuisiones quantitatibus. Quarum prima est: quantitas alia discreta, cuius scilicet partes non copulantur aliquo termino communi, vt *numerus*, & *oratio*: & alia continua, cuius scilicet partes copulantur termino communi, vt *linea*, *superficies*, *corpus*, *tempus*, & *locus*: nam partes lineæ copulantur punctis, partes superficiei lineis, &c.

Secunda diuisio est: quantitas alia habet situm, seu positionem partium inter se, vt *linea*, *superficies*, *corpus*, & *locus*: alia verò non habet talem positionem, vt *tempus*, *numerus*, & *oratio*. In illis enim verè designari potest, quem situm, seu positionem singulæ partes habeant; non verò in his, vt patet: quamuis eorum partes habeant ordinem prioris, & posterioris.

In secunda parte inquit Arist. quòd istæ septem species quantitatibus sunt quantæ per se, & ratione sui, alia vero omnia sunt quanta per accidens: quia non per se, sed per istas species sunt quanta. Nam actio dicitur longa: quia multum temporis in ea consumitur: albedinem etiam multam dicimus, quæ est in magna superficie, &c.

In tertia parte enumerat tres proprietates. *Prima* est, non habere contrarium. ¶ Contra quam obicit: quia multum, & paucum; magnum, & paruum videntur contraria; ergo, &c. ¶ Et respondet primò, ista non esse quantitates, sed relationes: quia dicuntur in comparatione ad aliud. Cuius signum est, quòd montem dicimus paruum; millium verò magnum. ¶ Secundò respondet, quòd siue sint quantitates, siue relationes, adhuc non sunt contraria: quia non se expellunt; siquidem idem simul est magnum, & paruum respectu diuersorum.

*Secunda* proprietas est non suscipere magis, & minus: neque enim vnum bicubitum, aut vnum tempus est magis bicubitum, aut tempus quàm aliud. ¶ *Tertia* proprietas maximè propria quantitatibus est, vt secundùm eas res dicantur æquales, vel inæquales. Nam vnum corpus dicitur æquale, vel inæquale alteri, & similiter numerus, tempus, &c. quod tamen non inuenitur in aliis prædicamentis. Qualitas enim non dicitur æqualis alteri, sed similis, &c.

NOTATIONES, ET DV B I A  
circa hoc Caput.

**N**omen Quantitatis ab hoc prædicamento ad res alias, propter quandam similitudinem non frequenter translaturum, efficit duas acceptiones: quas adducit D. Thom. 1. part. quæst. 42. art. 1. ad 1. Primò enim sumitur latè, pro perfectione, seu virtute cuiuscumque naturæ: solèturque appellari quantitas virtutis, seu perfectionis. Quo sensu dicitur magna scientia, aut virtus, id est, perfectio. Colleg. Compl. Logica.

ita: & Deum appellamus magnum, non corpore; sed perfectione naturæ. De qua etiam acceptione Aug. 6. de Trin. cap. 8. inquit: *Id est, quæ non mole, sed virtute magna sunt, idem est maius esse, quod melius esse.* Secundò sumitur quantitas strictè, vt significat molem, seu extensionem corporum appellaturque quantitas molis. Et hæc est, quæ hoc prædicamentum constituit, de qua in præsentia agit Aristot. & nos deinceps agemus.

¶ Circa primam diuisionem, eam esse generis in species dicemus q. 3. Nunc tamen pro intelligentia membrorum diuidentium explicare oportet, quid sit partes copulari, vel non copulari termino communi. Quod explicat optimè Caiet. ex ipsis vocibus. Ad hoc enim, vt aliquid sit terminus communis, duo requiruntur, scilicet quòd terminet, & quòd sit communis. Et quia adiectiuum est modus, & determinatio substantiui: non sufficit ad hoc, quòd aliquid dicatur terminus communis, quòd sit terminus, & quòd sit communis; sicut neque ad hoc, quòd aliquis sit monachus albus, sufficit, quòd sit monachus, & quòd sit albus; sed exigitur, quòd actum terminandi habeat communem, id est, quòd ita sit terminus vnius partis, vt etiam sit terminus alterius; sicut punctum, in quocumque loco lineæ designetur, vtriusque partis, hinc scilicet, & inde, terminus est. Et quoniam terminus, in quantum terminus; oportet quòd sit indivisibilis: quia si posset diuidi, non esset vltimum terminans, vt patet: idè termini communis nomine significatur aliquid indivisibile communiter terminans vtriusque partem: quod in linea est punctum, in superficie linea; in corpore superficies, & in tempore instans. Hæc Caietanus.

¶ Secundò circa secundam diuisionem notandum venit, quòd dupliciter potest ibi explicari *situs*, seu *positio partium*. Primò formaliter, vt significat ipsam dispositionem partium in ordine ad locum, à qua habent, quòd alia sint sursum, alia deorsum, &c. Et hoc modo positio partium pertinet ad prædicamentum situs: & consequenter diuisio sic intellecta non potest esse essentialis, vt patet; sed est subiecti in accidentia: siquidem situs, & negatio eius sunt accidentium respectu quantitatibus. Et hic sensus videtur ad mentem Arist. qui præhendens enim sub hac diuisione eandem quantitates, quas sub primis comprehendat, satis ostendit eandem quantitatem in communem esse diuisam in vtriusque diuisione. Ex quo necessariò sequitur alteram esse accidentalem, iuxta ea quæ diximus in antepædicamentis capite 3. num. 10. Quare cum prima diuisio sit essentialis, vt supponimus: hæc necessariò erit accidentalis, si formaliter intelligantur eius membra diuidentia, vt dictum est.

Secundò modo potest sumi *situs*, seu *positio partium*, radicaliter pro situabilitate, seu aptitudine; quam linea, superficies, & corpus habent, vt disponantur secundùm locum, hæ enim solæ quantitates possunt recipere figuram, ad quam consequitur dispositio in ordine ad locum & sic istæ solæ sunt situabiles: tempus verò cum omnino sit insitabile; est etiam insituabile. Non enim partes eius possunt disponi sursum, aut deorsum, vt per se constat: sicut non possunt recipere figuram trianguli, pyramidis, &c. Et idem etiam est de numero, aut ratione: nam licet numeris sæpè figuras tribuamus, vt cum dicimus numerum quadratum, tubum, &c. Hoc tamen conuenit illis, secundùm quod sumuntur, vt quantitates continuæ, sicut

S 2 è contrā



è contra proportionem sæpè tribuimus quantitibus continuis, secundum quod sumuntur discretæ, nempe vt bicubitz, tricubitz, &c.

Igitur iuxta hunc sensum, quantitatem habere situm, seu positionem partium erit esse figurabilem, situabilem: sic enim circumloquuntur gradum essentialem, in quo linea, superficies, & corpus conueniunt, & per quem distinguuntur à tempore, & ex consequenti sic intellecta hæc secunda diuisio erit essentialis, & subdiuisio præcedentis; facietque hunc sensum. Quantitas continua alia est figurabilis, seu situabilis, scilicet linea, superficies, & corpus: & alia infigurabilis, seu insituabilis, vt tempus. Neque obstat, quod sub hoc secundo membro etiam numerentur numerus, & oratio, quæ sunt quantitates discretæ: quia quando aliquod membrum diuidens est negatiuum, si non sumatur priuatiuè, sed omnino negatiuè; possunt sub illo contineri plura, quæ non continentur sub diuiso, vt patet mille exemplis. Sic ordinant has diuisiones Sonc. 5. Metaph. quæst. 24. & alij.

4. ¶ Tertiò circa secundam partem capitis notandum est species quantitatis appellari ab Arist. quanta per se. (Sic rectè transfert Argyropilus: Boëtius enim, quem sequitur Caietan. sic vertit:) *Proprie enim quantitates hæc sola dicuntur: alia vero omnia secundum accidens quanta sunt, &c.* Tum quia per se sunt principia, vnde ad res alias derivatur denominatio quanti: sicut si albedinem appellaremus per se albam: quia per se est principium dealbandi. Tum etiam quia speciale est in quantitate quodammodo denominari à se ipsa, vt terigimus suprà disp. 4. num. 40. Cuius ampliorem explicationem, quia in hunc locum remissimus: idè pro eius intelligentia considerandum est, quod licet ratio mensuræ non sit essentia quantitatis, sed passio eius, vt postea dicemus: quia tamen est nobis notior: idè frequentius loquimur de quantitate sub ratione mensuræ. Sicque de ea egisse in præsentia Aristot. satis colligitur ex eo, quod locum, & superficiem ponit, vt duas species quantitatis, propter diuersum modum mensurandi; cum tamen in ipsa ratione essendi quantitatis non distinguatur.

Quia ergo inter quantitates neutra est prima mensura; siquidem hoc tantum conuenit puncto, & unitati, vt explicuimus supra disp. 10. num. 24. idè hoc speciale est in isto prædicamento, quod vna quantitas possit mensurari per aliam. Et ita vna linea mensuramus aliam; vna superficie aliam, & sic de cæteris, vt docet D. Th. de potentia, quæst. 3. art. 17. ad 24. Quo fit, vt quantitas, quæ in se, & intrinsecè est mensura aliarum rerum, dicatur mensurata, dum regulatur per aliam quantitatem: ac proindè eadem quantitas simul dicitur mensura, & mensurata: & consequenter in eodem sensu simul dicitur quantitas, & quanta. Quia tamen vnâ quantitatem per aliam mensurari non tollit, quo minus in se, & intrinsecè sint mensuræ aliarum rerum: idè quantitas sic mensurata dicitur mensurata, seu quanta per se: quia tam res mensurans, quàm mensurata est intrinsecè mensura: & sic verificatur, quod quantitas mensuratur per se ipsam, vt inquit D. Th. loco citato. Res verò aliorum prædicamentorum dicuntur mensuratz seu quantæ per accidens, seu per aliud; quia res mensurata non est mensura, sed quid aliud ab ea diuersum. Et hic est verisimilior modus explicandi hunc locum Arist. & quomodo quantitas denominet se ipsam. Vi-

deantur Maius in scholiis huius capitis, & alij Thomistæ.

5. ¶ Tandem in tertia parte capitis, relictis prima & secunda proprietate, quæ capite præcedenti explicata sunt, circa tertiam notandum est æqualitatem, & inæqualitatem esse relationes consequentes quantitatem, & in illa fundatas: & idè dicitur proprium esse quantitatis, vt secundum eam res dicantur æquales; vel inæquales. Appellatur autem hoc maxime proprium: quia conuenit quarto modo proprii. Nam secundum omnes species quantitatis dicitur aliquid æquale, vel inæquale, non verò secundum alia prædicamenta, vt consideranti patebit. ¶ Vbi nota, quod sicut per similitudinem ad veram quantitatem, perfectio, seu virtus cuiuscumque rei appellatur quantitas: ita per similitudinem ad veram æqualitatem, vel inæqualitatem conuenientia omnimoda, vel excessus rerum secundum perfectionem dicitur æqualitas, vel inæqualitas. Quo sensu duas albedines eiusdem intentionis appellamus æquales; si verò altera sit remissior, inæquales: & Christus Dominus dicitur æqualis patri secundum diuinitatem; inæqualis verò secundum humanitatem. Ex quo fit, vt seruata eadem proportionem, sicut vera æqualitas, vel inæqualitas est passio consequens quantitatem molis, quæ est vera quantitas: ita similitudinaria æqualitas, vel inæqualitas est quasi proprietas consequens quantitatem virtutis, quæ per quandam similitudinem appellatur quantitas.



## DISPUTATIO XIII.

### De prædicamento Quantitatis.



**Q**UAMVIS Qualitas, vt potè iaccidens consequens formam, dignitate superet quantitatem, quæ consequitur materiam: rectè tamen Arist. statim post substantiam de quantitate disputauit. Tum quia hæc intelligitur ante quascumque qualitates in substantia corporeli, de qua præcipue egerat Arist. Tum quia in ratione substanciandi quantitas plus imitatur substantiam, quàm alia accidentia, & magis participat de ratione subiecti: vnde etiam potest diuina virtute per se sustentare alia accidentia, quod de aliis multi non improbabiler negant, & saltem non est ita certum. Iam verò circa quantitatem plura possent inquiri, nisi iterum de ea agendum esset in libris Physic. Et idè in hac disputatione essentiam eius, & species, quæ statuit Aristot. tantum explicabimus.

## QVÆSTIO I.

### An quantitas realiter distinguatur à Substantia.

**P**ARS negatiua videtur fuisse Platonis; qui teste Aristotel. 1. Metaphysic. text. 5. vnâ posuit omnium rerum materiam, cuius differentia diuisiua essent magnum, & paruum, arbitratus procul dubio eandem rem esse materiam, & quantitatem. Quam sententiam sequuti sunt Stoici, teste Aphrodisio, sequunturque Nominales, quos refert Suar. disp. 40. Metaph. sect.

sect. 2. asserentes eandem rem esse substantiam, & quantitatem. Vocant tamen substantiam, secundum quod substat accidentibus; quantitatem vero, secundum quod habet partes extra partes. Et idem proportionabiliter asserunt de aliis accidentibus corporeis; quod scilicet quantitas non distinguitur ab eis; sed unumquodque per se ipsum est extensum, & quantum.

Fundamentum huius sententiæ quantum ad substantiam, & quantitatem est: quia si quantitas esset res distincta à substantia; maxime, ut illa mediante, substantia reciperet accidentia contraria: sed ad hoc non est necessarium, quod sit realiter distincta: ergo, &c. Probat minor: quia recipere contraria est proprietas substantiæ; ergo per se ipsam absque aliquo alio potest illa recipere.

7 Opposita tamen sententia communis est inter Philosophos, & Theologos. Eam docent Aristot. 7. Metaphysic. text. 8. Div. Augustin. 5. de Trinitat. capite decimo; & D. Thom. 3. p. quæst. 77. artic. 2. & in 4. distinct. 12. quæst. 12. articulo primo, quæstione Pro qua videtur possunt inter alias Suar. ubi supra, Arau. lib. 5. Metaph. quæst. 3. art. 6. & Mal. hic sect. 1. quæst. 5.

Breviterque probatur. Tum ratione generali: quia nullum accidens reale potest esse idem realiter cum substantia: sed quantitas est accidens reale: ergo non potest esse idem realiter cum substantia. Minor, & consequentia constant. Maior autem nostro iudicio est certissima, implicat enim quod eadem entitas realis sit realiter per se, & realiter inhaereat alteri, ut magis ostendimus cap. sequenti, cum de distinctione relationis à fundamento disputabimus. Tum etiam ratione speciali desumpta ex mysterio Eucharistiæ, in quo quantitas panis de facto separatur à substantia: ergo antea distinguebantur realiter. Patet consequentia: quia realis separatio signum evidens est distinctionis realis.

Respondent Nominales in mysterio Eucharistiæ petisse quantitatem panis simul cum substantia, ut potest idem realiter cum ipsa manere tamen quantitatem coloris, saporis, & aliorum accidentium, quæ realiter distinguebantur à substantia.

8 Hæc tamen solutio, & sententia, licet quia saluat veritatem transubstantiationis, non sit hæretica: quia tamen est contra communem Theologorum consensum in Ecclesia communiter receptum, non caret aliqua temeritate. Et ideo sic breuiter impugnatur.

Primo: quia transubstantiatio, quam, Concilia, & Patres ponunt in Eucharistia, est conversio totius substantiæ panis in totam substantiam Christi Domini, manentibus eisdem accidentibus, ut sumitur ex Concil. Lateran. sub Innocent. III. capite primo, & Trident. sess. 13. Can. 2. sed quantitas panis est verum accidens de prædicamento accidentis, etiam in sententia Nominalium: ergo ipsa etiam debet manere.

Secundo: quia omnino irrationabiliter ponitur una quantitas ad extendendam substantiam, & alia ad extendendam albedinem, &c. ergo aliena omnino est à veritate dicta sententia. Probat antecedens: quia effectus formales eiusdem rationis provenire debent ab eadem forma, sed extensio substantiæ, & extensio albedinis, & aliorum accidentium sunt eiusdem rationis: ut patet: ergo ab eadem forma provenire debent. Cum ergo in Eucharistia maneat quantitas coloris, ut ad sensum patet: etiam manebit quantitas substantiæ; siquidem eadem est quantitas utriusque.

Tertio tandem: quia si accidentia Eucharistiæ non

Colleg. Compl. Logica.

vincerentur in quantitate panis tanquam in communi subiecto, nullo modo vincerentur, nullamque haberent colligationem: ac proinde posset color manere, immoto sapore; quod ad sensum patet esse falsum; ergo, &c. Probat sequela: quia qualitates istæ non comparantur inter se, tanquam actus, & potentia; neque fingi potest alius modus unionis, nisi secundum quod eidem communi subiecto insunt; quod nullum aliud potest esse, nisi quantitas panis: ergo verè subiectantur in illa: ac proinde ipsa realiter separatur, & distinguitur à substantia.

9 Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur in primis, quod quantitas non ex eo præcisè distinguitur realiter à substantia, ut hæc, media illa recipiat accidentia: nam etiam si nullum aliud esse accidens, adhuc distingueretur à substantia. Deinde dicimus, quod substantiæ proprium est esse subiectum quod contrariorum, ut supra explicatum est: quod autem sic est subiectum, non excludit à se subiectum quo, quale est qualitas, sed potius illud exigit, ut sit ratio recipiendi. Sicut ex eo, quod anima rationalis sit subiectum quod actuum intellectus, non excludit, sed potius exigit ipsam potentiam intellectivam, ut sit ratio recipiendi illos.

## QVÆSTIO II.

In quo consistat ratio formalis, & essentialis quantitatis.

10 Tria sunt præcipua, quæ quantitas tribuit substantiæ, de quibus potest procedere difficultas, scilicet ratione mensuræ, divisibilitas in partes, & earum extensio, seu dilatio: quæ oportet seorsum explicare ad resolutionem difficultatis.

Mensura ergo propriè dicta, definitur ab Aristot. 10. Metaph. text. 2. esse id, quo quantitas rei cognoscitur: sicut vlna est mensura panni: quia media illa cognoscimus quantitatem panni. Ad hoc autem necessarium est, ut mensura sit una, & indivisibilis secundum illam rationem, secundum quam assumitur ut mensura, ut probat ibid. Aristot. Ratioque est manifesta, quia mensura est id, unde primò derivatur cognitio rei mensuræ: ergo propterea, debet esse indivisibilis. Si enim haberet partes, iam esset aliud prius, unde derivatur cognitio, & per consequens ipsa non esset mensura. Sic videmus vlnam in ratione vlnæ esse indivisibilem: quia non componitur ex vlnis, palmum in ratione palmi, & sic de aliis.

Hoc autem dupliciter contingit. Nam vel mensura est tantum secundum quid indivisibilis, & simpliciter divisibilis: ut vlna, quæ est indivisibilis in ratione vlnæ, simpliciter tamen dividi potest cum componatur ex palmis: idem est de aliis mensuris, quibus homines utuntur, ut cubitum, pes, passus, &c. Et huiusmodi mensuræ simul sunt mensura, & res mensuræ. Vel mensura, est simpliciter indivisibilis, ut unitas, & punctum: quæ propterea sunt primæ mensuræ quantitarum; & ex consequenti repugnat, quod sint res mensuræ. Hæc autem quæ de propriis mensura inter quantitates molis dicta sunt, proportionabiliter applicantur quantitatibus virtutis, inter quas invenitur etiam mensura virtutis, seu perfectionis, ut loco citato probat Aristot. De qua intelligitur commune dictum: *Primum in unoquoque genere est mensura ceterorum*: per accessum enim, vel recessum ab illo primo, cognoscimus perfectionem aliorum in illo genere. Tota hæc doctrina desumpta est ex Div. Thomas 1. distinct. 8. quæstione quarta, articulo

S. 3. tertio.

tertio, lib. 10. Metaphysic. lect. 2 & libro primo, Poster. lect. 26.

11. Secundò notandum est, quòd quàmvis ratio mensuræ tantum convenire videatur mensuræ, quæ ex extrinseca mensurato: hæc enim est, quæ in usu humano applicatur ad rerum quantitates cognoscendas, ut patet de vlna respectu panni, de pede respectu ædificij, &c. tamen inter Philosophos loquendo, etiam datur mensura intrinseca mensurato. Et hoc modo quantitas est mensura substantiæ, cui inhæret, & aliorum accidentium corporalium, quæ media quantitate subiectantur in substantia. Cum enim à quantitate recipiant extensionem: media illa verè cognoscimus eorum magnitudinem; & per consequens habet veram rationem mensuræ respectu illorum. Quæ doctrina est expressa Divi Thom. in 2. distinct. secunda, quæstione prima, articulo secundo, ad 1. & quæstione prima, de veritate artic. 5. ubi dicit mensuram in extrinsecam, & intrinsecam: aitque hanc esse in mensurato sicut accidens in subiecto; & ponit exemplum de quantitate respectu corporis, cui inhæret.

Per quod excluditur Suarez, disput. 40. Metaphysic. sectione tertia, numero vndecimo, asserens ex mente Scot. & Durand. quantitatem non habere rationem mensuræ respectu subiecti in quo est. Ut enim contra ipsum bene argumentatur Sanchez, libro quinto, Logicæ quæst. 15. substantia habet, quòd si tanta à quantitate: ergo quòd cognoscatur esse tantam, habet etiam ex sua quantitate: & per consequens quantitas erit mensura intrinseca illius. Et idem argumentum fieri potest in aliis accidentibus corporeis, ut patet.

12. Dices quantitas extendendo substantiam tribuit illi aptitudinem, ut mensuretur per mensuram extrinsecam: ergo potius constituit eam in ratione mensuræ, seu mensurabilis, quàm habeat rationem mensuræ respectu eius.

Respondetur, quantitatem mensurando intrinsecè substantiam tribuere illi talem aptitudinem. Inde autem solum sequitur quantitatem non esse mensuram simpliciter primam in genere quantitatis, quod libenter concedimus: quia ut sæpè diximus, id tantum convenit puncto, & unitati. Unde quæcumque quantitas simul est mensura, & res mensurata: quia proprium subiectum mensurat intrinsecè, & constituit aptum, tum ut assumatur ut mensura extrinseca aliorum, tum etiam ut passivè mensuretur per aliam mensuram extrinsecam.

Per quod excluditur etiam aliorum sententia, qui diuidentes mensuram in activam, & passivam, dicunt, esse mensuram activam non convenire omni quantitati: bene tamen esse mensuram passivam, seu mensurabilem.

Quæ quidem non bene dicuntur: nam in primis aptitudo passiva rei, ut mensuretur, valde improprie appellatur mensura, sicut aptitudo ad recipiendam albedinem abusive diceretur albedo. Deinde omnis quantitas verè habet rationem mensuræ activæ: tum quia intrinsecè mensurat proprium subiectum: tum etiam quia reddit illud aptum, ut assumatur: tanquam mensura extrinseca aliarum rerum. Quamvis enim in usu humano quædam tantum quantitates, ut palmus, pes, calamus, &c. destinantur ad mensurandum; aptitudo tamen activæ ad mensurandum alia oritur ex ipsa natura quantitatis; ac proinde condecet omni quantitati.

13. Tertio notandum est diuisibilitatem nihil aliud esse, quàm aptitudinem, seu potentiam passivam rei, ut diuidatur in partes. Cum autem variz sint

partes; variz etiam erunt diuisiones, & diuisibilitates: & ita alia erit diuisibilitas in partes physicas, alia in partes metaphysicas, &c. Præter quas datur alia in partes integrantes, seu extensionis, ut aptitudo, quam habet linea vnius vlnæ, ut diuidatur in tertias, vel quartas partes. Et hæc est propria quantitas: quia ab ea habent res aptitudinem, ut diuidantur in partes integrantes, ut infra dicemus.

Hic autem nota ex Suesano lib. 5. Metaphysic. quæst. 9. hanc diuisibilitatem esse duplicem, aliam proximam, aliam remotam; illa est immediata ratio, quare quantitas diuidatur; hæc verò est, à qua fluat ipsa diuisibilitas proxima. Sicut à simili distinguimus duplicem potentiam in homine ad intelligendum, aliam proximam, nempe intellectum, & aliam radicalem, seu remotam, scilicet ipsam essentiam animæ rationalis.

14. Quarto tandem nota, quòd extensio, ut in præfati sumitur, est latitudo illa, seu moles, quàm intelligimus substantia corporea quantitate affecta: quod explicamus per habere partes extra partes. Hæc autem extensio duplex est. Alia in ordine ad locum, quando scilicet una pars actu est extra locum alterius: ut in nobis nunc manus non solum est extra entitatem capitis, sed etiam extra locum eius, cum actu corresponsdeat diuerso spatio. Alia est extensio in ordine ad se, quando scilicet una pars est extra aliam, ita ut secundum suam molem quantitativam non sint permixtæ, & confusæ; sed caput immediate vnitur collo, collum pectori, & sic de aliis. Quod potest contingere, etiam tales partes corresponsdeant eidem loco: ut patet in Eucharistia, ubi Christus Dominus verè habet extensionem hanc in ordine ad se: quia partes eius non sunt confusæ, ita ut caput sicut est vnitum collo; ita sit vnitum pedibus, sed vterque terant inter se ordinem & vna est extra entitatem alterius: actus tamen non sunt extensi in ordine ad locum: quia omnes eidem indiuisibili spatio corresponsdunt: & idè totus Christus continetur in qualibet parte minutissima Hostiæ.

Quamvis autem duæ istæ extensiones superpartialiter separentur in Eucharistia, ut dictum est: conaturaliter tamen extensio in ordine ad locum debet alteri, & dimanat ab ea, ut patet in cæteris rebus quantis: Propter quod Suarez, & alij, quos adducimus quæstione sequenti extensionem istam partium, quam appellauimus in ordine ad se, appellant ipsi radicaliter localem, & sitalem, seu quantitativam, ut eam distinguant ab alia quadam extensione, quam constituunt in substantia secundum se, & ante quantitatem, ut ibidem videbimus.

15. His ita constitutis: satis constat essentiam quantitatis non consistere in extensione actuali partium in ordine ad locum. Nam iuxta communem sententiam (quidquid contradicat Durandus) Christus Dominus in Eucharistia habet quantitatem; & tamen ibi non est extensus in ordine ad locum. Unde solum remanet difficultas de extensione in ordine ad se, difficultate, & ratione mensuræ. Circa quod: relictis quibusdam Scholasticis, quorum meminit Masius hic sectione prima quæstione tertia, contententibus nullam posse à nobis assignari essentiam quantitatis, eo quòd sit solumme latens, & obscura.

Prima sententia asserit essentiam quantitatis consistere in ratione mensuræ. Pro qua citatur Albertus hic tract. 8. cap. primo: eamque docere videtur D. Thom. opusc. 52. circa finem, ubi ait: *Propria ratio quantitatis, quæ competit quantitati, quatenus quantitas est, ratio est mensuræ.* Et prima parte quæst. 28. art. 1. & alibi

alibi sæpè, definit quantitate, quod sit mensura substantiæ. Quod etiam satis insinuat Arist. in hoc capite, dum probat orationem esse quantitatem: quia mensuratur syll. ba breui, & longa.

Ratione etiam suaderetur: quia illa est oratio essentialis quantitatis, quæ diuiditur in diuersas species huius prædicamenti, & contracta per plures differentias, diuersificatur in illis; sed hæc est ratio mensuræ, & non diuisibilitas, aut extensio: ergo &c. Probatnr minor: quia superficies, & locus, quæ ponuntur ab Arist. ut duæ species quantitatis, non differunt secundum extensionem, aut diuisibilitatem, sed penes diuersum modum mensurandi: siquidem eadem extensio, secundum quod mensurat subiectum, in quo est, dicitur superficies; & secundum quod mensurat corpus, quod continet, dicitur locus.

16 Secunda sententia docet essentiam quantitatis consistere in diuisibilitate. Hanc sequuntur plures Thomistæ Capreol. in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. ad 11. Scoti & dist. 19. q. vnica ad secundum contra primam conclusionem. Soncinas 5. Metaph. q. 21. labelsus quæst. 20. Zanardus ibidem Fland. quæst. 14. artic. 4. & Aquarius quæst. 11. Quibus etiam consentiunt Scot. hic q. 17. & 5. Metaph. q. 9. Ant. And. & ibidem q. 10. & alij eius Discipuli. Colligiturque ex Arist. eodem lib. 5. Metaph. text. 18. vbi quantum definit esse: *Id, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque vnumquid aptum est esse.* Et satis indicat D. Th. in 1. dist. 19. quæst. 1. artic. 1. ad primum vbi inquit: *Equalitas consequitur rationem quantitatis, quæ consistit in quadam diuisibilitate, &c.*

Probatnr ratioe Scoti: quia iuxta diuersos modos diuisibilitatis ponuntur diuersæ species quantitatis: ergo eius essentia consistit in diuisibilitate. Consequentia patet, & probatur antecedens: quia in primis aliter est diuisibilis quantitas continua, ac discreta: siquidem hæc diuiditur in partes, quæ nullo communi termino iunguntur; illa verò in partes communi termino copulatas. Similiter linea, superficies, & corpus distinguuntur per hoc, quod vna est diuisibilis secundum longitudinem, alia secundum latitudinem, alia secundum profunditatem; idem est de aliis speciebus quantitatis: ergo, &c.

17 Nihilominus dicendum est primò essentiam quantitatis non consistere in ratione mensuræ, neque in diuisibilitate proxima. Sic docent Auctores conclus. sequenti adducendi. Et probatur prima pars. Nam in primis esse mensuram primam in hoc genere non potest esse essentia quantitatis: hoc enim tantum conuenit puncto, & unitati, quæ non sunt quantitates, sed principia earum, ut patet. Deinde, vel per mensuram intelligimus aptitudinem, quam tribuit quantitas subiecto, ut assumatur ad mensurandas alias res, quæ solet appellari mensura actiua; vel aptitudinem, ut passimè mensureretur (Nam actu mensurare, aut mensurari euident est non esse essentiam quantitatis.) Sed in neutra aptitudine potest consistere essentia quantitatis: ergo, &c. Probatnr minor: quia vtraque aptitudo supponit extensionem partium, & oritur ex ea: idè enim aliquod quantum potest mensurare alia, aut mensurari ab alio: quia habet partes: ergo prius est habere partes, quàm habere talem aptitudinem. Cum ergo essentia sit omnium primum, planè sequitur in neutra aptitudine posse consistere essentiam quantitatis.

Per quod etiam probatur secunda pars conclusionis: quia aptitudo, quam res quanta habet, ut diuidatur necessariò supponit extensionem partium: nam idè linea potest diuidi in partes, quia habet partes, & non è contra: ergo habere partes prius est, quàm

potentia proxima ad diuisionem, & sit, &c.

Dices: saltem diuisibilitas radicalis, aut etiam mensurabilitas radicalis, erit essentia quantitatis.

Respondetur id quidem esse verum: nam in rei veritate extensio ipsa est radicaliter diuisibilitas, aut mensurabilitas; siquidem est radix vnde oriuntur diuisibilitas, & mensurabilitas proxima. Adhuc tamen non explicatur sufficienter essentia quantitatis per hos terminos. Sicut si quis diceret risibilitatem radicalem esse essentiam hominis, in re quidem nihil falsum diceret; siquidem radix risibilitatis est ipsa rationalitas. Cæterum insufficienter, & confusè explicaret tunc essentiam hominis: quia nondum exprimebatur, quid esset illud, à quo tanquam à radice oritur risibilitas. Idem ergo contingit in præsentia, ut consideranti patebit.

18 Dicendum est secundò extensionem partium in ordine ad se esse rationem formalem, & essentiam quantitatis. Sic docet apertè D. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 12. ad 1. vbi ait: *Derivatione quantitatis est ordo partium.* Et clariùs 4. contra Gent. c. 65. his verbis: *Positio, quæ est ordo partium in toto, in eius, (scilicet quantitatis) ratione includitur: Quem sequuntur Ferrara ibidem c. 87. 5. ad euidentiam, Nuño 3. p. q. 76. artic. 4. dub. vnic. Arauxo lib. 5. Met. ph. q. 3. art. 1. Musus vbi supra, Sanch. lib. 5. Logicæ q. 15. & Galleg. controuert. 24. qui addit esse communem in schola Thomistarum.*

Quibus in hac parte consentiunt Teletus, Rub. Vafq. Fonseca, & multi alij quos refert Galleg. loco citato. Vbi rectè probat ab hac sententia in re non discordare Thomistas citatos pro secunda: loquuntur enim de diuisibilitate radicali, ut satis se explicant Capreolus secundo loco, & Soncin. q. citata in solutione ad primum.

Fundamentum sumitur ex dictis: quia illud est ratio formalis, & essentia alicuius, in quo andem resoluuntur omnes illius proprietates: sed omnes proprietates quantitatis vltimò resoluuntur in extensionem partium: ergo in illa consistit essentia eius.

Probatnr minor: quia ideo quantitas potest esse æqualis, vel inæqualis, quia est extensa; ideo potest mensurari, vel mensurare: quia in se habet dilationem, vel extensionem; ideo est diuisibilis in partes, quia habet illas. Non tamen valet è contra, neque est assignabilis alia ratio prior, quæ e quantitas sit in se extensa: nisi quia est quantitas. Ergo extensio in ordine ad se est eius essentia.

Confirmatur: quia ipsa moles, quæ distinguit hoc prædicamentum à quantitate virtutis, nihil aliud est, quàm habere in se extensionem partium: & secundum hanc sunt diuisiones essentielles huius prædicamenti. Continuitas enim, vel discretio, longitudo, aut profunditas, &c. sunt tales, vel tales modi habendi partes. Et tandem idè locus reicitur communiter à recta linea huius prædicamenti (ut postea videbimus) quia non habet specialem modum extensionis distinctum à superficie. Ergo ratio formalis & essentia quantitatis consistit in extensione partium in ordine ad se.

19 Ad argumenta respondetur. Ad locum D. Tho. pro prima sententia adductum, dicimus primò ibi sumi mensuram pro radicali mensurabilitate, quæ est extensio.

2º Secundò, & melius, respondetur sensum esse, quod ratio quantitatis, secundum quod consideratur à Logico, est ratio mensuræ: siquidem ob hanc causam Arist. (ut in notationibus capitis dicebamus) posuit duas species quantitatis, superficiem & locum: quod in illo Opusculo explicare volebat Diuus Thomas.

S. 4. Quibus

¶ Quibus adde dictum Opusculum esse ex reprobatis iuxta censuram Diui Antonini 3. p. historialiū, titul. 18 c. 10. quam referunt Antonius Senensis in Bibliothor. Prædicatorum, & Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothor. verbo *Thomas Aquinas*: quamque secuta est editio Pij V. Romæ facta anno 1571. & admittunt communiter Doctores: De quæ etiam videtur potest Antonius Picamus Patricius, Præfatione ad Opuscula Diui Thomæ, multo antea excusa Venetiis anno 1547.

Per quod patet, tum ad locum Arist. tum ad rationem factam pro hac sententia. Quia enim in hoc cap. agebat Arist. de quantitate in ratione mensuræ: ideo ex ea sumpsi argumentum ad probandum orationem esse quantitatem: ideoque posuit ut duas eius species, superficiem, & locum, propter diuersum modum mensurandi earum. In Metaphysica vero, ubi agebat de quantitate secundum suam essentiam, negauit locum esse veram speciem quantitatis, ut infra videbitur.

20 Ad argumenta secundæ sententiæ respond. Ad locum Arist. ibi definisse quantitatem per diuisibilitatem, tanquam per propriam passionem, quæ nobis notior est, & ex qua facillè colligimus ipsam esse essentiam: sicut propter eandem rationem definit D. Tho. quantitatem per rationem mensuræ.

¶ Ad locum eiusdem Angelici Doctoris respondetur ibi loqui de diuisibilitate radicali. Neque opus fuit exprimere extensionem partium; quia ibi non defunctat quantitatem.

Ad rationem respondetur distinguendo antecedens. Si scilicet sensus sit, species quantitatis sumi tanquam ex prima radice ex diuerso modo diuisibilitatis; omnino falsum est; quia prius intelligitur quantitatem continuam, & discretam, & vniuscuiusque species habere diuersum modum extensionis, quam diuisibilitatis, ut dictum est. Si verò sensus sit, species istas sumi ex diuerso modo diuisibilitatis, tanquam à signo nobis notiori, verum est antecedens. Sed inde solum sequitur diuisibilitatem esse passionem quantitatis.

21 ¶ Ex dictis infertur primò, quod esse extensum in ordine ad locum non potest esse effectus quantitatis in genere causæ formalis, siue ut alij dicunt, effectus primarius: hic enim separari non potest à quantitate, etiam de potentia absoluta, ut sentiunt communiter Doctores: sed vel est effectus formalis ubi circumscriptio, vel alterius accidentis innominati à quantitate connaturaliter dimanantis. Propter quod solet appellari effectus secundarius quantitatis: potestque ab ipsa diuisiuis separari, ut contingere diximus in Eucharistia. Sicut etiam cernitur in subsistentia, aut existentia creata: quæ solent appellari effectus secundarij formæ substantialis: & ideo possunt ab ea separari per potentiam diuinam, ut de facto separantur in natura humana Christi Domini.

22 ¶ Secundò infertur multò minus posse consistere essentiam quantitatis in impenetrabilitate, scilicet in repugnantia, quam substantia corporea habet, ut sit in eodem loco cum alia. Tum quia impenetrabilitas necessarid supponit extensionem in ordine ad locum: siquidem non habent talem repugnantiam, nisi quæ sunt in loco. Tum etiam quia potest à quantitate separari, ut de facto contingit in natalitate Christi Domini: & quando ad discipulos intrauit ranaui clausis. Tunc enim quantitas Christi Domini transit penetrabilis, ex eo quod impeditur, vel ablata est à Deo impenetrabilitas, quæ est connaturalis passio quantitatis, ut sumitur ex Diuo Thoma in 4. distinctione 44 q. 2. art. 2. quæstioncula 2.

Ex quo etiam fit, quod penetrabilitas opposita impenetrabilitati, de qua loquimur, potius est priuatio, quam aliud positium, solumque inuenitur in

corporibus; & per consequens, neque Angeli, neque animæ separatæ propriè dicuntur penetrari, quando sunt in eodem loco simul cum corporibus.

### Q V Æ S T I O III.

*An substantia corporea sine quantitate habeat partes.*

23. S Vpposita distinctione reali quantitatis & substantiæ quæstione 1. statuta rationabiliter negari non potest substantiam posse per diuinam potentiam absque quantitate conseruari, sicut de facto in Eucharistia quantitas conseruatur absque substantia. Minus enim dependet in sua existentia substantia à quantitate, quam quantitas à substantia, ut de se patet. In casu ergo, quo conseruaret Deus substantiam absque quantitate, procedit præsens difficultas, & inquiriatur tunc substantia haberet partes. Et non est dubium de partibus essentialibus, tam physicis, quam metaphysicis: hæ enim, cum componant essentiam substantiæ corporeæ; necessariò illam comitantur.

Neque similiter est dubium de extensione partium in ordine ad locum, seu in loco. Quamquam nonnulli Moderni, quorum meminit Vasquez 1. p. disput. 199 c. 3. cò deuenierint, ut hanc etiam concedant in substantia absque quantitate conseruari, asserentes tunc habere quandam extensionem localem entitativam, ita ut caput corresponderet sursum, pedes deorsum, &c. Hæ tamen, utpote sensibus additi, relinquendi sunt. Dubium ergo est de partibus integralibus, & extensione in ordine ad se: an scilicet substantia sic conseruata haberei in sua entitate aliquam actualem extensionem: ita quod verè ibi essent partes, & alteri vnirentur, essentque consequenter actu manus, pedes, &c.

*Refertur sententia affirmans, varique eius argumenta adducuntur.*

§. I.

24. V Alde plausibilis est his temporibus apud aliquos Modernos opinio, asserens substantiam corpoream sic absque quantitate conseruari verè habere partes integrales, & extensionem actualem modo explicato. Sic docuerunt Nominales; quos referunt, & sequuntur Suarez disp. 4. Metaph. sect. 4. Ponsseca 1. 5 c. 13 q. 2. sect. 3. Conimbr. 1. Physic. c. 2. q. 2. art. 3. Rub. ibid. c. 3 q. 2. Oña hic q. 1. art. 1. Caber. disp. 2. dub. 2. & communiter Recentiores extra scholam D. Thomæ.

Si autem eis obiciatur extensionem, & diuisibilitatem iuxta Peripateticam doctrinam ad quantitatem pertinere: excogitant facilem solutionem; distinguendo duplicem extensionem, & diuisibilitatem; aliam substantialem, seu entitativam, & aliam quantitativam. Hanc inquirunt esse propriam quantitatis, & consequenter absque ea manere substantiam, quando separatur quantitas: illam verò habere substantiam à seipsa; & per consequens semper retinere eam. Per quod facillè soluere arbitrantur tum Arist. & D. Thomæ testimonia, tum etiam argumenta, quæ contra eos sunt.

Concedunt autem hanc extensionem, non solum in ipsa substantia completa; sed etiam in materia prima secundum se: ita quod ipsa à forma & quantitate præcisa habeat partes integrantes actu distinctas, & unitas. Videatur Suarez ibid. num. 12.

Probatur



Probatum primò hæc sententia ex D. Thoma in 2. dist. 30. quæst. 2. artic. 1. vbi dicitur: Purans: quomodo alimentum transeat in veritatem humanæ naturæ, impugnat quorundam sententiam asserentium, quia materia prima ex se caret omni quantitate: ideo æqualiter se habet ad omnem quantitatem: probaturque quantitatem debere proportionari materiæ: ergo sentit D. Thom. extensionem quantitativam materiæ supponere in ipsa propriam extensionem entitativam.

25. Secundò ibidem docet, animal per nutritionem acquirere, non solum novam partem quantitatis, sed etiam novam partem substantiæ. Ex quo sic formatum argumentum. Quoties aliquid successivè producit, necessariò debet habere partes respondentes partibus motus productiui, quarum una post aliam producatur: sed substantia corporea producit successivè per nutritionem: ergo verè habet partes, & extensionem.

Respondet, ideo tunc substantiam habere partes, quarum una post aliam producatur: quia ibi est quantitas. ¶ Sed contra: quia per nutritionem intelligitur præcisè produci substantia, & prius natura quam per augmentationem intelligatur produci quantitas: ergo in ipsa substantia ante quantitatem intelligitur pluralitas partium.

Tertiò idem D. Thomas 1. parte qu. 92. art. 3. ad 1. docet, quod quando Deus formavit Eam ex costa Adami, addidit materiam per creationem, vel conversionem productam. Vbi Caiet. concedit in ipsa essentia materiæ secundum se dari plus, aut minus: quod etiam concedit Soncin. 8. Metaph. q. 4. Ex quo sic formatum argumentum. Vbi datur plus, aut minus, ibi datur distinctio partium: sed in substantia ante quantitatem datur plus, aut minus: ergo ibi datur distinctio partium.

Maiores patet: quia id, quod habet plus, excedit id, quod habet minus, in aliquo reali: ergo distinguitur realiter à tali excessu. Minor autem videtur D. Thomam si in substantia non daretur plus, aut minus ante quantitatem, non haberet plus substantia Adami, quam costa ab illoeducta: & consequenter non oporteret producere novam materiam in formatione Euz.

26. Quarto probatur ex consecratione Eucharistiæ in casu, quo Sacerdos consecraret medietatem Hostiæ à se designatam, quod esse possibile nullus potest dubitare. In quo casu sic formatum argumentum. Substantia, quæ erat in medietate Hostiæ consecrata verè definit esse, & separatur à substantia, quæ manet in altera medietate non consecrata: & tamen quantitas totius Hostiæ manet integra, & indivisa: ergo iam substantia dividitur secundum seipsam, & non ad divisionem quantitatis.

Respondet, in tali casu virtute consecrationis discontinuari quantitatem in duabus illis medietatibus, licet à nobis percipiatur.

Sed contra: quia id videtur voluntariè dictum, & directè pugnat cum doctrina D. Thom. tertia parte; quæst. 77. artic. 8. ad secundum, vbi docet, quod si vino consecrato infundatur parum vini non consecrati; *Eris quidem una dispensio secundum continuationem quantitatis, non tamen una secundum modum essendi: quia una pars eius erit sine subiecto, & alia erit in subiecto*: ergo idem dicendum est de illis medietatibus Hostiæ in casu posito.

Quintò, quia substantia est subiectum quantitatis: ergo tota quantitas recipitur in tota substantia, & partes quantitatis in partibus substantiæ. Ergo sicut tota substantia antecedit totam quantitatem: ita partes substantiæ antecedunt partes quantitatis.

Antecedens est certum: & prima consequentia probatur: quia subiectum & forma debent proportionari: ergo cum quantitas habeat partes, & sit extensa: substantia etiam debet habere aliquam extensionem.

Confirmatur primò: quia res divisibilis non potest recipi in subiecto indivisibili: sed quantitas recipitur in substantia: ergo substantia non est de se indivisibilis.

Probatum maior, quia ideo accidentia corporea non possunt recipi in Angelo, quia hic est indivisibilis, illa verò divisibilia.

Confirmatur secundò, quia in illo priori, in qua substantia recipit quantitatem, vel recipit illam quatenus divisibilis, vel quatenus indivisibilis. Si primum: ergo substantia ante quantitatem habet partes. Si secundum: ergo substantia manet semper indivisibilis: quia eadem est ratio recipiendi, & conferuandi. Hoc autem est falsum: ergo, &c.

27. Sextò: quia substantia cum quantitate habet partes substantiales, siquidem in Petro caput, & per partes substantiales sunt, & substantialiter distinctæ: ergo illas non recipit à quantitate. Probatum consequentia: quia nullum accidens potest tribuere effectum substantialem: sed istæ partes sunt substantiales: ergo, &c.

Confirmatur, quia cælum verbi gratia, maiorem quantitatem natura sua postulat, quam granum frumenti: ergo propter aliquam maiorem substantialem, quam in se habeat. Probatum antecedens: quia sicut quantitas absolute, sequitur substantiam corpoream absolute: ita tanta, aut maior quantitas sequitur tantam, aut maiorem substantiam.

Septimò: quia si auferret Deus in instanti quantitatem à substantia Oceani, vel maneret tunc substantia divisibilis, vel indivisibilis: non secundum, ergo primum. Probatum minor. Tum quia iam tota illa substantia conflueret in punctum; mouereturque localiter in instanti. Tum etiam quia non esset maior ratio, quare confluxus iste fieret in Oceano Indico, vel Atlantico. Tum denique, quia bibens guttam ex illa aqua integrum Oceanum biberet, quæ videntur absurda.

Octavò: quia si substantia haberet à quantitate partes integrantes; sequeretur, quod quæ distinguuntur realiter, realiter identificarentur, & quæ realiter sunt idem, realiter distinguerentur: utrumque autem est impossibile: ergo, &c.

Probatum sequela: quia nunc caput, verbi gratia, distinguitur realiter à brachio: auferatur quantitas, tunc vel manent distincta caput, & brachium, vel sunt idem. Non primum per te: ergo realiter identificantur. Similiter ponatur substantia aquæ absque quantitate: tunc illa substantia realiter est idem; si verò ponatur quantitas; tunc partes aquæ realiter distinguuntur.

Vltimò: quia substantia corporea, ablata quantitate, verè est in loco, sicut antea: ergo habet aliquam extensionem, ratione cuius fit in illo. Consequentia videtur certa. Antecedens verò probatur, quia si ab aqua existente in vase auferatur quantitas; verè manebit ibi substantia aquæ; siquidem inde non minuitur in alium locum; neque destructa est (ut supponimus) sed manet in eadem natura: ergo substantia ablata quantitate, verè est in loco sicut antea.

Nonnullis

*Nonnullis prenotatis sententia negans, & vera proponitur, & statuitur.*

## §. II.

18 **V**T melius intelligatur, & stabilietur nostra sententia, maxime considerandum, & perpendendum est quod omni substantia sit ens simpliciter, est consequenter proprium subiectum accidenti: ac proinde inuenitur in ea capacitas, & potentia passiva ad illa recipienda. Vnde sicut est impossibile substantiam esse sub accidentibus, & quod non tribuat ei suum effectum formalem: ita repugnat substantiam habere talem effectum formalem aut esse accidentale, antequam recipiat ipsa accidentia; licet præintelligatur in substantia potentia passiva ad ea recipienda. Quia tamen nos pro hoc statu intelligimus modis sensibus, & imaginatione, quæ non possunt percipere substantiam secundum se, & ab omni accidenti nudam: ideo etiam quando nitimur, intelligere substantiam secundum se, & ut præuenit omnia accidentia, imaginamur illam, ac si verè haberet aliqua accidentia.

Accidentia autem, quæ ad minus sunt necessaria, ut sensus interior operetur, sunt sensibilia communia, scilicet quantitas, motus, ubi, & similia: & ideo sensus interior (quantumvis intellectus nitatur apprehendere substantiam secundum se, & nudam) semper percipit eam cum talibus sensibilibus.

Cum autem intellectus pro hoc statu, si supra non eleuatur, & sensibilia non transcendit, sequatur cognitionem sensuum: inde fit, ut substantia secundum se apprehendat per modum sensibilibus, tribuatque ei aliquam extensionem, ubi, ubi, aut motum. Non enim percipit, quomodo talis substantia, quæ capax est quantitatis, sit corporea, & non sit extensa: aut quomodo verè, & realiter existat in rerum natura; & non sit in aliquo loco: aut quare tunc non possit moueri motu physico.

Quæ tamen intelligeret, si supra se reflectens, & sensibilia transcendens cogitaret, quod sicut substantia ante albedinem non est alba, sed dealbabilis: ita ante quantitatem non est extensa, sed extensibilis: & ante ubi non est ubicata, sed ubicabilis, &c.

Et quod sicut dealbabilitas in substantia non est aliqua albedo entitativa: sed potentia passiva ad recipiendam albedinem: ita extensibilitas, aut ubicabilitas in substantia non est aliqua extensio, aut ubicatio entitativa, sed capacitas, seu potentia passiva ad recipiendam quantitatem, & ubi. Cum autem potentia passiva, dum non recipit actum, cuius est capax, habeat priuationem eius: ideo hæc duo necessarîo coneedenda sunt, scilicet quod substantia ante quantitatem, & ubi, est extensibilis, & ubicabilis: & quod dum non recipit quantitatem, & ubi, est inextensa, & inubicata. Et quia diuisibilitas proxima est passio extensionis, ut supra explicatum est: ideo substantia, dum non est extensa, non est proximè diuisibilis; & per consequens est indiuisibilis. Quo modo loquendi vtitur sæpè ex Arist. D. Thom. ut postea videbimus.

29 Ex qua manifesta doctrina redditur vanum effugium de partibus, aut extensione entitativa, quod à contrariis excogitatum est. Hanc enim extensionem ad id ponunt in substantia secundum se, ut possit recipere quantitatem; ne diuisibile recipiatur in subie, & indiuisibili.

Ad hoc autem minimè est necessaria: cum accidens solum requirat in subiecto potentiam passivam ad illud recipiendum: aliàs si ad recipiendam extensionem

quantitatis non sufficeret extensibilitas substantiæ; sed necessaria esset alia extensio actualis entitativa: idem, seruata proportionem, dicendum esset de aliis accidentibus: ita ut corpus quantum reciperet ubi circumscriptum, deberet præhabere aliquod aliud ubi entitativum: & similiter ut anima reciperet intellectum, deberet præhabere quendam intellectum entitativum, &c. Nam sicut isti Auctores non percipiunt, quomodo diuisibile recipiatur in subiecto indiuisibili: sic intelligere non poterunt, quomodo ubi circumscriptum, seu præsentia localis recipiatur in subiecto non existente in eo: aut quomodo potentia ad intelligendum recipiatur in suscepto non potente intelligere. Hoc autè non solum non esse in intelligibile: sed oppositum manifestè implicat: nam ante receptionem actus necessarîo antecedit in potentia priuatio actus, non verò ipse actus. Hic autem ideo decipiuntur aduersarij, ut rectè norantur D. Thomas infra num. 41. adducendus, & Capreol. in 2. dist. 3. q. 1. artic. 3. ad 14. Scoti, quia inextensionem, seu indiuisibilitatem substantiæ secundum se, apprehendunt ut contradiçtoriè, seu contrariè oppositam extensioni, & diuisibilitati quantitatis; cum tamen solum opponatur priuatione.

30 Dicendum est ergo substantiam de se, seu ablata quantitate, non habere partes integrantes, neque vnam extensionem aut diuisibilitatem, etiam entitativam: & consequenter manere indiuisibilem. Et idem est de materia prima. Sic docet ex Arist. D. Thom. 4. contra Gentes, cap. 65. his verbis. *Nam remota quantitate substantia omnis indiuisibilis est, ut patet per Philosophum 1. Physic. & 1. parte qu. 50. art. 2. Materiam autem diuidi in partes non conuenit, nisi secundum quod intelligitur sub quantitate: quæ remota, remanet substantia indiuisibilis, ut dicitur 1. Physicorum.* Quod explicatius tradit Quodlib. 9. qu. 4. artic. 1. dicens: *Impossibile est quod una materia contrarias, & disparatas formas recipiat nisi secundum diuersas partes. Diuersitas autem partium non potest intelligi in materia, non intellecta diuisione; neque diuisio, non intellecta diuisione: quia substantia, quantitate sublata remanet indiuisibilis, ut dicitur 1. Physic.* Quæ Angelici Doctoris testimonia adeò expressa sunt, ut absque eius iniuria tergiversari non possint, aut ad alium sensum detorqueri. Idem etiam docet loco adducto in primo argumento contrariæ sententiæ, ut in eius solutione videbimus.

Et ideo hanc concl. defendunt Capreol. ubi sup. & disp. 18. q. 1. art. 3. ad 2. & 4. in 4. dist. 13. q. vnic. art. 3. ad 1. Cal. 1. p. q. 52. art. 1. Ferrar. 1. Physic. q. 4. Soncin. 5. Metaph. qu. 19. Sanch. lib. 1. Logica q. 15. concl. 7. Naza. 1. parte quæstione 50. artic. 2. in informatione textus. Estque receptissima inter Thomistas, ut fatetur Suarez ubi supra. Quam etiam defendunt Durandus prima distinctione 34. quæstione 1. in fine. Beatus Albert. lib. 1. Physicorum quæstione sexta. Toler. ibidem quæst. 7. & Vasquez 1. p. disp. 196. c. 3. ubi acriter reprehendit oppositum.

Dupliciter probari potest hæc conclusio. Primò, ostendendo, extensionem illam entitativam, quæ ponitur in substantia, non esse necessariam. Secundò, ostendendo esse impossibile. Primum satis constat ex discursu supra facto. Optimè enim potest intelligi in substantia capacitas, seu potentia passiva, ut extendatur per quantitatem, & recipiat partes absque eo, quod habeat in se aliquas partes, aut extensionem entitativam actualem, ut ibi explicuimus: ergo, &c. Quod autem talis extensio, aut diuisibilitas sit impossibilis.

31 Probatum primò: quia ante quantitatem nulla potest esse in substantia compositio partium integralium etiam

etiam entitativarum: ergo ante quantitatem non potest esse in substantia extensio, aut diuisibilitas, etiam entitativa. Consequentia patet.

Antecedens verò probatur: quia compositio partium integralium etiam entitativarum est accidentalis: ergo non potest esse in substantia ante quantitatem. Consequentia est nota: quia cum quantitas sit primum accidens substantiæ corporalis: quidquid in ea intelligitur ante quantitatem, pertinet necessarîo ad essentiam.

Antecedens autem probatur: quia compositio partium integralium etiam entitativarum non fit ex actu, & potentia simpliciter: cum una pars non constituat aliam, aut det illi esse, aut recipietur in ea; neque sint inter se primò diuersæ, sed eiusdem rationis, ut ipsi aduersarij fatentur; ergo est accidentalis.

Confirmatur, quia partes integrales etiam etherogeneæ in esse partium, & distinctio earum causatur ab accidentibus: ergo illis ablatis non manebunt actus partes integrales.

Consequentia est evidens, & antecedens probatur: quia caput, v. g. & manus solum de materiali significant substantiam; de formali verò talem, vel talem figuram cum his, aut illis accidentibus. Similiter ossa non distinguuntur à carne in substantia secundum se; sed penes durum, & molle; quæ sunt accidentia: ergo ridiculum est dicere, quod ablata quantitate, & aliis accidentibus dantur in substantia caput, manus, &c.

32. Secundò probatur ratione Alberti. quam adducit Ferrar. ubi supra. Quia materia prima hominis, remota quantitate, vel est simplex, vel composita. Si simplex, erit indiuisibilis. Si composita, aut prima compositio, aut secunda. Non prima, quia hæc fit ex potentia & actu simpliciter v. g. habetur 8. Metaph. text. 8 materia autem est pura potentia. Non etiam secunda, quæ est ex subiecto, & accidenti, quia ubi non est prima compositio, repugnat esse secundam. Ergo materia prima verè est indiuisibilis remota quantitate.

Confirmatur primò: quia si materia prima secundum se componeretur ex partibus, necessarîo ibi esset distinctio partium: sed hæc est impossibilis in materia prima: ergo, &c. Probatur minor: quia ubi est distinctio vnius ab alio, necessarîo interuenit aliquis actus; siquidem actus est qui distinguit ex 7. Metaph. text. 49. sed in materia secundum se nullus est actus; cum sit pura potentia: ergo ibi non potest esse distinctio partium.

Confirmatur secundò: quia prius est esse quàm maius esse: sed materia prima de se non habet esse, ut ostendimus 1. Physic. ergò neque habet maius esse: ergo secundum se non est diuisibilis, aut extensa, etiam entitatiuè.

33. Tertiò, quia esse extensum quacumque extensione, sicut esse quale, est esse secundum quid, ergo sicut esse quale provenit substantiæ à forma accidentali: ita etiam esse extensum quacumque extensione; & per consequens, sicut, ablata qualitate, substantia non remanet qualis: ita ablata quantitate non remanebit villo modo extensa. Probatur antecedens; quia illud est esse secundum quid, respectu substantiæ, per quod non potest responderi ad q. quid est, ipsius substantiæ, vel quod non complet, aut terminat eam intra limites substantiæ, sed esse extensum est huiusmodi: ergo, &c. Maior constat, quia in substantia nullum aliud daretur esse simpliciter, nisi vel esse essentia, per quod respond. ad quæst. quid est, vel esse substantiæ, aut existentia quæ sunt complementa, & termini ipsius substantiæ.

Minor verò probatur, quia quærenti quid est homo, non responderetur, est extensus etiam entitatiuè; sed

animel viuens, &c. Neque talis extensio est complementum, aut terminus substantiæ in ratione substantiæ: siquidem neque constituit eam in esse suppositi; aut primæ substantiæ: neque tribuit illi ultimam actualitatem, ut per se patet: ergo esse extensum etiam entitatiuè est esse secundum quid, & accidentale.

Confirmatur primò: quia ridiculum esset distinguere quoddam esse quale entitatiuè, & aliud esse quale qualitatiuè, asserereque substantiam secundum se esse qualem primò, non verò secundò: ergo absurdum etiam est distinguere quoddam esse extensum entitatiuè, & aliud esse extensum quantitatiuè, & illud tribuere substantiæ secundum se. Confirmatur secundò: quia ex opposita sententia sequitur nullum esse quantum per accidens. Si enim semel admittitur in substantia propria extensio ad recipiendam quantitatem, ne diuisibile recipiatur in subiecto indiuisibili: pari ratione in albedine, relatione, & aliis accidentibus corporeis ponenda est propria extensio entitativa, ut recipiatur in quantitate; ne indiuisibile recipiatur in subiecto diuisibili. Quæ omnia, & alia his similia absurda sunt, & aliena à schola Aristot. Ergo substantia secundum se, & absque quantitate nullam habet partium extensionem etiam entitativam.

### ARGUMENTIS PRO CONTRARIA sententia factis respondetur.

#### S. III.

34. AD primum ex auctoritate D. Thomæ respondetur ibi Sanctum Doctorem expressè docuisse nostram sententiam; his enim, aut ter repetit materiam non habere à se extensionem, aut diuisibilitatem his verbis: *Ex materia res quanta efficitur, non per extensionem: cum extensio non sit nisi eius, quod alius quantitatis erat, sed per quantitatis susceptionem.* Et infra: *Diuisio non accidit materie, nisi secundum quod consideratur sub dimensionibus saltim interminatis: quia remota quantitate, ut in primò Physicorum dicitur, substantia erit indiuisibilis, &c.* Vnde mirum est, quomodo hic articulus adducatur à viris doctis pro contraria sententia. Responderetur ergo ad argumentum, quod ibi D. Thomas probat non sequi ex eo, quod materia de se non habeat quantitatem, quod sic in potentia respectu cuiuscunque quantitatis imaginabilis. Ad id tamen ostendendum, non sumit rationem ex eo, quod materia ex se habeat aliquam extensionem, quam expressè negat, sed ex eo quod materia est in potentia ad formas naturales, quæ petunt determinatam quantitatem, & mediis illis recipit eam; Ex quo optimè concludit non posse recipere quantumque quantitatem imaginabilem. Videatur D. Tho. ibidem.

35. Ad secundum cum sua replica responderetur; quod siue nutritio, & argumentatio sint actiones realiter distinctæ, siue non (de quo agamus in libris de anima) à parte rei semper ibi producit substantia cum quantitate, ratione cuius dantur in ea partes, quarum una post aliam producat per nutritionem. Vnde quamvis prioritate naturæ intelligatur, ante quantitatem substantia in ratione substantiæ potentis recipere partialem extensionem quantitatis, seu ut est radix illius, quod sufficit ad specificandam nutritionem, ut præintelligitur augmentatione: non tamen intelligitur prius in ratione partis actualis. Et idè si auferret Deus quantitatem à substantia aliri, vel alimenti, vel ab utraque non posset actu fieri nutritio: quia sine quantitate substantia non potest actu esse pars integralis. Adde, aliud intendere naturam

n generatione totali: quia primò producitur viuens, & aliud in generatione partiali: quia iam productum nutritur. Per illam enim intendit producere esse, & ita prius, intendit, quod primò habet esse, scilicet substantiam; per hanc verò non intendit natura producere esse, sed perficere rem productam in ordine ad operari, quam dispositionem habet res per acquisitionem quantitatis congruam, & idè in generatione partiali prius intendit natura producere quantitatem; propter quod etiam potentia nutritiva ordinatur, ad augmentatiuam, & non è contra, ut dicemus in libris de anima. Ex quo tandem fit, ut in nutritione non intendatur, neque producat pars substantiæ, nisi ut est sub quantitate, à qua constituitur in esse partis.

34 Ad tertium, responderetur materiam in illo casu, siue addita fuerit per conuersionem, siue per creationem, semper fuisse sub quantitate alicuius formæ, ut per se patet: (neque enim potuit materia per se solùm, & absque omni forma creari, ut dicemus libro 1. Physicorum) & ratione talis quantitatis potuit fieri additio vnus partis materiæ ad aliam. Ad id autem quod ex Caiet. & Soncin. assertur, dicimus quodd, ut ipsi se explicent, & docet D. Thom. opusc. 32. in materia secundum se non datur actus plus, aut minus, sed tantum in potentia, & aptitudinem, secundum quod est radix maioris, vel minoris, quantitatis iuxta exigentiam formæ substantialis, ratione cuius recipit illam. Et propter à materia existens sub costa Adami, non erat in potentia ad totam quantitatem Euz, saltem seruata densitate debita ad corpus muliebre. Et generaliter materia existens sub quacumque forma, & dimensione, non est in potentia ad quantamcumque dimensionem, sed est certus limes, ultra quem neque in potentia extenditur, ut rectè inquit Caietanus ibidem. Videatur etiam Soncinas, qui se explicans ait: Non intendo dicere, quodd materia sit partibilis secundum se, & quodd seclusa quantitate in ea sint partes, &c.

37 Ad quartum responderetur primò non esse impossibilem solutionem ibi assignatam. Sicut in arbore v.g. probabile est partem arefactam, quæ non informatur anima, non continuari secundum rem, sed solùm secundum apparentiam partibus viuentibus: quia cum ibi sint duæ formæ substantiales; & consequenter duæ materiæ, & duo composita: etiam accidentia debent esse diuisa, & maximè quantitas, quæ simul cum materia est principium indiuiduationis talium compositorum.

Iuxta quod resp. ad locum in contrarium adductum, ibi D. Th. solùm intendere, esse vnā dimensionem, secundum apparentiam tantum, non verò partes illas propriè, & in rigore esse continuas. Quod non obscure colligitur ex exemplo, quod adducit de corpore constituto ex duobus metallis, cuius vna pars sit aurea, & alia argentea; de quo affirmans S. Doctor esse plura secundum speciem naturæ; satis indicat dimensiones solùm esse continuas secundum apparentiam, seu mathematicè consideratas, non verò propriè, & naturaliter. Si enim, teste eodem D. Th. 1. 2. q. 20. ar. 6. & in 2. dist. 40. q. vnica att. 4. *Lignum, cuius vna pars est alba, & altera nigra, secundum illud esse, quo est coloratum, est multum, & non continuum*: multò magis corpus, cuius alia pars est aurum, & alia argentum, secundum esse simpliciter, & substantiale erit multum, & non continuum; & per consequens eadem numero quantitas continua non poterit esse in ytroque metallo, siquidem vnū numero accidens continuum non potest esse in pluribus subiectis realiter distinctis, & non continuis. Sed quidquid sit de his exemplis.

38 Secundò, & melius responderetur cum Palud. quem refert, & seq. Capr. in 4. disp. 13. q. 1. ar. 3. ad 1.

sequunturque communiter Thomistæ, quod in casu argumenti permagent continuæ dimensiones totius Hostiæ. Ad id autem quod contra hoc obiicitur, responderetur, tunc substantiam illius medietatis propriè loquendo non diuidi ab alia: hoc enim repugnat substantiæ; nisi ad diuisionem quantitatis, ut rectè probat argumentum: sed desinere esse ex vi actionis supernaturalis conuertentis talem substantiam in corpus Christi, in quo nulla est repugnantia. Cum enim substantia, quando est sub quantitate, verè habeat in se ipsa partes, & extensionem ab ipsa quantitate communicatas: quamuis agens naturale non possit ad has pertingere, nisi operando etiam circa quantitatem: quia agit mediis dispositionibus naturalibus, quæ subiectantur in illa; tamen diuina virtus, quæ independentè ab illis operatur, potest optimè ex illis partibus substantiæ aliquas annihilare, corrumpere, aut conuertere, integra manente quantitate. Videantur Auctores citati.

39 Ad quintum negatur consequentia, quia substantiam esse totam integraliter, vel habere partes, est effectus ipsius quantitatis. Vnde ante ipsam neque est esse actu totum integrale, neque partes. Ad probationem autem concedimus subiectum, & formam debere proportionari; proportio tamen non stat in eo, quodd subiectum, & forma habeant similes actus: hoc enim potius repugnat proportioni, quæ est inter potentiam, & actum; sed in eo, quodd subiectum habeat potentiam passiuam, ut recipiat formam, & forma vim actuandi talem potentiam, & tribuendi suum effectum formalem; ad quod non requirit in potentia similem effectum, sed potius priuationem eius.

Ad primam confirmationem distinguenda est maior. Si enim sensus sit rem diuisibilem non posse recipi in subiecto indiuisibili negatiuè, id est, habentem negationem diuisibilitatis, concedenda est: propter enim quantitas non potest recipi in Angelo. Si verò sensus sit, non posse recipi in subiecto indiuisibili priuatiuè, id est, habente priuationem diuisibilitatis, neganda est. Imò id est omnino necessarium: sicut enim albedo recipitur in subiecto priuatiuè non albo: ita diuisibile, seu diuisibilitas recipitur in subiecto priuatiuè indiuisibili.

Ad secundam confirmationem responderetur: quodd subiectum recipiens formam, non recipit eam quatenus habet denominationem talis formæ, neque quatenus habet denominationem formæ oppositæ; sed quatenus habet potentiam passiuam, in qua præcedit priuatio formæ recipiendæ, v.g. paries non recipit albedinem quatenus albus, nec quatenus niger, sed quatenus est dealbabilis; nondum autem albus. Sic ergo substantia non recipit quantitatem quatenus diuisibilis, vel indiuisibilis, si per diuisibilitatem, & indiuisibilitatem intelligamus formas aliquas contrariè, vel contradictoriè oppositas. Si verò per indiuisibilitatem intelligatur priuatio, sic substantia recipit quantitatem quatenus indiuisibilis. Inde tamen non sequitur substantiam semper manere indiuisibilem: quia acquisita forma statim deperditur priuatio. Item si per diuisibilitatem intelligamus primam & radicalem aptitudinem, quæ est in substantia, ut per quantitatem fiat proximè diuisibilis; asserendum est substantiam, quatenus est radicaliter diuisibilis, recipere quantitatem. Neque hæc inter se pugnant: sicut non pugnat, quodd paries recipiat albedinem, quatenus est dealbabilis, & quatenus est non albus.

40 Ad sextum responderetur: quodd quando dicitur substantiam cum quantitate habere partes substantiales, non est formalis locutio, sed denominatiua,

&c

& materialis, faciens hunc sensum, id quod habet partes, est substantia; Sicut quando dicitur in calefactione fieri substantiam calidam, non significatur substantiam se tenere à parte termini formalis, sed tantum à parte termini materialis: & sensus est, quod in substantia sit calor. Ita similiter quantitas non tribuit partes substantiales sic, quod totum hoc sit eius effectus formalis; sed tribuit substantiæ habere partes. Et eodem sensu intelligenda est, ut sit vera alia propositio, quod scilicet caput, & manus substantialiter distinguuntur; id est, res quæ distinguuntur sunt substantiæ: si enim intelligatur in sensu formali, quod scilicet principium causans distinctionem actuale inter caput, & manus, est substantia; propositio est omnino falsa: nam talis distinctio solum provenit à quantitate, & aliis accidentibus, ut explicatum est.

Ad confirmationem negatur consequentia, si sermo sit de aliqua maiori parte actuali. Solum enim habet substantia celsiorem maiorem quandam radicalem, ex eo quod sit radix maioris quantitatis: hoc autem non est habere maiorem extensionem actualem, sed esse extensibilem per maiorem quantitatem. Unde malè inferitur ex eo, quod quantitas absolute sequitur substantiam corpoream absolute, quod tanta quantitas sequatur tantam substantiam: sed inferendum est, quod tanta quantitas sequitur substantiam, quæ est radix huius tantæ quantitatis, & non alterius.

41. Ad septimum concedendum est substantiam Oceani manere tunc privative indivisibilem. Ad id autem quod contra hoc obiicitur, responderetur ex D. Thoma loco citato ex secundo sententiarum, quod arguens imaginatur indivisibilitatem substantiæ, seu materiæ præcisa quantitate, ad modum indivisibilitatis puncti; quod tamen falsum est. Nam materia, aut substantia dicitur indivisibilis per remotionem totius generis quantitatis, seu quia omnino privata est quantitate; & ita neque manet in loco, neque habet situm: cum situs, & ubi supponant quantitatem. At punctum est indivisibile, ut principium quantitatis, & sic habet determinatum situm, ut ibi inquit D. Thomas. Dicimus ergo, quod sicut substantia recipiens quantitatem, non sic extenditur, quasi transeat de minori ad maiorem magnitudinem; vel de minori ad maiorem situm; sed quia de non magna in magnam, & de non situata in situatam. Ita è contra, quando aufertur quantitas, non sic substantia comprimitur, quasi transeat de maiori ad maiorem magnitudinem, vel de maiori ad minorem situm, atque ita partes confluant ad situm unius puncti; (hoc enim absurdum est, neque id Thomistæ asserunt: cum loco citato neget D. Tho.) sed quia transit de magna in non magnam, & de situata in non situatam. Quare talis substantia non reducit ad situm unius puncti, sed omnino desinit habere locum, & situm. Id autem, quod additur in argumento, scilicet, quod quis biberet Oceanum, vanum est. Neque enim tunc Oceanum haberet guttas, cum non haberet partes: neque bibi, aut deglutiri posset: cum non esset in loco, neque consequenter posset moveri.

42. Ad octavum respondetur cum Capreol. in 2. dist. 18. q. 1. artic. 3. ad 4. quod quando aufertur quantitas, desinunt esse caput, & brachium, & per consequens substantia desinit habere partes. Quare neque identificantur, quæ erant distincta, neque quæ erant idem, distinguuntur: quia talis identitas, & distinctio sunt relationes in partes; & ita ubi non sunt partes, non est distinctio, aut identitas.

Ad ultimum respondet benè Caietan. 1. part. quæst. 52. artic. 1. circa medium sic: *Ad exemplum, quod adducitur de aqua existente in vase, remota quantitate* Colleg. Compl. Logica.

*existere, dicitur, quod imaginatio in hoc decipitur. Quoniam seclusa quantitate, aqua illa nusquam remaneret: quia nullam habitudinem, haberet ad locum. Et idè non oportet querere quo ierit, sed vas plenum aëre reperiretur, quia indivisibili reddita, & nusquam existente; Sicut si poneretur à Sorte removeri quantitas: tunc non haberet partes integrales, scilicet cor, hepar, caput, &c. Quia remaneret substantia indivisibilis: & tamen imaginamur, quod remaneret Sortes. Undè istis imaginationibus non est credendum. Hæc Caiet. Quibus adde, quod quamvis tunc substantia illa non esset in uniuerso, tanquam locatum in loco: esset tamen in eo tanquam pars in toto. Sicut Angelis esse contingere docet Bañez ibidem, & non explicabimus lib. 4. Physicorum.*

43. Ex dictis facile formari potest aliqualis definitio huius prædicamenti; (proprie enim definiti non potest, ut sæpè dictum est) est ergo quantitas, *Accidens tribuens partes substantiæ, seu Accidens substantiæ extensivum.* Ut enim quæst. 2. vidimus, effectus formalis maxime proprius quantitatis, est tribuere extensionem, seu partes substantiæ. Cum autem hæc secundum se nullam habeat extensionem, aut partes entitativas, ut ostensum est, nullam aliam particulam oportet addere dictæ definitioni. Sed sicut essentia corporis de prædicamento substantiæ sufficienter explicatur per hoc, quod sit substantia extensibilis, id est, apta ut extendatur per quantitatem; ita essentia quantitatis sufficienter explicatur, dicendo: esse accidens tribuens partes substantiæ, seu extensivum substantiæ, id est, potest extendere illam: quam aptitudinem semper retinet, etiam si actu non extendat substantiam, quando separatur ab ea. Ex qua definitione inferuntur omnes proprietates quantitatis, ut consideranti patebit.

#### Q V Æ S T I O IV.

*An linea, Superficies, & corpus sint verè species quantitatis continua.*

44. Divisionem quantitatis in continuam, & discretam esse essentialem, & generis inter species docent Aristor. in hoc capite, dum post enumeratas quantitates, tam continuas, quam discretas subdit: *Propria autem quantitates hæ sunt, quas diximus: alia verò omnia secundum accidens sunt, &c.* & D. Thomas 1. part. quæst. 30. art. 3. Quodlib. 10. art. 1. de potentia q. 9. artic. 7. & alibi sæpè. Quem sequuntur concorditer discipuli eius Capreol. Caiet. Soncin. Iabel. Sot. Mas. & ceteri, quos referunt, & sequuntur Arauxo 5. Metaph. quæst. 3. art. 2. Sanchez hic lib. 5. q. 19. & Galleg. controu. 25. De quod etiam videri potest Naza. 1. p. q. 30. art. 3. contr. unica. Facileque probatur ex dictis: nam continuum, & discretum diuidunt quantitatem secundum rationem formalem quantitatis: ergo sunt differentie per se, & essentielles; & ex consequenti constituunt veras species huius prædicamenti. Consequentia patet; antecedens verò probatur: quia habere partes, quæ est essentia quantitatis, formaliter diuiditur per habere partes unitas, in quo consistit esse continuum, & per habere partes disiunctas, in quo consistit esse discretum.

Potest tamen contra hoc facere quod quantitas discreta non videtur quid simpliciter unum, & ens per se, sed potius aggregatum ex pluribus entibus completis: quod si ita est, iam non erit vera, & propria species quantitatis. Sed de hoc agendum est infra, quæst. 7. Interim eam appellabimus speciem, ut  
T appellanti



appellant communiter Doctores, etiam ij, qui contendunt quantitatem discretam esse ens per accidens. Cum autem Ari. in præsentī constituerit plures species, tam sub quantitate continua, quàm sub quantitate discreta; semel hoc statuto, planum sit utramque esse speciem subalternam huius prædicamenti. Quare ad plenam eius notitiam solum testat examinare in hac, & sequentibus quæstionibus: an omnia illa ab Aristotele enumerata, vel quæ eorum sint verè, & propriè species quantitatis.

45 Igitur incipiendo à linea, superficie, & corpore, de quibus hæc prior quæstio procedit: quia ordine generationis, & doctrinæ præcedunt alias species: Pro tituli intelligentia sciendum est: *lineam* significare longitudinem, quæ intelligitur causari ex ductu puncti; *superficiem* verò latitudinem, quæ intelligitur causari ex ductu lineæ; & *corpus* profunditatem, quæ intelligitur causari ex ductu superficie. Unde superficies supponit longitudinē, corpus verò longitudinem & latitudinem. Et propterea dicitur lineam includere unam dimensionem; superficiem duas; & corpus tres. Nō quia omnes has de formali significant superficies, & corpus: nā ut rectè notavit D. Th. opusc. 48. tract. 3. c. 5. unaquæque de formali significat unam dimensionē tantum: sed quia superficies importans unā, & supponens aliam, dicitur includere duas; & corpus importans, unam, & supponens duas, dicitur includere tres. Quo sensu Arist. 5. Metaph. c. 3. dixit: *Magnitudo, quæ quidem ad unum continua est, longitudo: quæ verò ad duo, latitudo: quæ autem ad tria, profunditas*. In quibus verbis continentur definitiones essentielles istarum dimensionum, scilicet: *Linea est quantitas continua ad unum: superficies est quantitas continua ad duo: Corpus est quantitas continua ad tria*: Quæ etiam sic clarius possunt definiri: *Linea est quantitas continua punctis: Superficies est quantitas continua lineis: Corpus est quantitas continua superficiebus*. De his ergo tribus dimensionibus inquirimus: an sint verè, & propriè species quantitatis.

46 Partem negativam circa lineam, & superficiem defendunt Hurt. do disput. 13. Metaph. h. sect. 6. & Cabero hic disput. 1. dub. 5. Quorum fundamenta sunt. ¶ Primò: quia sicut motus ordinatur essentialiter ad terminum, & punctum ad lineam: ita linea ordinatur essentialiter ad superficiem, & superficies ad corpus: ergo sicut motus, & punctum sunt quid incompletum, & propterea non sunt propriæ species quantitatis, sic etiam linea, & superficies erunt quid incompletum, & non verè species.

Confirmatur: quia linea, & superficies secundum proprias extensiones saltem includuntur in corpore, secundum quod corpus habet trinam dimensionem: ergo non sunt propriæ species. Probat consequentia: quia una species non includitur in alia.

Secundò: quia quantitas, hoc ipso quod talis est, habet partes impenetrabiles in eodem loco: sed hæc impenetrabilitas non convenit partibus istarum dimensionum: ergo non sunt verè, & propriè quantitates. Probat minor: quia si supra unum corpus perfectè planum ponatur aliud æquale, superficies ultimæ unius tangit omnes partes superficie ultimæ alterius; ac proinde penetrantur: quandoquidem penetrari nihil aliud est, quàm quod una quantitas tangat omnes partes alterius.

47 Nihilominus dicendum est lineam, superficiem, & corpus esse propriè, & per se species quantitatis continuæ. Ita Arist. in hoc cap. & 5. Metaph. cap. 13. & D. Thom. ibidem lect. 15. opusc. 48. tract. 3. c. 5. & alibi sæpè. Quem sequuntur Capreol. 1. dist. 31. ad 5. Durandi, Sonc. 5. Metaph. quæst. 24. Iabel. ibidem in epitome ad cap. de quanto, Arauxo quæst. 5. art. 5.

Calet. Sor. Sanch. & Mas. in hoc cap. & communiter Doctores.

Fundamentum est: quia linea, superficies, & corpus sunt intrinsecè, & essentialiter quantitates; utpote quæ à se ipsis, & non ab alio habent extensionem, & divisibilitatem. Deinde unaquæque habet propriam, & completam extensionem, essentialiter ab alia distinctam. Ergo sunt verè species quantitatis continuæ. Probat minor: quia unuscuiusque partes exposcunt diuersa continuatua, ut copulentur; siquidem partes lineæ copulantur punctis, partes superficie lineis, & partes corporis superficiebus; & unaquæque extensio, quatenus talis est, non ordinatur ad aliam, ut postea constabit. Ergo reverà unaquæque ex his dimensionibus habet propriam, & completam extensionem, distinctam essentialiter ab alia.

Confirmatur primò: quia tot sunt species extensionis permanentis, quot sunt modo positionis in unoquoque corpore: sed isti sunt tres: scilicet distantia inter ante, & retro; dextrum, & sinistrum, sursum, & deorsum. Ergo tres etiam erunt species extensionis fundantes tales positiones. ¶ Confirmatur secundò: quia linea, superficies, & corpus habent diuersas proprietates: nam productum, & breue sunt passionēs, lineæ: latum, & strictum superficie: celsum, & humile corporis, ut docent Aristotel. & D. Thom. citati. Ergo habent essentias diuersas.

48 Ad argumenta responderetur. Ad primum neganda est consequentia. Et disparitas consistit in hoc, quod motus, ut motus est, semper consideratur ut via, & transitus; & per consequens ut quid incompletum. Similiter punctum secundum omnem considerationem, & versus omnem partem est quid indiuisibile, & inextensum; & ita neque motus, neque punctum secundum aliquam rationem possunt esse species quantitatis. At verò linea, ut linea est, (& idem proportionabiliter est de superficie) potest considerari dupliciter. Primò versus longitudinem, quomodo habet veram, & propriam extensionem, & est diuisibilis in partes, neque formaliter propter sic ordinatur ad superficiem, ac proinde est quid completum, & vera species quantitatis. Secundò versus latitudinem: & hoc modo linea est indiuisibilis, ordinaturque ad vniendas partes superficie: sicut punctum, ad vniendas partes lineæ; & per consequens propter sic, neque est species quantitatis, neque quantitas, sed continuatium quantitatis.

Ad confirmationem responderetur, quod corpus essentialiter non dicit trinam dimensionem, sed solam profunditatem, ut num. 45. vidimus ex D. Tho. & ideo materialiter tantum includit lineam, & superficiem, in quantum supponit eas: quod non tollit esse veras species quantitatis continuæ. Sicut à simili contingit in quantitate discreta: quaternarius enim includit ternarium non formaliter, ut ternarius est, sed materialiter ratione trium unitatum, & ideo ternarius est vera species numeri.

49 Ad secundum neganda est minor. Ad cuius probationem responderetur duas illas superficies non penetrari: quia non se tangunt formaliter secundum quod sunt quantitates, siue ut sunt diuisibiles, sed formaliter quatenus sunt indiuisibiles: quamuis unaquæque earum materialiter tangat omnes partes alterius. Ad penetrationem enim non sufficit duas quantitates se se, utcumque tangere in omnibus suis partibus, sed ultra requiritur, ut tangant se in omnibus partibus formaliter secundum illam dimensionem, versus quam fit contractus: quod non contingit in duabus illis superficiebus, ut per se patet.

Dices: hoc ipso præcisè quod duo corpora sese tangant

tangent in omnibus partibus penetrantur : ergo ex eo præcisè quod inter duas superficies sit similis contractis, dabitur penetratio,

¶ Respondetur negando consequentiam. Et ratio est: quia cum corpus versus omnem dimensionem sit diuisibile; ex eo præcisè quod duo corpora se tangunt secundum se tota, aut secundum aliquas partes profunditatis; debent etiam se tangere formaliter quatenus sunt diuisibilia; ac proinde ad huiusmodi contractum necessaria est intromissio vnius in aliud circa eundem locum in quo consistit penetratio. At verò duæ illæ superficies, licet versus latitudinem sint diuisibiles; tamen versus profunditatem, siue vt terminant illa corpora, sunt indivisibiles, & formaliter prout sic sit contractus, ac proinde nullibi datur intromissio vnius partis in aliam circa eundem locum, vt consideranti patet.

§ 0. Tandem inquire: an linea superficies, & corpus sint species infimæ quantitatis continuæ. ¶ Respondetur affirmatiuè. Non enim propria vniuscuiusque extensio continet sub se extensiones essentialiter distinctas in ratione: cuius signum est, quod linea recta potest fieri curua; & superficies quadrata circularis. Præterquam quod talis differentia sumuntur ex diuersis figuris, quæ sunt vera accidentia quantitatis, vt patet. Ergo diuisio linearum in rectam, & curuam: superficiei in quadratam, & circularem: corporis in pyramidalem, & curuam; & aliæ similes non sunt generis in species, sed subiecti in accidentia. Alia quæ circa has dimensiones solent disputari: an scilicet physicè sint species, & inter se realiter distinctæ, vel tantum Mathematicè: an componentur ex indiuisibilibus: an partes, & indiuisibilia sint actu in illis, vel solum in potentia: & alia huiusmodi, proprium locum obtinent libro sexto Physicorum: nec rectè hinc ab aliquibus pertractantur.

## Q V Æ S T I O V.

*An locus, tempus, & motus sint vera species  
Quantitatis continua.*

§ 1. PRæcipua ratio dubitandi sumitur ex Aristotele, qui in hoc capite inter quantitates continuas numerauit locum, & tempus, quibus etiam ex paritate rationis alij addunt modum, cum tamen quinto Metaphysicæ cap. 13, vbi exactè inuestigat essentiam, & species quantitatis, nullum illorum constituerit sub quantitate continua. Et ideo quid tenendum sit, per singula discurrendo, breuiter discutiemus.

Primo ergo sciendum est locum definiti ab Aristotele. 4. Physicor. sic: *Est vltima superficies corporis continentis immobilis primi.* In quâ definitione, relictis vltimis verbis, quæ ibidem explicabimus, primæ illi particulæ, scilicet *vltima superficies corporis continentis*, denotant locum in sui ratione includere, non solum vltimam superficiem, sed etiam relationem ad corpus locatum, vt notauit Vasquez primâ parte, disputat. 193. capite 3. vel saltem aptitudinem circumscribendi, & continendi locatum, in qua formatur talis relatio. Verbi gratiâ vas continens aquam est locus eius: quia secundum suam vltimam superficiem concuam circumscribit aquam: & ideo ad rationem loci pertinent vltima superficies, & relatio continentis, seu aptitudo circumscribendi locatum; quorum quolibet deficiente, deficit ratio loci, vt patet in cælo empyreo, quod propriè non est in loco: quia non habet aliam superficiem ipsum continentem. Similiter si à vase præscindamus

*Colleg. Compl. Logica.*

relationem; seu aptitudinem continendi aliud corpus erit quidem quantum, & habebit superficiem; sed talis superficies non erit locus; vt per se notum est. Maneat ergo, locum in suâ ratione vltra superficiem includere aliquid aliud, nempe talem relationem, seu aptitudinem continendi rem locatam; quam cum actu continet, dicimus locum esse plenum, si verò actu non contineat, dicitur esse vacuum: Et ideo vacuum definitur ab Aristotele lib. citat. c. 7. sic: *Est locus non repletus corpore.*

§ 2. Secundo sciendum est, tempus definiti ab eodem Aristotele ibidem cap. 11. sic: *Est numerus motus secundum prius, & posterius.* Vbi numerus non sumitur pro specie quantitatis discretæ quæ est obiectum Arithmeticæ; & diuiditur in binarium, quaternarium, &c. Constat enim tempus esse quid continuum; cum præteritum, & futurum, quæ sunt partes eius, copulentur termino communi, scilicet instanti præsentis. Ly ergo numerus in definitione Aristotele vt magis explicabimus loco citato, idem est, quod mensura, seu extensio. Et ita sensus est: tempus est mensura, seu extensio motus secundum prius, & posterius. Quam definitionem, vt intelligamus oportet aliquatim explicare quid sit motus. Pro quo.

§ 3. Tertiò notandum est cum Masio hic sect. 3: quæst. 6. in quolibet motu quatuor posse considerari. Primum est egressus ab agente. Secundum est receptio in passio. Tertium est ipsa forma, quæ est terminus motus in quodam esse imperfecto, & secundum quod intelligitur in fluxu, & acquisitione. Quartum tandem est ipse fluxus, & transitus, non habita ratione termini. Ex his ergo primum, & secundum constituunt prædicamenta actionis, & passionis; & sic non sunt essentialiter ipse motus, qui ad nullum prædicamentum pertinet, sed potius est postprædicamentum, vt ostendimus lib. 3. Physicorum. Tertium etiam, licet non pertineat per se ad aliquod genus: cum sit quid incompletum, & imperfectum, sed reducatur ad illud, ad quod pertineat eadem forma, quando est iam perfecta, & completa; adhuc tamen non est ipse motus. Tum quia reuera non est postprædicamentum, nec quid distinctum ab ipso termino: Tum etiam quia vt rectè notauit D. Tho. 2. dist. 40. q. 1. art. 4. ad primum, propria ratio motus abstrahit abique vtroque termino, & consideratur sine differentia agentis, & patientis. Restat ergo motum propriè, & formaliter consistere in illo fluxu, & transitu intermedio nullâ habita ratione termini.

§ 4. Quarto sciendum est, motum sic formaliter sumptum definiti ab Aristotele 3. Physicor. cap. 2. sic: *Est actus entis in potentia, prout in potentia.* In cuius explanatione multa ibi dicenda sunt, nunc solum rudimenter asserendum est, quod in motu propriè dicto, prout distinguitur à mutatione instantanea, ex eo quod non simul actuet totum mobile, sed partim actuatur, & partim relinquitur in potentia (quod significatur in definitione adducta) necessariò intelligitur esse prius, & posterius; & per consequens verè extensio successiua. Et hæc est tempus, intelligiturque dimanare ab ipsa quantitate, seu extensione permanenti rei mobilis medio motu, in genere causæ quasi efficientis; sicut ipsa quantitas, seu extensio permanens dimanat immediatè à substantiâ corporeâ. Et hoc est, quod docet Aristoteles 5. Metaphysicæ cap. 13. asserens tempus habere extensionem à motu, & motum à magnitudine, in genere scilicet causæ efficientis. Quod non tollit quin ipsum tempus in genere causæ formalis extendatur, & mensuret motum, & quantitatem permanentem; sicut quantitas permanens extenditur, & mensurat substantiam à qua dimanat. Ex quibus iam facillè intelligitur definitio temporis:

T 2

dicitur

dicitur enim extensio, seu mensura motus secundum prius, & posterius: quia non extendit, aut mensurat substantiam secundum se, ut mensurat quantitas permanentis, sed dum est in motu, & successione, quæ necessariò includit prius & posterius ut explicatum est.

55. Prima conclusio. Locus non est propriè, & per se species quantitatis continuæ, sed reducitur ad eam ratione superficiei, quam includit. Hæc est mens Arist. & Div. Thom. loco citato Metaphysicæ, dum asserunt locum esse quantum per accidens; quos sequuntur Auctores quæst. præcedenti citati, & communiter Philosophi.

Fundamentum sumitur ex dictis: quia locus præter superficiem includit relationem, seu aptitudinem ad continendum corpus locatum, quæ per accidens se habet ad propriam, & essentialem rationem superficiei, ut notum est: ergo locus propterea sic, est ens per accidens; & consequenter non potest esse vera species quantitatis. ¶ Confirmatur: quia locus nullam aliam extensionem habet præter extensionem superficiei: ergo non potest constituere distinctam speciem quantitatis, sed reducitur ad superficiem.

56 Secunda conclusio. Tempus revera est species quantitatis, quamvis valde imperfecta, & tenuissimæ entitatis. Hæc est contra Sanchez lib. 5. quæstio. 17. & Arauxo loco citato quæst. præcedenti. Eam tamen docent ex antiquis Alb. Iamblicus, & alij quos refert & sequitur Tolet. hic quæst. 2. Quam etiam defendunt Aquar. 5. Metaphysic. q. 11. Masius hic sect. 3. q. 5. noster Didac. à Iesu q. 2. Rub. quæst. 3. estque communior inter Doctores. Eam docet in præsentia Arist. neque dissensit 5. Metaph. ut volunt adversarij: ibi enim distinguit duos modos quanti per accidens. Aliud quod verè dicitur tale: quia de se nullam habet extensionem, sed extenditur per ipsam extensionem subiecti, ut musicum, & album: musica enim, & albedo nullam habent propriam extensionem, ut patet. Alterum verò, quod non tam dicitur quantum per accidens, quam per aliud, ut explicat D. Thom. ibidem lect. 15. quia nimirum, licet in se habeat propriam extensionem, illa tamen resultat, & derivatur ab alia, quam præsupponit; atque ita non dividitur per se, sed ad divisionem alterius. Et hoc modo tempus appellatur ab Aristot. quantum per accidens, seu per aliud. Videatur D. Thom. ibidem. Ex quo loco.

Probaturs conclusio. Quia tempus esse quantum per aliud modo explicato, non tollit, quin revera sit species quantitatis; quamvis arguat esse imperfectissimam, & tenuissimæ entitatis: ergo non est cur includatur à vera ratione quantitatis. Probaturs antecedens: quia etiam si superficies necessariò supponat extensionem lineæ; & corpus superficiei; oriaturque quodammodo ex eis: adhuc sunt veræ species quantitatis, ut supra vidimus. Similiter etiam si numerus supponat necessariò quantitatem continuam, & canetur ex divisione eius, teste D. Thom. par. quæst. 30. art. 3. adhuc est vera species quantitatis, ut infra videbimus, nulla alia ratione nisi quia habent propriam extensionem distinctam ab ea, quam præsupponunt, & à qua intelliguntur oriri: Ergo etiam si tempus supponat; & oriatur ab extensione permanente rei mobilis medio motu, ut explicatum est; adhuc erit vera species quantitatis, si habet propriam extensionem ab aliis distinctam.

57 Quod autem eam habeat, satis ex dictis patet: nam tempus habet proprias partes; scilicet præteritum, & futurum, & propria continuativa, scilicet instans præsens. Item proprietates ab aliis diversis: nam cæteræ quantitates continuæ mensurant permanentem; tempus verò successivè: & ideo illæ habent totum

suum esse simul, istud verò solum existit secundum aliquid indivisibile sui, ut docet D. Thom. opusc. 44. & nos explicabimus lib. 4. Physicor. Ergo verè tempus habet propriam extensionem ab aliis distinctam.

Per quod tandem patet, quare tempus inter omnes quantitates continuas sit imperfectissimæ, & debilissimæ entitatis. Quia scilicet, ut rectè inquit D. Thom. opusc. citato, illa sunt minimæ entitatis, quæ vel secundum se non sunt entia actu, ut materia prima, vel secundum se tota non extant, sed secundum aliquid indivisibile sui, ut tempus, & alia successiva. De quo redibit sermo citato lib. 4. Physicor.

58 Tertia conclusio. Motus non est per se, & propriè species quantitatis. Hæc est contra Fonssec. 5. Metaph. c. 13. quæst. 8. sect. 3. & Conimbricen. 3. Physicorum c. 2. q. 2. art. 3. Eam tamen recipiunt communiter Doctores cum Arist. qui nec hic, nec 5. Metaph. numeravit motum inter species quantitatis. De quo videri possunt Mas. ubi supra q. 6. Sanch. Toler. & Rub. citati conclusione præcedenti, & Arauxo 5. Metaph. q. 3. art. 5. Facileque probatur. Tum quia motus est fluxus quidam, & transitus de vno in aliud; & consequenter ens, incompletum, & imperfectum, ut docent Arist. & D. Thom. 1. Metaph. lect. 9. ergo non potest directè, & per se ad aliquod prædicamentum pertinere. Tum etiam quia motus est post prædicamentum, ut constabit infra ex Arist. ergo non potest esse vera species quantitatis.

Contra has duas conclusiones obiicies: quia extensio, & continuas temporis dimanat à motu, ut passio ab essentia, teste D. Thomas 1. p. quæst. 53. art. 3. ergo vel motus est per species quantitatis, sicut tempus, vel tempus non est per se in prædicamento, sicut motus: Probaturs consequentia: quia passio non potest esse imperfectior, quam subiectum cuius est passio: ergo si motus propter sui imperfectionem, & incompletionem excluditur à rectâ lineâ prædicamenti, multò magis debet excludi tempus, vel si tempus admittitur, debet etiam admitti motus: ¶ Confirmatur: quia motus habet propriam extensionem, & continuitatem, sicut tempus, eique assignantur propria continuativa, scilicet mutata esse: ergo est vera species quantitatis.

59 Ad argumentum neganda est consequentia. Ad cuius probationem responderetur, dato quod antecedens sit verum de subiecto proprio & adæquato, seu de subiecto quod, non tamen esse univèrsaliter verum de subiecto quo, seu de eo, quod est ratio recipiendi aliud: ut patet in quantitate respectu figuræ, & aliarum qualitarum corporalium quæ media illa recipiunt in substantia: & tamen sunt perfectiores ipsa quantitate. Et ita contingit in præsentia: motus enim solum est id, medio quo extensio temporis recipitur in re mobili, & dimanat ab ea, & proinde tempus potest habere sufficientem perfectionem, & completionem, ut sit species quantitatis, etiam si motus non habeat illam. Quod autem de facto hoc ita sit, colligitur optimè ex eo, quod motus ex natura sua est via ad terminum, & ordinatur ad illud tantumquam ad id, à quo completur in ratione entis, quod non habet tempus, ut de se constar.

Per quod patet ad confirmationem. Quamvis enim motus habeat propriam aliquam extensionem actualem, præter extensionem temporis; illa tamen est in suo genere incompleta; sicut ipse motus, quod non convenit extensioni temporis, ut dictum est. Et ideo hæc potest esse vera species quantitatis, non autem illa.

60 Ad rationem dubitandi in principio positam responderetur cum D. Th. 5. Metaph. lect. 15. & Caiet. in hoc cap. Aristotelem in prædicamentis egisse de

de quantitate secundum rationem mensuræ : & ideo ibi numeravit locum inter species quantitatis : quia licet non habeat distinctam extensionem à superficie ; est tamen diverso modo mensura. In Metaphysica verò egit de quantitate secundum suum esse : & ideo eas tantum species numeravit , quæ habent extensionem per se ipsas , & non per aliud , seu derivatam ab alia. Propter quod prætermisit ibi tempus ; & orationem : quia eorum extensio dependet à motu : quod tamen non tollit quin sint veræ species quantitatis , ut dictum est. Consulto omittimus alia plura , quæ circa locum , tempus , motum adduci possent : quia propriam sedem habent lib. 3. & 4. Physicor. ubi ea discutimus.

## Q V Æ S T I O VI.

*Quid sit unitas prædicamentalis Et. utrum addat aliquid supra quantitatem continuam.*

61. **E**xplicatis speciebus quantitatis continuæ ; eodem ordine examinandæ sunt duæ aliæ , quas Aristot. in præsentia constituit sub quantitate discreta , scilicet numerus , & oratio. Ad quod præmittenda , est quæstio præfens : quia cum numerus sit multitudo mensurata per unum , ut diffinit D. Thom. 1. p. q. 7. art. 4. notitia eius omnino pendet ex cognitione unitatis. Cum autem duplex sit unitas ; una quæ est passio entis , & solet appellari transcendentalis : quia in omnibus entibus reperitur : & alia quæ est propria quantitatis , & solet appellari prædicamentalis : quia tantum inuenitur in hoc prædicamento : inde est duplicem etiam esse multitudinem , seu numerum. Alius appellatur transcendentalis , & reperitur in omnibus rebus ; de quo proinde intelligendum est , quando dicimus , Angelorum ordines esse novem : personas Sanctissimæ Trinitatis tres , &c. ut docet Angelicus Doctor. q. 30. sequenti art. 3. Alius verò est numerus prædicamentalis , seu multitudo unitatum prædicamentaliū & de hoc agimus in præfenti. Ad quem cognoscendum specialiter inquirimus : quid addat unitas prædicamentalis supra quantitatem continuam ; inde enim cognoscemus quid illa sit , & in quo distinguatur à transcendentali.

62. Plures Doctores , ut refert D. Thom. 1. p. q. 11. art. 1. ad 1. non distinguentes inter unum , quod convertitur cum ente , & unum , quod est principium numeri , seu inter unitatem transcendentalem , & prædicamentalem , in contrarias sententias abierunt. Auic. enim 3. Metaphysic. c. 2. considerans unum , quod est principium numeri addere aliquid oppositum supra ens , idem existimavit de vno , quod convertitur cum ente. Quem sequuntur Scot. in 2. dist. 3. quæst. 2. lib. 4. Metaph. q. 2. Anto. Andr. ibidem quæst. 3. & alij eius Discipuli.

Hanc tamen sententiam , quantum ad secundam partem , in qua à veritate discedit , impugnatur rectè Div. Thom. loco citato : quia quælibet res est una per se ipsam : aliàs si per aliquid aliud esset una , cum illud iterum sit unum , esset unum per aliquid aliud ; & sic procederetur in infinitum. Ergo unum , quod convertitur cum ente , non potest superaddere illi entitati aliquam positivam , à qua constituentur in ratione unius. Neque in hoc est immorandum : quia non est præsentis instituti : potest tamen videri D. Th. locis infra adducendis.

63. Secunda sententia extremè huic opposita fuit Pythagoræ , & Platonis , qui considerantes unum , quod

convertitur cum ente , non addere aliquam rem supra ens , sed solam indivisionem , existimaverunt idem dicendum esse de vno , quod est principium numeri. Quam sententiam sequuntur Durand. in 1. dist. 24. q. 2. Greg. ibid. Fonsec. 5. Metaph. c. 13. q. 3. sect. 3. Suar. disp. 4. sect. 9. n. 9. & alij affirmantes unitatem propriam quantitatis explicandam esse eodem modo , ac transcendentalem aliorum entium ; ac proinde sicut unitas propria qualitatis nihil positivum addit supra illam ; sed est ipsa eius entitas ut indivisa ; ita unitatem prædicamentalem nihil positivum addere supra quantitatem continuam , sed esse ipsammet quantitatem , ut indivisam.

Probatum primò hæc sententia : quia si unitas prædicamentalis adderet aliquid positivum ; vel illud esset relatum , vel absolutum : sed verumque est falsum : ergo , &c. Probatum minor quoad primam partem : quia si prius quantitas est una , quàm quod in illa intelligatur aliqua relatio : imò ipsa eius unitas debet esse ratio fundandi talem rationem , ut infra constabit. Ergo quantitas non potest constitui in esse unius per aliquid relatum. Quoad secundam verò partem probatur : quia cum tale positivum non possit esse res alterius prædicamenti propter rationem factam , necessariò erit vel quantitas discreta ; vel continua : sed non potest esse discreta : siquidem unitas potius dicit indivisionem : ergo erit quantitas continua. Hanc autem dicit unitas pro materiali : ergo supra illam nihil addit positivum , sed solam negationem.

64. Secundò : quia alia entia , verbi gratiæ duæ substantiæ secundum se , aut duæ qualitates per suasmet entitates sunt unæ , & se ipsis constituunt numerum binarium absque aliqua alia realitate illis superaddita : ergo idem dicendum est de duabus quantitativis continuis. Probatum consequentia. Tum ratione D. Thom. facta contra primam sententiam quia si quantitas continua esset una per aliquid aliud , illud aliud esset unum per aliquid aliud , & sic in infinitum. Tum etiam ratione Gregorij , quia ex eo præcisè quod aliquid sit unum unitate propria entis , potest alteri connumerari , seu constituere cum illo numerum : sed unitas propria entis non addit supra ipsum aliquid positivum ; sed solam indivisionem : ergo ex eo præcisè quod quantitas continua intelligatur indivisa , potest alteri connumerari , & constituere numerum prædicamentalem. Restat ergo , quod sicut unitas transcendentalis nihil positivum addit supra entitatem , ad quam consequitur : ita neque unitas prædicamentalis supra quantitatem. Plura alia argumenta pro hac sententia adducit Capreol. in 1. dist. 24. quæst. unica.

Tertia sententia , inter præcedentes media , distinguit inter has duas unitates , negatque cum posteriori opinione , unitatem transcendentalem addere aliquid positivum supra entitatem , cuius est unitas ; cum posteriori verò affirmat unitatem prædicamentalem addere aliquid supra quantitatem continuam. Sic docent Arist. & Alb. ut testatur D. Th. dist. 24. citata q. 1. art. 3. Pro quo videri potest idem Commentator 4. Metaph. comm. 3. li. 5. commen. 11. & lib. 10. comm. 8 & D. Th. ibid. aliisque locis infra adducendis. Quæ sententia est communis in schola Arist. & D. Th.

65. Dicendum est ergo unitatem prædicamentalem non esse solam quantitatem continuam ut indivisam , sed supra eam addere quid positivum , & reale incompletum , reduciūque pertinens ad prædicamentum quantitatis ; ratione cuius ipsa quantitas continua est pars numeri prædicamentalis. Sic docent communiter Thomistæ ; inter quos latè explicat , & defendit hanc conclusionem Cap. ubi sup. concl. 1.

&c ad argumenta contra illam. Quem sequuntur Sonc. 4. Metaph. quæst. 25. label. ibid q. 4. ratione 1. & lib. 8. q. 9. Sanch. lib. 5. Logicæ q. 21. ad 1. Mañ. in hoc cap. sect. 2. quæst. 4. Gallego contr. 25. circa finem, & Arauxo L. 5. Metaph. quæst. 5. art. 3. ubi Fonseca reprehendit, eo quod negauerit hanc fuisse sententiam D. Tho. additque quod fideles Angelici Doctoris sectatores ipsum in hac fuisse sententia testatur, & ut genuinam eius mentem amplectuntur.

Probatur primò, vno, vel aliter Angelici Doctoris testimonio: nam quod lib. 10. art. 1. sic ait: *Respondens dicendum, quod vnum, quod est principium numeri, de necessitate aliquid positum dicitur in eo, cui attribuitur: quia cum ex unitatibus numerus constituitur, nisi unitas res aliqua esset, numerus res esse non posset. Et sic non potest poni in aliquo genere, tanquam species.* &c. Et loco citato ex primo sententiarum: *Vnum quod convertitur cum ente, nihil positum addit ad id, cui adiungitur.* &c. Sed vnum quod est principium numeri ponit aliquid additum ad esse scilicet esse mensura; cuius ratio primò innuitur in unitate: & deinde consequenter in aliis numeris: & deinceps in quantitativis continuis, &c. Quod etiam reperit 4. Metaphys. lect. 2. & lib. 10. lect. 3. Et tandem 1. part. quæstione 11. artic. 1. ad 1. post impugnatas duas primas sententias supra relatas concludit: *Sic igitur dicendum est, quod vnum, quod convertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens: sed vnum quod est principium numeri, addit aliquid supra ens ad genus quantitativis pertinens.* De quo etiam videri potest quæst. 30. sequenti artic. 3. de potentia q. 9. art. 7. & alibi sæpe.

66 Respondetis fortè id, quod Fonseca, & Suar. ubi sup. respondent, sensum D. Thom. esse, quod unitas prædicamentalis addit aliquid positum supra ens, in quantum addit supra substantiam quantitativam ipsam continuam, quæ est res positiva.

Sed hæc expositio, est non solum falsa sed etiam absurda. Quod sit falsa probatur primò: quia si quando Div. Thom. locis citatis utitur nomine *substantia*, sumit illud pro *essentia*, ut rectè notat Arauxo ubi supra, & constat evidenter ex contextu; referens enim Sanctus Doctor qu. 11. citata, extremas illas sententias sic ait: *Pythagoræ, & Plato videntes, quod vnum, quod convertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens, sed significat substantiam entis, prout est indivisa: existimaverunt sic se habere de vno, quod est principium numeri. Et contrario autem Avicen. considerans quod vnum, quod est principium numeri, addit aliquam rem supra substantiam entis (alias numerus ex unitatibus compositus non esset species quantitativis): credidit, quod vnum, quod convertitur cum ente, addat rem aliquam supra substantiam entis.* &c. Quibus v. bis per substantiam entis, evidens est significari essentiam entis, & sensus planus est, quod iuxta primam sententiam neutra unitas addit aliquid positum supra essentiam, ad quam consequitur: iuxta secundam verò, utraque addit aliquid positum. Inter quæ duo extrema media via procedit Divus Thom. ut vidimus. Ergo eodem sensu, quo negat de unitate transcendentali addere aliquid positum supra essentiam, cuius est unitas, id concedit de unitate prædicamentali; ac proinde hæc verè addit aliquid positum supra essentiam quantitativam continuam. Quod etiam satis expresse Sanctus Doctor aliis locis adductis, dicens unitatem prædicamentalem addere aliquid positivè, in eo cui attribuitur, seu cui adiungitur, &c. Id est in eo cuius est unitas, seu ad quod consequitur, nempe in quantitate continua. De quo etiam videri potest dist. 24. citata q. 1. art. 2. ad 4.

67 Secundò impugnatur eadem solutio: quia D. Thom. loco citato ex 1. p. expresse ait: id quod addit

vnum prædicamentale supra ens, esse quid ad genus quantitativis pertinens. Quod esse reductivè intelligendum constat planè: tum quia modus hic loquendi frequens est in D. Thom. tum quia alias esset impropria, & barbara locutio, si de ipsa quantitate diceretur pertinere ad genus quantitativis; tunc denique quia eadem 1. p. q. 3. art. 5. de potent. q. 7. art. 3. ad 7. & alibi sæpe expresse docet unitatem prædicamentalem esse quid reductivè pertinens ad genus quantitativis, sicut punctum, quod tamen negant Doctores, quos impugnamus. Ergo in sententia D. Thom. unitas prædicamentalis non est ipsa quantitas continua, sed quid incompletum, ipsi superadditum, & ad ea diversum; sicut etiam in omni sententia dicendum est de puncto.

Tandem quod dicta expositio sit absurda, pater: quia manifestè eludit intentum D. Th. & reddit vanam differentiam, quam assignat inter utramque unitatem. Ut enim rectè docet ipse Sanctus loco citato de potent. ad 8. etiam unitas transcendentalis ponit aliquid positum, in quantum ponit ipsum ens, cuius est unitas. Ergo si ex eo præcisè unitas prædicamentalis dicitur addere aliquid positum supra ens, quia addit supra substantiam ipsam quantitativam, quæ est res positiva; idem etiam dicendum esset de unitatibus transcendentalibus aliorum accidentium; si quidem hæc etiam addunt supra substantiam accidentia ipsa, quæ sunt res positivæ. Ex quo rursus sequeretur, quod uterque numerus, vel neuter esset res aliqua; & vera species alicuius generis: cuius oppositum intendit D. Thom. eisdem locis. Ergo dicta expositio planè eludit intentum eius.

68 Secundò probatur conclusio ratione D. Tho. quia nisi unitas prædicamentalis adderet aliquid reale incompletum supra quantitativam continuam, ratione cuius fieret pars numeri prædicamentalis; talis numerus non posset esse ens per se, & Vera species quantitativis: consequens est falsum, & contra Arist. & Div. Thom. ut ostendimus quæst. sequenti: ergo &c. Probatur sequela; quia ideo numerus transcendentalis duorum intellectuum, aut etiam duarum substantiarum corporalium, ablata quantitate, non est vera species alicuius generis: quia unitates transcendentales ex quibus componitur, cum sint ipsæ entitates talium rerum cum negatione divisionis absque aliquo alio, non sunt simpliciter partes, sequentia completa, & per consequens numerus inde resultans est aggregatum entium completorum, & ens per accidens. Ergo si unitates, prædicamentales duorum hominum verb. gr. essent ipsæ quantitativæ completæ eorum cum negatione divisionis absque aliquo alio, numerus inde resultans esset similiter aggregatum entium completorum; ac proinde ens per accidens; & per consequens non posset esse vera species quantitativis. Sed de hoc redibit sermo q. sequenti in solutione ad tertium.

Confirmatur: quia ex hoc vno, vel præcipuo fundamento Suarez disp. 41. Metaph. sect. 1. Fonseca, & alij Auctores contrarij probant numerum prædicamentalem non esse ens per se, & veram speciem quantitativis, ut ibi videbimus: ergo ut oppositam sententiam nunc rectè explicemus, & defendamus, opposita nunc sunt facienda fundamenta, asserendumque unitatem prædicamentalem esse quid reale, & incompletum superadditum quantitativæ continuæ, & essentialiter ordinatum ad componendum numerum.

69. Tertio: quia in quantitate continua datur aliqua entitas incompleta, quæ sit principium magnitudinis, nempe punctum: ergo etiam in quantitate discreta necessarid concedenda est aliqua entitas incompleta, quæ sit principium numerarum, scilicet



scilicet unitas: & sic, &c. *Confirmatur*, & explicatur vis huius rationis: quia unitas prædicamentalis, sicut & punctum, est mensura simpliciter prima intra genus quantitatis, ut ostendimus sup. disp. 10. n. 24. & amplius constabit in libris Posteriorum: ergo non potest esse sola quantitas continua cum indiuisione. Probatur consequentia. Tam quia quantitati solum conuenit sic esse mensuram, ut etiam sit res mensurata, ut sup. num. 12. explicuimus; quod repugnat primæ mensuræ. Tum etiam quia ad rationem mensuræ non sufficit res esse indiuisam, sed requiritur, quod sit indiuisibilis in illa ratione, in qua est mensura, ut ibi ex Arist. vidimus: ergo ad rationem mensuræ simpliciter primæ in genere quantitatis requiritur, quod sit in tali genere simpliciter indiuisibilis: hoc autem non habet quantitas continua, etiam cum indiuisione; siquidem talis indiuisio non tollit, sed potius supponit diuisibilitatem in quantitate. Ergo ultra hanc ponenda est aliqua alia entitas verè indiuisibilis, & incompleta, quæ sit unitas prædicamentalis: Videatur D. Th. 1. Metaph. lect. 3. vbi docet unitatem esse omnino indiuisibilem.

70. Quartò tandem ad hoc facit ratio super numero 61. adducta, qua D. Thom. ostendit unitatem transcendentalem non addere aliquid positium supra eandem enim sumpta à contrario sensu, ut ibidem D. Thom. subintelligi voluit, contrarium probat de unitate prædicamentali sic. Non solum res aliorum prædicamentorum, sed etiam ipsa quantitas continua non potest esse una quantitatiuè, & pars numeri prædicamentalis per se ipsam: ergo aliquid aliud est necessarium, per quod fiat una, & pars talis numeri. Probatur antecedens: quia aliàs inter ea, inter quæ semel inuenitur talis numerus, superinueniretur; & vbi à principio non esset, nunquam esset, ut contingit in unitate, & numero transcendentali, quatenus tales sunt. Cuius tamen contrarium experimur in prædicamentali: nam in ligno continuo verbi gratia non est numerus quantitatum, sed unitas; si verò diuidatur, iam non est unitas, sed numerus. Similiter in duabus partibus aquæ separatis est verus numerus quantitatum: & non unitas; quibus tamen coniunctis, deperditur numerus, & fit unitas: ergo tales res, & quantitates sunt vnz per aliquid superadditum, quod possit per diuisionem produci, & per visionem deperdi. Videatur Zanard. lib. 10. Metaph. quæst. 3. & 5. ad 6. Ex quo rursus fit entitatem illam realem, & incompletam superadditam quantitati continuæ distingui ab ea ex natura rei, & ante operationem intellectus, saltem ut modum à re: siquidem manente quantitate continua, acquiritur, & deperditur talis unitas, ut ex dictis patet. Videatur D. Th. 3. p. q. 77. art. 4. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3.

71. Hic autem statim inquirendum venit quid sit istud reale incompletum, quod superaddit unitas prædicamentalis. Aliqui, ut refert Capreol. vbi supra, respondent esse formam continuitatis. Sed hoc non satisfacit: quia forma continuitatis non distinguitur ab ipsa quantitate continua, & sic est diuisibilis in multa, quod est contra rationem unitatis.

Et ideo aliter, & bene responderi idem Capr. cum Auicena. 3. Metaph. c. 2. quod est ipsum esse indiuisum, seu existentia quantitatis continuæ. Cuius sententiam, quantum ad hoc, admittit D. Thom. in 1. dist. 24. citata, estque satis verosimilis: nam ut ostendimus lib. 1. Physic. & tractat latè Zanard. 1. p. controuer. 18. & 19. esse, seu existentia cuiuslibet rei etiam compositæ est omnino simplex, & indiuisibile: ergo quando quantitas continua diuiditur, esse primum, remanet, neque diuiditur, sed quælibet pars diuisa habet nouum esse.

Quod optimè consonat cum illis, quæ de prædicamentali unitate dicta sunt, & fauet non parum D. Th. loco citato ex 4. sententiarum, vbi expressè docet ex Arist. *Quod in additione quantitatis ad quantitatem, una quantitas esse incipit, duabus esse desinentibus. Et contrario in diuisione. &c.*

Secundò responderi Capreol. quod unitas ista, neque est forma continuitatis; neque esse talis forma, sed quoddam accidens indiuisibile consequens quantitatem continuam. Et differt à puncto in hoc, quod punctus habet finem in linea, vel continuo, non autem unitas, sed habet pro subiecto adequato totum continuum: ita quod autò, vel diminuto tali continuo, non remanet prior unitas, sed alia.

Idem docet Zanard. vbi sup. ad tertium. Cui doctrinæ non parum fauet D. Thom. loco citato 1. par. art. 8. & Quodlib. 10. a. 3. vbi expressè fatetur, quod quando alicui liquori permiscetur alter eiusdem speciei, non manet idem numero, vel in toto, vel in parte: secundum quod mixtio facta est. Cui etiam consonat alia doctrina, quam habet sanctus Doctor ibidem art. 4. & 3. Metaph. lectione decimatercia, vbi expressè dicit, quod quando duo corpora prius diuisa copulantur, corrumpuntur due superficies terminatiuæ eorum, & fit una: quando verò vnum corpus diuiditur in duo, corrumpitur una superficies, & sunt duæ.

72. Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur.

Ad primum ex dictis patet id, quod addit unitas prædicamentalis, esse quid absolutum: sed tamen incompletum, & indiuisibile, pertinetque ad genus quantitatis, non per se, ut species eius, sed reductiue, ut principium numeri; quemadmodum punctum, ut principium magnitudinis.

Ad secundum neganda est consequentia. Ad cuius primam probationem respondetur, quod quia solius quantitatis propria est diuisibilitas in partes integrantes, ut ex Aristotele & D. Thoma explicuimus supra quæstione tertia: ideo apud ipsos sola quantitas inter omnia alia entia habet specialem, & proprium modum unitatis: qui propterea appellatur prædicamentalis; consistitque in eo quod quantitas non sit vna per seipsam, sed per aliquod indiuisibile superadditum, ut vidimus numero 66. Hoc autem non est vnum per aliquid aliud sed per seipsam: tum, quia est essentialiter ipsa unitas; & ita est vna per seipsam, tum etiam quia cum sit quid indiuisibile, non potest ipso manente amittere, vel acquirere rationem vnius, sicut potest quantitas; & ideo non indiget aliquo alio, per quod fiat vnum, & ita non proceditur in infinitum.

Notat autem bene Zanard. vbi supra ad 6. quod hæc unitas non est vna quantitatiuè, nisi tantum ut quo: ut quod verò est vna unitate transcendentali, quæ supra entitatem solum addit negationem, ut explicatum est.

Ad secundam probationem respondetur, ex eo præcisè, quod aliquid sit vnum unitate propria entis, solum posse constituere numerum transcendentalem; qui propterea non est ens per se, neque vera species alicuius generis: quia non est aliquid superadditum ipsis rebus numeratis; sicut neque etiam unitates ex quibus componitur.

Quare si unitates prædicamentales essent ipsæ quantitates numeratæ absque aliquo alio, numerus ex illis coalescens non esset accidens per se, vnum, & vera species quantitatis ut ex dictis constat.

Id autem quod vltimò inferitur, scilicet ex eo quod quantitas continua intelligatur indiuisa posse alteri connumerari, & constituere numerum prædicamentalem; verum quidem est: non quia sola indi-

nifio addita quantitati continuæ sufficiat ad constituendum numerum, qui sit verum ens per se: sed quia talis, indiuisio, seu negatio, supponit in quantitate continua illud incompletum, & indiuisibile, per quod constituitur positivè vnà, & ratione cuius quamdiu durat conuenit ei talis negatio.

### Q V Æ S T I O VII.

*An numerus prædicamentalis sit ens per se, & vera species quantitatis.*

73 **E**X dictis satis constat numerum transcendentalem non esse aliquod vnum ens, aut veram speciem alicuius generis. Et ideo solàm est dubium de numero prædicamentali, seu de multitudine istarum vnitatum, quas explicuimus.

De quo adhuc non procedit difficultas, vt applicato ad ipsas quantitates continuas, & alias res numeratas, seu in concreto significato, quomodo appellatur ab Arist. 4. Physic. cap. 12. *Numerus numeratus*: sic enim certum est non esse propriè speciem, neque propriè ens per se; sicut de aliis concretis accidentium diximus dist. 5. n. 17.

Sed difficultas est de numero in abstracto, scilicet de multitudine vnitatum prædicamentali, vt præscindunt etiam ab ipsis quantitativis continuis, quarum sunt vnitates: qui numerus appellatur ab Aristot. lib. citato. *Numerus numerans*. Et de hoc inquirimus: an sit ens per se, & verà species quantitatis.

Partem negatiuam defendunt Durand. in 1. dist. 43. q. 2. att. 1. Gabriel & Greg. Ocham, & alij Nominales, quos referunt, & sequuntur Omnia in hoc c. q. 1. art. 4. Conimb. art. 1. Fons. lib. 5. Metaph. c. 7. q. 5. sect. 2. & c. 13. q. 4. Suar disp. 41. citata, sectione 1. Hurt. disp. 13. sect. 6. §. 45. Valquez 1. parte disp. 26. c. 3. Auerſa hic quæst. 18. sectione 2. & alij.

74. Probant primò hanc sententiam Conimb. ex Aristot. 9. Physic. cap. 3. asserente numerum esse plures vnitates, & 8. Metaph. cap. 3. vbi ait: *Numerum non esse vnum, sed sicut cumulum*.

Secundò id probant alij ex D. Thom. prima parte quæstione 30. artic. 1. ad 4. & artic. 2. ad 5. vbi expressè dicit: numerum absolutum, seu abstractum non esse nisi in intellectu: ergo sentit numerum pro formali esse ens rationis; & consequenter non esse veram speciem quantitatis.

Tertiò id probant ferè omnes hac præcipua ratione: quia ex multis entibus in actu, & completis non potest fieri ens per se, vt sæpè docet Aristot. & patet ex ipsa natura entis completi, de cuius ratione est non ordinari essentialiter ad componendū: sed vnitates prædicamentales sunt plura entia in actu, & còpleta: (supponunt enim dicti Auctores esse ipsas quantitates continuas, vt supra vidimus): ergo numerus ex illis resultans non potest esse ens per se.

Quartò, probatur eadem sententia: quia ens per se debet habere partes vnitatis: sed has non habet numerus, imò repugnant rationi eius: ergo, &c.

Probatur maior: quia ens per se est illud, quod habet vnicam essentialitatem: sed id, cuius partes non sunt vnitates, non habent vnicam essentialitatem, cum sint absolute plura: ergo non est ens per se.

¶ Confirmatur, quia accidens, quod est per se vnum, non potest esse in pluribus subiectis realiter distinctis, & diuisis: ergo numerus non potest esse accidens per se vnum.

Vicimò: quia inter vnitates non solum non inue-

nitur vnio Physica, sed neque vnio ordinis sufficiens ad constituendum vnum per se: ergo, &c. Probatur antecedens. Tum quia vnio ordinis præcisè absque aliqua alia, non videtur sufficiens ad constituendum vnum per se, vt patet in exercito, & ciuitate, quæ licet habeant vnitatem ordinis, non tamen sunt vnum per se. Tum etiam quia inter vnitates eiusdem numeri non est ordo realis, sed rationis tantū, siquidem in ternario, verbi gratia, vnitates non est à parte rei prima, alia secunda, & alia tertia: sed id fit ab intellectu constituyente vnam primo loco, aliam secundo, &c. Ergo non habent vnitatem ordinis sufficientem ad constituendum vnum per se, & veram speciem entis realis.

75 Nihilominus dicendum est numerum prædicamentalem esse ens per se, & veram speciem quantitatis. Hæc conclusio est receptissima in schola Arist. & D. Thom. Docet illam Philosophus, non solum in hoc cap. vbi aliqui asserunt non esse locutum ex propria sententia, sed etiam 5. Metaph. cap. 13. vbi quantitatis species inuestigat.

Idem habet D. Thom. ibid. lect. 15. & latè probat lib. 8. lect. 3. vbi inter alia sic ait: *Est enim per se vnum numerus, in quantum vltima vnitates dat numero speciem, & vnitatem, sicut etiam in rebus compositis ex materia, & forma, per formam est aliquid vnum, & vnitatem, & speciem sortitur, &c.* infertque pro inconuenienti, quod si numerus non esset simpliciter vnum, sed per modum coarctationis, non esset aliqua species entis. Quod etiam vt inconueniens deducit locis supra n. 65. adductis: ergo quando D. Thom. ibid. & q. 30. primæ partis, art. 3. & de Potentia q. 9. art. 7. & alibi sæpè docet numerum esse speciem quantitatis, loquitur de vera & propria specie. Quam in hoc sensu intelligunt, & sequuntur omnes eius discipuli, vt inquit Sanchez lib. 5. Logicæ, quæstione 21 De quo videri possunt Capreol. in primo dist. 24 q. 1. concl. 5. Nazar. 1. parte q. 30. artic. 3. controuers. vnica, Herbeus Quodlib. 2. q. 11. Soncin. lib. 10. Metaph. quæst. 7. Zanar. 1. ibid. quæst. 3. label. lib. 6. quæstione 9. Flandria lib. 5. q. 14. art. 6. Arauxo ibid. q. 3. art. 2. Caiet. & Soro in hoc c. Mas. ibid. sectione 2. q. 2. noster Didacus à Iesu disp. 13. q. 2. & plures alij, quos refert & sequitur Galleg. hic controuers. 25. Quibus etiam consentiunt Scot. 5. Metaph. q. 9. Tolet. in hoc c. q. 1. Rub. quæst. 6. & alij. Tenet etiam Euclides in sua Arithmetica, & omnes Mathematici.

76 Probatur primò ratione: quia vt aliquid sit per se vnum, & ens saltim in infimo gradu perfectitatis, non est necessarium, quod partes eius sint realiter vnitates: sed sufficit si sint essentialiter ordinatæ ad componendum, & habeant aliquam vnitatem compositionis, vel ordinis: sed huiusmodi sunt partes numeri: ergo quamuis illæ non sint realiter vnitates, adhuc numerus potest esse per se vnum, & ens. Minor est Arist. in hoc c. & constabit quæst. sequenti. Maior autem probatur. Tum quia domus, verbi gratia, & alia artificialia sunt entia per se ratione vnus figuræ, quam habent partes eius, etiam si inter se non sint realiter vnitates. Tum etiam quia non repugnat aliqua verè esse entia incompleta, etiam si physicè inter se non vniantur. Ergo possunt esse verè ex simpliciter partes alicuius entis discreti. Tum denique quia ratio vnus per se non consistit in indiuisibili, sed habet plures gradus; siquidem Deus est magis per se ens, & vnum, quàm Angelus, & Angelus quàm substantia materialis; & hæc plus quàm quantitas continua. Ergo saltem in infimo gradu potest aliquid discretum esse per se vnum, si partes eius sint quid incompletum, & habeant inter se ordinem. Videatur D. Th. 7. Metaph. lect. vltima, vbi inter alia inquit: *Compositum quandoque sortitur speciem ab aliquo vna, quod est, vel forma, vt partes*

patet in corpore mixto: vel compositio, ut patet in domo: vel ordo, ut patet in syllabis, & numero: & tunc oportet, quod totum compositum sit unum simpliciter. Quandoque verò compositum sortitur speciem ab ipsa multitudine partium collectarum, ut patet in aceruo, & populo, & in talibus compositum non est unum simpliciter, sed tantum secundum quid.

77. Secundò probatur: quia numerus est proprium, & per se obiectum Arithmetice; ergo non potest esse ens per accidens; antecedens est evidens. Consequentia verò probatur. Tum ex Aristot. 6. Metaph. c. 3. & alibi sæpè, asserente de ente per accidens non posse esse scientiam aut definitionem. Tum etiam ratione manifesta: quia ens per accidens non habet unicam & determinatam essentiam: ergo propterea sic non habet passiones, quæ de illo possint à scientia demonstrari. Patet consequentia: quia passio sequitur essentiam constitutam in aliquo determinato gradu entis per differentiam essentialem: cum autem hæc necessarid constituat ens per se, & non per accidens, planum sit istud propterea sic non posse habere passiones à scientia demonstrabiles: ac proinde non posse esse obiectum scientiæ. Quæ doctrina saltem de obiectis scientiarum non subalternarum, qualis est Arithmetica, est evidens, & extra contr. apud Metaphysicos: ergo, &c. Quæ ratio etiam concludit numerum esse veram speciem quantitatis, ut consideranti patebit.

78. Ut huic argumento (quod procul dubio contineat intentum) respondeat Suar. loco citato; simulque in concordiam adducat utramque sententiam; præmittit n. 16. quod licet numerus in rei veritate, & propterea est à parte rei, sit ens per accidens; tamen propterea nobis concipitur per modum unius, dici potest habere aliquam unitatem sufficientem, ut de illo tantquam de una specie entis loquamur, & ut sub tali consideratione in prædicamento quantitatis collocetur. Quo supposito, responderi unitatem istam, quam habet numerus in ordine ad intellectum, ut ab eo per modum unius concipiatur, sufficientem esse ut nuncius sit obiectum Arithmetice.

Hæc tamen solutio, & concordia friuola est, habetque contra se utriusque sententiæ argumenta, ut consideranti patebit. Et quod peius est, quidquid refugiat Suar. tandem incidit in sententiam Aureoli apud Capreol. in 1. diffin. 24. q. 1. art. 1. asserentis numerum pro formali esse ens rationis; & ex consequenti obiectum formale Arithmetice non esse ens reale. *Mirabile quidem* (inquit Sanch. ubi sup. q. 22.) *volunt Doctores isti obiectum Logicæ esse ens reale contra communem sententiam; obiectum autem Arithmetice faciunt ens rationis contra communem omnium sensum.*

79. Respondent aduersarij obiectum formale Arithmet. non esse numerum pro formali, sed sumptum materialiter pro ipsis quantitativis continuis.

¶ Sed hæc solutio plus falsa est, quam præcedens. Tum quia quantitas continua, quæ est materiale in numero, est obiectum formale Geometriæ, ut per se patet, ac proinde Arith. non distingueretur à Geometria. Tum etiam quia Arithmet. non curat, an binarius, v. g. sit linearum, vel corporum; sed potius abstrahit à continuitate, & considerat formalem rationem multitudinis. Tum denique quia passiones, quas de numero demonstrat Arith. nempe proportionem & proportionalitates non conveniunt illi ex materiali ratione quantitatis continuæ; sed secundum formalissimam rationem discreti. Cuius duo sunt signa manifesta: unum est, quod ut proportionem aut proportionalitatem aliquam apphendam quantitati continuæ, debet ipsa apprehendi sub ratione formalis discretæ; ut bicubitz, tricubitz, &c. ut notauimus sup. n. 3. alterum est quod Arithmeticus demonstrat nul-

lum esse numerum, qui non habeat aliquam speciem proportionis, respectu cuiuscumque alterius; cuius tamen oppositum concludit Geometria de quantitate continua, esse scilicet aliquas incommensurabiles, seu nullam habentes proportionem numerorum. De quo videri potest D. Thom. 1. Metaphysic. lect. 13. Ergo proportio, aut proportionalitas, non conveniunt numero ex ratione materiali quantitatis continuæ, sed secundum formalem rationem discretæ; ac proinde secundum hanc est obiectum formale Arithmetice.

80. Ad argumenta contrariæ sententiæ respond. Ad primum dicimus Conimbr. referre fideliter verba Arist. ipse enim non dicit absolute: *Numerus non est unus, sed sicut cumulus*; sed sic. *Et numerum oportet aliquid esse, quo unus, si unus est; aut enim non est, sed quasi congeries; aut si est: dicendum est, quidnam illud sit, quod eum ex multis facit.*

Quibus verbis, ut patet; non dicitur absolute numerum esse sicut acervum, sed quod si unus est, aut erit sicut acervus, vel explicandum erit, quid sit illud; quod ipsum unum constituit: quod statim explicat Arist. ex eo quod unaquæque pars numeri est *entelechia, & natura quædam*. Id est, ut explicat D. Th. ibid. lect. 3. *Numerus est unum per se, ex eo quod una pars eius est ut forma alterius.*

Ad secundum ex auctoritate Angelici Doctoris responderetur sensum eius non esse, quod essentia numeri prædicamentalis sit ens rationis, sed quod non datur à parte rei numerus abstractus ab omni subiecto, sicut quando dicimus, quod animal abstractum à suis speciebus non datur à parte rei, sed tantum in intellectu: non est sensus quod natura animalis; quæ abstrahitur, non est realis, sed quod separatio illa, & status abstractionis sit ab intellectu.

81. Ad tertium illi Doctores, qui ex una parte defendunt unitatem prædicamentalem esse solam quantitatem continuam cum indivisione, & ex alia numerum esse ens per se: respondent unitates esse quidem entia completa in genere continui, sed respectu entis discreti verè esse entia incompleta, & sic posse componere unum per se. Adducuntque exemplum in linea quæ in genere linearum est quid completum, tamen respectu superficiæ, habet incomplexionem, secundum quod unit partes eius.

Sed hæc solutio certè non satisfacit, eamque meritò impugnant Conimbr. & alij. Quamvis enim id, quod est simpliciter totum, & ens completum in uno genere, possit esse secundum quid pars, & quid incompletum in alio, ut diximus supra disp. 4. n. 3. 1. & patet in homine, qui simpliciter est totum in genere substantiæ, & secundum quid pars, respectu compositi accidentalis: tamen omnino videtur repugnare quod idem absolute, & in rigore loquendo, sit simpliciter totum, & simpliciter pars, seu ens completum & incompletum, etiam respectu diversorum.

Et ratio est, quia vera completio, aut incompletio; seu esse simpliciter partem aut simpliciter totum, non est aliqua relatio adveniens rebus comparatione facta cum alijs: sicut esse magnum, vel parvum in quantitate; sed est quid conneniens eis absolute in seipsis, secundum essentialem uniuscuiusque conceptum, ratione cuius quidquid est simpliciter pars, & ens incompletum, essentialiter petit alterius confortium ad sui perfectionem, ut patet in materia & forma. Quod verò est simpliciter totum, & ens completum integrè intelligitur in sua essentia perfectum, absque eo quod componat cum alio; ac proinde accidentaliter tantum, & secundum quid potest esse pars respectu alterius.

Cum ergo quantitas continua Petri, verbi gratia, sit

fit accidens reale simpliciter completum : cuius perfectio essentialis integra omnino esset, etiamsi non daretur alia quantitas, cui enumeraretur, consequens est, si unitates prædicamentales sunt ipsæ quantitates continuæ absque aliquo alio, quod non sint simpliciter partes, neque essentialiter ordinentur ad componendum numerum; & per consequens quod ipse non sit ens per se.

82. Confirmatur: quia aliàs possemus dicere hominem, v.g. licet in genere substantiæ sit quid completum: tamen in genere albi verè est ens incompletum, & consequenter compositum accidentale esse per se. Similiter duos intellectus, & duas voluntates, licet in ratione intellectus aut voluntatis, sint accidentia completa; tamen in ratione numeri transcendentalis verè esse entia incompleta; & per consequens talem numerum esse aliquod ens per se. Quæ omnia, & his similia sunt absurda: ergo insufficiens est prædicta solutio.

Neque exemplum adductum de linea vrget. Tum quia non est ita certum talia indivisibilia continuatiua actu esse in quantitate: esto autem quod actu sint in illa, tamen non sunt partes eius, sed continuatiua: non enim superficies componitur ex lineis, neque corpus ex superficiebus, ut dicemus lib. 6. Physic. unitates autem sunt veræ partes numeri. Tum & maximè: quia ut sonatur ex D. Thoma quæst. 9. de Potentia, art. 7. tres istæ dimensiones non tam sunt species Physicæ & naturales quantitatis, quàm Mathematicæ, & per designationem; ex eo quod Geometra sumit vnamquamque ut per se subsistentem, & independentem ab alia: cum tamen omnes reuera constituant idem accidens reale, dimanans à substantia corporali: de quo propterea, ut de vno & specifico accidenti tractat Philosophia. Quare linea, verbi gratia, & superficies absolute & realiter loquendo, non sunt entitates, simpliciter completæ: & sic non est mirum ipsas ordinari essentialiter ad corpus, quod tamen dici non potest de quantitate naturali trius dimensionis, respectu numeri, ut patet; ac proinde non est eadem ratio.

Relicta ergo hac solutione, responderetur ad argumentum ex doctrinâ quæstionis præcedentis, unitates prædicamentales non esse ipsas quantitates continuas, sed quid incompletum illis superadditum; & sic posse constituere vnum per se. Videatur Arauxo vbi sup. ad secundum.

83. Ad quartum distinguenda est maior. Si enim sensus sit, omne ens per se debere habere partes unitas termino communi, neganda est; concedenda verò si sensus sit debere esse unitas saltem aliquo ordine: & hoc modo vniuntur partes numeri, ut postea explicabimus. Quod sufficit, ut absolute non sint plura, sed habeant vnicam essentiam quamvis discretam.

¶ Ad confirmationem similiter respond. accidens quod est per se vnum, non posse esse in pluribus subiectis adæquatis, seu totalibus: bene autem in pluribus subiectis inadæquatis & partialibus: & hoc modo numerus est in pluribus realiter distinctis. Sic enim integer binarius non est vnaquæque unitas, sed ambæ simul; ita adæquatum eius subiectum non est vna quantitas, sed duæ.

Ad vltimum negatur antecedens. Ad cuius probationem responderetur realem ordinationem inter duo, ratione alicuius incompleti in eis inuenti, esse sufficientem ad constituendum vnum per se.

Vnde quia in hominibus in quantum sunt partes vnius exercitus, vel ciuitatis, non inuenitur aliqua realis & physica entitas incompleta, à qua constituantur partes talis exercitus vel ciuitatis, sed moraliter tantum & in æstimatione hominum censentur quid incompletum, idè exercitus vel ciuitas, physice lo-

quendo, non est ens per se, sed solum moraliter: numerus verò prædicamentalis physice est ens per se: quia unitates ex quibus componitur, sunt quid physice incompletum, ut explicatum est.

Ad secundam probationem antecedentis respondetur non esse necessariam ad hoc, ut sit ordo realis inter unitates, quod vna determinatè sit prima, & alia secunda, &c. sed sufficit quod indeterminatè se habeant inter se, ut materia & forma: præcipue cum vltima unitas specialiter dicatur forma numeri, eo quod quasi determinat alias, & constituit in hac, vel illa specie numeri, ut ex D. Thoma 8. Metaph. lect. 3. adduximus in conclusione. Sed pro huius maiori intelligentia sit.

## QVÆSTIO VIII.

*An, & quomodo vltima unitas sit forma numeri.*

84. **C**ontroversia hæc solum est inter Doctores, qui nobiscum sentiunt numerum esse ens per se. Quorum quidam (& sit prima sententia) absolute negant vltimam unitatem esse formam numeri, contententes ipsam simul cum aliis solum esse materiam eius; formam, verò esse structuram illam, seu compositionem, quæ in binario est binitas, in ternario ternitas, &c.

Sic docent Aureol. apud Capreol. in 1. distin. 24 q. 1. in argumentis contra secundam conclusionem Anton. Andræas 8. Metaph. cap. 3. Rub. in hoc cap. q. 7. Murcia disput. 3. q. 1. & alij. Qui addunt, quando numerus successiue producit, & potest assignari vltima unitas, dici posse aliquo modo formam; sed valde improprie, & metaphoricè, in quantum est vltima pars materiæ; non autem quia verè habeat rationem formæ respectu aliarum; quod etiam docet Suarez disput. 41. Metaph. sectione 4. num. 11.

Probatum primò hæc sententia: quia compositio quæ fit in ipsa entitate accidentis, non potest esse compositio ex materiâ & formâ, præcipue in quantitate, cuius partes sunt eiusdem rationis: ergo in numero nulla unitas potest esse forma respectu alterius.

Secundò, quia compositio materiæ & formæ, requirit veram vnionem vtriusque inter se; & quod forma verè recipiatur in materia, ut patet inductione: sed neutrum reperitur in numero: neque enim unitates copulantur aliquo termino communi: neque vltima recipitur in aliis, ut per se patet: ergo nulla unitas potest esse forma respectu aliarum.

85. Tertiò, quia determinata species, habet determinatam formam: ergo si vltima unitas est forma numeri, dabitur aliqua, quæ determinatè sit vltima. In ternario autem trium unitatum simul productarum nulla potest esse determinatè vltima: ergo nulla potest esse forma numeri. Plura alia argumenta pro hac sententia adducunt Capreol. vbi sup. Sanch. Mas. Galleg. & alij Thomistæ infra citandi.

Certè hæc opinio sic explicata falsa est: eamque reiciunt, tum hi, tum etiam alij omnes Thomistæ, quos vidimus. Et meritò: nam D. Thom. locis n. 75. & 80. adductis absolute docet ex mente Aristotel. vltimam unitatem esse formam numeri, eique tribuere speciem & unitatem, & propterea ex eius additione, vel subtractione causari diuersas species numerorum: ad eum modum, quo ex additione vel subtractione vltimæ differentię fiunt diuersæ definitiones. Propter quod etiam ibidem vltimam unitatem appellat differentiam numeri. Vnde tandem concludit ipsum esse ens per se. Quæ omnia saluari non

non possunt per solam illam <sup>ext</sup>insecam metapho-  
ram, ut patet: ergo necessarium est ostendendum est cum  
Thomistis in aliquo vero & proprio sensu ultimam  
unitatem esse formam numeri.

Neque rectè id negatur in hac sententia, ex eo  
quòd in ternario forma sit ternitas; & in quaternio  
quaternitas, &c. Nam ut rectè notauit Capreol. vbi su-  
prà conclusione quinta cum forma sit duplex; alia  
totius, ut humanitas; alia partis, ut anima: stat opti-  
mè respectu ternitatis, quæ est forma totalis, omnes  
unitates se habere ut materiam; cum tamen inter ip-  
sas una sit forma, respectu alterius: sicut etiam res-  
pectu humanitatis corpus, & anima habent ratio-  
nem materiæ, & tamen anima est vera forma, respectu  
corporis. Hac ergo opinione relicta.

86. Secunda, & inter Thomistas recepta sententia  
affirmat ultimam unitatem verè esse formam numeri.  
Sic docet Capreol. vbi suprà. Soncin. lib. 10. Metaph.  
quæst. 9. Iabel. lib. 8. quæst. 10. Bartholom. Spina ibid.  
defens. 20 Arauxo lib. 5. q. 3. art. 1. ad. 5. Sanch. l. 5. Lo-  
gicæ quæst. 12. Mal. hic sect. 2. quæst. 5. Galleg. con-  
trouerf. 26. & alij. Qui tamen in eius explicatione di-  
uisi sunt.

Primò enim, quidam ita strictè intelligunt verba  
D. Th. ut asserant ultimam unitatem non solum habe-  
re rationem formæ quasi Physicæ respectu aliarum;  
sed verè esse formam Metaphysicam, seu differen-  
tiam essentialem numeri. Sic docet Galleg. putatque  
esse communem sententiam Thomistarum. Sed im-  
merito: nam ferè omnes se satis explicant, dum di-  
cunt ultimam unitatem esse formam partialem; ad  
eum modum, quo anima est forma corporis: quod  
etiam significauit D. Thom. loco citato. Et idèd hunc  
modum dicendi impugnatur rectè Sanchez conclus. 1.  
Ratioque est manifesta: quia differentia significat  
totam essentiam rei, & prædicatur de illa in recto,  
ut patet ex dictis disput. 7. sed ultima unitas non  
est totus numerus, nec prædicatur in recto de  
illo, ut per se constat: ergo non potest esse differen-  
tia eius.

87. Secundò, alij concedentes ultimam unitatem  
solum esse formam numeri quasi Physicam, & par-  
tialem, dicunt in rei veritate dari in quolibet nume-  
ro aliquam unitatem determinatam, quæ à parte rei  
sit ultima, & forma aliarum, licet nos ignoremus quæ-  
nam illa sit. Sic docent Capreol. & Iabel. reputatque  
probabile Sanch. concl. 4.

Sed neque hic etiam modus dicendi satisfacit  
aliis Thomistis. Tum quia omnes unitates entitatiuè  
loquendo sunt eiusdem rationis: ergo nulla po-  
test esse ratio ex natura rei: quare una potius quam  
alia sit determinatè ultima, aut forma aliarum; maxi-  
mè quando omnes simul producuntur, quod constat  
esse possibile. Tum etiam quia aliàs species numeri  
non diminueretur, nisi per ablationem illius deter-  
minatæ unitatis, quæ est ultima. Quod sic probatur:  
quia per ablationem alicuius partis materiæ, si cum  
aliis maneat forma, non corrumpitur species rei; ut  
patet quando homini abscinditur brachium: ergo si  
in numero quaternario manet illa unitas, quæ in rei  
veritate est ultima; etiamsi auferatur aliqua ex aliis  
tribus, adhuc manebit quaternarius; quod tamen est  
absurdum, ut patet: ergo &c.

88. His ergo, & aliis dicendi modis relictis, asse-  
rendum est à parte rei, & entitatiuè loquendo, vnam-  
quamque unitatem prædicamentalem ex natura sua  
simul esse determinabilem per alias, & determinati-  
uam illarum sub diuersis formalitatibus; ac proinde  
ad inuicem habere rationem materiæ, & formæ.  
Ad eum modum, quo in matrimonio, aut quolibet  
alio contractu uterque consensus se habent, ut mate-

ria, & forma, secundum quod se inuicem determinat,  
& determinantur. Hic est frequentior modus dicen-  
ci Thomistarum, quem sequuntur Sanchez, & Arau-  
xo, Masius, & alij ex supra adductis. Estque procul-  
dubio mens D. Thomæ loco citato ex 8. Metaph.  
l. 3. vbi propterea compositionem, quæ sit in nu-  
mero ex multis unitatibus, explicat per similitudi-  
nem ad compositionem Physicam ex materia, & for-  
ma. Sicut enim forma constituit, & determinat ma-  
teriam; ita contingit in unitatibus. Et tamen discrimen,  
quòd materia, & forma sunt primò diuersæ, &  
ita altera sic est potentia, ut non possit esse actus; al-  
tera verò sic est actus, ut non possit esse potentia: &  
idèd ab ea, quæ est actus determinatè sumitur spe-  
cies: quia actus est, qui constituit. At verò unitates  
prædicamentales, cum sint eiusdem rationis, nulla  
determinatè est actus, aut potentia; & sic nulla de-  
terminatè constituit, sed ad inuicem habens ratio-  
nem actus, & potentiæ: Quod ut explicaret D.  
Thom. subdidit: *Numerus est unum per se, ex eo quòd  
una pars est ut forma alterius.*

Dices hoc non sufficere ad unitatem per se, quam  
ponimus in numero: ut enim compositum sit sim-  
pliciter unum, videtur requiri quòd altera eius pars  
sit simpliciter potentia, & altera simpliciter actus.  
Respondetur. quòd cum omne accidens ex natura  
sua sit actus, & forma, nullum potest propriè loquen-  
do componi ex materia, & forma. Quare si quando  
accidens ex propria ratione postulat partes, non de-  
bet ad eius unitatem requiri, ut aliqua simpliciter  
sit forma aliarum; sed satis est omnes esse talis na-  
turæ, ut essentialiter ordinentur ad constituendam  
vnam integram formam: nam eo ipso altera quodam-  
modò est alteri ratio essendi, in quo consistit ad in-  
uicem habere rationem materiæ, & formæ. Et hoc  
contingit in numero; ex eo quòd unitates sint quid  
incompletum, & essentialiter ordinentur ad compo-  
nendum illum, ut explicatum est.

89. Secundo obijciens: quia iuxta hunc modum  
dicendi, in quolibet numero erunt multæ unitates  
dantes illi speciem, siquidem vnaquæque respectu  
alterius habet rationem formæ; & per consequens  
in quolibet numero erunt multæ unitates ultimæ:  
quod tamen videtur contra D. Thom. qui singulariter  
tribuit ultimæ unitati esse formam numeri, & dare illi  
speciem.

Huic argumento respondet Sanch. quòd D. Thom.  
solum asserit ultimam unitatem dare speciem nu-  
mero, & esse formam eius, in quo non significat vnam  
solum unitatem dare speciem, & esse formam, sed  
hoc habere ultimam, siue sit una, siue plures. Quod  
ut melius intelligatur, notandum est hoc, quod est  
unitatem esse determinatiuam aliarum, esse ipsam  
formaliter ultimam; sicut etiam esse determinabilem  
per aliam, est formalitas non ultima. Quare sicut à  
parte rei vnaquæque unitas, formaliter secundum  
quod est determinabilis per aliam, est non ultima, &  
consequenter materia numeri; sic vnaquæque, for-  
maliter secundum quod est determinatiua aliarum,  
est ultima; & prout sic habet rationem formæ. Ac  
proinde formaliter loquendo, semper verificatur vlti-  
mam unitatem esse formam numeri; quæ sunt verba  
D. Thom.

Cæterum ut hæc solutio plenè satisfaciat argu-  
mento, & omnino explicet mentem Angelici Docto-  
ris, addendum est; quod quia numerus est vnus uni-  
tate ordinis, ut docet Arist. in hoc cap. vbi postquam  
dixit partes temporis habere intrinsecum ordinem:  
quia una est prior, & alia posterior, subdit: *Ex in nu-  
mero simili modo, ex eo planè: quia prius unum quam  
duo, & duo quam tria, & tria quam quatuor numerantur.*  
aique



atque hoc quidem pactum ordinem quandam habent, &c. inde est, quod quamvis materialiter loquendo, nulla vnitas in particulari sit determinatè vltima, vel non vltima, prima, vel secunda, &c. vt explicatum est: tamen formaliter loquendo, in qualibet specie numeri semper vna vnitas est vltima, nempe in binario secunda, in ternario tertia, & sic de aliis. Cum enim realis numerabilitas vnitatum includat dictum ordinem, quomodocumque numerentur, vltima ternarij est tertia; & quaternarij quarta: ac proinde hæc exercet rationem formæ, & determinat alias; Et in hoc proprio, & formali sensu loquitur D. Thom. vbi supra Videatur Arauxo art. 2. citato circa finem.

90. Ad argumenta primæ sententiæ ex dictis patet solutio. Ad primum respondetur compositionem, quæ sit in ipsâ entitate accidentis nō posse esse ex materiâ, & formâ Physicâ, seu ex partibus primò diuersis: bene autem ex partibus, quæ ad inuicem habent rationem materiæ, & formæ, vt explicatum est.

Ad secundum similiter respondetur, quod prior illa compositio est, quæ requirit veram vniōem partium, & quod forma intrinsecè recipiatur, & informet materiam. Hæc verò posterior, cum fiat inter partes discretas, solum requirit vniōem ordinis, & quod vna extrinsecè recipiatur in aliâ, secundum quod, determinat illam, qui est quidam modus informationis, & actuationis proportionatus naturæ entis discreti. Ad eum modum quo, in contractu humano vnus consensus determinat, & actuat intrinsecè alium.

Dices: forma extrinseca non constituit vnum per se, cum illo, cuius est forma, vt patet inductione: nam obiectum est forma extrinseca habitus, vel potentiæ; terminus relationis: charitas aliarum virtutum, teste D. Thom. 2. 2. quæst. 23. artic. 8. & sic de aliis: & tamen ex his non resultat vnum per se: ergo, &c. Respondetur determinationem extrinsecam, quæ sit à formâ per se ordinatâ per modum partis actuationem alterius: sufficere ad constituendum vnum per se, vt supra num. 7. dictum est, & hoc inuenitur in numero, non autem in aliis exemplis argumenti, & ideo non est simile.

Ad tertium respondetur, quod quando species essentialiter petit componi ex materiâ, & formâ, quæ sint simpliciter tales, & primò diuersæ, tunc determinata species exigit formam, quæ simpliciter sit determinata, tam formaliter, quàm entitatiuè, vt contingit in substantiis materialibus. Quando verò species ipsa est essentialiter forma, & solum componitur ex partibus eiusdem rationis; ad hoc vt sit species determinata sufficit, quod habeat formam aliquo modo determinatam, scilicet in communi & secundum aliquam formalitatem, quamvis entitatiuè, & in particulari sit indeterminata: & sic contingit in numero, vt explicatum est.

91. Ex dictis infertur numerum prædicamentalem non esse speciem infimam quantitatis, vt aliqui dixerunt; sed verè continere plures species numerorum. Quæ ex doctrinâ Aristot. loco citato ex 8. Metaph. vbi propterea aliarum rerum species comparat numeris. Quod etiam ex eo patet, quia Arithmeticus sæpè demonstrat passionēs de aliquo numero, quæ nullo modo conueniunt aliis; vt quod binarius sit simpliciter primus; quod ternarius sit primus impar; quod quidam sunt lineales: quidam solidi, &c. quod signum est distinctionis essentialis: ergo numerus est species subalterna quantitatis.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*An oratio sit vera species quantitatis.*

92. PRO tituli intelligentia notandum est plures esse orationis acceptiones. Nam aliæ omittis, à Theologis sumitur pro quodam actu virtutis religionis, quo mens eleuatur in Deum; seu quo aliquid ab ipso petimus. De quo disputat D. Thom. 2. 2. q. 83. Secundò, à Dialecticis vsurpatur, vt deseruit ad explicandos animi conceptus: quo modo definit eam Aristot. lib. 1. Perier. cap. 4. quod sit *Vox significatiua ad placitum, cuius aliqua pars separata significat*, vt vidimus libr. 2. Summularum. Tertiò, apud Rhetores accipitur, vt est instrumentum quoddam ad persuadendum: De qua Cicer. 2. de Oratore: *Tantam* (inquit) *vim habet flexanima illa, atque omnium regina rerum oratio. vt non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare; sed etiam aduersantem, & repugnantem: vt imperator bonus, ac fortis capere possit.* Et tandem 4. sumitur apud musicos pro oratione externâ, seu vocali, secundum quod est realis multitudo prolationum, seu syllabarum discretarum ordine quodam sibi succedentium: & hoc modo sumitur in præsentī. Pro cuius maiori explicatione.

93. Secundò notandum est, quod sonus est quædam qualitas causa in aëre ex duorum corporum collisione. Vox autem propriè sumpta non est quicumque sonus, sed ille, qui causatur ex collisione quarundam partium corporis animalis, nempe gutturis, palati, linguæ, dentium, & labiorum. Et sic vnica vox erit, quæ ex vnica collisione causatur; quod sit quando vna vocalis littera cum aliqua, vel aliquibus consonantibus pronuntiatur. Vnde vna vox in præsentī erit vnica syllaba, & plures voces plures syllabæ; oratio verò erit aggregatum ex talibus vocibus, seu syllabis. Verbi gratiâ hæc dictio, *dominus*, est oratio: quia sit tribus percussionibus sibi succedentibus, iuxta tres eius syllabas; & sic est quid successiuum. Cum autem inter vnâ, & alteram pronuntiationem intercedat aliqua temporalis morula; consequens est tales syllabas esse discontinuas; ac proinde totam orationem esse quid discretum.

94. Tertiò notandum est, in his vocibus, seu syllabis plura reperiri. Primò enim inuenitur aër verberatus, in quo recipitur sonus; & de hoc certum est non esse orationem: cum sit substantia. Secundò, sonus ipse causatur ex tali percussione; & neque hic etiam potest esse essentialiter oratio: cum sit qualitas. Tertiò, motio illa seu percussio per quam causatur: in qua duo adhuc possunt considerari. Primum est motio ipsa secundum se; & sic est vera productio, & collocatur in prædicamento actionis. Secundum est duratio illa, seu extensio, & quasi corpulentia vocis, secundum quam quælibet syllaba dicitur magna, vel parua, seu longa, vel brevis: & hæc est quantitas vocis, quæ etiam dicitur tempus eius; non quidem extrinsecum, & primi mobilis, sed vnicuique intrinsecum, nempe extensio illa, seu dilatio syllabæ, quæ maior est in longa, quàm in breui, & ratione cuius sunt ordinabiles secundum consonantiam, à qua sumitur vnitas, & essentia orationis; sicut ab ordine, seu numerabilitate vnitatum, sumitur ratio numeri. Ac proinde sicut iste essentialiter consistit in multitudine vnitatum sic ordinatarum: ita illa essentialiter consistit in multitudine illorum temporum, seu extensionum syllabarum sic sibi correspondentium secundum consonantiam.

95. Quarta

95. Quartò tandem notandum est, ex D. Th. 2. de anima lect. 18. id quod dictum est de his vocibus, seu syllabis, intelligendum etiam; esse de aliis sonis, aut motibus musicis, qui quodammodo etiam dearticulantur, & propterea solent appellari voces. Ac proinde eorum multitudinem, secundum quod mensuratur longitudine, & breuitate in ordine ad consonantiam, esse etiam orationem. Quare oratio sic explicata continet sub se plures species, secundum quod syllabæ, vel motus diuerso modo ordinantur secundum breuitatem; vel longitudinem. Et ideo vt bene notat Toletus hîc q. 2. alia oratio est *populus* pro arbore; & alia pro ciuitate: nam illa est ex prima longa & hæc ex prima breui. Similiter diuersæ species sunt *dominus*, & *domini*. Et generaliter sub oratione sic explicata continentur omnia genera carminum, vt exаметrum, pentametrum, saphicum, adonicum, &c. Item omnes pedes carminum, vt spódæus, pyrrichius, molossus, trybrachus, &c. Et tandem species tonorum, vt diapente, diatessaron, &c. De quo videri potest Sot. hîc quæst. 1. art. 4.

96. Dicendum est ergo orationem sic explicatam esse veram speciem quantitatis. Sic docet, & probat Aristot. in hoc cap. Quem sequuntur D. Thom loco citato, & in 4. distinct. 3. quæst. 1. artic. 3. quæst. 4. ad 1. & opusc. 48. tractat. 3. cap. 2. Albert. tract. de quantitate cap. 2. Sencinas 5. Metaph. qu. 4. Arauxo ibidem qu. 3. art. 4. Soto, & Tolet. vbi supra Mas. hîc sect. 2. qu. 7. Rub. quæst. 9. & communiter Doctores. Breuiterque probatur. Et in primis quod sit vera quantitas constat. Tum ex ratione extensionis: verè enim habet partes extra partes; nempe durationes illas, seu morulas syllabarum sibi succedentes. Tum etiam ex ratione mensuræ tam actiue, quam passiue: nam tota illa extensio orationis verè mensurat prolationes syllabarum, ipsaque mensuratur suis partibus, scilicet syllaba breui, & longa; sicut numerus mensurator unitatibus: ergo oratio est vera quantitas. Quod autem sit discreta, etiam est manifestum: nam motiones ipsæ æris, seu prolationes syllabarum, cum fiant distinctis percussionibus, necessariò sunt discontinuæ, mediaturque inter eas aliqua quies; quamuis sensu non percipiatur; ergo similiter durationes illæ, seu morulæ syllabarum verè sunt discontinuæ.

Tandem, quod aggregatum ex his partibus discretis sit compositum per se vnum; & per consequens, quod oratio sit vera species quantitatis discretæ, probatur à paritate numeri. Quia ideo hîc est vnum per se, & vera species: quia partes eius, licet non vniantur termino communi, formaliter tamen habent verum ordinem prioris, & posterioris, secundum quod essentialiter petunt numerari vna post aliam, vt supra explicauimus: sed similiter partes orationis in ipsa successione sibi correspondente secundum concentum, seu in ordine ad vnā consonantiam: ergo habent inter se sufficientem ordinem ad constituendum vnum per se; ac proinde nihil deficit, vt oratio sit vera species quantitatis.

97. Per quod etiam patet quomodo oratio distinguatur ab aliis speciebus quantitatis. A numero enim distinguitur: quia quamuis hîc possit attribui rebus successiuis (quomodo numeramus deambulationes, dies, annos, imò & syllabas ipsas orationis, dicendo eam esse dissyllabam, trissyllabam, &c.) non tamen mensurat illas secundum consonantiam, sed secundum multitudinem, vt explicatum est: à linea verò, superficie, corpore, & tempore distinguitur: quia hæc sunt quantitates continuæ, oratio verò discreta.

Ex quibus potest iam facillè ordinari arbor prædicationis. Colleg. Compl. Logica.

menti quantitatis. Quæ prima diuisione diuiditur in continuam, & discretam; deinde continua diuiditur in eam, quam consequitur figura, & situs; & possumus appellare figurabilem, seu situabilem; & in eam, cui repugnat figura, aut situs; potestque appellari infigurabilis, & insituabilis: sic enim circumloquimur differentias essentielles harum specierum. Infigurabile, seu insituabile constituit tempus quantitatis verò figurabilis, seu situabilis diuiditur in lineam, superficiem, & corpus, tanquam in species infimas. Similiter quantitas discreta diuiditur in numerum, & rationem. Vnaquæque autem est species subalterna, & diuiditur in suas species, vt supra explicatum est.



## CAPUT VII.

De ad aliquid.

## SUMMA TEXTVS.

**R**es sunt huius capituli partes. In prima adducit Aristot. definitionem relationum ab Antiquis traditam, quæ erat huiusmodi: *Ea dicuntur ad aliquid, quæ id quod sunt, aliorum esse aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur*: vt duplum alterius est duplum, & maius altero est maius. Iuxta quam definitionem etiam sunt ad aliquid habitus, dispositio, scientia, & positiones; vt cubatio, statio, &c.

In secunda parte adducit quatuor relationum proprietates. Prima est habere contrarium. Secunda suscipere magis, & minus. Tertia, dici ad conuertentiam, vt dominus alicuius serui est dominus, & seruus alicuius domini est seruus: quod conuenit omnibus relatiuis, si rectè assignentur nomina. Quarta tandem proprietas est, quod relatiua sunt simul natura, vt duplum & dimidium: nam si duplum est, etiam erit dimidium, & è contra; & si non est dimidium, neque etiam erit duplum, & è contra. & ideo posita se ponunt & ablata se auferrunt.

In tertia parte colligit contra definitionem Antiquorum, quod substantia diceretur ad aliquid, essetque in prædicamento relationis; siquidem caput alicuius dicitur caput, & manus alicuius dicitur manus: & ideo relicta eorum definitione, adducit propriam in hunc modum: *Relatiua sunt, quibus ipsum esse, est ad aliud quodammodo se habere*. Quæ definitio differt à prima, quod illa conuenit etiam relatiuis secundum quid, & improprie dictis: hæc verò solum conuenit iis: quæ verè sunt relatiua. Ex qua definitione infert quintam relationum proprietatem, quod scilicet, qui definitè cognoscit vnum; definitè cognoscit & alterum.

## NOTATIONES, ET DVBIA circa hoc caput.

3. **A**D hoc prædicamentum significandum frequenter vtitur Aristotel. non nomine relationis, sed ly *ad aliquid*: quia hoc (vt bene notat Caietan.) melius significat effectum formalem relationis, siquidem exprimit ipsum exercitium referendi, seu hoc, quod est ad aliud se habere, quod non

V

ita

ita bene exprimit nomen relationis. Agit autem de ea significata in concreto, & in plurali, dum inquit: *Ad aliquid; seu relatiua dicuntur, &c.* In concreto quidem: vt notat D. Thom. opusc. 48. tract. 5. cap. 1. relatio parum habet de entitate, & idè significatur in concreto: quia accidentia in concreto apparent magis entia, vt dicitur 7. Metaph. cap. 1. in plurali autem, quia, vt notat B. Albertus, sic melius explicatur relationem exerceri inter duo.

4 Definitionem antiquorum, quæ suo tempore circumferebatur, & creditur fuisse Platonis, vt inquit Caiet. non expressè impugnât Aristot. adducit tamen aliqua, quæ iuxta talem definitionem relationi conuenirent; vt illis tacitè ostendat definitionis insufficientiam. Quæ indè satis constat: quia iam alia prædicamenta, quæ sunt relatiua secundum dici, essent veræ relationes. Quod vt ostenderet Aristot. adduxit in exemplum scientiam, quæ est qualitas; cubationem, quæ est situs, & alia huiusmodi.

Eodem animo, vt explicant communiter interpretes, adduxit Aristot. in secunda parte capitis duas primas proprietates relationis: non ex propria sententia; sed quæ ex dicta definitione sequuntur. Cum enim hæc conueniat etiam qualitatibus, vt dictum est: qualitates autem verè habeant contrarium, & suscipiant magis, & minùs; id ipsum relationi conueniret, si recta esset talis definitio. Veritas ergo, cui Aristoteles hic non contradicit, est quòd relatio secundum se non habet contrarium, sed tantum ratione fundamenti, vt magis explicabimus in fine disputationis; vbi has, & alias relatiuorum proprietates exponendas reseruamus.

5 Circa tertiam partem capitis definitio ibi adducta explicanda est q. 1. Nunc solum est aduertendum Arist. ibi consultò non dixisse: *ad aliquid dicuntur*; sicut dixit Plato; *ad aliquid sunt*, vt innueret ipsum non comprehendere in sua definitione relatiua secundum dici; sed solum relatiua secundum esse, quæ verè sunt relatiua.

6 Hic solet dubitari circa methodum Arist. quare prius egerit de relatione, quàm de qualitate: cum hæc sine dubio sit perfectior illa. Sed huius solutio facilis est ex dictis cap. de genere, numer. 6. Respondetur enim, quòd sicut Porphy. in præcæminio prædicabilium secutus methodum compositionis prius enumerauit differentiam, quàm speciem; postea verò iuxta methodum arbitriam prius de specie, quàm de differentia egit, propter rationes ibi assignatas: sic simpliciter contingit Aristoteli in hoc libro: nam capite 4. vbi decem prædicamenta enumerauit, qualitatem relationi præposuit: sicut etiam fecit 5. Metaphysic. vt ostenderet iuxta methodum compositionis, quæ regulariter sequenda est in tradendis disciplinis, qualitatem priorem esse relatione. Hic verò inuertit illum ordinem, sequutus methodum arbitriam: tum quia cap. præcedenti mentionem fecerat relationis; dum docuit magnum & paruum, multum & paucum esse relationes: tum quia hæ, & aliæ plures conueniunt quantitati ante omnem qualitatem, & multæ aliæ fundantur immediatè in substantia: vt infra constabit.



## DISPUTATIO XIV.

## De prædicamento Relationis.

**N**OTITIA huius prædicamenti est summe necessaria: tum ad scientias naturales: tum etiam ad sacram Theologiam, vbi de relationibus diuinis disputatur. Cum autem relatio sit habitudo, & ordo inter duo, nempe inter fundamentum & terminum; ad perfectam relationis notitiam oportebit de utroque disputare, quæ omnia præsentis disputatione complectemur. Sed ante omnia sit.

## QVÆSTIO I.

*An dentur Relationes reales, & quidnam illa sint.*

1 Circa primum: quia relatio, vt ex Diuino Thom. suprâ notabamus, est ita minimæ entitatis, non defuerunt ex antiquis plurimi, qui relationes reales omnino negauerint. Quam sententiam, si credimus Ammonio, & Simplicio in hoc capite, Zeno perantiquus Philosophus, Stoici, & alij plures secuti sunt, eamque suscitauit Aureolus in 1. distinct. 30. quæst. 1. art. 2. solas diuinarum personarum relationes reales admitteas.

2 Argumenta, quibus solet probari hæc sententia, æquè militant contra distinctionem relationis à fundamento, & idè commodius adducuntur, cum ad illa disputemus. Nunc tamen sic potest suaderi.

Primo: quia relatio non potest habere differentias diuisiuas, aut constitutiuas reales: ergo non potest esse speciale genus entis realis. Probatur antecedens: quia differentiales gaudent oppositione contraria, & veluti priuatiua, vt patet inductione: sed differentia diuisiua relationis tantum opponuntur relatiuè, siquidem inter simile, & dissimile, aut patrem, & filium solum inuenitur oppositio relatiua: ergo, &c.

8 Secundo, quia relatio videtur post prædicamentum, ergo non est ponenda vt speciale genus entis realis. Probatur antecedens: tum ex minima entitate illius: tum etiam quia diuagatur per multa prædicamenta, & ad illa consequitur, quandoquidem ordo vnius ad aliud inuenitur in pluribus generibus: imò prius & posterius, oppositio, & alia post prædicamenta sunt relationes.

Tertio: quia in prædicamenti realibus accidentium concreta non ponuntur, nisi ratione suorum abstractorum: vt explicuimus suprâ disput. 1. numer. 60. sed relatio in abstracto nequit esse in prædicamento, nisi ratione sui concreti: ergo non constituit aliquod reale prædicamentum accidentis. Probatur minor: quia relatio in tantum ponitur in prædicamento, in quantum est aliud: sed non refertur ad aliud, nisi ratione concreti, non enim ipsa, sed concretum eius propriè refertur: ergo verè non ponitur in prædicamento, nisi ratione sui concreti.

9 Nihilò

9 Nihilominus dicendum est primò verè dari relationes reales creatas, constitutæque speciale genus entis realis. Hæc est communis Philosophorum sententia, cum Arist. in hoc libro, & 5. Metaphys. quam Platonici omnes, & Peripatetici defendunt. Sequunturque Scholastici cum Magistro in 1. dist. 30. & Theologi cum D. Thom. 1. p. q. 13. ar. 7. & qu. 28. art. 1. de potentia qu. 7. art. 9. & alibi sæpè. Pro qua videri possunt Capreolus distinct. citata quæst. 1. art. 1. Flandria 5. Metaph. quæst. 16. art. 1. Soncinas q. 25. Arauxo. qu. 5. art. 1. & alij.

Prima pars conclusionis probatur primò: quia in diuinis dantur veræ relationes reales, vt sunt, paternitas, & filiatio: ergo etiam in creatis concedendæ sunt relationes reales. Antecedens salua fide negari non potest. Consequentia verò probatur, quia idèd Pater æternus habet relationem realem paternitatis ad filium: quia verè generat illum, & est principium eius: sed idem contingit in creaturis; homo enim, aut equus verè generat, & est principium alterius: ergo verè dantur in creaturis relationes reales.

10 Secundò probatur ratione Diuus Thom. loco citato de potentia: quia *Perfectio, & bonum, quæ sunt in rebus extra animam: non solum attenditur secundum aliquid absolute inhærens: rebus secundum ordinem vnius rei ad aliam; sicut etiam in ordine præsens exercituum, bonum exercitus consistit: cui ordini comparat Philosophus ordinem vniuersi. 11. Metaph. ergo oportet in ipsis rebus ordinem quendam esse. Sed hic ordo est relatio quædam: ergo oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundum quas vnum ad alterum ordinatur.*

Confirmatur: quia à parte rei, & seclusa operatione intellectus: vna quantitas est alteri æqualis, & vna albedo alteri similis: sed his nominibus non significantur res absolutæ; sed habitudines vnius ad alterum, vt patet: ergo à parte rei non solum dantur res absolutæ, sed etiam reales relationes. Alias rationes adducit Arauxo, vbi suprà.

11 Per quod etiam patet secunda pars conclusionis: quia relatio ex eo quod sit ordo vnius ad aliud, habet specialem, & proprium modum essendi diuersum ab aliis entibus absolutis, quorum essentia non potest formaliter consistere in tali respectu, vt patet; habetque relatio sub se plures species, & modos referendi diuersos, vt infra constabit: ergo verè constituit speciale genus entis realis. Ex quo rursus sequitur relationem esse verum ens reale non solum quantum ad rationem communem accidentis, seu secundum esse *in*; sed etiam quantum ad propriam rationem relationis, seu secundum esse *ad*.

Sed obijciens Diuus Thom. 1. part. quæst. 28. art. 1. sic asserentem: *Solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua secundum rationem tantum & non secundum rem: quod non est in aliis generibus, &c.* Quod etiam repetit Quodlibet. 9. art. 4. addens: *Et quomodo ad aliquid ex ratione sui generis non habeat, quod ponat aliquid: non tamen etiam habet ex ipsa generis ratione, quod nihil ponat: quia sic nulla relatio esset aliquid in verum natura, &c.* De quo etiam videri potest de potentia qu. 2. art. 5. & in 1. distinct. 20. quæst. 1. art. 1. ad 3. & dist. 26. quæst. 2. art. 1. Quibus locis planè videtur docere, vel quod in hoc prædicamento verè continentur aliquæ relationes rationis; vel saltem quod relatio secundum propriam rationem constitutiuam huius prædicamenti, seu secundum quod formaliter dicit *ad*, non sit aliquid reale.

Propter hæc Diuus Thom. testimonia, non desue-  
Colleg. Compl. Logica.

runt, qui assererent prædicamentum relationis esse quidem aliquid reale, quatenus dicit esse *in*, sed secundum quod dicit esse *ad*, esse aliquid rationis. Quam sententiam sæpè defendisse Bartholomæum de Medina Primarium Salmanticensem testatur Sanchez eius discipulus lib. 5. Logicæ. qu. 32. Illa tamen, quia per se constat esse falsam, relicta.

Alij Thomistæ dicunt, quod quamvis hoc prædicamentum, secundum quod dicit *in*, sit aliquid reale; tamen secundum propriam rationem relationis, seu formaliter quatenus dicit *ad*, neque est quid reale; neque quid rationis; sed abstrahens ab utroque. Quæ videtur esse sententia Capreoli in primo distinct. 33. quæstione prima, & Caiet. loco citato ex prima parte; neque dissentit Soncinas vbi suprà quæst. 16. sequiturque Canar. eadem 1. p. quæst. 28. articulo 1.

Opposita tamen sententia, quod scilicet hoc prædicamentum, tam secundum rationem communem accidentis, quam secundum specialem, & propriam rationem constitutiuam relationis, sit verum ens reale, est communis inter Doctores. Quam rectè explicant, defendunt Bañez, Nazarius, & Ripa loco citato ex prima parte Vasquez, ibidem disputat. 114. cap. 3. Granado controuer. quinta, tractat. tertio, disputatione prima, Ferrat. quarto, contra gentes, cap. 14. Flandr. vbi suprà, art. 24. Arauxo artic. 2. & alij, estque plana mens Diu. Thom. quæst. 8. de potentia art. 2.

Fundamentum est: quia relatio, quæ constituit hoc prædicamentum formaliter secundum quod dicit esse *ad*, determinat ens, & accidens reale, vt sit speciale genus entis realis: ergo non solum ratio communis accidentis, quæ inuenitur in relatione, & significatur per esse *in*, sed etiam propria, & specialis ratio relationis, quæ constituit eam in esse talis accidentis, & significatur per esse *ad*, est verum ens reale. Probatur consequentia. Tùm quia hæc determinatio entis, & accidentis ad prædicamenta fit per realem transcendentiam, & essentialem inclusionem in illis; quæ intelligi non potest nisi ipse proprius, & specialis modus constitutiuus huius prædicamenti formaliter sit quid reale, vt per se constat. Tùm, & maxime, quia ipse conceptus obiectiuus entis, aut accidentis non est distinctus à propriis conceptibus prædicamentorum sibi inferiorum, vt ostendimus sup. disp. 11. n. 46. & sequentibus. Ergo omnino repugnat quod relatio quatenus dicit esse *in*, sit aliquid reale, & quatenus dicit esse *ad*, sit aliquid rationis, vel abstrahat ab utroque. Alias rationes adducit Arauxo vbi suprà.

12 Quo supposito: ad obiectionem responderetur cum Doctoribus citatis sensum Diu. Thom. in illis locis esse, quod modus prædicamenti relationis, scilicet esse *ad*, non secundum eam rationem determinatam, quæ est modus proprius prædicamenti ad aliquid, sed secundum rationem magis communem, & abstractam, continet relatiua realia, & rationis, ita vt simpliciter, & absolute relatio rationis dicatur relatio, quod non contingit in aliis generibus, verbi gratia substantiæ, quantitatis, aut qualitatis; quæ etiam secundum rationem magis communem, & abstractam, non sic continent entia rationis. Quamuis enim interdum formemus entia rationis ad modum substantiæ, vt cum concipimus chimæram; vel ad modum qualitatis, vt cum apprehendimus priuationes, aut negationes: tamen huiusmodi entia rationis non dicuntur simpliciter, & absolute substantia, aut qualitas, nisi cum addito *rationis*. Et hoc tantum intendit Capreolus in contrarium adductus, vt patet ex solutione ad octauum.

V 2 Nascitur

Nascitur autem hæc differentia : tum ex parte intellectus : tum etiam ex ipsa natura relationis. Ex parte quidem intellectus : quia ipse formans entia rationis, habet proprium actum, quo unum refert ad aliud, & ita propriè dicitur facere relationem rationis; non autem habet actum, quo dicatur substantificare, aut qualificare, ut ita dicamus; atque ita non dicitur propriè facere substantiam, aut qualitatem rationis; videatur Valsq. vbi suprà.

Ex parte verò ipsius relationis : quia ut rectè explicat D. Thom. eadem quæst. 28. art. 2. & alij locis adductis, in hoc distinguitur relatio ab aliis accidentibus absolutis, quòd ista non solum secundum rationem communem accidentis : sed etiam secundum rationem vniuscuiusque propriam dicunt habitudinem ad subiectum, & sumuntur per comparisonem ad illud. (Quantitas enim, secundum rationem communem accidentis, inest substantiæ, & secundum rationem sibi propriam est extensio, seu mensura substantiæ : & idem proportionabiliter est de qualitate, & aliis, ut infrà constabit.) Relatio verò quamvis secundum quod est accidens, dicat ordinem ad subiectum, & illi inhæreat : propria tamen ratio eius secundum quod relatio est, sumitur per comparisonem ad extrinsecum terminum : atque ita secundum hanc præcisam, & formalissimam rationem, explicite non intelligitur, neque significatur, ut efficiens subiectum : sed ut ad aliud se habens. Cum autem relatio sumat suam realitatem ex fundamento, ut Quodlibet citato docet D. Thom. indè fit, ut propria ratio constitutiva huius prædicamenti, quamvis revera sit realis, sicut aliæ aliorum prædicamentorum : tamen ex modo quo concipitur, & significatur, præcisè ut est *ad*, non exprimit realitatem sicut illæ. Et idè formaliter provt sic fundat similitudinem, & convenientiam cum relationibus rationis, sufficientem ut ipsæ dicantur absolute relationes : quod non habet locum in aliis, prædicamentis absolutis. Videantur Bañez, & Arauxo, vbi sup. Granado tom. 3. primæ partis tract. 3. disp. 1.

13 Ad argumenta in principio facta. Ad primum negandum est antecedens. Ad cuius probationem responderetur, quòd differentiæ divisiuæ relationis etiam opponuntur contrariè, & privatiuè : eo modo quo aliæ aliorum generum, in quantum scilicet non possunt eidem speciei in esse : & opponuntur, sicut perfectum, & imperfectum. Præter has, autem oppositiones, quæ in hoc sensu communes sunt differentiis cuiuscumque generis : inuenitur inter relationes, specialis, & propria oppositio relatiua, quæ non inuenitur in aliis. Et idè ab ea specialiter denominantur.

Ad secundum etiam negatur antecedens. Ad cuius probationem responderetur, quòd postprædicamentum propriè non est entitas, sed modus entitatis, & quid ex sua ratione imperfectum, & incompletum : & idè ratione sui consequitur ad plura prædicamenta. Relatio verò, quamvis sit imperfectior aliis accidentibus : adhuc tamen est entitas completa : & non ratione sui, sed ratione fundamenti inuenitur in pluribus prædicamentis : & sic potest constituere speciale genus entis. Hoc autem non habent prius, posterius, simul, &c. sed sunt puri modi, & non perfectæ relationes; ac proinde de numero postprædicamentorum.

Ad tertium negatur minor. Ad cuius probationem dicendum est relationem formaliter, & in abstracto consideratam, habere rationem sui hoc, quod est esse ad aliud, seu referri, non ut quod, sed ut quo, in quantum scilicet est id, medio quo fundamentum refertur ad terminum : & provt sic ponitur in prædicamento. Vnde non ratione concreti, sed ratione sui collocatur in illo.

14 Dicendum est secundo circa secundam partem quæstionis. Rectè definiri relatiua ab Aristor. secunda illa definitione in textu adducta, scilicet *Relatiua sunt ea, quibus ipsum esse est ad aliud quodammodo se habere*. Vel ut communiter traditur, *Relatiua sunt, quorum totum suum esse est ad aliud se habere*. Hæc conclusio recipitur concorditur à Dialecticis; & idè sola indiget explanatione. Est autem sensus definitionis, illa esse verè relatiua, quorum ratio formalis est ipsum respicere aliud, seu ad aliud se habere. Per quod excluduntur relatiua secundum dici : nam horum esse, seu ratio formalis, licet connotet, seu inuoluet aliquem respectum, non tamen est respectus ipse, sed quid absolutum, ut dicemus quæstione sequenti; & idè ipsum suum esse non est ad aliud. Quo fit ut relatio in abstracto significata sit illud accidens, quod ex proprio, & nativo effectu eius tribuit subiecto respicere alterum; ac proinde accidentia illa, quæ primariò tribuunt subiecto aliquod esse absolutum, & quasi de consequenti ordinant ad aliud, non sunt veræ relationes, neque pertinent ad istud prædicamentum. Quare hæc erit congrua definitio relationis in abstracto significatæ si formaliter, & simpliciter verba eius intelligantur : *Relatio est accidens faciens respicere ad aliud*. Quæ ex eo quòd sit accidens, dicit esse *in*; ex eo verò, quòd faciat respicere aliud, dicit esse *ad*, quæ est propria ratio relationis. Cum qua definitione coincidunt alia, quæ solet formari ex definitione, quam in concreto tradidit Aristoteles, scilicet *Relatio est accidens, cuius totum suum esse est ad aliud se habere*. Ut autem hæc exacta sit, debet intelligi tantum, ut quo : non enim relatio ut quod respicit, aut se habet ad aliud; sed est ratio media qua fundamentum respicit, & se habet ad aliud, ut explicatum est.

## Q V Æ S T I O II.

*Quanam relationes pertineant ad hoc prædicamentum.*

15 PRO solutione explicare oportet quasdam generales relationis diuisiones, ut apparet, quæ earum pertineant ad hoc prædicamentum. Tres autem sunt quibus diuiditur relatio communissimè sumpta, Nam primò diuiditur in relationem realem, & rationis : secundò in relationem secundum dici, & secundum esse : & tertio in transcendentalem, & prædicamentalem. De prima nihil est in præsentī dicendum : suprà enim disp. 2. plura egimus de relatione rationis : ex quibus constat etiam relationem realem esse illam, quæ ante operationem intellectus facit respicere aliud.

De secunda autem diuisione Aug. 3. Metaph. & Henr. Quodlib. 3. q. 4. existimarunt coincidere cum prima : ita ut idem sint relatio secundum dici, & rationis : & similiter relatio secundum esse, & realis.

Quam



Quam sententiam verisimilem appellat Suarez disput. 47. Metaph. sect. 3. num. 7. Sed omnino falsa est: & expressè contra Div. Thom. in 1. dist. 30. q. 1. art. 3. ad 4. & q. 7. de potentia art. 10. ad 11. Ratio D. Tho. est manifesta: quia etiam in entibus rationis dantur relationes secundum esse, quæ verè sint relationes, & valde differant ab aliis entibus rationis, quæ possunt appellari relatiua secundum dici propter aliqualem respectum in eis inuentum; ut patet in secundis intentionibus, & negationibus. Nam tota essentia illarum sita est in ordine unius ad aliud; ac proinde verè habent esse relationis: istæ verò concipiuntur per modum formæ absolutæ; ac proinde solum habent dici relationis: quia involuunt aliqualem respectum ad formas, quibus priuient. Quod argumentum fit etiam in relationibus, quarum plures sunt relationes secundum esse, aliæ verò secundum dici, ut postea constabit: ergo non coincidunt primæ duæ diuisiones.

16 Maior difficultas est de secunda, & tertia. Quamuis enim communis Doctorum consensus admittat relationem secundum dici, & transcendentalem inter se conuerti; & similiter relationem secundum esse & prædicamentalem: Suarez tamen loco citato n. 9. aliter sentit, & unam facit subdiuisionem alterius; existimans prius diuidi relationem in secundum dici, & secundum esse, & deinde relationem secundum esse, in prædicamentalem, & transcendentalem. Cuius fundamentum est: quia extra hoc prædicamentum verè dantur relationes secundum esse, ut inter materiam, & formam; accidens, & subiectum, & generaliter in omni enti creato respectu Dei; quæ omnes sunt relationes transcendentales; ergo, &c.

Hæc tamen sententia falsa est, & contra D. Thom. 1. p. q. 13. art. 7. ad 1. ubi explicans, quæ sint relatiua secundum esse, & secundum dici, inquit: *Quædam relatiua sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relatiuas, ut dominus, seruus, pater, & filius: & huiusmodi: & hæc dicuntur relatiua secundum esse. Quædam verò sunt imposita ad significandas res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut mouens, & motum: caput, & capitulum; & alia huiusmodi, quæ dicuntur relatiua secundum dici.* Constat autem quod neque materia aut forma, neque accidens, aut subiectum; neque aliud quodlibet nomen extra hoc prædicamentum impositum est ad significandas ipsas relationes; siquidem alia prædicamenta sunt absoluta: ergo omnes relationes secundum esse sunt prædicamentales, & è contra.

17 Quamuis autem relationes istæ inter se coincidunt, ut explicatum est, tamen nominum etymologiæ, & appellationes sumuntur à diuersis formalitatibus. Etenim eadem relationes, ut paternitas, & filio, dicuntur secundum esse: quia in rei veritate sunt relationes, & habent esse relationis; appellantur verò prædicamentales, quia pertinent ad hoc prædicamentum. Similiter scientia, sensus, & similia dicuntur relatiua secundum dici: quia significant res, quas consequuntur quædam habitudines, siue reales, siue rationis: & idè propter relationes adductas videntur relatiua, & dicuntur talia. Appellantur verò relatiua transcendentia: quia propria eorum essentia, ad quam sequuntur tales relationes, licet sit quid absolutum, sumitur tamen in ordine ad aliquid extrinsecum; & sic habent aliqualem modum relationis. Quæ formalitates, & etymologiæ licet diuersæ sint: realiter tamen non datur relatio transcendentalis, quæ non sit secundum dici, & è contra: quia ex eo, quod essentia alicuius rei sumatur per ordinem ad aliquid extrinsecum, in quod consistit relatio transcendentalis; sequitur, quod ad tales res consequantur

Colleg. Compl. Logica.

aliquæ relationes, siue reales, siue rationis, in quo consistit relationem esse secundum dici ut explicatum est. Alia discrimina, quæ solent assignari inter has relationes, commodius explicabuntur quæstione sequenti.

18 Præter has diuisiones relationis dantur duæ aliæ, quæ sunt subdiuisiones præcedentium. Nam relatio secundum esse, seu prædicamentalis diuiditur in mutuam, & non mutuam. Mutua est illa, cui à parte termini correspondet alia realis relatio realis, ut paternitas, qua pater respicit filium, cui correspondet in filio relatio realis filiationis. Non mutua est illa, cui non correspondet in termino alia relatio realis, ut relatio seruitutis; qua creaturæ referuntur ad Deum, cui in ipso non correspondet alia relatio realis.

Dices: omnia relatiua secundum esse, imò etiam relatiua secundum dici dicuntur ad conuertentiam: ergo omnes relationes sunt mutue. ¶ Secundo: quia cuiusque relationi correspondet in termino aliqua relatio saltem rationis: ergo non rectè assignatur prædicta diuisio.

Respondetur ad primum, quod ut relatiua dicantur ad conuertentiam, sufficit vna relatio inter vtrumque: nam ex eo ipso, vnum respicit, & aliud respicitur, in quo consistit propria conuertentia relatiuorum, ut magis explicabimus infra quæstione sexta, & octaua. Ad hoc aptem ut relatio sit mutua, requiritur, quod vtrumque extremum verè respiciat; & consequenter, quod ex parte vtriusque sit vera relatio, & quod posita vna, quasi naturali sequela, ponatur, & altera: hoc enim præ se fert mutuitas relationis, ut patet.

Per quod respondetur ad secundum. Licet enim in vnoquoque termino relationis possit formari aliqua relatio rationis; hæc tamen non necessariò, & quasi naturaliter consequitur ad primam relationem: sed si intellectus illam pro libito fabricauerit.

19 Tandem: relatio mutua subdiuiditur in relationem æquiparentiæ, & disquiparentiæ; quas D. Damasc. cap. 3. 4. l. Logicæ appellat æqualis, & inæqualis cõparationis. Relatio mutua æquiparentiæ est illa, cui correspondet in termino alia eiusdem rationis, ut similitudo vnius albi ad aliud, in quo correspondet etiam similitudo ad primum. Relatio disquiparentiæ est illa, cui correspondet in termino alia diuersæ rationis, ut paternitas, cui in termino non correspondet alia paternitas, sed filio.

His suppositis Paul. Venet. Ammon. Simplicius, & alij, quos refert Masius hîc sect. 1. quæst. 6 existimant sub hoc prædicamento contineri relatiua secundum dici, propterea quod illis conuenit prima definitio ab Aristot. tradita, à quo etiam adducuntur in exempla huius prædicamenti *scientia sensus*, & alia relatiua secundum dici. ¶ Hoc tamen fundamentum nullum est, ex eoque potius inferendum esset oppositum: siquidem propterea dictam definitionem, & exempla relucit Aristot. ut vidimus supra num. 4.

20 Dicendum est ergo omnes, & solas relationes reales creatas quæ verè sunt relationes, & appellantur secundum esse, contineri in hoc prædicamento. Hæc est communis sententia Dialecticorum: quam docet Arist. in hoc cap. ubi propterea insufficientem indicauit Platonis definitionem quia ex illa inferebatur relatiua secundum dici ad hoc prædicamentum pertinere. Quod etiam non obscure docet D. Th. 1. p. q. 28. art. 1. ad 2. de veritate q. 1. art. 5. ad 15. in 1. dist. 26. q. 2. art. 1. & alibi sæpè, ubi hoc constituit discrimen inter relationem, & alia prædicamenta; quod hæc secundum proprias rationes ponunt aliquid in subiecto; illa verò secundum quod talis est, tantum est ad aliquid; sed purus respectus. Ergo sola illa nomina, quæ imposita sunt ad significandas ipsas relationes (quæ sunt relatiua secundum esse) pertinent ad hoc prædicamentum.

V 3

Funda

Fundamentum est: quia ad prædicamentum quantitatis solum pertinent, quæ verè sunt quantitates, & in prædicamento qualitatis tantum collocantur, quæ verè sunt qualitates: ergo in prædicamento relationis illæ solæ collocabuntur quæ verè fuerint relationes reales. Sed tales sunt omnes, & solæ relationes secundum esse, ut ex dictis patet: ergo hæc tantum pertinent ad hoc prædicamentum. Videantur Soror hic q. 1. label. 5. Metaph. q. 21. & alij.

Additum est autem in conclusione solas relationes creatas pertinere ad hoc prædicamentum, ut excludantur relationes diuinæ: quæ quamvis sint verè relationes, tamen propter identitatem cum natura diuina, sunt ipsa substantia Dei; & idèò pertinere non possunt ad hoc prædicamentum, in quo solum collocantur accidentia, ut per se patet.

21 Ad fundamentum Suar. sup. n. 16. adductum responderetur materiam, & formam, accidens, & substantiam, aut Quodlibet aliud uomen extra hoc prædicamentum, non significare ipsas habitudines, aut veras relationes, sed res, ad quas consequuntur tales habitudines; ac proinde talia nomina esse relatiua secundum dici, & transcendentalia. Si tamen propriis nominibus significentur tales habitudines, & ipsæ habuerint alia requisita ad relationem realem, verè erunt relatiua secundum esse, & prædicamentalia, ut infra constabit.

### Q V Æ S T I O III.

*Quæ conditiones requirantur ad relationem realem prædicamentalem.*

**V**T plenè percipiatur quæ relationes sint ad hoc prædicamentum admittendæ, quæ verè ab illo recipiendæ, explicare oportet, quæ conditiones requirantur ad relationem realem prædicamentalem. Cum enim hæc inter omnia prædicamenta habeat debilissimum esse, ut ex Commentatore docet D. Thom. de potentia q. 7. art. 8. plura ad illam requiruntur, quam ad alia.

22. Dicendum est ergo quatuor conditiones requiri ad relationem realem prædicamentalem, scilicet subiectum reale; rationem fundandi realem, terminum realem, & realiter existentem: & distinctionem realem fundamenti, & termini. Sic docet expressè D. Th. opusc. 48. tract. 5. c. 1. (Vbi licet quintam aliam conditionem assignet, nempe quod relatiua sint eiusdem ordinis: hanc tamen ponit pro relationibus mutuis, ut satis ibi constat: & sic non est vniuersaliter requisita ad relationem realem) Quam etiam conclusionem recipiunt communiter Doctores.

Probatum breuiter & explicatur conclusio discurrendo per singulas conditiones. Et *Prima* quidem satis ex se patet: nam accidens reale necessariò petit subiectum reale, & realiter existens, cui inhaereat. Vnde non ens, aut ens rationis, vel etiam res nondum existens non potest habere relationem realem.

*Secunda* etiam conditio, quod scilicet ex parte eiusdem subiecti requiratur aliqua ratio realis, quare referatur, seu ratione cuius insit illi relatio, satis constat: tum quia in hoc distinguuntur magna ex parte relationes reales, & rationes: tum etiam ex ipsa natura relationis: cum enim hæc sit ordo inter duo, cuius realitas, formaliter loquendo, non sumitur à termino; sed à fundamento: si in hoc non intelligitur aliquid reale, quod sit radix, seu ratio, quare respiciat terminum, talis respectus non poterit esse realis. Propter quod (ut benè inquit D. Thom.

vbi supra) res intellecta proptè sit non refertur realiter ad intelligentem: quia esse intellectum nihil reale ponit in ipsa, ut de se patet.

Hæc autem ratio realis communiter appellatur à DD. ratio fundandi; & ab aliis dicitur fundamentum: sed dissensio non est de re. Si tamen nomina ista propriè accipienda sint, habent se ut *subiectum*; *ratio fundandi*, & *fundamentum*; sicut, corpus, albedo, & album: sicut enim corpus est res illa, in qua recipitur albedo, hæc verè est ipsa forma recepta, & album, compositum ex utroque sic subiectum relationis significat illam rem materiale, cui relatio inhaeret, ratio verè fundandi significat rationem illam, seu accidens, ratione cuius relatio fundatur, seu inhaeret subiecto. Fundamentum autem significat compositum ex utroque, scilicet ex subiecto, & ratione fundandi: propter quod etiam aliqui subiectum appellant fundamentum remotum; rationem verè fundandi fundamentum proximum. Vbi tandem nota, nos in hac conditione non asserere rationem fundandi debere semper esse aliquod accidens, aut quid realiter distinctum à subiecto; sed solum quod debet esse aliqua ratio realis. Quando verè sit accidens, aut quando non, infra constabit.

23 Tertiā conditionem, quod scilicet terminus sit quid reale, & realiter existens, docet etiam D. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 7. in 1. dist. 26. quæst. 2. art. 1. lib. 2. contra gentes cap. 1. & alibi sæpè. Facileque probatur in relationibus mutuis: nam ibi utriusque extremo inhaeret vera relatio realis: ergo requiritur existentia utriusque. ¶ Generalem tamen rationem reddit D. Thom. loco citato contra gentes: quia aliàs actu essent infinitæ relationes reales in eodem subiecto, si respectu rei possibili posset esse relatio realis: binarius enim, v. g. prior est infinitis numeris qui in potentia sunt illo maiores, ut notum est: ergo si ad omnes illas referretur, actu essent infinitæ relationes. ¶ Quod tandem probat ibidem Ferrara ex ipsa natura relationis; nam relatio realis ante operationem intellectus versatur inter duo: ergo vnum habet à parte rei aliquid, ratione cuius fundat talem relationem, & alterum similiter habet à parte rei aliquid, ratione cuius terminet; Ergo sicut requiritur realis existentia subiecti, ita etiam & termini.

24 Per quod etiam patet quarta, & vltima conditio, quod scilicet utraque extrema sint realiter distincta, & hoc non solum quantum ad rationes materiales eorum, sed etiam quantum ad rationes formales, secundum quas attenditur relatio: Si enim relatio realis est verus ordo vnius ad aliud, realisque oppositio inter duo: ergo ante operationem intellectus terminus absolutè est aliud à fundamento, & per consequens realiter distinguuntur, etiam secundum rationes formales causantes relationem. Defectu cuius conditionis D. Thom. 1. part. q. 42. art. 1. ad 4. docet relationes similitudinis, aut æqualitatis inter personas diuinas ratione essentiae non esse reales: quia licet personæ ipsæ realiter distinguantur, tamen ratio formalis, secundum quam attenditur talis similitudo, & æqualitas, scilicet natura diuina est omnino eadem in illis.

Et eadem ratione, si per impossibile eadem numero albedo poneretur in duobus hominibus, non esset inter duos relatio realis similitudinis: quia tunc rationes fundantes similitudinem ex utroque extremo, non distinguuntur realiter. Videantur Caietan. & Nazari. art. citato.

25 Ex dictis facile expedientur aliqua discrimina, quæ solent assignari inter relationem prædicamentalem, seu secundum esse, & transcendentalem, seu secundum dici. Primum est relationem prædicamentalem

lem necessariò supponere aliquod fundamentum absolutum; quod tamen non necessariò supponit relatio transcendentalis.

Hoc discrimen sanè intellectum verum est (quidquid dicat Suarez ubi supra) nam relatio prædicamentalis est vera relatio, & sic necessariò supponit rem absolutam: relatio verò transcendentalis, revera est quid absolutum; & per consequens non necessariò supponit illud.

Secundum discrimen est relationem prædicamentalem, non esse per se intentam à natura, bene autem transcendentalem. Quod etiam verum esse patet ex primo: nam vera relatio non potest produci per se, sed ad productionem alterius: cum ad illam non detur per se motus ex Arist. 5. Physic. quod tamen non repugnat rei absolutæ, quæ est relatio transcendentalis, ut patet in scientia; & aliis qualitatibus.

16 Tertium discrimen est, relationem prædicamentalem exigere terminum realem, realiter existentem, & realiter distinctum à fundamento: quorum nullum necessariò invenitur in relatione transcendentali.

Hoc discrimen, quantum ad realitatem, & existentiam termini, satis constat esse verum; siquidem scientia est relatio transcendentalis ad obiectum, etiam si illud non existat, aut sit quid rationis. Quod tamen repugnat relationi prædicamentali, ut vidimus. Sed quantum ad distinctionem realem falsum est: utrobique enim requiritur distinctio realis; siquidem eiusdem ad seipsum solum potest esse relatio rationis. Quare licet relatio transcendentalis, seu secundum dici, non sit vera relatio, sed quid absolutum: tamen illud respectu cuius dicitur relatio necessariò est quid extrinsecum, & saltem realiter negativè distinctum, ut patet in scientia respectu obiecti rationis, vel nondum existentis.

17 Quartum tandem, & præcipuum discrimen (omissis aliis) assignatur communiter à Doctoribus cum Caiet. de Ente & Essentia cap. 7. quæst. 15. scilicet relationem prædicamentalem respicere terminum, purè ut terminum; transcendentalem verò respicere illum, non sub præcisa ratione termini; sed sub alia ratione, nempe subiecti, effectus, finis efficientis, &c.

Hoc discrimen non potest plenè percipi, donec ea, quæ ad terminum relationis pertinent discutiamus: quod fiet quæst. 6. & 7. Sufficiat in præsentī dicere, quòd loquendo de termino secundum formalem rationem termini, seu ut formaliter opponitur alteri relatio, & est correlativum eius; sic verum est discrimen à Caietano assignatum, optimeque explicat naturam relatiuorum prædicamentaliū. Cum enim hæc formaliter pro ut sic sint simul natura, ut infra explicabimus: inde fit, ut quamvis in radicali ratione terminandi eorum possit includi ratio causæ, effectus, obiecti, aut alia huiusmodi: tamen horum nihil per se petitur ad formalem terminationem talium relationum. Quæ proinde ad hoc præcisè consistit, quòd terminet eas, & correferatur illis: & consequenter sit purus terminus respectu earum. Quod tamen dici non potest de relatiuis transcendentalibus quæ neque sunt simul natura, neque propriè relativa, sed quid absolutum dicēs ordinem ad aliquod extrinsecum, à quo sumunt suam totam essentiam. Ac proinde formaliter terminantur ad illud sub aliqua speciali ratione causæ vel effectus subiecti, vel obiecti, &c. Ut patet in scientia, quæ per se, & formaliter terminatur ad obiectum ut obiectum; & causa ad effectum ut effectum, & sic de aliis,

## Q V Æ S T I O IV.

*Quos sint fundamenta relationis.*

Cognitā essentiā huius prædicamenti, species eius utcumque investigare oportet; licet res sit purè Metaphysica, ubi Aristot. illas investigat. Cum autem relatio suam entitatem accipiat à fundamento: seu ratione fundandi; inde etiam magnā ex parte sumit suam specificationem, ut infra videbimus: & idè quot fuerint genera fundamentorum, tot erunt genera subalterna relationis. Propter quod in præsentī huiusmodi fundamenta investigamus.

Dicendum est ergo tria esse genera fundamentorum, seu rationum fundandi, scilicet unitatem & numerum: actionem, & passionem: mensuram, & mensurabile: quæ paulò inferiùs exponuntur. Sic docet expressè Aristot. 5. Metaph. capite decimoquinto; eius sententiam recipiunt D. Thom. ibidem lectione decimasextima; & alij omnes Metaphysici, nec non Dialectici.

Probatum ratione D. Thomæ: quia relatio realis est ordo realis unius ad aliud: ergo tot modis dicitur relatio, quot modis contigerit unam rem à parte rei ad aliam ordinari. Sed hoc contingit tripliciter: ergo tot erunt genera relatiuorum & fundamentorum.

Probatum in minor, quia una res potest ordinari ad aliam, vel secundum esse; propterea scilicet esse unius dependet ab alia, tanquam à mensura suæ perfectionis: & sic est tertium genus mensuræ, & mensurabilis. Vel una res dependet ab alia secundum virtutem actionem aut passionem; in quantum una res ab alia recipit, aut alteri confert aliquid: & sic est secundum genus actionis & passionis. Vel una res dependet ab altera, secundum quod quantitas unius potest mensurari cum altera: & sic est primum genus, nempe unitas & numerus. Non autem inveniuntur relationes, quæ ad hæc tria genera non reducuntur, ut ex dicendis constabit: ergo sufficiens est dicta divisio.

28 Si autem inquiras: quare qualitas non fundat peculiare genus relationis? Respondet D. Thomas qualitatem, secundum quod qualitas est, tantum ordinari ad subiectum, cui inhæret; ad aliud verò non ordinari, nisi vel secundum rationem potentia actionis vel passionis; sive ut est principium actionis & passionis, quomodo pertinet ad secundum genus; vel secundum quod induit rationem quantitatis, quatenus scilicet dicitur una, vel plures; quomodo pertinet ad primum genus. Atque ita divisio remanet sufficiens, videatur Sanchez lib. 5. Log. quæst. 13; ubi hanc D. Thom. rationem latè explicat, & ab impugnationibus defendit.

Difficilius est explicare unumquodque ex his fundamentis, & quæ relationes ad illud pertineant: Circa quod non potest Logicus, nec debet omnia examinare: præsertim cum Aristot. in hoc cap. nec verbum faciat de his fundamentis, Videri tamen potest Divus Thom. loco citato, ubi label. Soncin. & alij Metaphysici, & prima parte quæstionis decimasextiæ, articulo tertio, quæst. 28. articulo quarto, ubi Caietan. Bañes, Nazar. & alij Theologi pertrahunt hanc materiam; cuius nos aliqua breviter attingemus.

## De primo fundamento relationum.

## §. I.

29. **A** Nec omnia circa primam partem istius fundamenti se offert dubitatio: de qua vnitate loquatur Arist. Nam omnia eius verba, & exempla, imò & expositio D. Thom. vnitatem quantitativam reddent: siquidem ibi afferuntur proportionis omnes, quas considerat Arithmetica.

Nihilominus communis consensus Interpretum, & & discipuli D. Thom. cum Angelico Magist. q. 7. de Potentia artic. 9. & in 3. dist. 5. q. 1. art. 1. quæstioncul. 1. extendunt hoc fundamentum ad alia prædicamenta, in quantum induunt modum quantitatis, seu secundum quod in eis attenditur vnitas, vel multitudo; ad quod sufficit vnitas transcendentalis eorum. De quo videri possunt Caiet. q. 28. citata, Naz. quæst. 13. Arauxo 5. Metaph. quæst. 5. articul. 9. & alij. Quo sensu dixit Aristotel. vbi supra: *Eadem namque sunt, quorum una est substantia: similia verò, quorum qualitas est una: equalia verò, quorum quantitas est una.* Vnde sumptum est commune proloquium: *Vnum in substantia facit idem; in quantitate æquale; in qualitate verò simile.*

Quod etiam dicendum esset in alijs prædicamentis si haberemus peculiaria nomina exprimentia proprium modum relationis vniuscuiusque. Vt si dicamus (licet improprie) quod vnum in vbi facit præsens: in *fin* verò propinquum.

30. Hinc fit, sub isto primo genere contineri relationes omnes identitatis, & diuersitatis; æqualitatis, & inæqualitatis; similitudinis, & dissimilitudinis; præsentia, & absentia; propinquitatis, & distantia; & si quæ sunt alie huius generis. Ex quibus identitas, æqualitas, similitudo, præsentia, & propinquas fundantur in vnitatem, absolute sumpta, & non formaliter, vt est principium numeri: quia in huiusmodi reatiuis attenditur ordo, secundum id in quo extrema conueniunt. Vnde ibi formaliter loquendo, non attenditur numerus, vt patet in Petro & Paulo, qui fundant relationem identitatis in natura humana formaliter secundum quod sunt vnum, seu vt habent principium conueniendi; non verò secundum quod causant numerum, seu vt sunt principia differendi.

Alie verò relationes, scilicet diuersitas, inæqualitas, dissimilitudo, absentia, distantia, & similes fundantur in vnitatem; non absolute sumpta, sed vt est principium numeri: quia in huiusmodi reatiuis potius attenditur id, in quo differunt, & sunt plura; propter quod dici posset cum aliquibus Doctores huiusmodi relationem fundari in numero, qui est secunda pars huius primi fundamenti. Sed melius dicitur fundari in vnitatem, vt est principium numeri: quia in his relationibus non inuenitur numerus ex parte alicuius extremi; quod saltem necessarium erat, vt ratio fundandi esset numerus: sicut cernitur in proportionibus numerorum, & amplius constabit ex dicendis. Restat ergo has omnes relationes enumeratas fundari in vnitatem, quæ est. 1. pars huius fundamenti: & per consequens, si alie conditiones requisitæ ad sint, verè esse relationes prædicamentales etiam quando ratio fundandi est vnitas transcendentalis; vt explicatum est.

31. Vtrum autem vnitas transcendentalis ipsius relationis possit etiam fundare relationem prædicamentalem; sicut fundat vnitas transcendentalis substantia aut qualitaris, res est controuersa inter Doctores, dum inquirunt: an vna relatio possit fundari in alia. In quo partem affirmatiuam defendunt Scotus,

& alij eius discipuli. Quorum fundamenta adducit, & soluit noster Didacus à Iesu hic disp. 4. quæst. 1. vbi optimè explicat, & probat partem negatiuam, quando docent communiter Doctores. Estque expressa sententia D. Thom. 1. parte quæst. 42. artic. 1. ad 4. asserentis: *Neque iterum una relatio referatur ad aliam, per aliquam aliam relationem.* Cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem & filiationem: quia utroque modo multiplicaretur in infinitum. Et qn. 35. artic. 3. ad 2. *Relationes, cum hoc ipsum quod sunt, ad aliquid dicantur, non referantur per aliquas alias relationes; sed per seipsas.*

Quibus verbis continetur ratio à priori huius sententia, quam explicatiùs tradit ipse sanctus quæst. 7. de Potentia, artic. 9. ad 2. quia nimirum relatio essentialiter est relatio: ergo se ipsa refertur, & non media alia ratione; sicut quia actio essentialiter est actio, se ipsa fit, & non media alia actione distincta. Alias rationes adducit noster Didacus. Videatur ibi.

32. Circa secundam partem huius fundamenti, dicendum est illas relationes proprie fundari in numero, quæ ex parte alicuius extremi habent aliquem numerum pro ratione fundandi, cuiusmodi sunt proportionibus omnes, tam numeri ad numerum, quàm numeri ad vnitatem. Quod docuit expressè Arist. vbi supra dicens: *Dicuntur autem secundum numerum, aut simpliciter, aut determinatè, ad eos, aut ad vnum, ut duplum ad dimidium, &c.* Vbi prosequitur proportionibus omnes numerorum. De quo videri potest D. Thomas ibidem lectione 17.

Ratio autem est clara: quia relatio non dicitur fundari in numero, ex eo quod fundamentum & terminus sint multa, & faciant numerum; sic enim omnis relatio realis fundatur in illo; siquidem exigit extrema realiter distincta: neque similiter dicitur fundari in numero: quia ponat disconuenientiam, seu differentiam inter illa: hoc enim faciunt etiam relationes, quæ fundantur in actione & passione. Et idè dicitur fundari in numero: quia ipse numerus est extremum, quod refertur media tali relatione.

33. Ex quo collige, (& benè notat quia neminem vidimus hoc aduertentem) quod quamvis vnitas transcendentalis vnius substantia, aut albedinis sufficiens sit ad fundandam relationem prædicamentalem respectu alterius substantia, vel albedinis; sicut vnitas prædicamentalis vnius quantitatis sufficiens est ad fundandam relationem prædicamentalem respectu alterius quantitatis; tamen numerus transcendentalis, siue substantiarum, siue quantitatum, siue quarumcumque aliarum rerum non est sufficiens ratio fundandi relationem prædicamentalem; sicut est sufficiens numerus prædicamentalis.

Ratio autem disparitatis est: quia vnitas transcendentalis cuiuscumque entis est ens per se; sicut ipsam ens, cuius est vnitas. Similiter numerus prædicamentalis est per se vnum, & vera species quantitatis; at verò numerus transcendentalis, est ens per accidens, vt vidimus disputatione præced. num. 73. & idè iste non potest fundare veram relationem, benè autem illa. Ex quo tandem fit proportionem duplam, quam concipimus inter numerum quaternarium, & binarium Angelorum; aut inter binarium, & vnum Angelum non esse veram relationem: & idè est de alijs numeris transcendentalibus; & per consequens illas tantum proportionibus esse relationes reales huius prædicamenti, quæ inueniuntur inter numeros quantitativos, seu prædicamentales.

*De secundo fundamento relationum.*

5. II.

34. **C**irca istud genus relationum non conuenit inter omnes, quid propriè habeat rationem fundamenti, seu rationis fundandi. An scilicet potentia actiua & passiuæ: an verò actio & passio, an potius substantia ipsa quæ est principium radicale actionis & passionis. Verbi gratia, in relatione paternitatis difficultas est, quid propriè sit ratio fundandi illam: an potentia generatiua patris, an generatio ipsa, an verò neutrum horum, sed ipsa substantia patris.

Scotus 5. Metaph. cap. 15. in 4. dist. 6. quæstione 10. affirmant potentiam generatiuam propriè esse rationem fundandi paternitatem; generationem verò tantum esse conditionem, sine quâ non. Quod etiam docet Arauxo ubi supra.

¶ Et potest suaderi: quia ratio fundandi tandiù permanere debet, quandiù manet relatio, cuius est ratio fundandi: sed generatio transit manente paternitate: ergo non potest esse ratio fundandi illam.

Restat ergo, quod sit potentia generatiua; siquidem hæc permanet, & est id, ratione cuius conuenit substantiæ hominis esse patrem.

35. Suarez verò disp. 27. sect. 12. n. 5. existimat ipsam substantiam, quæ est radicale principium generationis, esse rationem fundandi, seu fundamentum proximum, ut ipse ait; non verò potentiam generatiuam, aut generationem. ¶ Quod etiam potest suaderi. Primò, quia relatio paternitatis potest manere, cum absque generatione, tum etiam absque potentia generatiua: ergo neutrum est ratio fundandi. Antecedens circa generationem constat ex ratione præcedenti. Circa potentiam verò generatiuam probatur: quia dato casu, quod à Petro habente filium auferatur potentia generatiua; non ideo auferretur relatio paternitatis, ut patet: ergo hæc potest esse absque illa.

Secundò, quia relatio filiationis immediatè afficit ipsam substantiam, seu suppositum: ergo idem dicendum est de paternitate; & per consequens substantia ipsa erit ratio fundandi, seu fundamentum proximum vtriusque. Consequentia patet. Antecedens verò tractatur à Theologis in materia de Incarnatione, & pro nunc probatur ex Diuo Thoma. 3. p. q. 35. artic. 5. ubi negat in Christo Domino esse duas filiationes: quia suppositum diuinum est, & incapax recipiendi aliquod accidens. Quæ ratio nulla esset, si relatio filiationis non afficeret immediatè ipsum, suppositum, siquidem accidentia, quo immediatè inhaerent, vel naturæ humanæ, vel potentiis eius, aut quantitati, non repugnat esse de nouo in Christo, ut patet de risibilibus, scientia, colore, & aliis huiusmodi.

36. Tandem, Soto hic exponens tex. 3. & 5. Physic. q. 2. art. 2. Caietanus 3. par. q. 35. art. 5. Iabel. 5. Metaph. q. 21. Sanch. lib. 5. Logicæ quæst. 31. Gallego controu. 3. ad 3. & communiter. Thomistæ censent generationem ipsam, & non potentiam generatiuam, aut substantiam patris propriè esse rationem fundandi paternitatem. Quod videtur esse planè ad mentem Arist. & D. Tho. qui pro fundamento harum relationum assignant, non potentiam actiuam, & passiuam, aut substantiam; sed actionem & passionem, ut patet loco citato ex 5. Metaph. & 1. p. q. 28. artic. 4. ubi inquit Angel. Doct. *Secundum Philosophum in 5. Metaphysica, relatio omnis fundatur, vel supra quantitatem, ut duplum & dimidium; vel supra qualitatem & passionem, ut faciens, & factum, pater, &*

*filius, &c.* Idem repetit 4. contra Gentes cap. 24. de Potentia quæst. 8. artic. 1. in 3. dist. 8. quæst. 1. art. 5. & Opusc. 48. cap. 4. expressè dicit: quod *Fundamentum paternitatis, est actio scilicet generatio, qua quis genuit filium, & fundamentum filiationis est passio, scilicet generatio passiuæ.*

37. Certè si naturam harum relationum attendamus, omnia clara fient. Et in primis recolendum est id, quod disp. 12. num. 43. dicimus, scilicet vnum accidens non esse subiectum, quod alterius sed tantum ut quo, modo ibi explicato. Quo fit, ut generaliter loquendo relatio non debeat inhaerere rationi fundandi; ita ut ipsa sit quasi immediatum, & integrum fundamentum relationis; sed ita quod sit medium, seu ratio, quare relatio inhaereat ipsi substantiæ, quæ est subiectum quod.

Deindè, si specialiter consideremus relationes huius secundi generis, inueniemus non debere ipsas inhaerere rationibus fundandi; in quo planè differt genus istud ab aliis duobus. Etenim in primo aut tertio rationes fundandi sunt formæ perfectæ, nullum includentes motum aut transitum; & ita permanentes, & quasi in facto esse constituunt fundamentum, & sunt rationes recipiendi relationes. At verò in hoc secundo genere rationes fundandi secum afferunt aliquem motum aut transitum; siquidem requirunt actionem causæ efficientis. Quare cum à causa efficiendi, quando est vniuoca, ut in præsentis est pater, respectu filij, solum dependeat effectus, dum sit non verò in esse, aut conseruari; inde est rationes fundandi istarum relationum non debere permanentes, & quasi in facto esse constituere fundamentum, seu esse rationes recipiendi illas, sed tantum in fieri.

38. Cuius doctrinæ signum optimum est, & est secundum discrimen, quod licet ad hoc, ut inter duo alba sit relatio similitudinis, vel ad hoc, quod inter scientiam & obiectum sit relatio mensuræ, necessaria fuerit productio extremorum: (si enim aliquando facta non fuissent, non existerent in rerum natura, & consequenter neque realiter referrentur;) tamen talis productio non petitur per se, & intrinsecè à relationibus similitudinis & mensuræ.

Nam si per impossibile illa alba, aut scientia, & obiectum existerent absque productione, esset ibi similitudo, aut mensurabilitas eiusdem rationis, ac modo est. At verò paternitati, & aliis relationibus huius secundi generis ita per se, & extrinsecè annexa est productio & transitus, seu facere, & fieri; ut quantumcumque ponantur duo homines cum potentia actiua, & passiuæ, vel cum alia quamuis forma permanenti, si tamen ab eis præscindamus actionem, & passionem, seu generare, & generari: non potest ibi intelligi paternitas, aut filio. Et è contrà, si præscindamus alia omnia ab istis hominibus, etiam ipsam potentiam actiuam, & passiuam; si tamen intelligimus actionem generandi, & passionem seu generare, & generari, statim intelligimus paternitatem, & filiationem.

39. Ex quibus iam duo licet inferre. Primum est, in relationibus huius secundi generis rationem fundandi solum esse necessariam in fieri, seu in primo produci relationis, & ita manere posse non existentem ratione fundandi. Quod non contingit in aliis duobus generibus: quia ibi ratio fundandi est necessario in facto esse, seu in conseruari relationis: & sic illa ablata auferretur relatio, ut patet in similitudine, quæ tollitur statim ac auferretur albedo ab aliquo extremo.

Secundum est, in duobus aliis generibus relationum productionem cuiuscumque extremi non posse esse rationem fundandi, sed tantum condicio-

acm



nem sine qua non: ut patet in relatione similitudinis, in qua productio albedinis non est ratio fundandi; sed ipsa albedo.

At verò in hoc secundo genere ipsa productio, seu generatio, verè est ratio fundandi relationem, & non conditio; ac proinde aliis præferenda est tertia sententia. Quæ est procul dubio Arist. nam postquam assignavit actionem & passionem, pro ratione fundandi, subdit. *Sic enim pater filij pater dicitur: hoc enim fecit; ac illud passum quid est.* Per quod patet ad argumenta adducta pro prima & secunda sententia.

46. Vbi tandem observandum est, hucusque dicta intelligi de relationibus huius secundi generis, quæ necessariò supponunt actionem causæ, & ad illam consequuntur; ut sunt paternitas, filiatio & similes. Solent autem præter has assignari ex Arist. lib. 5. citato *Metaphysicæ* alie relationes huius generis, quibus causæ efficientes, quando sunt constitutæ in actu primo, antequam operentur in actu secundo, referuntur ad passum, ut est etiam in actu primo ad recipiendum, antequam recipiat in actu secundo.

De quo videri potest D. Thom. ibid. lectione 17. Et tales relationes non requirunt actionem & passionem, neque ut rationes fundandi, neque ut conditiones; sed verè fundantur in potentia activa & passiva; ut per se patet. Quæ omnia docuit Arist. ibidem dicens: *Activa verò & passiva secundum potentiam activam & passivam sunt, & actionis potentiam, ut calefactum, ad calefactibile: quia potest & iterum calefactum ad calefactum, & secans ad sectum tanquam agentia, &c.*

Ex quo patet ad hoc genus pertinere relationes omnes, quæ inter quolibet causam efficientem creatam & effectum eius inveniuntur. Diuiditur autem secundum divisionem actionis, & passionis, & potentie activæ, & passivæ; & sic alia est relatio causæ vniocæ, alia causæ æquiuocæ; alia causæ immanentis, & alia transeuntis, &c. De quo infra redibit sermo.

### De tertio fundamento relationum.

#### §. III.

41. Circa istud fundamentum solum se offert notandum id, quod docent Aristot. loco citato & D. Tho. ibidem, & prima parte q. 13. artic. 7. & concorditer Doctores: scilicet relationes huius tertij generis, ex parte vnius extremi tantum esse reales; nempe, ex parte mensurabilis ad mensuram, ut patet in scientia, & scibilis sensu, & sensibili: & similibus.

Nam scientia & sensus, realiter referuntur ad sua obiecta: obiecta tamen non habent relationem realem ad scientiam & sensum. Cuius rationem reddit D. Thom. le. 7. citata: quia ex parte mensuræ non datur aliqua ratio realis, quæ possit fundare relationem; non enim scibile dicitur relatiue propter aliquid ex parte eius; sed solum propter actionem alterius scilicet scientiæ: quæ cum sit immanens, non ponit aliquid reale in ipso obiecto; sicut ponit in scientia. Ergo licet relatio, qua scientia refertur ad obiectum, sit realis, non tamen è contra. Propter quod inquit rectè Arist. scibile, aut sensibile non dici relatiue, quia ipsa referantur ad alia; sed quia alia referuntur ad ipsa.

Quod si rationem vniuersalem assignare velimus, quæ comprehendat omnia relatiua huius tertij generis: sumenda est ex ipsa ratione fundandi eius. Quæ cum sit intima cuiuscumque rei perfectio, secundum quod est mensurabilis ab alia perfectiori, quæ respectu eius habet rationem regulæ, & mensuræ extrin-

secæ, inde fit ut in re mensurata sit vera & realis dependentia; saltem in genere causæ quasi exemplaris: & per consequens vera & realis relatio.

At verò in eo, quod est regula & mensura perfectionis alterius, propterea sic nulla est dependentia; & per consequens neque realis relatio respectu eius. Ex propterea, ut benè notauit D. Thom. quæst. 13. citata, semper relationes istæ inveniuntur inter res diuersi ordinis, id est, quarum vna dependet ab alia, non tamen è contra.

42. Ex quo fit ad hoc genus pertinere relationes, quibus creaturæ referuntur ad Deum, & relationes quibus scientiæ, habitus, vel potentiæ respiciunt sua obiecta; & generaliter huiusmodi relationibus referuntur omnes species cuiuscumque generis, ad primam & perfectissimam speciem talis generis, quæ est regula & mensura perfectionis illarum: iuxta illud axioma: Primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum.

Vbi tandem observandum est pro hoc, & præcedentibus generibus relationum, quod quando dicimus has, vel illas esse reales, intelligendum est dummodò non deficiat eis aliqua ex conditionibus requisitis ad relationem realem.

Propterea enim, licet Logica mensuretur à suo subiecto; non tamen dicitur relationem realem ad illud, ut vidimus disp. 1. n. 24. & in casu quo prima species aliquis generis omnino corrumperetur, non maneret in aliis speciebus relatio realis mensurabilis ad illam, & sic de aliis.

43. Ex dictis in hac qui infertur manifestè plures relationes prædicamentales fundari immediatè in substantia: & hoc non solum ex relationibus huius, & secundi generis; sed etiam ex iis, quæ fundantur in primo. Quæ sententia est communis inter Dialecticos, eamque docet D. Tho. de Potentia, q. 6. art. 9. ad 4. & Quodlibet. 7. art. 10. ad 4. constatque discurrendo per singula fundamenta.

Nam in primis in hoc tertio, relationes illæ, quas Angeli, aut animalia dicunt ad primum Angelum, & animal, tanquam ad mensuram suæ perfectionis essentialis, satis constat fundari in ipsa substantia eorum. Similiter in secundo genere, omnes relationes causæ, vel effectus vniocæ, quæ tantum requirunt actionem & passionem in fieri, ut paternitas, filiatio, & similes etiam fundantur immediatè in substantia, seu supposito iuxta suprà dicta. Quod saltem de iis, quæ correspondent ex parte effectus, qualis est filiatio, negari non potest; siquidem tales effectus immediatè per suam substantiam, absque aliqua superaddita potentia passiva de genere accidentium, terminant generationem substantialem, & per consequens immediatè per suam substantiam fundant relationem ad suas causas efficientes. Tandem in primo genere relationis, quæ fundantur in vniute transcendentali vnius substantiæ respectu alterius, ut identitas, quæ est inter substantiam Petri, & Pauli; & distinctio qua vtraque, distinguitur à substantia equi, immediatè fundatur in substantia, ut per se patet. Nec in hoc est amplius immorandum.

### Q V Æ S T I O V.

#### Primum Relatio distinguatur realiter à suo fundamento.

44. Cognitis fundamentis, examinandum est: quomodò relationes distinguantur ab illis: an scilicet per operationem intellectus tantum: an verò

verò à parte rei. Et procedit difficultas de solis relationibus prædicamentibus. In qua licet plures sunt sententiæ: duæ tamen sunt præcipuæ.

Prima asserit nullam relationem à parte rei distinguì actualiter à fundamento; sed tantùm per operationem intellectus. Pro hac sententia citantur Ocham, Maior, Marfilus, & alij Nominales. Eamque defendunt Suarez disp. 47. Metaphysic. sect. 2. Oñia hîc quæst. 1. art. 6. Lorinus ibid. qu. 4. Conimb. q. 1. art. 4. Hurt. disp. 15. Metaph. sect. 2. & Pereyra lib. 6. Physicor. cap. 16. Quam etiam tenent aliqui Thomistæ, Sylvest. in conslato q. 28. dub. 2. Herb. in 1. distinct. 30. qu. 1. Iabel. 5. Metaph. qu. 22. Soncin. ibidem quæst. 28. Zumel. 1. p. q. 28. art. 2. qu. 6 & videtur esse sententia Sori quæst. 2. huius cap. Sed reuera solùm intendit relationem non distinguì à fundamento tanquam rem, & rem: nam in solutione ad 3. se explicat dicens, quòd licet prædicamenta non sint decem res realiter distinctæ, sicut ignis, & calor; sunt tamen decem distinctæ rationes entis, seclusa operatione intellectus, primò diversæ. In quo etiam sensu alij Thomistæ explicant Herbeum, Iabellum, & Soncin. & fortè hæc est illorum mens: nam nullibi asserunt distinguì tantùm per intellectum, sed esse rationes formaliter distinctas. Sed quidquid sit de hoc.

Probatum primò hæc sententia ex Aristot. 5. Physicorum textu 10. asserente, ad relationem non dari per se motum, quod probat: *Quia altero subeunte mutationem, alterum mutationem non subiens, verè dici potest ad aliquid*: id est, potest relatio aduenire subiecto absque mutatione eius, per solam mutationem termini. Vbi Diuus Thomas lect. 3. inquit: *Nihil aduenit mihi: de nouo, per hoc quod incipio esse alteri equalis per eius mutationem.* Quod etiam reperit 3. parte, quæst. 16. articl. 6. ad 2. & tandem opusc. 48. tractatu. 5. cap. 2. ait: *Cum dico quòd similitudo Sortis habet albedinem eius, ut fundamentum: non est intelligendum, quòd similitudo Sortis sit aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine; sed solùm est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum. Si enim similitudo adderet supra albedinem Sortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione, &c.* Ergo ex sententia Aristot. & D. Thomæ relatio non distinguitur realiter à fundamento.

45. Secundò probatur ratione, ex eisdem locis desumpta: quia relatio aduenit fundamento absque vlla mutatione reali eius: ergo non distinguitur realiter ab illo. Consequentia patet: nam forma realis non potest de nouo aduenire alicui, quin ipsum alter se habeat nunc, ac priùs, quod est mutari. Antecedens verò probatur, quia existente Petro albo, si ponatur apud Indos aliud album, statim Petrus incipit esse similis illi: sed hoc fit absque productione alicuius nouæ realitatis in Petro: ergo absque reali mutatione. Probatum minor, quia nulla darur causa talis entitatis: neque enim fundamentum, scilicet Petrus, aliquid tunc operatur, & multò minus, potest esse causa terminus, nempe illud album, quod de nouo producit; quippè cum absurdum videatur rem apud Antipodas productam aliquid reale operari in Petro hîc existente.

Confirmatur primò: quia iam terminus de nouo productus esset causa infinitarum penè entitatum; siquidem quando denuò producit aliquod album, alix res, quæ antè erant albæ, de nouo referuntur ad istam, & hæc ad illas: hoc autem videtur absurdum: ergo, &c.

Confirmatur secundò: quia aliàs daretur ad relationem per se motus contra Arist. 5. Physic. nam,

quod per se est res, & entitas realis, per se est producibilis, & potest terminare aliquam actionem, seu motum: ergo dicendum est relationem aduenire fundamento absque productione alicuius entitatis realis; & per consequens absque mutatione eius.

46. Tertiò: quia accidens reale à parte rei distinctum à subiecto, in quo est, facit cum illo compositionem realem; siquidem vniuntur per modum actus, & potentix ante omnem operationem intellectus: sed relatio adueniens fundamento non facit cum illo compositionem realem: ergo non distinguitur à parte rei ab illo. Maior, & consequentia constant. Minor autem est expressa D. Tho. q. 7. de potentia art. 8. Et probatur: quia vnum album potest productionem alterius non est magis compositum, quàm antè.

Confirmatur: quia si relatio distingueretur realiter à fundamento, posset Deus illam separare, manente fundamento, & termino: hoc autem est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Sequela videtur certa: nam fundamentum non est de essentia relationis, neque è contrà: ergo si distinguuntur realiter, poterit Deus adhuc posito termino suspendere suum concursum, ne relatio dimanet, à fundamento. Minor verò probatur: quia quantumcumque fingatur auferri entitas similitudinis à duobus albis, manentibus ipsis; ambo habent albedinem: ergo impossibile est, quod non sint similia; & per consequens per ipsas albedines, & non per aliquid superadditum sunt similia.

Quartò, quia iam relatio duplicitaris, qua numerus quaternarius hominum est duplus respectu binarij, esset entitas à parte rei distincta ab ipsa numero quaternario, supra quem fundatur: hoc autem videtur absurdum: ergo &c. Sequela patet. Minor verò probatur: quia iam vna simplex relatio esset in quatuor subiectis distinctis, quod videtur impossibile.

Confirmatur: quia saltem duplicitas, qua corpus continuum duorum cubitorum est duplum ad corpus vnius cubiti, non potest esse aliquid realiter distinctum ab ipsa quantitate continua, ergo, &c. Probatum antecedens: quia si talis duplicitas est quid distinctum, vel est tota in qualibet parte quantitatis: vel tota in tota, & pars in parte. Non primum: quia iam quælibet pars esset dupla, quod constat esse falsum. Neque etiam secundum: quia in primis partes duplicitaris non essent eiusdem rationis cum toto; aliàs sequeretur idem inconueniens, quod quælibet pars quantitatis esset dupla. Sed neque etiam possunt esse diuersæ rationis; quia quod non habet extensionem, aut diuisibilitatem ex se, sed ex quantitate, non est alio modo diuisibile quàm illa: sed quantitas non est diuisibilis, nisi in partes eiusdem rationis: ergo duplicitas, quæ non ex se, sed à quantitate habet diuisibilitatem, non potest diuidi in partes diuersæ rationis.

47. Secunda sententia affirmat omnem relationem prædicamentalem à parte rei distinguì à fundamento. Quam docet procul dubio D. Thom. vt infrà constabit, & ideo in ea conueniunt fere omnes Thomistæ, Capreolus in 1. dist. 30. quæst. 1. Deza ibidem notab. 3. Caiet. 1. parte, quæst. 28. articl. 2. Bañez ibidem dub. 2. Raphaël de Ripa, dubitatione 1. Ioannes Gonzalez disput. 20. sect. 1. num. 8. Ferrara 4. contra gentes cap. 14. Fland. 5. Metaph. quæst. 16. art. 18. Aquarius ibidem quæst. 19. Arauxo quæst. 6. art. 4. & 5. Zanardus quæst. 22. Bruxelensis in hoc cap. qu. 4. articl. 5. Soto vbi suprà. Masius sect. 1. quæst. 2. Sanchez lib. 5. quæst. 38. Noster Didacus à Iesu disput. 14. quæst. 3. & Galleg. controuers. 31. Quos sequuntur Molina 1. parte quæst. 13. art. 7. Valent. ibidem disp.

disp. 2. quæst. 2. punct. 1. & Rubio hic quæst. 14. A quibus etiam in re non dissentiunt Scotus in 3. dist. 3. qu. 1. & Duran. in 1. dist. 30. quæst. 2. ut consideranti patebit.

Quamvis autem Auctores citati vniuniformiter conveniant in constituenda distinctione actuali ante intellectum, aliquantulum tamen dissentiunt in modo distinctionis. Nam Bañez, Arauxo, Soto, & Rub. contendunt relationem, & fundamentum non distinguere realiter entitativè, seu distinctione rei à re, sed realiter formaliter, ut res & modus, seu ut duæ formalitates. Masius verò, & Aquarius dicunt distinctionem hanc esse quidem entitativam ex parte essentiae, sed non ex parte existentiae, id est, essentias ipsas relationis & fundamenti esse diversas res, non tamen habentes diversas existentias. At verò Capreol. Deza, Caietan Ripa, Ferrar. Fland. Zanar. Sanch. Galleg. & ceteri absolute affirmant distinguere realiter entitativè; sicut duas res. Quæ dissensio quamvis non sit magni ponderis, tamen etiam erit à nobis dirimenda.

*EXPENDUNTUR ALIQUA AD  
quæstionis solutionem necessaria.*

**§. I.**

**48** **D**upliciter possumus hanc quæstionem pertractare. Primò ex communibus principiis prædicamentorum: examinando scilicet: an inter genera primò diversa necessariò debeat esse distinctio actualis ante intellectum. Secundò ex propriis relationis: an scilicet dato, quòd non omnia prædicamenta distinguantur ex natura rei, adhuc ponenda sit talis distinctio inter fundamentum, & relationem. Et quia nobiliores Thomistæ ex mente sui Magistri procedunt ex utriusque principiis, ut iam videbimus: & utriusque notitia necessaria est ad plenum quæstionis solutionem: idèò utrumque breviter attingemus.

Circa primum ergo considerandum est, quòd distinctio realis positiva, de qua in præsentì loquimur, supponit necessariò unitatem transcendentalem eius rei, quæ ab alia distinguitur, proportionatam ipsi distinctioni. (Hæc ultima particula additur propter partes quantitatis, & gradus qualitatis, de quibus, qui asserunt realiter inter se distinguere; consequenter dicunt, quòd sicut talis distinctio non est completa, sed partialis; ita etiam non supponit in vnaquaque unitatem transcendentalem completam, sed partialem.) Itaque hoc certum debet esse, quòd distinctio realis duorum supponit in vnoquoque unitatem transcendentalem, per quam quodlibet realiter sit in se vnum. Vnde tunc aliqua erunt à parte rei distincta, quando à parte rei vnumquodque fuerit in se vnum: nam eo ipso erit realiter indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Est autem vnumquodque à parte rei vnum per suam entitatem, seu essentiam realem; cum unitas sit passio entis: ergo illud erit à parte rei distinctum ab alio, quòd à parte rei habuerit in se unicam essentiam. Et cum per hanc res constituatur in proprio prædicamento: planum sit ea, quæ à parte rei continentur sub diversis prædicamentis, à parte rei habere diversas unitates transcendentales; & per consequens distinguere ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus.

**49** Quo argumento utitur D. Tho. quæst. 8. de potentia art. 2. ad primum, reddens rationem, quare substantia creata non possit esse idem à parte rei

cum relatione, bene autem essentia divina: quia nimirum substantia creata (inquit) est definita ad unum genus; & per consequens excluditur ab alio genere. Quæ ratio si bona est, & sufficiens (inquit Caiet. vbi supra,) etiam probat distinctionem realem relationis à quantitate, & qualitate: cum vnaquæque sit definita ad suum genus. Cui nos addimus iuxta hanc rationem D. Thom. etiam probari, omnia prædicamenta distinguere ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus. Quam sententiam, ut Angelico Doctore conformiorem defendunt plures, & nobiliores Thomistæ Caiet. Bañez, Ferrar. Gonzal. Capreol. Fland. Zanar. Sot. & Sanch. vbi sup. & Araux. loco citat. & qu. 1. antecedenti art. 4. qui addit sic sentire omnes veros D. Thom. discipulos.

Quod denuò confirmatur ex eodem Angelico Doctore in 2. dist. 12. qu. 1. art. 1. ad 3. & qu. 7. de potentia art. 9. ad 2. Vbi affirmat prædicamenta seipsis distinguere, seu esse primò diversa: ergo inter illa concedenda est aliqua actualis distinctio ex natura rei, & ante operationem intellectus. Probatur consequentia. Primò: quia, ut rectè deducit Arauxo, quæ seipsis distinguuntur, sunt principia actualis distinctionis in aliis, seu ipsæ relationes actu differendi: ergo magis ipsa distinguuntur inter se.

Secundò ratione, quam format Gonzal. quia ea quæ habent diversas essentias, quarum vna actu non est alia, neque è contra, distinguuntur ex natura rei sine aliquo ordine ad intellectum: sed quæ pertinent ad diversa prædicamenta, sunt huiusmodi; siquidem distinguuntur, tam penes gradum genericum quàm differentialem; & per consequens differunt totaliter in natura: ergo distinguuntur ex natura rei sine ordine ad intellectum.

Tertiò: quia, ut bene argumentatur Sanch. quolibet propositio, in qua vnum prædicamentum negatur de alio, secundum se est actu immediata, & per se nota, ut constabit in lib. Posteriorum: ergo, seclusa operatione intellectus, quidditas, & essentia substantiæ actu non est quidditas, & essentia quantitatis, & sic de cæteris.

Quartò denique: quia maior separatio est in primò diversis, quàm in realiter distinctis: siquidem hæc possunt univocè convenire; illis verò nihil est commune præter nomen: sed prædicamenta sine ordine ad intellectum sunt actu primò diversa; alias non darentur à parte rei decem suprema genera entium: ergo etiam sunt actu distincta ante operationem intellectus. Videantur Araux. & Sanch. citati, qui pluribus rationibus impugnant Suarez, & alios contrarium asserentes.

**50** ¶ Veniamus ad secundum. Pro quo statuenda est certa, & indubitata regula, quæ solet communiter tradi: scilicet illa distinguere realiter, quæ possunt separari ita ut alterum, vel utrumque maneat sine alio. Quo fit, ut quando vnum realiter advenit, altero iam existente; vel petit realiter, altero remanente, sit optimum signum distinctionis realis. Quod docuit expressè Arist. 7. Physic. cap. 1. dicens: *Amplius, si potest alterum sine altero esse, non erit idem, &c.* Et probat rectè Suar. disp. 7. Metaph. sect. 2. tum quia implicat, quòd idem à se ipso realiter separaretur; aut quòd idem simul sit, & non sit: tum etiam quia quando vnum ab alio separatur, aliquid tollitur, & aliquid remanet: ergo realiter inter se distinguuntur. Vnde valde errant, (inquit bene Suar.) qui existimant relationem esse aliquid reale positivum, sine quo potest fundamentum manere in re ipsa; & tamen non distinguere à parte rei ab ipso: est enim aperta implicatio contradictionis.

Est tamen observandum, quòd licet hæc regula, prout iacet, vera sit: non tamen est adæquatam indicium

clum distinctionis realis : quia non conuertitur. Nam verum quidem est omnia , quæ realiter possunt separari, realiter distinguuntur: non tamen è contra omnia, quæ realiter distinguuntur, posse separari. Vt patet de personis diuinis, quæ licet realiter distinguantur; vna tamen non potest esse sine aliâ. Et de multis accidentibus, quæ realiter distinguuntur à subiecto, tenent plures graues Doctores , non posse ab illo separari. Ratio autem est : quia ad separationem plus videtur requiri, quàm ad distinctionem; ad illam enim vltra distinctionem necessaria est aliqua independentia vnius ab alio; quæ tamen non necessariò inuenitur inter ea, quæ distinguuntur. Vt patet in materiâ primâ, quæ licet realiter distinguatur à formâ; omnino tamen dependet ab eâ, & consequenter non potest existere sine ipsa. Quibus suppositis.

**STATVITVR VERA SENTENTIA, & quæstio resoluitur.**

**§. II.**

**§1** Dicendum est ergo omnem relationem prædicamentalem ex natura rei, & ante operationem intellectus distinguere actualiter à fundamento. Sic docent omnes Auctores secundæ sententiæ, vt vidimus. Et probatur primò ex D. Thoma primâ parte q. 28. art. 2. vbi docet relationem realiter inherere subiecto : & in solutione ad secundum inquit ; *Sicut in rebus creatis in illo quod dicitur relatiue non solum est innere respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum: ita etiam, & in Deo. Sed tamen aliter, & aliter, nam id, quod inuenitur in creatura, præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res; in Deo autem non est alia res, sed vna, & eadem. Quem locum quamuis aliqui enervare contendunt; ipsum tamen esse expressum pro nostra sententia fatentur. Canarien. & alij aduersarij. Et probant rectè Caiet. & Bañez vbi supr. Nam in prædictis verbis planè fit sermo de distinctione reali; siquidem per intellectum etiam distinguuntur in Deo absolutum, & relatio vt patet.*

Eandem doctrinam tradit S. Doct. in 1. dist. 33. q. 1. vbi etiam fatetur relationes reales rerum creaturarum facere cum eis compositionem: verba eius sunt : *Cum esse essentie diuina sit ipsa essentia, & esse paternitatis sit ipsa paternitas, relinquatur de necessitate, quod ipsa paternitas secundum rem est ipsa essentia. Unde non facit compositionem cum eâ, &c. In aliis autem rebus relationibus in creaturis existentibus est aliud esse relations, & substantia qua refertur, & idè dicuntur inesse: & secundum quod insunt, compositionem faciunt accidentis ad subiectum; quod non conuenit in diuinis relationibus. Idem expressius habet dist. 4. anteced. quæst. 1. art. 1. ad 3. dicens : *Relationes diuina non differunt ab essentia realiter, sed tantum ratione, vt dictum est. Et idè non sequitur ibi compositio, quod in aliis esse non potest: quia nulla relatio est substantia secundum rem in creaturis. Unde oportet, quod omne generatum sit compositum, &c. Videatur etiam lib. 2. contra gentes, cap. 14. Ergo ex sententia Diu. Thom. relatio prædicamentalis creata, distinguitur ex natura rei à fundamento.**

**§2.** Secundò probatur ratione generali, qua vruntur, Caiet. Bañez, Gonzal. Arauxo, Zanar. & alij Thomistæ citati : quia quæcumque pertinent ad diuersa prædicamenta, distinguuntur actualiter ante operationem intellectus: sed relatio, & fundamentum pertinent ad diuersa prædicamenta : ergo distinguuntur actualiter, ante operationem intellectus. Minor, & consequentia constant. Maior verò sa-  
*Colleg. Compl. Logica.*

tis probata est §. præced. & sumitur ex Arist. §. Metaphysic. text. 14 vbi ens extra animam inquit diuidi in decem prædicamenta per diuersos modos, non solum prædicandi; sed etiam essendi, vt ibi explicat D. Thom. Et lib. 10. text. 8. docet nomine entis realis non significari immediatè aliquid vnum; sed ipsa plura, & suprema genera, quæ omnia, & his similia, quæ passim docet Arist. consistere non possunt absque aliqua distinctione actuali ex natura rei inter prædicamenta : si enim à parte rei dantur decem suprema genera, nomine entis immediatè significata: ergo à parte rei vnum non est aliud: quomodo enim intelligi potest à parte rei numerus inter ea, quæ realiter sunt idem?

**§3** Tertiò probatur specialiter ex regula supra statuta : quia relatio aduenit realiter, fundamento existente & perit realiter ipso remanente: ergo distinguitur realiter ab illo. Consequentia patet. Antecedens verò probatur, quia Petrus ante generationem non est pater, & post illam est verè & realiter pater: similiter pereunte filio definit esse pater, manente eodem petro. Et idem argumentum potest fieri de similitudine respectu albedinis: ergo relatio aduenit realiter, fundamento iam existente, & corrumpitur realiter, ipso remanente.

Respondent contrarij, quod non aduenit, aut perit realitas relationis, sed formalitas eius: vel vt inquit Suar. quod relatio numquam separatur à fundamento secundum aliquid reale, sed solum destructo termino, cessat relatiua denominatio.

Hæc tamen solutio solum in verbis consistit; & facile impugnatur: quia illa formalitas, seu denominatio, quæ aduenit, aut perit, vel est quid rationis, vel aliquid reale; Si quid rationis: ergo non aduenit, aut perit aliquid, quod pertineat ad essentiam relationis prædicamentalis, siquidem nullum ens rationis potest esse de essentia alicuius entis realis; ac proindè Petrus ante generationem habebit totam essentiam relationis paternitatis, dabiturque relatio prædicamentalis sine termino, quæ sunt absurda. Si autem illa formalitas, seu denominatio est quid reale in Petro: ergo iam aduenit vel perit aliquid reale; & per consequens distinguuntur.

Confirmatur primò: quia propria ratio relationis, quatenus relatio est, seu quæ constituit hoc prædicamentum in esse talis, scilicet esse ad, non potest consistere, neque intelligi absque termino; vt patet, sed talis ratio intrinsecè, & essentialiter est quid reale, vt ostendimus sup. num. 11. ergo aliquid reale perit pereunte termino, vel aduenit ipso adueniente.

Confirmatur secundò: quia illa relatiua denominatio, quæ dicitur incipere vel cessare posito, aut ablato termino, vel est extrinseca, vel intrinseca. Non primum: quia iam non posset constituere speciale prædicamentum; vt ostendimus infra disp. 16. ergo secundum: & per consequens verè incipit, aut cessat aliqua forma realis, à qua cauetur talis denominatio relatiua.

**§4** Quartò: quia per aduentum relationis prædicamentalis realiter, & intrinsecè mutatur fundamentum: ergo realiter inter se distinguuntur. Consequentia patet. Antecedens verò probatur. Tùm quia aliàs posset poni in Deo relationes reales ex tempore, respectu creaturarum saluâ immutabilitate diuina: quas tamen communiter negant Theologi; nulla alia ratione, nisi quia iam Deus mutaretur per receptionem alicuius accidentis realis. Tùm etiam quia intelligibile est aliquam realitatem aduenire de nouo alicui, & quod ipsum non mutetur; si quidem mutari est aliter se habere: sed relatio, & formale eius est aliqua realitas, vt supponimus; ergo adue-

X nient

nienter ipsa realiter mutatur fundamentum.

Confirmatur primò, quia relatio prædicamentalis facit compositionem realem cum fundamento: ergo ipsum realiter, & intrinsecè mutatur per receptionem illius. Consequentia patet. Antecedens verò est expressum D. Thomæ locis in concl. adductis. Et probatur: quia relatio est verum accidens reale: ergo comparatur ut forma realis subiecto, cui inest: sed quæ comparantur inter se ut actus, & potentia realis, faciunt compositionem realem: ergo, &c. ¶ Confirmatur secundò: quia potest augeri entitas, quæ est albedo, non aucta similitudine: ergo distinguuntur ex natura rei. Consequentia videtur, evidens: nam impossibile est eandem rem aliter augeri, & non augeri. Antecedens verò constabit infra quæst. octava.

§ 3 Tandem singulariter de relationibus, quæ immediate fundantur in substantia, probatur conclusio: quia impossibile est idem à parte rei simul esse substantiam, & accidens reale: sed relatio est accidens reale: ergo impossibile est idem à parte rei simul esse substantiam, & relationem. Probatur maior: quia omnino repugnat idem realiter esse per se, & in alio: si enim à parte rei est in alio: ergo ante omnem intellectum datur unum, & aliud.

Confirmatur primò, quia esse per se, & esse in alio, sunt modi reales oppositi, quorum unus trahit negationem alterius: ergo eo modo, quo substantia est ens per se, eo modo non est in alio, & eo modo quo relatio est in alio, eo modo non est per se, sed substantia realiter est ens per se, & relatio realiter est ens in alio: ergo neque substantia realiter est in alio, neque relatio realiter est per se; & per consequens realiter distinguuntur: ¶ Confirmatur secundò: quia relatum, & absolutum opponuntur contradictoriè: ergo idem à parte rei non potest simul esse absolutum, & relatum. Maneat ergo omnem relationem prædicamentalem distingui ex natura rei à suo fundamento.

§ 6 Dicendum est secundò, distinctionem relationis à fundamento in rigore loquendo non esse modalem, neque solum entitativam ex parte essentiae; sed verè distingui ut duas res habentes diuersas existencias. Hæc conclusio est frequentior inter Thomistas, ut nu. 47. vidimus. Quam planè docet D. Thom. tum lib. 1. sentent. dist. 2. qu. 1. art. 3. ad 2. ubi expressè affirmat, quod res comprehendit sub se absoluta, & relationes; tum etiam locis pro prima conclusione adductis, dum inquit, quod fundamentum, & relatio sunt, alia, & alia res, quod Aliud esse relationis, & substantiae, qua refertur, ubi per ly esse intelligit existenciam, ut patet ex prioribus verbis: Cum esse divina essentia sit ipsa essentia, &c. Quo etiam sensu eodem lib. 1. sentent. dist. 20. qu. 1. art. 1. art. 1. Relatio, qua habet esse in creatura, habet aliud esse, quàm sit esse sui subiecti. Unde est aliquid aliud à suo subiecto. Et dist. 21. qu. 1. art. 2. Increatis per paternitatem additur nouum esse, quod est esse accidentale & non idem, quod est subiecti, &c. Quod tandem latè explicat, & probat lib. 4. contra gentes c. 14. ergo ex sententia D. Thom. relatio in rigore loquendo non est purus modus, sed res, & entitas habens propriam existenciam.

Id etiam conuincunt ferè omnes rationes adductæ pro prima concl. ut consideranti patebit. Et demò probatur: quia nomen rei propriè sumptum, ut dicitur à ratus, rata, ratum, significat quod habet quidditatem, siue essentiam, sicut ens dicitur, quod habet existenciam, ut ex Auic. docet Angelicus Doctor. in 2. dist. 37. qu. 1. a. 1. Ergo id, quod verè habet essentiam, & existenciam, propriè est res, & ens. Sed talis est relatio prædicamentalis, cum sit acci-

dens completum constituens, speciale genus entis: ergo propriè est res, & ens.

§ 7 Appellatur tamen sæpè ab auctoribus modus, & distinctio eius modalis; sicut etiam contingit in ultimis prædicamentis: quia cum solæ substantiæ simpliciter & absolute loquendo, sint entia, & res. solum inter illas simpliciter inuenitur distinctio rei à re quam tantò magis participant accidentia, quantò plus habent de entitate, & magis appropinquant substantiæ. Et ideo distinctio inter quantitates, & qualitates semper appellatur rei à re: in aliis verò prædicamentis interdum appellatur modalis, seu Metaphysica; ut explicetur eorum terminus, & imperfectio. De quo redibit sermo infra disp. 16. Per quod etiam possunt conciliari oppositæ sententiæ: semel enim concessio quoddam relatio est speciale prædicamentum accidentis, habens propriam existenciam, sicut alia; contendere, an sit dicenda res aut modus, est pura quæstio de nomine, ut consideranti patebit.

### ARGUMENTIS SUPRA FACTIS respondetur.

#### §. III.

68. AD primum ex Aristot. & D. Thomæ fatemur ad relationem non dari per se motum: quia non producit per aliquam actionem ad ipsam per se terminatam; producit tamen per accidens ad productionem alterius, vel per naturalem resultantiam: & ita ad illam datur per accidens motus. Quod docet expressè sanctus Doctor. in 1. dist. 9 in 2. part. expositionis literæ ad primum: & innuit satis apertè Arist. addens ly per se, quæ est particula limitans: nam exceptio firmat regulam in contrarium, ut habetur lege. Nam quid liquide, ff. de penn. legata; & cap. 2. de coniugio leproso. Id autem quod addunt Arist. & D. Thom. scilicet relationem aduenire absque mutatione subiecti, intelligitur de mutatione absoluta; non verò de relatum. Sic respondet Bañez 1. p. q. 13. art. 7. dub. 1.

Vel secundò resp. cum Ferr. ubi sup. mutationem esse duplicem: aliam propriè, & strictè sumptam, quæ solet appellari Physica, quia scilicet per se producit aliquid, ut contingit in mutatione substantiali, augmentatione, alteratione & motu locali; aliam verò largè & communiter dictam, quæ solet appellari Metaphysica, qua scilicet aliquid producit per simplicem emanationem. Arist. ergo, & D. Thom. loquuntur de prima, non de secunda. Per quod patet ad locum citatum tertie partis.

Ad alium verò ex opusc. 48. dici potest solum vel le D. Thomam similitudinem Sortis non esse aliam rem productam per actionem per se terminatam ad ipsam. ¶ Vel secundò resp. cum Sanchez & Rub. ubi sup. Angelicum Doctor. mutasse sententiam, cuius ultima voluntas continetur in partibus. ¶ Vel tandem & melius resp. dictum opus. non esse D. Thomæ; sicut neque quædam alia, quorum meminimus disp. præcedenti num. 19. Quam solutionem præter Auctores ibi citatos approbant circa hoc propositum Ripa, Mas. Galleg. & alij Thomistæ moderni. Ex antiquis verò neque Capreol. Caiet. Ferrar. aut alij, qui nostram sententiam defendunt: neque Label. aut Sonci. qui contrarium contendunt, vultur hoc opusculo, nulla alia ratione, nisi quia apud illos legitimum non habebatur. Soro etiam, qui primus in hac quæst. usus est prædicto testimonio, loquitur dubitanter, & sub conditione si sit D. Thomæ. Restat



Restat ergo dictum opus. ab antiquis etiam temporibus inter illegitima computari; ac proinde non esse cur auctoritate eius premamur; maxime cum contrarium habeamus i. arte, & aliis locis adductis. Videatur Galleg. vbi supra.

59 Ad secundum negatur antecedens. Ad cuius probationem negatur etiam maior: nam revera posito termino resultat in fundamento nova entitas realis. Ad id verò quod contra hoc affertur respondetur, quòd licet non detur causa produciens talem relationem per actionem per se terminatam ad ipsam; datur tamen causa realis, à qua resultat per simplicem emanationem; vt à simili de passionibus animæ docet D. Thom. i. p. q. 77. art. 7. Talis autem causa non est terminus, sed ipsum fundamentum: à quo non à principio pullulavit relatio; quia positio termini est conditio sine qua non. Cuius optimum exemplum est id, quod aliqui Theologi dicunt, scilicet, quòd si Verbum divinum dimitteret naturam humanam, pullularet ab illa propria subsistentia, quæ tamen modo non pullulat: quia impedita est.

Ad primam confirmationem respondetur, in vno subiecto non posse esse plures relationes eiusdem speciei, vt infra dicemus. Vnde ex positione vnius albi, non resultant in aliis albis plures relationes similitudinis, sed per relationem, quæ in vnoquoque erat, modo referuntur ad illud, quod de nouo ponitur; vt ibidem explicabimus. Esto autem, hoc esset falsum: nullum esset inconueniens ex positione vnius albi resultare tot relationes. Non enim repugnat vnæ conditionem sine qua non deferre pluribus causis, vt in exemplo adducto, si Verbum diuinum esset vnitum mille naturis humanis, & simul dimitteret illas: ex vnica dimissione resultarent mille subsistentiæ in illis naturis.

Ad secundam confirmationem constat ex solutione ad primum. Non enim omne, quod per se est res, & entitas realis, est per se producibile; sed quædam sunt, quæ ex natura sua petunt: primò productionem alterius, & hæc non possunt per se primò actionem terminare; vt patet in potentia intellectiva, & aliis propriis passionibus, quæ licet ex se sint entia realia: quia tamen essentialiter exposcunt productionem suæ essentia, idè per se primò non producantur, sed comproducantur, vel dimanant à tali essentia. Et huiusmodi est relatio, quæ essentialiter petit suum fundamentum productum, à quo posito termino naturaliter resultat, vt dictum est.

60 Ad tertium neganda est minor, vt supra num. 51. vidimus ex D. Th. Cuius probatio non vrget. Nam vt bene inquit Caiet. vbi sup. album simile esse compositius, quàm album non solum non inconuenit, imò est necessarium: quia similitudo realis est essentialiter accidens. Fallitur tamen imaginatio ex eo, quòd relationum nomina non offerunt explicite esse *in*, sed esse *ad*, & hoc est quod docet D. Thom. loco adducto in argumento, scilicet relationem secundum explicitam rationem *ad*, non efficere compositionem cum subiecto: quia prout sic consideratur ad terminum, non verò in subiecto. Hoc tamen non tollit; quominus secundum quod dicit *in*, verè componat cum illo. Videatur Angelicus Doctor. artic. sequenti ad 7.

Ad confirmationem negatur sequela: non enim inferitur posse relationem separari à fundamento, ex eo quod distinguatur ab eo, vt supra vidimus; & patet mille exemplis. Constat enim quantitatem distinguere realiter à figura: & tamen communior sententia censet etiam de potentia absoluta non posse esse quantitatem finitam absque figura. Materia etiam distinguitur realiter à forma, & actio vitalis à suo principio, & tamen iuxta certiores sententias,

Colleg. Compl. Logica.

nullo modo possunt esse sine illis. Et quidem licet in proposito, aliqui admittant posse Deum separare similitudinem à duobus albis, manentibus ipsis; id tamen videtur impossibile, tum propter debilitatem relationis, tum propter essentialem dependentiam, & intimam connexionem cum fundamento, & termino, sicque censent frequenter Thomistæ cum Caietano, vbi supra, § Sed quidquid sit de hoc; dato per impossibile, quòd à duobus albis auferretur relatio: non manerent formaliter similia, sed tantum fundamentaliter. Neque hæc doctrina habet maiorem difficultatem, quàm illa, quam capite de proprio quæstione 2. tradit ipse Soto, cuius est hoc argumentum, dicens, quòd si Deus separaret risibilitatem ab homine; tunc homo diceretur radicaliter, & non formaliter risibilis: quia deesset ei quædam entitas, & forma realis, constituens ipsum formaliter risibile.

61 Ad quartam neganda est minor. Ad cuius probationem respondetur, quòd sicut non est impossibile; sed de facto contingit numerum prædicamentalem, qui est quoddam accidens reale, & veræ species quantitatis, esse in pluribus subiectis inadaptatis, etiam si sint realiter distincta, & discontinua; iuxta dicta disputatione præcedenti, num. 83. sic non est impossibile; neque vllum continet inconueniens relationem dupliciter, quæ est propria passio numeri, & fundatur in eo, esse in pluribus subiectis partialibus realiter diuisis.

Ad confirmationem negatur antecedens, & ad probationem respondetur cum Ferrara, dupliciter illam esse totam in toto, & partem in parte. Cum autem instatur, aut est eiusdem rationis cum toto, aut non fatemur non esse eiusdem rationis. Ad id verò, quod contra hoc obiicitur, respondetur quantitatem bicubitam dupliciter considerari posse: vno modo in ratione quantitatis continuæ, verbi gratia lineæ, vel superficiæ: alio modo, vt induit modum quantitatis discretæ, vt scilicet significatur nomine bicubitæ: quod ergo habet extensionem, & diuisibilitatem ex quantitate, vt habet rationem continui, diuiditur in partes eiusdem rationis; sicut ipsa quantitas: nam linea diuiditur in lineas, & superficies in superficies: & similiter albedo, quæ hoc modo habet diuisibilitatem à quantitate, diuiditur in albedines, &c. At verò id, quod habet diuisibilitatem à quantitate, vt induit modum discreti, non diuiditur in partes eiusdem rationis: quia neque sic quantitas diuiditur; siquidem bicubitum non diuiditur in bicubita, vt patet. Quia ergo dupliciter de qua procedit argumentum, accipit diuisionem à continuo, in quantum induit rationem discreti: idè non oportet, vt diuidatur in partes, quarum quælibet sit dupliciter, sed quarum quælibet sit pars dupliciter.

## Q V Æ S T I O VI.

*Vtrum Relatio terminetur, ad absolutum, vel respectum.*

Hucusque egimus de relatione per comparationem ad fundamentum: restat agamus de illa in ordine ad terminum: quia ex vtriusque notitia pendet plena cognitio relationis, cum sit ordo vnius ad aliud.

62 Pro tituli autem intelligentia sciendum est fundamentum & terminum, aliis nominibus appellari *relatum*, & *correlatum*. Fundamentum dicitur *relatum*: quia media relatione refertur ad

X 2 terminum;

terminum; terminus verò dicitur correlatiuum : quia ex eo quod fundamentum referatur ad terminum; terminus ipse correfertur ad fundamentum. Quod fit, vel media alia relatione ex parte termini resultante, & ei inhærente, ut cernitur in relationibus mutuis; vel ab eadem relatione fundamenti, à qua terminus extrinsecè denominatur correlatiuum, ut contingit in relationibus non mutuis.

Differunt autem ista nomina, *fundamentum*, & *terminus*, ab his *relatiuum*, & *correlatiuum*, quòd illa non exprimunt in suo formali significato ipsas relationes, quas tamen ista pro formali important; & idè ex eo quod relatio exigit terminum in ordine ad quem constituitur in sua essentia, sicut dictum est in superioribus; non habetur definitum; an correlatiuum ipsum exigatur ad hoc, ut terminus intelligatur sub ratione formali termini, an verò concomitanter tantum se habeant. Quod tamen oportet examinare: quia in hoc præcipue intima relatiuorum penetratio sita est. Inquitimus ergo: an terminus rationis terminet formaliter eam secundum aliquam rationem absolutam, vel potius secundum aliquam rationem relatiuam, seu formaliter quatenus est correlatiuum. Vel clariùs: an ratio formalis terminandi sit, quid absolutum, vel quid pertinens ad relationem.

VARIAE DOCTORVM SENTENTIA REFERUNTUR.

§. I.

63. **T**ripertiti sunt Auctores in hac quæstione. Quidam enim (id est prima sententia) vniuersaliter affirmant omnem relationem prædicamentalem terminari ad absolutum. Sic docent Scotus in 1. dist. 30. quæst. 1. & eius discipuli. Quos sequuntur Vasquez 1. p. disput. 139. c. 6. Suarez. disp. 47. Metaph. sect. 16. Hurtado ibidem disp. 15. sect. 7. Oña hic q. 1. art. 3. Lorinus q. 8. & Paulus Vallius tom. 1. Logicæ, q. 11. cap. 9. In quam etiam sententiam inclinare videntur ex Thomistis Capreolus in 1. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 3. Scoti, quod est circa finem art. Sonc. 6. Metaph. q. 30. ad 2. & 3. & Soto in hoc c. q. 1. ad 8.

Probatur primò hæc opinio: quia posito fundamento, & termino statim resultat relatio: ergo ante illam intelligitur fundamentum integrè & formaliter constitutum in esse fundamenti, & terminus in esse termini. Sed quidquid antecedit relationem, est res absoluta: ergo terminus constituitur formaliter in esse termini per aliquid absolutum. Minor, & vltima consequentia constant. Prima autem videtur manifesta, quia quidquid habet rationem causæ respectu alicuius, debet esse prius illo, non solum secundum suam entitatem materialem, sed etiam formaliter secundum id, per quod constituitur in esse causæ eius. Antecedens autem præterquam quod videtur commune Philosophorum axioma, facile probatur: quia relatio est ordo vnius ad aliud, nempe fundamenti ad terminum: ergo dependet ab illis, & ex eorum positione resultat.

Confirmatur primò: quia si vna relatio esset terminus alterius: iam ex positione vnius resultaret alia; ac proinde non essent simul natura.

Confirmatur secundò: quia terminus verè pertinet ad specificatiuum relationis, ut infra constabit: ergo etiam secundum rationem formalem terminandi antecedit ipsam relationem. Patet consequentia: quia specificatiuum habet rationem causæ respectu rei specificatæ, ut inductione patet in omnibus.

64. Secundò: quia si aliquæ relationes termi-

narentur ad relatiuum, maximè mutua: sed hæc verè terminantur ad absolutum: ergo nulla relatio terminatur ad relatiuum. Maior, & consequentia constant. Minor verò probatur: quia in relationibus mutuis ratio terminandi vnam est ratio fundandi aliam: sed ratio fundandi quamcunque relationem non potest esse aliqua relatio, sed quid absolutum: ergo ratio terminandi non potest esse quid relatiuum, sed absolutum. Consequentia est euidentis: & minor ex dictis certa: nam vna relatio non potest fundari in alia. Maior autem probatur: quia relationem esse mutuam consistit in hoc, quod id ipsum, quod constituit aliquid in esse termini vnius relationis, constituat ipsum in esse fundamenti alterius: aliàs si ad mutuitatem sufficeret terminum vnius materialiter sumptum esse fundamentum alterius; iam similitudo, verbi gratia, quam in albedine habet filius respectu patris, & paternitas, quam habet pater respectu filii, essent relationes inter se mutua, quod est absurdum.

Confirmatur primò: quia maternitas ex naturâ suâ est relatio mutua: & tamen inuenitur in Beata Virgine absque reali filiatione sibi correspondente ex parte Christi Domini: iuxta sententiam D. Thom. 3. p. q. 35. art. 5. ergo signum est vnam ex his relationibus non pendere essentialiter ab alia, neque formaliter terminari ad illam. Probatur consequentia, quia alias vna non posset manere, neque terminari, sine alia, etiam de potentia absoluta.

Confirmatur secundò ex communi modo loquendi: quia vnum album non dicitur simile alteri simili, sed alteri albo, & vnum quantum non dicitur æquale alteri æquali, sed alteri quanto: ergo ratio terminandi non est relatio, sed quid absolutum.

65. Terriò tandem probatur: quia repugnat vnum relatiuum exactè, & essentialiter definiri per correlatiuum formaliter sumptum, definitur autem rectè per terminum: ergo terminus, formaliter quatenus terminus, non est quid relatiuum. Minor, & consequentia constant. Maior autem probatur ab inconuenientibus: quod genus argumenti in proposito efficacius est pro hac sententia.

In primis enim sequeretur tales definitiones non dari per notiora definito. Quod sic ostenditur: quia impossibile est idem simul esse notius, & ignotius se ipso: ergo relatiua non possunt se inuicem explicare, vnum per aliud definiendo. Si enim ignoras quid sint *duplum*, & *dimidium*, nihil tibi palam faciet, qui dixerit. *Duplum est, quod est ad dimidium*, & *Dimidium est, quod est ad duplum*.

Vlteriùs etiam sequeretur dari circulum in definitionibus relatiuorum, quem licet aliqui Auctores admittant: id tamen quàm sit irrationabile, & contra omnem benè definiendi artem; sic probatur. Quæcumque recta definitio tradenda est per propria, & notiora definito: ergo etiam in definitionibus relatiuorum non potest dari circulus. Consequentia est euidentis. Antecedens verò latè docet, & probat Arist. 6. Topicorum cap. 3. vbi inter alia inquit: *Primum ergo, si non per priora, & notiora, conficit definitionem. Nam quoniam definitio assignatur eius cognoscendi gratia, quod dicitur. Cognoscimus autem non ex quibuslibet: sed ex prioribus, notioribusque quemadmodum in demonstrationibus. Manifestum igitur, quod qui non per huiusmodi definiuit, &c.* & infra: *Oportet per genus, differentiam definire eum, qui benè definiuit. Hac autem simpliciter priora, & notiora sunt speciebus, &c.*

Confirmatur primò ex eodem Arist. 5. Metaph. cap. 15. vbi planè videtur reicere circulum à definitionibus relatiuorum; dum inquit: *Similiter & vifus*

*visus, cuiusdam est visus: non cuius est visus ( & si verum est hoc dicere ) sed ad colorem . aut aliquid aliud tale, ille vero modo bis idem diceretur, &c. Quorum verborum sensus videtur esse, quem latè expendit Vasquez vbi suprâ, & disput. 104. antecedenti cap. 2. quod scilicet visus non rectè definitur per visibile formaliter sumptum, sed per colorem, aut quid simile: quia idem bis repeteretur.*

Confirmatur secundò ex D. Thom. 1. p. quæst. 25. art. 3. vbi eadem ratione docet omnipotentiam non benè definiri, per possibile, vt sumitur relatiuè ad ipsam: *Quia erit ( inquit ) circularis in manifestatione omnipotentia. Hoc enim non erit aliud quàm dicere, quod Deus est omnipotens, quia potest omnia quæ potest. Relinquitur igitur, quod Deus dicatur omnipotens: quia potest omnia passibilia absolute: &c. Ergo nullo modo admittendus est circulus in definitionibus relatiuorum; & consequenter non rectè vnum per aliud definitur.*

Deniquè sequeretur in huiusmodi definitionibus vnum per se ipsum definiti, & definitum ingredi definitionem. Quod sic probatur: quia ex doctrina Arist. 2. Topicorum cap. 2. loco nominis positi in aliqua definitione, potest poni eius definitio: si enim dicas: homo est animal rationale, licet tibi etiam dicere; homo est viuens sensibile rationale: ergo si hæc est bona definitio patris: pater est, qui est ad filium; loco filij posset poni sua definitio, quæ esset hæc: *Filius est, qui est ad patrem: & ita fiat nugatoria definitio patris dicendo: Pater est, qui est ad eum, quia est ad patrem: iam ergo pater definiretur per se ipsum, & ingrederetur suam definitionem.*

66 Secunda sententia præcedenti extremè opposita affirmat omnem relationem prædicamentalem formaliter terminari ad relatiuum. Hæc procul dubio est mens Aristotelis, & D. Thom. vt postea constabit. Et ideo eam defendunt plures, & nobiliores Thomistæ, Caietan. in hoc capite, & 1. p. q. 13. art. 7. Bañez ibid. dubio vnicò ad 2. Nazarius controuersia vnica, Zomel q. 2. Flandria 5. Metaphys. q. 6. art. 20. Arauxo ibid. q. 5. artic. 7. Sanchez lib. 5. Logica q. 34. Vincentius Iustinianus lib. 1. Dialecticarum institutionum c. 8. q. 4. & alij. Quæ etiam fuit mens Auicennæ, vt patet 3. Metaph. c. 8 & antiquorum Interpretum Arist. vt ex Auerro. adnotabimus infra num. 78.

67 Tertia sententia inter vtramque media distinguit inter relationes mutuas, & non mutuas: hæcque asserit ad absolutum terminari; illas verò ad relatiuum. Sic docent Ferrar. 2. contra gentes cap. 11. Deza in 1. dist. 3. quæst. 1. Masius hic scilicet 3. quæst. 2. Gallego controuersia 29. Rubio quæst. 7. & Valentia 1. p. quæst. 13. disp. 4. puncto 4. circa finem.

Probatur primò ex Arist. in hoc cap. text. 5. vbi assignans quartam relatiuorum proprietatem, quod scilicet sint simul natura, expressè facit eam aliquibus relatiuis non conuenire, scilicet non mutuis: inquit enim. *Videntur autem ipsa ad aliquid simul esse natura. Et in plurimis quidem verum est: in aliquibus verò non verum, &c. Quod etiam planè docuisse videtur D. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 7. ad 6. dum relatiuis inquit: Si autem vnum in sui intellectus claudat aliud, & non è conuerso: tunc non sunt simul natura: & hoc modo se habent scientia, & scibile: &c. Et q. 7. de potentia art. 8. ad 1. aperte facit relatiua non mutua, vt Deum, & creaturam non esse simul natura. Ergo ex sententia Arist. & D. Th. relatiua non mutua terminantur ad absolutum; quandoquidem si ad relatiuum formaliter terminarentur, iam essent simul natura, vt patet.*

Confirmatur ex eodem Angelico Doctore art. 10. sequenti in solutione ad 4. vbi affirmat, quod cum hoc nomen, *dominus*, tria importet, scilicet po-  
Colleg. Compl. Logica.

tentiam coercendi subditos, ordinem ad subditos, & terminationem ordinis subditorum ad dominum: huius significatio inuenitur quidem in Deo quantum ad primum, & tertium; non autem quantum ad secundum. Ergo secundum D. Thomam Deus terminat relationem creaturæ absque aliquo ordine ipsius ad creaturam; & consequenter sub ratione absoluta.

Secundò probatur ratione ex eisdem locis desumpta: quia relationes creaturarum ad Deum, & abæ non mutua, habent à parte rei terminum integrè, & formaliter constitutum ad eas terminandas ante quamcumque relationem: ergo ratio formalis terminandi non potest esse quid relatiuum: sed absolutum. Consequentia patet. Et probatur antecedens: quia in huiusmodi relatiuis, alterum extremum nullam relationem habet, nisi dum actualiter consideratur: & tamen terminat relationem reliqui extremi ad se nullo intellectu considerante: ergo ante omnem relationem est formaliter constitutum in ratione termini; & ex consequenti terminat ratione absoluta.

Confirmantur, & explicatur hæc rationes: quia in Deo verbi gratia, vt est terminus relationis creaturarum, tria tantum possunt considerari, scilicet perfectio illa realis, seu attributum, secundum quod conuenit illi terminare talem relationem; & denominatio extrinseca resultans in Deo ex reali relatione creaturarum ad ipsum; & tandem ratio rationis, quæ intellectus noster correfert ipsum Deum ad creaturas; sed neque per huiusmodi relationem rationis, aut denominationem extrinsecam constituitur Deus in esse termini relationis creaturarum: ergo formaliter terminat eas rationes suæ perfectionis, & entitatis absolute. Maior, & consequentia patent. Minor verò quoad primam partem constat ex ratione præcedenti: & videtur satis per se manifesta. Quoad secundam verò probatur: quia quamuis ab eadem relatione possit vtrumque extremum denominari relatiuum, alterum intrinsecè, & alterum extrinsecè, id tamen contingit ordine quodam, & causalitate, vt sumitur ex Arist. in hoc capite asserente scibile dici relatiuum: non quia ipsum referatur ad scientiam, sed quia scientia refertur ad ipsum; ac proinde prius est scientiam referti ad scibile, quàm quod ipsum extrinsecè denominetur correlatiuum. Sed ratio formalis terminandi non est posterior ipsa relatione, quam terminat, vt de se constat. Ergo per talem denominationem extrinsecam non potest Deus constitui in esse termini relationis creaturarum.

*Statuitur vera sententia: ipsaque auctoritate, & ratione probatur.*

#### §. II.

86 **Q**uamuis omnes adductæ opiniones sint satis probabiles: secunda tamen sententia vt probabiliior, magisque Aristoteli, & Diuo Thomæ conformior, ac Christianæ Philosophiæ, & Theologiæ congruentior, cæteris præferenda est, asserendumque omnem relationem prædicamentalem, siue mutua, siue non mutua formaliter terminari ad relatiuum. Sic docent Auctores suprâ num. 66. adducti: estque hæc conclusio communior inter Thomistas.

A quibus non dissentiunt Capreol. Soncinas & Soto adducti pro 1. sententia: ipsi enim se satis explicant, & planè de termino materiali loquuntur, si quidem eisdem locis expressè docent, & probant relatiuum non definiti per terminum, vt est prior, & magis notum,

notum, sed ut est simul natura, & æquè notum: adduntque ipsum necessariò debere intelligi relatiuè, ut terminet relationem alterius extremi, ut patet in solutionibus argumentorum sequentium. De quo etiam videri potest Soncinas in expositione Porphyrij cap. de specie ad tertium.

Probatum primò conclusio auctoritate Arist. Porph. & D. Thom. Aristot. siquidem in hoc capite probans omnia relatiua, si rectè assignentur, dici ad conuertentiam, inter alia inquit: *Amplius siquidem conuenienter assignatur, ad quod dicitur, omnibus aliis sublatiis, quacunque accidentia sunt: relicto autem solo illo, ad quod assignatum est conuenienter, semper ad ipsum dicitur. Et si seruus ad hominem dicitur: circumscriptis omnibus, que accidentia sunt domino, ut esse bipedem, vel hominem, relicto verò solo, quòd Dominus est, semper seruus ad ipsum dicitur.* Et post pauca. *Circumscribemur ab homine esse dominum: non sanè amplius seruus ad dominum dicitur. Cum enim dominus non sit, neque seruus est, &c.* Quibus verbis manifestè docet Arist. quòd sublata à termino relationis quacunque ratione absoluta, si manet relatiua denominatio, verè terminat relationem. Contra verò si ab illo auferatur esse relatiuum; non amplius terminat relationem etiamsi maneant quæcumque aliæ rationes absolutæ. Et loquitur vniuersaliter de omnibus relatiuis, ut patet in textu. Quem explicans Auerroes ibidem subdit, quòd semper id, ad quod dicitur relatiuum, debet esse in prædicamento relationis. Ergo ex sententia Aristot. ratio terminandi quæcumque relationem non potest esse aliquid absolutum.

Id ipsum sensisse Porphyrium cap. de specie fatentur ferè omnes eius Interpretes. Reddens enim rationem quare genus per speciem, & rursus speciem per genus definierit, subdit: *Nesse oportet, quòd quoniam, & genus alicuius est genus, & species alicuius est species, utrumque utriusque: idcirco necesse est in utroque rationibus utriusque vis.* Vbi ex ipsa natura relationem infert, vnum per aliud debere definiri. Quæ ratio nisi procedat de relatiuis, formaliter quatenus relatiua sunt, nulla erit, ut per se patet.

Tandem idem docuisse D. Thom. planè conuincitur. Tum ex eo, quòd ipse 1. p. q. 42. art. 3. ad 2. opusc. 37, cap. 1. & alibi sæpè expressè affirmat, vnum relatiuum formaliter includi in definitione alterius. Tum etià quia apud ipsum omnia relatiua siue mutua, siue non mutua, si rectè assignentur, sunt simul natura, ut infra n. 68. constabit, quòd est vnum ex præcipuis fundamentis nostræ sententiæ, ut iam expendimus. Tum deniquè quia eadem 1. p. q. 40. artic. 2. ad 4. exponens definitionem relatiuorum docet, per ly aliud intelligendum esse correlatiuum formaliter sumptum his verbis: *Cum dicitur, quòd relatiui esse est ad aliud se habere: per ly, aliud, intelligitur correlatiuum, quòd non est prius, sed simul natura.* Et 2. contra gent. cap. 11. *Non potest aliquid intelligi ad alterum: nisi è conuerso illud relatiuè diceretur ad ipsum.* Quæ omnia planè repugnant fundamentis aduersariorum, ut patet: ergo ex sententia D. Thom. terminus formalis cuiuscumque relationis est aliquid relatiuum.

79. Secundò probatur conclusio ratione desumpta ex ipsa natura relationis. Quia relatiua, quatenus formaliter talia, exercent oppositionem relatiuam: sed oppositio relatiua essentialiter includit rationes referendi, & terminandi: ergo utrumque munus exercent relatiua per relationes. Maior, & consequentia constant: quia relatiua per ipsas relationes, & non per fundamenta absoluta sortiuntur formalem oppositionem. Minor verò probatur: quia oppositio relatiua non est aliud, quàm respectus vnius ad alterum, ut omnes fatentur cum Aristot. in postpræ-

dicamentis cap. de oppositis, & docet D. Thom. 1. p. q. 28. art. 3. explicatque latè Caiet. eodem capite. In respectu autem vnius ad aliud includitur per se utraque ratio referendi, & terminandi: siquidem non potest intelligi vnum respicere aliud; quin istud respiciatur, & respectum terminet.

Respondent aliqui, verum esse oppositionem relatiuam etiam non mutua includere prædictas rationes referendi, & terminandi, non tamen utrumque exercere relatiua per relationem: nam licet ipsum respicere per relationem exercent; terminare autem, non nisi per entitates absolutas: ac proindè non conuinci, relatiuè opposita ad relatiuum formaliter terminari.

Hæc tamen solutio minimè eneruat vim nostræ rationis: & contra illam sic insurgimus. Quia in relatiuè oppositis illud per se primò respicitur ab altero, quòd per se primò illi opponitur sed quòd homodo alteri opponitur: est correlatiuum formaliter ut tale: ergo ut sic respicitur; & consequenter ut sic exercet munus terminandi. Consequentia constat. Minor etiam est certa: quia ipsa relatio est formalis oppositio, ut sumitur ex D. Thom. loco citato, & docet q. 42. sequenti art. 1. ad 4. Cuius verba adduximus supra num. 31. Maior autem probatur: quia oppositum relatiuè, quatenus tale, illud per se primò respicit, quòd è regione primò sibi correspondet, primò contra ponitur, & aduersatur; non autem quòd materialiter; & quasi disparatè se habet: sed illud est correlatiuum ut tale: ergo ut sic respicitur, & exercet munus terminandi.

Confirmatur 1. ex Arist. dicto cap. de Oppositis, vbi definiens relatiuè opposita inquit: *Quacunque ut relatiua dicuntur, ea ipsa qua sunt, oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea.* Quibus verbis perspicuè docet relatiuè opposita ad correlatiua, ut sibi formaliter opposita terminari; & consequenter ad correlatiua formaliter: siquidem ly *oppositorum*, in definitione positum formaliter debet accipi.

Confirmatur secundò, quia si relatiuè opposita formaliter ut talia solùm exercent munus referendi, non verò terminandi; sequeretur oppositionem relatiuam (quæ, ut ostensum est, utramque rationem includit) non inueniri adæquatè in relatiuis, ut relatiuis formaliter.

Hoc autem esse absurdum patet: quia oppositio contraria adæquatè reperitur in contrariis, ut contrariis formaliter; & idem proportionabiliter cernitur in oppositione contradictoria & priuatiua.

Ergo idem dicendum est de oppositione relatiua, quòd scilicet adæquatè exercetur per relatiua ut formaliter talia, alioquin huiusmodi oppositio non continebitur adæquatè intra genus relationis; & consequenter proprios limites sui generis egredietur: ex quo ulterius fiet non esse veram oppositionem relatiuam.

70. Tertiò probatur Theologica ratione ex diuinis relationibus petita. Quia in diuinis Pater, & Filius, ad inuicem referuntur, & suos respectus terminant per ipsas relationes paternitatis, & filiationis: ergo etiam in creatis similes relationes verè terminant ad relatiuum.

Antecedens est omnino certum: quia Pater & Filius ad inuicem referuntur, & se inuicem terminant, per eas rationes, per quas realiter distinguuntur, & opponuntur: cum idem non referatur, nec terminetur realiter ad seipsum. Sed non distinguuntur, aut opponuntur per aliquid absolutum: sed tantum per relationes iuxta receptum Theologorum axioma: *In diuinis omnia sunt vnum, ubi non obuiat relationis oppositio.* Ergo per solas relationes se inuicem respiciunt & terminant

Conse

Consequentia verò probatur. Tum quia relationes creatæ verè assimilantur diuinis in hoc, quod est respicere terminum: ergo etiam assimilari debent in ratione terminandi. Tum & maxime, quia ex ipsa natura oppositionis relatiuè provenit, quòd relationes diuinæ terminentur ad relatiuum; quandoquidem sicut distinctio inter personas diuinas non potest reduci, nisi ad oppositionem relatiuam, quæ distinctionem in sua ratione includit: ita etiam terminare secundum rationes relatiuas non potest ex alio capite, quàm ex oppositione provenire. Cum ergo in relationibus creatis verè & propriè saluetur ratio oppositionis relatiua, sicut in diuinis: consequens est proportionabiliter esse de vtrisque philosophandum.

Respondent aduersarij, ex relationibus diuinis non posse conueniens argumentum desumi: quia cum ipsæ sint infinitæ, substantiales, & per se subsistentes, realiterque identificatæ cum absoluto Deitatis: ibi nihil est absolutum distinctum, ad quod possint terminari: ac proinde mirum non est, si vnaquæque se ipsa suum relatiuum terminet. Secus autem contingit in relationibus creatis, quæ sunt accidentia, & distinguuntur à suis fundamentis, &c.

Cæterum hæc solutio non satisfacit. Et in primis absque fundamento asseritur non posse ex diuinis relationibus ad creatas argumentum efficax deduci. Cum enim persæpè Theologi efficaciter argumententur ex relationibus creatis ad diuinas, ablati imperfectionibus: cum quibus permixtæ sunt in creaturis; cur non licebit è conuerso à diuinis ad creatas relationes argumentari in his, quæ consequuntur ex ipsa natura relationis, in qua proportionabiliter conueniunt?

Quod autem relationes diuinas terminari ad relatiuum oriatur ex ipsa formalissima ratione relationis, quæ communis est vtrisque relationibus: non verò ex eo, quòd sint infinitæ, substantiales, aut realiter identificatæ cum essentia diuina, hæc efficaciter ostenditur. Quia huiusmodi discrimina in solutione assignata, conueniunt prædictis relationibus, secundum quod dicunt esse in: quæ ratio materialiter se habet ad formalem rationem relationis, quæ sumitur versus terminum, & exprimitur per esse ad. Sed terminari ad relatiuum non est esse in, sed esse ad, ut patet. Ergo id non conuenit relationibus diuinis: quia sunt infinitæ, substantiales, &c. Minor & consequentia constant. Maior autem probatur optimo discursu, quem habet D. Th. 1. p. qu. 28. art. 2. Nam quòd relationes creatæ sint accidentia, aut distinguantur à suis fundamentis, omnino sumitur per comparisonem ad subiectum, ut patet. Et quia quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, translatum in Deum habet esse substantiale: ideo (inquit D. Th. *Ex ea parte, quæ relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, relatio existens in Deo habet esse essentia diuina. In hoc verò, quòd ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudine ad essentiam, sed magis ad suum oppositum, &c.*) Ergo quòd relationes diuinæ sint substantiales, & realiter identificatæ cum essentia; creatæ verò accidentia à suis fundamentis distincta, & alia similia discrimina, non conueniunt illis ex ipsa formali ratione relationis, secundum quod sunt ad terminum: ac proinde in hoc omnino debent proportionari dictæ relationes: & consequenter persistat efficacia rationis à nobis inductæ.

Confirmatur, quia ex eo quòd propria & formalissima ratio relationis realis non sumatur per ordinem ad subiectum; sicut sumuntur propriæ rationes aliorum prædicamentorum, sed per comparisonem ad extrinsecum terminum: oritur ut ex modo, quo concipitur & significatur, præcisè ut est ad, non ex-

primat realitatem sicut illæ: ac proinde fundat maiorem conuenientiam cum relationibus rationis, quàm fundant alia prædicamenta cum entibus rationis ad eorum similitudinem efformatis, ut ex D. Thom. explicuimus sup. num. 12. Ergo etiam ex eadem formalissima ratione procedit, quòd relationes diuinæ, præcisè ut sunt ad terminum, non exprimant esse substantiales infinitas, &c. & consequenter fundant in tali ratione maiorem conuenientiam cum relationibus creatis, quàm fundant cætera attributa Dei cum perfectionibus creaturarum sibi correspondentibus.

Cum ergo ex sapientia diuina, verbi gratia, optimè desumatur argumentum ad sapientiam creatam in ratione formali sapientie, secundum quam comparatur ad obiectum: priori iure sumetur argumentum ex relationibus diuinis ad creatas in ratione formali relationis, secundum quam comparantur ad terminum.

71. Quartò probatur conclusio, quia si relatio non terminaretur ad relatiuum; iam in definitione alicuius creaturæ poneretur Deus sub propria ratione absoluta: ergo iam aliqua creatura ordinis naturalis esset naturaliter incognoscibilis, quod est absurdum. Sequelam admittunt Authores, quos impugnamus. Consequentia verò probatur: quia Deus sub propria ratione absoluta nequit è nobis cognosci in hac vita; quandoquidem conceptus omnes, quos hic de Deo formamus, necessariò sunt connotatiui, neque Deum immediatè repræsentant absolute, & simpliciter loquendo, ut sumitur ex D. Thom. in 4. pist. 49. quæst. 2. art. 1, & tractant rectè Capreol. in 1. distinct. 22. quæst. 1. conclus. 4. & ad 3. Aureol. Nazar. 1. quæst. 13. artic. 1. in expositione text. & alij Theologi.

Respondet Suar. sufficere cognitionem confusam & abstractam Dei secundum esse absolutum terminans relationem, quæ cognitio bene potest haberi in hac vita. Hæc tamen solutio plura petit, sed pronunc reijcitur. Tum quia cognitio distincta & perfecta definiti haberi non potest absque distincta & perfecta cognitione partium definitionis secundum eam rationem, qua ingrediuntur illam. Tum & maxime: quia saltem talis creatura esset incomprehensibilis à quocumque intellectu creato, etiam de potentia absoluta: quandoquidem ad veram comprehensionem rei exigitur, ut plenè cognoscantur omnes rationes quomodocumque ad ipsam pertinentes. Ergo si Deus secundum suum esse absolutum pertineret ad definitionem alicuius creaturæ, oporteret ad eius comprehensionem plenè cognoscere tale esse absolutum: quod nulli intellectui creato communicari potest. Videatur Nazar. art. 7. sequenti concl. 1.

Vltimò probatur conclusio ex proprietatibus relationum ab Aristot. assignatis in hoc cap. Quia omnia relatiua formaliter sumpta, si rectè assignentur, sunt simul natura & cognitione: ergo omnia formaliter terminantur ad relatiuum. Antecedens est Arist. & D. Thom. ut postea constabit, facileque probatur. Quia relatiua formaliter sumpta se mutuo includunt, & ponunt, & perimunt, ut ex eodem Philosopho inquit Angel. 7. Doctor Opusc. 37. c. 1. & vnum non est causa alterius, in quo consistit simultas naturæ, ut suo loco explicabimus: vnde etiam provenit, quòd vnum non possit sine alio intelligi: ergo verè sunt simul natura & cognitione.

Consequentia verò probatur: quia filius, verbi gratia, secundum entitatem absolutam, prior est paternitate; cum hæc ex positione illius resultet: ergo ratione talis entitatis absolutæ non est simul natura. At terminus formalis exigitur in relatiuis ex ipsa



ratione *ad*, secundum quam sunt simul natura: ergo prout sic debet terminare; & ex consequenti secundum rationem relatiuam. Item si paternitas terminaretur ad entitatem absolutam filij: ista cognitio: etiam si non cognoscatur relatio filiationis, cognosceretur perfecte paternitas: ergo reuera poterit una sine alia cognosci; & consequenter non erunt simul cognitione. Quæ omnes rationes cum procedant ex ipsa natura, & proprietatibus relationis; ut comprehendit mutuas, & non mutuas: æquè conuincunt intentum de utrisque, ac proinde omnes formaliter terminantur ad relatiuum.

*Argumentis pro prima sententia factis respondetur.*

S. III.

72. **A**D primum dicimus antecedens esse verum de termino, non formaliter, sed materialiter, aut radicaliter sumpto. Pro cuius luce notandum est cum Nazario ubi sup. in quocumque relatiuo distinguendam esse duplicem rationem terminandi; aliam radicalem & aliam formalem. Radicalis est illa entitas, seu perfectio absoluta, unde oritur, & supra quam fundatur ipsa ratio formalis terminandi. Hæc autem est id, in quo ultimo sistit respectus alterius relatiui, & per quod per se primo opponitur, & correfertur illi. Verbi gratia, in patre, ratio radicalis terminandi relationem est potentia generatiua, aut generatio ipsa supra quam fundatur paternitas: quia illa est radix, propter quam conuenit patri terminare filiationem: ratio verò formalis terminandi est ipsa paternitas: quia est id, per quod pater per se primo opponitur filio, & correfertur ad illum, ut supra explicatum est.

Quando ergo Dialectici afferunt ex positione termini resultare relationem, vel ab illo dependere: loquuntur de termino materialiter, seu radicaliter sumpto; non verò de ipsa ratione formali terminandi. Si autem de hac fiat sermo: tunc non est asserendum relationem dependere à termino, sed ad terminum, ut loquitur D. Th. Opusc. 37. cit. c. 1. quia cum terminus formalis sit purus terminus per se inclusus in ipsa ratione formali relationis, ut dictum est, non potest habere causalitatem, aut antecedentiam quam *ly ex vel ab* important.

Neque contra hoc urget, quod tangitur in argumento, quod scilicet sicut ante relationem fundamentum intelligitur integrè & formaliter constitutum in esse fundamenti, sic terminus debet præintelligi formaliter constitutus in ratione termini. Est enim quod ad hoc disparitas valde notanda. Quoniam relatio exigit fundamentum ex communi ratione accidentis, seu ut dicitur *in*: ex qua parte habet esse ens reale, ut docet D. Th. 1. parte, q. 28. art. 2. & in 1. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 1. Et ideo comparatur ad fundamentum, ut ad causam sui esse & realitatis; & consequenter præexigit illud integrè & formaliter constitutum in esse fundamenti.

At verò terminus formalis conuenit relationi ex propria, præcisa ratione relationis, seu ut dicitur *ad*: ex qua parte, formaliter loquendo, relatio non habet esse in rerum natura; sed solam oppositionem ad correlatiuum, ut eisdem locis docet Angelic. Doctor: ac proinde ratio formalis terminandi non est causa relationis; sed quasi conditio concomitans eam: & consequenter relatio non præexigit terminum formaliter constitutum in ratione termini: sed po-

tius constituitur per ipsam oppositionem, seu relationem.

73. Per quod patet ad confirmationes.

Ad primam enim respondetur, quòd cum ratio formalis terminandi non sit causa relationis; sed quasi conditio concomitans eam: non verificatur propriè loquendo, quòd ex positione eius resultat relatio: quia *ly, ex*, denotat causalitatem: ac proinde stat optimè unam relationem esse rationem formalem terminandi aliam, & esse simul natura cum illa.

Quia autem ratio radicalis terminandi est quodammodo causa relationis, quatenus aliquo modo est radix specificationis eius, ut infra constabit: idè verè dicitur ex positione eius resultare relationem: in quo sensu loquuntur Dialectici, ut explicatum est.

Ad secundum similiter respondetur, terminum quidem concurrere ad specificationem relationis; cum proportionem tamen explicata, quod scilicet ratio radicalis terminandi pertineat ad specificatiuum, ut radix, aut conditio antecedens, ex cuius unitate, vel distinctione sumitur unitas, vel distinctio relationis: & huiusmodi specificatiuum habet quidem rationem causæ relationis, & consequenter antecedit eam.

Ratio verò formalis terminandi non sic specificat relationem, sed per modum puri termini, seu conditionis concomitantis illam: & idè loquendo de hac ratione formali terminandi, relatio non tam dicitur specificari à termino, quàm ad terminum: quia modus specificandi non exigit causalitatem, aut prioritatem. Neque contra huiusmodi specificatiuum sumendum est argumentum ex aliis. Quia sicut singularissimum est in relatione, quòd sit purus respectus ad aliud: ita singularissimum est in illo alio, quòd sit purus terminus, & prout sic specificet relationem.

74. Ad secundum argumentum neganda est minor primi syllogismi, & maior secundi. Ad cuius probationem respondetur, quòd ut relatio sit mutua, non sufficit terminum unius materialiter sumptum esse fundamentum alterius, neque requiritur, ut ipsa ratio formalis terminandi unam sit ratio fundandi aliam: sed sufficit, & requiritur, ut rationes fundandi utramque per se sibi correspondeant, & inter se habeant aliquem transcendentalem ordinem, ut contingit in actione & passione, aut unitate & numero. Quam correspondentiam & connexionem rationum fundandi non habent similitudo & paternitas, ut patet: & idè non sunt relationes inter se mutue.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd quia Christus Dominus propter suppositum diuinum non est capax relationis realis, respectu matris, ut loco ibidem adducto explicat D. Thom. ideo maternitas B. Virginis de facto non est relatio mutua: ac proinde Christus Dominus non terminat eam per aliquam relationem realiter in ipso existentem & ei inhaerentem: sed per relatiuam denominationem, qua dicitur Filius à maternitate in B. Virgine existente; per quem modum terminantur cæteræ relationes non mutue, ut postea explicabimus.

Hæc autem relatiua denominatio ad minus est necessaria in termino relationis ex ipsa ratione essentiali eius: & idè quamuis possit impediri alia relatio ex parte termini resultans non tamen potest etiam de potentia absoluta, manente relatione fundamenti, impediri relatiua denominatio termini. Videatur Nazar. ubi sup. in solut. ad 7.

Ad secundam confirmationem resp. quòd modus ille loquendi solum probat album, aut quantum esse terminos materiales similitudinis & æqualitatis: quia per tales locutiones solum intendimus explicare causas,

causas, & radices proximas terminandi, quæ non sunt ipsæ relationes, sed albedo, & quantitas, ut ex dictis constat.

75. Ad tertium neganda est maior. Imò, potius non potest vnum relatiuum, secundum quod tale est, aliter definiri, nisi per correlatiuum formaliter sumptum, ut ostendunt hucusque adducta. Quæ sententia est expressa Aristot. tum in hoc cap. tum etiam lib. 6. Topic. cap. 3. & 4. cuius aliqua verba postea adducemus.

Quibus locis docet id ipsum Auerroës, estque sententia valde recepta inter Philosophos. Pro qua videri potest inter alios Caiet. cap. de Specie, ubi eam probat optima ratione, quam ipse appellat demonstrationem: quia nimirum vnumquodque secundum modum sui esse quidditatiui definiendum est; quandoquidem non est querenda vniformiter omnium rerum definitio, sicut neque essentia, ut per se patet: sed esse quidditatiuum relatiui, hoc ipsum quod est, alterius, id est, sui correlatiui, est, ut in prædicamentis dicitur: ergo definiendum non est, sine suo correlatiuo.

Quo supposito iam facile respondetur ad inconuenientiam, quæ obijciuntur in illo tertio argumento. Et in primis perpendendum est (ut rectè norat Rubio hic quæst. 7.) omnia illa etiam militare in quacumque sententia circa relationes diuinas.

Cum enim hæc, ut sunt in se, & cognoscuntur à Deo, & Beatis, verè terminentur ad relatiuum formaliter sumptum, ut sup. vidimus: consequens est per illud necessariò esse definiendas. Ac proinde si Beatus explicacione quadam declarare vellet, quid sit Pater æternus, non posset alio modo, nisi per Filium æternum, & item Filium, nisi per Patrem declarare. Tunc ergo, vel ex tali definitione sequuntur illa inconuenientia, nempe circulus vitiosus, & nugatoria repetitio, ignotum per æquè ignotum; aut idem per se ipsum definiendo, vel non.

Primum dici non potest: aliàs concedendum esset relationes diuinas à parte rei terminari ad absolutum, quod est erroneum: ergo asserendum est secundum: ac proinde neque etiam sequuntur similia inconuenientia ex modo definiendi vnum relatiuum creatum per aliud.

Responderetur ergo ad primum cum Capreol. Caiet. Vincent. Iustin. & aliis supra citatis, vnum relatiuum non assumi in definitione alterius, ut prius, aut magis notum, sed ut simul, & æquè notum. Stat autem definitionem dari causa innotescendi, & notificare essentiam definiti; etiam si non quælibet pars definitionis sit notior illo: tum quia aliæ particulæ definitionis sunt notiores: tum etiam quia connotitia relatiui ad hoc cooperatur; quod sufficit, ut tota definitio, absolute loquendo, dicatur tradi per notiora. Et hic est proprius & specialis modus definiendi relatiua. Neque est mirabile, ut bene inquit Caiet. si singulare genus entium singularium sibi modum definitionis & notitiæ vendicat.

¶ Adde cum Auicen. & Alphar. quorum solutionem admittit Caiet. ubi sup. ipsum correlatiuum formaliter sumptum, secundum quod explicite assert, & exercet rationem terminandi (quo modo ponitur in definitione alterius) esse quodammodo notius alio: quia terminans & terminatum, prout sic, habent aliqualem similitudinem actus & potentie: actus autem prior; & notior est potentia, ut dicitur 9. Metaphysic. text. 20. Cum quo tamen stat correlatiua, simpliciter loquendo, esse simul natura & cognitione.

76. Ad secundum inconueniens negandum est antecedens. Neque enim in huiusmodi definitionibus

datur circulus vniformis, ut aiunt, ita quod relatiua eodem omnino modo, & secundum eandem formalitatem se inuicem definiant, & definiantur, ut ex dictis patet. Non autem inconuenit dari circulum difformem: imò necessariò admittendus est propter ipsam naturam relatiuorum; sicut etiam ex proportionabili causa admittitur ab omnibus demonstratio circularis difformis, ut in lib. Posterior. videbimus. Quo exemplo vsus est Aristot. loco adducto in argumento, dicens: *Quemadmodum demonstrationibus, &c.* ut ostenderet proportionabili modo esse utrobique philosophandum.

Ad cætera autem eiusdem testimoniij verba respond. Arist. in eod. cap. paulò infra expressè ab illa regula excepisse relatiua, dicens: *Oportet autem non latere quadam fortasse aliter definiri non posse, ut duplum sine dimidio, & quacumque per se ad aliquid dicuntur. Nam omnibus huiusmodi est idem esse ei, quod est ad aliquid quodammodo se habere. Quare non est possibile sine altero alterum cognoscere, eo quod necessarium est alterius oratione consumi, & ad alterum, &c.* Quæ verba non solum aduersariorum fundamenta elidunt, sed hucusque adducta pro nostra sententia dilucidè confirmant.

Ad primam confirmationem respondetur, longè alium esse sensum illius loci, ac Vasquez interpretatur: propter quod expositio eius ut noua & singularis, meritò reijciatur ab aliis, sed etiam suæ Societatis. De quo videri potest Nazar. 1. p. q. 3. art. 2. contr. 2. & Rub. ubi sup. Legitimus ergo sensus illius loci est, quem ibid. tradunt D. Th. Auer. Auicen. & cæteri, tum Græci, tum etiam Latini Interpretes: quod scilicet relatiua prædicamentalia, prout sic, non dicuntur in ordine ad subiectum, cui insunt, quia sic bis dicerentur ad aliquid. Cum enim sensus referatur relatione mensurabilis ad sensibile tanquam ad obiectum & mensuram: si prout sic relatiuum, etiam referretur ad id, cuius est sicut subiecti; simul diceretur relatiue in ordine ad duo totalia extrema: & cum relatiui esse sit ad aliud se habere, iam idem haberet duplex esse, quod omnino repugnat. Videatur D. Th. lect. 18.

Ad secundam confirmationem respondetur omnipotentiam non esse relatiuum secundum esse, & prædicamentale; sed quid absolutum: & idè rectè, inquit D. Thom. debere definiri per possibile absolute. Quia cum huiusmodi definitiones tradantur per simpliciter priora; in eis esset vitiosus quicumque circulus etiam difformis; quod non contingit in relatiuis prædicamentalibus, ut satis ex dictis patet.

77 Tandem ad tertium inconueniens neganda est sequela. Ad cuius probationem respondetur cum Caiet. Sor. Rub. & aliis sup. citatis, doctrinam illam Arist. quod scilicet loco nominis definiens licet ponere eius rationem intelligendam esse quoad ea, quæ intrinsecè cadunt in definitionem, nempe quoad partes intrinsecas definiti; non verò quoad ea, quæ ponuntur ut additum, siue ut connatum.

Nam in huiusmodi, quomodo aliquando etiam habeat locum prædicta regula: non tamen potest vniversaliter obseruari propter aliquas speciales causas occurrentes. Quod probat Caiet. optimo exemplo. Cum enim definitur homo, quod sit animal rationale: loco quidem *animalis*, potest poni tota sua definitio: quia nihil habet in sua ratione, ut additum; & sic rectè dicitur: homo est viuens sensibile, ubi prius dicebatur animal; loco verò *rationalis*, non potest poni tota sua ratio: quia hæc includit aliquid, ut intrinsecum, & aliquid ut additum: & idè quoad ea quidem, quæ intrinsecè includit, scilicet potens vi ratione, licetè poni potest, ut patet; quoad id verò, quod includit ut additum, nempe animal (quæcumque enim

enim differentia ex propria ratione connotat genus, cuius est differentia) poni non potest: aliàs sequeretur nugatio in definitione speciei, dum genus bis poneretur in ea, semel quidem ratione sui, & iterum ratione differentie.

Ad hunc ergo modum, cum relatiuum non ponatur in definitione alterius ut pars extrinseca, sed ut additum, seu connotatum, in ordine ad quod sumitur essentia correlatiui: inde fit, ut ex illa doctrina Aristot. non conuincatur aliqua nugatio in definitionibus relatiuorum.

§ Est autem specialis & propria ratio: quare in illis seruanda non sit prædicta regula. Quia nimirum vnum relatiuum ponitur in definitione alterius, formaliter ut exercet rationem termini illi oppositi. Hanc autem rationem potest quidem exercere per seipsum, ut patet: non verò per suam defin. in qua alterum relatiui continetur: aliàs istud sibi ipsi opponeretur, & referretur, quod est impossibile: ergo quamuis vnum relatiuum sit de ratione alterius modo explicato: nihilominus repugnabit, loco vnius in obliquo positi in definitione, poni alterum secundum quod pertinet ad rationem primi. Videatur Soc. hic q. i. in fine, ubi aliter, & bene expendit hanc rationem.

*Fundamentis tertia sententia satisfiit, simulque explicatur: quare non dentur duo genera suprema relationum.*

#### § IV.

78. **A**D primum ex auctoritate Arist. negandum est ipsum assignasse quartam illam relatiuorum proprietatem pro solis relatiuis mutuis, in quo planè decipiuntur aliqui Authores contrarij. Legimus ergo sensus est, quem ex mente omnium antiquorum Interpretum tradit Averroës ibid. scilicet aliqua relatiua non esse simul natura, quia non sunt rectè assignata correlatiua; si verò rectè assignentur, omnia esse simul natura. Hanc autem esse mentem Aristot. satis clarè habetur ex contextu. Cum enim prius vniuersaliter docuisset relatiua dici ad conuertentiam illis verbis. *Omnia autem, quæ sunt ad aliquid, ad conuertentiam dicuntur, &c.* statim ostendit multoties relatiua non dici ad conuertentiam: quia non sunt rectè assignata correlatiua; & ideo curandum esse, ut rectè assignentur, etiam si necessarium sit nomina fingere: *At verò aliquoties non videbitur conuerti, nisi conuenienter, ad quod dicitur, assignetur, & forte nomen fingere necesse erit; si non fuerit nomen impossibile, ad quod conuenienter assignetur, &c.* Et ita vniuersaliter concludit: *Si autem sic assignentur, manifestum est, quoniam omnia, quæ ad aliquid sunt, ad conuertentiam dicuntur.* § In hoc ergo eodem, statim docet relatiua esse simul natura dicens: *Videntur autem ipsa ad aliquid simul esse natura.* Subdit autem. *Et in plurimis quidem verum est: scilicet in quibus sunt rectè assignata: in aliquibus verò non verum: quia nimirum aliquando non rectè assignantur, ut ex dictis patet.*

Eundem etiam esse sensum D. Thom. locis in argumento adductis docet ibid. Caietan. & satis patet ex verbis, & exemplis Angelici Doct. Reddens enim rationem, quare scientia & scibile non sunt simul natura, inquit: *Nam scibile dicitur secundum potentiam, scientiam autem secundum habitum, vel secundum actum: unde scibile secundum modum sue significationis præexistit scientiæ. Sed si accipiat scibile secundum actum, tunc est simul cum scientia secundum actum: nam scitum, non est aliquid, nisi sit eius scientia.* Ex idem di-

citur de Deo formaliter secundum quod est Dominus creaturarum; inter quæ tamen non est relatio mutua; ut patet: ac proinde planè admittit D. Thom. relatiua non mutua, quæ sint simul natura, si rectè assignentur correlatiua.

Ad confirmationem respondetur cum Caietano & Nazar. ibi D. Th. loqui determinare fundamentaliter, seu de ratione radicali terminandi; solumque intendere, quod Deo non conuenit terminare seruitutem creaturarum per aliquam relationem realiter in ipso existentem. Quod planè constat ex titulo articuli, ubi inquiritur: *Utrum Deus realiter referatur ad creaturam, ita quod relatio sit res reliqua in Deo.*

Cum hoc tamen stat Deum formaliter terminare seruitutem creaturarum per ipsam relatiuam denominationem, à qua extrinsecè denominatur Dominus, & constituitur correlatiuum earum, ut magis constabit ex solutione sequenti.

79. Ad secundum negatur antecedens. Ad cuius probationem respondetur, quod quamuis in relatiuis non mutuis terminus à parte rei non habeat aliquam relationem sibi inhærentem, ratione cuius terminetur: habet tamen relatiuam denominationem, à relatione alterius extremi prouenientem, per quam constituitur formaliter terminus, & correlatiuum illius.

Pro cuius intelligentia norandum est cum Caietano, Nazario, & aliis, dupliciter posse aliquid denominari formaliter relatiuum. Primò intrinsecè à relatione sibi inhærente: quomodo dicimus partem esse formaliter relatiuum, & filium similiter. Secundò modo extrinseca denominatione à relatione existente in altero extremo; sicut in sententia constituyente actionem transeuntem in passio, agens denominatur formaliter tale ab actione, quæ subiectatur in alio. Et hoc modo scibile, & alia relatiua non mutua dicuntur formaliter relatiua, non à relatione sibi inhærente; sed à relatione, quæ est in altero extremo. Quod quidem singulare est in relatiuis tertij generis; sed omnino sufficiens, ut terminus harum relationum absolute, & formaliter dicatur relatiuum, & verè constitutur in genere relatiuorum. Et hoc significauit Aristot. 5. Metaphysic. cap. 15. dum inquit in relatiuis tertij generis, alterum extremum dici ad aliquid; non quia ipsum dicatur ad aliquid; sed quia aliud dicitur ad ipsum. In quibus verbis esset manifesta implicatio, ut rectè expendit Caietan. loco citato primæ partis, nisi sensus esset, alterum extremum esse formaliter relatiuum, non à relatione sibi inhærente; sed à relatione existente in alio extremo: & hoc sufficere, ut illud sit formaliter relatiuum, seclusa quacumque operatione intellectus.

Sumitur autem fundamentum huius doctrinæ ex ipsa ratione formali relatiui. Cum enim hæc consistat in esse ad aliud ut sic; ubicumque hoc verè, & formaliter reperitur, reperitur etiam vera, & formalis ratio relatiui. Sed eò ipso, quod vnum extremum, puta scibile, terminet relationem alterius, puta scientiæ; absolute & formaliter est ad aliud, secluso quocumque opere intellectus: siquidem hoc ipso, à parte rei illi opponitur relatiue, ac proinde totum, quod est, est sui oppositi, ut ex definitione huius oppositionis vidimus suprà num. 69. Ergo eo ipso, quod vnum extremum terminet relationem alterius; est absolute, & formaliter relatiuum; & verè constituitur in genere relatiuorum; ita ut implicet contradictionem habere rationem termini, & non esse hoc ipso formaliter relatiuum, secluso quocumque opere intellectus. In quo sensu communiter Doctores concedunt relatiua tertij generis esse formaliter mutua: quia nimirum vtrumque,

que, hoc ipsum quod est; ad alterum dicitur: non tamen sunt mutua quoad realitatem: quoniam relatio realis tantum est intrinseca ex parte vnius extremi. Ex quo tandem collige id, propter quod hæc omnia adducta sunt: quod scilicet in huiusmodi relatiuis, quamuis ex parte termini supponatur aliqua ratio realis, & perfectio intrinseca, per quam sit capax terminare relationem alterius extremi: hæc tamen solum est radicalis ratio terminandi; & per consequens proximè, & formaliter constituitur in esse termini per id ipsum, per quod constituitur formaliter in esse oppositi, & correlatiui, nempe per relatiuam denominationem, quam habet à relatione alterius extremi, quæque conuenit ei, secluso quocumque opere intellectus. Videantur Caiet. & Nazar. vbi suprâ.

80. Per quod patet ad confirmationem. Neganda est enim minor, quoad secundam partem. Ad cuius probationem responderetur, quod in aliis quidem entibus denominatio intrinseca, & extrinseca ab eadem forma prouenientes contingunt secundum aliquem ordinem, & causalitatem, quatenus non solum forma, sed etiam denominatio intrinseca, est quodammodo ratio, & causa denominationis extrinsecæ, ut cernitur in vihone, & aliis. At verò in relatiuis prædicamentibus, hoc est speciale, & maximè proprium ut ab eadem relatione in altero extremo existente vtrumque simul denominetur relatiuum, alterum intrinsecè, & alterum extrinsecè absque aliqua prioritate, aut causalitate inter denominationē intrinsecam, & extrinsecam. Cum enim huiusmodi etiam relatiua sint simul natura, ut suprâ vidimus: implicat relationem in altero extremo existentem denominare illud intrinsecè relatiuum; quin in eodem signo alterum denominet correlatiuum: aliàs non daretur tunc oppositio relatiua, ut satis ex dictis patet. ¶ Ad id autem, quod contra hoc obiicitur ex Aristot. responderetur illam causalem importare quidem prioritatem inter relationem, & denominationes ab ipsa procedentes: verè enim relatio est causa, quod vtrumque extremum denominetur relatiuum. Inter ipsas autem denominationes intrinsecam, & extrinsecam, solum importat exigentiam istius ab illa tanquam à necessaria concomitante.

81. ¶ Ex dictis facillè soluitur quæstio, quæ solet hic à Doctõibus pertractari: an scilicet constituenda sint duo suprema genera relationum, vel tantum detur vnicum generalissimum huius prædicamenti. Habet enim hoc speciale difficultatem in relationibus, quam non habet in aliis entibus, & maximè in sententia, quam eligimus, asserente omnem relationem formaliter terminari ad relatiuum. Est autem ratio dubitandi, quia iuxta hanc sententiam quodlibet generalissimum, quod assignetur in hoc prædicamento, dicit ordinem ad aliud correlatiuum sibi æquale: ergo non poterit continere sub primo; ac proinde dabuntur duo genera suprema.

Nihilominus ut certum statuendum est cum Aristotele in hoc capite, & communi Dialecticorum consensu, vnicum tantum dari generalissimum relationum: sicut vnicum tantum datur genus supremum in aliis prædicamentis. ¶ Et ad rationem dubitandi responderetur: primò cum Alberto, Simplicio, & Boetio, quos adducit, & sequitur Nazarius citata quæstione 13. primæ partis, relationem prædicamentalem, secundum quod concipitur conceptu abstracto, & præciso à singulis relationum speciebus (quomodo est genus supremum huius prædicamenti) non dici ad aliud, quasi ut quod, & in actu exercito; sed tantum in actu signato: ac proinde non requirere terminum, qui in actu exercito sit correlatiuum; sed tantum

in actu signato. Quod non tollit, quominus quæcumque relatio ex parte termini exercens rationem correlatiui, verè contineatur sub illo conceptu abstracto, præciso relationis, & consequenter sit vnum tantum generalissimum huius prædicamenti.

Vel secundò; & melius responderetur; non omnes relationes prædicamentales esse realiter mutuas: ac proinde ipsam communem rationem relationis, ut abstrahit ab omnibus suis speciebus, non exigere, ut in correlatiuo sit aliqua relatio ei inhærens; à qua intrinsecè denominetur correlatiuum; sed ad hoc sufficere relatiuam denominationem suprâ explicatam. Quæ quidem non potest constituere aliud supremum genus: cum proueniat ab eadem relatione, à qua alterum extremum intrinsecè denominatur relatiuum: ac proinde ibi non dantur duo generalissima; sed eadem ratio communis relationis, secundum quod vtrumque extremum denominat relatiuum, constitui supremum genus huius prædicamenti.

## Q V Æ S T I O VII.

*Vnde sumatur unitas, vel distinctio relationum.*

**D**ifficultas præcipuè procedit de unitate, & distinctione essentiali, seu specifica; inde enim pender statuere speciem huius prædicamenti; & assignare species eius: ad quod præcipuè quæst. hac ordinatur. Simul tamen aliqua de unitate, & distinctione numerica attingemus.

82. Igitur circa specificationem relationum, relictis aliis sententiis, quas adducit Araux. quæst. citat: art. 6. tres sunt præcipuè inter Thomistas. Prima asserit relationes accipere adæquatè hanc unitatem; aut distinctionem ex causis, seu fundamentis; non verò ex terminis. Sic docent expressè Fland. 5. Metaph. q. 1. 6. art. 10. & Nazar. 1. part. qu. 3. 2. art. 2. controuers. 2. Quæ etiam videtur esse sententia Caietan ibidem, & q. 1. 3. antecedent art. 7. 5. ad tertiam obiectionem, quatenus docet speciem relatiui sumi ad terminum, non autem ex termino; sed ex causa, seu fundamento. Cui etiam consonat Bañez eadem quæst. 3. 2. art. 3. dub. 2. ad. 3. dicens relationem non sumere speciem à termino, sed à fundamento, & ratione fundandi; quamuis cum ordine ad terminum.

Probatum primò ex D. Thom. cuius videtur expressa sententia. 3. p. quæst. 3. 5. art. 5. his verbis: *Unitas relationis, vel eius pluralitas non ascenditur secundum terminos, sed secundum causam, vel subiectum.* Vbi nomine causæ, ut rectè explicat Caietan. intelligit fundamentum, seu rationem fundandi: docetque ab ea sumi distinctionem specificam? sicut à subiecto numericam; neutram verò ex terminis. Idem ferè habet Angelicus Doctor quodlibet 9. artic. 4. vbi inquit: *Quia verò ex eodem res habet esse, & unitatem: ideo realis unitas relationis pensanda est ex ipso relationis fundamento, vel causa, &c.* De quo etiam videri potest opusc. 2. cap. 2. 1. Ergo ex sententia D. Thom. unitas, & distinctio relationis sumitur adæquatè ex fundamento, seu causa eius.

Secundò probatur ratione, quam indicat Angelicus Doctor. Quia ab eo relatio habet unitatem, & distinctionem; à quo habet esse: sed habet esse à fundamento, & non à termino: ergo à fundamento, & non à termino habet unitatem, & distinctionem. Maior probatur: tum ratione generali, quia vnum, & multa consequuntur ens: tum etiam inductione. Quia enim homo

homo habet esse hominem à sua differentia; ab illa etiam habet suam unitatem, & distinctionem: & sic de aliis. Ergo idem dicendum est de relatione. Minor verò probatur ex dictis supr. num. 59. quia relatio non producit à termino: sed eo posito, efficienter dimanat à fundamento: ergo ab illo habet suum esse; & non à termino.

Tertiò: quia prius intelligimus relationes esse specie distinctas ex fundamentis, quam quod intelligamus esse specie distinctas penes terminos: ergo ex fundamentis sumunt adæquatè suam distinctionem. Probatur antecedens: quia quamvis fundamentum, & terminus requirantur, ut sit relatio; prius tamen intelligimus ipsam consequi ad fundamentum, & postmodum terminari ad talem terminum: sed in illo priori intelligimus esse specie diversam ab alia relatione, quæ consequitur ad aliud fundamentum specie distinctum, ut patet: ergo, &c.

Quartò: quia filio, quia quis refertur ad patrem, & matrem, est una in specie propter eandem rationem fundandi: & tamen habet rationes radicales terminandi specie diversas; nempe concursus actuum, & passivum parentum. Similiter relationes paternitatis, & maternitatis ipsorum specie differunt propter diversas rationes fundandi: & tamen habent eundem terminum in specie. Ergo ex fundamentis & non ex terminis sumunt relationes suam unitatem, & distinctionem. Consequentia patet. Antecedens verò quoad utramque partem probatur ex D. Thom. 3. parte quæst. 35. artic. 5. ubi ait: *Rectè consideranti apparet, eandem relatione referri unumquemque ad suum patrem, & matrem propter unitatem cause: eadem enim naturitate homo nascitur ex patre, & matre. Unde eadem relatione ad utrumque refertur, &c.* Et in solutione ad 3. Constat, quod ex parte unius extremi est una relatio; ex parte autem alterius extremi sunt multe relationes: Sicut in hominibus ex parte parentum inveniuntur duplex relatio, una paternitatis, & alia maternitatis; quæ sunt specie differentes, propter hoc, quod alia ratione patet, & alia mater est generationis principium, &c.

83. Secunda sententia è contra affirmat relationes adæquatè sumere suam unitatem, & distinctionem specificam ex terminis totalibus; non verò ex fundamentis. Sic docet Soncin. 5. Metaph. quæst. 3. 2. cui subscribit Araux. art. 6. citato concl. 3.

Probatur primò ex D. Thom. cuius videtur esse etiam hæc sententia 1. part. quæst. 3. art. 2. ubi inquit: *Cum ratio specifica relatiui consistat in hoc, quod ad aliud se habet: necesse est dicere, quod duæ relationes non sunt diversa secundum speciem: si ex opposito unica relatio eis correspondeat, &c.* Quorum verborum sensus planus videtur esse, quod quia specificatio relatiui sumatur ex correlatio, seu termino, à quo est: idè repugnat dari ex parte fundamenti relationes specie diversas ad aliquem terminum, si ex parte eius unica tantum relatio illis correspondeat. Ergo ex sententia D. Th. penes terminum est tota ratio specificativa relationis.

Secundò probatur ratione, quam indicat Angelicus Doctor, & format Araux. loco citato. Quia omne accidens respectivum specificatur adæquatè ab eo, quod respicit: sed relatio prædicamentalis est accidens essentialiter respectivum ad terminum; cum totum esse illius sit ad illum se habere: ergo adæquatè specificatur à termino. Minor, & consequentia constant. Maior autem probatur inductione in habitibus, potentiis, & aliis relatiuis transcendentibus; quæ idè specificantur adæquatè ab obiecto, quia illud respiciunt, in eoque quasi quiescit, & terminatur tendentia habitus, vel potentie. Cum ergo similiter se habeat relatio respectu termini, ut per se

constat, consequens videtur ab illo adæquatè esse specificandum.

Tertiò argumentatur Soncin. quia ab eo sumitur formalis distinctio alicuius, quod ponitur in eius definitione tanquam differentia: sed terminus est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet: quia differentia est causa distinctionis formalis, ut inquit Porphy. Minor verò probatur: quia relatio rectè, & essentialiter definitur per suum terminum, seu correlativum, ut vidimus quæst. præced. sed in tali definitione non ponitur ipse loco generis, ut patet: ergo habet vicem differentie.

Quartò, quia ab eo relatio habet distinctionem, quo posito, ponitur distinctio, & quo remoto, removetur: sed posito termino ponitur distinctio specifica relationum. & eo ablato, aufertur: ergo, &c. Probatur minor: quia stante eadem ratione fundandi, verè dantur in vno fundamento relationes specie distinctæ respectu diversorum terminorum; siquidem per eandem albedinem nix verbi gratia, est similis cygno, & dissimilis corvo, quorum quolibet deficiente, deficit relatio ad ipsum terminata, ut notum est. Ergo talis distinctio relationum ponitur, positis terminis; & ablatis, aufertur.

### MEDIA SENTENTIA ALIIS preferitur, & probatur.

#### S. I.

Tertia & communior sententia utramque præcedentem coniungit, asserens ad specificationem relationum simul concurrere fundamentum, & terminum, iuxta quàm.

84. Asserendum est unitatem, & distinctionem specificam relationum desumi, tum ex termino; tum etiam ex fundamento, non secundum entitates materiales eorum, sed secundum rationes fundandi, & terminandi cum proportionem supr. num. 73. explicata. Sic docent Mas. hic sect. 1. quæst. 6. Sanchez. lib. 5. q. 38. noster Didac. à Iesu disput. 14. part. 2. quæst. 2. & alij Thomistæ. Quam etiam defendit Araux. ubi supr. conclus. 2. & sequuntur Suar. disput. 47. Metaphysic. sect. 17. nu. 15. Rub. hic quæst. 6. num. 52. & alij Moderni. A qua etiam revera non dissentunt Caiet. & Banez pro 1. adducti; siquidem fatentur sumi specificationem relationum à fundamento cum ordine ad terminum. Estque procul dubio mens D. Thom. ubi sup. Nam quod sumatur à fundamento expressè docet locis pro 1. sent. citatis. De quo etiam videri potest in primo distinct. 26. quæst. 2. art. 2. ad 4. & in 3. dist. 8. quæst. 1. art. 5. Quod autem etiam à termino sit desumenda, satis indicat verbis pro secunda sententia adductis: & tradit apertè 1. 2. quæst. 54. art. 4. ubi generaliter affirmat, quod *Omnia, quæ dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum, ad quæ dicuntur.* De quo etiam videri potest loco citato ex tertio sententiarum in solutione ad secundum, ubi expressè docet rationem, seu essentiam relationis sumi ex eo, ad quod dicitur. Ergo ex sententia D. Thom. ex utroque relatio sumit suam unitatem, & distinctionem.

Fundamentum sumitur ex eisdem locis: quia relatio essentialiter est ordo unius ad aliud: ergo utrumque per se requiritur ad essentiam eius, alterum tanquam id, à quo emanat relatio; & alterum tanquam id, in quod rēdit. Ergo eadem proportionem ab utroque sumitur species ipsius. Quod etiam probant rationes supr. pro duabus primis sententiis adductæ, si rectè perpendantur, ut constabit ex earum solutionibus. Videantur Masius, & Sanchez, ubi supra.

85. Sed



85 Sed inquires: quomodo fundamentum, & terminus concurrant ad specificationem relationis; *¶* Respondetur id non iisdem verbis explicari à Doctoribus; sed ferè eundem esse sensum. Alij enim asserunt fundamentum concurrere, vt præbens ipsum terminum, secundum quod fundamentorum diuersitas refunditur in rationem formalem termini; sicut principia concurrunt ad specificationem scientiæ, quatenus refunditur in rationem formalem obiecti. Sic declarat hoc Arauxo vbi supra. Alij clariùs id explicant, asserentes relationem specificari à fundamento quasi in genere causæ efficientis; quia fundamentum est radix, & causa relationis; à termino verò quasi in genere causæ formalis extrinsecæ: quia est id, in quo vltimò sistit relatio. Sic explicat Sanchez loco citato: cui consonant alij dicentes specificationem relationis sumi à fundamento initiatiue, & radicaliter, à termino verò completiue, & formaliter.

Quamuis autem hæc vera sint dummodo intelligantur iuxta proportionem supra num. 73. explicatam: adhuc tamen addendum duximus, ex ratione fundandi, terminandi, quasi compleri integrum specificationum, à quo sumitur vnitas, & multiplicatio specifica relationum. Vnde quia vnitas habet rationem boni, multiplicatio verò rationem mali: bonum autem coalescat ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu: idè ad vnitatem specificam relationum requiritur vnitas specifica vtriusque, scilicet fundamenti, & termini totalis. At verò vt relationes specificè multiplicentur, sufficit diuersitas specifica alterutrius. Quare, etiamsi ratio fundandi sit vna in specie; si tamen rationes terminandi specificè distinguuntur; relationes erunt diuersæ speciei: vt patet in albo, cuius similitudo ad alterum album, & dissimilitudo ad nigrum distinguuntur in specie. Et similiter è contra, etiamsi ratio terminandi sit vna; si tamen rationes fundandi sint diuersæ, erunt etiam diuersæ relationes, vt patet in relationibus correspondentibus, quas album, & nigrum dicunt ad secundum album.

*PROPOSITA; ET EXPEDITA  
quadam emergenti obiectione, satis fit  
argumentis initio factis.*

## §. II.

86 **D**ices, ex hac doctrina sequi, filium referri ad patrem, & matrem distinctis speciei filiationibus correspondentibus paternitati, & maternitati eorum. Hoc autem est falsum, & contra Diu. Thom. locis adductis in tercio argumento primæ sententiæ: ergo, &c. Probat sequela: quia saltem in sententia Aristot. 1. de generat. animal. capite secundo, & libro secundo, capite quarto, asserentis matrem passivè tantum concurrere ad generationem, necessariò concedendum est ex parte patris, & matris esse rationes radicales terminandi speciei diuersas; nempe concursum actiuum, & passiuum, ratione quorum relationes paternitatis, & maternitatis in eis fundatæ sunt specie distinctæ, vt expressè docet D. Thom. ibidem. Ergo si ad diuersitatem specificam relationum sufficit diuersitas specifica ex parte alterius extremi: necessariò asserendum est filium referri ad patrem, & matrem distinctis speciei filiationibus.

Propter hoc Argumentum Ferrara, 2. contra gentes cap. 2. §. *Ex illis pater*, quem sequuntur Vasq. *Colleg. Compl. Logica.*

1. parte qu. 32 art. 2. in annotatione ad Suar. vbi supr. num. 28. & alij asserit in alio esse quidem duas filiationes specie distinctas; loquendo formaliter & in esse relationis, quamuis materialiter, & in esse rei sit vna relatio, Et hoc tantum (inquit) voluisse D. Thom. loco illo adducto ex 3. parte, quando in corpore articuli docet filium eadem relatione referri ad patrem, & matrem. Quam expositionem satis videtur indicare Sanctus Doctor in solutione ad 3. vbi post verba loco citato adducto subdit: *Ex parte autem prolis est una relatio secundum rem; sed duplex secundum rationem, in quantum correspondet vtrique relationi parentum, secundum duos respectus intellectos*: ac si diceret: in prole materialiter, & in esse rei est vna tantum filiatio. Sed formaliter, & in esse relationis sunt duæ specie distinctæ, correspondentes paternitati, & maternitati, quæ specie differunt. Per quod tandem conciliat, & explicat alium locum ex quæstio. 32. primæ partis, supra pro 2. sententia adductum, vbi Angelicus Doctor docet duabus relationibus specie distinctis non posse ex opposito respondere vniam relationem: quod scilicet loquatur ibi de vnitatem relationis formaliter, & in esse relationis; non verò materialiter, & in esse rei, vt dictum est.

87 Cæterum, quamuis hæc sententia, & exceptio Ferrar. sit probabilis; longè tamen probabilius explicant Angelicum Doctorem cæteri Thomistæ, Caietani quæstione. 32. citata articulo 2. *ad secundum dubium*. Bañez ibidem dubio 1. conclusionem 2. Syluester, Torres: & Zumel in discursu eiusdem articuli. Nazar. controuerso. 2. Arauxo articulo 6. citato num. 48. Sanch. vbi supra conclusionem 5. & alij, qui vno ore negant etiam formaliter constituendas esse filiationes specie diuersas respectu patris, & matris.

Fundamentum est: quia licet diuerso modo concurrat vterque patens ad productionem filij, neuter tamen est causa completa, & per se sufficiens; sed concurrunt generationibus partialibus intrinsecè ordinatis ad complendum vnicum totale principium filij. Cuius signum optimum est, vt norat Diuus Thomas loco citato ex tertia parte, quod homo vnica natiuitate nascitur ex patre, & matre. Ergo non solum ex parte filij vnica tantum est productio passiuæ, quæ est ratio fundandi filiationem: sed etiam ex parte parentum tantum datur vna completa ratio radicalis terminandi, coalescens tanquam ex partibus heterogeneis ex concursu actiuo patris, & passiuo matris: & per consequens non dantur duæ integræ rationes terminandi, quod necessarium erat, vt specificè multiplicaretur filiatio. Ex quo tandem fit neque solam paternitatis, neque solam maternitatis relationem per se constituere integrum correlarium filiationis, sed esse quasi partes diuersas eiusdem integri extremi: ac proinde ipsas inter se solum distinguui specie incompleta, & quasi partialiter.

Per quod iam constat, non solum solutio argumenti; sed etiam vera intelligentia, & concordia D. Thomæ. Quando enim loco citato ex prima parte vniuersaliter docet relationibus specie diuersis non posse ex opposito correspondere vniam relationem; loquitur de relatis totalibus, seu de relationibus habentibus integras rationes fundandi, & terminandi, vt planè constat ex ipso contextu: sicque doctrina est verissima, & satis patet ex nostra conclusione. Quando verò loco citato ex tertia parte inquit aliquando contingere, quod existente eadem relatione ex parte vnius extremi, ex parte alterius sint multæ relationes;

ut in patre, & matre respectu filij; loquitur de relationibus partialibus, seu de relationibus, quarum fundamenta partialiter concurrunt ad vnum numero effectum, quales sunt paternitas, & maternitas, ut explicatum est. Et tandem quando ibidem addit, quod *Ex parte patris est una sola filiatio secundum rem, sed duplex secundum rationem*; satis ipse Sanctus se explicat verbis sequentibus: *In quantum correspondent utrique relationi parentum secundum duos respectus intellectus*. Et sic non est sensus, formaliter esse constituendam duplicem filiationem specie distinctam, sed quod in eadem reali, & specifica relatione filiationis, cointelliguntur duosum respectus rationis, secundum quod intellectus nunc intelligit ipsam, ut correspondet patri; & iterum, ut correspondet matri. Videatur Soncin. 3. Metaphysicæ quæst. 32. ad 7. Nazar. ubi supra, & alij Thomistæ citati.

88. ¶ Ad argumenta supra pro prima sententia adducta responderetur. Ad primum, illa loca Diui Thomæ intelligenda esse de specificatio per modum principij, à quo in genere causæ efficientis sumitur unitas relationis. Ut enim satis patet ex eius verbis, ibi Sanctus Doctor loquitur de unitate, vel pluralitate relationis quantum ad entitatem, seu realitatem eius: secundum quam rationem præcisè loquendo. verum est non sumi à termino; sed à fundamento: quia solum fundamentum est vera causa esse, seu realitatis relationis, ut præter loca supra numer. 72. adducta, docet ipse Sanctus 1. distinct. 26. quæst. 2. articulo. 2. ad 3. & 3. distinct. 8. quæst. 1. articulo 3. & alibi sæpè. Cum quo tamen stat proprium conceptum relationis, seu explicitam rationem ad eam sumi à termino, ut ibidem docet Angelicus Doctor.

Per quod patet ad secundum. Solum enim probat à fundamento sumendam esse unitatem relationis quantum ad entitatem, & realitatem eius, quod non inficiamus. Cæterum quia, ut eisdem locis, & prima parte quæst. 28. art. 2. tradit D. Thom. & nos explicuimus supra num. 12. inter alia prædicamenta accidentium habet hoc speciale, relatio, quod ultra habitudinem ad fundamentum, à quo accipit esse, & realitatem; dicit etiam ex propria ratione ordinem ad extrinsecum terminum: inde est, hoc esse speciale in relatione, ut propria eius unitas, aut distinctio non solum sumatur ab eo, in quo, & à quo habet esse, sed etiam ab eo, ad quod est.

Ad tertium responderetur, in illo priori solum intelligi specificationem relationis radicaliter, & ininitiativè; non verò formaliter, & completè, usque dum intelligatur terminus: quia neque etiam ante illum intelligitur completa ratio relationis.

Ad quartum iam constat ex dictis num. 85. ubi etiam explicuimus verba D. Thom. adducta in primo argumento secundæ sententiæ: quæ quocumque modo intelligatur, solum probant specificationem relationum completivè, & formaliter sumendam esse à termino, ut consideranti patebit.

Ad secundum eiusdem secundæ sententiæ responderetur maiorem esse veram, si intelligatur vniuersaliter de omni eo, ad quod accidens relatum dicit essentialem habitudinem, siue tanquam ad terminum, siue tanquam ad causam, vel obiectum, &c. Vnde quia relatio prædicamentalis secundum adæquatam rationem, non solum respicit essentialiter terminum; sed etiam proprium fundamentum, à quo causatur: ideo potest ipsum radicaliter concurrere ad eius specificationem.

Ad tertium responderetur, quod in definitione sufficit ponere loco differentie id, quod specificat completivè, & formaliter: quia in eo quodammodo continetur specificativum radicale: & ideo rectè definitur relatio per proprium terminum, seu correlativum iuxta dicta quæstione præcedenti.

Ad quartum responderetur non solum posito, & ablato termino, poni, & auferri relationem; sed etiam posito & ablato fundamento. Nam sicut, stante eadem ratione fundendi, dantur relationes speciei diuersæ propter diuersos terminos; sic etiam stante eadem ratione terminandi, dantur diuersæ relationes propter diuersa fundamenta. Et ita argumentum potius probat nostram conclusionem.

### *Quomodo disponenda sit arbor huius prædicamenti.*

#### §. III.

89. EX dictis, iam possunt aliquantulum ordinari divisiones huius prædicamenti: (cas enim omnino comprehendere videtur impossibile.) Prima est, quam supra ex Aristotele explicuimus, iuxta tria illa fundamenta ab ipso assignata. Et circa eam solum se offert notandum, quod cum actio, & passio sint genera suprema: nihil habent commune, per quod veraque possit fundare aliquod vnum genus subalternum relationis: ac proinde relationes ibi fundatæ immediate continentur sub generalissimo huius prædicamenti. Et consequenter prima ista divisio in re veritate est quadrimembris: per quam diuiditur relatio in eam, quæ fundatur in quantitate; in actione, in passione, & in mensurabilitate.

Ab hoc autem ultimo membro incipiendo, non improbabiler posset quis asserere, omnes relationes in eo fundatas esse eiusdem speciei: quia idem videtur esse modus, quo res omnes respiciunt mensuram suæ perfectionis: per quod excusarentur penè infinitæ divisiones relationis. Hoc tamen parum firmum est: cum enim ex distinctione fundamenti sumatur distinctio relationum, & ratio fundandi istas sit intima perfectio rei mensurabilis, ut supra explicuimus: consequenter asserendum est tot esse relationes essentialiter distinctas sub hoc genere, quod fuerint essentialiter, seu naturæ quæ intrinsecè petant per aliam perfectionem mensurari.

Duo alia genera rerationum, quæ scilicet fundantur in actione, & passione, diuiduntur in varias species iuxta divisiones ipsius actionis, & passionis quas suis locis adducemus, ac eadem repetamus. Et ideo solum restat diuidere relationem fundatam in quantitate.

90. Hoc ergo genus relationis primò diuiditur in eam, quæ fundatur supra unitatem; & in eam, quæ fundatur supra numerum. Sub primo membro continentur identitas, æqualitas, similitudo, propinquitas, & diuersitas, inæqualitas, dissimilitudo, distantia, iuxta ea, quæ supra numero 3. diximus. Relatio fundata in numero nomine incompleto appellatur proportio: diuiditurque in proportionem æqualitatis, ut inter 2. & 2. aut 4. & 4. &c. quæ est species infima: & in proportionem inæqualitatis. Quæ rursus est duplex, alia appellatur inæquale excedens, quia est à maiori ad minus: & alia dicitur inæquale excessum, quia est à maiori ad maius.

Porrò

Potest inæqualitas excedens est quintuplex; alia dicitur multiplex, alia superparticularis, & alia superpartiens, alia multiplex superparticularis, & alia multiplex superpartiens. Prima diuiditur in duplam, triplam, quadruplam, &c. Secunda in sexquialteram, sexquiterciam, &c. Tertia in superbipartientem, supertripartientem, &c. Quarta in duplam sexquialteram, duplam sexquiterciam; & triplam sexquialteram, triplam sexquiterciam, &c. Et quinta in duplam superbipartientem, duplam supertripartientem, triplam superbipartientem, triplam supertripartientem, &c. quæ omnes sunt species infimæ.

Similiter diuiditur alia inæqualitas, quæ appellatur inæquale excessum. Et ista etiam est quintuplex: alia dicitur submultiplex, alia subparticularis, alia subpartiens, &c. quarum vnaquæque diuiditur in species correspondentes speciebus enumeratis, ut consideranti patebit. Quas omnes proportionales speculantur ex professo Arithmetici, & perstrinxit breuiter Omniscius D. Thom. 5. Metaphysic. lect. 17. quem consulat, qui cupit earum notitiam comparare.

*Quid de unitate numerica relationis dicendum sit.*

§. IV.

91. **N**ihil potest in præsentī circa hanc unitatem ab imis fundamentis definiri: pendet enim ex generali quæstione de indiuiduatione accidentium. Breuiter tamen relictis, Scoto in 3. dist. 8. quæst. 1. Vaz. tom. 4. in 3. p. q. 91. art. 1. dub. 4. Suar. ubi supra num. 16. & aliis, qui iuxta multitudinem terminorum multiplicant numerum relationum.

Dicendum est unitatem, & distinctionem numericam relationum sumendam esse ex unitate, vel distinctione numerica subiecti, cui inhaerent: ac proinde eundem patrem, verbi gratia, eadem numero paternitate respicere plures filios: & eundem magistrum eodem numero magisterio plures discipulos; & sic de aliis. Ita docet expressè D. Thom. 3. quæstion. 25. art. 5. ubi inquit: *Et quia plures forma eiusdem speciei non possunt simul esse in eodem subiecto: non est possibile, quod sine plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum generatione naturali.* Idem habet Quodlibeto primo artic. 2. & Quodlibeto 9. artic. 4. & alibi sæpè. Quem sequuntur concorditer discipuli eius, Caiet. & Medin. 3. part. quæst. 35. citata, Alvarez ibidem disput. 45. numer. 16. Ripa. 1. part. quæst. 28. artic. 2. dubitat. 1. ad 4. Canariensis quæst. 42. artic. Banez quæstione 76. art. 2. dub. vnico, & lib. 1. de generatione quæst. 10. art. 9. ad 4. Capreol. in 1. distinctione 7. quæst. 2. art. 2. Herbeus in 2. distinctione 8. quæstione 1. Paluda. ibidem quæstione. 2. Soncin. 5. Metaph. quæstione 32. conclusionē 3. Iabel. qu. 8. Masius hic lect. 3. quæstione 4. Sanch. lib. 4. quæstione 39. noster Didac. à Iesu disput. 14. part. 2. quæstione 2. & alij.

Probat ratione generali Diui Thomæ, quia duo accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subiecto: ergo neque duæ paternitates in eodem albo respectu duorum filiorum: neque duæ similitudines in eodem albo respectu duorum terminorum, &c. Consequentia pater. Antecedens verò habetur expressè apud Diu. Thom. tùm loco citato: tùm etiam quæst. vnica de virtutibus art. 11. & 3. dist. 23. quæst. 3. artic. 4. quæstiuncula 3. lib. 5. Metaph. Colleg. Compl. Logica

lect. 12. & alibi sæpè: latèque à nobis ostendendum est in libris de generatione.

92. Sed obiici potest: quia pater habens filium supertueniente alio, incipit realiter referri ad illum; si verò moriatur, definit realiter respicere ipsum, manente paternitate circa alium: ergò verè dantur in illo plures relationes paternitatis. Antecedens videtur certum: quia ante generationem secundi filij, pater non referebatur realiter ad illum; posita verò generatione, iam refertur realiter ad eum: ergo de nouo incipit referri. Similiter utroque filio existente, pater verè respicit ipsos: altero verò pereunte, iam non refertur ad illum: ergo definit realiter respicere ipsum. Consequentia etiam probatur ex regula supra numero 50. explicata: quia quando vnum aduenit realiter, altero iam existente, vel peti realiter, altero remanente, realiter inter se distinguuntur.

Respondetur, quòd sicut acquisita scientia circa vnā conclusionem, quando habetur demonstratio circa aliam eiusdem obiecti, non aduenit nouus habitus, sed noua extensio præexistentis per quam ille ipse habitus, qui antea inclinabat ad assentiendum primæ conclusioni, denud inclinatur etiam ad assentiendum secundæ, ut constabit in libris de generatione: sic similiter ad hoc, ut pater habens filium, quando nascitur alius, dicatur de nouo respicere illum; non est necessarium, ut addatur noua relatio realis; sed quod præcedens quasi extendatur ex parte termini materialis, & cointelligatur motus, respectu rationis ad talem filium, ut docet D. Thom. locis citatis.

93. Est tamen discrimen valdè notandum, quòd scientia per talem extensionem intrinsecè, & realiter mutatur, & fit maior: quia in sua entitate verè habet latitudinem, & suscipit magis, & minus: relatio verò consistit in indiuisibili, ut quæstione sequenti videbimus: & idè intrinsecè non fit maior; sed dicitur extendi; quia multiplicantur termini materiales sub illa ratione formali, quam per se primò respicit, & quia in ea cointelliguntur diuersi respectus rationis ad illos. Verbi gratia hæc numero paternitas, quæ est in Petro, non respicit per se primò hunc, vel illum filium in particulari; (ut aduersarij in hoc decepti existimant:) sed communem rationem filij à se geniti. Non enim talis relatio habet quòd sit hæc, & indiuidua per hoc, quòd sit ad hunc particularem filium; sed per hoc, quòd est huius particularis hominis, qui est pater. Quia ergo terminus per se primò respectus, nunc participatur ab vno; postea à duobus, aut pluribus filiis: idè relatio dicitur extrinsecè extendi, ex eo quod addatur nouus terminus materialis, & nouus respectus ad illum. Ex quo tandem sequitur nullam fieri mentionem intrinsecam in ipsa entitate paternitatis, quando nascitur alius filius. Nam quamuis secunda, aut tertia generatio sufficiens esset, ut resuleret relatio, si nondum esset in Petro: per accidens tamen in hoc casu non producit: quia inuenit productam. Per quæ soluuntur alia omnia argumenta, quæ Scotus, Suarez, & alij adducunt contra sententiam D. Thom.

\*\*\*

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Quomodo intelligenda sunt proprietates relationum ab Aristotele assignata.*

94. **Q**uinq̃ue relationum proprietates adducit Aristot. in hoc capite, ut vidimus in textu, quarum notitia magna ex parte habetur ex dictis in hac disp. & ideo quæ circa illas aliqui latius pertractant, breuiter nos in hac quæst. colligimus.

A primo ergo incipiendo, communis Interpretum consensus cum Auerroë, & aliis Antiquis in hoc cap. fatetur, quod habere contrarium, non conuenit relationi secundum se, sed ratione fundamenti, quando est qualitas, ut supra n. 4. dicebamus. Cuius optimam rationem reddit in præsentī Caiet. quia nimirum ad relationem non datur per se motus; bene autem ad qualitatem ergo non potest relatione sui habere contrarium: sed solum ratione qualitatis, in qua fundatur. Neque de hoc est controuersia inter Doctores.

95. Idem etiam dicendum est de secunda proprietate, quidd scilicet in rigore loquendo, relatio secundum se non suscipit magis, & minus: sed tantum ratione fundamenti, quando est qualitas. Quæ etiam est communis sententia Expositorum cum Auerroë, ubi supra. Pro qua videri possunt D. Thom. 1. 2. q. 82. art. 4. Caiet. in hoc capit. Soto ibidem qu. 1. ad 4. & 5. Arauxo 5. Metaph. artic. 10. & alij. Ratioque est facilis: quia suscipere magis, & minus, seu intendi, & remitti proprie loquendo exigit, ut in ipsa essentia etiam individuali rei quæ intenditur, aut remittitur sit latitudo quædam gradualis, ratione cuius possit secundum se ipsum augeri, vel minui, seu magis, aut minus imprimi subiecto: quod quidem solis qualitatibus conuenit, ut satis ostendimus supra disp. 12. num. 36. & constabit amplius disp. sequenti: ergo reuera relatio secundum se non suscipit magis, & minus, nisi ratione qualitatis, in qua fundatur.

Sunt tamen contra hoc duo non leuia argumenta. Primum est: quia non solum relationes fundatæ in qualitatibus, ut similitudo, & dissimilitudo dicuntur magis, aut minus (album enim ut quatuor, magis simile est alteri albo ut quatuor, quam albo ut duo,) sed etiam relationes quæ fundantur, in quantitate: ut æqualitas, & inæqualitas; (palmus enim magis inæqualis est vlnæ, quam pedi:) sed magis, & minus harum relationum non potest provenire à fundamentis; cum quantitas non suscipiat magis, & minus: ergo conuenit ipsis relationibus secundum se.

Secundò idem probatur de relationibus similitudinis, & dissimilitudinis. Quia hæc decrescere possunt, crescente fundamento, & è contrà: ergo ipsæ relationes secundum se, & non à fundamento suscipiunt magis, & minus. Consequentia videtur nota. Antecedens autem constat experientia: ponantur enim duo alba, alterum ut sex, & alterum ut quatuor: inter hæc quidem est similitudo; augeatur postea album ut sex, vsque ad octo: tunc crescente fundamento decrescit similitudo, ut patet.

Si autem respondeas inter album ut sex, & album ut quatuor in rei veritate non esse similitudinem, sed potius dissimilitudinem, quæ in casu posito crescit, crescente fundamento adhuc: non

effugitur difficultas. Nam, esto ita sit; si augeatur album ut quatuor vsque ad quinque, tunc minuitur dissimilitudo, & tamen crescit fundamentum: ergo, &c.

96. In horum solutione multi multa dicunt; sed melius sentientes respondent cum Fonseca 5. Metaphysic. cap. 15. quæst. 5. section. 2. relationes consistere in indiuisibili (quod etiam docuit D. Thom. prima secundæ quæst. 52. art. 1.) ac proinde quando augetur, vel minuitur quantitas, vel qualitas, non augeri, aut minui relationes; sed variari, ita ut priores deperdantur, & acquirantur alie: & consequenter nullam in se suscipere magis, & minus. Videatur Arauxo ubi supr. conclusionē 2. ¶ Est tamen aduertendum, non idē asserendum esse, quod aliqui volunt, & tangitur in secundo argumento, scilicet tunc solum relationem inter qualitates eiusdem speciei esse similitudinem quando illæ sunt eiusdem intensionis; quando verò altera est remissior, aut intensior alia, tunc esse dissimilitudinem. Hoc, inquam, falsum est: tum quia iam similitudo, & dissimilitudo non essent relationes specie distinctæ: tum quia est expressè contra D. Thom. prima parte, quæst. 42. art. 1. ad 2. ubi inquit: *Quacumque communicant in una forma, possunt dici similia, etiamsi inæqualiter illam participant, ut aer, dicitur similis igni in calore: sed non possunt dici aequalia, &c.* Quamvis ergo ex intensione, vel remissione qualitatis relationes ibi fundatæ varientur, ut explicatum est; tamen dum manent qualitates eiusdem speciei, omnes relationes dicuntur similitudines.

97. Tertia proprietas, scilicet relatiua dici ad conuertentiam, solum indiget explicatione. Non enim ibi loquitur Aristoteles de conuersione proportionum, quam explicuimus lib. 2. Summularum: neque sermo est de conuertibilitate terminorum, secundum quam illi dicuntur conuertibiles, qui mutua prædicatione de se inuicem recto prædicantur, ut patet. Sed dici ad conuertentiam in præsentī est, quod vnum relatiuum explicetur per ordinem ad aliud in obliquo positum, vel quomodolibet dicatur esse illius: nam eo ipso quod inter aliqua duo sit aliquis respectus; qui respicit, aliquem respicit, & qui respicitur, ab aliquo respicitur. Quæ quidem proprietas præcisè sumpta, non solum conuenit relatiuis secundum esse, & propriis; sed etiam impropriis, & secundum dici, si rectè assignentur, ut satis constat ex præcedentibus. Et idē talis proprietas non conuenit huic prædicamento quarto modo proprii, sed secundo.

Dux vltimæ proprietates, scilicet esse simul natura, & cognitione, sunt maximè propriæ relationum secundum esse, & prædicamentalium; oriunturque ex propria, & formali ratione constitutiva huius prædicamenti: & idē earum notitia valdè conducit: ad plenam relationis cognitionem comparandam.

98. Sciendum est ergo ex Arist. intra cap. de modis simul, illa dici simul natura, *Quæ essendi quidem consequentia cum conuertantur: neutrum tamen ut sit, alteri causa est, ut in duplo, & dimidio intueri licet: hæc enim conuertuntur: nam si duplum est, dimidium est, et si dimidium est, duplum est: neutrum tamen est causa, ut alterum sit.* Quibus verbis, ut ex Paulo Veneto notat egregiè Soto hic in expositione textus quinti, duæ continentur conditiones necessariæ requisitæ, ut aliqua sint simul natura, quarum qualibet deficiente, non datur talis simultas. Prima est quod *se mutuo inferant*, ita ut si vnum est, alterum etiam sit, & è contrà. Secunda est, quod *unum non sit causa alterum.* Quod manifestè apparet in relationibus mutuis,

fit, & è contra. Secunda est, quod *unum non sit causa alterius*. Quod manifeste apparet in relationibus mutuis, tam disquarantiae, quam æquarantiae. Nam paternitas, & filiatio; & similitudo huius, & illius albi se mutuo inferunt, ut patet, & una non est causa alterius: non enim una relatio efficit aliam: cum non sit activa; neque est finis eius, aut forma, ut patet; neque tandem respicit illam; siquidem una relatio non potest fundari in alia, ut videmus supra num. 31.

Idem etiam dicendum esse de relatiuis non mutuis quod scilicet proprie, & formaliter sumpta sunt simul natura, si recte assignentur correlatiua, vidimus supra n. 80. & nunc facile ostenditur ex prædictis duabus conditionibus simultatis. Etenim relatiua illæ denominationes abidem explicatæ, quibus à relatione vnius extremi utrumque denominatur relatiuum, alterum intrinsecè, & alterum extrinsecè, se mutuo inferunt; siquidem bene valet: datur scientia secundum actum: ergo datur obiectum scitum; & similiter datur obiectum scitum: ergo datur scientia secundum actum: & una denominatio non est causa alterius; quandoquidem repugnat talem relationem tribuere fundamento denominationem relatiui; quin in eodem signo naturæ intelligatur correlatiuum cui formaliter opponatur, & consequenter ipsa relatiua denominatio, à qua constituitur in essentialis, ut magis explicuimus loco citato.

99 Hæ autem duæ conditiones non inveniuntur in rebus absolutis, quæ istis relationibus substantur. Nam generans, & genitum, supra quæ fundantur paternitas, & filiatio, licet se mutuo inferant; valet enim: est generans: ergo est genitum; & è con-

trà; tamen unum est causa alterius, ut de se patet. Similiter ex duobus albis, super quæ fundantur similitudines, licet unum prout sic, non sit causa alterius; tamen non se mutuo inferunt: non enim valet, est hoc album ergo & illud, & tandem scientia, & scibile, licet recte assignata se mutuo inferant, ut dictum est; sumpta tamen pro rebus absolutis alterum est causa alterius; siquidem obiectum quatenus tale, habet rationem causæ respectu scientiæ.

Ex quo iam fit relationes omnes, siue mutuas, siue non mutuas verè esse simul natura; & consequenter fundamentum, & terminum, formaliter ut denominatur ab ipsis, & ut significantur nominibus relatiuis. At ipsæ entitates absolutæ fundamenti, & termini non sunt simul natura; & consequenter neque fundamentum, & terminus, prout significantur nominibus absolutis. Quando ergo inquit Aristotel. relatiua esse simul natura: sensus est formalis, & loquitur non de entitatibus absolutis fundamenti, & termini, sed de ipsis relationibus, seu de fundamento, & termino, secundum quod formaliter denominantur ab eis, & significantur nominibus relatiuis. Per quod tandem constat proprietatem istam conuenire huic prædicamento quarto modo proprii.

Eodem sensu, & proportionem explicanda est vltima proprietas. Ex eo enim quod relatiua formaliter sumpta sunt simul natura, consequens est, ut unum debeat definiri per aliud, secundum quod relatiuum est: ac proinde repugnabit unum sine alio cognosci, quod est esse simul cognitione. Neque in hoc est amplius immorandum, suppositis his, quæ supra quæst. 6. dicta sunt.

## C A P V T O C T A V V M.

## De Qualitate, &amp; Quali,

## S V M M A T E T V S.

**Q**UÆ præstat in hoc capite Aristot. Primò definit in abstracto qualitatem dicens: *Qualitatem autem voco, secundum quam quales esse dicimur.* Secundò enumerat quatuor eius species. Prima est habitus, & dispositio, ut scientia, & virtus, sanitas, & morbus. Secunda est naturalis potentia, & impotentia; ut curare, & sanare, & pugnare, & valetudinarij. Tertia est passio, & passibilis qualitas; ut rubor, vel pavor ex verecundia, aut metu causatus, & amaritudo, vel dulcedo. Quarta tandem est forma, & figura ut triangulus, & pyramis. Quibus speciebus enumeratis, definit in concreto quale, dicens, *Qualia autem sunt ea, quæ denominatiue ab eis, aut aliquo alio modo dicuntur.* Tertio & vltimò enumerat tres qualitatis proprietates. Prima est, habere contrarium, ut iniustitiæ contrariatur iustitia, & albedini nigredo, quæ tamen proprietas non conuenit omni qualitati, quia lux non habet contrarium. Secunda est suscipere magis, & minus, quæ etiam non conuenit omni qualitati, tum quia de iustitia, & sanitate (inquit Arist.) aliqui asserunt non dici magis, & minus, licet id concedant earum concretis, tum etiam quia de figura certum non est suscipere magis, & minus; siquidem neque trianguli, aut circuli ratio, neque concreta ipsa dicuntur magis, aut minus talia.



NOTATIONES CIRCA HOC  
caput.

**N**omen Qualitatis ( quod se inuenisse testatur Plato in Theceto ) varias habet acceptiones , quas refert Simplicius in hoc capite. Tres sunt præcipue, quas ex Aristotele 5. Metaphysic. cap. 14. & 18. colligunt communiter DD. *Primo* sumitur pro quacumque differentia etiam essentiali : quo sensu differentiarum sæpè appellantur qualitates generis : & de illis dicitur , quod prædicantur in quale. *Secundo* pro omnibus accidentibus, siue propriis, siue communibus, siue huius, siue alterius prædicamenti : quomodo de omni accidenti dicitur , quod prædicatur in quale , non solum quoad modum significandi, sicut differentiarum ; sed etiam quoad rem significatam, ut explicuimus supra, disp. 5. num. 12. *Tertio* tandem sumitur qualitas , ut significat peculiare prædicamentum accidentis ab aliis condistinctum, à quo propriè , & simpliciter denominamur quales , & per quod respondetur ad interrogationem factam per quale , ut distinguitur ab interrogatione facta per quid, quantum, ubi, quando, &c. Sicut enim si quæritur quantus est Petrus ; respondetur est bicubitus, aut tricubitus ; & si quæritur, ubi est Petrus ; respondetur in Ecclesia, vel in foro : ita quando quæritur, qualis est Petrus ; respondetur per terminos huius prædicamenti : est albus, vel niger ; Dialecticus, vel Philosophus, &c.

In hac ergo tertia acceptione describit Aristoteles qualitatem dicens : *Qualitas est, secundum quam quales esse dicimur* : id est, qualitas est accidens, à quo res constituitur in esse qualis, & per quod propriè respondetur interrogationi factæ per quale. De qua definitione postea redibit sermo : sicut etiam de speciebus, quas in secunda parte cap. assignat Aristot. Hoc solum libuit in præsentī annotare, quod quamuis B. Albert. & Caiet. velint in illo verbo definitionis, quod solet poni in prima persona, scilicet, *dicimur*, esse mysterium, ut scilicet indicaret Arist. sub hac definitione comprehendere qualitates spirituales, & corporeas, quæ simul in homine inueniuntur : hoc tamen mysterium non cogitauit Aristot. nam in textu Græco legitur in tertia persona *λεγομαι λεγόμενα*, id est, dicuntur : sicque transtulerunt Argyropilus, & Peronius. Vbi etiam nota non abire Aristot. in hoc prædicamento seorsim explicuisse abstractum, & concretum qualitatis : sicut etiam titulus promittebat : id enim fecit, vel quia ab Antiquis non eodem modo sumebatur, ut notat Porphy. in interrogationibus : vel quia qualitatis essentia obscura erat, & ita non potuit commodius describi, quam per suum concretum, quod nobis notius est propter quod verumque oportebat aliquo modo explicare.

3 Ex proprietatibus in tertia parte capitis adductis, prima satis constat ex dictis cap. de substantia pum. 45. ¶ Circa secundam verò, ut plenè perciperetur, agendum erat de intensione, & remissione qualitatum. Sed aliena est à præsentī instituto talis disputatio : & ideo solum est notandum intensiōem, & remissionem, seu latitudinem gradualem, ut aliqui loquuntur, aliquando inueniri in qualitatibus cum variatione, ita ut eadem qualitas in eodem subiecto, modò sit intensior, & modò remissior : quod contingit in aliquibus qualitatibus quæ sunt termini alterationis ; ex eo quod causa nunc fortius, nunc

debilius operatur, ut patet in calore, & frigore : & hoc modo certum est non omnes qualitates suscipere magis, & minus, seu intendi, & remitti. Nam præter qualitates quartæ speciei, de quibus id expressè docet Aristoteles in hoc cap. plures aliæ secundæ speciei, & fortasse omnes non intenduntur, & remittuntur ut patet de intellectu, & voluntate.

Aliquando verò intensio, & remissio, seu latitudo gradualis inueniuntur in qualitatibus inuariabiliter : quando scilicet eadem qualitas in eodem subiecto non augetur, aut minuitur, saltem de potentia ordinaria : verè tamen habet in se latitudinem intensiuam. Cuius signum est, quod tales qualitates in diuersis subiectis inueniuntur magis, & minus intensæ. Et huiusmodi sunt intellectus, & voluntas ; & aliæ potentie sensitivæ, & fortè omnes qualitates secundæ speciei : quamuis ob variationem dispositionum in organis, sæpè contrarium appareat.

5. Si ergo extensio, & remissio sumantur, altero ex his modis, certum est non conuenire omnibus qualitatibus, quæ sub prima, secunda, & tertia specie continentur ; benè tamen si sumantur secundum se, prout abstrahunt ab hoc, vel illo modo, qui per accidens sunt ad veram rationem latitudinis gradualibus. Arque ita in hoc sensu omnes qualitates, excepta forma & figura, verè suscipiunt magis, & minus. Quæ doctrina est expressa D. Th. 1. 2. quæst. 5. art. 1. ubi loquens de augmento intensiuo habituum, quod ipse vocat secundum participationem subiecti, refert ex Simplicio, inter qualitates solam figuram non suscipere magis, & minus. Quam sententiam approbat, & illustrat D. Thom. redditque eius optimam rationem ex Arist. ut patet in textu. Ex quo tandem fit, quod si forma, & figura constituunt veram speciem qualitatis (de quo infra) talis proprietas conuenit huic prædicamento primo modo proprii, scilicet soli, sed non omni ; sicut etiam prima, ut inquit Arist.

Circa tertiam, & ultimam proprietatem solum est aduertendum, quod sicut nomen qualitatis solet transferri ab hoc prædicamento ad alia : ita similitudo, & dissimilitudo, quæ significant relationes in veris qualitatibus fundatas, transferri solent ad significandas relationes, quæ fundantur in aliis prædicamentis. Quo sensu duas substantias, duas quantitates, aut relationes solemus appellare similes, quando sunt eiusdem speciei ; dissimiles verò, quando sunt speciei distinctæ. Sed hoc non tollit, quo minus similitudo, & dissimilitudo propriè sumptæ tantum significant relationes, quæ fundantur in veris qualitatibus & per consequens, proprium erit qualitatibus quarto modo proprii, ut secundum eam res dicantur propriè similes, & dissimiles.



## DISPUTATIO XV.

## De prædicamento Qualitatis.

**Q**UAM Qualitas non solum relationi, sed etiam quantitate dignitate præferatur, ut suis locis notauimus : non est cur dubitemus ipsam esse aliis imperfectionibus prædicamenti anteposendam. Iam verò suppositis iis, quæ circa litteram capitis, & qualitatis proprietates adnotauimus : solum restat essentiam eius, & species investigare. Pro quo sit.

## QVÆSTIO

Q V Æ S T I O I.

*An definitio Qualitatis ab Aristotele tradita sit bona.*

5 **D**ifficile semper fuit essentiam qualitatis in communi explicare, ut testatur D. Augustinus in suo Categoriarum libro. Quamvis enim ex eo, quod sit genus supremum, & conceptu simplex, propriè definiri non possit, tamen aliorum prædicamentorum essentias aliquantulum explicamus, considerato eo, in quo vniuscuiusque species conveniunt; ut ratio *extensionis*, in quantitativis: ratio *ad*, in relationibus, &c.

Cæterum in qualitate, neque ad hunc modum apparet aliquid, per quod possimus illius essentiam utcumque explicare: nisi per eius concretum, ut fecit in hoc cap. Aristot. qui modus definiendi valde obscurus videtur. Quod cernens ipse 5. Metaph. cap. 14. ubi erat proprius locus definiendi, agens de qualitate nullam eius definitionem tradidit. Ex quo sumpsit occasionem Oñs hinc quæst. 1. art. 1. asserendi, Aristot. non cognovisse qualitatis essentiam. Et ideo oportet ante omnia definitionem ab ipso traditam examinare.

Contra quam multa communiter obiiciuntur, & quidem non levia argumenta. Primum est, quia in tali definitione, definitum definitur per seipsum, siquidem in rei veritate idem est qualitas, & quale: ergo mala est definitio.

Secundò, quia hæc definitio non est notior definito: nam ad cognoscendum quid sit *quale*, oportet scire quid sit *qualitas*: ergo malè qualitas definitur per quale.

Tertiò, quia iam in definitionibus rerum absolutarum daretur circulus, contra id, quod diximus disp. præcedenti num. 70. imò illum commisit in hoc cap. Arist. dum primò qualitatem per quale, & postea quale per qualitalitatem definiuit.

Quartò tandem, quia definitum ingrederetur definitionem: ergo nullo modo admittenda est prædicta definitio.

6 Nihilominus dicendum est, quod quamvis definitio Arist. non solum non sit rigorosa; sed neque ita propria & exacta, sicut sunt definitiones, quas de aliis prædicamentis tradimus: adhuc tamen non est contemnenda; sed licet illa vti primam partem conclusionis satis convincunt argumenta facta: eamque admittunt communiter Doctores. Secunda verb est contra aliquos Modernos, quibus familiare est definitiones Arist. & communiter receptas repudiare. Inter quos Hurtado disput. 14 Metaph. sect. 1. hanc Arist. definitionem valde reprehendit: inquit, quæ non esse definitionem, sed inanem quandam nugationem.

Cæterum, quàm sit ipse reprehendendus, patet: tum quia D. Thom. Opusc. 48. tra. 4. c. 1. dictam definitionem admittit & explicat, eaque utuntur communiter, tam Metaphysici, quàm Dialectici: tum etiam quia cum vix appareat aliquid, in quo conveniant omnes species qualitatis ab Arist. assignatæ: vix potuit ipsa commodius describi, quàm per eius effectum formalem significatum nomine sui concreti, quod nobis est aliquantulum notius: siquidem non facile apparet nomen aliud clarius, qualitati in communi adæquatè respondens. Quod sufficit, ut definitio Arist. non contemnenda: præcipue cum generalissima non

possint propriè definiri. Videatur Gallego hinc controu. 27.

7 Ut autem hoc plenè percipiatur notanda est egregia Arist. doctrina. lib. 6. Topic. 2. ubi docens definitionem debere tradi per notiora, addit dupliciter hoc contingere.

Primò quando res per, quas traditur definitio, sunt absolute, & secundum se notiores; quod contingit, quando sunt priores: quia tunc sunt verè partes, seu principia definiti; ut punctum; respectu lineæ; unitas respectu numeri, & litera respectu syllabæ. Et tunc definitio est propriè, & rigorosè definitio, proprièque explicat essentiam rei: quia traditur per ea, quæ secundum se sunt notiora, & priora definito. Ut quando dicimus. *Linea est quantitas continua causata ex ductus puncti: Numerus est quantitas discreta unitatum, &c.*

Secundò solet definitio tradi per ea, quæ nobis notiora sunt, licet secundum se sint minus nota: (contingit enim esse nobis notiora, quæ secundum se sunt ignotiora, ut dicemus in Proæmio Philosophiæ: ) & hoc modo res posteriores & compositiores sunt nobis magis notæ, quàm priores & simpliciores: & ideo has per illas solemus definire, ut quando dicimus. *Punctum est extremum lineæ: Unitas est principium numeri: Litera est elementum syllabæ, &c.*

Quæ quidem definitiones, licet propriè non explicant essentiam rei, quæ definitur: quia non traduntur per ea, quæ secundum se sunt priora & notiora: quia tamen traduntur per notiora nobis; iuvant, ut clarius cognoscamus res illas, quæ secundum se sunt priores & notiores; ut ita tandem per eas res posteriores definiri possimus.

8 Hanc doctrinam ferè ad verbum statuit Aristotelo citato. Et ratio eius est: quia cum in definitionibus non sit procedere in infinitum: quando res posteriores per priores definimus, necessariò deveniendum est ad aliquam primam: quæ non possit per aliam priorem definiri; & consequenter neque habere propriam definitionem.

Si tamen eam utcumque explicare velimus, retrocedendum erit ad posteriores, quæ nobis magis sunt notæ: ut patet in exemplo adducto. Quia enim superficies posterior est linea: & linea puncto: ideo optimè superficies definitur per lineam, & linea per punctum: sed punctum, cum sit primum in quantitate continua: nō habet aliud prius per quod definiatur. Quare si velimus illud utcumque explicare, oportebit retrocedere ad posteriora, quatenus sunt nobis notiora. Huiusmodi tamen definitiones secundum quid tantum, & quoad nos possunt appellari definitiones: nam ut bene inquit Arist. ibid. vera & propria definitio debet tradi per ea, quæ secundum se sunt notiora, & priora definito.

Cum ergo quodlibet concretum quoad nos sit magis notum, quàm suum abstractum: quia ut ex Arist. lib. 7. Metaph. sæpè retulimus, concreta apparent magis entia, quàm abstracta: ideo quando abstractum non potest habere veram definitionem ut sunt sunt generalissima accidentium; non incongruè definitur per concretum, tanquam per rem nobis notiozem; maxime quando non facile appareat aliquid aliud clarius per quod definiatur. Et hoc modo definiuit Arist. qualitatem per quale, quod nobis notius est.

Cum autem huiusmodi definitiones secundum quid tantum, quoad nos sint definitiones, ut dictum est, non oportet in eis conditiones propriæ & rigorosæ definitionis ad vnguem observari, sed satis est, si aliquo modo, & secundum quid tantum verificentur. per quod patet ad argumenta.

9. Ad primum responderetur, in hac definitione non omnino definiri idem per se ipsum: sed eandem rem, quatenus est minus nota, & significatur in abstracto, definiri per se ipsam, ut significatur in concreto; quomodo est nobis notior. Quod licet non sufficiat ad propriam & rigorosam definitionem; sufficit tamen ad eam, quæ secundum quid tantum, & quoad nos est definitio, ut dictum est.

Per quod patet ad secundum. Hæc enim definitio, quoad nos, notior est ipso definito: siquidem quale nobis notius est, quam qualitas: quamvis secundum se sit ignotius; & propterea, quale secundum se explicatur per qualitatem; quoad nos verò qualitas explicatur per quale.

Ex quo etiam patet ad tertium. Non enim propriè dicitur circulus; nisi quando unum definitur per aliud, eodem modo, quo aliud definitur per ipsum, quod non contingit in præsentia: Nam qualitas quoad nos, definitur per quale; quale verò secundum se definitur per qualitatem. Quia tamen in hoc modo definiendi non potest omnino vitari circulus: ideo rectè concludit argumentum, veramque definitionem non posse esse propriam & rigorosam. Ut autem quantum fieri posset, circulum istum vitaret Arist. postquam definiit qualitatem per quale, non statim quale per qualitatem explicuit, sed prius declaravit singulas species eius, & tunc subiunxit: *Qualia autem sunt ea, quæ ab his denominatiue dicuntur*. Qui modus circuli etiam in demonstrationibus licet, ut ex D. Thom. explicabimus in libris Posteriorum.

Ad quartum respond. non esse idem nomen, quod ponitur à parte definiti, & quod ponitur in definitione, siquidem illud est abstractum, istud verò concretum. Quæ distinctio sufficit in huiusmodi definitionibus, ut non omnino dicatur definitum ingredi definitionem: & ideo licet illis vi.

Verum est tamen esse imperfectionem non parvam, quod in definitione, etiam impropria, ponatur nomen derivatum à nomine definiti, quod quidem vitandum est, nisi quando aliter fieri non possit: propterea enim diximus in conclusione definitionem istam non esse ita exactam, sicut aliarum aliorum prædicamentorum.

## Q V Æ S T I O II.

*Quanam sit congruentior. Qualitatis definitio.*

10. Ante omnia præmittere oportet, quæ sit causa, quare inter omnia prædicamenta ratio qualitatis in communi sit nobis obscurior: cum tamen in particulari plures sint qualitates sensibus ipsis notæ.

Nascitur autem hoc ex imperfecto modo cognoscendi intellectus nostri, cuius obiectum pro hoc statu est quidditas, seu natura in materia corporali existens, ut docet D. Th. 1. p. q. 84. art. 7. & alibi sæpè. Et ideo substantiam materialem facillè cognoscit: quia simul est ens simpliciter, & quid ipsi proportionatum. Propter quod etiam facillè percipit quantitatem: tum quia proximior est substantiæ materiali, & illi convenit, secundum quod talis est: tum etiam quia est secundum se sensibilis. Cum verò alia accidentia neque sint entia simpliciter, neque ita proportionata intel-

lectui, sicut quantitas: ideo, ut ea intelligat, indiget, & vitur aliquo extrinseco, quo iuuetur ad illorum cognitionem.

Cum ergo relatio, & alia sex ultima prædicamenta in sua natura includant ordinem ad aliquid extrinsecum: iam habet intellectus, quo iuuetur, ut facillè illa cognoscat.

Sola essentia qualitatis in communi, neque est proportionata intellectui nostro pro hoc statu, cum abstrahat à qualitatibus corporalibus, & spiritalibus: neque proinde sic includit ordinem ad aliquid extrinsecum, sed omnino absoluta: quia ut ex D. Th. 1. Metaph. lect. 17. notauimus disp. præced. n. 28. qualitas, secundum quod qualitas est, solam respicit subiectum, in quo est, ad aliud verò non ordinatur, nisi secundum particulares rationes huius, vel illius qualitatis, nempe in quantum est habitus, potentia, &c. Ac proinde, licet intellectus noster facillè cognoscat aliquas particulares qualitates, difficile tamen potest percipere communissimam rationem huius prædicamenti, in qua omnes species eius conveniunt.

11. Propter hæc ergo plures Authores, licet Arist. definitionem imperfectam & obscuram esse fateantur, clariorem aliam inuestigare non curant. Alij verò ut imperfectionem dictæ definitionis vitarent: variè distracti sunt in assignanda aliqua alia definitione meliori: variaque inuenerunt, quas longum esset recensere. Unam tantum, aut alteram subiiciemus. Et prima sit, quam inuenit Suarez disp. 1. 42. Metaph. sectione 1. in hunc modum: *Qualitas est accidens quoddam absolutum, adiunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis eius, tam in existendo, quam in agendo*. Quam descriptionem satis longam, longius explicat ipse Suarez: admittuntque Conimbr. & alij Moderni Dialctici.

Cæterum, eius insufficientiam probat inter alios Gallego controu. citata. Et quidem si attentè consideretur, se è omnia eius verba superfluum: neque tandem explicat propriam rationem qualitatis. Nam in primis ad quid additur *ly quoddam*? non enim ponitur pro genere, ut patet, neque addit aliquid supra ea, quæ ponuntur à parte differentiæ. Item superfluit *ly absolutum*: ut enim vidimus supra disputatione vndecima num. 4. nomen istud non significat gradum aliquem positivum inter accidens & quantitatem, aut qualitatem, verbi gratia, sed negationem relationis immediatè fundatam in proprio vniuscuiusque constitutio: sicut *irrationalis* non significat gradum positivum inter animal, & equum, aut leonem, sed negationem hominis, quæ immediatè fundatur in propria vniuscuiusque differentia. Ergo sicut superflue definiretur equus dicendo: *Equus animal irrationalis, hinnibile*: imò & nugatorie, siquidem in hinnibili continetur irrationalis, & ita bis poneretur: sic similiter superflue & nugatorie ponitur *ly absolutum* in definitione qualitatis, aut quantitatis.

12. Tertio, superfluum illa verba: *adiunctum substantiæ creatæ*: id enim continetur in 1. particula definitionis, siquidem accidens ex sua natura petit adungi substantiæ creatæ, cum increata nulla possint esse accidentia.

¶ Quarto, eadem ratione superfluit *ly ad complementum perfectionis eius*. Non enim est sensus qualitatem complere substantiam in esse substantiali: nam hoc est proprium subsistentiæ, aut existentiæ, ut aliquando dicimus. Ergo intelligendum est de complemento in aliqua perfectione, aut esse accidentali.

Hoc

Hoc autem conuenit qualitati ex eo, quod sit accidens: siquidem omnia accidentia, ex eo quod sint entia & perfectiones secundum quid; complent substantiam in aliquo esse & perfectione accidentali, ut patet inductione.

Quod si per hanc particulam significetur qualitatem esse à natura institutam, ut sit ornamentum substantiæ, ut Suarez explicat: iam definitio non conuenit omni qualitati: quis enim diceret habitus virtuosos datos esse à natura ut sint ornamentum aut complementum substantiæ.

Vltima etiam particula, scilicet *tam in existendo, quam in agendo*, si collectiue sumatur, non conuenit omni qualitati: plures enim non sunt actiue. Si verò disiunctiue sumatur, incidit in alium defectum, qui, quantum fieri possit, vitandus est: iam enim in rei veritate non erit vnica descriptio; sed plures: neque reuera definitur genus supremum; sed membra illa diuidentia, quibus adæquatè conuenit vnaquæque pars talis disiunctionis. Et tandem tota hæc descriptio non explicat rationem propriam qualitatis; sed verè conuenit quantitati, ut consideranti patebit.

13. Ne autem prædictæ definitionis discussio, nimia & superstitiosa alicui videatur; simulque perspicatur, quantum à vera definiendi arte abhorreat similis redundantia; audiat Arist. lib. 6. Topic. cap. 1. vbi explicans modos, quibus contigit definitionem esse superfluam, inquit: *Illud denum incommodum est, sæpè idem de aliqua re dicere. Quod Xenocrati vsu venit, qui sapientiam ait esse definitionem & cognitionem naturarum. Quippè cum definitio, quadam sit cognitio: ita bis ibidem dixit, adiuncto verbo cognitionis. In eodem errore versantur ij, qui refrigerationem priuationem caloris naturalis esse definiunt. Nam cum eius, quod insitum est, omnis sit priuatio: supernacaneum est nomen, naturalis, addere; satisque erat dicere caloris priuationem: quandoquidem ex ipso nomine priuationis, rei naturalis esse intelligitur.*

Discamus ergo, & discant omnes ex hac Aristotel. doctrina, à rerum definitionibus superflua verba rescindere. Sed ad qualitatis definitionem redeundo.

14. Secunda est, quam tradit Hurtado loco cit. quæst. præced. vbi reiecit definitionem Arist. sic ipse definit: *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum.* Hæc tamen definitio potiori iure relicienda est.

Primò quidem, quia, vel nomine accidentis absoluti intelligit, quod non est vera relatio prædicamentalis: & si tota definitio planè conuenit sex vltimis prædicamentis; siquidem in hoc sensu verè sunt accidentia absoluta distincta à quantitate; vel intelligit, quidquid nullum dicit respectum, neque prædicamentalem, neque transcendentalem: & sic definitio non conuenit omni qualitati, siquidem habitus, potentia, & plures aliæ qualitates sunt relationes transcendentales, ut patet. Ergo hæc definitio, vel conuenit aliis à definito; vel non conuenit omni contento sub illo.

Præterea quia, esto definitio illa conueniret omni, & soli quantitati; adhuc non explicat propriam eius rationem, seu quid sit illud, per quod qualitas distinguitur à quantitate, & aliis prædicamentis. Sicut si quis definiret animal, *esse viuens distinctum à planta*; reuera non explicaret propriam rationem constitutum animalis, sed perinde esset, ac si per negationem definiret dicendo: *Animal est viuens, quod non est planta.* Quem modum definiendi, ut imperfectissimum contemnit Aristotel. 1. Topic.

cap. 4. Ergo si propterea reiecit iste Author definitionem Aristot. quia non declarat, quid sit ipsa qualitas, eadem etiam ratione reicienda est sua definitio.

15. Tertio tandem alij definiunt qualitatem sic: *Qualitas est accidens proueniens à forma in esse quieto.* Per primam particulam differentia distinguit qualitatem à quantitate, vbi, situ, & aliis prædicamentis, quæ quantitatem consequuntur; nam ut docet D. Tho. 5. Metaphy. lect. 9. & 3. p. quæst. 90. artic. 2. de Potentia q. 9. artic. 7. & alibi sæpè, qualitas in hoc à quantitate distinguitur: quod hæc sequitur materiam; illa verò formam. Per vltimam verò particulam distinguitur ab actione: quæ quidem prouenit à forma; sed quasi in motu, & fluxu, quem secum trahit actio, non verò qualitas; & idè hæc dicitur à forma prouenire in esse quieto.

Cæterum hæc etiam definitio, quamuis nihil contrineat à veritate alienum; adhuc tamen non videretur omnino sufficienter explicare essentiam qualitatis sed ad summum est descriptiua. Et ideo inuestigandum restat, quæ sit illa ratio, aut perfectio, cui annexum est prouenire à forma in esse quieto. Sicut enim supra disput. 13. num. 17. diximus insufficienter explicari essentiam nominis, dicendo esse animal radicaliter risibile: quia confusè indicatur ibi essentia hominis: sic similiter, dicendo qualitatem esse accidens proueniens à forma in esse quieto; valde confusè importatur essentia qualitatis. Quare, his & aliis definitionibus relictis.

26. Dicendum est veram rationem & essentiam qualitatis in communi, propriumque effectum formalem eius duobus modis, & utroque optimè explicari à D. Tho. quem sequuntur Caiet. Conradus, Cano, Atauxo, Sanch. & Gallego infra citandi, & communiter Thomistæ.

Primus habetur 1. p. q. 28. art. 2. vbi docet, quod in vnoquoque prædicamento accidentium possunt duo considerari, scilicet ratio communis accidentis, & propria, & peculiaris ratio vniuscuiusque. Hæc autè in qualitate (inquit) est *esse dispositionem substantiæ*. Sicut propria ratio quantitatæ est *esse mensuram aut extensionem substantiæ*. Iuxta quam doctrinam, sicut hæc est congrua definitio quantitatæ: *Quantitas est extensio seu mensura substantiæ, vel accidentis extensiuum, seu mensuratum substantiæ*: sic etiam hæc erit congrua definitio qualitatis: *Qualitas est dispositio substantiæ, seu accidens dispositiuum substantiæ*, ut postea explicabimus.

17. Secundus modus declarandi rationem communem qualitatis est apud D. Thomam 1. 2. quæst. 49. artic. 2. vbi inquit: *Proprie qualitas importat quandam modum substantiæ: modus autem est, ut dicit August. super genesim ad litteram, quem mensura præfigit: & ideo importat quandam determinationem secundum aliquam mensuram. Ex ideo sicut id, secundum quod determinatur potentia materia secundum esse substantiæ dicitur qualitas, quæ est differentia substantiæ: ita id, secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis, &c.* Ex quibus verbis formatur alia definitio qualitatis sic: *Qualitas est accidens modificarium, seu determinationium, vel imponens modum, aut determinationem substantiæ.*

Quæ duæ definitiones si rectè intelligantur; inter se coincidunt, & explicant optimè propriam & essentialem rationem qualitatis in communi, quidquid contra dicat Suarez loco citato. Quia autem definitiones non possunt demonstrari, ut bonitas istarum appareat,

appareat, sufficere earum terminos explicare, ut explicant communiter Thomistæ.

18. Pro prima ergo intelligentia notandum est nomen *dispositionis* à disponendo dictum esse. Disponere autem idem est, quod ordinare, seu ponere aliqua cum ordine. Ad quod requiritur, ut in re, quæ disponitur, sint aliquo modo plura, seu artes, quæ possint cum ordine collocari.

Vnde Aristot. 4. Metaph. text. 24. definit dispositionem generaliter sumptam dicens: *Dispositio est ordo habentis partes*: vel ut ait D. Thom. lect. 20. *Dispositio est ordo partium in habente partes*. Est autem duplex dispositio partium. Alia in ordine ad locum, quæ scilicet sic ordinat partes rei, ut una correspondeat sursum, alia deorsum, &c. & hæc constituit prædicamentum situs. Alia est dispositio rei in seipsa: & de hac loquimur in præsentia intelligiturque definitio tradita.

19. Secundò observandum est ad hanc dispositionem non esse necessarium, ut verè & realiter sint partes, aut plura in habente ipsam. Nam habitus intellectus appellatur. Ab Aristot. in hoc cap. & est vera dispositio: cum tamen in ipso intellectu non sint verè & realiter partes, quæ per talem habitum disponantur.

Sufficit ergo, ut in illo sit quædam indifferentia, & potestas ad plura: quæ est virtualis quædam latitudo, ratione cuius apprehendimus in ipso intellectu quasi plures partes potentiz, etiam in ordine ad obiectum eiusdem habitus; secundum quas potest magis ac magis actuari per talem habitum, tam secundum extensionem, quam secundum intensionem, ut magis declarabimus in libris de generatione.

Vnde habitus sic actuans illas quasi partes potentiz verè est dispositio: quia per talem gradualem activationem ponit ordinem inter tales, quæ antea intelligebantur quasi confusæ & inordinatæ.

Sit exemplum intellectu respectu Geometriæ, in quo (loquendo de extensione) est potentia ad sciendam conclusionem, & potentia ad sciendam alteram, & plures alias. Quæ potentiz sunt quasi partes unius integræ potentiz, quam intellectus habet respectu totius Geometriæ; intelliguntur quæ quasi confusæ & inordinatæ, antequam adveniat habitus Geometriæ. Qui tamen adveniens, verè ponit ordinem inter illas, ordinatè actuando ipsas, prius circa primam conclusionem, deinde circa secundam, & cætera.

Idem etiam cernitur in intensione, cum habitu, tum etiam omnium qualitarum: quæ suscipiant magis & minus. Nam in eadem parte ligni est potentia, ut actuetur per calorem & ut duo, & tria, &c. Quæ quasi partes sunt potentiz, quæ antea intelligebantur confusæ & inordinatæ; adveniente calore, ordinantur: siquidem prius actuatur potentia ad calorem, ut duo, deinde ad calorem ut tria, & sic de aliis.

Tandem idem cernitur in quarta specie qualitatibus. Nam figura hominis verè ordinat & disponit partes eius, ita ut hæc uniatur illi, & non alteri: & hoc non in ordine ad locum nam hoc facit situs; sed in seipsis: siquidem etiam deficiente situ, adhuc potest esse figura, ut de facto contingit in mystesio Eucharistiæ. Et idem etiam est de aliis figuris Mathematicis: nam circulus, aut triangulus verè ordinat & disponit partes linearum, quæ ante tales figuras intelligebantur quasi confusæ & inordinatæ.

Restat ergo, quod disponere rem in seipsa, ut explicatum est, convenit omnibus qualitatibus. Cum autem hoc non conveniat aliis accidentibus aliorum prædicamentorum, ut consideranti patebit: planum sit omnes, & solas qualitates esse isto modo dis-

positiones; & ex consequenti hanc esse optimam definitionem qualitatibus: *Qualitas est accidens dispositionum rei in seipsa*.

Videantur Sanchez lib. 5. Logicæ quæstione 41. & Gallego controu. 27. cit:

20. Superest explicanda secunda definitio suprâ tradita. Pro qua notandum est, *modum* sumi multipliciter.

*Primò* enim accipitur latè pro omni accidenti. siue completo, siue incompleto: de quibus frequenter dicimus, quod modificant & afficiunt substantiam.

*Secundò* solet restringi ad quædam accidentia, quæ licet revera sint entia completa; sunt tamen minimæ & imperfectissimæ entitatis. Quo sensu figuras, relationes, & sex ultima prædicamenta solemus appellare modos.

*Tertiò*, modus sumitur propriè, & strictè, pro quibusdam entibus imperfectissimis, & incompletis, quæ non constituunt aliquod genus, aut speciem entis, neque sunt veræ partes; sed puræ modificationes, aut affectiones entium, ad eorum prædicamentum reductione pertinentes, & per ipsorum esse existentes, ut unio, punctum & postprædicamenta. Modificare ergo his tribus modis non est effectus formalis qualitatibus, ut est per se evidens: neque in hoc sensu intelligi possunt verba D. Thomæ, adducta ex 1. 2. ut rectè notant ibidem Caiet. Contrad. & Cano, quos adducit Sanchez ubi sup. Vnde.

*Quartò*, & ultimò, modus specialiter sumitur pro dispositione, ex ordinata determinatione. Quæ acceptio melius & significantius exprimitur secundum phrasim Hispanam, quando dicimus: *no tiene modo*, *ô tiene buen modo*; id est, in iis, quæ agit, vel dicit, non habet dispositionem, vel ordinatè procedit, & cætera.

Ex quo patet, modum in hanc acceptionem coincidere cum. 2. acceptione dispositionis; imò significantius exprimere eam: ac proinde hanc etiam esse optimam definitionem qualitatibus. *Qualitas est accidens imponens modum, seu determinationem substantiæ*. Quæ in rei veritate coincidit cum præcedenti ut explicatum est. Videantur Sanchez, & alij Authores citati.

21. Tandem potest assignari tertia alia definitio, licet descriptiva, iuxta propriam proprietatem qualitatibus sup. nu. 4, explicatam; quam appellat Arist. maximè propriam illius; convenitque ei quarto modo proprii, ut ibidem diximus; & est huiusmodi: *Qualitas est accidens, secundum quod res dicuntur similes, aut dissimiles*. Neque indiget maiori explanatione.

### Q V Æ S T I O III.

*De prima specie qualitatibus, scilicet habitu, & dispositione.*

**C**ognita essentia qualitatibus, species eius investigandæ sunt. Et à prima incipiendo, nomina ipsa ante omnia distinguere, & explicare oportet: quia habent non parvam confusionem.

22. *Habitus* ergo, ut benè notat Caietan in hoc. capite, dicitur ab *habendo*: & idè sicut habere sumitur tripliciter: ita habitus triplicem habet acceptionem, ut tradunt expressè Aristotel. 5. Metaphysicæ textu 25. & D. Thom. 1. 2. quæstione 49. articul. 2. *Primò* habere sumitur communiter, pro ut idem valet, ac possidere quocumque modo, siue per inhærentiam, siue per relationem, &c. ut cum dicitur aliquis



quis habere amicum, habere pecunias, scientiam, &c. Ea habere, seu habitus in hac acceptione consequitur prædicamenta, estque postprædicamentum: de quo agit Aristotel. cap. ultimo huius libri. Iuxta quam etiam acceptionem, ipsa res habita, quæcumque sit illa, siue substantia, siue accidens, interdum appellatur habitus. Quo sensu Aristor. cap. de oppositis dixit: *A privatione ad habitum non est possibilis regressus.*

Secundo sumitur minus communiter ut est quoddam medium per modum actionis, & passionis inter habentem, & rem habitam, ratione cuius dicimur vestitos, aut armatos esse, &c. Qui enim habet vestem in arca, non dicitur habere hoc secundo modo, sed tantum primo. Et habitus in hac acceptione constituit speciale prædicamentum, ut suo loco videbimus.

Tertio, tandem sumitur magis strictè, pro ut significat id, quo res se habet, bene, vel malè, vel in se ipsa, vel in ordine ad aliquid aliud. Quo sensu solemus inquirere: *quomodo se habes*; Et habitus in hac acceptione pertinet ad prædicamentum qualitatatis, estque prima species eius: quia est dispositio, qua res bene, vel malè se habet, vel in se ipsa, ut sanitas, & ægrotudo; pulchritudo, & deformitas: vel in ordine ad aliud, ut virtus, & vitium; scientia, & error. Videantur Divi Thom. loco citato, & Ludovicus de Montefino ibidem, disput. t. 30. in principio.

24. Nomen *dispositionis* unde deriuatur, diximus quæstione præcedenti num. 18. ubi etiam duas eius acceptiones adduximus. Nunc tertiam aliam oportet addere, qua dispositio sumitur pro habitu in tertia acceptione explicata: nam indifferenter solemus inquirere: *quomodo se habes*; & *quomodo dispositus es*; Propter quod Aristotel. & D. Thom. sæpè confundunt habitum, & dispositionem, secundum quod pertinent ad hanc primam speciem qualitatatis, ut patet 5. Metaphysicæ textu 15 & 12, quæst. 62. articulo 9. Hoc autem est discrimen, ut docent Aristotel. in hoc cap. & D. Thom. quæstione 49. citata art. 2. ad tertium, quod nomen *habitus* proprius, & frequentius applicatur qualitatibus istius speciei, quæ sunt difficilè mobiles: nomen verò *dispositionis*, illis quæ sunt facilè mobiles. Et merito quidem, nam quando quis quæritur, quomodo se habeat; dispositione permanent quæritur: quam non ita exprimimus, quando inquirimus, quomodo dispositus est; Et ita nomen ipsum habitus, ut rectè inquit Divi Thom. ibidem, diuturnitatem quandam, & permanentiam importat, quam non significat nomen dispositionis. Propter quod scientiam, virtutem, & alias qualitates diuturnas huius speciei absolute, & propriè, & appellamus habitus; non verò dispositiones: & contra verò sanitas, pulchritudo, & similes qualitates facilè mobiles propriè dicuntur dispositiones, & non habitus. Et in hoc sensu condistinguuntur inter se habitus, & dispositio, secundum quod pertinent ad hanc primam speciem qualitatatis.

His explicatis: duo oportet breviter examinare. Primum est, in quo consistat essentia huius primæ speciei: & per quid distinguatur ab aliis. Secundum est: utrum habitus, & dispositio, secundum quod specialiter sumuntur, ut condistincta, differant essentialiter, vel accidentaliter. Vbi etiam enumerabimus, qualitates, quæ sub unoquoque membro continentur.

24. Circa primum, omissis aliis sententiis dicendum est primo essentiam huius speciei, pro ut com-

prehendit, tam habitum, propriè dictum, quam dispositionem ab illo condistinctam, consistere in hoc, quod sit qualitas determinans, seu disponens rem bene, vel malè in ordine ad naturam; seu per se primò ordinata ad bene, vel malè esse naturæ subiecti, vel secundum se ipsam, ut contingit in sanitate, pulchritudine, & aliis similibus, quæ immediate afficiunt naturam; vel in ordine ad aliquam operationem, ut contingit, in scientia, virtute, & aliis habitibus, qui immediate afficiunt potentias. Sic docet expressè Aristoteles quinto Metaphysicæ textu 25. & secundo Ethicorum capite quinto, quem refert, & sequitur Divus Thomas quæstione 49. citata, articulo primo, secundo, & tertio, ubi explicat optimè hanc doctrinam. Pro qua etiam videri possunt Montefinus loco citato, quæstione prima, Conradus, Zumel, & alij expositiores.

Probatum breviter ratione desumpta ex Divo Thoma. Quia in hoc conveniunt essentialiter omnes qualitates huius primæ speciei, & per hoc distinguuntur à cæteris: ergo hæc est propria ratio illius. Antecedens quoad primam partem patet, cum ex ipsa etymologia habitus, & dispositionis supra explicata; secundum quod constituunt hanc primam speciem: cum etiam quia non solum sanitas, & ægrotudo; pulchritudo & deformitas, & similes qualitates ex sua ratione disponunt rem in ordine ad naturam, quæ bene se habet cum sanitate, & pulchritudine; malè autem cum ægrotudine, & deformitate; sed etiam scientia, & error; virtus, & vitium, & similes habitus revera ordinantur ad bene, vel malè esse naturæ potentiarum, quibus insunt; siquidem scientia, & virtus disponunt intellectum, & voluntatem convenienter ad suam naturam; error verò, & vitium disconvenienter. Imò ut bene docet Divi Thom. articulo tertio citato, huiusmodi habitus, considerata ipsa natura habitus secundum se, per se primò conveniunt ordinari ad bene, vel malè esse naturæ; de consequenti verò, & ex parte subiecti important ordinem ad operationem, in quantum est finis naturæ, vel perducens in finem. Ergo in hoc, quod est disponere rem bene, vel malè in ordine ad naturam, ut explicatum est, essentialiter conveniunt omnes qualitates huius primæ speciei.

Quod autem per hoc distinguantur ab aliis speciebus (quæ est secunda pars illius antecedentis) etiam patet. Nam secunda species, scilicet naturalis potentia, & impotentia, per se primò sumitur in ordine ad operationem absolute sumptam, non curando, an sit conveniens, vel disconveniens; ut patet inductione. Intellectus enim æqualiter est potentia respectu intellectionis scientificæ, & erroneæ; & voluntas respectu volitionis honestæ, & peccaminosæ; & idem est de potentiis transeuntibus, ut consideranti patebit. Similiter tertia species per se primò attenditur, vel ex eo, quod sit terminus alicuius alterationis procedentis à potentiis secundæ speciei, vel ex eo, quod sit obiectum alicuius sensus, ut infra videbimus: ad quod impertinens est esse convenientem, vel disconvenientem naturæ subiecti. Quod etiam per accidens convenit quartæ speciei: siquidem figura, præcisè pro ut figura est, non dicit convenientiam, aut disconvenientiam, ut patet in figuris Mathematicis. Ergo per hoc distinguitur prima species qualitatatis ab aliis omnibus.

25. Hinc fit, ut rectè notavit D. Thom. art. 2. citato ad primum, quod quando in qualitatibus tertiæ speciei, verbi gratia in calore, & frigore, quæ pertinent ad obiectum tactus, aut in colore, qui est obiectum visus, vel etiam in forma, aut figura, quæ est quarta species,

species, consideratur convenientia, vel disconvenientia ad naturam subiecti; tunc reducuntur ad primam speciem: quia secundum hanc rationem color, & figura pertinent ad pulchritudinem, vel deformitatem, & calor, & frigus ad sanitatem, vel ægritudinem. In quo sensu (inquit Div. Th.) *Caliditas, & frigiditas ponuntur à Philosopho in prima specie qualitatis.*

Ex dictis potest sic formari definitio huius primæ speciei, prout comprehendit habitum, & dispositionem: *Est qualitas, secundum quam res bene, vel male se habet.* In qua definitione ponitur sub distinctione *ly bene, vel male*: quia non habemus nomen quod abstrahat à bono, & malo; siue convenienti, vel disconvenienti.

Cum autem species ista diuidatur in habitum, & dispositionem per esse facile, vel difficile mobilem à subiecto: si unumquodque horum membrorum velimus definire, ponenda erit pro genere, defectu nominis incomplexi, ipsa definitio huius speciei, dicendo: *Habitus est qualitas secundum quam res bene, vel male se habet, difficile mobilis: Dispositio vero est qualitas, secundum quam res bene, vel male se habet, facile mobilis.* De quibus iam videndum est: an essentialiter inter se distinguantur: hoc enim est, quod secundo loco examinandum promissimus.

26. Dicendum est secundo, quod quamvis habitus propriè dicti, ut scientia, & similes, quando sic imperfectè insunt, ut de facili possint amitti; verè dicantur dispositiones: & contra dispositiones propriè dictæ, ut sanitas, & ægritudo, quando ex aliquo accidenti redduntur difficile mobiles, verè etiam dicantur habitus; atque ita iuxta modum loquendi interdum distinguantur habitus, & dispositio ut perfectum, & imperfectum intra eandem speciem: tamen, absolute loquendo, habitus, & dispositio propriè dicta: quibus scilicet per se, & natura sua convenit esse facile, vel difficile mobiles, verè differunt essentialiter, & specificè. Hæc conclusio est contra Scotum quæst. 9. huius prædicamenti, Vasq. 1. 2. disput. 8. cap. 3. Salas ibidem, quæst. 5. 2. disput. 5. lect. 1. & quosdam alios. Recentiores. Eam tamen docet expressè D. Thom. artic. citat. ad 3. quem sequuntur communiter Thomistæ, Caiet. & Conradus ibidem. Arauxo 5. Metaphys. q. 5. artic. 3. label. & Soto in hoc cap. Mas ibidem quæst. 4. & Sanch. lib. 5. quæst. 44. Quibus etiam consentiunt Lorca, Valentia, Fonseca, Tolet. Conimbric. Rub. Lorin. & alij, quos refert Gallego controuers. 28. Pro qua etiam sententia videri possunt Montefino, ubi suprâ num. 27. & noster Didacus à Iesu disp. 15. q. 2.

27. Probatur ratione Aristotel. quam adducit D. Thom. ibidem ex communi modo loquendi. Quia qualitates, quæ ex natura sua sunt facile mobiles, si ex aliquo accidenti reddantur difficile mobiles, dicuntur habitus, ut contingit in febre, quæ transit in ethicam. E contra verò qualitates, quæ ex natura sua sunt difficile mobiles, cum ita imperfectè insunt, ut de facili amittantur, dicuntur dispositiones, ut patet in scientia; quam dum quis ita imperfectè acquirit, non tam dicitur habere, quàm disponi ad illam. Ergo signum est, propriam rationem habitus intrinsecè, & essentialiter importare diuturnitatem, seu permanentiam, contra verò dispositionem per se & ex natura sua habere, quod de facili amittatur. Et per consequens habitus, & dispositio propriè dicta essentialiter distinguuntur.

Confirmatur: quia ex eo sanitas, & ægritudo sunt qualitates facile mobiles: quia per se, & ex natura sua habent causas transmutabiles; & ex eo scientiæ,

& virtutes sunt qualitates difficile mobiles: quia per se, & ex natura sua habent causas immobiles, ut inquit Diuus Thomas loco citato. Sed ex diuersitate causarum per se, & propriarum sumitur distinctio essentialis in effectibus, ut per se notum est. Ergo illæ qualitates, quibus per se, & ex natura sua convenit esse facile mobiles, distinguuntur essentialiter ab illis, quæ ab intrinseco, & ex propria ratione sunt difficile mobiles.

Est tamen hic aduertendum cum Angelico Doctore ibidem, quod quamvis differentia ista videantur accidentales; cum pertineant ad motum, qui est extra prædicamentum qualitatis: designant tamen proprias, & per se differentias harum specierum; sicut etiam in genere substantiæ frequenter accipiuntur differentia accidentales loco substantialem. Per quod facile solvuntur argumenta, quæ solent fieri contra nostram conclusionem: & ideo illa omitimus.

28. Ex dictis possunt utrumque enumerari; qualitates, quæ sub vnaquaque harum specierum continentur. Sub habitu enim propriè dicto comprehenduntur omnes scientiæ, & virtutes. Quatum scientiam, sic possumus ordinare, ut habitus diuidatur in acquisitum, & infusum. Sub infuso continentur Fides, Spes, Charitas, Lumen gloriæ, aliæque permanentia Spiritus sancti dona, & virtutes, si quæ sunt aliæ per se infusæ. Habitus acquisitus diuiditur in intellectualem, & moralem; seu in habitum intellectus, & voluntatis: hic diuiditur, in virtutem moralem, & vitium illi oppositum: & unumquodque in suas species, in quarum consideratione occupatur tota ferè 2. 2. D. Thom. Habitus intellectualis diuiditur ab Aristor. 6. Ethicor. cap. 3. in intelligentiam, sapientiam, scientiam, artem, & prudentiam. Intelligentia idem est, quod habitus principiorum, de quo in libris Posteriorum: ubi etiam diuisionem scientiæ statuimus. Sapientia non constituit speciem distinctam à scientia vniuersaliter sumpta, ut comprehendit Theologiam, Metaphysicam, & alias scientias, ut ibidem disputat. 20. explicabimus. Ars communiter diuiditur in septem mechanicas: (nam liberales secundum quid tantum dicuntur artes.) Et tandem prudentia in monasticam, & æconomicam, & politicam. Quæ omnia percensendo potius, quàm ex professo dicta sunt. Quia tamen diuisio illa habitus intellectualis ab Aristotel. tradita non est immediata: eam ordinabimus loco citato.

29. Sub dispositione, ut condistinguitur ab habitu, continentur omnes dispositiones corporales: quia istæ simpliciter non sunt difficile mobiles, ut inquit D. Thom. 1. 2. qu. 50. artic. 1. ad secundum propter mutabilitatem causarum corporalium. Et huiusmodi sunt sanitas, & ægritudo; pulchritudo, & deformitas, & si qui sunt quasi habitus in membris corporis, ut facilitas acquisita saltandi pulsandi citharam, aut alia opera corporalia exercendi. Notandum tamen est, quodd si sanitas, aut ægritudo non est aliquid unum accidens distinctum à primis qualitatibus; & si pulchritudo, vel deformitas non est accidens distinctum à colore, figura, &c. non continentur propriè, & per se sub hac prima specie; sed tantum reduciuntur: siquidem sic reuera sunt entia per accidens. Si verò sint accidentia ab illis, distincta, & inde resultantia: propriè, & per se sub illa continentur.

Ad hanc etiam speciem pertinet ex spiritualibus illa qualitas, quæ per primum, aut secundum actum virtutis relinquitur in voluntate. Hæc enim non

non est verè habitus; sed dispositio iuxta sententiam D. Thomæ quæst. 1. sequenti art. 3. ubi docet per primum actum scientiæ posse quidem generari scientiam, quæ sit verè habitus, licet imperfectus: per primum verò actum virtutis non generari virtutem, quæ sit verè habitus; sed dispositio. De quo videri potest Montef. ubi sup. num. 29. & disput. 3. sequenti q. 5.

30. Quid autem de gratia habituali dicendum sit, supposito quod realiter distinguatur à charitate iuxta sententiam D. Thom. 1. 2. quæst. 110. art. 3. tractant ibidem Theologi, ipsam pertinere ad hanc speciem dispositionis videtur colligi ex solutione ad 3. ubi inquit Sanctus Doctor: *Gratia reducitur ad primam speciem qualitatatis: neque tamen est idem, quod virtus; sed habitudo quadam, qua presupponitur virtutibus infusis.* Quibus verbis addit in 2. dist. 26. quæst. 1. art. 4. ad 1. *Quod non est propriè habitus; sed habitudo quadam, sicut sanitas se habet ad corpus: & ideo dicit Chrysostomus, quod gratia est sanitas mentis, &c.* De quo etiam videri potest. quæst. 17. de veritate art. 2. ad 6. Quod autem magis sit connumeranda habitibus propriè dictis, suadet ipsa excellentia, & perfectio gratiæ, colligiturque non obscure ex eadem quæst. 17. art. 1. ad 9. ubi docet Angelicus Doctor gratiam ex natura sua esse difficile mobilem à subiecto, etiam si per unum actum peccati mortalis amittatur. Neque contrarius est aliis locis adductis: quia solum negat gratiam esse habitum: sicut Philosophi loquuti sunt de habitibus, ut ipse ibidem se satis explicat: & ideo hæc sententia apparet probabilior: pro qua videri potest Contrad. loco citato primæ secundæ.

#### Q V Æ S T I O IV.

*De secunda specie qualitatatis, scilicet naturali potentia, & im-  
potentia.*

31. PRO intelligentia huius speciei notandum est duplex esse principium operationis: aliud radicale, & remotum, quod est ipsa forma substantialis, ut anima respectu intellectus, de quo certum est, eo ipso non pertinere ad prædicamentum qualitatatis: aliud proximum: & formale, ut intellectus; & hoc est qualitas pertinet ad hanc secundam speciem. Quæ quando tribuit subiecto posse fortiter operari, dicitur potentia naturalis, ut potentia visiva iuuenis: quando verò est principium operationis debilis, appellatur impotentia, ut potentia visiva senis. Similiter potentia generatiua, quando habet proportionatum temperamentum, dicitur absolute potentia, & ab ea homines denominantur potentes: quando verò temperamentum non est proportionatum, ut in frigidis, dicitur absolute impotentia: & ab ea dicuntur impotentes. Ex quo patet impotentiam non dicere puram negationem; sed potentiam debilem, & remissam: & ex consequenti non distingui specie à potentia; sed ut imperfectum à perfecto intra eandem speciem.

Potest autem definiti hæc species sic: *Potentia est qualitas productiva: seu Qualitas, qua simpliciter est principium actionis:* intelligendo per actionem, seu productionem, non solum eas, quæ propriæ sunt actiones, aut productiones alicuius effectus; sed etiam eas, quæ habent modum actionis, licet nullam producant effectum, ut magna, vel parva resistentia

ad diuisionem; quarum sunt principia durum, & molle. Quamuis enim tales resistentiæ revera non sint actiones, aut productiones alicuius effectus; tamen earum principia nempe durities, & molitudo, sunt qualitates istius speciei, ut expressè docent Aristot. in hoc cap. & D. Thomas in 1. distinct. 42. q. 1. art. 1. & super Job. 4. lect. 2.

32. Quare primo diuiditur potentia in actiuam, & passiuam, seu melius resistitiuam (non enim omnis potentia passiva est qualitas, ut patet in potentia passiva materiæ respectu formæ; aut substantiæ respectu accidentium.) Potentia actiua est illa, quæ est principium actionis, quæ verè est productio alicuius effectus. Quod insufficienter exprimitur illis terminis: *potentia actiua*: quia revera potius sunt definitio, quam definitum. Potentia resistitiua est; quæ est principium alicuius habentis modum actionis; cum tamen non sit vera actio. Et ad hoc genus pertinent durum, & molle; salubre, & valetudinarium, ut testatur Aristoteles in hoc cap. intelligendo per salubre, & valetudinarium, non sanitatem, & infirmitatem, quæ pertinent ad primam speciem; sed robur vel debilitatem corporis in sua constitutione; ratione quorum difficile, vel facile cedit infirmitatibus. Fortè etiam ad idem genus pertinent gravitas, & lenitas: illa enim est principium resistendi motui sursum; ista verò motui deorsum. Vtrum autem sint potentiæ veræ actiue suorum motuum; constabit, cum de motu gravium, & levium disputabimus.

33. Ad has duas species subalternas potentiæ pertinent quædam qualitates supernaturales, quibus homines deputantur ad cultum Dei secundum ritum Christianæ religionis, quæ characteres appellantur. Nam character Baptismi pertinet ad potentiam passivam: quia non ordinatur ad aliquam actionem; sed potius ad receptionem sacramentorum. Characteres verò Confirmationis, & Ordinis pertinent ad potentiam actiuam: quia ordinantur ad actiones hierarchias. Quæ omnia docet expressè D. Thomas 3. parte quæst. 63. artic. 2. & in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 4. quæstionibus. 3. Additque eisdem locis, quod quia hæc spirituales potestates sunt instrumentales, sicut virtutes sacramentorum: *Idè sicut virtus, quæ est in sacramentis; non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens, & incompletum: ita etiam character non propriè est in genere; vel specie: sed reducitur ad secundam speciem qualitatatis.*

Potentia actiua diuiditur in immanentem, & transeuntem. Sub hac continetur intellectus agens & potentia generatiua, nutritiua, & argumentatiua, (quæ solent appellari à Medicis potentiæ principales: eisque annectunt alias ministras, ut videbimus in libris de anima) & generaliter omnes potentiæ, seu virtutes naturales, creaturarum, quæ ad producendum aliquem effectum in extranea materia à natura destinata sunt. Sub immanenti continetur potentia cognoscitiua, & appetitiua: illa diuiditur in sensitivam, & intellectivam; hæc verò in appetitum sensitiuum, & rationalem. De quibus omnibus, & de vniuscuiusque speciebus, & actibus agendum est loco citato:

## Q V Æ S T I O V.

*De tertia specie qualitatis, scilicet passione,  
& passibili qualitate.*

34 **P**RO huius speciei intelligentia notandum est *passionem* sumi multipliciter, ut habetur 5. Metaphysicæ textu 26. lectione 20. apud Div. Thom.

*Primò* enim sumitur pro proprietatibus, quæ ab essentia dimanant: quo modo risibile dicitur passio hominis, diuisibilitas quantitatis, &c. Et passio in hac acceptione non est species qualitatis, ut patet: cum inueniatur etiam in aliis prædicamentis.

*Secundò* sumitur pro quacumque receptione, media qua passum recipit effectum agentis: & correspondet actioni, qua agens producit illum. Et in hac acceptione constituit speciale prædicamentum de quo infra.

*Tertiò* sumitur specialius pro receptione alicuius effectus nociui, & disconuenientis, in qua intercedit propria alteratio. Quæ acceptio frequentior est, quàm secunda: non enim quando quis sanatur, dicitur pati; sed magis quando infirmatur. Et sic quantò magis qualitas recepta est nociua, & disconueniens; tantò passio est maior & disconueniens: In quo sensu passionē Christi Domini dicimus fuisse maximā. Hoc autē non solum cōtingit, quando qualitas ex natura sua est nociua, ut tristitia in homine; sed etiam quando per accidens nocet propter excessum; ut nimia lætitia. Et idē dixit ibidem Aristoteles: *Amplius horum magis nociua alterationes, & motus, & maxime lamentabiles: item magnitudines exultationum, & lamentationum passionēs dicuntur.* Et iuxta hanc acceptionem, actus appetitus sensitiui appellantur passionēs, ut suo loco dicemus: quia sunt cum aliquali nocumento; maxime quando sunt intensi. De quo videri potest Div. Thomas 1. 2. quæst. 22. art. 1. & quæst. 24. artic. 2. ad 2. Sed hæc etiam acceptio non pertinet ad hoc prædicamentum; sed ad prædicamentum passionis.

35 **Q**uartò tandem sumitur passio pro qualitate, secundum quam fit talis alteratio. Quæ teste Arist. in hoc capite, appellatur passibilis qualitas: vel quia causat talem alterationem, ut dulce, & amarum, quæ causant alterationem in gustu; calidum, & frigidum in tactu, & similes qualitates, sensibiles: vel quia causantur ex tali alteratione, ut album, & nigrum, quæ causantur ex aliqua alteratione. Cuius signum (inquit Arist.) est, quòd quando quis pudore afficitur, ruber fit, & qui metuit, pallidus. Vnde si cui natura talem perturbationem tribuerit, simili erit colore.

Distinguuntur autem passio, & passibilis qualitas, ut hīc ait Aristotel. quia passio significat qualitatem ex aliqua breui alteratione resultantem, ut pallor ex metu, vel rubor ex verecundia causatus: ac passibilis qualitas significat easdem qualitates, quando oriuntur ex permanenti, & fixa alteratione, ut color, rubens, aut pallidus permanens in hominibus, siue id procedat à natura, vel ab infirmitate, &c. Ex quo tanquam fit passionem, & passibilem qualitatem non distingui specie; sed tantum accidentaliter, ut de potentia, & impotentia dictum est.

36 Qualitas passibilis, cum sit definitio propriè definit, non potest. Potest tamen declarari si dica-

mus, quòd *Est qualitas sensibilis, seu obiectiua*, id est, constituens obiectum alicuius sensus. Sub qua comprehenduntur lux, color, odor, sapor, & qualitates tangibiles, scilicet calor, & frigus; humiditas, & siccitas, & si quæ sunt aliæ qualitates, quæ sint obiecta sensuum. Ex quibus lux, & quatuor primæ qualitates sunt species infimæ; aliæ verò subalternæ: nam color diuiditur in albedinem, & nigredinem, & alios colores medios: sonus in acutum, & grauem, & alios medios: & sic de cæteris. Asperum autem, & lenē; & rarum, & densum, licet videantur qualitates; propriè tamen, ut inquit hīc Aristot. pertinent ad prædicamentum. Nam rarum est, cuius partes distant: densum verò, cuius partes propè sunt: similiter asperum est id, cuius partes sunt aliæ aliis eminentiores: lenē verò, siue leue, cuius partes quasi in recto sitæ sunt. Quæ omnia satis patet ad dispositionem partium in loco pertinere.

## Q V Æ S T I O VI.

*De vltima specie qualitatis, scilicet forma,  
& figura.*

37 **P**RO intelligentia huius speciei notandum est, quòd *forma* primò sumitur pro substantiali, quo sensu anima rationalis dicitur forma hominis. Secundò pro quocumque actu, etiam accidentali; quo modo omnia accidentia appellantur formæ accidentales. Et his duobus modis, non est species qualitatis, ut patet. Tertiò sumitur forma pro dispositione, quam habent partes quantitatis in ordine ad se, à qua deriuatur denominatio formosi, vel deformis; de qua dicitur Psal. 44. *Speciosus forma pro filiis hominum, &c.* Et in hac acceptione est vera species qualitatis.

Similiter *figura*, teste D. Thom. in 3. dist. 16. q. 2. art. 1. ad 1. vno modo sumitur, prout idem est, quòd imago, seu signum alicuius. Et in hac acceptione dicitur Christus transfiguratus quia claritatem assumpsit ad tempus in signum, seu figuram futuræ claritatis, quæ erit in sanctis. Quo etiam sensu dicitur 1. Corinthior. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Secundò sumitur figura (inquit D. Thom.) pro qualitate resultante ex terminatione quantitatis. Quo modo non dicitur Christus transfiguratus: quia eadem delineamenta corporis in ipso erant. Et in hoc sensu sumitur in præsentī: estque vera species huius prædicamenti, siquidem verè disponit rem in se ipsa, ut patet ex dictis supra num. 19. Non tamen distinguitur specie a forma in tertia acceptione, ut docent communiter Doctores, & satis ex se patet: siquidem utraque eodem modo disponit partes quantitatis in se ipsis.

38 **P**. Differunt autem accidentaliter. Vel per hoc, quòd forma significat istam speciem physicè, & naturaliter, id est, iunctam cum aliis accidentibus sensibilibus: figura verò significat eandem speciem Mathematicè, id est, abstractam ab accidentibus sensibilibus, ut docet Boëtius hīc, & indicat D. Thomas 3. contra gentes c. 105. Vel, ut tradit ipse Sanctus 7. Physicorum lect. 4. penes hoc, quòd forma significat istam qualitatem, prout reperitur, & dat esse artificiatum, quo sensu dicitur forma turris, domus, &c. figura verò significat eandem qualitatem, simpliciter, vel in rebus naturalibus.

Sub forma continentur qualitates constitutivæ arte factorem, ut turris, navis, domus, & similes. Sub figura

figura verò, præter figuras animalium, & aliarum rerum naturalium, continentur omnes, de quibus agit Geometra: quas sic possumus ordinare. Primum enim figura est duplex: alia plana, quæ scilicet sit in superficiebus: & alia solida, nempe quæ sit in corporibus. Plana diuiditur in triangularem, seu trigonam; quadrangularem, seu tetragonam, pentagonam, exagonam &c. & circulum, quæ est perfectissima inter figuras planas. Sub triangulari continentur isochelæ, isoplores, & scalenon. Sub quadrangulari continentur quadratum, ex altera parte longius rhombus, rhomboides, &c. Per quem etiam modum diuiduntur aliæ figuræ planæ, excepto circulo, qui est species infirma. Tandem figura solida diuiditur in pyramidem, chilindrum, cubum, ovaalem, lenticularem, &c. & sphaeram, quæ est perfectissima inter figuras solidas. Pro quibus omnibus videri possunt Horontius lib. 1. suæ Geometriæ & alij Mathematici.

39. Concludit autem has species qualitatis Arist. dicens, fortè esse alia genera qualitatis; sed hæc esse, quæ maximè in omnium ore versantur. Quod modestiæ causa dictum reputant communiter interpretes, asserentes diuisionem esse adæquatam. Cuius non facile assignatur ratio sufficientiæ. Sed inter alias optima est, quam adducit D. Thom. 1. 2. quæst. 49. art. 2. sumptam ex ipsa natura qualitatis. Modus enim, seu determinatio, aut dispositio, quam importat qualitas, vel accipitur in ordine ad ipsam naturam subiecti: vel secundum actionem, & passionem, quæ consequuntur principia naturæ; vel tandem secundum quantitatem. Si in ordine ad naturam: cum hæc habeat rationem finis, sitque id, quod primò consideratur in re: sic ponitur habitus, & dispositio, quæ est prima species qualitatis, in qua sola attenditur ratio conuenientis, vel disconuenientis; seu boni, vel mali, ut dictum est. Si secundum actionem, & passionem: vel attenditur secundum principia actionis, & passionis: & sic est secunda species, scilicet naturalis potentia, & impotentia, vel secundum actionis, & passionis terminos; & sic est passio, & passibilis qualitas, quæ est tertia species. Vel tandem modus, seu dispositio est inter partes quantitatis: & sic est quarta species, nempe forma, & figura. Neque inuenitur aliqua qualitas, quæ ad has species non reducatur. Videantur D. Thom. ubi supra Conrad, & Medina ibidem, Caietan. & Soto in hoc capite, Arauxo 3. Metaphysicæ quæst. 4. art. 2. Sanchez lib. 5. Logicæ quæst. 43. ubi rectè impugnatur aliam rationem sufficientiæ, quam format Suarez disputat. 4. 2. Metaphysicæ sectione 5. numero 7. sumptam ex illa sua definitione supra impugnata.

40. De speciebus impressis, & expressis, tam sensibilibus, quam intelligibilibus solet meritò dubitari, ad quam speciem pertineant: videntur enim ferè sub omnibus contineri. Hoc tamen rectè explicari non potest, vsque dum earum naturam cognoscamus. Probabile est species impressas pertinere ad secundam speciem: quia ex natura sua complent potentias operationis tanquam concausæ earum: sicque docet inter alios Sanchez loco citato ad 1. Quamuis, ut ibidem refert probabiliter etiam possit dici, saltem de speciebus intelligibilibus esse habitus: siquidem disponunt hominem in ordine ad naturam, suntque ex ratione sua difficilè mobiles. Quæ sententia videtur colligi ex D. Thom. 1. 2. quæst. 50. art. 5. & 6.

De speciebus expressis probabiliter aliqui asserunt pertinere ad tertiam speciem: quia natura sua sunt termini operationum. Hoc tamen est contra D. Thom. 3. parte quæst. 63. artic. 2. ad 2. asserentem: *In tertia*

*Colleg. Compl. Logica.*

*specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passionis, & sensibiles qualitates.* Qui etiam in dist. 4. q. 1. artic. 1. docet ex Aristot. qualitates tertiæ speciei. *Semper habere ordinem ad aliquam transmutationem corporalem: vel quam inferunt, vel a qua causantur.* Et idèd melius dicendum est esse dispositiones: siquidem ex natura sua sunt facilè mobiles, & ordinanturque ad bene, vel malè esse potentie, ut patet de actibus virtutis & vitij; scientiæ, & erroris. Sicque docent communiter Thomistæ, Soncin. 9. Metaph. q. 21. ad 4. Ferrar. 2. de anima q. 22. & Sanch. loco citato ad ultimum, qui plures alios adducit.

41. Tandem de primis qualitibus, nempe calore, & frigore: siccitate, & humiditate non est parua difficultas: nam licet eas enumerauimus sub tertiâ specie; videntur tamen ad secundam potius pertinere, cum sint potentie actiue elementorum. Sed quidem staudum est dictis: nam sub tertiâ specie collocat istas qualitates D. Thom. 1. 2. q. 50. art. 1. ad 3. & quæst. 52. artic. 1. ad 3. cum quia verè sunt qualitates tangibiles: cum etiam quia secundum eas primò attenditur alteratio, ita primò, & per se causant aliquam passionem, vel causantur ab ea, unde sumpta est denominatio passibilis qualitatis. Neque in his oportet in præsentem immorari, de quibus neque Aristot. neque Interpretes eius ex professio disputant.



## C A P V T IX.

*De sex ultimis predicamentis.*

## S V M M A T E X T V S.

**D** V A s Partes continet hoc caput. In prima, prætermiffa descriptione actionis, & passionis, solum assignat duas proprietates, scilicet habere contrarium, & suscipere magis, & minus. In secunda parte breuissimè explicat alia quatuor prædicamenta ex sola nominum significatione, dicens quoddà à situ, seu positione dicitur situm esse: habere verò est; ut armatum, vel vestitum esse: vbi ut in Lycæo esse: & quando, ut heri, & cras.

## N O T A T I O N E S , C I R C A hoc caput.

**Q** V omodo duæ istæ proprietates conuenire possint actioni, & passioni, ex dictis circa alia prædicamenta satis constat. Non enim conueniunt illis per se, & ratione sui; sed ratione qualitatum, quæ sunt termini earum: & ita per se primò solum conueniunt qualitati, ut eisdem locis explicauimus. Neque est aliud notatione dignum in hoc capite, nisi quoddà quia Arist. ferè nihil egit de his prædicamentis: idèd Gilbertus Porretanus addidit opusculum de sex principiis inscriptum: ex quo posteriores Dialectici veram horum prædicamentorum notitiam iuxta peripateticam doctrinam desumpserunt.





## DISPUTATIO XVI.

*De sex ultimis prædicamentis.*

**PER**PAVCA de his prædicamentis tradit nobis Arist. tum quia paræ entitatis, & non magnis momenti sunt: tum etiam quia ex collatione quatuor priorum dignoscuntur. Nam ex substantia, & superficie continente, quæ appellatur locus, cognoscimus *vbi*. Et ex substantia, & tempore; quod est altera species quantitatis, cognoscimus *quando*: similiter ex substantia, & relatione propinquitatis, vel distantie *situm*, & *habitu*. Et tandem ex substantia, & qualitate, quæ est potentia activa cognoscimus *actionem*, & *passionem*. Ex quo etiam sumitur horum prædicamentorum perfectio, & ordo. Nam quia qualitas perfectior est quantitate, & quantitas relatione: ideo actio, & passio præponuntur *vbi*, & *quando*; & hæc *situi*, & *habere*. De quibus eodem ordine agemus in hac disputatione Prius tamen sit.

## QVÆSTIO I.

*An ista sex prædicamenta consistant in denominatione extrinseca. Vbi etiam: an sint quid absolutum, vel relatione.*

**C**IRCA primum non obscuri nominis Doctores vniuersaliter asserere videntur hæc sex vltima prædicamenta consistere in denominatione extrinseca, ita ut ibi verb. gra. nihil aliud sit quàm denominatio illa extrinseca, quæ provenit substantiæ à superficie continente; quando à tempore mensurante; habitus, à veste adiacente, &c. Sic videtur docere D. Thom. opusc. 48. tract. 6. cap. 1. lib. 3. Physic. lect. 5. & lib. 5. Metaph. lect. 9. Et ideo hanc sententiam sequuntur Herb. Quodlib. 1. q. 9. Iabel. 5. Metaph. quæst. 13. Soto in hoc cap. & Masl. ibidem quæst. 1. qui plures alios adducit.

Probat hanc sententia: quia non sunt multiplicandæ entitates intrinsecæ, vbi solæ denominationes extrinsecæ sufficiunt: sed ex sola circumscriptione extrinseca superficiæ continentis dicitur res esse in loco, & ex sola mensuratione extrinseca temporis dicitur esse in tempore, & sic de aliis: ergo præter has denominationes extrinsecas non sunt constituendæ aliæ entitates, & accidentia intrinseca.

4 Prima Conclusio. Hæc prædicamenta non sunt puræ denominationes extrinsecæ, sed formæ quadam, & accidentia intrinseca, relicta in subiecto ex aliquo extrinseco. Sic docent B. Albertus & Gilbert. quos refert, & sequitur Caprecol. in 2. dist. 2. quæst. 1. art. 3. Soncin. 5. Metaph. quæst. 41. Araux. ibidem quæst. 9. artic. 1. Sanch. lib. 6. Logica per totum, Gonzales 1. part. q. 10. disp. 22. ad 3. & communiter Doctores. Estque procul dubio mens Diu. Thomæ. Nam 5. Metaph. lect. 15. generaliter docet vltima prædicamenta esse respectus quosdam relictos in rebus ex aliquo extrin-

seco. Specialiter autem de actione, & passione id docet in 2. dist. 40. quæst. 2. art. 4. Quod etiam de vbi, & quando tradit in 4. dist. 16. quæstion. 3. art. 1. quæstiuncula 1. vbi docet, quando, & vbi non esse tempus, & locum, sed quid ex illis in subiecto relictum. Et tandem de situ, & habitu idem tradit 5. Metaph. lect. 20. vbi ex Aristor. dicit situm addere supra vbi dispositionem partium in ordine ad locum, quam constat esse in ipsa re vbiata: habitumque esse quid medium inter indumentum, & habentem: ac proinde non erit ipsum indumentum extrinsecè denominans.

Fundamentum est: quia distinctio penes intrinsecam, & extrinsecam denominationem eiusdem formæ non potest causare diuersa prima genera: ergo semel admissio denario prædicamentorum numero, non possunt hæc vltima constitui in pura denominatione extrinseca. Probatur antecedens, quia eadem omnino forma, quæ intrinsecè denominat subiectum in quo est, denominat extrinsecè terminum, quem respicit per eundem, & vnicum effectum formalem eius: animal enim esse videns; & parietem visum non sunt duo effectus formales visionis, ut per se constat. Ergo repugnat in tali forma, prout sic, esse duas essentias primò diuersas: & ex consequenti constituere plura prædicamenta. Maior huius probatio constabit ex dicendis de vnoquoque.

5 Ad argumentum in contrarium adductum neganda est minor. Nam esse in loco, vel esse in tempore non important puras denominationes extrinsecas à loco & tempore; sed peculiare modos essendi rerum, quæ sunt in loco & tempore, in eisdem existentes. Quia tamen modi isti, seu accidentia dependent à rebus extrinsecis, quæ maiorem habent entitatem, & sine quibus existere non possunt: (vbi enim dependet à loco, quando à tempore, & sic de aliis ut infra explicabimus:) ideo de illis loquimur, ac si essent denominationes extrinsecæ. In quo sensu intelligendus est D. Thom. locis præ contraria sententia citatis. Solùm enim intendit ista prædicamenta esse debilissimæ entitatis, & sumi ab aliqua forma extrinseca, ut actionem à patiente, passionem ab agente, vbi, & situm à loco, quando à tempore, & habitum ab indumento.

Obiicies D. Thom. 1. part. quæst. 110. art. 3. expressè asserentem, quòd *Mobile secundum locum non est in potentia, ad aliquid intrinsecum: in quantum huiusmodi: sed solum ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum*. Et primò contra gentes cap. 3. *Aliquando denominantur aliquid ab eo, quod est extra ipsum, ut à loco dicitur aliquid esse alicubi, &c.* Ergo non rectè explicatur Diu. Thom. nostra sententia.

Respondetur Angelicum Doct. priori loco distinguere motum localem ab alteratione, & argumentatione in hoc, quod duo isti motus terminantur ad aliquid omnino intrinsecum, nempe ad qualitatem, & quantitatem; & prout sic, non dependent ab aliquo extrinseco: & ideo per tales motus non intelligitur mobile coniungi alicui extrinseco, à quo resulter quantitas, aut qualitas. At verò vbi, quod est terminus motus localis, omnino dependet à loco qui est quid extrinsecum: & ideo prius mobile intelligitur coniungi loco, quàm quod resulter vbi. In quo sensu mobile motu locali dicitur esse in potentia ad aliquid extrinsecum: quod non habent alij motus. Videantur Araux.

Araux. vbi suprà ad 1. & Sanch. quæst. 10. § Per quod patet ad locum ex primo contra gentes, Sensus enim est, quod res denominatur esse alicubi à loco tanquam à forma extrinseca, à qua sumitur forma intrinseca, scilicet vbi.

6 ¶ Veniamus ad secundam partem q. an scilicet ista prædicamenta sint quid solutum, vel puræ relationes: Circa quod aliquid. Antiqui, quod refert Herb. vbi sup. docuerunt consistere in aggregato quodam ex absoluto, & relatiuo. ¶ Hæc tamen sententia est manifestè falsa: quia prædicamenta sunt entia per se, & simplicia: ergo non possunt ex rebus diuersorum prædicamentorum integrari.

Secunda sententia docet esse veras relationes. Quæ videtur esse sententia Scoti in 4. dist. 23. quæst. 1. vbi facta distinctione relationis in extrinsecus, & intrinsecus aduenientem, dicit hæc prædicamentum esse relationes extrinsecus aduenientes. Eandem sententiam, nulla facta distinctione, defendit Capreol. in 2. dist. 6. q. 1. affirmans prædicamenta ista verè esse relationes, & non quid absolutum.

¶ Potestque suaderi: quia hæc prædicamenta dependent in suo esse ab existentia illius extrinseci, ad quod ordinantur: ergo sunt verè relationes secundum esse, & non aliquid absolutum. Consequentia videtur notæ: siquidem in hoc differunt relatio secundum dici, seu transcendentalis, & secundum esse seu prædicamentalis: quod hæc requirit existentiam termini; non autem illa. Antecedens verò conceditur communiter à Thomistis, & videtur satis ostendi: tum inductione: tum etiam ex imperfectissima, & debilissima entitate horum prædicamentorum, quæ non rectè saluatur per hoc solum, quod dicant ordinem ad aliquid extrinsecum, nisi etiam requirant eius existentiam; siquidem illud conuenit pluribus qualitatibus satis perfectis.

7 Secunda concl. Hæc prædicamenta sunt relatiua tantum secundum dici ac proinde non sunt veræ relationes; sed quid absolutum. Sic docent frequenter Thomistæ, Herb. Quolibeto citato, Soncin. 5. Metaph. quæst. 39. & 41. label. ibidem q. vlt. Arauxo vbi sup. concl. 4. Sorus & Mas. in hoc cap. Sanch. lib. citato, & communiter Doctores.

Fundamentum est: quia propria ratio relationis secundum esse est esse ad; seu accidens faciens respicere aliud ex proprio, & nativo effectu eius, sed hoc non conuenit istis prædicamentis: ergo non sunt veræ relationes secundum esse. Probatur minor discurrendo per singula. Nam in primis, quatuor vltima prædicamenta ex propria ratione dicunt esse in, siquidem vbi facit rem esse in loco quando in tempore; situs disponit partes in loco: & habitus resultat ex eo quod vestis sit in corpore. Ergo nullum istorum, propriè loquendo includit esse ad. De actione etiam, & passione idem pater: Tum quia ex propria ratione non dicunt ad, sed actio dicitur esse ab agente; passio verò in passio. Tum etiam, quia si essent veræ relationes, necessariò essent mutue, vt pater: hoc autem repugnat: ergo, &c. Probatur minor: quia actio, & passio non sunt simul natura: illa enim est actus actiui; hæc verò passiuæ, vt inquit Arist. 3. Physic. text. 29. Actiuum autem hæc causa passiuæ, & prius illo vt de se constat.

Confirmatur: quia iam hæc prædicamenta continentur sub prædicamento relationis: & ex consequenti solum essent quatuor genera suprema con-

Colleg. Compl. Logica.

tra receptam Philosophorum sententiam, quam explicauimus disp. 11. num. 63. Ergo hæc prædicamenta non sunt veræ relationes; sed entitates absolute.

8. Ad argumentum in contrarium adductum neganda est consequentia. Ad cuius probationem respondetur quod relationes dependere ab existentia alicuius extrinseci, non oritur formaliter ex eo quod sunt veræ relationes secundum esse; sed ex eo quod sunt entia imperfecta, & minimæ entitatis. Quod non solum relationi, sed etiam aliis entibus conuenit, vt patet de vnione, & aliis modis, quibus in hoc assimilantur ista prædicamenta. Quod fit, vt licet non omnia relatiua secundum dici, seu transcendentalia petant terminum actu existentem: vt patet de potentiis, & habitibus, (in quo distinguuntur à prædicamentalis, quæ semper talem existentiam postulant: vt diximus disputatione 14. numero 23. tamen plura sunt relatiua secundum dici, quæ etiam requirunt existentiam termini, non formaliter ex eo, quod sint relatiua secundum dici sed ex eo, quod sint entia imperfecta, & debilissima entitatis, vt explicatum est. Et huiusmodi sunt ista prædicamenta, quæ proinde magis accedunt ad relationem prædicamentalem, quam alia relatiua secundum dici perfectiora: & per consequens minus participant rationem absoluti.

## Q V Æ S T I O II.

### De prædicamentis actionis, & passionis.

9. **A**D plenam notitiam horum prædicamentorum oportebat disputare: an omnis actio subiectetur in agente; inde enim dependet statuere, in quo consistat propria ratio, tam actionis, quam passionis. Hæc tamen difficultas propriam sedem habet lib. 3. Physic. & idè in præfati sufficit hæc prædicamenta vtcumque explicare.

Pro quo notandum est plura reperiri in productione physica alicuius effectus, verbigratia in calefactione. Primò enim inuenitur substantia, seu suppositum ignis cui vt quod tribuitur calefactio. Secundò potentia operatiua scilicet qualitas, per quam ignis constituitur potens, seu in actu primo ad calefaciendum. Tertio effectus, nempe calor in ligno productus. Quarto motus medio quo passum, scilicet signum transit de non calido in calidum. Quintò mutua relatio prædicamentalis inter ignem, & lignum.

In nullo autem horum consistit essentialis, & Metaphysica ratio actionis, aut passionis. Nam in primis de substantia seu supposito, id est, per se cuius. Qualitas etiam, siue potentia operatiua, quamuis soleat appellari actio intercedenter, siue causaliter, aut originaliter: quia est principium actionis vt ex Doctrina D. Thomæ notant Bergomensis in concordantiis dub. 25. & Flandr. 5. Metaph. quæst. 2. art. 2. explicatque latè Nazar. 1. quæst. 25. art. 1. controuersia vnica: tamen certum est in creaturis realiter distingui ab actione propriè, & essentialiter sumpta, vt probat. Angelicus doctor innumeris penè locis, quæ habentur in tabula verbo actio numer. 1. Similiter certum est actionem saltem formaliter non esse ipsum effectum, & idem est de passione, siquidem sunt distincta prædicamenta. In relatione etiam prædicamentali ignis ad lignum minus possunt consistere:

2 3 quia

quia relatio, est distinctum prædicamentum : tum etiam quia hæc resultat ex ipsa actione, & passionem, & fundatur in eis, ut patet ex dictis disputat. 14.

10 Tandem de motu idem conuincunt ex D. Tho. Caiet. & Nazal. quæst. 25. citata. Quia in creaturis actio essentialiter sumpta debet esse tale quid, quod proportionabiliter translatur in deum identificetur cum substantia eius, sicut intellectus, aut alia potentia operatiua significat id, quod in creatura est accidens; translatur verò in Deum est ipsa substantia eius. Sed si Deus immediatè calefaceret aut moueret lignum, motus ibi inuentus non identificaretur cum ipso Deo, ut est per se euident. Ergo in illo motu non potest consistere id, quod in Deo apprehendimus per modum actionis : & consequenter neque in creaturis propria ratio actionis potest consistere in tali motu. Ac proinde concedenda est alia realitas vel formalitas, à qua potentia operatiua constituatur in actu secundo : quæque sit causalitas ipsius agentis. Et similiter ex parte passi concedendum est aliquid : per quod potentia passiuua fiat actu recipiens, seu quod sit actualis receptio effectus. Et in his realitatibus, seu formalitatibus consistunt essentielles rationes actionis, & passionis, ut magis explicabimus lib. 3. Physicorum.

11. Ex quo iam facile possunt, utcumque formari definitiones actionis, & passionis. *Actio enim est causalitas causa efficiens : vel actus secundus potentia operatiua : vel melius : Actio est accidens, à quo res constituitur actu producent.* Cum qua definitione coincidit ea quam tradit Gilbertus lib. de sex principiis, & admittit D. Thom. opusc. 48. tract. 6. cap. 1. scilicet. *Actio est forma secundum quam in id, quod subicitur, agere dicuntur.* Vnde etiam sumitur definitio passionis. Nam, ut bene inquit Angelicus Doctor, cap. 3 sequenti, sicut agere nihil aliud est, quam causare formam in passio; sic pati nihil aliud est, quam talem formam recipere : ac proinde potest definiti : *Passio est actualis receptio termini : vel Actus secundus potentia passiuua : siue Accidens, à quo res constituitur actu recipiens : vel tandem : Est forma faciens actu produci.* Hæc enim omnia inter se coincidunt; neque indigent noua explicatione. Videatur Araux. 5. Metaphysic. quæst. 6. art. 1. ubi eodem modo explicat hæc prædicamenta, additque esse communem sententiam Metaphysicorum.

12. ¶ Ex dictis inferitur primò, specificationem actionis sumendam esse à principio, seu potentia operatiua : specificationem verò passionis à termino per actionem producto. Quæ est expressa sententia D. Thom. 1. 2. quæst. 1. artic. 1. prima parte, quæstione 14. artic. 5. ad 3. de veritate, quæst. 20. artic. 1. ad secundum, & alibi sæpè, eamque inter alios explicat latè Montefino 1. 2. disp. 1. q. 7. Pro qua etiam videri potest Bañez 1. part. quæst. 77. art. 3. Breuiterque probatur : quia actio, ut actio est, dicit essentialem ordinem ad agens, estque proprius actus potentia operatiua : passio verò ut passio, est receptio termini : & ad illum essentialiter ordinatur. Ergo actio à potentia operatiua, & passio à termino specificantur.

Quare quando potentia operatiua fuerit vna in specie : actiones erunt eiusdem speciei, etiam si termini sint speciei diuersi. Similiter quodcumque termini fuerint speciei distincti : passionem erunt diuersæ speciei, etiam si actiones sint eiusdem speciei. Quod quomodo verificetur, tam in causis vniuersalibus, quam particularibus pendet ex dicendis 3. Physicorum de subiecto actionis. Nunc tamen adden-

dum est hanc doctrinam non esse contrariam ei, quam tradit Diu. Thom. quæst. 77. citata primæ partis, artic. 3. dicens ex duobus actionem specificari, scilicet ex principio, & fine seu termino. Nam ibi loquitur de actionibus causarum, ut inquit Bañez : in quibus idem redit, quod specificatio sumatur à principio, vel à termino : quia in his causis quoties dantur termini specie distincti, dantur etiam principia specie distincta, & è contra, ut patet in calefactione, & refrigeratione. Vel loquitur de tota operatione, aut motu, secundum quod includit actionem, & passionem, ut explicat Montefino : & idè sub distinctione dixit, specificari ex principio, vel ex termino.

12. ¶ Secundò inferitur valdè probabile esse sub genere supremo actionis contineri non solum actiones transeuntes, sed etiam immanentes creatas, siquidem utrobique inuenitur vera productio, cum inueniatur verus terminus productus, verum agens, & vera potentia operatiua. Quare si quæ sunt actiones absque termino producto, ut de aliquibus sensationibus, & de visione beatifica docent inter alios Caietan. 1. part. quæstion. 27. art. 1. dubio 1. Bañez ibidem dubio 2. & Nauarrus controuersia 34. tales actiones non sunt propriæ actiones huius prædicamenti; siquidem non sunt veræ productiones : sed dicuntur grammaticaliter; actiones, eo modo, quo resistentia lapidis ad diuisionem, & similes. Subdiuiduntur autem actio transeuntes, & immanentes iuxta diuisiones potentia actiuæ, quas adduximus disputatione præcedenti numero 33. & sic facile quisque potest ad seriem reducere species huius prædicamenti.

14. ¶ Tertiò inferitur productiones illas, quæ non præsupponunt ut principium operandi potentiam operatiua de genere qualitatis, non esse veras actiones prædicamentales. Et huiusmodi sunt in primis omnes actiones Dei, siue immanentes, siue transeuntes : ( si verum est Deum agere actione formaliter transeunte ) quia neque potentia operatiua eius est qualitas, neque tales actiones sunt accidentia, sed ipsa substantia Dei, ut læpissimè docet, & probat D. Thomas, de quo videri potest prima parte, quæstione 25. articulo 1. & quæst. 54. art. 1. 2. & 3. Huiusmodi etiam sunt quædam productiones, quæ solent appellari emanationes ad distinctionem actionum prædicamentaliū, ut emanatio, qua passionem profluunt ab essentia, & generaliter emanationes omnium accidentium à subiecto, exceptis illis, ad quæ datur per se motus, nempe quantitate, qualitate, & ubi, quando per se producantur.

15. ¶ Quartò circa prædicamentum passionis inferitur, ad ipsum solum pertinere illas, quæ ex natura sua præsupponunt, & sequuntur actionem prædicamentalem. Vnde non datur vera passio huius prædicamenti, quando proprietates recipiuntur in essentia, neque quando alia accidentia per accidens producta recipiuntur subiecto.

Qua etiam de causa creatio passiuua creaturarum non est passio huius prædicamenti : quia creatio actiuua Dei quam per se præsupponit, non est vera actio prædicamentalis. Quæ est sententia Diui Thom. 1. part. quæstione 45. articulo secundo & tertio, pro qua videri possunt Caiet. ibid. Bañez dub. 4. & Nazar. controu. 2.

Diximus illas solas passionem pertinere ad hoc prædicamentum, quæ ex natura sua præsupponunt actionem prædicamentalem : quia si Deus per se ipsum calefaceret, aut moueret localiter lignum; verè in hoc esset passio prædicamentalis media, qua reciperet calorem

lorem, aut ubi; quamvis actio Dei, quam tunc præsupponeret, non esset prædicamentalis, ut diximus: quia hoc esset per accidens quippe cum talis passio ex natura sua postulet actionem causæ creatæ.

16. ¶ Quinto tandem colligitur diuisio huius prædicamenti. Si enim in generatione substantiali inuenitur vera passio prædicamentalis, sicut inuenitur in alteratione, & aliis motibus: (quod non potest in præfenti examinari:) iam passio prima diuisione diuiditur in substantialem & accidentalem, seu in generationem passiuam & motum. Illa diuiditur iuxta diuisionem generabilium in arbore substantiæ abductam; hæc verò iuxta diuisionem motus in argumentationem, alterationem, & lationem passiuam. Augmentatio passiuæ est species infima: quia quantitas, quæ est terminus eius, nempe corpus est species atomæ. Alteratio verò passiuæ diuiditur iuxta diuisionem 1. & 3. speciei qualitatis: hæc enim solæ producuntur per veram actionem, cæteræ autem per emanationem, ut ex ibi dictis patet. Denique latio passiuæ, seu passio, quæ inuenitur in motu locali diuiditur iuxta diuisionem ubi, quod est terminus eius cuius species quæstione sequenti statuemus.

### Q V Æ S T I O III.

#### De prædicamento ubi.

17. **V**bi explicatur ab aliquibus esse quendam modum seu accidens reddens subiectum alicubi existens, ita ut eo verè sit ubi, antequam consideretur locus; seu superficies extrinseca continens: imò per se, & intrinsecè (inquunt) non dependet ab illa, ut patet in vltima sphaera, quæ verè & propriè habet ubi, non tamen circumscribitur ab alio corpore.

Ita Suarez disp. 51 Metaphys. lect. 1. & quidam alij. Recentiores: qui hac via, nullo negotio dissolunt difficile illam quæst. quæ Aristot. 4. Physic. & antiquis Philosophis maximum negotium facessuit: quomodo scilicet vltima sphaera sit in loco, aut quomodo moueri possit.

Dicunt enim verè & propriè habere ubi, quod appellant locum intrinsecum: quamvis non habeat superficiem continentem, quem appellant locum extrinsecum. Ac proinde posse propriè moueri: quia ubi, & non locus est terminus motus localis.

Hæc tamen sententia falsa est: eamque rectè impugnant Sanchez libro sexto, Logicæ quæstione decima, & alij Thomistæ. Quia ubi necessariò requirit locum extrinsecum, ex cuius circumscriptione resultat; ad eum modum, quo ex positione termini resultat in fundamento relatio: & ex insidentia temporis resultat quando in re temporali, &c. In hoc enim, quod est dependere ab existentia alicuius extrinseci æquo pede currunt hæc prædicamenta & relatio, ut sup. vidimus.

Quare sicut non potest esse quando, nisi sit tempus: quia absque tempore non potest aliquid esse in tempore: sic non potest esse ubi, nisi sit locus: quia absque loco nihil potest esse in loco. Et ideo Aristot. 11. Metaph. cap. 10. lib. 3. Physic. cap. 1. & lib. 4. cap. 1. assignans terminum motus localis, indifferenter appellat ubi, vel locum: quia alterum absque altero inueniri potest. Quod notauit Diuus Thomas citato lib. Metaph. lect. 12. his verbis: *Erunt igitur tria generantis, in quibus potest esse motus, scilicet quantitas, qualitas, & ubi: loco cuius ponis locum: quia nihil aliud significat*

*esse ubi, nisi esse in loco, & moueri secundum locum, nihil est aliud, quam moueri secundum ubi.* Ex quo patet dictam sententiam non soluere: sed fugere difficultatem illam ex 4. Physicorum, ut ibi constabit.

18. Ad id autem, quod affertur de vltima sphaera, pro nunc responderetur ex eodem Aristot. 46. ipsam non esse in loco per se, perfectè & adæquatè; sicut alia corpora inferiora; sed imperfectè & inadæquatè, nempe secundum partes, & eodem modo, & non aliter ipsam habere ubi. Siue hoc intelligatur de partibus ipsius sphaeræ, ut videtur intellexisse D. T. ibid. lect. 7. & nos eodem loco expendemus, siue de aliis partibus vniuersi ab eadem vltima sphaera contentis, ratione quarum ipsa dicatur secundum quid esse in loco, ut satis probabiliter explicat Label. citato lib. Physic. quæst. 13. & docet Angel. Doct. Opusc. de natura loci.

Sicut enim quando res posteriores per priores definimus, deuenimus ad aliquam omnino primam: quæ cum non habeat alias priores, per quas definiatur, simpliciter caret definitione; definitur tamen secundum quid per ipsas res posteriores, ut explicuimus disp. præced. num. 8. ita similiter contingit in locatione partium vniuersi. Elementa enim sunt in loco: quia continentur ab sphaera Lunæ: hæc autem, quia continentur à Mercurio; & hic à Venere; & deinceps.

Tum verò peruenitur ad vltimam sphaeram: non potest ipsa simpliciter esse in loco, neque simpliciter habet ubi, cum non contineatur ab alia. Habet tamen locum, & ubi secundum quid, in quantum ipsa continet alias. In quo quodammodo approximatur, & attingit vicinum genus spirituum, quorum proprium est esse in loco, non ut contenti & conseruati ab illo; sed magis ut continentes & conseruantes locum, ut sumitur ex D. Th. 1. parte, q. 52. art. 1. & explicat rectè Caietanus ibidem. Sed de hoc redibit sermo lib. citato Physicorum.

19. Vera ergo explicatio huius prædicamenti sumenda est ex definitione Gilberti, quæ sic habet: *Vbi est circumscriptio corporis à circumscriptione loci promouens.* Cuius sensus est, ubi esse accidens resultans in re locata eo, quod à loco contineatur, medio quo quasi coæquatur, & proportionatur loco. Propter quod D. Thom. 4. distinct. 16. q. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ubi appellat proportionem locati ad locum, affirmatque quando, & ubi esse quid relictum in corpore ex tempore & loco: ac proinde non potest esse ubi absque loco. Quod adeo verum est, ut quamvis Deus ab æterno fuerit potens replere quæcunque loca; tamen non ideo ab æterno fuit vbique, ut docet & probat D. Thomas 1. distinct. 37. quæst. 2. articulo tertio: quia ut ibi optimè argumentatur: *In quocumque est aliquid, oportet illud esse, quia in nihilo nihil omnino est: sed neque locus, neque aliqua res ab æterno fuerant: ergo neque Deo ab æterno conuenit vbique vel in rebus esse.* Vnde etiam fit, quod si annihilato vniuerso, crearet Deus hominem; vanum esset quærere de illo, ubi esset; siquidem tunc, quamvis verè existeret extra causas, non tamen esset in loco: & sic nullibi esset. Videatur D. August. 11. de Ciuitate cap. 5. ubi has appellat *Inanes hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum.* Videatur etiam Bañes 1. parte quæst. 8. art. 2. Nauarretæ controuers. 27. & Ioannes Gonzal. disput. 17. & 19. qui optimè probant Deum actu non esse in locis, aut spatiis imaginariis, neque esse vbique non existentibus creaturis. Maneat ergo naturam huius prædicamenti optimè explicari in definitione Gilberti. Quæ sic potest breuius tradi; *Vbi est accidens resultans in corpore ex circumscriptione loci: vel Vbi est accidens, quo res est in loco.*

20. Circa species huius prædicamenti Fons. vt refert Araux. 5. Metaph. q. 7. art. 2. affirmat, non solum vbi, creaturarum, tam corporalium quam spiritalium; sed etiam ipsum vbi, quo Deus est vbi-que, verè pertinere ad hoc prædicamentum.

Hæc tamen sententia omnino falsa est. Nam si modus essendi vbi-que proprius Dei sumatur radicaliter pro aptitudine, quam ipse habet ad essendum in omni loco: est attributum immensitatis, & ipsa substantia Dei. Si verò sumatur formaliter pro eo, quo Deus actualiter dicitur esse in omni loco: est pura denominatio extrinseca, vel relatio rationis, vt probat D. Thom. loco cit. in quorum tamen nullo potest consistere essentia huius prædicamenti, vt ostensum est ergo, &c. Quare relicta hæc sententia, & immensitate Dei.

Vbi creaturarum solet communi nomine appellari diuinitas: quia diffinit, & determinat rem, vt sit in determinato loco, seu vt ita sit hic, vt non sit alibi: diuiditurque communiter in circumscriptum, & diffinitum particulariter dictum (nomine diuini applicato vni membro diuidenti.) Vbi circumscriptum est, quod ita facit rem esse in loco: vt tota correspondeat toti loco, & partes eius partibus loci. Et hoc vbi dimanat à quantitate; repetiturque in solis corporibus vt per se constat. Vbi diffinitum particulariter dictum est, quod ita facit rem esse in loco, vt tota correspondeat toti loco, & tota cuilibet parti loci, ad modum quo anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte. Quomodo Angeli sunt in loco: quia quamuis Gabriel possit esse in toto hoc collegio; est tamen totus in toto, & totus in qualibet parte: cum sit substantia indiuisibilis.

21. De hoc ergo vbi Angelorum est difficultas inter Doctores: an verè pertineat ad hoc prædicamentum. (Nam de vbi circumscriptio nemo est, qui neget.) Hoc tamen pendet ex alia quæst. grauiori: quomodo scilicet Angelus sit in loco, quam versant Theologi 1. p. qu. 5. 2. Sufficiat in præsentia dicere, quod quamuis partem affirmatiuam defendant Suarez disp. 31. Metaph. sectione 3. Molina quæstione citata. 1. parte art. 1. Vasquez ibid. disp. 189. c. 2. & alij Moderni: tamen in contraria sententia conueniunt forè omnes discipuli D. Thomæ, vt testatur Arauxo, & fatetur Suarez locis citatis,

Pro qua videri possunt Angel. Doct. eadem qu. 52. art. 1. Caiet. Bañes, & Nazar. ibid. Capreol. in 2. dist. 2. q. 1. Ferr. 3. contra Gentes cap. 68. Sor. in hoc capite, & lib. 4. Physic. Arauxo vbi supra, & alij.

Iuxta quam sententiam, vbi circumscriptum est genus supremum huius prædicamenti. Cuius sex species constituit Aristot. 3. Physicorum textu 45. dicens: *Amplius omne corpus sensibile in loco est. Loci autem species & differentia sunt sursum & deorsum, ante & retro, dextrorsum & sinistrorsum. Et hæc non solum ad nos, & positionem sunt; sed in ipso toto determinata sunt, &c.* Videatur D. Thom. ibidem lectione sexta.

22. Obiicies ex Suarez vbi sup. sect. 5. Quia non solum substantia corporea, sed etiam quantitas, albedo, & reliqua accidentia corporalia habent propria vbi, medijs quibus sunt in loco: ergo plura alia dantur vbi corporalia præter circumscriptum.

Antecedens probat Suarez primò ex mysterio Eucharistiae, vbi pereunte substantia, quantitas manet eum eodem vbi, quod antea habebat: & tamen perit vbi substantiae: ergo habebant diuersa vbi.

Secundò, quia si è contra conservaret Deus substantiam, ablata quantitate; maneret substantia in loco: & tamen non per vbi quantitatis, quod iam perit: ergo per proprium vbi.

Respondetur negando antecedens. Sicut enim per vnā quantitatem extenduntur substantia, albedo, calor, & reliqua accidentia corporea, vt sup. disp. 13. n. 8. ostendimus: ita vnico vbi vbicantur substantia, quantitas, & alia accidentia corporea: neque ponendum est aliud in quantitate, &c.

Ad primam autem impugnationem responderetur, quod vbi circumscriptum panis ante consecrationem simul vbicabat quantitatem & substantiam panis, illam quidem vt subiectum quo; hanc verò vt subiectum quod. Quando autem per consecrationem auferretur substantia, illud vbi definit vbicare eam, & vbicat solam quantitatem cum alijs accidentibus. Videantur quæ in simili materia diximus disp. 12. num. 45.

Ad secundam impugnationem responderetur substantiam tunc nullibi esse, vt vidimus disputatione 13. numero 42.

23. Secundò obiicies ex eodem Suarez. sect. 6. Quia saltem modus existendi in loco quem habet Corpus Christi Domini in Eucharistia, & vulgò appellatur vbi sacramentale, pertinet directè, & per se ad hoc prædicamentum; siquidem verè constituit Christum Dominum præsentem spatio specierum: & tamen est non circumscriptum: ergo plura alia continentur sub prædicamento.

Respondetur negando antecedens. Quia vt docet D. Thomas tertia parte, quæstione 76. artic. 5. lib. 4. contra Gentes capite 64. & alibi sæpè, Christus in Eucharistia est per modum quo substantia comparatur aut continentur à dimensionibus; non verò per modum, quo dimensiones comparantur, aut continentur à loco.

Et ideo Christus per præsentiam sacramentalem, formaliter loquendo, solum sit præsens speciebus sacramentalibus; non tamen loco, aut spatio ipsarum, sed hoc habet per accidens, per ipsum vbi circumscriptum specierum. Et ita Christus in Eucharistia per accidens est in loco, & per accidens mouetur in illo: ac proinde per motum localem specierum non acquiritur, & deperditur vbi sacramentale, vt falsò asseruit Suarez; sed tantum vbi circumscriptum earum. Videatur D. Thom. in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 4.

## Q V Æ S T I O I V.

### De prædicamento Quando.

24. Quando etiam explicatur, ab aliquibus esse quandam modum, seu accidens, quod facit rem durare. Atque ita iuxta hanc sententiam, ablato tempore, manebit quando in corporibus: quia etiam cessante motu cæli, verè manebunt cum sine duratione. Ita defendit inter alios Suarez disputatione 30. Metaphysic. sectione 12. qui vniuersaliter affirmat; quando nihil aliud esse, quàm intrinsicam rerum durationem, & persistentiam in sua esse, ac proinde species huius prædicamenti esse omnes durationes creatas.

Hæc tamen sententia falsa est: & eam impugnant inter alios Sanch. lib. 6. Logicæ q. 9. & Ioan. Gonçalls. part. quæst. 10. disp. 22. ad 3. Estque contra Arist. cap. 4. huius libri, cum inquit: *Quando est vt esset. hieri, superioris anno, &c.* Hoc autem formaliter non est durare: sed supponit durationem, seu persistentiam in esse: siquidem absque duratione non potest aliquid esse hieri, vt superiori anno: bene tamen potest habere duratio



durationem, & non esse heri, neque superiori anno. Ut de facto continget in fine mundi, cessante motu locali: tunc enim elementa remanentia durabunt; & tamen non erunt heri, neque superiori anno, cum non sint futuri dies, menses, aut anni iuxta illud Apoc. 10. *Et iuravit per viventem in secula seculorum: quia tempus non erit amplius.* Et etiam, contra D. Th. 5. Physic. lectione tertia, ubi inquit: *Quando significat in tempore esse.* Similiter in primo sententiarum ad Annibal dum distinctione 37. quæstione 1. art. 1. ad 2. docet, quod propria denominatio huius predicamenti est esse in tempore, ut quid mensuratum ab illo.

Et tandem in 4. distinctione 16. quæstione 3. artic. 1. quæstiuncula 2. affirmat quando esse id quod ex tempore relinquitur in re, quæ durat, sicut ubi est id, quod ex loco relinquitur in re locata. Ergo quando non est ipsa duratio rerum, sed quid in illis relictum ex mensuratione temporis.

25. Secundò impugnatur eadem sententia: quia, vel duratio est quid realiter distinctum à re, quæ durat, & ab eius existentia, ut ex communi Thomistarum sententia docet, & probat Goncal. ubi sup. disputatione 20. sectione 1. concl. 1. vel ex ipsa existentia rei continuata, ut contendit Suarez disputatione citata sect. 1. num. 5.

Si primum, consequenter asserendum est durationem ex intrinseca ratione sua esse mensuram rei durantis: ac proinde verè esse quantitatem, vel virtutis, vel molis iuxta receptam durationis diuisionem in æternitatem, æuum, & tempus, ut rectè notat Gonz. ibid. Sin autem dicatur secundum, consequenter asserendum est durationem revera esse quid incompletum, & diuagari per omnia prædicamenta. Ergo nullo modo potest sustineri, prædicamentum hoc essentialiter consistere in ipsa duratione.

Tertiò impugnatur ad hominem contra Suar. Quia non omnis existentia creata est accidens prædicamentale; quamvis sit accidens Logicum, ut patet de existentibus omnium substantiarum quæ sunt actus quidam seu termini substantiales, & entitatiuè substantia, ut patet.

Ergo si duratio est ipsa existentia rei, ut vult Suarez, non omnis duratio creata erit verum accidens prædicamentale: ac proinde non omnis pertinebit ad hoc prædicamentum: cuius contrarium statuit, & probat ipse sect. 1. 2. sequenti num. 22.

26. Respondet ibid. num. 14. durationem quidem Metaph. & realiter non esse verum accidens rei durantis, ut probat argumentum; prædicari tamen accidentaliter de re, quæ durat, & hoc sufficeret, ut possit prædicamentum accidentis constituere: quia omnia prædicamenta accidentium sunt vera accidentia; sed quædam sunt, quæ propter solam prædicationem accidentalem constituunt prædicamentum accidentis.

Hæc tamen solutio destruit diuisionem accidentis realis in nouem prædicamenta: confundit accidens logicum seu prædicabile cum accidenti physico, seu prædicamentali: & substantiam collocat directè sub generibus accidentium. Et ideo à Peripateticis non est impugnanda, sed relinquenda.

27. Vera ergo explicatio huius prædicamenti sumitur ex definitione Gilberti, qui ita inquit: *Quando significat rationem ex temporis insidentia relictam; non tempus ipsum.* Et infra: *Quando est quedam affectio rebus addita, per quam dicuntur esse, aut fuisse, aut futuras esse; non verò est tempus ipsum.* Ex quibus sumpta est communis definitio, qua utitur D. Thom. Opus. 43. scilicet: *Quando est id, quod ex adiacentia temporis relinquitur:* quam sic possumus ad pauciores ter-

minos reducere: *Quando est accidens, quo res est in tempore.*

Sicut enim ex extrinseca circumscriptione loci, resultat in re locata ubi, per quod formaliter dicitur esse in loco: sic insidentia extrinseca temporis mensurantur res temporales, resultat in eis quando, per quod formaliter dicuntur esse in tempore. Vnde sicut supponit ex parte rei locatæ quantitatem sibi intrinsecam per quam fit apta, ut ubicetur, & supponit etiam locum, ex cuius extrinseca mensuratione resultat; ac proinde, neque est quantitas rei locatæ, neque locus ipse; sed quid ex loco relictum in re quantat sic, quando, supponit durationem ex parte rei, quæ est in tempore; supponit etiam tempus ipsum in quo sit res, & à quo mensutetur: ac proinde, neque est duratio ipsa, neque tempus; sed quid relictum in re durante ex eo, quod à tempore mensutetur. Videatur Sanchez ubi supra conclusione prima.

28. Circa species huius prædicamenti non est parua difficultas. Nam relictis iis, qui durationes creatas, nempe æuum, tempus, & alias collocant per se sub hoc prædicamento, quod ex dictis constat esse falsum, duplex est sententia.

Prima esset, sicut in rebus, quæ tempore primi mobilis extrinsecè mensurantur, ex adiacentia ipsius relinquitur quoddam accidens pertinens ad hoc prædicamentum, ratione cuius dicuntur esse in tempore: ita etiam in Angelis, & animabus rationalibus, quæ æuo primi Angeli extrinsecè mensurantur, ex adiacentia talis æui relinquitur quoddam accidens huius prædicamenti, & similiter in visionibus beatificis Sanctorum, quæ extrinsecè mensurantur ab æternitate participata visionis beatificæ Christi Domini, ex adiacentia talis æternitatis participatæ relinquitur etiam accidens pertinens ad hoc prædicamentum ratione cuius beati dicuntur esse in æternitate. Quam sententiam probabilem reputat Sanch. ubi sup. concl. 4. & iuxta eam faciliè assignantur species huius prædicamenti.

Diuiditur enim primò in quando naturale, & supernaturale: ratione huius res dicuntur esse in æternitate participata: illud verò est quod relinquitur ex adiacentia alicuius durationis creatæ. Quod rursus diuiditur in quando, quod ex æuo relinquitur in rebus æuiteris, & in quando, quod ex tempore relinquitur in rebus temporalibus.

29. Secunda sententia asserit, solum contineri in hoc prædicamento accidentia, quæ ex adiacentia temporis primi mobilis relinquantur in rebus, quæ ab illo mensurantur ratione quorum dicuntur in tempore. Quam sententiam appellat Sanchez communem, & firmiorem in doctrina Aristotelis & Diui Thomæ.

Et merito: tum quia satis apertè colligitur ex eorum doctrina 4. Physicorum text. 115. lectione 20. tum etiam quia ex his tribus durationibus, nempe æternitate, æuo, & tempore solum tempus est absolutè & simpliciter quantitas; cum quantitas alia sit molis, seu prædicamentalis; alia verò perfectionis, seu virtutis. Ergo solum tempus absolutè & simpliciter participat rationem mensuræ: & per consequens ex adiacentia solius temporis resultabit in re mensurata per ipsum aliquod verum accidens, quod constituat hoc prædicamentum. Sed hæc longiorem postulant disputationem.

Est tamen iuxta hanc sententiam non parum difficile assignare species huius prædicamenti. Cum enim tempus primi mobilis sit vnum: non solum species; sed etiam numero: videtur ex illius adiacentia non posse causari quando specie diuersa.

30. Dicendum est tamen, ex diuerso ordine quem

res

res mensuratz habent ad diuersas partes temporis ; etiam si tempus ipsum sit vnum , sumi posse diuersas species huius prædicamenti ; sicut quamuis locus ratione superficiei continentis sit eiusdem speciei ; tamen ex diuerso ordine , quem res locatz habent ad centrum , & polos mundi , sumuntur sursum & deorsum , ante & retro , & aliz species vbi. Et ita Aristot. capite quarto huius libri , assignat vt species quando , *heri , hodie , superiori anno , &c.*

Iuxta quam sententiam , sic potest ordinari hoc prædicamentum ? vt primò diuidatur in quando , ratione cuius res dicuntur fuisse in tempore ; & in quando ratione cuius res dicuntur esse ; & in quando ratione cuius res dicuntur futuras esse.

Secunda species dicitur *hodie* ; & est species infima : quia in tempore præfenti non sunt diuersæ partes , vnde possunt sumi diuersa quando.

Aliz duæ sunt quasi subalternæ ; & sub prima continentur , *heri , nudius tertius superiori anno , &c.* subsecunda verò , *cras , sequenti anno , &c.* sed hæc leuiores sunt , & indigna ampliori indagine.

## QVÆSTIO V.

### De prædicamento situs

31. **S**itum non esse speciale prædicamentum docuerunt plures. Non est tamen , cur ob rem parui momenti à communi Arist. sententia discedamus , præcipue cum explicari optimè possit , in quo differat ab vbi , & quid addat supra illud.

Sciendum ergo est modum illum , seu accidens , quod resultat in re locata ex circumscriptioe corporis continentis , & appellatur vbi , solum efficere , vt res locata commensuratur loco , ita vt vna pars eius sit extra locum alterius partis : non tamen efficit tales partes habere ordinem , seu dispositionem respectu ipsius loci. Et ad hoc ponitur situs. Qui consequenter nihil aliud est , quàm dispositio illa , seu habitudo partium rei locatz in ordine ad locum. Et ideo definitur à Gilberto , quod sit *Positio partium , secundum quam dicuntur stantia , vel , sedentia , vel aspera , vel lenia , &c.*

Quem breuius definit Diuus Thomas Opusc. 48. dicens : *Situs est positio , seu ordo partium in loco.* Quam definitionem sic poteris ad formam aliarum reducere : *Situs est accidens disponens partes in loco.*

Videantur Angelicus Doctor prima secundæ , quæstione 2. 49. artic. 1. ad 3. Conrad. ibidi. & Arauxo 5. Metaph. q. 7. art. 3.

32. Species huius prædicamenti assignat B. Albertus tract. de Situ c. 1. dicens eas esse æquæ , & non æquæ situatam esse. Sub quibus comprehenduntur stare , sedere , iacere , asperum , & leue : & aliz similes positiones. Vel , si malueris , poteris cum Arauxo vbi sup. & Soto in præfenti , hoc prædicamentum diuidere prima diuisione in situm naturalem , & præternaturalem , seu ex appetitu animalis acquisitum.

Constat enim unicuique corpori determinatè conuenire aliquem situm à natura , seu à natiuitate , vt homini quod caput sit superiori loco , aliz verò partes in loco magis vel minus inferiori. Quod non inuenitur in aliis corporibus. Nam planta habet caput , scilicet radicem , in loco inferiori ; ramos verò in superiori : bruta quasi medio modo se habent. Eis enim natura , neque caput versus cælum erexit , neque terræ infixit. Et hinc sumuntur diuersæ species situs naturalis. Præternatu-

ralis etiam , seu ex appetitu animalis acquisitus , qualis est in homine sedere , iacere , & similes , suas habet species.

Nam sessio diuerso modo disponit partes in ordine ad locum , ac iacentia , non solum in diuersis corporibus , sed etiam in eodem , vt notum est. Videatur Arauxo loco citato.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### De prædicamento Habitus.

33. **D**isputatione præced. numero 22. explicuimus , in qua significatione nomen *habitus* pertineat ad hoc prædicamentum. Quo supposito , & relictis illis , qui ipsum constituunt in denominatione extrinseca ab indumento proueniente , quos quæst. 1. impugnauius. Quidam alij Moderni , vt saluent hoc prædicamentum esse quia intrinsecum , explicant illud , asserentes esse quoddam accidens , ita disponens partes corporis , vt possit commodè vestiri & consequenter tantum reperiri in hominibus , quorum membra sic disposita sunt à natura , vt possint faciliè indui. Iuxta quam sententiam idem habitus perseverat in quolibet homine : neque in suo esse dependet ab extrinseco indumento.

Hæc tamen opinio falsa est & contra Arist. tum hic vbi dicit habitum esse , vt indutum , aut armatum esse , tum etiam 5. Metaph. c. 10. dum docet esse medium quoddam per modum actionis & passionis inter vestem , & habentem ipsam vt explicuimus disput. citata. Ac proinde nullus dicitur habere habitum , quando nudus est ; sed quando est vestitus , armatus , &c. Ergo non consistit hoc prædicamentum in illa dispositione membrorum , seu aptitudine , quam habet homo , vt induatur.

Adde , ad talem dispositionem , seu aptitudinem non requiri aliud accidens præter figuram membrorum , duritiem vel molitudinem eorum , potentiam motuam , aut alias similes qualitates : ergo , &c.

34. Hac ergo sententia relicta dicendum est cum Arist. loc. cit. Gilberto in suo Opusc. D. Th. 5. Met. lect. 18. & 1. 2. q. 49. art. 1. quos sequuntur Conrad. ibid. Caiet. 3. p. q. 2. art. 6. Araux. vbi sup. art. 5. & communiter Doctores , quod sicut vbi est accidens resultans in re locata ex circumscriptione loci : sic habitus vt constituit hoc prædicamentum est accidens resultans ex adiacentia indumenti : vel accidens , ratione cuius res dicuntur induzæ. Quod significauit Gilbert dicens , habitum esse *Corporum & eorum quæ circa corpus sunt , adiacentium*. Qua descriptione significatur habitum mediare inter corpus , & ea quæ circa corpus sunt per modum cuiusdam actionis , & passionis , in quantum , medio illo , corpus ornatur ; & ea , quæ circa corpus sunt , ornant. Ac proinde hæc debent esse omnino extrinseca corpori ; sicut locus est extrinsecus rei locatz , & tempus rebus , quæ ab eo mensurantur.

35. Hinc fit animalia irrationalia , quæ à natura acceperunt arma , & indumenta proportionata , vt ungulas , cornua , pilos , lanam , &c. quamuis ratione horum non habeant habitum pertinentem ad hoc prædicamentum : quia talia arma , & indumenta sunt veræ partes eorum , & non aliquid extrinsecum , tamen quatenus in ordine ad humanos vsus aliis armis , aut vestibus extrinsecis induuntur , habere procul dubio habitum huius prædicamenti , vt docet

ut docet expressè D. Thom. opusc. 48. Sic enim dicitur phaleratus aut armatus.

Per quod tandem patent species huius prædicamenti. Diuiditur enim secundum varia genera indumentorum, tam toti corpori-quàm singulis partibus conuenientium. Et sic potest primò diuidi inhabitum, quæ resultat ex adficientia, armorum, ratio-

ne cuius dicimus res esse armatas,loricatas, aut galeatas: & in eum, qui resultat ex adiacentia vestium. Qui potest subdiuidi secundum varia genera indumentorum, ut togatum esse, calceatum esse, habere cucullam, &c. Sed de his satis. Qui plura voluerit, legat D. Th. opusculo citato, Sanchez libro sexto, Araxo, vbi supra, & alios.

## POST PRÆDICAMENTA ARISTOTELIS.

**H**ÆC est tertia pars huius libri. In qua per quinque capita differit Aristot. de quibusdam affectionibus, quæ consequuntur prædicamenta, seu quæ inter ipsa inuicem comparata inueniuntur. Quæ quia non sunt entia completas, sed rationes quadam imperfectæ, & incomplete, diuagantur per multa prædicamenta: idè ad nullum specialiter pertinent, aut reducuntur: propter quod etiam seorsim in hac tertia parte explicantur ab Arist. Sunt autem: oppositio, prioritas, simultas, morus, & modus habendi. Circa quæ sufficiet Aristotelis doctrinam, quam omnes recipiunt, breuiter referre.

### CAPUT X.

#### De Oppositis.

**P**ERA ex iis, quæ adducit Arist. in hoc capite, constant ex dictis lib. 2. Institutionum circa oppositionem propositionum: & idè principaliora tantum attingemus. Continet ergo tres partes. In prima enumerat Aristot. quatuor oppositionum genera, & ea exemplis illustrat. In secunda comparat ea inter se, & probat vnum non esse aliud. In tertia tandem specialiter agit de contrariis, & aliquas eorum condiciones, seu proprietates assignat.

Ad primam deueniendo, oppositio est quadruplex: alia relatiua, ut duplum, & subduplum: alia contraria, ut bonum, & malum, vel calor, & frigus: alia priuatiua, ut visus, & cæcitas: & alia contradictoria, ut sedet, & non sedet.

2. Circa hanc partem, illud in primis notandum est, Aristotelem non agere in præsentem de oppositione propositionum, aut terminorum, ut diximus loco citato institutionum; sed de oppositione rerum. Hæc enim est, quæ consequitur ad prædicamenta: & ex consequenti est quid reale, constituens postprædicamentum istud: quod diuidit Aristot. in quatuor oppositiones enumeratas. Vt autem huius diuisionis sufficientiam percipiamus, oportet aliquo modo explicare, quid sit oppositio in communi: non enim eam definiuit in præsentem Aristot. Pro quo.

Secundò notandum est, quod oppositio importat distinctionem inter ea, quæ opponuntur, ut tradit D. Thom. 1. part. quæst. 28. artic. 3. Non tamen dicit solam distinctionem: nam Petrus, & Paulus verè distinguuntur; non autem opponuntur. Addit ergo oppositio, supra distinctionem, quandam repugnantiam conueniendi simul alicui. Hæc tamen adhuc non sufficit ad rationem oppositionis propriè dictæ: siquidem conuenit omnibus differentiis diuisis, & speciebus cuiuscumque generis; quæ tamen

non dicuntur opposita, ut notauimus loco citato.

3. Hinc iam habemus duas oppositionis acceptiones. Primò enim sumitur latè, prout idem est, quod repugnantia aliquorum ad simul conueniendum alicui. Quo sensu sumpsit oppositionem Aristot. capite 1. sequenti: comprehenditque impropiè opposita, quæ solent appellari repugnantia, seu disparata. Secundò sumitur oppositio propriè, ut distinguitur à disparatis, & solam comprehendit quatuor oppositiones enumeratas. Quo sensu agit de ea Aristot. in hoc capite.

Igitur cognoscendo, in quo istæ quatuor oppositiones distinguuntur à repugnantia disparata, cognoscetur in quo consistat ratio communis oppositionis propriè dictæ. Distinguantur autem per hoc, quod habens oppositionem propriè dictam habet etiam, & determinatam habitudinem ad vnum terminum: sibi quæ determinat, & quasi segregat, aut vendicat extremum, cui repugnet. Hoc enim significat ipsum nomen: siquidem *oppositio* idem est, quod contrapositio. Non autem aliquid dicitur contraponi, nisi determinatæ rei, è regione cuius sit positum. At verò in repugnantia disparata vnum non determinat sibi aliud, cui repugnet; sed indifferenter repugnat omnibus, à quibus in essentia distinguitur. Quo fit, ut propria ratio oppositionis addat supra repugnantiam, determinationem alterius extremi modo explicato. Vnde sic possumus oppositionem propriè dictam definire: *Oppositio est repugnantia determinata aliquorum*. Quæ diuiditur in oppositionem priuatiuam, contrariam, & cæteras, quas non oportet definire. Cum enim ipsæ sint definitiones, facile ex terminis ipsis dignoscuntur.

4. Nunc facile explicabitur diuisionis sufficientia. Quæ sic communiter probatur: quia, vel repugnantia, quam importat oppositio, est inter ens, & non ens, vel inter ens, & ens. Si primum: vel inter ens, & non ens simpliciter, & sic est *oppositio contradictoria*: vel inter ens, & non ens in determinato subiecto, & sic est *oppositio priuatiua*. Si secundum: vel ens, & ens mutuo se expellunt: & sic est *oppositio contraria*; vel se respiciunt, & sic est *oppositio relatiua*. Ex qua etiam patet ordo harum oppositionum. Omnium enim maxima est contradictoria: deinde priuatiua:

vacua : tertio contraria : & ultimo relatiua. ¶ Eandem sufficientiam ostendit eleganter D. Thom. 5. Metaph. lect. 1. 2. ordine inuerso ascendendo à minoribus ad maiores oppositiones : quantum ordinem lae probat opuscul. 37. cap. 1. 2. & 3. De quo etiam videri possunt Araux. 5. Metaphysic. quest. 8. artic. 3. & alij.

Solet etiam DVBITARI de hac diuisione : an sit generis in species, vel analogi in analogata. ¶ Ad quod relictis aliis opinionibus, breuiter respondetur ex doctrina D. Thom. opuscul. citato, quem sequuntur Caietan. & Soto in hoc cap. Maius ibidem quest. 3. & communiter Thomistae, diuisionem esse analogam. Tum quia oppositio est quid reale, conueniens rebus diuersorum praedicamentorum; quibus tamen nihil potest esse reale vniuocum. Tum etiam quia oppositio contradictoria simpliciter, & absolute est oppositio; cum excludat omne medium: quod tamen aliae oppositiones non excludunt: ac proinde per ordinem ad oppositionem contradictoriam aliae participant rationem oppositionis. Videatur D. Thom. loco citato.

5. In secunda parte capituli comparat Aristot. has quatuor oppositiones, dicens, quod priuatione opposita non sunt opposita relatiue. Non enim dicimus: visus caecitatis visus, neque caecitas est visus caecitas, sicut dicimus Pater est Filius Pater &c. Similiter priuatione opposita non sunt contrarie opposita. Cuius rationem reddit: quia in contrariis possibile est fieri mutationem indifferenter ab vno in aliud: at in priuatione oppositis, licet ab habitu (id est à forma, seu re, qua priuat priuationem) ad priuationem sit possibilis transitus; tamen à priuatione ad habitum est impossibilis regressus. Fit enim ex vidente caecus; non vero ex caeco videntis.

Circa hoc dictum Aristotelis DVBITANT merito Doctores: quomodo sit intelligendum. Constat enim vniuersaliter esse falsum, pluresque esse priuationes, à quibus ad formas sibi oppositas est possibilis regressus: liquidem post somnum redit vigilia; lux post tenebras; motus post quietem; & sic de aliis. Vnde explicandum est, à quibus priuationibus detur regressus, & à quibus non; ut illis relictis, de his intelligatur dictum Aristotelis.

6. Id autem explicat optime Diu. Thom. 8. Metaphysic. lect. 7. dicens, quod quando subiectum, seu materia se habet ad diuersa secundum ordinem prioris, & posterioris; non potest ex posteriori redire in id, quod praecedit secundum ordinem. Sicut quia in generatione animalis, ordine quodam sit ex cibo sanguis; & ex sanguine semen, ex quo generatur animal: idem non potest à contra ex semine fieri sanguis; aut ex sanguine cibus; nisi per solutionem ad primam materiam; in quantum scilicet semen, aut sanguis potest resolui in terram; ex qua rursus fiat arbor; vnde procedat pomum; quod fiat cibus; & postea sanguis; & tandem semen.

Iidem etiam contingit in materia vini: quae non comparatur ad acetum, pecuniae per vinum: cum sit corruptio eius. Et simile est de mortuo, & vitio; caeco, & vidente, & similibus. Non enim res comparatur ad mortem, aut caecitatem; nisi media vita, aut visu: & sic animal non dicitur mortuum, aut caecum; nisi praecesserit vita aut visus, vel saltem debuisset praecedere. Ut patet in foetu; qui quidem ante tempus opportunum suae animationis non dicitur mortuus, etiamsi non habeat vitam. Si tamen eo adueniente, ob defectum aliquem non animeretur, vel acquisitam iam vitam postea amiserit: tunc dicitur mortuus. Qua

etiam ratione canis ante nouum diem à natiuitate non dicitur caecus: neque puer in primis mensibus edentulus, ut inquit in presenti Aristot. quia pro tunc, neque huic debentur dentes, neque illi visus. Quod si, transacto illo tempore canis non videat, neque puero nascantur dentes, ille dicitur caecus, & hic edentulus, non minus ac qui visum, & dentes amisit.

In huiusmodi ergo priuationibus, quas subiectum non respicit immediate: sed mediis formis oppositis: (quia nimirum subiectum prius petit habere formam, ex cuius absentia admittit in se priuationem, ut inquit Diu. Thom.) semper verificatur naturaliter loquendo, à priuatione ad habitum non esse regressum. Neque enim ex aceto fit vinum, neque ex mortuo viuum, neque ex caeco videntis, aut ex edentulo dentatus. Praeter has autem sunt aliae priuationes; ad quas subiectum, seu materia ita immediate ordinatur, sicut ad ipsam formam oppositam: quia nimirum potentia receptiua eius non respicit actum, quasi in exercitio: & ita aequaliter se habet ad formam, & ad eius priuationem. Sicque contingit in aëre respectu lucis, & tenebrarum; in animali respectu somni; & vigiliae; in corpore respectu motus, & quietis, & similibus: de quibus non procedit dictum Aristot. sed potest optime à priuatione ad habitum fieri regressus, ut per se patet.

7. Tandem in 3. part. capituli, assignat Aristot. quasdam proprietates contrariorum. Prima est non esse necessarium, si vnum contrariorum existit, quod etiam existat aliud. Non enim sequitur, si album est, nigrum etiam esse: quia possunt omnia esse alba. Quae proprietas intelligitur de consequentia Logica: Physicè enim, siue iuxta ordinem naturae, si vnum elementum est, erit etiam, & eius contrarium, ut inquit Arist. 1. Caeli text. 18.

Secunda proprietas est, duo contraria non posse esse in eodem subiecto. Quod quando, & quomodo sit verum, explicandum est in libris de Generatione.

Tertia est, contraria esse circa idem subiectum, idem inquam in specie, aut genere: ut si subiectum sanitatis est animal; idem etiam sit subiectum aegritudinis. Sequitur autem haec proprietas ex definitione contrariorum, quae communiter assignatur, desumptaque est ex 10. Metaph. cap. 6. scilicet: *Contraria sunt quae sub eodem genere maxime distant, & eidem subiecto insunt, à quo mutuo se expellunt.*

Vltimo inquit Aristot. quod contraria, vel sunt sub eodem genere, ut albedo, & nigredo sub genere coloris; vel sunt sub contrariis generibus, ut iustitia, & iniustitia sub virtute, & vitio; vel sunt ipsa contraria genera, ut virtus, & vitium. Quod quamuis videatur esse contra definitionem traditam, tamen vera non est: quia particula illa definitionis, scilicet, *sub eodem genere maxime distant*, intelligitur de genere, siue infimo, siue subalterno. Atque

ita de quibuscumque contrariis verificatur esse sub eodem genere: nam iustitia, & iniustitia, & virtus, & vitium sunt sub genere habitus, & qualitatis.

C A P V T X I.

De modis prioris.

**I**N hoc capite enumerat Aristot. quatuor modos, quibus aliquid dicitur esse prius alio. *Primus* est, quando aliquid est prius alio prioritate temporis, ut Adamus fuit prior Abele, & hæc est propriissima prioritas. *Secundus* est, quando aliquid dicitur prius prioritate consequentiz: quia scilicet ab eo ad aliud non valet consequentia, ut animal respectu hominis. *Tertius*, quando aliquid est prius prioritate ordinis; nempe quando habet habitudinem principij, vel partis respectu alterius, ut præmissæ respectu conclusionis, literæ respectu syllabæ & exordium respectu orationis. *Quartus*, tandem modus est, quo aliquid dicitur prius prioritate dignitatis, seu honoris: quo sensu vulgus eos, qui sunt honorabiliores, appellat priores. Quam proprietatem inquit Aristot. esse imperfectissimam.

2. His modis, qui suo tempore circumferebantur, addit Aristoteles, *quintum*, quo aliquid dicitur prius alio prioritate naturæ; quando scilicet, licet inter se conuertantur; tamen unum est causa alterius, ut hominem esse; & orationem, in qua id affirmatur, esse veram, conuertuntur quidem inter se; tamen esse hominem est quodammodo causa orationis veræ: quia ab eo, quo res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa. Hoc etiam modo essentia est prior suis passionibus, & sic de aliis.

3. Tandem præter hos modos assignant Theologi alium; quem non cognovit Aristot. quo scilicet aliquid dicitur prius alio prioritate originis. Qui modus tantum inuenitur inter diuinas personas; & non est prioritas *in quo*, (ut aiunt:) quia non datur aliquod instans, vel signum etiam naturæ, in quo vna persona sit prior alia; sed dicitur prioritas, à *quo*: quia vna persona procedit ab alia. Per quod etiam patet, quibus modis possit aliquid dici posterius alio.

C A P V T X I I.

De modis simul.


**R**EPLICITER potest dici aliquid esse simul cum alio. *Primo*, similitate temporis: quando scilicet in eodem tempore fiunt, vel sunt; ut subiectum, & propriae passionis. Quo etiam modo duos gemellos, vel duas lectiones dicimus esse simul. *Secundo*, similitate naturæ: quando scilicet vnum cum alio conuertitur, & neutrum est causa alterius, ut magis explicuimus supra disp. 14. num. 98. *Tertio*, tandem modo (inquit Aristot.) dicuntur esse simul differentiz diuisiue eiusdem generis, ut volatile, gressibile, & æquatile respectu animalis. Quod intellige de differentijs, præcisè secundum quod comparantur ad genus: nam si inter se comparentur, non repugnat, imò oportet vnā esse priorem alia, sicut sunt ipsæ species, quas constituunt, de quibus 8. Metaphysic. text. 10. dicitur esse sicut numeros.

C A P V T X I I I.

De speciebus motus.

**V**A s patet continet hoc caput. In quo prima enumerat Aristoteles sex species motus; (non quia propriè sunt species alicuius veri generis; cum sint viæ quædam, & entia incompleta: sed eo sensu quo qualibet membra diuidentia solent appellari (species) scilicet generationem, & corruptionem ad substantiam, augmentationem, & diminutionem, ad quantitatem; alterationem ad qualitatem, & motum localem; seu lationem ad vbi. Quos motus esse inter se distinctos patet: quia neque corruptio est generatio; neque augmentatio est diminutio aut motus localis &c.

Solum potest esse dubium de alteratione; an distinguatur ab aliis, quod mouet propter aliquos antiquos, qui negabant inter se distingui. Nihilominus partem affirmatiuam probat ipse ratione manifesta. Quia contingit aliquid alterari absque eo, quod habeat alios motus, ut patet ferè in omnibus passionibus. Quando enim qui amat: vel delectatur, aut irascitur, &c. alteratur quidem; & tamen non generatur, aut corrumpitur; neque augetur, aut minuitur neque localiter mouetur. Similiter potest aliquid augeri absque eo, quod alteretur, aut habeat alios motus, ut contingit in Mathematicis. Si enim quadrato addas gnomonem; augetur absque mutatione figuræ. Est autem gnomon supplementum, quod additur costis quadrati, ita ut eius figura non varietur.



2. In secunda parte capitis, inquit Aristot. quemlibet horum motuum habere, duo contraria. Nam omnibus generaliter contrariatur quies, seu cessatio à tali motu; siquidem quando res est genita, aut corrupta, iam quiescit à motu generationis, & corruptionis. Et idem est de augmentatione, & diminutione; & similiter de motu locali: cuius cessatio frequentius appellatur nomine quietis. Hoc autem intellige, non de propria contrarietate; sed de oppositione priuata, ut explicant communiter. Interpretes: quies enim, & motus priuatiuè tantum opponuntur.

Præterea unicuique horum motuum contrariatur specialiter alius. Nam generationi contrariatur corruptio; & augmentationi diminutio. Similiter motui locali ad vnum terminum contrariari videtur motus, quo itur ad terminum contrarium, ut motui sursum, motus deorsum. Alterationi verò, inquit Aristot. non est facile assignare contrarium; sed dicendum contrariari alterationem quæ est ad contrariam qualitatem. quomodo album fieri; & nigrum fieri contrariantur; Hoc autem intelligendum est, non ratione sui, sed ratione termini. Cum enim motus sit via ad terminum: sicut ab ipso participat essentiam, sic etiam contrarietatem. Neque inter terminos ipsos omnium horum motuum existimandum est esse propriam, & rigorosam contrarietatem: nam hæc solum inuenitur in qualitatibus, ut ostendimus supra disputatione 12. num. 35. Et sic inter substantias, quantitatis, aut vbi solum potest esse contrarietas impropria, & secundum quid.





## CAPVT VLTIMVM.

## De modis habere.

**Q**uo sensu habere sumatur in presenti explicuimus disputatione 15. numero 22. Et ideo solum restat enumerare plures habendi modos, quos assignat in hoc capite Aristoteles. *Primo* ergo aliquid dicitur habere aliud ut qualitatem: quomodo dicimur habere scientiam, aut virtutem. *Secundo* ut quantitatem: ut quando dicimus Petrum habere quatuor cubitorum magnitudinem. *Tertio* aliquis dicitur habere ea, quae circa corpus ponuntur, ut vestem, tunicam, aut gladium. (Hic modus habendi non est postpraedicamentum, sed constituit speciale praedicamentum, ut patet ex dictis loco citato, & disputatione 46. numero 34.) *Quarto* ut in vase: quomodo modium dicitur habere triticum, & dolium vinum. *Quinto* ut possessionem: quo sensu dicitur quis habere domum, vel fundum. *Sexto* ut vir dicitur habere uxorem,

aut vxor virum. Qui modus. (inquit Aristoteles) videtur omnium imperfectissimus: quia per eum solum significatur virum vna cum vxore cohabitare. Concluditurque, quod licet alij videantur esse modi habendi: isti tamen sunt, qui communiter circumferuntur.

2 Hos, & alios plures modos habendi reducit ad quatuor. Sicut hic ex eodem Aristotelis lib. 5. Metaphysicae textu 28. *Primus* est quo vna res dicitur habere aliam, quam trahit ad suam dispositionem, & naturam: ut febris dicitur habere infirmum, tyrannus ciuitatem, & vitium hominem vitiosum. *Secundus* est, quo res habet aliam, sicut subiectum formam: ut substantia quantitatem, qualitatem, &c. *Tertius* est, quo res habet aliam, sicut continens contentum, ut dolium vinum. *Quartus* est, quo res per violentiam tenet aliam, ne moueatur suo motu naturali, aut libero: sicut columnae habent domum, & vehemens passio hominem. Quibus addendus est ex Aristotele in presenti modus habendi per solam relationem: quomodo quis dicitur habere amicum; pater filium; vxor virum, &c. Et hunc appellat remotissimum, & imperfectissimum: quia iuxta illud vna res habet aliam, & habetur ab illa. Et haec de prima parte Dialecticae dixisse sufficiat.



SECVN

# SECUNDA PARS

## LOGICÆ.

DE SECUNDIS INTENTIONIBVS QVIBVS DIRIGITUR secunda operatio intellectus.

**S**ICUT Vniuersale, predicabile, genus, indiuiduum, vniuersum, analogum: & similia sunt termini secunda intentionis, quorum notitia perficit, & dirigit primam operationem intellectus; propter quod de huiusmodi intentionibus agimus in prima parte Dialectica, ita nomen, verbum, oratio, propositio, aquipollentia, & similia sunt secunda intentiones: quarum notitia dirigit secundam operationem intellectus in proprio modo operandi, & idcirco earum disputatio pertinet ad hanc secundam partem Dialecticæ. Quam complectitur Aristot. duobus libris perihermenias: quorum expositionem libenter susciperemus: si aliquid restaret addendum. Sed omnia iam explicata sunt à nobis libro secundo Institutionum: & idcirco illis supercedendum esse duximus. Ne tamen Aristot. textum omnino ignoremus, aquum erit breue ipsius compendium, & annotationes aliquas subicere.

### LIBER PRIMVS.

*Perihermenias.*

*SVMMA TEXTVS.*

**I**N HOC iste habet sex capita. Primum continet præmium, vbi Aristot. proponit ea, de quibus acturus est, & de signis, & significatione aliqua attingit. In secundo agit de nomine, vbi definit ipsum, partes definitionis explicat, & à ratione nominis casus obliquos excludit. In tertio tractat de verbo, cuius definitionem statuit, & explicat, excluditque verba infinita, & casus obliquos verborum: & tandem verbum, & nomen inter se comparat.

In quarto agit de oratione, cuius essentiam explicat. Vbi etiam tractat de propositione: varias eius diuisiones adducit: & tandem de propositionum contradictione disputat. In quinto prosequitur de oppositione propositionum, & aliquas eius leges statuit.

In sexto tandem agit de futuris contingentibus, explicans quomodo veritas, vel falsitas reperiatur in propositionibus de futuro contingenti. Ad quod prius explicat, quomodo reperiatur veritas, vel falsitas in propositionibus contingentibus de præsentis, & præterito. Deinde vero concludit propositiones de futuro contingenti non habere determinatam veritatem, vel falsitatem.

\* \*

*Colleg. Compl. Logica.*

### LIBER SECVNDVS.

*Perihermenias.*

*SVMMA TEXTVS.*

**T**RACTAT Aristoteles in hoc libro de propositionibus, quæ ex aliqua variatione propositionis categoricæ causantur. Quando enim subiecto, vel prædicato alicuius propositionis iungitur aliqua negatio, fit propositio infinita. Si vero addatur aliud prædicatum, ut si huic propositioni, *homo est albus*, addatur, & *musicus*, propositio, quæ antea erat vna, fit, multiplex. Tandem quando propositioni simplici additur modus, fit propositio modalis. Continet ergo liber hic tria capita. In primo disp. Arist. de propositionibus infinitis: In secundo de propositione vna, & multiplici: & in tertio de propositionibus modalibus.

#### NOTATIONES, IN DVOS Libros Perihermenias.

**C**IRCA Inscriptionem sciendum est, *περί ἑρμηνείας*, *perihermenias*. Græcè idem quod Latine *de interpretatione*, *ἑρμηνεύω*, *hermeneo* enim idem est, quod *interpreter*. Neque illa est vna dictio, ut male aliqui existimant: sed est genitiuus cum præpositione. Inscribuntur autem hi libri, vbi præcipue de propositione agitur, de *Interpretatione*: quia licet voces simplices non immerito appellari possint interpretationes, cum sine signa conceptuum: tamen id præcipue conuenit propositionibus, quibus mediis, conceptus nostros explicamus, vnum de alio, affirmando, vel negando, ut recte notarunt D. Th. Ammonius, & alij. Continetur autem opus hoc apud Græcos vnico tantum libro: & iure quidem: neque enim est sufficiens causa ad illud diuidendum Interpretes vero Latini diuiserunt in duos libros: & ita communiter citantur duo libri *Perihermenias*.

A a 2

S a Iam

¶ Iam verò circa ipsos plura à Dialecticis disputantur de nomine, verbo, oratione, propositione, &c. quæ sufficienter à nobis explicata sunt in Institutionibus. Nam licet tractatus ille præcipuè insisteret in explicandis ipsis, vocibus, & earum significatione: tamen quia impossibile est scire, quæ sit significatio alicuius vocis ignota, re significata per ipsam: idè dum significationes nominis, rationis, subiecti, propositionis, & similium ibi explicuimus; tradita etiam fuit notitia secundarum intentionum, quas istæ voces de formali significant. Et idè non oportet ea repetere.

Similiter circa istos libros tractant aliqui plura de actibus intellectus, præcipuè de secunda operatione: in quo nimirum sita sit natura iudicii: an sit simplex qualitas: quomodo in eo reperiatur veritas, vel falsitas: in quo ipsæ consistant, & alia his similia. Sed quidem, licet hæc aliquantulum iuuarent ad maiorem secundarum intentionum cognitionem: tamen reuera sunt extra Dialecticum institutum, & propriam sedem habent in libris de anima, vbi de intellectu disputatur: propter quod in præsentī prætermittuntur.

6. Tandem disputant hic aliqui de futuris contingentibus, tum iis quæ aliquando euenient, & appellantur absoluta: tum etiam iis, quæ numquam ponentur in re, ponentur tamen ex suppositione alicuius conditionis, & propterea conditionata appellantur. Disputantque de propositionibus de futuro contingentī, propter Arist. qui capite ultimo primi libri statuit, & probat eas non habere determinatam veritatem, aut falsitatem. Sed quidem disputatio hæc non est propriè Dialectica: & eam meritò sibi usurparunt Theologi propter affinitatem ad materiam de scientia Dei vbi inuestigatur modus, quo ipse cognoscit futura contingentia. Et idè hæc illis relinquitur.

7. Non est tamen prætereundum quosdam nostri temporis Doctores, de quorum numero sunt Suar. tom. 1. de Gratia proleg. 2. cap. 7. Valentinus de Herice 1. part. tract. 1. d. 6. cap. 7. Hurt. disput. 9. de Anima §. 43. & alij suæ societatis, sentientes Aristotelem sibi esse contrarium, omninò carpere hanc eius doctrinam, asserentes eam esse erroneam, & fidei veritati repugnantem, vt his Dialecticis fundamentis semel conuulsis, quandam scientiam mediam futurorum contingentium, quam in Deo ponunt ante omne de-

cretum liberum suæ voluntatis, melius statuant, & defendant.

Cæterum quàm ipsi decipiantur in hac censura, satis conuincit auctoritas Diui Thom. qui cum Aristor. perpetuò docet futura contingentia, dum non intelliguntur extra suas causas, & præsentia, sed sub ratione futuri, non habere determinatam veritatem, vel falsitatem, neque esse certò, & determinatè scibilia: ac proinde propositiones de futuro contingentī de se, seu formaliter prout sic (quo sensu loquitur Aristor.) non esse determinatè veras, vel falsas.

8. Tradit hoc Angelicus Doctor, non solum lect. 13. huius primi libri, vbi latè explicat, & probat hanc doctrinam, sed etiam in primo distinct. 38. q. 1. art. 5. ad secundum, dum inquit: *Futurum contingens non est determinatè verum, antequam fiat: quia non habet causam determinatam.* Et quæstion. 16. de malo art. 7. *Quia vtrumquodque cognoscitur, secundum quod est in actu: non autem secundum quod est in potentia, vt dicitur in nono Metaph. indè est, quòd ea, quæ sunt ad vtrumlibet, non possunt præcognosci in suis causis determinatè: sed sub disunctione: vtpotè quia erunt, vel non erunt: sic enim habent veritatem, &c.* Et indè q. 2. de veritate art. 12. generaliter concludit: *Ex quo patet contingens, vt futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit. Undè impossibile esset, quòd de contingentibus futuris scientiam haberet Deus: si cognosceret ea vt futura sunt, &c.* Quod explicatiùs repetit in solutione ad sextum: & latè prosequitur 1. part. q. 14. a. 13. lib. 1. contra gentes c. 67. & alibi sæpè. De quo etiam videri possunt Didacus, Aluarez lib. 2. de Auxiliis disp. 7. & lib. 1. responsionum cap. 5. n. 15. Ledesma tractatu de Auxiliis parte 2. fol. 624. Nauarret. 1. parte controu. 56. §. 2. Nazarius artic. 13. citato controuers. 1. Gonzalez disputatione 43. lect. 2. numero 29. & disputatione 45. section. 6. & alij Thomistæ. Quibus etiam in hoc annumerandus est Alphonsus Curiel Primarius Salmanticensis, non solum quia controuers. 7. in cap. 4. sapientiæ artic. 3. præfatam Aristor. doctrinam latè explicat, & defendit: sed etiam & maximè, quia vt à fide dignis testibus accepimus, & scribit Ledesma vbi suprà, scientiam illam mediam, quam ibidem vt probabiliorē legerat, publicè retractauit Salmanticæ postremo vitæ suæ anno in lectura de scientia Christi: & idè non est cur auctoritate eius nouerit muniantur aduersarij Sed de his satis.



## TERTIA PARS LOGICÆ.

### DE SECVNDIS INTENTIONIBVS, quibus dirigitur tertia operatio intellectus.

**S**ICVT Oratio, propositio, oppositio, &c. sunt secundæ intentiones, quarum notitia dirigit secundam operationem intellectus: ita præmissa maior, medium, syllogismus, figura, demonstratio, fallacia, & his similia sunt secundæ intentiones, quarum notitia dirigit, & perficit tertiam operationem intellectus, nempe discursum: & sic pertinent ad hanc tertiam partem Dialecticæ. Quam complectitur Arist. duobus libris de priori Analyti, duobus de Posteriori, octo Topicorum, & duobus Elenchorum. Sed quia eorum, quæ ibi traduntur, plura iam constant: ex aliis verò plura sunt parùm necessaria: idè utiliora seligemus.

#### NOTATIONES IN DVOS LIBROS de Priori Analyti.

2. **A**ΝΑΛΥΣΙΣ, *analysis* Græcè idem est, quod Latine *resolutio*: deducitur enim à verbo Græ-

co, ἀναλύω, *analyo*, quod idem est, ac *resoluo*: vnde etiam deducitur ἀναλυτικῶς, *analyticos*, id est, *resolutiuus*, seu *resolutorius*. Est autem resolutio, ex Arist. 3. de Cælo, regressus à composito ad simplicia, ex quibus constar compositum. Quæ est duplex, alia Physica, alia Logica. Resolutio

Resolutio Physica contingit, quando compositum naturale dissolvitur in partes reales, quæ actu vel potentia erunt in illo, ut quando mixtum resolvitur in elementa; domus in lapides, & ligna; oratio in syllabas, &c. Resolutio Logica fit quando compositum rationis dissolvitur in suas partes, ut quando definitionem resolvimus in genus, & differentiam; & syllogismum in sua principia.

Hoc autem potest fieri dupliciter, scilicet ex parte formæ, & ex parte materiæ. Sicut enim triangulus ligneus ex parte figuræ resolvitur in tres lineas, & lineæ in partes, & puncta, quæ sunt principia eius, & ex parte ligni in elementa quæ in potentia continent, & sunt eius principia: ita similiter augmentatio, syllogismus, & alia composita rationis dupliciter possunt resolvi in sua principia. Primum ex parte formæ, probando scilicet formam illam augmentationis, vel syllogismi esse bonam, vel immediate per prima principia, sicut probantur quatuor modi perfecti: vel per reductionem ad illa, ut probant alij. Secundo modo potest syllogismus (& proportionabiliter alia composita rationis) resolvi in sua principia, ex parte materiæ, scilicet in propositiones: nam hæc sunt materia proxima syllogismi.

Ad utriusque ergo resolutionis notitiam ordinantur libri Aristot. qui in hac tertia parte continentur. Cum autem resolutio ex parte formæ prior sit resolutione ex parte materiæ, sicut forma prior est materia: idem isti duo primi libri, ubi de resolutione syllogismorum ex parte formæ differitur, inscribuntur *ἀναλυτικὴν πρῶτον*, *analyticon prōteron*, id est, priorum analyticorum, seu de priori resolutione. Alij verò libri, qui supersunt, pertinent ad posteriorem resolu-

tionem; siquidem in eis differitur de syllogismis ex parte materiæ: unde omnes inscribendi essent de posteriori resolutione.

3. Sed quia materia necessaria, ex qua constat demonstratio, prior est, quàm probabilis, & apparens, ex quibus constant syllogismus topicus, & sophisticus, & in his propter eorum imperfectionem non omnino potest fieri resolutio: idem duo libri sequentes, in quibus agitur de demonstratione, sibi usurpant. Et ita inscribuntur *ἀναλυτικὴν ὑστέρων*, *analyticon hysteron*, id est, posteriorum analyticorum.

Nisi manes dicere cum Galeno, inscriptiones istas non fuisse ab Aristotele suis libris appositas; sed à posterioribus Interpretibus. Neque enim sub tali titulo citat ipse hos libros; sed duos priores appellat de Ratiocinatione, duos verò subsequentes de Demonstratione, ut patet ex primo Posteriorum cap. 3. Quæ inscriptiones explicant rectè materiam, circa quam versantur. Nam ratiocinatio significat argumentationem ex parte formæ, de qua tractant libri Priorum; demonstratio verò significat syllogismum in materia necessaria; de quo tractant libri Posteriorum.

Disputat autem Arist. diffusè in libris Priorum de forma argumentationis, de variis eius speciebus, scilicet syllogismo, & inductione. quæ sunt propriæ species: & enthymemate, & exemplo, quæ ad illas reducuntur de triplici syllogismorum figura, & variis uniuscuiusque modis; de reductione imperfectorum ad perfectos, de arte inveniendi medium, cæterisque, quæ hanc materiam concernunt. Sed ex his, necessaria omnia selegimus libro 3. Institutionum: ubi non perfunctoriè, ut communiter fit; sed ab imis fundamentis ea deduximus. Propter quod his etiam libris supersecedendum est.

## LIBER PRIMVS.

POSTERIORVM; SEV DE DEMONSTRATIONE

**I**BENTER Aristot. textum, qui inter alios eius libros est procul dubio acutissimus, & nobilissimus, commentariis, & notationibus ex professo illustraremus: sed longius, quàm par est, excreseceret præsens labor: & idem materiam hanc, qua potuerimus brevitate, perstringemus; nihil, quoad fieri possit, relinquentes. Legenda tamen sunt iterum, atque iterum Divi Thomæ Commentaria in hos libros, qua inter alia eius opera sunt præclarissima. Ut autem textus Aristotelis non sit omnino ignari summam, seu argumentum horum librorum breviter referemus.

S V M M A T E T V S.

**I**N hoc 1. lib. agit Aristot. de demonstratione, partibus eius, speciebus, & proprietatibus. Ad quod in c. 1. posito uniuersali theoremate, seu maxima, quod scilicet, *Omnis doctrina, & disciplina, qua ratione perficitur, fit ex præexistenti cognitione*, explicat ea, quæ ante demonstrationem cognosci debent: statuitque tria esse præcognita, & duas præcognitiones.

5 Capite secundò de finit scientiam dicens: Scire est rem per causam cognoscere, & ita rei causam esse, ut illam aliter se habere non posse arbitremur. Definit etiam demonstrationem duplici definitione infra disputatione decima octaua adducenda. Et tandem definit principium dicens: *Principium est propositio immediata*, id est, qua non est altera prior, seu carens medio, per quod probatur. Quod diuidit in positionem, & dignitatem. Positio est principium non ita commune,

Colleg. Compl. Logica;

& notum, ut illud habere debeat qui discere incipit. Et huiusmodi sunt principia particularia uniuscuiusque scientiæ, ut dici de omni, & dici de nullo: quidquid monetur, ab alio monetur, &c. Dignitas verò est principium, quod quilibet habet; antequam scire incipiat, eo quod sit valde commune, & notum, ut quodlibet est, vel non est: totum est maius sua parte, & similia.

Rursus positionem diuidit in definitionem, & suppositionem. Definitionem appellat illud principium particulare, ubi continetur definitio: suppositionem verò illud, ubi tantum continetur genus, vel differentia. Sicut enim hoc nomen *principium* licet primariò conueniat medio; inde tamen tota propositio dicitur principium: ita quamuis *definitio* tantum sit alterum extremum propositionis, tamen per synecdochen tota propositio, in qua continetur definitio, appellatur in præsentia definitio. Et concludit, quod principia sunt

A a 3 magis;

magis, nota quam conclusiones: nam propter quod unumquodque tale, & illud magis.

6 Capite tertio reiecit duos errores Antiquorum. Primus erat contentium nullam esse scientiam; quia, vel in demonstratione proceditur in infinitum, vel deueniendum est ad aliquod primum principium, quod per aliud non demonstratur. Si primum, non datur scientia: quia infinitum non potest mente pertransiri. Si secundum, ergo illud primum principium non potest per aliud cognosci, & consequenter neque demonstrari. Ac proinde non scietur: quia scire est rem per causam cognoscere. ¶ Ad quod respondet non omnia, quæ certò, & manifestè cognoscuntur, sciri per demonstrationem: sed prima principia cognosci per habitum principiorum; qui nobilior est, & certiori modo cognoscit principia, quam scientia conclusiones.

Secundus error fuit eorum qui scientiam admittentes non ponebant habitum principiorum; sed omnia per scientiam cognosci, quæ procederet ex demonstratione circulari. Existimabant enim conclusiones sciri per principia, & principia per ipsas conclusiones. Quod optimè reiecit Aristoteles, impugnans circulum in demonstrationibus: quia ex illo sequeretur idem esse prius, & posterius, notius, & ignotius: & quod idem per se ipsum demonstraretur. Quæ repugnant, demonstrationi, quæ procedit ex prioribus, & notioribus absolutè.

7. Capite quarto statuit demonstrationem debere constare ex propositionibus necessariis: nam res, cuius est scientia, non potest aliter se habere. Quam necessitatem non potest accipere ex principio falso, aut contingenti. Licet enim ex falso, aut contingenti possit interdum sequi verum, & necessarium, ut diximus lib. 3. Summularum cap. 2. tamen tunc consequens non habet veritatem, aut necessitatem ab antecedenti, sed aliundè, ut ibidem diximus. Et ita non potest consequens necessarium demonstrari per antecedens falsum, aut contingens. Deinde explicat, quid sit propositio, seu prædicatum de omni, per se, & vniuersale. ¶ Capite quinto adducit tres deceptiones, quæ solent contingere circa prædicamentum vniuersale, de quo infra.

Capite sexto septem rationibus probat demonstrationem constare ex necessariis: subiungitque ex contingentibus posse sequi necessarium; sed non probari, ut diximus circa c. 4. Ex necessariis autem semper sequitur necessarium: & ita repugnant, quòd conclusio sit contingens, & præmissæ necessariae. Quare accidentia communia siue sint separabilia, siue inseparabilia, non cadunt sub scientia nec demonstrari possunt.

Capite septimo ostendit demonstrationem constare debere ex propriis, non verò ex alienis, aut communibus, concluditque nullam scientiam particularem posse sua principia confirmare. ¶ Capite octauo prosequitur demonstrationem debere constare ex propriis: additque Metaph. & Logicam esse scientias generales.

Capite nono ostendit in qualibet scientia esse proprias interrogationes: explicatque, in quo differant Demonstrator, & Dialecticus.

Capite decimo diuidit demonstrationem in demonstrationem quia, & propter quid. Vnde etiam colligitur diuisio scientiæ in subalternantem, & subalternatam. ¶ Ab hoc verò capite vsque ad 22. adducit alias demonstrationis diuisiones, aliaque non omnino necessaria pertractat. ¶ A cap. ve-

ro 23. vsque ad 27. quod est vltimum, disputat de scientia, quæ est effectus demonstrationis: vndenam sumatur veritas, & distinctio scientiarum: & in quo scientia differat ab opinione & solertia.



## LIBER SECVNDVS.

*Posteriorum.*

*S Y M M A T E X T V S.*

**I**N hoc 2. lib. agit Aristot. de causis demonstrationis, scilicet medio, & primis principiis. Et sic tractat de definitione: quomodo scilicet inueniatur cuiuslibet rei definitione: & quomodo possit esse medium demonstrationis. Quod prosequitur per 17. capita In 18. verò & vltimò agit de habitu principiorum, quo cognoscuntur prima principia demonstrationis. Quæ omnia, ut breuiter & dilucidè complectamur, materiam horum librorum quatuor disputationibus absoluemus. In prima erit sermo de prærequisitis ad demonstr. in secunda de ipsa natura demonstrationis, & diuisionibus eius: in tertia de scientia, quæ per demonstrationem acquiritur: & tandem in vltima de aliis de habitibus intellectus.



## DISPUTATIO XVII.

*De prærequisitis ad Demonstrationem.*

### QVÆSTIO I.

*Utrum omnis cognitio intellectiua fiat ex præexistenti cognitione.*

**D**EMONSTRATIONEM, sic dictam, quia quasi digito demonstrat ignotum; negauerunt Heraclytus & Cratylus, qui scientias de medio iustulerunt, ut videmus disputatione 3. n. 5. Quibus consenserunt Academici, nihil certo cognosci posse dicentes; sed omnia dubitanter, & cum formidine. Quorum fundamenta ibidem adduximus.

Plato etiam, quamuis scientias admiserit, negauit tamen esse necessariam demonstrationem: quia existimauit illas fuisse à principio animæ inditas: ac proinde nullam nos in hac vita scientiam de nouo consequi: sed nostrum scire solum esse quoddam reminisci. Quod probat Plato in Memnone hoc argumentum.

Quia dum homo scire desiderat, vel cupit scire id, quod iam sciebat, vel id, quod penitus ignorabat. Non primum, quia nemo scire desiderat, quod iam cognoscit. Sed neque etiam secundum: quia superuacanea esset inquisitio.

Sicut enim frustra quis quæreret hominem, quem nullo modo nouit; siquidem etiam si ipsi obuiam fieret, adhuc non cognosceret: sic frustra quæreret aliquis scientiam eius rei, quam omnino ignorat; siquidem



Siquidem etiam si ipsi præsententur, adhuc illam non cognoscer. Ergo nihil restat respondendum, nisi quod homo scire vult id, cuius quidem quamvis à principio habuit animam scientiam; fuit tamen oblitus propter corporis hebetudinem.

10. Ut has duas sententias, vel potius errores excludat Arist. exorditur caput primum huius primi lib. celebri illo axiomate: *Omnia doctrina, omnisque disciplina intellectiva fit ex præexistenti cognitione.*

Nam primum quidem, qui confundit cognitionem sensitivam cum intellectu, reiecit prioribus verbis; ostendens dari cognitionem intellectivam. Secundum verò excludit in subsequentibus.

Si enim verè datur cognitio intellectiva, quæ ex alia præexistenti fiat: ergo non omnia à principio sciuntur; ac proinde verè datur demonstratio; per quam scientia comparatur. Quod etiam conuincit; tum naturalis appetitus, quem habet homo ad sciendum, qui frustraretur, si numquam perueniret ad cognitionem certam, & eundem alicui rei; tum etiam ipsa experientia: plura enim ita certò & euidenter cognoscimus, ut nulla omnino adsit dubitatio, ut patet de conclusionibus Mathematicis. Imò ipsi Academici, dum nihil certo sciri posse ostendunt; id tanquam certum reputant, & aliquid se scire posse conuincuntur.

Vnde August. libro tertio contra Academicos capite. 9. *Negant* (inquit) *Academici aliquid sciri posse. Vnde hoc vobis placuit studiosissimi homines, atque doctissimi? Mōuit nos, inquit, definitio Zenonis. Cur, quæso? Nam si vera est, nonnihil verè nouis; qui vel ipsam nouis. Sic falsa; non debuit constantissimos commouere.*

11. Ad fundamentum Platonis responder in eodem cap. Arist. quod cum quis aliquid scire cupit, neque scire cupit id quod simpliciter scibat; neque, quod omnino ignorabat: sed quod simpliciter nesciebat; sciebat autem secundum quid.

Quia nimirum conclusionem, quam actu, & in seipsa ignorabat, (quod est simpliciter nescire) virtute & in potentia cognoscebat in principiis (quod est scire secundum quid): ad eum modum, quo effectus naturalis antequam actu producatur (quod est simpliciter esse,) præexistit in virtute & potentia suæ causæ (quod est esse secundum quid) Quare sicut ibi saluatur vera generatio naturalis, per hoc quod id, quod erat in potentia ens, fiat ens actu; quod est reduci de potentia in actu: sic in eo, quod addiscit, datur vera acquisitio scientiæ, quatenus id, quod virtute & potentia erat notum in principiis vniuersalibus, actu cognoscitur in seipso; quod est reduci de cognitione potentiali, seu virtuali, aut vniuersali in cognitionem propriam, & actualem.

Per quod tandem fit, inquisitionem conclusionis; quam ignoramus, non esse superuacancam; sed verè dari demonstrationem per quam talis doctrina, seu disciplina de nouo acquiratur quod est fieri ex præexistenti cognitione. Videatur S. Th. hic. le. 3.

22. Quamuis autem hæc ita sint, merito dubitatur à Doctoribus: quomodo sit intelligenda hæc propositio Arist. Nam eam non esse vniuersaliter veram suadent hæc argumenta.

Primo, quia si omnis doctrina & disciplina fieret ex præexistenti cognitione daretur processus in infinitum; quod est absurdum. Probatur sequela; quia illa præexistens cognitio etiam est doctrina: ergo deceret fieri ex alia, & illa ex alia, & sic in infinitum.

Secundo, quia scientia Angelorum est verè doctrina: & tamen non fit ex præexistenti cognitione: ergo non est vniuersaliter vera propositio Arist. Maior patet quia Angeli perfectissime cognoscunt proprietates re-

rum per suas proprias causas, ut hominem esse risibilem, quia est rationalis: ergo habent perfectissime demonstrationem & doctrinam. Minor verò probatur quia Angeli vnico simplici intuitu cognoscunt essentias, & passiones; & causam, & effectus: ergo eorum scientia non fit ex aliqua præexistenti cognitione.

Tertio tandem, quia tertia operatio intellectus nostri, scilicet discursus non est cognitio solius conclusionis; sed etiam præmissarum: ergo neque etiam in nobis cognitio discursiva, propriè loquendo, fit ex præexistenti cognitione præmissarum.

Consequentia patet: quia si cognitio ipsa præmissarum pertinet ad discursum, ergo non est præexistens respectu eius.

Antecedens verò probatur: quia cognitio solius conclusionis tantum est enuntiatio quædam & iudicium intellectus; sicut ipsa conclusio sola est tantum quædam propositio: ergo cognitio solius conclusionis non est tertia operatio intellectus.

13. Variè solet explicari ab Interpretibus hæc propositio Aristotelis. Quidam enim extendunt illam ad omnem cognitionem intellectus, tam simplicem, quam compositam. Cum enim discursus fiat ex antecedenti iudicio; & iudicium præsupponat apprehensionem; & hæc requirat cognitionem sensuum: semper verificatur quacumque cognitionem intellectus fieri ex alia præexistenti cognitione. Et hunc, inquit, esse sensum illius propositionis.

Parum ab his descendunt alij, qui dictam propositionem accommodant ad solas cognitiones compositas intellectus, tam secundæ, quam tertiæ operationis: ita ut sensus sit omnem cognitionem intellectuam, tam discursiuam, quam indicatiuam fieri ex alia præexistenti cognitione intellectus, scilicet ex simplici apprehensione.

Econtra verò alij omnino restringunt hanc propositionem, asserentes non esse intelligendam de omni cognitione discursiva; sed solum de demonstratiua. Quod probant: tum quia hæc sola potest absolute appellari doctrina: tum etiam quia sic rectè excluduntur errores, quos impugnare intendit Aristot. tum denique quia verè dantur opiniones in suo genere per se notæ, seu perse probabiles, in quibus non habetur vna cognitio ex alia; sed cognoscuntur ex sola notitia terminorum. Ergo non est intelligenda propositio Aristotelis de cognitione discursiva etiam probabilis; sed solum de demonstratiua.

14. Nihilominus dicendum est, quod licet dicta propositio quocumque ex his modis explicata, sit verissima; tamen iuxta mentem Arist. intelligenda est de omni, & sola cognitione discursiva.

Prima pars conclusionis satis ex se constat. Siue enim intelligatur de sola cognitione demonstratiua; siue extendatur ad secundam, & tertiam operationem intellectus; siue tandem ad omnes: semper datur aliqua præexistens cognitio vel intellectus, vel saltem sensus, ut explicatum est: ergo quocumque modo intelligatur dicta propositio; est omnino vera. Secunda etiam pars conclusionis est communis consensus Interpretum, Auerrois, Philoponi, B. Alberti, & aliorum. Quos sequuntur Sanch. lib. 7. qu. 1. Maius hic. q. 1. ad 2. Rub. ibidem & Conimb q. 2. art. 1.

Estque expressa D. Th. in hoc lib. le. 1. ubi per doctrinam & disciplinam inquit significari, non omnem cognitionem; sed eam quæ ex alia acquiritur, seu per quam ratio de vno in aliud procedit: quæ prope est in Magistro, dicitur doctrina & prope in discipulo, disciplina. Et concludit: *Neque accipitur hic doctrina & disciplina secundum quod se habet ad acquisitionem scientiæ tantum sed ad acquisitionem cognitionis cuiuscun-*

que. Quod patet: quia manifestat hanc propositionem etiam in disputativis & rhetoricis disputationibus, per quas non acquiritur scientia. Per quod excluduntur omnes modi dicendi supra relati, ut consideranti patebit.

Sed specialiter contra unumquemque probatur hæc secunda pars conclusionis. Contra primum quidem; quia planè loquitur Arist. de præexistente cognitione quæ sit eiusdem ordinis cum sequenti, seu quæ sit etiam in intellectu sicut illa.

Sic enim probat rectè contra Platonem, esse demonstrationem, quia doctrina, quæ habetur de conclusione, causatur ex cognitione antecedentis; quam constat fieri etiam in intellectu. Ergo per cognitionem præexistentem intelligit Arist. cognitionem intellectivam & per consequens nomine doctrinæ & disciplinæ, non potest ibi intelligi quæcumque cognitio intellectus.

15. Contra secundum etiam modum dicendi probatur. Quia in hac propositione Arist. nomine præexistentis cognitionis, non intelligit cognitionem apprehensivam, sed iudicativam: ergo nomine doctrinæ, & disciplinæ, non potest significari omnis cognitio complexa, tam iudicativa, quam discursiva.

Consequentia patet. Antecedens verò probatur: quia ut patet ex toto hoc cap. & maxime ex solutione argumenti Platonis, supponit Arist. hoc esse discrimen inter propositiones, quæ sunt prima principia, & propositiones demonstrabiles; quoddam assensus demonstrabilium sit ex præexistente cognitione; non verò assensus primorum principiorum: ergo nomine præexistentis cognitionis, debet intelligi cognitio, quæ necessariò supponatur ad assensum conclusionum; non verò ad assensum principiorum. Sed hæc non est cognitio apprehensiva; siquidem ista præsupponitur, etiam ad assensum principiorum, ut patet: ergo debet esse iudicativa.

Tandem idem probatur contra tertium modum dicendi. Tum quia hic planè contradicitur textui: nam posita illa univ. propositione, statim probat eam Aristot. inductione facta in demonstrationibus Mathematicis; in syllogismis & inductionibus probabilibus Dialecticis; & in exemplis & enthymematibus Rhetoricis, quæ propter incertitudinem materiæ, non solum non demonstrat, sed neque videtur frequenter syllogismo & inductione, sicut Dialectica; sed enthymemate & exemplo, ut notat Divus Thomas ibidem, & nos explicamus lib. 3. Institutionum capite primo: ergo propositio Aristot. intelligitur, non solum de cognitione habita per demonstrationem, sed etiam per quancumque argumentationem, seu discursum.

Confirmatur, quia loco illius termini, *intellectiva* quem frequenter habent Latini Codices, habetur in textu Græco *διανοητική*, *διανοητική* quæ vox, ut notant Combricens. ubi supra, derivatur à nomine *διανόησις*, *διανόησις*, & verbo *διανύω*, *διανύω*, quod significat viam conficere, seu discurre.

Propter quod, ut notant Boez & Niphus, emendatiores Codices legunt: *Omnis doctrina, omnisque disciplina discursiva, &c.* Ergo ibi loquitur Arist. de omni & sola cognitione discursiva; & per consequens legimus sensus illius propositionis est, quod omnis cognitio discursiva, siue quæ in Magistro est, siue quæ in discipulo, sit ex præexistente cognitione principiorum, ex quibus procedit intellectus discurrendo ad cognitionem eorum, quæ ex talibus principiis deducuntur.

16 Per quod patet ad ea, quæ pro hoc tertio modo dicendi adducta sunt.

Primam enim est falsum, & absque fundamento nomen doctrinæ, aut disciplinæ restringitur ad solam

cognitionem scientificam: nam etiam in opinativis verè docemus & dicimus. Eaque comprehendisse Arist. sub tali nomine constat ex textu, ut vidimus.

Secundum etiam non videtur. Quia multò melius & formalius excluduntur dicti errores ex illa propositione, ut à nobis explicata est. Nam sic assignatur univ. ratio, & prima radix, unde provenit, quod de novo acquiramus scientiam eorum, quæ antea simpliciter ignorabimus.

Hoc enim non convenit scientiæ, secundum quod scientia est; sed secundum communem rationem cognitionis discursivæ, ut consideranti patebit.

Tertium tandem nihil colligit contra nos. Fatemur enim in opinativis aliquas esse propositiones immediatas, seu per se notas in illo genere, ut infra disputatione 10. explicabimus. Tales autem propositiones non sunt conclusiones; sed principia: neque cognoscuntur per discursum; sed ex ipsa notitia terminorum: & consequenter non pertinent ad habitum opinativum, qui generatur ex syllogismo probabili, & correspondet scientiæ; sed ad alium habitum opinativum principiorum, quem ponit Arist. correspondentem intellectui, qui est habitus principiorum demonstrationis, ut videbimus loco citato.

17. Ad argumenta in principiis facta respondetur.

Ad primum, iuxta nostram expositionem satis patet non sequi processum in infinitum. Nam licet cognitio discursiva, qua probatur tertia, aut quarta passio de subiecto, possit fieri ex alia cognitione discursiva præexistente: tamen cognitio, qua prima passio probatur, non sit ex alia cognitione discursiva; sed ex cognitione iudicativa principiorum: & sic non datur processus in infinitum. Neque etiam datur iuxta alias expositiones adductas. Nam discursus sit ex præexistente apprehensione intellectus; & hæc ex præexistente cognitione sensus; quæ non sit ex alia priori cognitione.

Ad secundum respondetur Arist. non dixisse absolute: *Omnis doctrina sit præexistente cognitione*; sed *omnis doctrina discursiva*, ut vidimus. Quæ tamen non habet locum in Angelis: quia quamvis verè cognoscant effectus per suas causas, non tamen habent diversas cognitiones, unam respectu causæ ex qua procedant ad aliam respectu effectus; quod necessarium est ad discursum propriè dictum: sed unico simplici intuitu utrumque cognoscunt; & sic scientiæ eorum propriè non sit ex præexistente cognitione, neque de illa intelligenda est propositio Arist.

Quod si propter Codices Latinos, qui non habent: *Omnis doctrina discursiva* sed *Omnis doctrina intellectiva*, velis eum aliquibus dictam propositionem aliquantulum etiam extendi ad Angelos: dicendum est, quod quamvis ex parte ipsorum non sit verus & formalis discursus, ita ut ex cognitione principij procedant ad cognitionem conclusionis, ex parte tamen ipsarum rerum est quidam quasi discursus obiectivus, secundum quod unam rem cognoscunt mediante alia, quando sic petunt cognosci ipse res, ut explicatum est. Quare sicut in nobis cognitio conclusionis propriè sit ex præexistente cognitione principiorum: sic in Angelis idem actus, secundum quod terminatur ad conclusionem, seu effectus, quasi sit, & præsupponit seipsum, secundum quod terminatur ad principium, seu causam: & sic aliquantulum etiam verificatur ibi propositio Arist. Quod etiam proportionabiliter potest dici de scientia Dei, ut consideranti patebit.

18. Ad tertium ut respondeatur, explicandum est breviter: in quo consistat propria ratio discursus. Et primò certum est; præter simplicem apprehensionem verè dari in intellectu aliam operationem, quæ unum

unum de alio enuntiamus, & appellatur iudicium: & utriusque meminit Arist. 1. Periher. c. 4. & 3. de Anima c. 6. & D. Thom. ibidem. & 4. Metaph. lectione 6. lib. 6. lectione quarta, & alibi sæpè.

Qua etiam certitudine tenendum est non esse aggregatum multarum apprehensionum; sed simplicem quendam actum realiter & essentialiter distinctum ab apprehensione. Quare solùm est difficultas de tertia operatione, nempe discursu; an scilicet eadem proportionem asserendum sit, esse actum quendam simplicem realiter & substantialiter à iudicio distinctum: an potius sit reuera cognitio indicatiua, entitatiuè contenta sub secunda operatione.

In quo, quamuis aliqui priorem partem defendant: secunda tamen est longè probabilior. Quam inter alios rectè probat & explicat Ferrara 3. de Anima, quæst. 11. Estque procul dubio Aristot. 7. Ethic. cap. 3. ubi agens de habitibus intellectualibus, scilicet scientia, sapientia, prudentia, & intellectu principiorum, omnes hos inquit esse in intellectu circa affirmationem & negationem, seu circa verum & falsum.

Constat autem apud ipsum affirmationem & negationem, seu verum & falsum, tantum reperiri in iudicio, ut patet 1. Periher. c. 1. Idem apertè docet D. Thom. quæst. 14. de veritate, arti. 1. & 3. distinct. 23, qu. 2. art. 2. quæstion. 1. ubi duas tantum intellectus operationes enumerans, scilicet apprehensionem & iudicium, sub secunda collocat expressè, tum cognitionem fidei, & primorum principiorum; tum etiam opinatiuam & scientificam: cum tamen istæ duæ sint actus discursus.

19. Ratione etiam probatur, quia discursus, ut ipsum nomen indicat, & testatur sanctus Doctor prima parte, qu. 8. art. 3. ad primum, est progressio intellectus ab una cognitione in aliam, in quantum ex aliquo prius noto deuenitur in cognitionem alterius, quod erat ignotum: ergo necessariò includit plures cognitiones; seu plura iudicia, ex quorum vno procedatur ad aliud. Ergo non oportet superaddere alium actum simplicem ab his essentialiter distinctum, in quo consistat discursus.

Antecedens, & primam consequentiam concedunt communiter Doctores, & probat rectè contra Scotum Caier. loca citato.

Secunda verò consequentia probatur: quia ex eo præcisè, quòd intellectus iudicat de conclusione, morus, & determinatus à iudiciis habitis de præmissis, intelligitur propriè discurrere; siquidem verè ex una cognitione procedit ad altam: ergo præter iudicia, quæ correspondent præmissis & conclusioni, non est ponendus distinctus actus in quo consistat discursus. Videatur Ferrara loco citato.

Iuxta hæc ergo dicendum est, quod discursus est ipsum iudicium, quo intellectus assentitur conclusioni, non secundum quod consideratur ut propositio, sed formaliter quatenus est conclusio, seu ut est dependens, & illata à præmissis, ita quòd idem actus entitatiuè dicatur iudicium, & discursus; iudicium quidem, secundum quod præcisè cognoscit unionem prædicati cum subiecto; discursus verò, secundum quod assentitur eidem unioni prædicati cum subiecto propter unionem cum medio cognitam in præmissis. Et sic talis actus, formaliter secundum quod habet rationem discursus, dicit intrinsecum ordinem ad priora iudicia præmissarum, in quo distinguitur à prima & secunda operatione intellectus.

¶ Per quod etiam patet ad argumentum. Quia enim discursus consistit in assensu conclusionis, ut procedit ab assensu præmissarum, ut explicatum est: propriissimè dicitur fieri ex præexistenti cognitione.

## Q V Æ S T I O II.

An rectè assignentur ab Arist. duæ præcognitiones, & tria præcognita.

20. S Vpposito, quòd omnis cognitio discursiua sit, infer rectè Arist. ante demonstrationem, seu cognitionem scientificam, quæ in nobis est discursiua, aliqua esse necessariò præcognoscenda, de quibus agimus in hac quæst. Pro cuius explicatione sciendum est, quòd præcognitio idem est, ac anticipata cognitio.

Vnde cognitio præexistens ad discursum necessariò erit actus iudicii, aut apprehensionis: hi enim antecedunt discursum in sensu explicato. Cum autem obiectum apprehensionis sit res simplex; obiectum verò iudicii sit quid complexum, in quo veritas, vel falsitas reperitur: de utroque obiecto aliquid ante demonstrationem cognoscetur.

Secundò nota, quòd cum cognitio, qua in conclusione cognoscitur prædicatum conuenire subiecto propter unionem factam cum medio in præmissis, sit cognitio discursiua, ut dictum est; & in tali cognitione, quando propositiones sunt necessariae, consistat actus demonstrationis per quem generatur scientia: quidquid ante istam cognitionem demonstratiuam oportuerit cognosci, dicitur præcognitum, id est, res cognita ante cognitionem discursiua.

Hæc autem tantum possunt esse tria, nempe principium, subiectum, & passio: nam antequam in conclusione prædicatum attribatur subiecto, iam debent esse cognitæ præmissæ, ut de se patet. Quæ quia unum integrum principium conclusionis efficiunt, non plura, sed unum præcognitum appellantur.

Præterea debet esse cognitum subiectum conclusionis, & similiter passio, quæ de subiecto prædicatur: nam ante actualem prædicationem inter duo extrema supponitur necessariò simplex cognitio vniuscuiusque. Restat ergo quòd ante actum intellectus, in quo formaliter consistit cognitio demonstratiua, tria debent esse præcognita, scilicet principium, subiectum, & passio.

21. Tertiò nota, de istis præcognitis duas tantum quæstiones posse præcognosci, scilicet *an sit*, & *quid sit*: (has appellat Aristot. præcognitione.) Ratio est: quia alia duæ quæstiones quas enumerat ipse secundo Poster. cap. 1. scilicet, *quia est*, & *propter quid est*, per ipsam demonstrationem cognoscuntur; siquidem per eam scimus, quia passio conuenit subiecto, & etiam propter quid illi conueniat. Ergo non oportet illas præcognoscere; atque ita duæ erunt tantum præcognitiones, scilicet *an est*, & *quid est*.

Diuiditur autem vnaquæque in alias duas: quia, *an est*, potest inquiri, tam de re simplici, quàm de integra propositione, cuius existentia est sua veritas. Et ideo *an est*, diuiditur in *an sit reale*, seu *rei*, & in *an sit veritatis*. Similiter: quia, *quid est*, significat definitionem, quæ analogicè diuiditur in definitionem *quid rei*, & *quid nominis*: ideo præcognitio, *quid est*, diuiditur in *quid rei*, quæ scilicet sit essentia rei, & in *quid nominis*, scilicet quid nomen significet. Iam ergo habemus in generali duas præcognitiones, & quatuor in speciali.

Restat modò videndum quæ earum tribus præcognitis conueniant, id est, quæ harum quæstionum debeant præcognosci ante demonstrationem de vnoquoque præcognitorum.

22. Prima conclusio. Rectè assignantur ab Arist. ante

ante demonstrationem duæ tantum præcognitiones in generali, & tria præcognita. Ita docet D. Thomas hîc lectione 2. & communiter Dialectici: falsique ex dictis constat. Nam per hanc demonstrationem: *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis*: scimus quod homo est risibilis: & hæc est tertia quæstio, quam vocat Aristoteles *quia est*: scimus etiam propter quid sit risibilis, nempe propter rationale: & hæc quarta quæstio, quam appellat Aristoteles *propter quid est*. Ergo hæ duæ quæstiones ostenduntur per ipsam demonstrationem: & per consequens non cognoscuntur ante illam. Aliæ verò duæ quæstiones sunt indemonstrabiles à priori.

Nam cum in demonstratione concludatur aliquid de subiecto: necessarium est intelligere subiectum esse, habereque aliquam essentiam, de qua tale prædicatum possit concludi. Ergo *an est*, & *quid est*, necessariò præcognoscuntur, & per consequens duæ tantum erunt præcognitiones. Quod autem tria sint præcognita constat ex secundo notabili: ergo, &c.

23. Secunda conclusio. De principio non præcognoscitur *quid sit*; sed tantum *an sit verum*: Hæc etiam est Arist. & D. Thom. ibid & communis inter Dialecticos. Probaturque prima pars: nam cognoscere *quid sit* alicuius, est cognoscere definitionem eius: sed præmissæ, seu principium primò intentionaliter sumptum, ut hîc loquimur, non habet definitionem; cum sit quid complexum: ergo de illo non potest cognosci *quid sit*.

Secunda etiam pars probatur, quia in demonstratione, ante assensum conclusionis necessariò præsupponitur assensus præmissarum: ergo præcognoscuntur ut veræ: ergo de principio præcognoscitur *an sit verum*, seu *an sit verum*.

24. Tertia conclusio, de subiecto non debet præcognosci *an sit verum*, neque *an sit existens*, sed sufficit cognoscere *an sit rei in aptitudine*: & insuper debet etiam præcognosci *quid sit*. Hæc etiam conclusio est communis. Et quidem quod non possit de subiecto præcognosci *an sit verum*, patet: quia est quid incomplectum.

¶ Quod autem debeat necessariò præcognosci subiectum actu existens, probatur. Quia unio passionis cum subiecto absoluitur à tempore, & est æterna: ergo ut talia passio demonstraretur, non necessariò supponit subiectum actualiter existens. Verum est tamen quod quia non accipimus cognitionem à sensibus: necessarium fuit quod aliquando, seu respectu alicuius subiectum actu existeret: sed hoc non per se, sed per accidens requiritur ad demonstrationem.

¶ Quod autem de subiecto debeat præcognosci *an sit*, saltem in aptitudine, res est manifesta: nam res impossibilis, propterea sic, non habet passiones quas de illa intellectus demonstret. Quando autem dicimus de subiecto habere præcognosci *an sit rei*; non est restringendum ad entia realia. Nam etiam quando subiectum demonstrationis est ens rationis, ut contingit in demonstrationibus Logicis, debet de tali subiecto præcognosci, *an sit rei* illi proportionatum. ¶ Tandem quod de subiecto debeat præcognosci, *quid sit* in demonstratione à priori, de qua loquimur, res est manifesta. Nam essentia subiecti non potest à priori demonstrari, sed ex ipsa proceditur ad passiones demonstrandas: ergo ipsa essentia, seu *quid sit* debet necessariò præcognosci de subiecto.

25. Ultima conclusio. De passione non præcognoscitur *an sit*, neque *quid rei*, sed tantum *quid nominis*. Ita etiam in præsentia Arist. & D. Tho. Ut autem probatur, nota, quod hîc loquimur formaliter de passione, quatenus passio est; non verò, quatenus est ac-

cidens, vel secundum aliam generalem rationem. Potest enim quis scire risibilitatem hominis; ignorare tamen, an sit passio eius: & tunc licet cognoscat *an sit* risibilitas, secundum quod est ens, aut accidens, non tamen cognoscit *an sit* illius, secundum quod est propria passio. ¶ Hoc ergo supposito, probatur conclusio quoad priorem partem: quia *an sit* passionis ostenditur per demonstrationem: ergo non præcognoscitur ante illam. Probatur antecedens: quia *an sit* seu esse proprium passionis est in esse subiecto: sed hoc demonstratur: ergo, &c.

Secunda etiam pars patet. Nam *quid rei* passionis pendet ex proprio subiecto, per quod debet definiti: sed per demonstrationem cognoscitur, quodcumque sit passionis subiectum: ergo non fuit præcognitum, & per consequens neque *quid rei* ipsius passionis. Tandem quod de passione debeat præcognosci *quid nominis*, res est clara. Si enim ignoremus, quæ sit significatio nominis, non poterit in demonstratione attribui subiecto tale nomen. ¶ Vbi nota, quod de subiecto, & principio debet etiam præcognosci *quid nominum* propter eandem. Tribuitur autem hoc specialiter passioni: quia passio nullam aliam habet præcognitionem.

26. Sed contra doctrinam primæ conclusionis potest obijci. Primò: quia ante demonstrationem debet præcognosci bonitas illationis: ergo non sunt tantum tria præcognita. ¶ Secundò: quia quæstio *an sit* aliquando demonstratur, ut fecimus de existentia Logice in principio primæ disputationis, & sic de aliis: ergo non semper dantur duæ præcognitiones.

Ad primum respondetur bonitatem illationis pertinere ad libros Priorum: hîc autem tantum enumerantur præcognita posterioristica. ¶ Ad secundum, quod quamvis aliquando contingat rei existentiam demonstrare; tamen ibi etiam quodammodo præcognoscitur *an sit* talis rei, quatenus intelligitur antecedere ipsam existentiam. Quando enim demonstramus Deum esse: ibi prius apprehenditur Deus cum aptitudine ad essendum, & hoc est *an sit*, quod necessariò debet præcognosci in demonstratione.

Alij id explicant, dicentes in demonstratione necessariò præcognosci *an est* de secundo adiacenti; non verò de tertio adiacenti. Quod intelligitur notando, quod propositio de secundo adiacenti dicitur illa, in qua subiecto solum adiacet verbum, *est*, absque alio prædicato, ut hæc, *Deus est homo est* &c. Quamvis enim in illo verbo sit inclusum participium, quod habet rationem prædicati; tamen tale prædicatum propriè non est quid tertium: quia non est aliquid ultra verbum. Propositio verò de tertio adiacenti dicitur illa, in qua præter verbum *est*, datur aliquid prædicatum, ut hæc, *Homo est animal: Petrus est albus, &c.* In his ergo, subiecto præter verbum, *est*, adiacet aliquid, quod tertium locum obtinet post subiectum: & idèd dicuntur de tertio adiacenti. In quibus propositionibus semper de subiecto supponitur secundum adiacentem, seu *an sit*: nam qui dicit hominem esse animal, supponit hominem esse, quia ergo quando existentia demonstratur de aliquo subiecto, talis propositio quodammodo videtur de tertio adiacenti: quatenus tunc existentia gerit vices tertij termini, qui vnitur alteri extremo per medium: idèd communiter dicitur *an est*, quando est de tertio adiacenti non præcognosci, sed demonstrari. Secus verò quando est de secundo adiacenti; quia tunc potius se tenent ex parte ipsius subiecti.

27. Contra secundam conclusionem obijci potest: quia aliquando de principio demonstratur esse verum: ergo non necessariò id de illo præcognoscitur. Antecedens probatur in hac demonstratione: *Omne admiratum est risibile: omnis homo est*

*est admirativus : Ergo omnis homo est risibilis : cuius præmissæ , seu principium demonstrantur per aliam demonstrationem , si dicas. Omne rationale est risibile : omne admirativum est rationale : Ergo omne admirativum est risibile.* Et eodem modo potest probari minor. Idem etiam contingit in principiis scientiæ subalternaræ , quæ demonstrantur in scientia subalternante. Ergo sæpè de principio demonstratur esse verum.

Responderetur principium esse duplex : aliud simpliciter , & absolute primum ; & hoc semper est principium , & nunquam conclusio , ut essentia rei , quæ cum sit simpliciter primum , quod inuenitur in tali rei , semper est principium. Aliud est primum respectu alicuius ; quod tamen si comparatur ad aliud prius , non est primum ; sed secundum , vel tertium ; & huiusmodi principium tantum est principium respectu posterioris ; respectu verò prioris potius est conclusio , sicque contingit in exemplis adductis. Doctrina ergo conclusionis proportionabiliter est intelligenda , quod scilicet principia primi generis semper debent præcognosci , & nunquam possunt à priori demonstrari : principia verò secundi generis debent præcognosci , quando sumuntur ut principia , & propterea sic non demonstrantur. Quando verò desinunt esse principia , & sunt conclusiones ; tunc non præcognoscuntur , sed demonstrantur.

### QVÆSTIO III.

*An assensus præmissarum sit causa assensus conclusionis , & in quo genere.*

28 **N**on inquirimus , an præmissæ ipsæ obiectivæ sint causa conclusionis : hoc enim explicandum est disputatione sequenti circa secundam definitionem demonstrationis ab Aristotele traditam ; sed an actus intellectus , quo assentitur præmissis , sit causa actus , quo assentitur conclusioni : inde enim pendet solutio aliorum , quæ in hoc primo capite tradit Aristoteles , & nos explicabimus quæstione sequenti , tractantes : an talis assensus præmissarum necessitet intellectum ad assentiendum conclusioni. Pro utriusque autem quæstionis intelligentia notandum est eas procedere per se loquendo , & respectu intellectus bene dispositi , qui scilicet cognoscat vim illationis , & alia de causa non sit impeditus. Si quis enim ignoraret vim illationis , vel aliàs esset impeditus , ut contingere potest in rustico , vel amente : in eo per accidens assensus præmissarum non produceret assensum conclusionis , neque intellectus necessitaretur ex iudiciis præmissarum ad assentiendum conclusioni , ut patet.

29. Secundò notandum est dupliciter posse aliquid cognosci Vno modo in se ipso ; quando scilicet primò , & per se , seu ratione sui terminat cognitionem , ut quando Petrum videmus in sua persona , vel causam , aut effectum cognoscimus in se ipsis. Secundo modo , in alio : quando scilicet cognoscitur , non ratione sui ; sed cognoscendo aliquid aliud , in quo ipsum aliquo modo continetur , ut quando Petrum videmus in sua imagine , vel causam cognoscimus in suo effectu , aut è contra. Ad rem ergo. quando primo modo cognoscuntur à nobis præmissæ , & conclusio , cognoscuntur diuersis actibus , ut per se patet , & concedunt concorditer Autores. Secundo verò modo , cum conclusio virtualiter contineatur in præmissis , & similiter præmissæ in conclusione , ut infra constabit : inde est , quod per ean-

dem cognitionem , quæ formaliter terminatur ad præmissas , cognoscitur in eis virtualiter ipsa conclusio , ut docet expressè Aristoteles in hoc capite : & similiter per eandem cognitionem , qua cognoscitur conclusio in se ipsa , cognoscuntur quodammodo in ea ipsæ præmissæ , secundum quod sunt rationes assentiendi conclusioni , ut tradit D. Thomas prima secundæ quæstione 8 artic. 3.

Quando ergo in hac , & sequenti quæstione inquirimus : an assensus præmissarum sit causa assensus conclusioni : & an ille necessitet intellectum ad istum eliciendum ; non loquimur in hoc secundo sensu , neque comparamus assensum formalem præmissarum cum virtuali conclusionis , qui in eo continetur ; aut formalem conclusioni cum virtuali præmissarum ibi incluso : hi enim non sunt plures actus , ut vidimus ; & consequenter non potest ibi esse vera causalitas , aut determinatio. Quare difficultates istæ solùm procedunt de assensibus propriis , & formalibus præmissarum , & conclusionis , seu de cognitionibus , quibus tam præmissæ , quàm conclusio cognoscuntur in se ipsis : quas constat esse diuersas , posseque habere rationem causæ , & effectus.

30. Dicendum est primò assensum præmissarum esse quodammodo causam assensus conclusionis. Sic docent communiter Dialectici : estque plana mens Arist. in hoc capite , dum inquit omnem cognitionem discursivam fieri ex præexistenti cognitione præmissarum : ibi enim particula ex causalitatem denotat ut explicant Commentator , & alij Interpretes. Nam quod aliqui respondent , posse scilicet denotare ordinem termini à quo , ut cum dicitur ex calido fieri frigidum , in quo nulla importatur causalitas , non habet locum in præsentī. Quoniam terminus à quo impossibilis est cum termino ad quem , & amittitur per acquisitionem illius , ut patet in exemplo adducto : assensus autem præmissarum non opponitur assensui conclusionis , neque isto adveniente , deperditur necessariò ille , ut infra constabit.

Eandem conclusionem docet expressè Div. Thomas primo contra gentes cap. 55. ratione 4. & 1. part. quæst. 14. art. 7. ubi discursum propriè dictum appellat discursum secundum causalitatem. Ex quo loco sic probatur ratio. Quia propria ratio discursus non consistit in hoc , quod vnum cognoscatur post aliud , secundum successionem temporis : id enim vel non est necessarium , vel si requiritur , non tamen est sufficiens ; siquidem possunt plures propositiones disparatæ vna post aliam successionē temporis cognosci absque eo , quod efficiant verum discursum , ut patet. Ergo propria eius ratio consistit in eo , quod vnius cognitio ex alterius cognitione causetur.

Confirmatur : quia assensus conclusionis virtute continetur in assensu præmissarum , ut explicatum est : ergo assensus præmissarum est causa assensus conclusionis : continentia enim virtualis propria est causæ respectu effectus.

31. ¶ Maior difficultas est : in quo genere causæ assensus præmissarum concurrat ad assensum conclusionis. Et quidem in genere causæ finalis certum est præmissas non esse causam conclusionis , potius conclusio est causalitatis , ad quam ordinatur assensus præmissarum , ut patet. In genere autem causæ materialis , & formalis assensus præmissarum potest quodammodo dici causa assensus conclusionis , non ratione sui : ( nam vnus actus propriè non fit ex alio tanquam ex materia , neque cum actu tanquam forma ; ) sed ratione obiecti , nempe præmissarum : quia istæ quodammodo sunt causa materialis conclusionis , ut docet expressè Aristoteles 2. Phis.



Physicorum textu 31. & explicat optimè Thom. ibi lect. 5. in quantum termini, qui sunt materia præmissarum, sunt etiam materia conclusionis, licet non ut stant sub forma præmissarum: sicut farina dicitur materia panis, licet non ut stat sub forma panis. Similiter præmissæ, seu principia sunt ratio *sub qua*, assentiendi conclusioni, & unde sumitur eius specificatio, ut retigimus supra disputatione prima, numero 41. & latè explicabimus infra disputatione 19. & sic quodammodò sunt causæ formales extrinsecæ conclusionis. Quare solum restat difficultas de causalitate efficienti: an scilicet assensus præmissarum concurrat in genere causæ efficientis ad assensum conclusionis.

32 Pro parte negativa solet referri Durandus in secundo, distinctione secunda, quæstione secunda ad quartum, ubi nihil dicitur id tamen indicat distinctione 24. quæstione prima numero duodecimo, in quantum inquit, quod in intellectu pratico conclusio deliberationis fit per nudam potentiam, & non per aliquos actus se habentes ad hoc in ratione principij actiui. ¶ Potestque probari primò ratione inde desumpta. Quia causa efficiens agit, in quantum est actu in rerum natura: sed quando intellectus assentitur conclusioni iam præterit assensus præmissarum: ergo ipse non est causa efficiens assensus conclusionis. Maior est certa, siquidem quod non est, nihil potest efficere. Minor verò probatur ex D. Thomæ 1. parte, quæstione 85. articulo 4. ubi docet intellectum non posse plura simul cognoscere, & consequenter in illo non poterunt esse simul præces cognitionis; sed una post aliam, maxime in discursu, qui videtur exigere talem successione.

Secundò: quia assensus præmissarum, saltem qui produciatur ab habitu principiorum, distinguitur specie ab assensu conclusionis, qui habetur per demonstrationem, & pertinet ad habitum scientiæ: ergo si illo esset causa efficiens huius, esset necessariò causa æquivoca. Sed non potest esse causa æquivoca: ergo neque sufficiens. Probatum minor: quia causa æquivoca est causa vniuersalis, & remota, ut patet in sole, & aliis astris. Cum ergo assensus præmissarum sit causa particularis, & proxima, ut patet: planè videtur sequi, non posse esse causam æquivocam.

33 Nihilominus dicendum est secundò assensum præmissarum esse causam efficientem assensus conclusionis. Hæc conclusio est communis inter Doctores, præcipue Thomistas, ut testatur Arauxo lib. 1. Metaphysic. quæstione 3. art. 4. Quam tenet expressè D. Thom. hic lect. 3. & addit esse Aristotelis his verbis: *Principia se habent ad conclusiones in demonstrativis, sicut causa actiua in naturalibus ad suos effectus: unde in secundo Physicorum propositiones, syllogismi ponuntur in genere causa efficientis.* Et loco citato ex 1. contra gentes: *In omni scientia discursiva oportet aliquid esse causarum: nam principia sunt quodammodo causa efficiens conclusionis.* Unde & demonstratio dicitur syllogismus faciens scire. Videantur Ferrara ibidem, Montefino 1. 2. disp. 13. q. 7. Soto in hoc cap. quæst. 1. ad 2. Maius q. 10. Sanch. lib. 7. q. 2. noster Didacus à Iesu disputatione 16. q. 3. & Rubio hic q. 6. qui plures alios adducit.

Probatum ratione: primò quia illud quod constituit potentiam in actu primo ad efficiendum, concurrat cum ea efficienter ad actum secundum, sed per species intelligibiles præmissarum, & assensus illarum constituitur intellectus in actu primo ad assentiendum conclusioni, ergo species præmissarum, & assensus earum concurrunt efficienter ad assensum conclusio-

nis: Maior constat, tum in speciebus intensionalibus sensuum; tum etiam in omnibus potentiis operariis. Minor verò probatur: tum quia intellectus nudè consideratus non est sufficienter determinatus in ratione causæ ad talem assensum producendum; quod tamen habet existente assensu præmissarum: tum & maxime quia in assensu conclusionis, non solum inuenitur ratio communis intellectiōis: quæ per se primò correspondet intellectui, & ratio etiam intellectiōis talis obiecti, per se primò correspondet speciei intelligibili; sed etiam ratio intellectiōis discursiue, quæ, prope sic, refunditur tanquam in causam per se in præexistentem cognitionem præmissarum. Ergo sicut propter intellectus, & species intelligibiles concurrunt efficienter ad assensum conclusionis: sic etiam concurreret assensus præmissarum.

Confirmatur: quia virtualis continentia, quam habet assensus præmissarum respectu assensus conclusionis, & modus necessitandi, quo ille cogit intellectum ad eliciendum hunc, ut postea explicabimus, non possunt rectè saluari in alio genere causæ, ut consideranti patebit: ergo, &c.

34 Secundò probatur, quia conclusioni assentimur propter præmissas; & ideo magis assentimur præmissis: ergo in genere causæ efficientis assensus præmissarum concurrat ad assensum conclusionis. Antecedens est Aristot. ut infra videbimus. Consequentia verò probatur, quia *ly propter* non denotat in præsentem causam finalem, ut patet ex dictis: neque potest accommodari causæ materiali, aut formali, in quibus non habet locum illud axioma, *propter quod unumquodque tale, &c.* ut infra constabit: ergo denotat genus causæ efficientis.

Confirmatur: quia sicut se habet finis in operabilibus; sic præmissæ, seu principia in speculabilibus, ut dicitur 8. Eth. cap. 8. & repetit sæpè D. Th. sed volitio finis est causa efficiens volitionis mediorum ut significat Angel. Doct. 1. 2. quæst. 7. a. 3. & recipit communis sententia Theologorum, quam inter alios explicat rectè Montel. loco citato: ergo etiam assensus præmissarum erit causa efficiens assensus conclusionis.

Quomodo autem contingat hæc efficientia, non potest in præsentem explicari: pender enim ex dicendis in libris de Anima. Pro nunc tamen dicimus, quod vel ipsum verbum mentis, seu species expressa, quæ est in assensu præmissarum, immediatè per se ipsam simul cum intellectu producit assensum conclusionis, eodem modo, quo Caiet. 1. p. q. 80. art. 2. & plures alij Thomistæ satis probabiliter defendunt actum intellectus efficienter concurrere ad actum voluntatis: vel quod per assensum præmissarum produciatur in intellectu quædam species intelligibilis, quæ simul cum ipso producat assensum conclusionis, & ratione cuius talis actio tribuatur ipsi assensui præmissarum; ad eum modum, quo solet explicari efficientia sensationis exterioris respectu interiorum, in quantum species expressa visionis v. g. producit quandam expressam in sensu communi, qua mediante ipse elicit suam sensationem. Sed de hoc redibit sermo loco citato.

35. Ad argumenta responderetur. Ad primum dictum, quod si assensus præmissarum per se ipsum, & immediatè producit assensum conclusionis, iuxta primum modum dicendi; consequenter assensum est utrumque assensum esse simul in intellectu. Neque reputandum est impossibile, esse simul in intellectu duas cognitiones specie distinctas, quando habent inter se ordinem, ut contingit in præsentem, ubi se habent per modum vnius discursus. Tunc enim intellectus, propriè loquendo, non cognoscit plura, ut plura, quod loco citato negat D. Thom. sed per modum

modum vnius, quod esse possibile concedit ibidem, & q. 58 antecedenti art. 2. Quibus locis explicat re- & Caiet. id intelligendum esse, tam quando per vni- cam speciem, & actum cognoscuntur plura, quam cum cognoscuntur pluribus speciebus, & actibus in- ter se ordinatis: quia tunc se habent vt partes vnius integræ speciei, & cognitionis. De quo videri possunt Banez quæst. 58. citata, Arauxo art. 5. Soto hic, San- chez vbi supra, & alij Thomistæ. Si verò assensus præmissarum, non per se ipsam, sed ratione alicuius speciei intelligibilis concurret ad assensum conclu- sionis; iuxta secundum modum dicendi: tunc suffi- cit, quod species illa maneat in intellectu, etiamsi præterisset assensus præmissarum.

Ad secundum concessio antecedenti, & prima con- sequentia, neganda est minor. Ad cuius probationem respondetur, non solum non esse eandem rationem formalem causæ vniuersalis, & æquiuocæ, vt expli- cabimus lib. 2. Physicorum; sed neque semper inter se materialiter coincidere. Cuius plura fortè possent afferri exempla: sufficiat tamen, quod adducit Ari- stot. lib. 1. de Generatione animalium capite 16. vbi docet quædam esse animalia imperfecta, semper ex putrefactione genita; quæ tamen coeunt, & generant vt causæ particulares, non suæ speciei animal, sed vermiculos quosdam: de quibus consequenter asse- rendum est esse causas æquiuocas; non verò vniuer- sales. Et sic contingit in presenti.

#### QVÆSTIO IV.

*An per assensum præmissarum necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni.*

36 **I**N eodem primo capite explicans Aristoteles ordinem præcognitionum demonstrationis, do- cet maiorem cognosci prius tempore, quam conclu- sionem: minorem vtrid simul tempore, licet prius natura. Quod quidem intelligendum est, quando di- uersis actibus cognoscuntur iuxta dicta quæstio- ne præcedenti: nam quando in ipsa cognitione con- clusionis cognoscuntur præmissæ vt ratio assentien- di illi, nullum est discrimen quantum ad hoc in- ter maiorem, & minorem, vt patet. Quare sensus Aristotelis est, quod in syllogismo, posito assensu maioris, non statim sequitur assensus conclusionis: sed potest ille tempore præcedere hunc, cum assen- sus maioris non sit integra causa assensus conclusio- nis. At quando aduenit assensus minoris in proprio loco, & situ minoris scilicet præcedente assensus mai- oris; cum iam sit integra, & totalis causa, statim se- quitur assensus conclusionis in eodem instanti tem- poris: & ita minor, & conclusio cognoscuntur si- mul tempore, licet assensus minoris prioritate na- turæ antecedit assensum conclusionis, cum sit causa eius. Sic intelligit Aristotelem Diu. Thom. hic le- ctione secunda, quem sequuntur Sanchez vbi supra quæstione 3. Maius quæst. 9. & 10. & Rubio quæst. 7. & communiter Doctores.

Ratio est: quia assensus præmissarum sunt causa naturalis assensus conclusionis: ergo statim ac com- plentur in ratione causæ, producant illum. Sed quan- do præcedente assensu maioris, aduenit assensus minoris, iam est causa completa: ergo statim pro- ducunt assensum conclusionis. Cum autem actiones intra intellectum sint instantaneæ, neque mensu- rentur tempore, nisi ratione phantasmatum: conse-

Colleg. Compl. Logica.

quens est quantum attinet ad ipsum intellectum, quod in eodem instanti temporis, quo datur assen- sus minoris, detur etiam assensus conclusionis.

Ex hac ergo doctrina Aristotelis sic explicata ori- tur quæstio præsens, quæ inquit: quomodo, vel quantum necessitetur intellectus per assensum maio- ris, & minoris ad assentiendum conclusioni. Et proce- dit difficultas in intellectu benè disposito, & cognos- cente bonitatem illationis, neque aliàs impedito, vt vidimus quæstione præcedenti.

37. Secundò notandum est dupliciter posse ali- quam potentiam necessitari; scilicet quoad specifi- cationem, & quoad exercitium. Tunc necessitatur quoad specificationem, quando taliter determina- tur ad vnā partem, vt licet possit suspendere actum; tamen si velit operari, actus debet esse illius speciei, ad quam determinatur, & non potest esse alterius. Tunc verò necessitatur quoad exercitium, quando taliter determinatur, vt non possit suspendere, aut cessare ab actu. Verbi gratia voluntas in via neces- sitatur quoad specificationem ad amandam beati- tudinem in communi: quia licet possit non exer- cere actum circa illam; tamen si vult exire in actum necessariò debet esse amoris, & non odij. In patria verò eadem voluntas necessitatur quoad exercitium à bonitate diuina clarè visa: quia non solum non po- test eam odire, sed neque suspendere, aut cessare ab amore illius, quam vnde quaque diligibilem clarè con- cupiscit intellectus.

38. Dicendum est ergo primò, cognita bonita- te illationis, intellectum per assensum præmissarum necessitari quoad specificationem ad assentiendum conclusioni. In hac conclusione conueniunt Autho- res citati. Quæ ex dictis facilè probatur: quia assensus præmissarum est causa naturalis assensus conclusionis: ergo positis omnibus requisitis, non potest non producere illum: ergo saltem quoad specificationem talis productio est necessaria; si- quidem hæc est minor necessitas, quæ potest esse in causa.

Secundò: quia qui sciens ex vero non posse se- qui falsum, cognoscit aliqua principia esse vera, & assentitur illis; etiam cognoscit conclusionem ex illis rectè deductam non posse non esse veram: ergo dato, quod possit suspendere assensum: non potest tamen illi dissentiri.

Confirmatur: quia si post assensum præmissarum dissentiretur intellectus conclusioni, iam assen- tiretur virtualiter contradictorio illius: sed quia assen- titur contradictorio conclusionis, cogitur etiam as- sentiri contradictorio antecedentis iam concessi: ergo cogetur assentiri duabus contradictoriis. Hoc autem est impossibile: ergo dicendum est, intellectum post assensum præmissarum non posse dissentiri conclusioni. Videatur noster Didacus à le- su disput. 16. q. 4. vbi optimè explicat hanc quæ- stionem.

39. **M**aior difficultas est: an etiam necessitetur intellectus quoad exercitium. Partem enim nega- tiuam defendunt Oñia hic q. 1. art. 3. Rubio q. 8. & alij Moderni, asserentes, quod posito assensu præ- missarum, quantumcunque sint necessariæ, & cogni- ta bonitate illationis, adhuc intellectus potest suspen- dere assensum conclusionis.

Probatur primò hæc sententia: quia intellectus subditur voluntati quantum ad exercitium actus, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad tertium: *Quia ipsum verum (inquit) quod est perfectio intellectus, continetur sub vniuersali bono, vt quoddam bonum par- ticulare.* Sed circa particulare bonum non necessita-

B b tur

sur voluntas; sed potest velle, & non velle illud: ergo postquam intellectus assentitur præmissis, potest ex imperio voluntatis suspendere actum circa conclusionem.

Secundò: quia ex iisdem principiis possunt inferri duæ conclusiones, altera directa, altera indirecta, ut patet in *barbara*, & *baralipion*: ergo post assensum præmissarum manet intellectus indifferens ad eliciendam, vnam, vel alteram conclusionem. Ergo sicut potest voluntas determinare intellectum ad assentiendum alterutri; potest etiam determinare ad suspendendum vtramque.

40 Nihilominus dicendum est secundò per assensum præmissarum demonstrationis necessitari intellectum quoad exercitium ad assentiendum conclusioni. Hæc procul dubio est mens Diu. Tho. 1. part. quæst. 81. art. 2. ut optimè expendit noster Didac. à Iesu loco citato. Quam etiam sententiam defendunt Sanchez lib. 5. quæst. 3. concl. 3. Caietan. Soncinas Fonseca, & alij, quos referunt, & sequuntur Conimbricenses hîc quæst. 4. art. 4.

Probaturs primò ex dictis: quia eodem instanti, quo cognoscitur minor, cognoscitur etiam conclusio ex Arist. & D. Thom. supra relatis: ergo voluntas imperans assensum minoris, non potest impedire assensum conclusionis. Probaturs consequentia: quia voluntas imperans aliquam actionem alterius potentia, non potest impedire, quidquid necessario sequitur in eodem instanti ad talem actionem, ut de se patet: sed assensus conclusionis necessario sequitur ad assensum præmissarum in eodem instanti, ut ostensum est: ergo voluntas non potest impedire illum.

Secundò: quia intellectus non est potentia libera, sed naturalis, sicut visiva, aut quælibet alia potentia sensitiva. Sed voluntas licet possit retrahere potentiam visivam à visione auferendo obiectum, aut lucem, vel ponendo impedimentum, claudendo scilicet oculos, vel alio simili modo, tamen si obiectum sit presens, medium illuminatum, oculi aperti, &c. non potest impedire visionem. Ergo similiter poterit quidem voluntas retrahere intellectum, ne cogitet de præmissis, aut de bonitate illationis, diuertendo illum ad alia; si tamen semel permiserit ipsum cogitare de bonitate illationis, & assentiri præmissis, neque aliàs sit impeditus, non poterit voluntas impedire assensum conclusionis.

41 Ad argumenta respondetur. Ad primum, necessitatem quoad exercitium esse duplicem: aliam absolutam, & aliam ex suppositione alicuius. Voluntas ergo non potest respectu alicuius boni particularis habere necessitatem quoad exercitium absolutam: bene tamen necessitatem ex suppositione alterius quod libere voluit, & cum quo tale bonum particulare habet necessariam connexionem. Quando enim duo talem connexionem habent, licet ad positionem prioris sit libertas, semel tamen illo posito, non tamen aliud impeditur. Qui modus necessitatis pertingit vsque ad ipsam libertatem. Dei voluntatem: qui quidem liber est ad producendam materiam primam verbi gra. ex suppositione, tamen quod illam producat, necessitatur ad producendam cum illa formam: quia aliter non potest fieri, ut dicemus lib. 1. Physicorum. Iuxta hæc ergo dicendum est, quod licet voluntas possit retrahere intellectum, ne cogitet de præmissis, aut illis assentiat; posito tamen assensu præmissarum, non potest impedire assensum conclusionis.

Ad secundum responder aliquis, quod ante exercitium demonstrationis debuit aliquo modo cognos-

ci conclusio confusè, ut sic possit per demonstrationem explicari. Si ergo præcognita fuit conclusio directa; tunc assensus præmissarum necessitabit ad assensum conclusionis directæ: si verò præcognita fuit conclusio indirecta, tunc intellectus necessitabitur ad assentiendum conclusioni indirectæ.

42 Hæc tamen solutio parum firma est. Tum quia quamvis ut modus sciendi explicet ignotum, debeat præsupponi aliqualis cognitio confusa talis ignoti; ad hoc tamen in demonstratione sufficit cognitio confusa subiecti & passionis, absque eo quod præcognoscantur directè, vel indirectè ordinata. Tum etiam quia causa naturalis: qualis est assensus præmissarum, debet esse ad vnum determinata, & non indifferens ad plura, ut sic posita causa, ponatur determinatus effectus. Ergo insufficiens est prædicta solutio.

Meliùs ergo respondetur, assensum præmissarum semper necessitare intellectum ad assensum conclusionis directæ: hic enim est proprius, & immediatus effectus illius. Ex quo deinde facta conversione talis conclusionis, elicit intellectus assensum conclusionis indirectæ. Cuius ratio est: quia conclusio indirecta non per se primò, & immediatè sequitur ex præmissis; sed mediatè conclusione directâ, in qua quodammodo continetur; quatenus potest hæc converti in illam.



## DISPUTATIO XVIII.

### De essentia, & divisionibus demonstrationis.

**D**OS notitiam eorum, quæ præcognosci, debent ante demonstrationem æquum est de ipsa demonstratione, & divisionibus eius disputare. Quod prosequitur Aristot. à capite 2. vsque ad 22. nosque perstringemus quæstionibus sequentibus.

### QVÆSTIO I.

#### An definitiones demonstrationis ab Aristotele tradita sint rectæ.

**D**as Demonstrationis definitiones adducit Aristot. capite 1. Quarum prima non est, ut habent translatio antiqua, & aliqua exemplaria Boëcij, *Demonstratio est syllogismus apodicticon*: *ἀποδῆκτικὸς ἀποδῆξις* enim græcè idem est, quod latine demonstratio: & ita hæc esset definitio: *Demonstratio est syllogismus demonstrativus*: quam satis patet esse nugatoriam. Neque sic definiuit Aristot. sed verbum illud appositum est ab aliquo sciolo, ut inquit Soto ibidem. Propria ergo, & vera definitio est, quam habet textus græcus, scilicet *Demonstratio est syllogismus epistemonicon*, id est, faciens scire, ut vertit Argyropilus. 2. Secunda definitio est: *Demonstratio est syllogismus procedens ex veris, primis, & immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis*. De quibus definitionibus inquirimus, an sint bonæ.

Ratio dubitandi contra primam est. Tàm quia generare scientiam ad summum convenit demonstrationi

tionem pro materiali; si quidem pro formali est ens rationis, ut vidimus disput. i. ergo non rectè explicatur essentia, seu ratio formalis eius per generare scientiam. Tum etiam quia non apparet, in quo genere causæ hoc conueniat demonstrationi, etiam materialiter sumptæ: ergo demonstratio non facit scire. Consequentia patet: quia illud verbum, *facere*, denotat aliquam causalitatem. Antecedens verò probatur; quia conclusio scita est pars demonstrationis: imò demonstratio consistit in ipso actu discursus, qui est ipsum scire, seu scientia actualis: ergo propriè non facit scire.

Contra secundam etiam definitionem multiplex est ratio dubitandi. Nam ex vna parte videtur redundans; siquidem procedere ex primis, & immediatis idem omnino sunt; & similiter eo ipso, quod procedat ex causis, procedit ex prioribus, & ex notioribus: ergo superflua hæc omnia exprimuntur. Ex alia verò parte videtur deficiens; siquidem tacentur aliæ conditiones præmissarum, quas postea explicat Arist. ut quod sint de omni, de per se, de prædicato vniuersali, &c. Et tandem non conuenit omni contento sub definito; siquidem plures sunt demonstrationes, quæ non procedunt ex primis, & immediatis; neque ex causis, ut patet in demonstrationibus à posteriori. Ergo dicta definitio non est sufficiens.

3. Nihilominus dicendum est primò has duas definitiones, ut traditæ sunt ab Aristot. esse rectas, & exactas. Sic docet D. Thom. hic lect. 4. quem sequuntur Caiet. Soto, Mas. Sanchez, & cæteri Dialectici, breuiterque probatur: quia definitio, quæ datur per propriam causam definiti, siue extrinsecam, siue intrinsecam, est bona definitio; descriptiua quidem, si causa sit extrinseca; essentialis verò, si sit intrinseca, ut diximus in præmio Institutionum: sed istæ definitiones, sunt huiusmodi: ergo, &c. Probatur minor quia demonstratio est instrumentum quoddam intellectuale, cuius proprius finis est scientia; per quam traditur prima definitio ipsiusque tanquam ex propria materia constat ex propositionibus veris, immediatis, notioribus &c. per quam traditur secunda: ergo utroque modo rectè definitur demonstratio.

3. Ut autem definitiones istæ in sensu, quo traditæ sunt ab Aristot. rectè intelligantur, simulque satis fiat rationibus dubitandi, nota quod cum syllogismus sit artefactum quoddam, & concretum rationis, constans materia, & forma: ex parte vtriusque diuersas forsitur diuisiones ut constat ex dictis lib. 3. Institut. cap. 7. Ex parte enim formæ diuiditur in tres figuras & ex parte materiæ in demonstratiuum, topicum, & sophisticum, & idè illa est diuisio essentialis; hæc verò accidentis in subiecta, ut ibidem explicuimus. Quia secunda intentio, seu forma constitutiua syllogismi posita in materia necessaria faciat demonstrationem; in probabili syllogismo topicum; & in apparenti sophisticum. Quo fit, ut demonstrationis nomen impositum sit ad significandam formam syllogismi, prout est in determinata materia, scilicet in propositionibus necessariis; & per consequens, propriè loquendo, non significat aliquam veram speciem; sed potius quoddam ens per accidens, resultans ex forma syllogismi, & materia necessaria: vnde prout sic non poterit in rigore definiti.

Cæterum quia intentio illa, seu artificium, quod est forma demonstrationis, iam supponitur notum ex libris. Priorum: idè quando de demonstratione agimus in lib. Poster. non definimus formam eius, neque totum illud aggregatum. Sed solum intendimus explicare, quid conueniat demonstrationi ex parte materiæ, seu quid requiratur in propositionibus, ut accedente forma syllogismi, fiat vera demonstratio.

Colleg. Compl. Logica,

Et ad hoc tendunt definitiones Aristot. adductæ, ut considerari patebit. Prima enim explicat id per proprium effectum, quem habet ex parte materiæ, scilicet generare scientiam: qui etiam est causa finalis demonstrationis, ut vidimus: & idè talis definitio tradita est per causam finalem. Ex qua statim infert Aristot. aliquas condiciones, quas habere debent propositiones, quæ sunt materia demonstrationis. Per quas etiam secundò definit demonstrationem ex parte materiæ, ut ex se patet: & notat D. Thom. lectione 4. Et idè oportet pro plena huius intelligentia singulas particulas explicare. Prius tamen duo aduertenda sunt ex communi Doctorum consensu.

4. Primum est, Aristotelem in præsentem solum definire demonstrationem *propter quid*, cuiusque controuersia conuenit generare scientiam, & procedere ex immediatis, prioribus &c. quod præstitit, ut ipse testatur: quia nondum egerat in hoc secundo cap. de alia demonstratione, quæ dicitur *quia*.

Secundum est, in hac secunda definitione non enumerasse omnes condiciones demonstrationis propter quid, sed eas tantum, quæ ex definitionibus scientiæ, & demonstrationis manifestè inferebantur: aliæ verò occultiores, ut quod præmissæ sint de omni, per se, &c. reliquit examinandas sequentibus capitulis. Quem etiam ordinem nos sequentes in hac difficultate explicabimus condiciones, quæ continentur in definitione adducta: aliæ autem tractabimus questione sequenti. Prima ergo particula est.

#### EX VERIS.

5. **S**atis ex se patet hæc conditio. Quamuis enim conclusio vera sequi possit aliquando ex antecedenti falso, ut docet Aristot. lib. 2. Priorum c. 2. & nos diximus lib. 3. Institutionum cap. 2. tunc tamen, ut ibidem explicuimus, tale antecedens non influit veritatem in consequens neque est causa eius; sed aliunde eam habet. Quod tamen repugnat demonstrationi: in qua præmissæ sunt causa veritatis conclusionis, per quas ipsa conclusio probatur. Et idè si cut conclusio demonstrationis ita est vera, ut repugnet esse falsam; sic etiam præmissæ sunt necessario veræ.

Eandem particulam probat Aristot. quia. *Quod non est, non scitur*. Cuius dicti sensus non est de re, quæ non existit, non esse scientiam, hoc enim falsum est, ut patet: sed de eo, quod non ita est, sicut enuntiat, non posse esse scientiam. Quia scientia est habitus circa verum, sicut error est habitus circa falsum.

#### EX PRIMIS, ET IMMEDIATIS.

**D**ixi istæ particulæ in re non differunt. Nam propositio immediata in præsentem est illa, quæ non est alia prior, per quam probatur: & sic necessariò debet esse prima. Quæ enim est prima, non potest habere aliam priorem, ut patet. Ponuntur tamen ad explicandum duos respectus eiusdem propositionis, ut rectè notat D. Thom. lect. citata. Nam eadem propositio dicitur immediata, inquantum caret alia priori, per quam demonstretur: prima verò, comparatione aliarum subsequens, quæ per illam demonstratur.

6. Iam autem si propositio immediata est, qua non est altera prior, ut definit Aristoteles in hoc capite, seu quæ non habet medium, per quod cognoscatur: planum sit, idem in rei veritate esse propositionem immediatam, & per se notam: hæc enim est illa, quæ se

B b 2

ipsam notifica, neque eius veritas per aliam manifestatur: quod idem est ac non habere medium, seu aliam priorem propositionem, per quam probetur. De quo videri potest Beatus Albertus tractat. 2. huius lib. cap. 6. ubi propositionem immediatam, & mediatam; per se notam, & per aliud notam explicat rectè per comparationem ad visibilia per se, & per aliud. Sicut enim Sol, quia ipse habet à natura intrinsecam lucem, est visibilis per se ipsum, alia verò corpora, quæ lucem à sole participant, sunt non per se ipsa, sed per aliud visibilia: sic intelligibilia, alia sunt ex se, & per se nota ut propositiones immediatæ; alia verò noscuntur per aliud, à quo quasi illuminantur, ut propositiones mediatæ.

7 Diuiditur autem propositio per se nota à Diu. Thoma prima parte, quæst. 2. art. 1. in per se notam secundum se, non verò quoad nos, & in per se notam secundum se, & quoad nos. Prima est, quæ secundum se nullum habet medium per quod manifestetur: quia nimirum, vel prædicatum est de essentia subiecti, vel immediatè consequitur ad rationem eius: tamen à nobis non cognoscitur illa immediata connexio prædicati cum subiecto, nisi per aliud medium illam notificans. Cuiusmodi est hæc propositio: *Deus est*, quæ licet sit per se nota secundum se: quia prædicatum est de essentia subiecti, tamen quia nos non scimus de Deo, quid est, non est nobis per se nota; sed innotescit per effectus eius. Huiusmodi etiam est propositio, in qua prima passio prædicatur de subiecto. Cum enim inter primam passionem, & ipsum subiectum nihil in rei veritate mediet, per quod probetur, talis propositio est secundum se immediata, & indemonstrabilis; & per consequens per se nota secundum se. Quod docet expressè Diuus Thomas 1. Posterior. lect. 36. & opusculo. 39. cap. 12. & probat Sanchez libr. 7. quæstion. 15. quoad nos tamen dici potest, non esse per se notam, aut immediatam: quia per intellectum distinguimus definitionem subiecti ab ipso, eamque assumimus, ut medium ad talem passionem de illo demonstrandam. Videatur Caiet. primo Posteriorum cap. 2. 3. & 19. Soto ibidem quæstione 2. ad 9. Arauxo 1. Metaphysicæ quæstione 5. art. 1. ad primum, & alij Thomistæ.

Propositio verò per se nota secundum se, & quoad nos, est illa, cuius prædicatum, & subiectum, non solum habent immediatam connexionem; sed ipsa nota est nobis. Quæ quando omnibus est nota; dicitur propositio per se nota quoad omnes: ut sunt generalissima principia: *Quodlibet est, vel non est: Totum est maius sua parte, &c.* Quando verò non omnibus nota est, sed sapientioribus, tunc dicitur propositio per se nota quoad sapientes: cuius exemplum adducet ex Boëtio Diu. Thom. loco citato, scilicet incorporalia non esse in loco, intellige tanquam in loco.

8 Huic diuisioni propositionis per se notæ à Diu. Thom. traditæ solet addi aliud membrum, scilicet propositio per se nota quoad nos tantum, quæ scilicet quamuis in se habeat medium, ratione cuius prædicatum inest subiecto; tamen quia sensibus est notissima, non indigemus tali medio ad eius cognitionem: ut hæc propositio: *nix est alba*: quæ reuera habet medium, nempe tale temperamentum primum qualitatum; tamen illo non indigemus. Ad quod alludit Aristot. 2. Topic. dicens. *Eum, qui negauerit niuem esse albam, sensu indigere, non medio.* Hic tamen modus propositionis per se notæ imperfectissimus est: cum sumatur per ordinem ad sensum. Imò in rei veritate talis propositio non est per se nota: & ideo non numeratur Diu. Thom. in prædicta diuisione.

Supposito ergo, quod propositio per se nota, & immediata in re idem sunt, ut dictum est; eadem erit vtriusque partitio: atque ita propositio immediata, alia erit immediata secundum se, non verò quoad nos; & alia immediata secundum se, & quoad nos. Quibus etiam potest addi eodem sensu, quo supra, propositio immediata quoad nos, non verò secundum se. Verum est tamen, in usu communi loquendi dictam diuisionem frequentius applicari propositioni per se notæ, quàm propositioni immediatæ.

In præsentī ergo loquimur de propositione immediata secundum se: quia hæc proprie & simpliciter dicitur immediata, utpote quæ secundum se non habet aliam priorem per quam probetur. Quod quidem contingit in propositionibus affirmatiuis. tum quando essentia, & partes eius prædicantur de subiecto; tum etiam quando prædicatur prima passio, ut explicatum est. Propositiones verò negatiue tunc sunt immediatæ, quando prædicatum, & subiectum exprimunt rationes primò diuersas, ut quando vnum prædicamentum negatur de alio, aut vna differentia de alia: ibi enim secundum se nullum potest esse medium, per quod probetur vnum non esse aliud.

9 Quibus explicatis, dubitant merito Doctores: an semper demonstratio procedat ex immediatis, seu primis, ut hic inquit Aristotel. Nam pro parte negatiua sunt manifestissimæ instantiæ, ut quando de subiecto demonstratur secunda, aut tertia passio, v.g. si dicas: *Omne admiratum est risibile: omnis homo est admiratus: ergo omnis homo est risibilis.* Vbi utraque præmissa est propositio mediata; si quidem potest à priori demonstrari per primam passionem hominis, nempe discursuum, ut consideranti patet.

Respondetur ergo, concedendo non omnem demonstrationem proximè procedere ex propositionibus immediatis, ut bene probat argumentum, quando autem inquit Aristotel. demonstrationem procedere ex immediatis, intelligendum est ut explicat Diu. Thom. lect. 4. de propositionibus immediatis, vel statim, vel per aliqua media, id est, de immediatis proximè, vel remotè. Et ita 1. Topicorum cap. 1. dicitur, quod *Demonstratio est ex primis, & veris, aut his, quæ per ea fidem sumpserunt.* Non autem oportuit hoc in præsentī explicare: quia quando aliqua præmissa est propositio mediata, ad hoc ut generet scientiam alicuius conclusionis, opus est talem præmissam cognosci per resolutionem ad primam, & immediatam propositionem unde derivatur. Et sic semper verificatur demonstrationem procedere ex immediatis.

#### Causæque conclusionis.

10 EX tribus subsequentiis particulis, hanc vltimam prius explicat Arist. quia ex eius declaratione duæ priores innotescunt. Pro eius ergo intelligentia sciendum est, quod semper præmissa sunt causæ in cognoscendo conclusionis; id est, sunt id, quod assumit intellectus ad cognoscendam conclusionem, & per quod notificatur illi. Ultra hoc autem aliquando continent etiam causam in essendo eiusdem conclusionis: ut quando per essentiam demonstratur prima passio, & per hanc secunda, &c. Et tunc præmissæ dicuntur causæ in essendo, & cognoscendo simul: quia intellectus assumit ut causam cognitionis id, quod est verè causa rei. Aliquando verò præmissæ non continent veram causam conclusionis, sed potius effectum eius, aut quid aliud ipsa posterius, ut quando causas demonstramus per signa, aut effectus eorum. Et tales præmissæ dicuntur causæ in cognoscendo



cognoscendo tantum : quia id , quod reuera non est causa , assumitur ab intellectu vt causa ad cognoscendam conclusionem. Supposito ergo , quod in hoc cap. Arist. solum definit demonstrationem *propter quid* , quæ semper est à priori : manifestum sit vltimam hanc particulam , *Causisq; conclusionis* , intelligendam esse de causis in essendo , & cognoscendo simul. Neque indiget maiori probatione.

11. Hinc tamen exurgit alia maior difficultas contra hanc particulam. Nam plures sunt demonstrationes *propter quid* , quarum præmissæ non continent veram causam conclusionis , vt quando in Metaphysica demonstrantur à priori passiones entis , & in Theologia attributa diuina ; inter quæ , cum non sit distinctio realis ; non potest esse vera causalitas , vt patet. Ergo non omnis demonstratio propter quid procedit ex causis conclusionis.

Pro solutione notandum est , causam in essendo esse duplicem : aliam formalem , & aliam virtuales. Quæ diuisio , & modus loquendi communis est apud Metaphysicos , & Theologos. Causa in essendo formalis appellatur illa , à qua effectus realiter procedit , siue per veram , & propriam actionem ; siue per naturalem emanationem , & resultantiam : & hæc semper distinguitur realiter ab effectu , vt patet. Causa verò in essendo virtualis dicitur ille gradus , seu ratio , quæ licet reuera non producat aliam , cum qua realiter identificatur ; inter eas tamen , vt sunt virtualiter plures , inuenitur ex natura rei talis subordinatio , & ordo , vt vnâ apprehendat intellectus vt causam alterius , ita quod si hæc aliquam haberet causam , nullam aliam postulare nisi illam. Verbi gratia immortalitas , & immaterialitas animæ sunt idem : & ita neutra est vera , & formalis causa alterius ; habent tamen inter se talem ordinem , quod immortalitas intelligitur oriri ab immaterialitate , & non è contra. Quod etiam contingit in attributis diuinis. Nam æternitas intelligitur oriri ab immutabilitate , ita vt si illa posset habere veram causam , non esset aliud ; nisi attributum immutabilitatis. Huiusmodi autem rationes appellantur causæ virtuales : tum quia quodammodo continent in virtute alias rationes posteriores : tum etiam quia quantum ad hoc æquivalent causis in essendo formalibus. Quæ doctrina applicanda etiam est proportionabiliter entibus rationis.

Quo supposito , respondetur , ad demonstrationem propter quid non esse necessarium , quod causæ in essendo sint formaliter causæ sed sufficit esse causas virtualiter. Et hoc reperitur in demonstrationibus Metaphysicis & Theologicis. Per quod patet ad rationem dubitandi.

#### EX NOTIORIBVS , ET PRIORIBVS

12. Explicata Vltima illa particula , iam facile intelliguntur istæ duæ. Si enim præmissæ debent esse causæ in essendo conclusionis ; consequenter erunt notiores illa : siquidem causa secundum se notior est quàm effectus. Erunt etiam priores propter eandem rationem. Quia causa semper est prior effectu saltem prioritate naturæ : Quam prioritatem debent habere præmissæ formaliter & in actu : ad quod significandum addita est hæc particula. Nam illa secunda scilicet *ex primis* , solum significata præmissas debere esse primas , & immediatas siue proximè , siue remotè : non tamen explicat esse necessarium , vt actu antecedant conclusionem ; quod significat hæc particula.

13. Ex dictis constat solutio ad rationes dubitandi positas in principio quæstionis. Ad primam enim

Colleg. Compl. Logica.

ex adductis contra primam definitionem , iam vidimus hinc non defini demonstrationem ex parte formæ sed solum ex parte materiæ : & idè rectè adducitur propria operatio , seu effectus , qui competit demonstrationi ratione materiæ.

Ad secundam respondetur negando antecedens. Nam scientia inhabitalis producit efficienter proximè per actum discursus qui est in assensu conclusionis , & solet dici scientia actualis : hæc verò producit à præmissis dispositis in forma argumentationis ; in quibus prout sic , saluatur artificium illud , quod assumit intellectus vt instrumentum ad acquirendam cognitionem scientificam. Quare , licet demonstratio sumpta pro ipso scire , seu vt est causa scientiæ habitualis , præcipuè consistat in actu discursus : sumpta tamen ( vt sumitur frequentius ) pro illo artificio intellectuali , seu vt est instrumentum sciendi : solum consistit in præmissis cum tali dispositione , vt ex communi Dialecticorum sententia , & manifestis Aristot. testimoniis probat Masius in libris. Priorum lect. 1. q. 3. Ac proinde prout sic producit instrumentaliter scientiam ,

14. Ad rationes dubitandi contra secundam definitionem respondetur Ad primam iam constat ; quod quamuis illæ particulæ in re idem sint ; ponuntur tamen ad exprimendos duos respectus eiusdem propositionis , v. vidimus ex Diuo Thoma. Ex aliis etiam tribus particulis , Vnaquæque exprimit specialem rationem , & posterior addit supra priorem , vt consideranti patebit : & idè non otiosè exprimiuntur. Sicut nec etiam est superflua definitio : in qua post primum genus adducuntur suo ordine omnes differentiæ subalternæ vsque ad infimam.

Ad secundam etiam iam diximus , quod quia illæ conditiones maiori indigebant discussione : solum enumerauit Aristoteles eas quæ erant magis notæ : in quibus etiam alæ virtualiter continentur , vt ex dicendis constabit.

Ad vltimam respondetur Aristotelem solum definisse demonstrationem *propter quid* , vt ex ipso , & communi sententia notauimus supra n. 4. Et ideo dictæ definitiones non cōueiunt demonstrationi à posteriori.

*Dubium aut appendix , Quomodo sit intelligendum axioma , quod hic habet Aristoteles , scilicet propter quod unumquodque tale , & illud magis.*

15. Ex his , quæ hætenus dicta sunt ; concludit Arist. intellectum firmius , perfectius , & magis assentiri præmissis , quàm conclusioni. Nam si assentitur conclusioni propter præmissas : ergo magis assentitur ipsis præmissis , iuxta vulgatum axioma : *propter quod unumquodque tale , & illud magis.* Quod oportet in præsentia explicari : sunt enim contra ipsum plures iustitiæ. ¶ Prima , quia res cognoscuntur ab anima propter habitus intellectus : & tamen species intelligibiles , aut habitus non magis cognoscuntur. ¶ Secunda , quia terra est calida propter solem calefacientem ; cum tamen sol non sit magis calidus. ¶ Tertia , quia Filius æternus spirat Spiritum sanctum propter Patrem , à quo accipit vim spirandi : & tamen Pater non magis spirat , quàm Filius. ¶ Et tandem quarta : quia. Petrus est hōmo propter patrem illum producentem ; cum tamen pater non sit magis homo.

Respondetur tamen exponendo hoc axioma iuxta doctrinam Diui Thomæ , qui diuersis locis plures illi adhibet limitationes : Primam ponit prima parte. quæst. 87. art. 3. ad tertium vbi docet intelligendum esse *In his , quæ sunt vnius ordinis seu in eodem genere cause : puta si dicatur , quod sanitas est desiderabilis*

B b 3

propter

propter vitam: sequitur, quod vita sit magis desiderabilis: quia utraque pertinet ad genus causæ finalis. Si autem accipiantur, ea quæ sunt diuersorum ordinum, axioma non habet veritatem: ut si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter medicinam, non ideo sequitur, quod medicina sit magis desiderabilis: quia sanitas est in ordine finium; medicina verò in ordine causarum efficientium. Per quod soluitur prima instantia. Nam res cognitæ, & species intelligibiles, seu habitus non sunt in eodem ordine obiectorum, & consequenter pertinent ad genus causæ formalis extrinsecæ; species verò aut habitus, sunt in ordine causarum efficientium.

Et ideo non sequitur ex eo, quod res cognoscantur per species aut habitus, quod ista magis cognoscantur per species aut habitus, quod ista magis cognoscantur. Sequeretur autem si omnia essent obiecta, ut contingit in præmissis, & conclusionem, quæ quia sunt in ordine obiectorum: ideo optime sequitur ex eo, quod conclusio cognoscatur propter præmissas, quod præmissæ magis cognoscantur. Videatur Diu. Thom. loc. cit.

16 Secundam limitationem adducit S. Doctor in hoc 1. lib. lect. 6. his verbis: *Quando causa & effectus conueniunt in nomine; tunc illud nomen magis predicatur de causa, quam de effectus: sicut ignis est magis calidus, quam ea, quæ per ignem calefiunt. Quandoque verò causa, & effectus non conueniunt in nomine: & tunc licet nomen effectus non conueniat causa; tamen conuenit ei aliquid dignius: sicut quædam in sole non sit calor; est tamen in ea virtus quædam altior, quæ est principium caloris.* Iuxta quam doctrinam quando aliquod nomen verè predicatur de causa & effectus; si effectus est talis propter causam, bene sequitur causam esse magis talem. Si verò nomen non predicatur verè de causa & effectus, tunc non licet inferre, quod causa sit magis talis. Sequitur tamen esse in ea aliquid altius ipso effectus. Per quod patet ad secundam instantiam.

Tertiam & quartam limitationem ponit D. Thomas 1. dist. 12. q. 1. art. 2. ad 2. ubi sic inquit: *Dictum Philosophi verificatur, quando illud, quod conuenit alicui propter aliquid aliud est diuersum in utroque: & præcipue quando unum est causa alterius essentiali ordine causæ. Tunc enim causalitas sua est, respectu totius speciei, & non unius individui tantum, ut dicit Avicenna. Sicut calor est magis in igne, quam in corpore mixto: quia propter ignem est in corpore mixto. Sed quædam Filius habeat à Patre hoc, quod spirat Spiritum sanctum, nihilominus tamen non est hoc diuersum in Patre, & Filio: quia eandem virtutem spiratuiam, quam Pater habet, Filio communicat: & ideo per illam aqualiter Pater, & Filius Spiritum sanctum spirant. Et si etiam non esset una numero, sed specie tantum; ratio non valeret, sicut patet in omnibus vniuersis generationibus. Non enim pater Sorsis plus influat in filium Sorsis quam sorres. Ex qua doctrina habentur duæ limitationes, ut patet; nempe dictum axioma solum intelligendum esse, quando id, quod conuenit alicui propter aliquid aliud, est diuersum in utroque. Per quod patet ad tertiam instantiam. Et insuper quando unum est causa alterius essentiali ordine causæ: quia sic non solum est causa, quantum ad fieri; sed etiam quantum ad esse. Per quod excluduntur causæ vniuersæ, & patet solutio ad quartam & ultimam instantiam.*

17 Has omnes limitationes, & glossas reducit ingeniose Caiet. hic cap. 2. §. circa propositionem illam ad hanc breuissimam, & verissimam regulam, quod scilicet tunc valet axioma istud; quando totus effectus potest reflecti super veram causam. V. G. quando dicimus, luna est lucida propter solem; potest fieri re-

flexio sic: luna est lucida, quia sol est lucidus, & ideo bene sequitur: ergo sol eo magis lucidus. Et ita legitima intelligentia, & glossa axiomatis est hæc: *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, id est, quando aliquid est tales propter aliud: quia illud est tale; illud propter quod est tale, est magis tale. In quo sensu nullas patitur instantias, ut consideranti patebit. Videatur Caiet. ibid.

## Q V Æ S T I O II.

### De aliis conditionibus præmissarum.

Vltra conditiones præmissarum, quas explicuimus, & tradit Arist. cap. 2. rursus c. 4. probat tria alia esse requisita ad demonstrationem, scilicet quod præmissæ sint de omni, per se, & de prædicato vniuersali. Et c. 5. sequenti addit duo alia, scilicet quod demonstratio non procedat ex communibus, neque extraneis; sed ex propriis viroque modo. Quæ omnia explicanda sunt in hac quæstione.

*An præmissæ demonstrationis debeant esse de omni, & per se.*

### S. I.

18 PRO huius explicatione notandum est primo, quod dici de omni est duplex: aliud prioristicum; quo sensu vnum ex principiis, in quibus nititur ars syllogistica, appellatur *dici de omni*: aliud verò posterioristicum. Ad hoc, ut propositio sit de omni prioristico, sufficit eam esse vniuersalem; etiam si prædicatum non conueniat subiecto pro omni differentia temporis. Cuiusmodi sunt istæ propositiones: *Omnis homo vigilat, omnis homo canescit*, & similes: quæ possunt bene disponi in forma argumentationis.

Et ita consequentia huius syllogismi: *Omnis homo vigilat, Petrus est homo, ergo Petrus vigilat*: probatur per dici de omni: quia ad formam argumentationis, de qua in prioribus agitur, non interest, quod prædicatum conueniat semper, vel necessariò subiecto.

Ad hoc verò, quod propositio sit de omni posterioristico, requiritur (inquit Arist.) quod *Prædicatum non cuiusdam insit, cuiusdam non insit; neque interdum conueniat, interdum non conueniat*. Id est, tunc propositio est de omni posterioristico, quando nihil potest assignari sub subiecto, cui non conueniat prædicatum pro omni differentia temporis. Et huiusmodi sunt istæ: *Omnis homo est risibilis: omnis nix est alba, &c.*

Explicat autem id Arist. per negationem, ut ita comprehendat propositiones singulares, quarum prædicatum semper conuenit subiecto: quales sunt istæ: *Petrus est animal: Petrus est risibilis: hec nix est alba, &c.* Quæ licet non sint de omni prioristico: quia earum prædicatum non interdum conuenit subiecto, & interdum non conuenit, semper conuenit, ut patet.

19 Secundò notandum est, quid sit propositio de per se. Ad cuius explicationem adducit Arist. quatuor modos dicendi per se.

Primus est, quando prædicatum est de essentia subiecti: ut quando definitio, vel partes eius, siue Physicæ, siue Metaph. prædicantur de definito.

Secundus modus est, quando prædicatum est propria passio subiecti, vel (ut inquit Arist.) quando subiectum est de essentia prædicati. Quod ideo dixit, ut notat D. Tho. lect. 10. quia propria passio definitur per

per proprium subiectum: & sic subiectum in obliquo est de essentia passionis,

Tertius modus potius est modus essendi, quam modus dicendi per se; est enim ille quo substantia dicitur ens per se, & non in alio.

Quartus tandem modus dicendi per se spectat ad causalitatem, quando scilicet subiectum est causa per se prædicati, ut quando dicimus, *adificator adificat*, aut *Medicus medetur*.

Explicat autem Aristotel. statim discrimen inter duos priores modos ex vna parte, & quartum ex alia: (tertius enim cum non sit modus dicendi, sed essendi per se, non est cui in præsentem comparatur: & inquit, in quarto modo prædicatum conuenire accidentario, & contingenter subiecto: hæc enim est prædicatio quinti prædicabilis: *Medicus medetur*, ut patet: at verò in duobus primis modis prædicatum conuenit necessariò subiecto. De primo quidem constat, cum ibi prædicetur essentia. De secundo etiam patet ex dictis sup. à disput. 8. num. 7. siquidem propria passio habet necessariam connexionem cum essentia. Ex quo etiam sequitur quartum modum dicendi per se non posse deferre demonstrationi, quæ debet constare ex propositionibus necessariis: ac proinde duos tantum priores modos ad illam pertinere.

20. Prima conclusio. Præmissæ demonstrationis debent esse de omni & per se. Hæc est euidens: & probatur breuiter: quia præmissæ debent esse necessariæ: sed omnis propositio necessaria est in aliquo ex prædictis duobus modis dicendi per se: ergo præmissæ debent esse propositiones de per se. Sed omnis propositio de per se, est etiam de omni: ergo etiam præmissæ debent esse de omni. Prior syllogismus constat ex dictis. Minor verò subleuens probatur: quia in duobus primis modis dicendi per se prædicatum, vel est essentia subiecti, vel habet necessariam connexionem cum illa: ergo non interdum inest, & interdum non inest: sed semper inest subiecto ac proinde omnis propositio per se erit etiam de omni.

*An præmissæ demonstrationis debeant esse de prædicato vniuersali.*

## §. II.

21. **V**T cognoscatur, quid sit propositio de prædicato vniuersali, notandum est *vniuersale* in præsentem non sumi sicut in libro Prædicabilium, prout est vnum in multis: sed sumi pro illo prædicato necessario, quod conuenit subiecto conuertibiliter, seu secundum quod tale est. Quo sensu definit illud Arist. hic cap. 4. dicens: *Vniuersaliter autem id competere dico, quod vniuersaliter dicitur de omni, per se, & secundum quod ipsum*, ut risibile respectu hominis, & habere tres angulos æquales, duobus rectis, respectu trianguli.

Iuxta quam definitionem, tria requiruntur ad prædicatum vniuersale, ut sumitur in præsentem. Primum est quod sit *de omni*: defectu cuius risibile non est prædicatum vniuersale, respectu animalis: & habere tres angulos non est prædicatum vniuersale respectu figuræ, ut inquit Aristoteles. Secundum est quod sit *per se*: defectu cuius album non est prædicatum vniuersale respectu niuis: quia licet sit *de omni*, non tamen est *per se*, sed conuenit contingenter niui. Tertium est, quod conueniat subiecto, *secundum quod ipsum*, id est, secundum quod tale est, seu conuertibiliter: defectu cuius sensibile non est prædicatum vni-

uersale respectu hominis, neque habere tres angulos æquales, duobus rectis respectu isochelis: ut inquit Arist. quia licet sint prædicata *de omni*, & *per se*; non tamen conueniunt illis *secundum quod ipsa*: siquidem neque sensibile conuenit homini, secundum quod est homo: sed secundum quod est animal: neque habere tres angulos, conuenit isocheli, secundum quod est isochelēs; sed secundum quod est triangulus.

Ex quo etiam patet, quem ordinem habeant inter se ista tria. Comparantur enim sicut superius, & inferiorius. Nam prædicatum *de omni*, latius patet, quam prædicatum *per se*; siquidem omne prædicatum per se est de omni; non tamen è contra, ut patet de albo, quod est prædicatum de omni respectu niuis; non tamen per se. Similiter prædicatum *per se* latius patet, quam prædicatum *vniuersale*: siquidem omne prædicatum vniuersale est per se; non tamen è contra, ut patet de sensibili, quod est prædicatum per se, respectu hominis: non tamen conuenit illi vniuersaliter, & secundum quod ipsum.

22. Secunda conclusio. Vtrique præmissæ demonstrationis, vel saltem aliqua debet esse de prædicato vniuersali in demonstratione *propter quid*. Sic docet Aristot. in hoc cap. 4. dum dicit, quod habere tres angulos æquales duobus rectis, quamuis per se primò demonstraretur triangulo, cuius est prædicatum vniuersale; per ipsum tamen demonstratur, tum de ipso genere figuræ particulariter sumpto, tum etiam de singulis speciebus trianguli, scilicet isocheli, yso-pleuros, & scalenon.

Probat breuiter conclusio quoad primam partem. Quia perfectissima demonstratio probat propriam passionem de proprio & adæquato subiecto; ostendens propter quid illi conueniat; sed propria passio conuertitur cum proprio, & adæquato subiecto: & proprium *propter quid* passionis (scilicet propria & immediata causa eius) conuertitur cum ipsa passione: ergo in demonstratione perfectissima, omnes tres termini sunt conuertibiles: & per consequens vtrique præmissæ erit de prædicato vniuersali: ut cernere licet in hac demonstratione, *Omne admirabile est risibile: omnis homo est admirabile; ergo omnis homo est risibilis*: ubi omnes tres propositiones sunt de prædicato vniuersali.

23. Secunda verò pars conclusionis probatur; quia etiam in demonstratione *propter quid*, probamus propriam passionem, tum de aliqua specie, aut individuo subiecti adæquati, ut patet si dicas: *Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: isochelēs est triangulus, ergo habet tres angulos, &c.* tum etiam de ipso genere particulariter sumpto, ut si dicas in primo modo tertiæ figuræ: *Omnis triangulus habere tres angulos æquales, duobus rectis: omnis triangulus est figura: ergo aliqua figura habet tres angulos, &c.*

Sed in his demonstrationibus altera tantum præmissæ est de prædicato vniuersali, ut patet, siquidem habere tres angulos, &c. neque conuertitur cum figura, quæ est superiora triangulum, neque cum isochele, qui est inferior. Ergo non semper est necessarium, quod in demonstratione *propter quid*, vtrique præmissæ sit de prædicato vniuersali, quamuis id requiratur in demonstr. perfectissima.

24. Quod autem demonstratio, in qua passio concluditur, non de proprio & adæquato subiecto, sed de aliquo eius inferiori: aut etiam de superiori particulariter sumpto, ut explicatum est, sit multò imperfectior, quam demonstratio, in qua passio concluditur de proprio & adæquato subiecto, manifestum est. Et ratio Arist. est euidens.

Nam propria passio per se primò conuenit proprio & adæquato subiecto, & ratione illius conuenit in-

ferioribus eius & ipsi superiori particulariter sumpto ( ideo enim Petrus est risibilis; quia homo est risibilis; & ideo aliquod animal est risibile: quia homo est risibilis; ergo demonstratio, in qua passio concluditur de proprio & adæquato subiecto, longe perfectior est quacumque alia.

¶ Ex quo intelligitur doctrina, quam habet Arist. in hoc lib. cap. 20. ubi comparans demonstrationem vniuersalem particulari, multis rationibus probat illam potius, & perfectiorem esse ista.

Appellat autem demonstrationem vniuersalem eam, cuius ambæ præmissæ sunt de prædicato vniuersali, seu conuertibili; tunc enim passio concluditur vniuersaliter de proprio, & adæquato subiecto. Demonstrationem verò particularem appellat quæcumque alia, cuius conclusio aut præmissæ non sunt conuertibiles; seu de prædicato vniuersali. Et ideo huic merito præfert illam ratione dicta.

25 ¶ Secundò ex dictis intelliges tres errores, seu deceptiones, quæ solent contingere circa prædicatum vniuersale suprà explicatum, quasque explicat Arist. eodem lib. c. 5.

Prima est, quando sub aliqua specie continetur vniuersum tantum individuum; si quis existimaret passionem talis speciei, esse prædicatum vniuersale respectu individui, falleretur circa prædicatum vniuersale. Ut si quis de hoc numero sole concluderet esse fontem lucis in aliis astris, existimans tale prædicatum vniuersaliter conuenire huic individuo, & non ipsi speciei, cuius est passio; tunc quidem deciperetur.

Secunda deceptio solet contingere, quando plures species conueniunt in aliquo genere innominato. Tunc enim si quis existimaret passionem talis generis conuenire vniuersaliter alicui eius speciei, falleretur. Sicut si animal non esset nomen impositum & sensibile, quod est proprium animalis assignaretur, ut prædicatum vniuersale eorum, quæ sub animali continentur. Quo etiam modo deciperetur, qui existimaret potentiam generatiuam communiter dictam (ut scilicet tantum dicit esse productiuam similis in natura) conuenire vniuersaliter videnti: quia generabile, quod nos addidimus in arbore (cui vniuersaliter conuenit talis potentia) est genus innominatum.

Tertia tandem deceptio contingeret ei, qui existimaret passionem vnius speciei conuenire vniuersaliter generi; præcipue si talis species esset innominata, ut patet in eodem exemplo.

Si quis enim talem potentiam generatiuam, vel esse corruptibile, quæ sunt propriæ passionis generabilis, existimaret vniuersaliter conuenire corpori, cuius ipsum generabile est species subalterna; falleretur. Quo etiam modo (inquit Arist.) deciperetur, qui de recta linea probaret tanquam prædicatum vniuersale, non concludere, id est, se non contingere: nam id tantum conuenit lineis parallelis.

¶ Ad quas omnes deceptiones, quæ frequenter solent contingere, facillè vitandas, statuit Aristot. hanc regulam: quando posito subiecto ponitur prædicatum & ablato aufertur; tunc prædicatum conuenit vniuersaliter, seu secundum ipsum subiecto, ut consideranti patebit. Videatur D. Thom. hic lect. 12.

*An demonstratio debeat procedere ex propriis; non verò ex extraneis aut communibus.*

### §. III.

26. PRO explicatione nota, proprium, ut ad præsens attinet, posse sumi dupliciter: primò, ut distin-

guatur contra alienum, seu extraneum: 2. ut distinguatur contra commune. Et quia quando inquit Arist. demonstrationem debere procedere ex propriis, excluditur utrumque explicandum est. Tunc ergo syllogismus dicitur procedere ex alienis, seu extraneis; quando medium est omnino alienum à subiecto, scilicet à minori extremitate, ita ut cum illo non habeat necessariam connexionem; sed tantum contingentem ut contingit in syllogismis Logicæ videntis, quando per media secundarum intentionum descendit ad entia realia, quibus illæ sunt omnino extraneæ, ut vidimus sup. disp. 1. n. 41. Propter quod Logica videntis, seu Dialectica dicitur entitativa, & non demonstratiua: quia Dialecticus, procedit ex principiis extraneis; demonstratur verò ex propriis, ut ex Arist. & D. Th. notauimus ibidem.

27. Similiter tunc syllogismus dicitur procedere ex communibus, seu remotis: quando medium non est propria & immediata causa passionis; sed remota & communis; tunc enim præmissæ, quia non continent propriam & immediatam causam conclusionis; dicuntur remotæ & communis. Hoc autem dupliciter potest contingere. Primò, quando causa est quidem remota & communis; sed reuera conuertibilis cum effectu, ut quando tertia passio demonstratur per primam Verbi gratia, supponamus, quod prima passio post essentiam hominis est esse discursuum; secunda admiratiuum, & tertia risibile. Tunc propria & immediata causa discursui erit rationale; & propria, & immediata causa admiratiui erit discursuum; & propria, & immediata causa risibilis, erit admiratiuum. Rationale vero, respectu admiratiui & risibilis erit causa remota; siquidem mediat discursuum, erit etiam communis, tum quia admiratiuum, & risibile, ultra rationale, requirunt aliam causam, nempe discursuum; tum etiam quia rationale, non solum est causa admiratiui & risibilis; sed multò magis discursui, cuius est immediata & propria causa. Si quis, ergo hanc propositionem: *homo est risibilis*, demonstraret per rationale aut discursuum; tales syllogismi procederent per causam remotam & communem hoc primo modo: quia in præmissis non assignaretur propria, & immediata causa risibilis, nempe admiratiuum. Si verò eadem propositio demonstraretur per admiratiuum; talis syllogismus procederet ex propriis & immediatis hoc primo modo explicato, ut per se patet.

28. Secundo modo contingit, syllogismum procedere per causam remotam & communem, quando causa non est conuertibilis cum effectu, sed conuenit aliis. Cuius duo exempla adducit Arist., alterum cap. 10. huius lib. de Animalibus respectu respirationis, quæ non conuertuntur: nam aliqua animalia (quæ scilicet non habent pulmonem,) non respirant.

Vnde si quis hanc propositionem: *lapis non respirat*, probaret in secundo modo secundæ figuræ sic: *Omne respirans est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis respirat*, iste procederet per causam remotam & communem hoc secundo modo. Secundum exemplum adducit cap. 7. de tetragonismo, id est, de quadratura circuli. Brisone enim

illum demonstra-  
bat sic: *Vbi est  
maius & minus,  
potest esse & aqua-  
le: sed posito qua-*

Tetra-  
gonis-  
mus.

*drato, datur circulus maior* ( qui scilicet intra quadratum describitur ) *ergo potest dari circulus aequalis quadrato.* De quo Brisone, inquit Aristoteles, procedere per causam remotam, quia *maius & minus, & aequale*, non solum conueniunt circulo; sed etiam triangulo, pyramidi, & aliis figuris.

Et

Et huiusmodi demonstrationes, quæ procedunt per causam remotam, hoc secundo modo, semper fiunt in secunda figura, ut consideranti patebit.

29. Tertia conclusio. Demonstratio non potest procedere ex omnino extraneis: sed medium, quod assumitur in præmissis, debet habere necessariam connexionem, tum etiam cum passione, atque ita subiectum, medium, & passio, debeant contineri intra idem genus, ut inquit Aristoteles, seu intra eandem cognitionem, ut habet alia translatio. Sic docet Philosophus capite septimo citato, quem sequuntur D. Th. lect. 15. & communiter Dialectici.

Ratioque est manifesta: quia si medium non haberet necessariam connexionem cum aliqua extremitate, præmissa, in qua iungerentur, esset contingens; & ex consequenti conclusio etiam esset contingens, & non scientifica, ut per se patet: ergo demonstratio debet procedere ex propriis, propter proprium distinguitur contra alienum, seu extraneum.

Hanc conclusionem limitat in eodem capite Aristoteles ad scientias, subalternantes: quia subalternatae quodammodo procedunt ex extraneis: siquidem principia Arithmetice, ex quibus Musica procedit ad demonstrandas passiones de numero sonoro, sunt quodammodo aliena & extranea ipsis sonis.

Limitat, inquam, Aristoteles: quia cap. 10. actus erat de scientiis subalternatis. Quare nos etiam pronunciamus eodem modo limitamus hanc conclusionem, usque dum de illis agamus.

30. Quarta conclusio. Demonstratio *propter quid*, non potest procedere per causam remotam & communem, secundo modo supra explicato, bene tamen primo; licet talis demonstratio non sit potissima: sed aliquantulum imperfecta.

Prima pars conclusionis est expressa Aristotelis capite septimo, ubi etiam propterea negat demonstrationem Brissonis esse *propter quid*. Et cap. 10. refert demonstrationem Anacharsidis probantis in Scythia non esse tibicines hoc argumento: *Vbi sunt tibicines, sunt vites: in Scythia non sunt vites: ergo non sunt tibicines*. Quam demonstrationem, inquit Aristoteles, non esse *propter quid*, quia vitis est causa remota rectè modulandi. Et tandem idem dicit de syllogismo, in quo animal assumitur ut medium ad concludendam respirationem. De quibus infra redibit sermo.

Eandem partem conclusionis docet D. Th. lect. 17. & communiter Dialectici. Ratioque est ex dictis manifesta. Quia quando proceditur per causam remotam secundo modo supra explicato, nulla præmissarum est de prædicato vniuersali; cum talis causa remota non sit conuertibilis: ergo in demonstratione *propter quid*, non proceditur per causam remotam tali modo. Patet consequentia: quia in demonstratione *propter quid*, saltem aliqua præmissarum debet esse de prædicato vniuersali, ut ostendimus §. præcedenti.

31. Secunda etiam pars conclusionis est communis inter Dialecticos. Eamque docet, & explicat Caietanus in hoc 1. lib. cap. 13. quæst. 5. ex Arist. ibidem, qui per causam remotam intellexit solam causam non conuertibilem, ut patet in textu.

Probat autem ratione, quia inter passiones eiusdem essentia; non sic est habitudo, & subordinatio ut tertia præcisè oriatur, & causetur à secunda; & hæc à prima: quemadmodum prima solum causetur ab essentia. Sicut enim vnum accidens non subiectatur in altero, tanquam in subiecto integro, seu quod; ita vna passio non oritur ab alia, quasi ut quod, & ut ab integra causa: sed inter eas talis est ordo, quod ab essentia sola oritur prima passio, & ab eadem essentia simul cum prima passione oritur secunda, & ab essentia simul cum prima, & secunda passione oritur tertia, &

sic de aliis. Ergo demonstratio, in qua tertia passio demonstratur per primam, aut secunda per essentiam, est reuera demonstratio *propter quid*.

Patet consequentia, quia essentia, respectu secundæ passionis, & prima passio, respectu tertiæ, non dicuntur causæ remotæ: quia nihil omnino influant per seipsas, sed quia in essentia supponitur prima passio, ut oriatur secunda; & secunda, ut oriatur tertia, ut explicatum est. Ergo essentia verè pertinet ad *propter quid* secundæ passionis, & prima ad *propter quid* tertiæ; & per consequens tales demonstrationes reuera sunt demonstrationes *propter quid*. Tamen si quia in eis non exprimitur integrum *propter quid* passionis, quæ demonstratur, deficient à perfectissima demonstratione, suntque aliquantulum imperfectæ, ut consideranti patebit.

32. Ex dictis inferitur quomodo sit intelligendum axioma, quod habet Arist. c. 10. huius lib. scilicet: *Si affirmatio est causa affirmationis; negatio est causa negationis & contra*. Quod exponit optimè Caiet. ibid. c. 13. §. circa illam regulam. Est ergo intelligendum de causa propria & conuertibili. Quia enim rationale, respectu risibilis, est causa propria, & conuertibilis: bene sequitur, si affirmatio rationalis causat affirmationem risibilis, quod negatio rationalis causat negationem risibilis, & contra. Quod non contingit in causis communibus & inconuertibilibus. Quia, ut ibid. inquit Aristor. quamuis negatio animalis causet negationem respirationis; affirmatio tamen animalis non causet affirmationem respirationis. Sicut etiam è contra, quamuis affirmatio hominis sit causa affirmationis sensitui; non tamen propterea negatio hominis, est causa negationis sensitui. Ac proinde in huiusmodi causis communibus, & inconuertibilibus non habet locum dictum axioma.

## QVÆSTIO III.

*Utrum diuisio demonstrationis in quia, & propter quid, sit adæquata.*

2. Explicata essentia demonstrationis oportet diuisiones eius inuestigare. Tradit autem plures Aristor. in hoc lib. Nam cap. 20. diuidit demonstrationem in vniuersalem, & particularem quas sup. n. 14. explicuimus, ostendimusque vniuersalem præstantiorem esse particulari. Deinde c. 21. diuidit demonstrationem in affirmatiuam, (cuius scilicet conclusio est affirmatiua,) & negatiuam (cuius scilicet conclusio est negatiua.) Ex quibus illam esse potiorem ista probat multis rationibus.

Nobis hæc vna sufficiat: quia negatio cognoscitur per affirmationem: ergo affirmatio magis nota est, quam negatio: ergo demonstratio, in qua concluditur affirmatio, prior, & potior est ea, in qua concluditur negatio.

Consequentia patet ex axioma supra explicato: *Propter quod unumquodque tale, &c.* Antecedens verò probatur, tum à priori: quia affirmatio est causa negationis: tum etiam inductione: quia prius sciimus hominem esse risibilem, quam lapidem, vel equum non esse risibilem; & idem de aliis. Tandem cap. 22. diuidit demonstrationem in demonstrationem directam, seu ostensiuam: & ducentem ad impossibile. Illa fit quando directè concluditur propositio intenta; ista verò, quando ex contrario, aut contradictorio propositionis negatæ, inferitur aliquod impossibile, per quod ostenditur eam esse veram, ut satis constat ex dictis lib. 3. Institutionum cap. 6. & explicat

Soto



Soto in hoc lib. cap. 22. De quo etiam videri potest D. Thom. lect. 40.

34. His ergo diuisionibus omisissis, celebris est ea, qua diuiditur demonstratio in *quia*, & *propter quid*. Quam tradit, & explicat Aristotel. cap. 10. eiusdem libri. Nosque in præsentia latius, quam solet declarabimus propter Cauero hîc disput. 2. dubio 4. & alios Modernos, qui non rectè aduertentes doctrinam huius capitis, omnino confundunt dictam diuisionem cum ea, quæ solet tradi in demonstrationem à priori, & à posteriori 1. Est ergo demonstratio *propter quid* illa, quæ non solum probat passionem inesse subiecto; sed etiam ostendit, *propter quid* illi conueniat: quod sit adducendo in præmissis propriam, & adæquatam causam talis passionis. Cum enim vnaquæque passio habeat proprium principium, seu proprium *quid*, à quo dimanat iuxta dicta suprâ n. 22. & consequenter habet proprium *propter quid*, per quod probetur, nempe rationem illam, seu illud *quid* à quo dimanat. Et quando hoc ponitur pro medio ad concludendam talem passionem, fit demonstratio *propter quid*. Sit exemplum quando de subiecto demonstratur secunda passio per primam, (quam diximus esse demonstrationem perfectissimam) sic: *Omne discursuum est admirabile: omnis homo est discursiuus: ergo omnis homo est admirabilis*. In qua demonstratione non solum concluditur verum esse, quod admirabile conuenit homini; sed etiam ostenditur, propter quid illi conueniat: siquidem sumitur pro medio discursuum, quod est propria, & immediata causa, seu proprium propter quid admirabili. Et inde huiusmodi demonstrationes appellantur *propter quid*.

35. Demonstratio *quia* est illa, quæ tantum ostendit passionem conuenire subiecto; non autem adducit propter quid illi conueniat. Vnde in præsentia nomen, *quia*, quod sumptum est ex translatione Boëcij, non accipitur causaliter, ut rectè notat Soto in hoc cap. 10. sed est pura coniunctio, quasi dicatur, demonstratio, quod hoc sit hoc. Propter quod etiam in translatione Argyropili hæc demonstratio appellatur, *scire esse*, alia verò dicitur *scire propter quid est*. Sic enim transfert: *Differt autem scire esse, & propter quid est: primo quidem in eadem scientia, &c.* Itaque demonstratio *quia* in hoc differt à demonstratione *propter quid*, quod in hac scitur passionem conuenire subiecto, & propter quid illi conueniat; in illa verò solum scitur passionem conuenire subiecto; reticetur autem propter quid illi conueniat: & idè appellatur à Soto, & aliis demonstratio, quod hoc sit hoc. Sit exemplum in hac demonstratione: *Stella non scintillans sunt propè nos: planeta sunt stella non scintillantes: ergo planeta sunt propè nos*: in qua solum scitur, planetis conuenire hoc, quod est esse propè nos, non autem assignatur propter quid illis conueniat. Nam hoc, quod est, *non scintillare*, non est propter quod huius, quod est *esse propè nos*: sed potius è contra planetas esse propè nos est propter quid non scintillandi, ut per se patet.

36. Assignat autem Aristot. in eodem capite tres modos, quibus contingit fieri demonstrationem *quia*. Primus est, quando per effectum adæquatum, & conuertibilem procedimus ad causam demonstrandam; ut patet in exemplo adducto, ubi ex negatione scintillationis procedimus ad probandum planetas esse propè nos, quod est propria causa talis negationis. Et in huiusmodi demonstrationibus inquit Aristot. quod si maior extremitas muretur in medium, fiet demonstratio propter quid: quia iam procedet per propriam, & adæquatam causam, ut patet si dicas. *Stella, quæ sunt*

*propè nos, non scintillant, sed planeta sunt propè nos: ergo planeta non scintillant.*

Ex qua Aristot. doctrina antequam ad alios modos procedamus, duo colligenda sunt. Primum est, omnem demonstrationem à posteriori esse demonstrationem *quia*. Non enim fieri potest, quod in demonstratione à posteriori assignetur propter quid conclusionis, ut per se patet. ¶ Secundum est in hoc casu quodammodo dari demonstrationem circularem: siquidem ex demonstratione *quia*, in qua per effectum adæquatum causam demonstramus, fit demonstratio *propter quid*, si inuertendo terminos talem effectum probemus per suam causam; ac proinde quodammodo datur circulus, dum causam per effectum, & effectum per causam demonstramus. Sed de hoc redibit sermo in fine difficultatis.

37. Secundo modo inquit Aristotel. fieri demonstrationem *quia*, quando per causam remotam, seu communem non conuertibilem demonstramus effectum: tunc enim non potest esse demonstratio *propter quid*. Cuius ratio ex dictis manifesta. Tum quia vnaquæque passio habet proprium, & adæquatum propter quid, per quod probetur, ut suprâ numero 22. & 24. vidimus: ergo demonstratio, in qua solum continetur causa remota, & non conuertibilis passionis, non adducit propter quid illius; & per consequens non poterit esse demonstratio propter quid. Tum etiam quia in huiusmodi demonstrationibus tantum concluditur, hoc esse hoc, id est, passionem conuenire subiecto: per quod præcisè non scimus propter quid illi conueniat: ergo tales demonstrationes, quamuis procedant per causam inessendo; verè sunt demonstrationes *quia*. Et huiusmodi sunt demonstrationes Brissonis, & Anacharsidis, & de animali respectu respirationis: de quibus Aristot. in hoc capite expressè affirmat esse demonstrationes *quia*.

38. Tertio tandem modo inquit Aristoteles fieri demonstrationem *quia*, quando, *quia*, & *propter quid* pertinent ad diuersas scientias, ut quando ex conclusionibus demonstratiuis à scientia subalternante procedimus tanquam ex principiis ad demonstrandas conclusiones scientiæ subalternatæ: tunc enim *scire quia* pertinet ad scientiam subalternatam, *scire verò propter quid* ad subalternantem. Verbi gratia, quod res, cui à longè videtur, appareat minor, quam dum videtur propè, est propositio Perspectiuæ: quæ cognoscit *quid est* talis propositionis; sed *propter quid* eius pertinet ad Geometriam, quæ assignat propriam causam, nempe quod res de propè videtur per maiorem angulum in oculo, quam si videatur à longè. Similiter de hac propositione: *Vulnera circularia difficiliter curantur*, Medicus tantum scit *quia*; at verò *propter quid* pertinet ad Geometriam, qui demonstrat, quod latera circuli magis distant, &c. Pro quorum omnium pleniori intelligentia videri possunt D. Thom. hîc lect. 23. 24. & 25. & Caiet. cap. 13.

39. His sic explicatis, quod in quæstionem vertitur, est, an diuisio demonstrationis in *quia*, & *propter quid* sit adæquata. ¶ Patrem negatiuum defendunt Auerroës hîc comment. 95. Themistius ibidem cap. 29. Raymundus Lulius in sua Arte magna parte 7. & alij. Quorum hæc sunt præcipua argumenta.

Primo, quia demonstratio, quam appellant signi, quando scilicet per aliquod signum probamus de subiecto aliquam passionem, non est demonstratio propter quid, ut patet. Neque etiam est demonstratio: quia nam tale signum, neque est effectus adæquatus passionis, neque causa remota eius, neque quid pertinens ad diuersam scientiam. Ergo datur

datur aliqua demonstratio, quæ non contineatur sub his membris.

Secundò, quia demonstrationes negativæ sunt veræ demonstrationes: & tamen neque procedunt per causas, neque per effectus: ergo non sunt demonstrationes propter quid, vel quia. Probarur minor: quia quod reuera est nihil, non potest esse vera causa, aut effectus: sed quod est negatiuum, reuera est nihil: ergo, &c.

Confirmatur; quia scilicet de demonstratione negativa docente ad impossibile non apparet, quomodo possit reduci ad aliquod ex his membris: ergo talis diuisio non est adæquata.

Tertiò, quia quando ab eadem causa duo æquales effectus deriuantur, quorum neuter sit alterius causa; possumus vnum per aliud demonstrare: vt si in laboranti febre putrida, inæqualitatem pulsus per immoderatum calorem, aut è contra concludamus sic:

*Qui habet pulsum inæqualem, afficitur calore immoderato: sed qui laborat febre putrida, habet pulsum inæqualem: ergo afficitur calore immoderato.* At in tali demonstratione non procedimus à causa ad effectum, neque ab effectu ad causam, sed ab effectu ad effectum: ergo præter demonstrationem quia, & propter quid, assignanda est alia.

Quartò tandem: quia hæc est vera demonstratio: *Omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia:* & tamen non est demonstratio quia, nec propter quid; siquidem esse animal, nec est causa, neque effectus respectu substantiæ, ergo, &c.

Confirmatur: quia syllogismus, in quo colligitur propositio singularis ex aliqua vniuersali necessaria, est demonstratio distincta ab ea, in qua colligitur talis propositio vniuersalis: & tamen non habet distinctum propter quid: aut distinctum quia: ergo constituit speciale aliud genus demonstrationis.

40. Nihilominus dicendum est primò diuisionem demonstrationis in quia, & propter quid esse adæquatam. Hæc conclusio est Aristot. in hoc capite 10. & D. Th. ibidem lectione 23. Quam defendunt Beatus Albertus, Caietanus, & Soto in Commentario eiusdem capituli, Aquarius 2. Metaphysicæ quæstione vltima, Sanchez in Logica libri 7. quæstione 11. Maius hic sect. 1. qu. 6. noster Didacus à Iesu disp. 17. quæst. 1. & communiter Dialectici.

Fundamentum sumitur ex dictis. Quia demonstratio propter quid est illa, quæ concludit prædicatum conuenire subiecto, ostendendo propter quid illi conueniat: demonstratio verò quia in tota sua latitudine, vt hic sumimus cum Arist. est illa, in qua concluditur quidem prædicatum conuenire subiecto; reticetur tamen propter quid illi conueniat. Ergo quæcumque demonstratio non adducens propter quid conclusionis est demonstratio: quia, siue procedat per effectum, siue per causam remotam, siue quocumque alio modo. Probarur consequentia: quia demonstrationes istæ sic explicatæ includunt rationes contradictionis oppositas, vt patet: ergo repugnat, inter illas esse aliquod medium, seu dari demonstrationem quæ sub alterutra non contineatur.

41. Dicendum est secundò prædictam diuisionem demonstrationis non omninò coincidere cum ea, quæ solet tradi in demonstrationem à priori, & à posteriori. Vt intelligatur, & proberur conclusio, explicanda est hæc secunda diuisio. Demonstratio ergo à priori, vt ipsum nomen indicat, dicitur illa, quæ procedit per medium, quod est prius conclusione, non solum in cognoscendo, sed etiam in essendo. Cum enim prioritas in cognoscendo communis sit quicunque demonstrationi; non potest ab illa sumi

denominatio demonstrationis à priori; sed à prioritate in essendo, quæ est prioritas ex parte ipsarum rerum. Quo fit, vt quæcumque demonstratio, quæ procedit per causam in essendo conclusionis, siue proximam, siue remotam, sit demonstratio à priori; siquidem procedit per medium quod non solum cognoscitur prius conclusione; sed reuera est prius illa. Atque ita demonstratio illa Anacardiis, probat in Scythia non esse ribicines, quia non sunt vires: & similiter ea, quæ probatur lapidem non respirare, quia non est animal, & similes sunt demonstrationes à priori: quia vis est vera causa sortis modulationis, licet remota; & similiter animal respectu respirationis; ac proinde procedunt per medium, quod est in essendo prius conclusione. Ex quo iam intelligitur, quid sit demonstratio à posteriori. Est enim illa, quæ procedit per medium, quod licet in cognoscendo sit prius; in essendo tamen est posterior conclusione. Et huiusmodi sunt omnes demonstrationes, quæ procedunt ab effectu ad causam, vel ab aliquo signo aut quacumque alia ratione, quæ reuera sit posterior conclusione.

42. Hinc ergo facillè intelligitur nostra conclusio. Dicimus enim has duas diuisiones non omninò coincidere, ita vt demonstratio propter quia, & à priori conuertatur; & similiter demonstratio quia & à posteriori, sed quod multæ sunt demonstrationes à priori, quæ non sunt propter quid, & multæ quia, quæ non sunt à posteriori. Ac proinde, quamuis omnis demonstratio propter quid sit à priori: non tamen è contra: & similiter quamuis omnis demonstratio à posteriori sit quia; non tamen è contra. Quæ conclusio explicata est expressa Aristotelis in hoc capite, & D. Thom. lect. 23. citata. Pro qua etiam videri possunt Caietanus, Soto, & alij Interpretes, qui cum Arist. affirmant, non solum demonstrationem; quæ procedit ab effectu; sed etiam eam, quæ procedit per causam remotam non conuertibilem esse demonstrationes quia.

43. Ex quo iam probatur manifestè conclusio: quia demonstrationes, quæ in secunda figura concludunt aliquam passionem per causam remotam non conuertibilem, vt sunt istæ: *Omne respirans est animal: nullus lapis est animal: ergo nullus lapis respirat: Omne risibile est viuens: nullus lapis est viuens: ergo nullus lapis est risibilis:* & similes non sunt demonstrationes propter quid, sed tantum quia, vt patet ex dictis: & tamen verè sunt à priori; siquidem animal, & viuens, vt potè prædicata essentialia sunt causæ in essendo; licet remotæ, respirationis & risibilitatis, quæ sunt propriæ passionis. Ergo non omnis demonstratio à priori est propter quid, neque omnis demonstratio quia est à posteriori.

Confirmatur: quia omnes demonstrationis in quibus ex conclusionibus scientiæ subalternatis tanquam ex principiis procedit subalternata ad suas conclusiones, sunt tantum demonstrationes quia: & tamen plures earum sunt à priori: ergo non omninò coincidunt istæ diuisiones. Maior est expressa Aristotelis in hoc capite, vt vidimus num. 8. Quam etiam docent D. Thomas lectione 24. Caiet. hic in tractatu de subalternatione scientiarum, & communiter Dialectici, dum affirmant cum Aristot. scientiam subalternatam intra proprios limites non scire propter quid suarum conclusionum. Minor etiam est manifesta: nam perspectiua, & Musica verbi gratia quæ sunt scientiæ subalternatæ, frequentius procedunt per causam, vt patet mille exemplis. Quod commune est omnibus Mathematicis, vt sumitur ex Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 3. Ergo sæpè contingit demonstrationem quia esse à priori.

44. Ad argumenta responderetur. Ad primum, quod siue lignum, per quod procedit demonstratio sit aliquis effectus naturalis (quod frequentius contingit) siue sit aliquid aliud, talis demonstratio probat prædicatum conclusionis conuenire subiecto, reticendo propter quid illi conueniat: ac proinde verè est demonstratio quia ut ex dictis patet.

Ad secundum negatur minor. Nam etiam negatio suo modo habet causam & effectum, sicut affirmatio, iuxta dictum Aristot. supra numero 32. explicatum. Vnde sicut ex demonstrationibus affirmatiuis illæ, quæ adducunt propriam, & adæquatam causam, propter quam passio affirmatur de subiecto, sunt demonstrationes propter quid; aliæ verò quia: sic proportionabiliter ex negatiuis, quæ reddunt propriam, & adæquatam causam, quare passio negatur de subiecto, sunt demonstrationes propter quid; aliæ verò quia.

Ad confirmationem similiter responderetur, quod si demonstratio, ducens ad impossibile reddat propriam causam, quare sequatur illud impossibile, erit demonstratio propter quid: si verò aliter procedat, erit demonstratio quia. Videatur Soto in hoc 1. lib. q. 5. ad tertium.

Ad tertium in primis responderetur, ex duobus illis effectibus non posse vnum verè demonstrari per alium, dato casu, quod inter se nullam habeant necessariam subordinationem, aut connexionem, etiamsi ambo per se connectantur cum causa, à qua procedunt. Cuius ratio est manifesta: quia ut alter illorum effectuum esset medium ad probandum alium, deberet iungi cum illo in aliqua præmissa: quæ tamen ex hypothese facta, non esset propositio necessaria, sed contingens, & per consequens syllogismus non posset esse demonstratio, quia ut latè prosequitur Maius ubi supra contra Themistium, cuius est hoc argumentum. ¶ Sed quisquid sit de hoc, secundò responderetur tales syllogismos dato quod sint verè demonstrationes, pertinere ad demonstrationem quia, siquidem in eis non adducitur proprium propter quid conclusionis, ut supponimus: sed tantum concluditur prædicatum conuenire subiecto.

45. Ad quartam responderetur, quod cum termini, ex quibus fit demonstratio illa, non solum identificentur inter se realiter, sed etiam sint prædicata subordinata cuiusdam essentiae; non potest esse inter eos propria ratio causæ, & effectus in essendo, etiam virtualiter: & idè talis demonstratio, propriè loquendo, neque est à priori, neque à posteriori. Est tamen verè demonstratio quia: nam ad hoc sufficit non dari per propriam, & adæquatam causam, quod in præsentì contingit.

Ad confirmationem respondet Vasq. 1. p. disp. 13 §. num. 6. negando antecedens. Redditur rationem: quia in conclusione nihil noui colligitur, neque tanquam causa, neque tanquam effectus, quod non esset iam expressum in maiori. Et idè tales syllogismi, non tam dicendi sunt demonstrationes, quam applicationes quædam demonstrationis ad singularia, ut notant Rubio in hoc libro cap. 8. & alij. ¶ Vel secundò responderetur, quod eodem modo, quo demonstratio, in qua colligitur propositio vniuersalis, distinguitur ab illa, in qua ex tali vniuersali colligitur propositio singularis, distinguuntur etiam propter quid, aut quia vtriusque. Cuius manifestum signum est, quod in tali casu necessariò mutatur medium; siquidem quod in prima demonstratione erat maior, aut minor extremitas, assumitur ut medium in secunda, ut considerari patebit.

46. ¶ In fine huius difficultatis, ubi cum Arist. diximus ex demonstratione quia, aliquando fieri de-

monstrationem propter quid, breuiter explicandū est: an, & quomodo liceat uti demonstratione circulari.

Circa quod in primis asserendum est, quod si demonstrationes fiant difformiter (ut aiunt, id est, quarum altera sit à priori, & altera à posteriori, ut supra ex Arist. vidimus; tunc utraq; demonstratio secundum se est conueniens, ut patet. Et idem dicendum est, quando in diuerso genere causæ sit circulus inter duo, quæ sunt sibi inuicem causæ, ut inter materiam, & formam. Quamuis enim tunc utraq; demonstratio sit in suo genere à priori, verè tamen sunt demonstrationes difformes, siquidem fiunt in diuerso genere causæ.

Quia tamen demonstratio est cognitio discursiua, cuius proprium est procedere à notioribus ad minus nota, & obscuriores propositiones ex aliis clarioribus ostendere; idè demonstratione circulari, & præcipuè in eadem disputatione, vel confirmatione, aut probatione alicuius veritatis vtendum non est; nisi forrè admisceatur aliquis alius discursus, vel quodcumque aliud adminiculum, quo augeatur cognitio conclusionis, à qua regrediendum est. Videatur D. Thom. secundo Cœli lect. 16. & Caiet. 1. post. c. 13. qui optimè explicat, quo sensu & quando admittenda est demonstratio circularis.

## Q V Æ S T I O I V.

*Quenam sit hac diuisio & utrum per solam demonstrationem propter quid producat habitus scientia.*

47. Circa primum, si vera sunt, quæ supra num. 4. diximus: hæc diuisio non potest esse generis in veras, & proprias species. Cuius ratio est manifesta: quia propria diuisio generis in species est diuisio essentialis, & formalis: ergo debet attendi penes formam constitutiuam diuisi, & non penes materiam. Sed diuisio demonstrationis, in quia, & propter quid, non est ex parte formæ demonstrationis, sed solum ex parte materiæ eius: ergo propriè, & in rigore loquendo non est diuisio generis in species. Maior est manifesta: minor verò probatur ex dictis loco citato. Quia syllogismus ex parte formæ, tantum diuiditur in tres figuras, & vnaquæque in suos modos, tanquam in species infinitas intra vnumquemque istorum modorum contingit fieri demonstrationes quia, & propter quid: ergo harum distinctio non potest sumi ex parte formæ, & consequenter neque esse propriè formalis, & specifica.

Confirmatur: quia idè diuisio syllogismi in demonstratiuum, topicum, & sophisticum est ex parte materiæ, & non ex parte formæ; quia existente eadem forma specifica syllogismi, si præmissæ sint necessariæ, est demonstratiuum; si probabiles, topicum; si apparentes, sophisticum. Sed existente eadem forma specifica demonstrationis, si medium sit propria, & adæquata causa in essendo conclusionis, est demonstratio propter quid: si verò sit effectus eius, aut causa remota; est demonstratio quia. Ergo hæc diuisio non sumitur ex parte formæ demonstrationis, sed solum ex parte materiæ. Ex quo tandem fit diuisionem istam magis accedere ad diuisionem accidentis in subiecta: sicut de diuisione syllogismi in demonstratiuum, topicum, & sophisticum diximus loco citato.

48. Cæterum quamuis neque demonstratio sit verum genus, neque demonstrationes quia, & propter quid propriè, & in rigore species de quo nostrè iudicio non potest esse controuersia inter Doctores; adhuc

adhuc tamen qui existimant utramque demonstrationem simpliciter, & propriè esse demonstrationem, & per utramque simpliciter sciri, appellant hanc diuisionem generis in species: quia in hoc assimilatur illi. Qui verò contendunt, per solam demonstrationem propter quid simpliciter sciri; ac proinde ipsam totam esse simpliciter demonstrationem, consequenter vocant hanc diuisionem analogam. In quo sensu examinanda est à nobis præsens quæstio. Quæ quatenus fortè sit tantum de nomine, ut notat Soto infra citandus, non parum conducet scire, quis sit prior modus loquendi in hac materia.

49. Igitur diuisionem esse generis speciem, defendunt Sanchez hb. 7. Logicæ quæstione 11. Rubio in hoc capite quæst. 2. & alij Moderni. Qui illam probant. Primò; quia utraque demonstratio procedit ex principiis certis, & evidentibus; & per consequentiam evidentem in modis, & figura constitutam: ergo utraque simpliciter, & absolute facit scire: ergo utraque simpliciter participat rationem demonstrationis; & per consequens talis diuisio erit vniuoca. Antecedens, & vltima consequentia constant. Prima verò probatur: quia per assensum conclusionis in demonstratione quia non producit habitus principiorum; cum talis assensus sit discursiuus: neque habitus opinionis, aut fidei, cum assensus sit necessarius, & evidens: ergo producit habitus scientiæ: & ex consequenti talis demonstratio, absolute, & simpliciter facit scire.

Confirmatur quia scientia subalternata, etiam sine subalternante, potest esse vera scientia; ut ex sententia D. Thomæ dicimus disputatione sequenti; sed scientia subalternata producit per demonstrationem quia, ut vidimus ex Aristotele: ergo per ipsam producit vera scientia: ac proinde simpliciter facit scire, eritque absolute demonstratio.

Quod autem essentialiter distinguatur à demonstratione propter quid, sic probatur secundò. Quia demonstrationes, sicut & scientiæ, quæ per illas producantur, distinguuntur ex principiis; seu mediis per quæ procedunt: sed principia, seu media harum demonstrationum distinguuntur essentialiter: ergo, & ipsæ demonstrationes. Probatur minor: tum quia alterum est propria, & adæquata causa conclusionis; alterum verò effectus eius aut causa remota: tum consequenter quia sunt diuersæ rationes assentiendi, & quasi obiecta formalia talium demonstrationum.

50. Nihilominus dicendum est primò solam demonstrationem propter quid appellandum esse simpliciter, & absolute demonstrationem: aliam verò tantum secundum quid; ac proinde hanc diuisionem magis accedere ad diuisionem analogi, quam generis. Sic docuit Auicenna, ut refert Auerroes in hoc libr. commento 95. huiusque constant, & perpetua sententia inter antiquos Philosophos, ut testatur Iacobus Zabarella cap. 1. de speciebus demonstrationis refertque, & sequitur Malus cap. 10. huius libr. sect. 1. quæstione 1. & 2. Quam etiam defendit Soto ibidem quæstione 5. ad primam & quæstione 2. antecedenti ad secundam, ubi expressè docet, quod demonstratio quod non facit simpliciter scire, neque simpliciter est demonstratio; sed tantum secundum quid: hancque inquit esse expressam sententiam Arist. Quod quidem ferè omnia, quæ habentur in hoc libr. satis ostendunt. Sed specialiter.

Probatur primò conclusio: quia Arist. definiens demonstrationem capite 2. huius libri, solum definiuit demonstrationem propter quid, relictæ demonstrationi quia: de qua ibidem quasi per conditionem asseruit: *si igitur, & alius sciendi sit modus, posterius* Colleg. Compl. Logica.

explicabimus. Quæ verba exponens D. Thom. lect. 4. solam demonstrationem propter quid inquit esse propriam, & perfectum modum sciendi: propter quod etiam neque in hoc cap. 10. ac quod se refert Aristot. in prædictis verbis, neque alibi definiuit demonstrationem quia, satis esse putans explicuisse præcipuam, ut ex eius similitudine, & attributione cognosceretur alia. Quæ non rectè coherent cum vniuocatione demonstrationis, ut per se patet.

Secundò; quia in eodem cap. 2. definit Aristot. scire propriè, & simpliciter dictum sic: *Scire autem putamus unamquamque rem simpliciter, & non sophistico modo cum putamus causam cognoscere, propter quam res est illius causa esse, neque posse eam aliter se habere* Vbi nomine causæ iuxta expositionem D. Tho. & cæterorum Interpretum intelligit causam in essendo, per quam scitur in demonstratione propter quid, & hoc appellat scire simpliciter. Quod etiam tradit expressius cap. 7. sequenti: ubi docens, quod difficile est cognoscere aliquem, si sciuit, aut non, reddit rationem: *Quia difficile cognoscere est, si ex vniuersiusque principis sciunt, aut non, quod verè est scire.* Vbi D. Th. 18. affirmat, quod *scire ex propriis principis* (quod est scire propter quid) *solum est verè scire.* Et lect. 23. demonstrationem propter quid expressè vocat demonstrationem simpliciter. Ergo ex sententia Aristot. & D. Tho. per solam demonstrationem propter quid scitur simpliciter, & ex consequentia ipsa sola est simpliciter demonstratio.

51. Tertio probatur ratione ex eisdem locis sumpta. Quia demonstratio est medium, seu instrumentum ad acquiendam scientiam: ergo illa sola dicenda est absolute, & simpliciter demonstratio, per quam absolute, & simpliciter sciunt. Sed tunc solum dicimus simpliciter scire aliquid, quando causam, cuius ita sit, cognoscimus, quod fit in demonstratione propter quid: ergo hæc tantum dicenda est simpliciter demonstratio. Antecedens, & consequentia constant; inor. autem est definitio Arist. quam non aliter probat ipse quam ex ipsa significatione nominis, & communi acceptione hominum Non tam hi, qui existimant se scire; cum tamen in rei veritate nesciant, quam hi: qui vera sciunt; sic accipiunt ipsum scire, ut dictum est.

Confirmatur: quia quantumcumque concludamus hominem esse risibilem per effectum ridendi nobis notum, adhuc non quiescit intellectus; neque existimant se id absolute scire; vsque dum cognoscant propriam causam, seu proprium propter quid risibilitatis: ergo demonstratio quia non est dicenda absolute, & simpliciter demonstratio: Maior huius probatio, & solutio argumentorum constabunt ex secunda parte difficultatis.

52. Circa quam pro nunc supponendum est contra Rubium ubi supra, & alios Modernos, per demonstrationes quia, & propter quid circa obiectum eiusdem scientiæ non produci distinctos habitus; quia ut disp. sequenti latè ostendemus ex communi sententia Thomistarum, quælibet scientia est vnica, & simplex qualitas in specie infima, propter vnicam, & indiuisibilem rationem formalem obiecti in esse scibilis, ex qua sumitur veritas scientiæ. Quæ ratio non solum conuincit per assensus conclusionis vtriusque demonstrationis non produci habitus distinctos: sed etiam assensus ipsos non differre specie formali: sed materialiter. Sicut etiam dicendum est de aliis actibus intra eandem scientiam circa obiecta partialia eius: nam quantum ad specificationem, eadem omnino est ratio de scientia actuali & habitali, ut constabit ex dicendis disputatione citata.

Diximus demonstrationes quia & propter quid

cc

non

non producere habitus distinctos circa obiectum eiusdem scientiæ: quia quando pertinent ad diuersas scientias, vt contingit in subalternata, & subalternante iuxta supradicta: tunc si demonstratio quia producit aliquem habitum, manifestum est debere esse distinctum ab eo, quem producit demonstratio propter quid. Quod, quidem in tali casu non prouenit ex eo præcisè, quòd vna sit demonstratio quia, & alia propter: quid sic enim semper producerent habitus distinctos: sed ex eo, quòd habeant diuersa obiecta in esse scibilis, vt constabit loco citato. Quare solum remanet difficultas in hac parte: an per demonstrationem quia verè producat habitus scientiæ, sicut producit per demonstrationem propter quid.


§ 3. Dicendum est secundò per demonstrationem propter quid, per se loquendo, generari habitum scientiæ verum, & perfectum, & in esse habitus: at verò per demonstrationem quia produci valdè imperfectum, & in esse dispositionis: quia non assequitur statum habitus, donec accedat demonstratio propter quid. Hanc conclusionem esse ad mentem Arist. & D. Thom. satis ostendunt, cum supra adducta in hac quæstione, tum etiam infra adducenda de subalternatione, & specificatione scientiarum. Quæ etiam est valdè conformis his, quæ grauioribus Dialectici, & Theologi docent in pluribus materiis, quæ ex præsentis quæstione dependent: & iuxta eam facillè intelliguntur, quæ apud alias sententias non parum difficultatis habent: ac proinde omnibus illis est præferenda.

§ 4. Vt autem meliùs explicetur, & probeur conclusio, meminisse oportet eorum, quæ disputatione 13. num. 23. diximus, quòd scilicet eadem qualitas in specie habet esse dispositionis ex parte subiecti, quamdiu est remissa, neque omninò firmatur in illo: assequitur verò statum habitus, quando intenditur in subiecto, & firmiter adhæret illi. Proportionabili ergo modo dicimus in præsentis, quòd per demonstrationem quia producit qualitas imperfecta, per modum quasi dispositionis ex parte medijs: quando verò habetur demonstratio propter, quid eadem qualitas perficitur, & assequitur statim habitus. Quæ perfectio, vel imperfectio, quia non sumitur ex parte subiecti, seu ex, intensione, vel remissione; sed ex conditione ipsa, & natura medijs, per quod procedit vtrique demonstratio: idèò quantumcumque repetantur demonstrationes quia, & quantumcumque intensè cognoscantur earum conclusiones; qualitas per illas producta non erit perfecta perfectione, de qua in præsentis loquimur, vsque dum habeatur demonstratio propter quid. Qua adueniente, perficitur, acquirit esse habitus ex parte medijs.

Hinc ergo facillè probatur conclusio: quia in scientiis subalternatis, quantumcumque intensè repetantur propriæ demonstrationes (quæ iuxta dicta sunt demonstrationes quia) qualitas inde resultans quamuis verè pertingat ad orationem, & scientiæ; non tamen habet perfectionem, & statum scientiæ, vsque dum, aduenientibus subalternantibus, cognoscatur propter quid illarum conclusionum. Ergo per demonstrationem propter quid acquiritur habitus scientiæ perfectus in ratione habitus; per demonstrationem verò quia valdè imperfectus, & in esse dispositionis. Antecedens quoad primam partem, quòd scilicet absque scientia subalternante possit acquiri subalternata, quæ pertingat ad veritatem scientiæ, ostendendum est à nobis disputatione sequenti.

§ 5. Quoad secundam verò partem probatur inductione. Nam qui in Perspectiva cognoscit, corpora

à longè visa apparere minora, non censetur omninò firmiter, perfectè, & dilucidè, adhærere huic veritati, vsque dum Geometria, cui Perspectius subalternatur, demonstret illi, res à longè positas videri per minorem angulum, ex eo quòd lineæ ductæ ab eadem basi ad punctum distans causant acutiorem angulum, quàm quæ à tali basi ducuntur ad punctum proximum, vt patet in hac figura. Similiter Chirurgus non censetur omninò perfectè scire, quod vulnera circularia



difficiliùs curantur: quia eorum latera magis distant, vsque dum hoc demonstret Geometria ex natura circuli; quæ est figura absque angulis. Et tandem idem cernimus in Theologia nostra, quæ quia subalternatur scientiæ Dei, & beatorum iuxta sententiam D. Thom. 1. parte quæstione prima art. 2. idèò non est omninò perfecta in viatore, dum suas conclusiones deducit ex principiis sola fide cognitis: habebit tamen perfectum statum scientiæ in patria, vbi principia fidei euidenter cognoscuntur. Ergo scientia acquisita per demonstrationem, quia, non habet perfectionem, & statum scientiæ dum non habetur demonstratio propter quid. Manet ergo plana nostra conclusio. Videantur Angelicus Doctor quæstione 14. de veritate art. 9. ad tertium. & Caiet. 1. 2. quæst. 1. art. 5. vbi de scientiis subalternatis affirmat, quòd licet pertingant ad speciem scientiæ; sed non perueniunt ad perfectum statum scientiæ: & propterea non faciunt scire nisi inchoatiuè, & imperfectè.

§ 6. Ad argumenta in principio facta responderetur. Ad primum concessio antecedenti, neganda est consequentia. Ad cuius probationem dicimus, quòd per assensum conclusionis in demonstratione quia, producit quidem habitus scientiæ; sed valdè imperfectus, & non habens statum habitus, aut scientiæ, sed dispositionis: & consequenter non facit scire simpliciter, sed inchoatiuè, vt explicatum est. Ac proinde talis demonstratio in genere demonstrationis est quid imperfectum, non constituens veram speciem eius: sed reductiuè pertinet ad illud, sicut de embryone respectu animalis & intentionibus differentie communis, & propriæ respectu propriissimæ diximus disputatione 7. numero 15. Per quod patet ad confirmationem.

Ad secundum responderetur, tam assensum conclusionum, quàm habitum scientiæ, qui per illos producit, sumere suam vnitatem, aut distinctionem ex vnitatem, aut diuersitate principiorum, non in esse rei, sed in esse scibilis, vt latè explicabimus disputatione sequenti. Principia autem ex quibus procedunt demonstratio quia, & propter quid, quando sunt intra eandem scientiam, licet sint diuersa in esse rei; non tamen in esse scibilis: & sic non possunt causare diuersitatem essentialem in earum assensibus. Benè autem quando tales demonstrationes pertinent ad diuersas scientias: quia tunc habent principia diuersa in esse scibilis, vt constabit loco citato.

\* \*





## DISPUTATIO XIX.

*De scientia, quæ est effectus demonstrationis.*

**E**XPLICATIS Essentia, & diuisionibus demonstrationis, ad planiorem eius notitiam agendum est de proprio illius effectu, qui est scientia. Cuius naturam explicat Arist. cap. 2. huius libri: & cap. 10. sequenti agit de diuisione eius in subalternantem, & subalternatam: ac tandem cap. 13. inuestigat, unde sumatur unitas, & distinctio scientiæ. Quæ omnia nos in hac disputatione complectemur.

## QVÆSTIO I.

*Quid sit scientia: & in quo ratio propria Subalternationis consistat.*

**S**UPPOSITA existentia scientiæ, quam experientia sipla conuincit, nosque contra Heraclitum, & Cratillum ostendimus supra disputatione 3. numer. sept. & disput. 17. numer. 10. quid sit illius latè explicandum erat in hac prima parte difficultatis, nisi id à nobis factum esset disputat. 1. numer. 46. ubi ex definitione scientiæ actualis ab Aristot. tradita loco citato, definimus habitalem cum communi consensu Dialecticorum, quod sit *Habitus per demonstrationem acquisitus*, ut ibidem explicuimus: & idè in hoc non est immorandum. Duo tamen libet in præfati addere.

Primum est, Doctores sic definientes scientiam per demonstrationem non committere vitiosum circulum dum vruntur priori illa definitione Aristotelis, quia demonstrationem definiuit per scientiam, dicens, *Esse syllogismum epistemonicon*. Cuius ratio est: Tum quia hæ definitiones traduntur in diuerso genere causæ, nam scientia definitur per demonstrationem tanquam per causam efficientem, demonstratio verò per scientiam tanquam per causam finalem: & sic utraque secundum se est conueniens. Tum etiam quia ex secunda definitione demonstrationis tradita per causam materiale, cæterisque conditionibus præmissarum disput. 17. explicatis, redditur quoad nos sufficienter nota demonstratio; ut per eam possimus scientiam ipsam definire.

2. Secundum est, quod ex ibidem dictis potest denuò definiri essentialiter scientia per suum subiectum sic: *scientia est habitus circa propositiones universales, necessarias & mediatas*. Quæ definitio sumitur ex Aristot. 6. Ethic. capite 6. & in ea priores particule exprimunt genus proximum, in quo scientia conuenit cum habitu principiorum, ut constabit disput. seq. numer. 29. ubi diuisiones habitus intellectualis ordinabimus, per vltimam verò distinguitur ab illo. Est enim proprium habitus principiorum versari circa propositiones indemonstrabiles, quæ scilicet non habent medium, per quod probentur, sed per se ipsas cognoscantur. Et ex his procedit scientia ad demonstrandum suas conclusiones: ac proinde versatur circa propositiones mediatas, seu per aliud notas.

*Colleg. Compl. Logica.*

Videatur Aristot. loco citato, ubi inter alia inquit: *Cum autem scientia existimatio sit de vniuersalibus, & his, quæ, necessario sunt: sineque demonstrabilium, scientiaque omnis principia: est enim ipsa scientia cum ratione principij rei scibilis, neque est scientia, neque ars, neque prudentia: quod enim est scibile, demonstrabile est, &c.*

3. Per quod etiam excluditur opinio, quam habet Valq. 1. p. disp. 1. cap. 1. & sequuntur aliqui Moderni, asserentes habitum scientiæ non distingui ab habitu principiorum talis scientiæ; sed eundem habitum, quo assentimur principiis extendi ad assentiendum conclusionibus. Est enim hæc sententia, tum contra communem consensum Dialecticorum, tum etiam expresse contra Aristot. non solum loco citato, ubi post verba adducta, concludit circa principia constituendum esse alium habitum distinctum à scientia, prudentia & arte, quem appellat intellectualem; sed etiam lib. 2. Posterior. capite vltimo inter alias mouet hanc quæstionem: an de principiis sit scientia, vel aliquis alius habitus, his verbis: *Dabitur enim autem quispiam eorum, quæ medijs vacant cognitione, eadem sit, neque ne: & utrum scientia utriusque sit, neque ne, aut alterius quidem scientia, alterius autem aliquid aliud genus, &c.* Cui quæstioni responderetur sic: *Hæc itaque cum ita sint, scientia quidem principiorum non erit. Sed cum fieri nequeat, ut aliud quidquam verius scientia, quam intellectus ipse sit: intellectus profecto principiorum habitus erit, &c.*

Quod etiam probatur duplici ratione, quam adducit D. Thom. ibid. lect. 20. Prima est: quia omnis scientia sit ex aliqua ratiocinatione demonstratiua: cum sit cognitio rei per causam: ergo præsupponit cognitionem ipsius causæ, seu principij: ergo per ipsam scientiam non cognoscitur principium. Secunda est: quia demonstratio non necessariò est principium demonstrationis; alioquin procederetur in infinitum. Cum igitur demonstratio scientiæ causet; sequitur, quod neque scientia possit esse principium scientiæ, ita scilicet quod principia scientiarum per scientiam cognoscantur. Hæc D. Thom.

Et tandem tertio idem conuincitur ex diuersa ratione formali, sub qua sunt assensus principiorum, & conclusionum. Quamuis enim ad assentiendum principiis prærequiratur cognitio sensus, & explicatio terminorum, ut infra constabit: hæc tamen materialiter se habent ad talem assensum; & tota ratio formalis assentiendi illis est immediata connexio prædicati cum subiecto. Sed hæc non potest esse ratio formalis assentiendi conclusionibus, ut patet; siquidem eis assentitur intellectus propter connexionem extremitatum cum medio visam in præmissis. Ergo principia, & conclusiones habent diuersam rationem formalem obiecti: & per consequens exposcunt diuersos habitus. Videantur Nauarrete, & Nazar. 1. par. quæst. 1. artic. 1. controu. 1. qui optimè dictam sententiam impugnant.


4. Circa secundam partem difficultatis, à nomine incipiendo, scientia subalternans, idem est, quod scientia sub se alteram continens, scientia verò subalternata idem, ac scientia quæ sub altera continetur. Vnde quot modis contigerit vnam scientiam sub alia collocari, tot modis dicetur subalternari illi. Tripliciter autem contingit vnam scientiam sub alia collocari, ut notat inter alios Fonseca 4. Metaph. capite 3. quæst. 2. Primò ratione finis: quando scilicet Fines vnius continetur sub fine alterius, & ordinatur ad illud. Quo sensu artes ministræ dicuntur subalternari dominis ut frænfæ-

C c 2

Æoria

storia equestri, equestris militari, & militari politici-  
cæ: quia frænum ordinatur ad rectè equitandum, re-  
ctæ equitatio ad victoriam, & hæc tranquillitatem  
Reipub. Hic tamen modus subalternationis imper-  
fectissimus est, & secundum eum melius dicitur  
vnam scientiam, aut artem deferuire alteri, quàm  
subalternari illi: & idè de illo in præsentia non agi-  
mus.

Secundo modo vna scientia collocatur sub alia  
ratione principiorum tantum: quando scilicet licet  
obiectum illius non contineatur sub obiecto alterius;  
aliqua tamen eius principia demonstrantur in alia.  
Quomodò Medicina subalternatur Geometriæ, &  
Geometria Arithmeticæ: quia quamvis corpus sa-  
nabile non contineatur sub quantitate continua, ne-  
que hæc sub numero, ut patet, tamen Geometria  
demonstrat aliqua principia  
Medicinæ, ut cernitur in  
exemplo disputatione præce-  
denti numer. 55. adducto de  
vulnere circulari: & similiter  
Arithmetica demonstrat ali-  
qua principia Geometriæ, ut  
quod diameter quadrati sit  
incommensurabilis costæ. De quo videri potest Eucli-  
des lib. 16. Elementorum, & Mas. in hoc lib. cap.  
10. scilicet 2. q. 1.



5. Cæterum hic etiam modus non pertingit ad  
propriam, & perfectam subalternationem, ut rectè  
probat Soto ibid. quæst. 5. ad confirmationem quin-  
ti argumenti. Tum quia non attenditur ex parte ob-  
iecti, à quo sumi debet tota ratio habitus. Tum etiam  
quia, ut postea videbimus, ad propriam subalternationem  
requiritur, ut vna scientia totaliter depen-  
deat ab alia in ratione scientiæ ac proinde inferior  
debet accipere à superiori omnia sua principia. Quod  
non inuenitur in præsentia ut patet: siquidem multa  
sunt principia Medicinæ, & in quibus nullatenus de-  
pendet Geometria; & multa Geometriæ quæ non  
probat ab Arithmetica. Tum denique: quia quod  
vna scientia in aliqua particulari conclusione pen-  
deat, ex aliquo principio alterius, solum arguit  
scientias inter se connexas, & se inuicem iuuare  
quæ exigentia, seu necessitas inuenitur etiam in  
scientiis perfectioribus respectu imperfectiorum.  
Verbi gratia principium est in Geometria, quod *A.*  
*quolibet puncto in punctum potest duci linea*: & tamen  
id probatur in Philosophia, quæ est scientia imperfe-  
ctior: quia duo puncta non possunt esse immediata.  
Similiter multa supponit sacra Theologia de virtuti-  
bus, & vitiis, quæ probantur in Philosophia mora-  
li: cum tamen Geometria propriè non subalternetur  
Philosophiæ naturali, & multò minùs Theologiæ  
moralis. Ergo talis dependentia, seu continua ex  
parte principiorum tantum, non constituit veram, &  
propriam subalternationem, quam in præsentia inue-  
stigamus.

6. Tertiò tandem modo: vna scientia collocatur  
sub alia ratione obiecti: quando scilicet obiectum  
vnius continetur sub obiecto alterius. Et de hac  
subalternatione loquitur Arist. cap. 10. huius libri,  
cum ait: *Huiusmodi autem sunt, quæcumque sic se ha-*  
*bent ad inuicem, quoad alteram sub altero est: ut Spec-*  
*ulatiua, ad Geometriam, & Machinatiua ad Sphærame-*  
*triam, & Harmonica, ad Arithmetica, &c.* Quæ  
verba exponens Commentator commento 30. inquit:  
*Id accidere in omnibus, quorum subiecta sunt quadam,*  
*sub quibusdam, &c.*

Hoc autem dupliciter contingit, ut notat D.  
Thom. ibidem lect. 25. Vno modo, quando obie-

ctum vnius scientiæ continetur essentialiter sub ob-  
iecto alterius: quia nimirum addit illi differentiam  
essentialem, & est species eius. Quomodò cælum,  
elementa, & animalia continentur sub corpore  
naturalis, & idè scientia de cælo, elementis, aut  
animalibus dicitur subalternari Physicæ. Et generali-  
ter omnes Scientiæ in hoc sensu dicuntur subalter-  
nari Metaphysicæ: quia sub ente, quod est obie-  
ctum eius, continentur essentialiter obiecta cætera-  
rum.

Alio modo id contingit, quando obiectum vnius  
continetur accidentaliter sub obiecto alterius: quia  
nimirum addit illi differentiam omninò acciden-  
talem, & extraneam; comparaturque ad illud, sicut  
materiale ad formale. Et hoc modo Musica su-  
balternatur Arithmeticæ: quia numerus sonorus,  
qui est obiectum Musicæ, addit supra numerum qui  
est obiectum Arithmeticæ; sonoritatem, quæ est  
differentia omninò accidentalis, & extranea. Simi-  
li modo Perspectiua, quæ agit de linea vsuali, sub-  
alternatur Geometriæ, quæ agit de linea, siquidem  
visualitas est differentia accidentalis respectu li-  
næ. Et tandem ut omittamus alia exempla Ari-  
stot. Sphærometriæ, quæ agit de figuris corpo-  
rum, subalternatur hoc modo Machinatiua, quæ  
tales figuras applicat ad ligna & alias materias, ex  
quibus conficiuntur bellica instrumenta, & ma-  
china.

7. Vbi tandem considerandum est, quod ad con-  
stituendam scientiam subalternatam hoc vltimo mo-  
do, non sufficit quæcumque differentia acciden-  
talis addita obiecto superioris. Iam enim tot essent  
scientiæ subalternatæ, quod accidentia possunt ad-  
di tali obiecto: dareturque scientia de numero colo-  
rato, aut linea frigida, &c. sicut datur de numero  
sonoro & linea visuali, quod est absurdum. Requi-  
ritur ergo, quod differentia illa accidentalis seu ma-  
teria extranea sit talis naturæ, ut ex coniunctione ad  
obiectum superioris scientiæ, habeat speciales pas-  
siones, quæ possint de ipsa demonstrari; & conse-  
quenter constituat speciale genus scibilis. Ut pa-  
ter in exemplis adductis, sonus enim sic est materia  
accidentalitatis, & extranea respectu numeri, ut tamen  
ex coniunctione ad ipsum resultent in sonis speciales  
passiones, nempe consonantiæ: quæ neque oriuntur  
à sonis secundum se, neque à numero secundum se,  
sed à numero applicato sonis, seu à sonis ut habenti-  
bus in se numerum. Propter quod numerus sonorus  
constituit speciale genus scibilis: & idem est de linea  
visuali, & aliis similibus. Sed de hoc redibit sermo  
quæstione sequenti.

His suppositis, certum est apud DD. scientias  
quæ hoc secundo modo continentur sub aliis, esse  
propriæ subalternatas. (Quamvis non sit parum dif-  
ficile: quomodo possint esse veræ scientiæ, de quo  
loco citato.) Dubitatur tamen: an etiam scientiæ,  
quarum obiecta continentur essentialiter sub obiecto  
alterius, ut sunt omnes respectu Metaphysicæ, sint  
propriè subalternatæ.

8. Partem affirmatiuam defendunt aliqui, quorum  
meminit Suarez disput. prima Metaphysicæ, sectione  
prima, numer. 45. potestque probari primò ex  
Aristot. primo Physicorum textu 8 vbi affirmat Me-  
taphysicam tanquam reginam, & dominam omnium  
scientiarum, probare earum principia; sed hoc est  
proprium subalternantis respectu subalternatæ: quan-  
doquidem hæc recipit ab illa sua principia: ergo  
Metaphysica est scientia subalternans respectu alia-  
rum.

Secundò, quia scientia subalternata absque subal-  
ternante

ternante non cognoscit perfectè suas conclusiones: sed conclusiones omnium scientiarum non cognoscuntur perfectè absque Metaphysica, quæ docet, quomodo sint entia, & bona, substantiæ, vel accidentia: ergo illæ propriè Metaphysicæ subalternantur.

Tertiò, quia omnis scientia, aut est subalternans, aut subalternata: sed Metaphysica non est subalternata respectu alicuius: ergo est subalternans respectu omnium. Minor, & consequentia constant. Maior autem probatur. Tum quia hæc videtur esse mens Aristotelis cap. 10. huius libri; ubi sicut diuidit demonstrationem in quia, & propter quid; sic diuidit scientiam in subalternatam, & subalternantem: sed illa est adæquata diuisio demonstrationis: ergo hæc scientiæ. Tum etiam quia omnis scientia, vel respicit obiectum simplex, id est, absque admixtione alicuius extranei, vel respicit obiectum complexum; seu habens se ex additione differentiarum accidentalium: sed hæc sunt rationes constitutiue scientiæ subalternantis, & subalternatæ: ergo omnis scientia, vel est subalternans, vel subalternata.

9 Nihilominus dicendum est, quodd licet scientiæ, quarum obiectum essentialiter continetur sub obiecto alterius, ut sunt ceteræ respectu Metaphysicæ possint improprie, & secundum quid appellari subalternatæ; propria tamen subalternatio solum inuenitur: quando obiectum vnius scientiæ continetur accidentaliter sub obiecto alterius, modo explicato. Hæc est sententia Aristotelis, tum cap. 7. huius libri, tum etiam verbis supra adductis ex capite 10. ut ibi explicante communiter Interpretes. Vbi idem docet D. Thom. lect. 15. & 25. quem sequuntur eius discipuli. Caietanus in hoc cap. 13. & 1. part. quæst. 1. art. 2. Banez ibidem dubio 1. Zornel quæstio 1. labelius lib. 1. Metaphysicæ quæst. 2. Arauxo ibidem quæst. 4. art. 1. Soncinas lib. 4. quæst. 9. Zanardus lib. 6. quæstion. 7. Sanchez in Logica libr. 7. quæstion. 12. Soto, & Masius ubi supra, Rubio hic tractatu de subalternatione, Suarez loco citato, & communiter Doctores.

Probatur conclusio ratione, qua vtuntur Iabellus, & plures alij Thomistæ citati. Quia illa scientia dicitur propriè, & in rigore subalternata, quæ ita intrinsecè dependet ab alia, ut si illi non subalternaretur, non esset scientia, neque haberet viam ad probandum suas conclusiones; unde etiam prouenit, quod accipiat à subalternante principia per quæ procedat ad tales conclusiones cognoscendas, ut docet D. Thom. 1. part. quæstio. 1. artic. 2. Sed hoc non inuenitur in scientia, cuius obiectum essentialiter continetur sub obiecto alterius; sed solum quando continetur accidentaliter modo explicato: ergo, &c. Maior est certa: & probatur minor: quia quando obiectum vnius scientiæ addit differentiam essentialem supra obiectum alterius, scientia inferior habet absque superiori, unde probet suas conclusiones, nempe talem differentiam, seu gradum essentialem, quia est verum principium, & proprium propter quid passionum, quæ ab illo dimanant; ita quodd si per impossibile non darentur alij gradus, adhuc ille haberet suas proprias passiones: ac proinde scientia sic inferior non accipit à superiori principia, & consequenter neque pendet in suo esse ab illa. At verò quando obiectum vnius scientiæ addit supra obiectum alterius differentiam omninò accidentalem, & extraneam; ipsum obiectum superioris pertinet ad proprium propter quid passionum, quæ in scientia inferiori demonstrantur de tali materia extranea; siquidem ab hac in tantum oriuntur illæ, in quantum ei coniungitur obiectum superioris: quod

Colleg. Compl. Logica.

si auferretur; non dimanarent tales passiones, ut supra vidimus. Ergo scientia sic inferior non habet absque superiori, unde probet suas conclusiones: & per consequens ab illa accipit principia, pendetque omninò in ratione scientiæ.

10. Secundo probatur: quia scientia propriè subalternata non subordinatur proximè, & per se haberi principiorum: sed alteri scientiæ: ergo proximè non procedit ex principiis, quæ sunt propositiones immediatæ; & per se notæ; sed mediata, & demonstrabiles in alia scientia. Sed hoc tantum contingit, quando obiectum vnius addit differentiam accidentalem: ergo tunc solum contingit propria subalternatio. Antecedens constat ex ipsa nominis significatione. Etenim illam appellamus scientiam propriè subalternatam, quæ proximè & per se subordinatur alteri; incipitque, ubi desinit illa: & cuius principia sunt conclusiones alterius. Prima etiam consequentia est manifesta: siquidem in hoc distinguitur habitus principiorum, & scientia, quodd ille versatur circa propositiones immediatas; & per se notas: hæc verò circa mediatas, & demonstrabiles, ut supra vidimus. Minor verò subsumpta probatur: quia scientia, cuius obiectum addit differentiam essentialem; per ipsum potest immediatè probare suas passiones: quæ verò addit differentiam accidentalem, necessariò assumit ut medium passiones obiecti superioris, ut patebit discurrenti per singulas: ergo in illa saltem aliqua præmissarum est propositio immediata, & per se notæ; in hac verò omnes sunt mediata, & demonstrabiles.

Confirmatur primò: quia scientia, cuius obiectum addit differentiam omninò accidentalem, pendet à superiori in ipsa ratione formali sub qua obiecti, quæ, ut infra videbimus, sunt prima principia, per quæ procedit: ac proinde illuminatur à superiori. Quod non contingit in scientia, cuius obiectum addit differentiam essentialem; siquidem hæc habet alia principia, & aliud lumen. Ergo illa est propriè subalternata, non autem ista.

Secundo confirmatur: quia scientia propriè subalternata tantum demonstrat de suo obiecto quid est; propter quid autem pertinet ad scientiam subalternantem: sed hoc tantum verificatur in scientiis, quarum obiecta addunt differentiam accidentalem: ergo, &c. Maior est expressa Aristotelis loco citato, ut supra disputatione 19. numer. 38. vidimus: satisque ex dictis constat. Minor verò patet inductione. Nam de Logica, Philosophia, Arithmetica, & aliis scientiis, quæ continentur sub Metaphysica absurdum esset dicere, quodd non demonstrant propter quid, sed tantum quia. Et tamen id necessariò asserendum est de Musica, Perspectiua, Machinatiua, & aliis huiusmodi, quarum obiecta addunt differentiam accidentalem.

Ergo quamuis aliæ scientiæ possint improprie, & secundum quid appellari subalternatæ, respectu Metaphysicæ, quatenus hæc ratione suæ perfectionis, & propter vniuersalitatem sui obiecti quodammodo continet illas: propria tamen subalternatio solum contingit, quando obiectum vnius continetur accidentaliter sub alio ut explicatum est.

11. Ad argumenta responderetur.

Ad primum, quod ut rectè explicat D. Thom. ibidem lectione 2. potius Arist. condistinguit Metaphysicam à scientia propriè subalternante. Docet enim quodd ad Philosophiam naturalem, aut aliam scientiam particularem non pertinet probare sua principia, aut soluere rationes, quæ contra illa sunt: sed id inquit pertinere, vel ad aliquam aliam scientiam particula-

C c 3

rem,

rem, si habeat subalternantem, ut principia Musicæ probantur in Arithmetica; vel ad scientiam generalem, & communem, ut principia Philosophiæ probantur in Metaphysica. Ex quo potius sequitur Metaphysicam non esse propriè subalternantem.

Ad id autem, quod contra hoc assumitur in argumento responderetur, quod diverso modo Metaphysica probat principia aliarum scientiarum, & subalternans, subalternatæ. Cum enim huius principia proxima sint conclusiones subalternantis; inde est, quod subalternans per se directè, & per propriam causam probat principia subalternatæ. Aliæ verò scientiæ intra propriam latitudinem habent principia verè immediata, & per se nota: ideo Metaphysica solum potest illa probare, quasi per accidens & indirectè; arguendo scilicet contra negantes illa ad hominem, vel per causam remotam, aut ducendo ad impossibile.

12. Ad secundam responderetur; ad perfectionem debitam cuiuscumque scientiæ inferioris non esse necessarium, ut conclusiones cognoscantur secundum omnia prædicata; sed solum quoad ea, quæ sub tali scientia cadunt: aliàs nulla esset scientia perfecta intra suam speciem. Sed dato, quod hæc esset imperfectio; adhuc nihil sequitur. Quia non quæcumque imperfectio cognitionis in conclusionibus scientiæ inferioris arguit eam esse propriè subalternatam; sed solum illa, quæ non pertingit ad cognoscendum propter quid talium conclusionum absque scientia superiori. Quam imperfectiorem non habent aliæ scientiæ respectu Metaphysicæ, ut ex dictis patet.

Ad tertium negatur maior. Ut enim bene probant Caietanus, & Arauxo & alij Thomistæ citati, diuisum huius diuisionis non est scientia in tota sua latitudine; sed scientia subalternatim posita; quæ scilicet per se, & intrinsecè respicit aliam, & petit coniungi illi: quam si contineat, est subalternans; si verò contineatur, subalternata.

Ad primam autem probationem filius maioris responderetur, ibi Aristotel. non dixisse, semper quod sunt demonstrationes quia, & propter quid, constitui scientiam subalternantem, & subalternatam; sed quod aliquando quia, & propter quid pertinent ad tales scientias. Ex quo nihil sequitur contra nos.

Ad secundam probationem negatur minor, quoad primam partem. Nam respicere obiectum simplex præcisè, non est ratio constitutiva scientiæ subalternantis; sed respicere obiectum simplex subalternatim se habens ad aliud, ut explicatum est.

14. ¶ Ex dictis perspicuè remanent conditiones propriæ subalternationis, quas ex B. Alberto c. 13. huius lib. tradit ibid. Caiet. & admittunt communiter Doctores, quas ad calcem huius difficultatis colligere, expediens iudicauimus.

Prima est, quod obiectum subalternatæ contrahat obiectum subalternantis, & se habeat ex additione ad illud: Defectu cuius Medicina propriè non subalternatur, Geometriæ, neque hæc Philosophiæ.

Secunda, quod addat illi differentiam accidentalem: Defectu cuius ceteræ scientiæ non subalternantur Metaphysicæ, neque scientia, de specie, scientiæ de genere: imò ferè semper eadem est scientia de utroque.

Tertia, quod talis differentia non sit propria passio. Nam quamuis hæc sit differentia quodammodo accidentalis, non tamen est omnino extra essentiam, neque purè accidentalis: & ideo non pertinet ad distinctam scientiam, ac subiectum cuius est passio, quod necessarium est ad propriam subalternationem.

Quarta, quod talis differentia accidentalis, seu materia extranea non sit quæcumque, sed solum ea, in qua ex coniunctione ad obiectum superioris oriuntur speciales passionibus ab ipsa demonstrabiles: Defectu cuius non datur scientia de numero colorato, aut linea calida.

Et tandem quinta, quod principia subalternatæ probentur in subalternante à priori, & per propriam causam: & per consequens sint conclusiones eius.

## QVÆSTIO II.

*An & quomodo cum subalternatione explicata sit subalternata verè esse scientiam.*

14. **V**aldè difficilis est in hac materia quæstio ista: non quia de ea Authores dissentiant: sed propter aliqua argumenta, in quibus soluendis nimis laborant. Et ideo oportet ea adducere.

Probat ergo primò scientiam sic subalternatam, non posse esse verè scientiam: quia si obiectum scientiæ subalternatæ addit differentiam omnino accidentalem & extraneam supra obiectum subalternantis: ergo integrum obiectum scientiæ subalternatæ est ens per accidens: ergo de illo non potest esse vera scientia.

Prima consequentia videtur nota: quia obiectum scientiæ superioris, & talis materia extranea sunt plura entia in actu, & res diuersorum prædicamentorum, ut patet in numero sonoro, linea visuali, & similibus: ergo ex illis non potest fieri vnum per se, sed ens per accidens.

Secunda etiam consequentia patet: quia de ente per accidens non potest esse scientia, ut docent, & probant latè Arist. 6. Metaph. c. 2. & D. Tho. ibidem lectione. 2.

15. Secundò, quia si scientia subalternata applicat obiectum, & principia subalternantis ad materiam extraneam; altera præmissarum necessariò erit contingens; & talis syllogismus descendet ab vno genere in aliud, sed hoc repugnat veræ demonstrationi & scientiæ: ergo cum tali modo subalternationis non stat subalternata esse veram scientiam. Consequentia est euidentis. Minorem verò docet expressè Arist. in hoc lib. c. 7. & satis ex dictis constat.

Sequela autem probatur: quia subalternata non potest applicare principia subalternantis ad materiam extraneam; nisi sumendo pro medio obiectum, aut passiones scientiæ subalternantis: ergo tale obiectum, aut passiones iunguntur in aliqua præmissarum cum illa materia extranea, & per consequens efficiunt propositionem contingentem. Ut patet in hoc syllogismo Musicæ: *Vbi est proportio sesquioctaua, datur consonantia: sed sonus habet proportionem sesquioctauam: ergo sonus habet consonantiam*: vbi minor propositio videtur planè contingens; siquidem in ea medium, scilicet proportio sesquioctaua, quæ est passio quantitatis, applicatur tono, qui est materia extranea; cum sit in prædicamento qualitatis: ergo talis syllogismus non est in rigore demonstratio, neque Musica vera scientia.

Confirmatur, quia ideo Logica vtens prout sic, non est scientia. neque syllogismi eius demonstrationes: quia ex principiis secundarum intentionem descendit ad entia realia; quæ sunt materia omnino extranea; & per consequens altera præmissarum est contingens, ut diximus sup. disp. 1. n. 42. & constat in

in hoc syllogismo : *Genus prædicatur de pluribus differentiis specie: animal est genus: ergo animal prædicatur, &c.* Vbi minor est propositio contingens: quia secunda intentione, quæ est medium, applicatur animali, quod est materia extranea; & ita fit descensus ex vno genere entis in aliud, quod omnino repugnat demonstrationi. Sed hoc idem contingit in Musica, & aliis similibus; si semel admittitur talis modus subalternationis. Ergo cum illa non fiat subalternata esse veram scientiam.

16 Nihilominus dicendum est, cum tali modo subalternationis & conditionibus eius stare, quod subalternatae sint veræ scientiæ. In hac conclusione conveniunt omnes Dialectici cum Arist. c. cit. vbi postquam vniuersaliter docuit demonstrationem non posse ab vno genere in aliud descendere, illis verbis: *Non igitur fieri potest, ut ex alio genere quisquam in aliud transiens, quiddam demonstret, veluti conclusionem Geometricam, Arithmetica demonstratione, &c.* subiungit: *Hoc autem, ut in quibusdam fieri potest, posterius explicabitur.* Quod post pauca explicat de Musica, Perspectiva, & aliis huiusmodi scientiis subalternatis: de quibus, inquit, non omnino transire de vno genere in aliud, sed aliqua ex parte, ut infra explicabimus.

Probat breuiter concl. quia tunc scire arbitramur vnamquamque rem cum putamus causam cognoscere, ob quam res est, illius causam esse, neque posse eam aliter se habere, ut patet ex c. 2. huius lib. Sed quando in perspectiva, ex hoc principio Geometriæ, quod *linea ducta ab eadem basi ad punctum distantius causant minorem angulum.* concludamus res à longe visas apparere minores, cognoscimus hanc esse propriam causam talis concl. neque posse eam aliter se habere. Et idem est, quando in Musica ex Principiis Arith. concludimus numerum sonorum causare consonantiam, & sic de aliis. Ergo verè scimus in huiusmodi subalternatis: & per consequens sunt verè scientiæ. Quod amplius constabit ex solutione argumentorum.

17 Ad primum aliqui Antiqui, quos refert Soncin. 4 Metaph. quæstione 9. & sequitur Mas. in hoc lib. c. 10. sect. 2. quæst. 2. respondent obiectum scientiæ subalternatæ, ut numerum sonorum, aut lineam visuale, esse quidem ens per accidens in genere; sed in genere scibilis esse vnum per se; & hoc sufficere, ut de illo sit vera scientia.

Hæc tamen solutio est omnino falsa, & contra Arist. loco citato in argumento, vbi entia per accidens omnino reiecit à scientiis dicens: *Cum itaque ens multipliciter dicatur, primum de eo, quod secundum accidens est, dicendum quod nulli circa illud speculatio est. Signum autem, quod nulla scientia cura est illud, neque actiua, neque speculatiua, &c.*

Quod etiam ratione conuincitur: quia id, quod est obiectum alicuius scientiæ, debet definiri, & habere proprias passiones, quæ demonstrentur in tali scientia: sed quod est vnum per accidens in genere rei, non potest definiri, neque habere passiones, quæ de illo demonstrentur: ut porè quod non habet unicam essentiam, à qua dimanent, ut ostendimus sup. disp. 13. n. 38. ergo non potest esse obiectum scientiæ.

Secundò, quia omnino repugnat id, quod in genere rei est ens per accidens, esse vnum per se in genere scibilis: ergo falsum supponit dicta solutio.

Probatur antecedens: tum quia genus scibilis fundatur supra genus rei: solumque addit supra illud habitudinem quandam, & ordinem ad principia, per quæ passiones eius cognoscuntur: ut infra constabit: ergo ens non habens per se passiones ipso demonstrabiles, non potest esse per se scibile: tum

etiam quia si semel admittitur id, quod in genere rei est ens per accidens, posse esse vnum per se in genere scibilis; iam quælibet differentia accidentalis addita obiecto scientiæ subalternantis, constitueret obiectum per se scibile à subalternata: dabiturque scientia de numero colorato, aut linea calida; sicut datur de numero sonoro, aut linea visuali, quod est absurdum.

Respondet ex coniunctione sonori ad numerum, aut visualis ad lineam, oriri speciales passiones: quod non contingit in numero colorato, aut linea calida; & sic non esse eandem rationem.

¶ Sed contra est, quia hæc solutio planè destruit seipsam. Nam differentia ista non potest aliunde provenire, nisi ex eo, quod inter sonorum, & numerum, aut visuale, & lineam sit specialis aliqua connexio, ratione cuius coeant in vnam rationem per se, ad quam sequantur tales passiones, & propter cuius defectum similes passiones non consequuntur ad numerum coloratum aut lineam calidam. Ergo iam tenetur concedere, obiectum scientiæ subalternatæ esse vnum per se in genere entis, cuius contrarium contendit hæc solutio.

18. ¶ Secundò ad argumentum respondet Soncin. vbi supra, obiectum scientiæ subalternatæ esse vnum per se in genere entis. Quia quamvis differentia, quam addit supra obiectum superioris, non sit essentialis; non est tamen omnino accidentalis; sed propria passio eius. Et hanc ratione ex utroque fieri vnum per se.

Sed hæc etiam solutio falso nritur fundamento, & optimè reiecit à Caietano c. 23. citato. Tum quia iam non distingueretur scientia subalternans, & subalternata: siquidem ad eandem scientiam pertinet, agere de subiecto, & de propria passione. Tum etiam, quia numerus aut linea secundum se, abstrahunt à materia sensibili: ergo sonorum, aut visuale non possunt esse passiones eorum. Tum denique adhuc secundum istam solutionem non saluatur, obiectum subalternatæ esse vnum per se. Nam ex subiecto & propria passione fit vnum per accidens, non minùs ex subiecto, & accidenti communi: siquidem *homo risibilis* ita constabit rebus diuersorum prædicamentorum, sicut, *homo albus*.

19. ¶ His ergo, & aliis scientiis relictis: tertia & vera solutio est, quam tradunt Caiet. loco cit. Sanchez lib. 7. Logicæ qu. 18. Arauxo lib. 1: Metaph. qu. 4. art. 1. Zanardus lib. 6. qu. 7. Rubio hic tractatu de subalternatione 27. & communiter Doctores, asserentes, quod licet differentia, quam addit scientia subalternata supra obiectum subalternantis, sit accidentalis & extranea, adhuc tamen obiectum subalternatæ est vnum per se.

Pro cuius explicatione primò ut certum statendum est, obiectum subalternatæ, neque esse solum obiectum subalternantis; neque solam differentiam accidentalem, quæ additur; sed vtrumque simul: v. g. obiectum Musicæ, neque est numerus tantum, neque tantum sonorum; sed tantum hoc simul, scilicet numerus sonorus.

Cuius ratio est manifesta, quia numerus solum est obiectum Arithmeticæ: sonorum etiam seorsim sumptum pertinet ad Philosophiam: inter has autem scientias Musica est media, & ab utraque distincta: ergo neutrum solum, sed vtrumque simul considerat ut proprium obiectum. Quo supposito, duo restant explicanda. Alterum est, quo pacto vtrumque istud consideretur in Musica. Alterum verò quo pacto ex utroque fiat vnum per se. Pro quo.

20. Secundò notandum est, quadrupliciter posse excogitari, quod Musica consideret totum hoc, quod est numerus sonorus.



*Primò*, ita ut utrumque quasi in recto secundum suas proprias rationes formales pertineant ad istam scientiam. Et hoc non potest esse: tum quia sic efficiunt unum per accidens, ut patet: tum etiam, quia secundum tales rationes formales sunt scibilia à duobus scientiis; ergo prout sic non possunt ad tertiam aliam pertinere.

*Secundò*, ita quod unum eorum sit obiectum formale, & per se; alterum materiale, & per accidens: sicut respectu sensuum se habent sensibile proprium & per accidens: ut album, & homo respectu visus. Et neque hoc etiam dici potest, Quia utrumque istud, scilicet numerus sonorus, per se consideratur in Musica: siquidem passionem, quas demonstrat utriusque per se conveniunt. Non enim numerus secundum se, aut sonus secundum se, habent consonantiam; sed numerus, ut est in sonis, vel sonus ut habet numeros.

*Tertiò*, modo potest intelligi, quod utrumque istud consideretur in Musica, non secundum proprias rationes, sed secundum aliquod tertium compositum resultans ex ipsis. Et neque hoc etiam dici potest: tum quia illud tertium resultans esset unum per accidens: tum etiam quia iam non verificaretur Musicam considerare utrumque; sed illud tertium quod resultat: tum denique quia in entibus per accidens, compositum non est aliquid præter suas partes ut ex Aristot. docet D. Thom. 7. Metaph. sectione. 17.

*Quartò*, ergo modo potest, & debet intelligi; Musicam considerare utrumque istud, scilicet numerum sonorum, non secundum suas proprias rationes quasi in recto, sed secundum quod unum intrat in rationem alterius, & est principium eius. Pro cuius intelligentia.

1. Tertiò notandum est, sonorum posse dupliciter considerari. Vno modo secundum se, prout est obiectum auditus, & solum dicit, quod causetur in aëre ex percussione corporum. Et hac ratione non spectat ad Musicam, sed ad Philosophiam. Secundo modo sumitur, ut dicit concentum & harmoniam. Et sic pertinet ad obiectum Musica: includitque quandam correspondentiam ortam ex eo, quod sonus fiat cum proportionem, & numero. Vnde etiam sic numerum posse dupliciter considerari. Vno modo secundum se: & sic est obiectum Arithmetice. Alio modo, ut est principium illius concentus, seu harmonie, quæ fit in sonis: & hoc modo pertinet ad Musicam.

Ex quo iam facile intelligitur: quomodo utrumque istud consideretur in Musica. Consideratur enim quasi in recto sonorum, ut dicit concentum & harmoniam: & consideratur quasi in obliquo numerus, secundum quod est principium talis concentus: & sic per se consideratur utrumque. Idem dicendum, est in obiecto Perspectivæ. Nam visuale secundum se, pertinet ad Philosophiam: & linea secundum se, ad Geometriam: sed visuale, secundum quod fit per angulos, est obiectum Perspectivæ. Et sic linea includitur in hoc obiecto ut principium angulorum.

2. Per quod etiam explicatur secundum: quod proposuimus: quomodo scilicet efficiant unum per se. Dicimus enim, quod sicut linea, & superficies, quamvis secundum se sint duo entia in actu, utpote duæ species quantitatibus; nihilominus tamen si linea si consideretur, non ut est divisibilis secundum propriam dimensionem, sed secundum quod est principium latitudinis, facit cum illa unum per se; quia superficies est latitudo terminata lineis: sic in presenti; quamvis numerus secundum se sumptus, non faciat unum per se cum sonoro; tamen numerus, ut

est principium sonori, & sonorum prout terminatur numero, constituit unum per se. Et idem est de linea visuali.

Ratio autem utriusque est: quia sicut linea non pertinet in recto ad rationem superficiem; sed tanquam principium per quod essentialiter definitur: sic numerus non includitur in recto in ratione sonori, neque linea in ratione visuali; sed tanquam principia per quæ essentialiter definiuntur.

Si autem quæras, supposito quod obiectum hoc scientiæ subalternatæ est unum per se, in quo predicamento est collocandum? Respondetur numerum sonorum, prout est obiectum Musicae, esse in genere qualitatis. & in tertia specie: & idem esse de obiecto Perspectivæ: quia adhuc, prout sic sunt obiecta auditus & visus.

¶ Si verò dicas numerum includi in obiecto Musicae, qui tamen non potest pertinere ad predicamentum qualitatis. Respondetur, quod quamvis numerus secundum se, sit quantitas; tamen prout est principium sonori, est reductivè in predicamento qualitatis: quemadmodum linea, ut principium superficiem est reductivè in specie superficiem, & prout est pars trianguli est reductivè in genere qualitatis, & in quarta specie figuræ.

23. Per quæ tandem explicata remanet tertia solutio supra posita, propter quæ hæc omnia adducta sunt. Simul enim est verum, differentiam, quam addidit scientia subalternata supra obiectum subalternantis esse omnino accidentalem, & extraneam illi; siquidem ad rationem numeri, aut lineæ omnino per accidens se habet ratio sonori, aut visuali; utpote quæ secundum se sunt accidentia communia alterius predicamenti: & tamen ambo efficere unum per se modo explicato, siquidem è contra sonorum, & visuale, ut considerantur à Musica, & Perspectiva, per se dependent à numero, & linea tanquam à principiis, per quæ definiuntur.

Per quod denique intelligitur: quare sonorum additum numero faciat obiectum scientiæ subalternatæ non verò coloratum, aut alia differentia accidentalis. Quia nimirum numerus est per se principium sonori, sonorum per se dependet à numero: quod non invenitur in aliis accidentibus. In quibus tamen non contingerit, constitueretur verum obiectum scientiæ subalternatæ, ut patet in obiectis Perspectivæ, Machinativæ, Astrologiæ, & aliarum similium.

24. Ad secundum argumentum neganda est sequela. Ad cuius probationem responderetur scientiam subalternatam non applicare obiectum subalternantis ad quamcumque materiam accidentalem; sed ad eam, quæ per se dependet à tali obiecto tanquam à principio per quod definitur, ut dictum est. Quare sicut linea, ut est principium superficiem, ponitur in obliquo in definitione essentiali eius: superficies enim est quantitas continuata lineis, & propterea talis prædicatio reducitur ad primum modum dicendi per se, & consequenter est necessaria: sic numerus, ut est principium sonori, & similiter proportionem, ut sunt principia consonantiarum, ponuntur in definitionibus earum ac proinde non contingenter, sed necessariò prædicantur de illis. Neque in similibus syllogismis propriè & simpliciter fit descensus ab uno genere in aliud; siquidem omnes termini, qui in recto ponuntur in eius, sunt eiusdem predicamenti.

Fit tamen descensus secundum quid, & ex parte, ut inquit Arist. c. 7. citato: quia numerus ipse & proportionem, quæ ponuntur in aliquo sunt secundum esse alterius predicamenti.

Per

Per quod tandem resp. ad confirmationem negando minorem. Et ratio disparitatis est: quia secundum intentiones, ex quibus Logica utens procedit, nullo modo ponuntur in definitionibus entium realium; neque hæc per se pender ab illis: numerus verò aut linea, ponuntur in definitionibus sonori aut visualis: & per se prædicantur de eis Propter quod in syllogismis Logicæ utentis aliqua præmissarum est contingens: fietque propriè descensus ab vno genere in aliud: non verò in syllogismis Musicæ aut Perspectivæ, ut explicatum est.

### QVÆSTIO III.

*An scientia subalternata sit verè scientia in eo, qui non habet subalternantem.*

25. **S**Vpposito, quòd cum subalternatione explicata stat subalternatam secundum se esse veram scientiam: certum est id maximè habere locum, quando simul cum illa inuenitur scientia subalternans; ut quando habens Musicam, habet etiam Arithmeticam, Tunc enim Musicus certò & euidenter cognoscit principia & conclusiones, scitque has resolvere in illa: & per consequens nihil deficit, ut Musica sit verè & perfectè scientia.

Vnde solùm est difficultas in eo, qui non habet scientiam subalternantem: an scilicet Musicus non habens Arithmeticam, sed procedens ex principiis eius per fidem à Magistro acceptis, habeat veram scientiam Musicæ.

Partem negatiuam defendunt Soncin. 2. Metaph. q. 6. Suarez disp. 1. sect. 5. Vazq. 1. p. 4. c. 5. & 6. Valentia ibid. disp. 1. qu. 1. puncto 3. Raphaël de Aversa hic q. 27. sect. 6. & alij moderni,

Probatur primò hæc sententia ex Aristot. capite. 2. huius libri, ubi reddens rationem, quare demonstratio debeat procedere ex primis & immediatis, inquit: *Quia non sciet non habens demonstrationem ipsorum. Scire enim non per accidens ea, quorum est demonstratio, nihil aliud est sane, quam demonstrationem habere.* Quorum verborum sensus est, ut explicat D. Thomas, quòd non contingit aliquem habere scientiam, nisi habeat demonstrationem eorum, quorum potest esse demonstratio: quia aliàs non posset resolvere conclusiones vsque ad prima principia. Qui enim procedit ex præmissis mediatis, & demonstrabilibus (inquit D. Thomas) si non habet demonstrationem illarum, non sciet præmissas, & ex consequenti neque conclusionem propter præmissas. Sed carens scientia subalternante non scit per demonstrationem præmissas subalternatè; neque potest illas resolvere vsque ad prima principia, ut patet. Ergo non habet veram scientiam.

Secundò patet ex eodem D. Thom. quæst. 14. de Veritate, artic. 9. ubi sic ait: *Quaecumque sciuntur (propriè accepta scientia) cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quæ per se præsto sunt intellectui: & sic omnis scientia in visione rei præsentis perficitur. Vnde impossibile est, quòd de eodem sis fides & scientia.* Et in 3. distinct. 33. qu. 1. art. 2. quæstiuncula 4. *Si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita; non esset eiusdem speciei cum aliis scientiis neque uniuocè scientia diceretur.* Ergo sentit D. Th. ad veram rationem scientiæ necessarium esse, ut ei, qui utitur demonstratione, principia sint euidenter nota, & non solùm fide credita.

36. Tertio probatur ratione: quia euidentia conclusionis est de ratione intrinsecæ scientiæ saltem na-

turalis: sed ex principiis acceptis per solam fidem à Magistro, non potest haberi cognitio euidentis conclusionis: ergo neque verà scientia. Maior constat ex ipsa definitione scientiæ, quæ est habitus certus & euidentis per demonstrationem acquisitus. Minor verè probatur: quia totus ille discursus fundatur in humana fide Magistri, sed hæc non facit euidentiam principiorum, ut patet: ergo neque ex ea potest haberi euidentia conclusionis.

Confirmatur, quia de ratione scientiæ est, quòd sit virtus intellectualis, ut patet 6. Ethic. & consequenter, quòd sit dispositio perfecti ad optimum actum, quæ definitio virtutis ex 7. Physic. adducta à D. Tho. 1. 2. quæstione 71. art. 1. sed habitus, qui non potest prodire in assensum euidentem conclusionis non est virtus intellectualis: ergo neque erit scientia.

Maior constat, & probatur minor. Quia optima dispositio intellectus circa conclusionem est illa, quæ proximè disponit ipsum ad euidentem assensum, qui est optimus illius actus: ergo habitus, qui non potest in talem assensum prodire, non est virtus intellectualis.

Quartò, quia saltem certitudo est aded intrinseca assensui scientifico, ut absque illa nullo modo possit consistere vera ratio scientiæ, etiam sub ratione dispositionis quantumvis imperfectæ; sed assentiens conclusionibus Musicæ ex principiis per fidem à Magistro acceptis non habet certitudinem earum: ergo neque veram scientiam.

Maior ex se patet: nam per certitudinem distinguitur scientia ab opinione, & fide humana. Minor verò probatur, quia in demonstratione tota certitudo conclusionis pender ex certitudine præmissarum; non secus ac veritas, aut necessitas conclusionis sumitur ex veritate, vel necessitate præmissarum. Sed qui per solam fidem Magistri assentitur præmissis Musicæ, non habet certitudinem earum: cum fides humana sit fallibilis. Ergo inde non potest deriuari certitudo ad assensum conclusionis.

27. Nihilominus dicendum est, quòd in absentia scientiæ subalternantis potest acquiri subalternata, & quæ sit verè & substantialiter scientia: non tamen habebit perfectionem, & statum scientiæ; vsque dum actu coniungatur illi, sicut supra disp. 18. num. 53. diximus de scientia, quæ acquiritur per demonstrationem *quia*. Sic docent Caiet. cap. 13. huius lib. & 1. p. q. 1. art. 2. Nazar. ibidem controuersia 1. Zumel. q. 2. Nauarrete controuersia 4. Arauxo lib. 1. Metaph. q. 69. art. 6. & q. 4. artic. 3. Flandria ibidem q. 8. art. 4. & lib. 4. q. 1. art. 1. Zanad. lib. 6. q. 7. Soto hic q. 5. Sanchez lib. 7. qu. 12. & communiter Thomistæ. Estque sententia ita aperta D. Thom. ut meritò dicat Arauxo cæcos esse aliquos eius discipulos qui id non vident.

Probatur primò ex prima parte q. 1. art. 1. ubi Angelicus Doctor statuit Theologiam nostram esse veram scientiam simili modo ac Musica, & aliæ scientiæ subalternatæ & conclusit. *Vnde sicut Musica credit principia sibi tradita ad Arithmeticam: ita doctrina sacra credit principia reuelata sibi à Deo.* Quorum verborum planus sensus est; quòd sicut ratio scientiæ in Musica saluatur cum sola fide principiorum Arithmeticæ: sic Theologia potest esse vera scientia, quamuis solum habeat fidem suorum principiorum: neque aliter esset alicuius momenti ratio D. Thom. ut consideranti patebit. Videatur opusc. 70. quæst. 2. artic. 2. ad quintum, & septimum, ubi expressè affirmat in scientiis subalternatis aliquando fidem esse proximum principium scientiæ.

Idem expressius docet quæstione 14. de veritate articulo 9. ad tertium his verbis: *Ille qui habet scientiam*

*scientiam subalternatam, non perfectè attingit ad rationem sciendi, nisi in quantum eius cognitio continuatur quodammodo cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem. Nihilominus tamen inferior sciens non dicitur de his, quæ supponit, habere scientiam, sed de conclusionibus, quæ ex principiis suppositis de necessitate concluduntur. Et sic fidelis potest dici habere scientiam de his, quæ concluduntur ex articulis fidei. Ergo ex sententia Divi Thomæ poterit quis imperfectè habere scientiam subalternatam; etiam si actu non habeat subalternantem, sed solum credat principia in illa demonstrata.*

28 Ut autem ratione proberetur conclusio, notandum est cum auctoribus citatis, quod non sufficit quocumque modo credere principia, quæ demonstrantur in scientia subalternante; sed debent credi absque ulla hæsitatione: aliter enim non acquireretur scientia, sed opinio. Credimus autem fide humana sine hæsitatione, ut bene notat Sanchez, quando habemus quandam quasi evidentiam, quæ solet appellari, in attestante, sicut sine hæsitatione credimus esse Romam, aut Indos: quia tot asserentibus, veluti in attestantibus habemus evidentiam. Et per hunc modum credit Musicus sua principia: tum quia in eis non convenirent Arithmetici; nisi essent demonstrata: tum etiam quia Musicus ex multis aliis capitibus colligit, Arithmeticum habere veram scientiam talium principiorum. Ac proinde habet eorum quandam quasi evidentiam Magistro attestante.

Quod etiam explicat rectè Nazarius vni supra ex eo, quod talis fides simpliciter non est humana: quia non est in ordine ad hominem, ut homo est, sed ut scientificus est. Credit enim Musicus Arithmetico, non ut homo est; sed ut Arithmeticus est: & idèd habet firmitatem, quæ habitui scientifico inde deducendo sufficiat. Maxime cum talis habitus sit valdè imperfectus: & dicta fides non concurrat ad illum, quasi in virtute propria; sed in virtute scientiæ subalternantis: hæc enim est per se habitus principiorum subalternatæ: fides verè non nisi per accidens, & loco eius; ad eum modum, quo in Theologia fides divina substituitur loco luminis gloriæ, quod est proprius, & per se habitus principiorum eius, ut docent Caiet. & alij Thomistæ.

29 Modò facile probatur conclusio: quia ratio substantialis scientiæ per se primò solum attenditur penes certitudinem, qua intellectus adhæret scibili: neque requiritur, quod actu habeat eius evidentiam; dummodo ex natura sua postulet illam; & habeat, quando est in statu perfectò. Sed totum hoc habet scientia subalternata in absentia subalternantis cum humana fide principiorum explicata. Ergo in illa saluabitur substantialis ratio scientiæ. Maior præterquam quod constat in Theologia nostra, in qua cum sola certitudine absque actuali evidentia saluatur ratio scientiæ iuxta communiorum Theologorum sententiam; probatur latè à Navarrete vbi supra, & Gonzalez eadem prima parte, quæstione primò, articulo secundo, disputatione prima, conclusione tertia. Potestque sic explicari, quia perfectio substantialis intellectus, & habituum eius sumitur per ordinem ad verum sub ratione veri: ac proinde consecutio ipsius veri, seu firma adhæsiō intellectus ad ipsum, in qua consistit certitudo, est quasi finis quo intellectus, & habitus eius. At verò claritas, seu evidentia non est, quod ultimò, & principaliter intendunt intellectus, & habitus eius; sed potius illam exigunt, ut quid alteri deferuiens; quatenus scilicet obiectum sub claritate est melius dispositum ad causandum in intellectu firmitatem, &

certiorem assensum veritatum. Ergo certitudo, & non claritas pertinet per se primò ad perfectionem substantialem assensus scientifici. Minor verò probatur: quia fides humana potest pertingere ad certitudinem, quæ excludat omnem hæsitationem, ut patet in eo, qui credit Romam esse. Quod etiam contingit in nostro casu: siquidem Musicus credit Arithmetico, non utcumque, sed ut scientificus est: cum quo quodammodo continuatur media tali fide. Ergo illa habet sufficientem certitudinem ad eliciendum imperfectum assensum scientificum.

30 Confirmatur primò: quia Musicæ, aut cuiuscumque alteri scientiæ subalternatæ ex se, & specie sua conformis est claritas, seu evidentia suorum assensuum, eamque exposcunt in statu perfectò, quem possunt habere, & dum non coniunguntur subalternantibus, sunt in potentia ad illam obtinendam. Ergo etiam si actu non habeant talem evidentiam; adhuc erunt substantialiter scientiæ. Probatur consequentia: quia ratio scientiæ, sicut, & cuiuscumque alterius virtutis, non sumitur ex actu, quem habet secundum statum imperfectionis, sed ex illo, ad quem ex natura sua inclinatur. At scientia subalternata, etiam quando est sine subalternante ex natura sua inclinatur ad assensum evidentem. Ergo etiam si pro illo statui imperfectionis non possit eum elicere adhuc erit substantialiter scientia. Videatur pro hac ratione Navarrete loco citato.

Confirmatur secundò: quia assensus scientiæ subalternatæ per se, & ex specie sua petit procedere tanquam à connaturali, & proprio habitu principiorum à scientia subalternante: quando verò procedit à fide, est quasi per accidens ob defectum subalternantis, cuius loco substituitur, & in cuius virtute operatur ipsa fides. Ergo quamvis assensus procedens ab ea per se participet certitudinem; non tamen per se participat obscuritatem sibi annexam: ac proinde in tali assensu nihil est, quod rationi scientiæ repugnet. Antecedens constat ex dictis. Consequentia verò probatur: quia dicta fides non substituitur loco scientiæ subalternantis, neque agit in virtute eius ratione obscuritatis, ut patet; sed ratione certitudinis explicatæ, media qua quodammodò continuatur illi: ergo non influit in assensum obscuritatem; sed certitudinem.

31. Ad argumenta. Ad primum ex Aristotele respondetur primò, quod ut supra disputatione 18. numero 30. vidimus, ibi agit Aristoteles de demonstratione, propter quid: per quam generatur scientia habens perfectionem, & statum scientiæ. Quod faremur non posse habere subalternatam sine subalternante: quia ad hanc pertinet propter quid illius: hoc tamen non obstat, quominus possit secundum esse imperfectum generari; licet actu non habeatur demonstratio principiorum, ut explicatum est.

Secundò respondetur, ibi Aristotelem satis se explicuisse, dum addit illam limitationem non per accidens. Cuius sensus, ut rectè exponit Divus Thomas est, quod per se loquendo, non contingit aliquid habere scientiam, nisi habeat demonstrationem principiorum, quorum potest esse demonstratio, per accidens tamen id potest contingere, si alia via cerèd cognoscat illa. Verba D. Thom. in explicacione illius particulæ sunt: *Hoc idèd dicit, quia possibile esset scire aliquam conclusionem, non habens demonstrationem præmissarum, etiam si essent demonstrabilia: quia sciret eis per alia principia. Sed hoc esset secundum accidens, &c.* Et hoc contingit in præsentia: nam conclusio scientiæ subalternatæ per se petit procedere à subalternante; per accidens autem

autem procedit à fide ; vt ex dictis patet..

32. Ad secundum ex auctoritatibus Diui Thomæ responderetur. Ad primam , quod ibi Sanctus Doctor , vt probet esse impossibile : de eodem habere simul fidem , & scientiam , assignat illarum differentiam ex his, quæ per se, & ex natura vtrique conueniunt. Nam fidem ex sua specie inclinât ad assensum obscurum ; scientia verò ad assensum clarum, & ad resolutionem in principia euidenter cognita. Et idè addit, quod scientia in visione rei præsentis perficitur : quod non conuenit fidei , quæ posius in visione rei præsentis destruitur. Quæ omnia verissima sunt : sed cum illis stat scientiam , quamdiu est in statu imperfecto actu non assequi talem claritatem, seu visionem rei præsentis. Quod eisdem verbis indicauit Diuus Thomas , dum asserit scientiam in visione rei præsentis perfici, planè supponens, ante talem visionem esse quidem , sed imperfectam,

Ad secundam auctoritatem responderetur , quod ibi D. Thom. probat virtutes infusas , & acquisitas differre specie. Ad quod adducit exemplum in scientiis, ex quibus si aliqua non potest reduci ad principia, quæ sint naturaliter cognita ; erit specie diuersa ab aliis scientiis naturalibus. Quod quidem verum est : & inde nos quæstione quinta ostendemus sacram Theologiam genere subalterno differre ab aliis scientiis. Et hoc intendit Diuus Thomas addens : *Neque vniuocè scientia diceretur.* Quorum verborum sensus, non est , quem adducit Nazarius vbi supra conclusione tertia, quod scilicet Theologia nostra analogicè tantum conueniat, cum aliis in ratione scientiæ. Si enim ipsa est verè ; & substantialiter scientia vt supponimus : nulla potest esse ratio ad negandam conuenientiam vniuocam inter illas. Solum ergo intendit D. Thom. in prædictis verbis ; vt explicant Arauxo vbi supra, & alij Thomistæ, Theologiam non esse eiusdem rationis vt eiusdem generis proximi cum scientiis naturalibus ; vt pote, quæ habet excellentiorem modum procedendi . & ex alterioribus principiis nempe ex reuelatis à Deo , in quibus fundatur omnimoda certitudo suorum assensuum , in qua longè superat alias scientias naturales. ¶ Nisi mauis dicere , D. Thom. loqui de scientia quoad statum ; quod scilicet scientia actu non habens euidentiam , non dicitur vniuocè scientia quantum ad statum , & perfectum esse , quamuis quoad substantiam vniuocè participet rationem scientiæ. Videatur Arauxo loco citato.

33. Ad tertium neganda est maior, si sermo sit de euidentia actuali , & propria ex parte subiecti, quam habet scientia in statu perfecto. Quia , vt supra vidimus , sine hac potest benè saluari ratio scientiæ in subalternatis cum sola certitudine, & euidentia radicali, quam habent ex eo quod per se petunt continuari cum subalternantibus. Vnde ad probationem dicimus, quod si definitio scientiæ sumatur vniuersaliter, vt comprehendit omnes secundum quencumque statum , in quo possunt esse ; tunc illa particula, *euidens*, intelligenda est de euidentia radicali explicata. Quod si explicetur de euidentia actuali ; tunc definitur scientia , non quomodocumque ; sed secundum perfectionem , & statum scientiæ.

Ad confirmationem similiter responderetur, quod scientia non habens perfectionem , & statum scientiæ, sicut non tam dicitur habitus , quam dispositio sit, non tam dicitur virtus intellectualis, quam inclinatio quædam virtutis. Quia quamuis sit substantialiter virtus ; deficit tamen illi status, & perfectio virtutis. Et idè non est necessarium , vt dum est sub tali imperfectione sit proximè potens elicere optimum actum : sed satis est , si illum ex natura sua

possit elicere, & de facto eliciat ; quando ad statum virtutis , seu ad suæ subalternantis coniunctionem peruenerit. Videatur Arauxo vbi supra.

Ad quartum neganda est minor. Ad cuius probationem responderetur ex dictis, quod fides principiorum quam dicimus sufficere in musico ad eliciendum assensum scientificum , non est quæcumque, sed quæ excludit omnem hæitationem , ex eo quod habet quamdam quasi euidentiam in attestante. Propter quod etiam simpliciter non est dicenda humana , vt vidimus ; sed habet sufficientem certitudinem , vt in virtute Arithmetice, cui quodammodò continuatur ; eliciat imperfectum assensum scientificum.

## QVÆSTIO IV.

*Quam unitatem habeat vnaquæque scientia, & vnde illa sit desumenda.*

34. Quæstionem aggredimur inter difficiles, nostro iudicio difficillimam. In qua nobiliores Metaphysici post assiduam meditationem, longumque laborem , nihil tamen vndequaque satisfaciens inuenisse se putant. Statuere enim vniuersalem aliquam doctrinam de habituum specificatione, aut eorum obiecta exactè stabiliri, difficillimum sanè , & ferè impossibile semper iudicamus. Sed diuini prius ope numinis implorata, & Angelico Doctore duce Peripatericam doctrinam, quam capite 23. huius libri tradit Aristotel. pro viribus explicare, & propugnare conabimur. Tractant de hac materia D. Thom. hic. Iectione 41. 42. & 43. & opusculo 70. qu. 5. artic. 1. Theologi 1. part. quæst. 1. art. 2. vbi Caiet. B.ñez. Gonçal. & Nazarius : Metaphysici lib. 1. & 6. vbi Arauxo, label. Soncin. Zanard. & Suarez : & Dialectici in hoc cap. vbi Caiet. Sor. & M. & in præmialibus vbi Sanch. Rubio, & alij.

Sunt autem pro tituli intelligentia duo breuiter præmittenda. Primum est , in præsentem solum esse sermonem de scientiis speculariis : nam de his tantum agit in hoc capite. Aristoteles : quamuis ex earum cognitione faciliè constabit, quid dicendum sit de practiciis. Secundum est quæstionem non procedere de unitate numerica scientiæ : nam quoad hoc idem est iudicium de scientia, ac de aliis accidentibus : quæ omnia iuxta receptam Thomistarum sententiam à subiecto indiuiduantur. Ac proinde Logica, aut quælibet alia scientia non erit vna hac unitate ; sed multiplex iuxta numerum animarum, seu intellectuum, quibus inhæret. Quare solum procedit difficultas de unitate specifica, & generica. An scilicet vnaquæque scientia sit vnus habitus in specie infima, an porius plures sub se contineat specie distinctos. & vnde vtrique unitas sit desumenda.

35. Præcipua ratio dubitandi in hac quæstione sumitur ex communi axiomate, quod tradit Arist. 2. de anima text. 33. Quod scilicet ab obiecto sumitur specificatio, unitas, & distinctio, tam potentie, quam habitus. Ex quo necessariò sequi videretur tantam debere esse unitatem potentie, vel habitus ; quanta fuerit unitas obiecti : per consequens circa obiectum vnum genericè, non posse versari potentiam, aut habitum specificè vnum. Quod tamen planè constat esse falsum. Tum quia plures potentie versantur circa obiectum genericè vnum vt visus respectu coloris ; imò vnum tantum analogicè vt patet de intellectu, & voluntate respectu entis. Tum etiam

etiam quia absurdum videtur multiplicare habitus iuxta specificam multiplicationem obiecti; ita ut alia sit scientia de homine; alia de equo, &c. Tunc denique, quia unus obiecti in specie, ut rotunditatis terræ, dantur scientiæ specie distinctæ, ut probat D. Th. 1. 2. q. 54. art. 2. ad 2. & nos iterum supra disp. 1. num. 43. Ergo ab unitate obiecti sumi non potest specifica distinctio, aut unitas scientiæ, habitus, vel potentie.

Quod si dicas, ex parte obiecti sufficere unitatem genericam: præterquam quod id non satisfacit, & infra constabit esse falsum; emergit inde alia maior difficultas in reddenda ratione, quare unus generis, puta corporis naturalis, & omnium suarum specierum, detur una scientia, nempe philosophia naturalis: & tamen alterius generis, puta quantitatis, & suarum specierum, non datur eadem scientia; sed iuxta divisionem quantitatis multiplicantur Mathematicæ: siquidem alia est de quantitate continua, scilicet Geometria; & alia de quantitate discreta, nempe Arithmetica.

Si autem respondeas, non ab obiecto materiali, sed à formali sumendum esse scientiæ, aut potentie unitatem: faciemus id esse verissimum: sed doctrinam generalem eradere, iuxta quam possint assignari istæ rationes formales obiectorum, hoc opus, hic labor est. Si enim hanc rationem formalem in scientiis ex abstractione à materia sumendam esse dicas; fatendum necessarium erit, omnes scientias sub eadem abstractione procedentes esse eiusdem speciei. Et ex consequenti Mathematicæ non distinguerentur specie, cum omnes abstrahant à materia sensibili: quod nemo dixit. Imò (quod absurdius est) Theologia sacra, Metaphysica, & Logica essent eiusdem speciei; cum hæc omnes abstrahant à materia intelligibili. Quod si præter abstractionem recurrat ad obiectum, non esset rei, sed in esse scibilis, ut loquitur Caiet. in hoc cap. videtur profectò petitio principii: id enim investigamus: quid scilicet sit, à quo obiectum accipit esse scibile, ut ita quando res sint unum scibile, & quando plura, percipiamus.

#### REFERUNTUR ET IMPUGNANTUR VARIA SENTENTIA.

##### §. I.

**P**ropter hæc, & alia argumenta, quæ adducunt Sancti. Suar. & alij Auctores citati, in varias sententias abierunt Philosophi. Quidam enim eorum (& sit prima sententia,) nullam scientiarum diversitatem admittentes, omnium rerum unam esse scientiam asseruerunt. Sic videtur sensisse Agid. 1. Metaph. q. 22. & latè defendit Antonius Bern. Mirandolani lib. 13. de Eversione singularis certaminis sect. 6. & 7. quos refert Suar. disp. 1. Metaph. sect. 3.

E contra verò Nomiles (& est secunda sententia,) si credimus Sot. in præmialibus Logicæ q. 3. & Masio ibidem, sect. 1. qu. 15. affirmant tot esse scientias specie distinctas, quot sunt obiecta materialia: ita ut plures Logicæ, aut plures Philosophiæ specie distinctas non vereantur concedere, licet hunc loquendi modum falsè illis à Soto imponi contendat Rubio quæst. 4. præmialium n. 7. & Suar. disp. 44. Metaph. sect. 11. n. 60. qui affirmat inuenire se non potuisse in Nominalibus talem modum loquendi. Et certè neque nos inuenimus; est tamen ita conformis, & consequens eorum sententiæ, cum id admittant in habitibus voluntatis; ut meritò potuerit Sotus hanc sententiam illis tribuere.

Sed quidquid sit de hoc, utraque sententia est manifestè falsa; alienaque, tum à doctrina Arist. tum à communi modo loquendi Philosophorum. Neque enim negari potest plures esse in intellectu scientias: sicut negari non potest plures esse virtutes in voluntate. Neque similiter negandum est unam, & eandem scientiam ad plures conclusiones extendi: sic enim omnes asserunt unam esse Geometriam, unam Theologiam, &c. Neque in horum impugnatione est amplius immorandum, quorum falsitas ex dicendis manifestè constabit.

37 Tertia sententia affirmat quamlibet scientiam esse unam genere, & plures specie: quam genericam unitatem sufficere existimat, ut non dicantur plures Logicæ, plures Geometriæ, &c. Sic tenent Toler. in præmiali q. 2. concl. 2. Oña q. 1. art. 3. & Niger. q. 13. Clypei. Qui duo magis se explicant, asserentes non quamlibet conclusionem constituere habitum specie distinctum ab aliis; sed ad eundem habitum pertinere omnes illas, quibus demonstrantur omnes passionibus alicuius obiecti inadæquati, ut in Logica omnes demonstrationes, quibus de definitione concluduntur passionibus eius, constituunt unam speciem habitus; idem est de divisione, & aliis. Ac proinde tot erunt habitus specie distincti in Logica, quod fuerint coordinationes demonstrationum. Additque, & bene Niger iuxta hanc sententiam, quod non solum singularum specierum obiecti, scilicet definitionis, divisionis, aut argumentationis dantur singuli habitus; sed etiam ipsis rationibus genericæ, nempe secundæ intentionis logicalis, datur alius habitus, quo demonstrantur propriæ passionibus illius gradus generici.

38 Fundamentum huius sententiæ sic explicatæ est satis vrgens. Quia ex doctrina Aristotel. & Div. Thomæ infra adducenda, unitas, vel distinctio scientiæ sumenda est ex unitate, vel diversitate principiorum, per quæ procedit; sed principia per quæ demonstrantur passionibus, verbi gratia definitionis, & divisionis sunt ab eis per quæ demonstrantur passionibus alterius speciei, scilicet divisionis, aut argumentationis, & ab utriusque sunt diversa principia, per quæ demonstrantur passionibus gradus generici, scilicet secundæ intentionis logicalis: ergo, &c. Probat minor: quia quod principia propria definitionis, & divisionis sub aliis universaliioribus contineantur non tollit, quin possint causare distinctos habitus; aliàs scientiæ, quarum principia continentur sub principiis Metaphysicæ, non distinguerentur ab illa. Imò iam omnium rerum esset una scientia: siquidem omnia principia continentur sub universaliissimis principiis: Quodlibet est, vel non est: & similibus. Ergo propria, & peculiaria principia demonstrationum causare possunt distinctos habitus, & plures species intra eandem scientiam. Et ex consequenti quælibet erit una genericæ, & plures specificæ.

Confirmatur: quia, ut inquit, Arist. in hoc cap. *Altera autem scientia est ab altera, quorumcumque principia neque ex eisdem, neque ex alterutris sunt; sed principia definitionis, & divisionis non oriuntur ex aliis, neque ex alterutris: ergo alterius scientia distinguitur specie ab altera.* Probat minor: quia in primis principia definitionis non derivantur ex principiis divisionis: siquidem potius inter se condistinguntur, & opponuntur. Neque similiter principia utriusque possunt derivari ex principiis communibus secundarum intentionum: siquidem unaquaque verè sunt indemonstrabilia, & immediata: & per consequens irresolubilia in alia priora. Ergo non derivantur ex aliis, neque ex alterutris: & consequenter constituunt habitus specie distinctos. Eademque ratio est in aliis scientiis, ut consideranti patebit.

Hanc



Hanc sententiam sic explicatam defendunt aliqui discipuli Divi Thomæ ut refert, Omnia ubi supra quæ satis probabilis. Adhuc tamen non satisfacit cæteris Thomistis. Ex merito : quia non explicat, neque explicare potest, cur omnes illi habitus specie distincti appellandi sint una scientia. Si enim unitas generica numeri verbi gratia sufficit, ut Arithmetica dicatur una scientia, cur unitas generica quantitatis non sufficiat, ut omnes Mathematicæ dicantur una Metaphysica, & una scientia, qui tamen loquendi modus alienus est à communi consensu Philosophorum. Ergo talis convenientia generica habituum non sufficit ad unitatem scientiæ.

39. Propter hæc, quarta sententia attribuit singulis scientiis unitatem atomam, & specificam : sed in ea explicanda tres sunt modi dicendi valde diversi. ¶ Primus est, quem Suarez disputatio. 44. citata sect. 1. numero 55. asserens quamlibet scientiam ita esse unam in specie infima, ut non sit simplex aliquis habitus, aut qualitas se extendens ad omnes conclusiones, sed habitus quidam quasi compositus, & complete coalescens ex pluribus habitibus partialibus : qui licet in se, & respectu suæ conclusionis sint verè, completè, & specie distincti : censentur tamen incompleti respectu totius scientiæ. Et hoc inquit sufficere, ut quilibet istorum habituum non faciat scientiam specie distinctam ab alio; sed omnes censantur una scientia in specie. Explicans autem ibidem, & disputatione prima sectione 3. modum unitatis quem isti partiales habitus possunt habere, inquit id fieri non per aliquam realem unionem, siue continuationem; sed per quandam subordinationem, aggregationem; & connexionem in ordine ad unum obiectum.

Si autem inquiras : quæ unitas sit necessaria in obiecto, ut habitus ad illud ordinati censantur una scientia : responderet numero 66. id statuere esse difficilimum, & postquam illi aliorum modi dicendi non placuerunt tandem concludit, quod : *Quando aliqua ratio formalis obiecti scibilis, qua solet dici ratio qua, est talis ut in ea contineantur omnia, quæ in illa scientia tractantur, aut demonstrantur : quia per illam aut in ordine ad illam reliqua inquiruntur ; tunc illa ratio constituit omnia illa sub una ratione scibilis, siue illa sit ratio specifica in esse rei, siue non.* Hæc Suarez; quam sententiam sequitur Fonseca 5. Metaphysic. capite 7. quæstione 5. sectione 2. ¶ Et præcipua ratio pro illa est impugnatio aliarum opinionum. Nam ex una parte Auctores illarum non videntur exactè declarare quomodo eadem simplex qualitas possit extendi ad res ita diuersas. Ex alia verò unitas generica in scientiis propter supradicta non satisfacit. Ergo verosimilius est ita scientiam esse unam in specie, quod sit composita ex pluribus habitibus partialibus, ut explicatum est.

40. Hic modus dicendi primo aspectu videtur facilis. Quem idè sequuntur auctores eius, ut expediant se à pluribus, hisque gravissimis difficultatibus, quæ in hac materia occurrunt. Sed si res attentius consideretur; non solum non est faciliior aliis; sed incidit in easdem, quas fugere conatur, difficultates & addit alias non inferiores. Quod sic probatur, quia posita ista multiplicatione habituum partialium adhuc restat examinandum id, in quo sita est rota huius controuersie difficultas, nempe unde sumatur unitas obiecti in esse scibilis, ut respectu eius omnes illi habitus dicantur una scientia. Dicere enim cum Suar. *Tunc aliquam rationem formalem obiecti esse unam, quando in ea connectuntur, quæ in tali scientia tractantur* : vel est nugatio, vel petitio principij.

Colleg. Compl. Logica.

Primum patet : quia hoc est, quod inquirimus : quis scilicet modus attributionis, vel connexionis in aliquo uno sit necessarius ad unitatem scientiæ. Nam certum est, ut sæpè notauimus, non sufficere connexionem, quam habent plures species in suo genere; aliàs vel esset una scientia omnium : vel saltem Mathematicæ non distinguerentur specie; cum earum obiecta in supremo genere quantitatis connectantur. Ergo nugatoriè respondet, inquit, tunc rationem formalem obiecti esse unam, quando in ea connectuntur, quæ in tali scientia tractantur.

Secundum etiam patet : quia quando quærimus unitatem scientiæ ex obiecto, scire contendimus, quod sit subiectum, & quid habere debeat, ut inferat, & petat unam scientiam, quæ de illo tractet. Ergo planè petitur principium, respondendo, esse illud, quo adunantur, quæ tractantur in tali scientia : siquidem hæc responsio iam supponit unam scientiam. Videatur Rub. q. 1. præem. num. 26. ubi eadem Suar. verba refert. superiùs Auctoris nomine : eumque acrius reprehendit. Maneat ergo hunc modum dicendi incidere in easdem difficultates, quas fugere intendit.

Addit etiam alias non contemnendas. Nam scientiam facit ens per accidens, quod expresse Fonseca concedit : utpotè ex diuersis speciebus qualitatis constantem. Et consequenter illam à recta linea prædicamenti excludit; & eidem habitui negat augmentum extensiuum : quod tamen D. Thomas & grauissimi doctores concedunt, pleraque alia continet incommoda, ut consideranti patebit. Et quod omnibus maius est, post longam quæstionis decisionem quam asserit Suarez sectione citata nihil certè definit de unitate obiecti in esse scibilis; à quo tamen quæstionis solutio omninò penderet, ut ex se patet.

41. Secundus modus dicendi est aliquorum Thomistarum qui alia via longè diuersa admittunt compositionem in scientiis. Pro cuius intelligentia sciendum est, Thomistas diuersos esse in constituendo, quid sit habitus intellectus; an scilicet sit collectio specierum intelligibilium; an potius alia tertia qualitas ex actibus in intellectu relicta, media qua potentia promptè, & delectabiliter in similes actus possit exire.

Soncinas ergo 6. Metaphysicæ quæstione 9. quem sequuntur Contad. 1. 2. quæst. 54. articulo 4. & alij, licet de habitibus voluntatis asserat esse simplices qualitates; de scientia tamen, & idem est de aliis habitibus intellectus, tenet esse collectionem specierum pertinentium ad idem obiectum, non earum, quæ sunt immediatè ab intellectu agente, & præcedunt actum intellectus possibilis; sed quarundam aliarum, quas ponit ipse resultare in intellectu ex vi assensus scientifici. Et has inquit esse habituales effectum demonstrationis : & ex consequenti scientiam esse compositam ex pluribus qualitativibus. Pro qua sententia sunt plura Diui Thom. testimonia, quæ adducit Caiet. loco citato ex 1. 2. ubi ait plures, Thomistas fugientes difficultatem asserere. Sanctum Doctorem modò in unam, modò in aliam partem inclinare. De cuius etiam mente dubius est Capreolus in prologo q. 3. Sed reuera iste modus dicendi est contra D. Thom. ut rectè probat Caiet. ibidem, & constabit ex dicendis.

42. Tertius tandem modus dicendi est aliorum Thomistarum, qui cum Caiet. loco citato, scientiæ unitatem specificam ita declarant, ut non sit collectio specierum, aut aliquis habitus ex pluribus compositus : sed simplex quædam qualitas se extendens ad omnes conclusiones talis scientiæ. Quæ procul dubio est mens D. Thom. eadem q. 54. 1. 2. articulo 4. Cuius

D d verba

verba sunt: *Sed quia illa multiplicitas est ordinata ad aliquid unum, ad quod principaliter respicit habitus: inde est, quod habitus est qualitas simplex, non constituta ex pluribus habitibus; etiam si ad multa se extendat.* Et in responsione ad tertium: *Ille, qui in aliqua scientia acquirit per demonstrationem scientiam conclusionis unius, habet quidem habitum sed imperfectum. Cum vero acquirit per aliquam demonstrationem scientiam conclusionis alterius: non generatur in eo alius habitus: sed habitus: qui prius inerat sit perfectior, ut potest ad plura se extendens; eo quod conclusiones, & demonstrationes unius scientia ordinata sunt, & una derivatur ex alia.* Hanc sententiam sequuntur Medina circa hunc articulum, Gonzal. 1. part. quæst. 1. artic. 3. disp. 3. conc. 8. Banez ibidem quæst. 89. art. 5. & 6. Ferrara 1. contra gentes cap. 16. Sanch. lib. 1. Logicæ quæst. 10. Masius sect. 1. proemialium quæst. 16. Soto q. 3. Flandria 6. Metaph. quæst. 6. art. 7. & Arauxo lib. 1. quæst. 5. artic. addens esse omnium rectè sententium de mente Angelici Doctoris.

43 Igitur omnes isti Doctores pro 4. sententia adducti conveniunt in constituenda unitate specifica scientiarum. Conveniunt item, quod talis unitas sumenda est ab obiecto, ut tota Philosophia proclamant, Addunt etiam, id non debere intelligi, de obiecto materiali, & in esse rei; sed de obiecto formali, & in esse scibilis. Laborant tamen, maxime in explicando, quid sit obiectum in esse scibilis, aut quid addat supra obiectum in esse rei, unde possit talis unitas desumi. Et relicto Suarez, qui circa hoc nihil certum statuit, ut vidimus: ex Thomistis quidam recurrunt ad lumina, quibus scientiæ innituntur, asserentes scientiam esse unam, quando procedit ex eodem lumine; diuersas verò penes diuersa lumina, quibus conclusiones cognoscuntur. De quo videri potest Banez 1. parte quæst. 1. art. 3. Alij hanc unitatem, vel diuersitatem obiecti in esse scibilis sumendam esse dicunt ex unitate, vel diuersitate abstractionis à materia. Quæ est frequentior sententia Thomistarum: pro qua videri possunt Caiet. in hoc lib. cap. 23. Capreol. Gonzales; Soto, Sanchez, Masius, Arauxo, & alij Thomistæ citati. Alij tandem explicant talem unitatem, vel diuersitatem obiecti ex unitate, vel diuersitate principiorum, seu mediorum, per quæ scientia procedit. De quo videri potest Nauarrete 1. parte controuers. 9. & Ferrara loco citato Cæterum istæ sententiæ, si rectè explicentur, non discordant: & hæc omnia concurrunt ad constituendum obiectum in esse scibilis, ut infra constabit, & probat rectè Nazar. eadem 1. parte q. 1. art. 3. controu. Et idem pro eius explicatione.

#### NONNULLA AD QUÆSTIONIS solutionem necessaria præmittuntur.

##### §.

44 **P**rimò recolenda est communis illa distinctio obiecti formalis, quam supra disputat. 1. nu. 9. adduximus ex Caietan. in rationem formalem *quæ & sub qua*. Quam distinctionem licet Vasq. 1. parte disp. 7. capite 3. non admittat; admittunt tamen præter discipulos D. Thom. Molina, Valent Suarez, Rub. & cæteri Doct. Moderni. Idque contra illum probant rectè Nazar. Gonzal. Nauarrete, Araux. & alij Thomistæ citati. Quod etiam satis conuincitur. Tum exemplis adductis disputatione citata. Tum etiam quia ex doctrina Aristot. 6. Metaph. text. 2. res constituuntur in duplici genere diuerso; scilicet in genere rei, & in genere scibilis. In quorum primò attenditur perfectio

rei in esse entis: & sumitur per ordinem ad existentiam & operationes. In secundo verò consideratur perfectio rei in ratione formali obiecti seu scibilis; quæ sumitur secundum proportionem ad potentiam, vel habitum. Ergo necessario distinguendæ sunt in quolibet obiecto duæ formæ, seu duæ rationes, per quas in eisdem generibus constituatur. Tum denique quia res, quæ in esse entis est una, aliquando est multiplex in esse scibilis: ut patet in exemplo sæpius adducto de rotunditate terræ, quæ quamuis sit una in esse entis; est tamen in duplici genere scibilis, secundum quod pertinet ad Astrologiam, & Philosophiam, teste Diu. Thom. 1. 2. q. 54. art. 2. ad 2. E contra etiam, quæ in esse entis sunt plura, sæpè sunt unum in genere scibilis: ut patet in obiecto Metaph. aut Arithmetice: quod comprehendit res in genere entis diuersissimas; & tamen omnes constituunt unum scibile in specie infima. Ergo per id ipsum, per quod res constituuntur in genere entis, non possunt constitui in esse scibilis: & per consequens necessariò distinguendæ sunt duæ illæ rationes formales obiecti, quas constituit Caiet. Videantur alia, quæ adduximus loco citato.

45 Secundò statuendum est, id quod propriè est specificatum respectu alicuius, præhabere debere eandem unitatem, quam habet res specificata; ita ut sit specificatum, quatenus tale tantum sit unum genericè, res specificata non possit esse una specificè. Quod quamuis non admittat Vasq. ubi supra c. 4. & 5. admittunt tamen communiter Doctores: & probant rectè Gonzalez disput. citata conclus. 1. Arauxo art. 3. conclus. 2. & Nazar. ubi supra, & q. 13. art. 1. contr. 1. Ratioque videtur euidens. Nam res specificata sumit totam unitatem suam ab specificatio; & idem est una quia specificatum est unum: ergo res specificata non potest esse magis una, quam sit specificatum. Ac proinde si hoc fuerit unum tantum genericè; res significata non poterit esse una specificè. Quod vniuersaliter verum est in potentiis, actibus, & habitibus: licet nobis sæpè sit difficillimum in eorum obiectis assignare aliquam rationem formalem habentem tantam unitatem, quantam habent res specificatæ. Ob id tamen neganda non est vniuersalis doctrina: qua sublata, nihil firmum maneret in Metaphysica circa specificationem accidentium. Restat ergo, quod si obiectum in esse scibilis est specificatum scientiæ, ut supponimus, ad hoc ut plura entia quæ in esse rei sunt genere diuersa, sint unum scibile in specie infima, debent necessariò habere aliquam rationem formalem, in qua omnia illa specificè conueniant. Et hanc vocamus rationem formalem sub qua. Ex quo tandem fit, quod licet ad rationem formalem quæ obiecti sufficit unitas generica; aut etiam analogica (quæ est expressa doctrina Aristotel. & commentatoris 4. Metaphysicæ textu commentato 2.) tamen ratio sub qua, semper debet esse una in specie infima, quando potentia, aut habitus est unus specificè. Et hæc ratio sub qua est, quam in præsentia inuestigamus in obiectis scientiarum ad statuendam earum unitatem. Pro quo.

46 Tertiò obseruandum est ex Diu. Thom. prima parte quæst. 3. art. 3. quod *Duplex sit abstractio per intellectum, una quidem secundum quod vniuersale abstrahitur à particulari ut animal ab homine: alia verò secundum quod forma abstrahitur à materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili.* Quæ verba D. Thom. explicat optime Caiet. de ente, & essentia cap. 1. quæst. 1. assignans plura, in quibus istæ duæ abstractiones differunt: quæ etiam adduxit Arauxo ubi supra numero 41. Duo nos breuiter adnotabimus. Primum est, quod in

in abstractione formali, tam forma, quæ abstrahitur, quàm materia, à qua abstrahitur, manent integre, potestque vnum sine alio concipi: ut quando abstrahimus triangulum ab ære: quod provenit ex eo, neutrum est essentia alterius. At in abstractione totali (inquit D. Thom.) ibidem non remanet integrum, id à quo fit abstractio remota enim differentia *rationali* ab homine, non remanet in intellectu homo: sed solum animal. Neque potest vnum sine alio concipi: quia licet superius, quod abstrahitur, possit concipi absque inferioribus; cum non sint de eius essentia: non tamen è contra inferiora; à quibus abstrahitur, possunt concipi absque superiori ut per se patet.

Ex quo discrimine nascitur secundum, quod non parum conducit ad præsens institutum. Et consistit in hoc, quod per abstractionem formalem oritur in eo, quod abstrahitur, actualitas, distinctio, & intelligibilitas; (verba sunt Caiet.) in abstractione verò totali oritur in eo, quod abstrahitur, potentialitas, confusio, & minor intelligibilitas. Vnde, licet quoad nos id, quod est abstractius abstractione vniuersali, sit quodammodo magis, & prius notum; ut explicat D. Thom. in præmio Physicorum; tamen secundum se maior abstractio totalis causat maiorem potentialitatem, & confusionem: & id, quod sic abstrahitur, secundum se redditur minus intelligibile. Quæ omnia è contrario eueniunt in abstractione formali. Nam quantò magis id quod est formale, abstrahitur à materia; tantò fit actualius, & magis aptum, ut intelligatur. Cuius rationem paucis reddit Caietanus. Quia nimirum abstractio formalis fit per separationem à materialibus, potentialibus, & huiusmodi: abstractio verò talis fit per separationem ab specificis actualitatibus; à quibus quantò aliquid est abstractius, tantò est potentialius, & minus intelligibile: quippe cum actus secundum se sit norior potentia ex 9. Metaph. text. Com. 20. ¶ De abstractione totali nihil est in præsentī agendum: quia solum est necessaria ad scientias ex generali ratione, qua omnes excludunt indiuidua, & agunt de rebus vniuersalibus: & idè nihil conducit ad earum specificationem. Abstractio verò formalis non eodem modo reperitur in omnibus: & idè potest ad earum distinctionem pertinere. Pro quo.

47. Quartò considerandum est ex Dino Thom. opul. 70. q. 5. articulo 1. quod ut aliquid sit obiectum scientiæ, debet esse necessarium, id est quod non possit aliter se habere; ut constat ex definitione scientiæ tradita ab Aristot. in hoc lib. c. secundo & probat ipse cap. 4. sequenti. Ac proinde non debet esse subiectum mutationi, vel motui: quia quod mouetur, in quantum huiusmodi, possibile est esse, vel non esse: ut dicitur 10. Metaph. & per consequens est contingens. Cum ergo materia sit prima radix mutationis, & contingentiæ, ut docet D. Thom. 1. p. quæst. 86. art. 6. & explicat ibi Caiet. indè est, quod obiectum scientiæ, formaliter prout sic, debet esse abstractum à materia. Est autem triplex gradus huius abstractionis formalis, ut ex Aristot. 6. Metaph. text. 2. docet Sanctus Doctor. opul. citato admittunt communiter Doctores, iuxta triplicem materiam, à qua potest aliqua res abstrahi, scilicet singularem, sensibilem, & intelligibilem. Materia singularis dicitur in præsentī, quidquid pertinet ad singularitatem rerum sensibilium: ut hæc carnes, & hæc ossa, hæc albedo, &c. Vnde illa scientia abstrahit à materia singulari tantum, quæ considerat res sensibiles, verbi gratia hominem, cum materia sensibili communi, nempe carne, & ossibus: non tamen considerat singulariter hæc

carnem, & hæc ossa. Et huiusmodi est. Philosophia naturalis. Quæ consequenter habet infimum gradum abstractionis formalis: siquidem hæc ad minus requiritur in obiecto, ut de illo possit esse scientia.

Materia sensibilis dicuntur omnes qualitates, quæ sensibus percipiuntur, ut color, frigus, sonus, odor, & similes. Vnde illæ scientiæ abstrahunt à materia sensibili, quæ considerant suum obiectum sine istis qualitatibus. Et huiusmodi sunt Mathematicæ, quæ agunt de quantitate, non curando, an linea sit calida, superficies alba; aut corpus durum, &c. Non tamen abstrahunt à materia intelligibili: quia non considerant quantitatem absque substantia materiali, cui inest, & à qua in sui cognitione dependet. Et idè obtinent secundum locum seu gradum abstractionis. Tandem materia intelligibilis est ipsa substantia corporea, seu materia prima: quæ dicitur intelligibilis, quia solo intellectu percipi potest. Vnde illæ scientiæ abstrahunt à materia intelligibili, quæ tractant de rebus, quæ sine materia prima esse possunt; vel quia nunquam in materia; ut Deus, & Angeli; vel quia in quibusdam sunt in materia, in quibusdam verò non: & idè secundum se non dependent ab illa, ut substantia, & qualitas; actus & potentia; vnum, & multa, &c. Et huiusmodi est Metaphysica, quæ propterea Theologia naturalis, & prima Philosophia nuncupatur: obtinetque supremum gradum abstractionis inter scientias naturales. Videatur D. Thom. loco citato.

48. Quartò notandum est cum Flandria 1. Metaphysic. quæst. 1. articulo 3. Arauxo ibidem quæst. 5. articulo tertio & aliis Thomistis, huiusmodi abstractionem sumi posse dupliciter. Primò actiue, & formaliter pro operatione scilicet intellectus: qua obiectum separatur à materia. Quo sensu satis constat abstractionem esse quid extrinsecum obiecto, nec posse esse veram rationem formalem per se specificatiuam scientiæ: sed tantum est conditio necessariò requisita, ut bene notant Sanchez, ubi sup. quæstione 11. Arauxo numero 85. & alij Thomistæ: seu causæ remouens, prohibens, ut inquit Nazarius controuersia citata: quatenus per talem operationem remouetur ab obiecto materialitas, seu potentialitas, quæ intelligibilitatem impediabat. ¶ Secundo modo sumitur abstractio formalis passiue, seu obiectiue, & radicaliter, pro actualitate, & immaterialitate quæ relinquitur in obiecto ex separatione materiæ, & per quam fit actu intelligibile. Et abstractio in hoc sensu per se pertinet ad obiectum in esse scibilis: & consequenter ad rationem formalem specificatiuam scientiæ, ut rectè explicat Gonçalves ubi supra numero 58. Cuius rationem assignat inter alios Caietanus cap. 22. huius libri. Quia actualitas rei est quoddam intellectuale lumen per quod ipsa cognoscitur; non secus ac lux corporalis est id, per quod colores redduntur actu visibiles. Quod docuit optimè Diuus Thom. super librum de Causis le 6. dicens: *Considerandum est, quod per lumen corruptibile visibilia sensibilibus cognoscuntur. Vnde illud, per quod aliquid cognoscitur, per similitudinem potest dici lumen. Probat autem Philosophus in nono Metaphysic. quod vnumquodque cognoscitur per id, quod est in actu: & idè ipsa actualitas rei est quoddam lumen ipsius. Et quia effectus habet, quod sit in actu per suam causam: inde est, quod illuminatur, & cognoscitur per suam causam.*

49. Hinc sextò notandum venit; quod media, seu principia demonstrationis habent rationem luminis, per quod illuminatur, & cognoscitur conclusio. Tum quia sunt causæ eius. Tum etiam quia, ut idem Angelicus Doctor inquit quæst. 9. de veritate

art. 1.<sup>o</sup> sicut per lumen corporale non solum colores redduntur actu visibiles, sed etiam visus ipse confortatur ad videndum: sic per medium demonstrationis non solum fit nobis aliquid notum; sed etiam intellectus ipse confortatur ad intelligendum id, quod prius intelligere non poterat. Tum denique, quia recte addit ibidem in solutione ad secundum, ipsa media, seu principia demonstrationis includunt in se quoddam intellectuale lumen participatum ab intellectu agente, qui est fons totius luminis intellectualis: *Sunt enim (inquit) prima principia quasi instrumenta intellectus agentis, ut dicit Commentator in tercio de Anima: & similiter omnia principia secunda, quæ continent propria media demonstrationum.* Ac proinde possunt in virtute ipsius illuminare conclusiones: & consequenter pertinent ad rationem formalem specificatiuam scientiæ. Quæ est expressa doctrina eiusdem Diu. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 1. ubi ait: *Cuiuslibet cognoscibilis habitus obiectum duo habet, scilicet id, quod materialiter cognoscitur: quod est sicut materiale obiectum: & id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti: sicut in scientia Geometrica materialiter scita sunt conclusiones: formalis verò ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur.* Ex quo fit, quod quando media, seu principia sunt in ratione luminis diuersa: quia nimirum intra proprium genus vnum non accipit ab alio vim illuminandi, neque ambo ab aliquo tertio; sed vel sunt prima, vel reducuntur in diuersa prima principia: tunc intra illud genus verè causant distinctionem specificam scientiarum. Quod ut plenius percipiatur.

10 Vltimò visum est adducere aliqua verba Arist. & Diui Thomæ ex his, quæ habent capite 23. huius libri circa præsentem difficultatem: ex quibus luce clariùs constabit tota eius solutio Arist. ergo tanta translationem antiquam sic ait: *Vna autem scientia est, quæ est vnius generis, quacumque ex primis componuntur, & partes: aut passionis earum sunt per se. Altera autem scientia est ab altera, quorumcumque principia, neque ex eisdem, neque ex alienis sunt, &c.* Quæ verba exponens Diuus Thom. lect. 41. inter alia inquit. *Materialis diuersitas obiecti nõ diuersificat habitum: sed tantum formalis. Cum ergo scibile sit proprium obiectum scientiæ: non diuersificabuntur scientia secundum diuersitatem materialem scibilem: sed secundum diuersitatem earum formalem.* Sicut autem formalis ratio visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur: ita formalis ratio scibilis accipitur secundum principia ex quibus aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint aliqua diuersa scibilia per suam naturam: duomodo per eadem principia sciuntur, pertinent ad unam scientiam, &c.

Et post pauca: sed ulterius considerandum est, quod secunda principia virtutem sortiuntur à primis. Vnde requiritur diuersitas primorum principiorum ad diuersitatem scientiarum. Quod quidam non esset: si vel diuersorum principia ex eisdem principiis fluant, sicut principia trianguli, & quadrati deriuantur ex principiis figure: vel principia vnius deriuantur ex principiis alterius; sicut principia isochelis dependent à principiis trianguli. Neque tamen intelligendum est, quod sufficiat ad unitatem scientiæ unitas principiorum primorum simpliciter: sed unitas principiorum primorum in aliquo genere scibili. Distinguntur autem genera scibilium secundum modum cognoscendi: sicut alio modo cognoscuntur ea, quæ definiuntur cum materia, & ea quæ sine materia. Vnde aliud genus scibilium est corpus naturale, & corpus Mathematicum, &c.

§ 1. Quorum verborum, & aliorum quæ omittuntur sensus planus est, diuersitatem genericam sci-

bilium, & scientiarum sumendam esse ex diuerso modo cognoscibilitatis, seu abstractionis à materia: & per consequens tria esse genera scibilium, scilicet Metaphysicum, Mathematicum, & naturale: & tria genera scientiarum scilicet Metaphysicam, Mathematicam, & scientiam naturalem: intra quodlibet autem horum generum tunc esse diuersa scibilia in specie infima, & ex consequenti diuersas scientias; quando fuerint diuersa principia; quorum vnum non sequatur ex alio, neque vtraque ex alterutro intra eandem abstractionem: cui non obest, quod hæc omnia principia sequantur ex vniuersalissimis principiis: quia ex his non sumitur unitas, aut diuersitas scientiæ. Cuius rationem assignat ex Aristotel. idem Sanctus Doctor. lect. 43. sequenti. Quia nimirum ex vniuersalissimis principiis tantum, non potest sequi aliqua conclusio intra aliquod genus scibilis, nisi illi adiungatur aliquod principium proprium talis generis. Et ideo huius principij proprii, & non illorum vniuersalissimorum habenda est ratio ad statuendam unitatem, vel diuersitatem specificam obiecti in esse scibilis, & per consequens scientiæ. Quibus suppositis.

*Statuitur vera sententia, & quæstio resoluitur.*

### §. III.

§ 1 **P**rima conclusio. Unitas, aut distinctio scientiæ, tam generica quàm specifica, neque sumitur ab obiecto materiali, neque ab obiecto formali in esse rei, seu à ratione formali *quæ*, sed ab obiecto in esse scibilis, seu à ratione formali *sub qua*. Conclusio est receptissima inter Doctores: & ex dictis manifesta. Quod enim ab obiecto merè materiali non sumatur, evidens est. Quia tale obiectum non respicitur per se ab habitu: ergo neque eius unitas, aut diuersitas ad unitatem, vel diuersitatem habitus potest conducere. Quod verò neque etiam sumatur à ratione formali *quæ*, satis patet ex dictis: Tum quia multiplicarentur species scientiarum iuxta multitudinem rerum, quæ in eis considerantur, quod absurdum est. Tum etiam quia de eadem ratione formali *quæ*, dantur plures scientiæ; ut de hac propositione, *terra est rotunda*, sæpè dictum est ex Diu. Thom. & similiter de eadem Dei natura tractant Metaphysicus, & Theologus. E contra verò eadem scientia considerat rationes formales *quæ* valde diuersas, ut de Musica respectu vocis humanæ, & soni inanimatorum corporum testatur Diu. Thomas. lect. 41. citata. Ergo neque ab obiecto merè materiali, neque à ratione formali *quæ* desumi potest unitas, aut distinctio scientiæ. Et per consequens à sufficienti enumeratione sumenda erit à ratione formali *sub qua*, seu à ratione constitutiva obiecti in esse scibilis.

§ 2 Secunda conclusio. Tam abstractio radicaliter & passiuè sumpta, ratione cuius obiectum quasi illuminatur, & est actu intelligibile, quàm medium seu principium demonstrationis per quod cognoscitur conclusio, pertinent ad rationem formalem *sub qua* specificatiuam scientiæ. In hac conclusione conueniunt Thomistæ citati. Quam tradit apertè Sanctus Doctor non solum verbis suprà numero 50. adductis, sed etiam 1. p. quæst. 1. art. 1. ad secundum, ubi vtrumque expresse nominat dicens: *Diuersa ratio cognoscibilis diuersitatem scientiarum inducit. Eandem enim conclusionem demonstrat Astrologus, & Naturalis, puta quod terra est rotunda: sed Astrologus per medium Mathematicum, id est, à materia*

*materia abstractum, &c.* Quibus verbis aperte significatur diversitatem medij; & abstractionis esse diversam rationem cognoscendi inducentem diversas scientias. Ergo ex mente D. Th. utrumque per se pertinet ad rationem formalem specificationem scientiæ. Videantur Caiet. & Nazarius ibidem art. 3.

Fundamentum est: quia illa pertinent per se ad rationem formalem specificationem scientiæ, quæ per se variant scibile, quatenus scibile est: sed tam abstractionio dicta, quam medium, seu principium demonstrationis sunt huiusmodi: ergo, &c. Probatur minor: quia scibile est aliquid non nisi per medium, & abstractionem, à quibus illuminatur: ergo diversitas medij, & abstractionis per se variat scibile, quatenus tale est.

Confirmatur: quia res in tantum intelligitur; in quantum intelligibiliter unitur intellectui: seu in quantum intellectus ipse transformatur in rem intellectam, & fit quodammodo ipsa, ut dicimus in libris de Anima. Sed ad talem unionem, & transformationem res fit proximè apta, cum per remotionem materiæ, ut sumitur ex 7. Metaph. text. 36. cum etiam per actuale, quam res habet à sua causa, ut dicitur libro 9. text. 20. Ergo obiectum intellectus constituitur in ratione formali obiecti, & intelligibilis per talem immaterialitatem, & actualitatem. Sed eadem est ratio intellectus, & scientiæ, quæ est habitus eius. Ergo obiectum scientiæ constituitur in ratione formali obiecti, & scibilis per immaterialitatem, quæ relinquitur ex abstractione materiæ; & per actualitatem, quam habet à sua causa, quæ est medium demonstrationis: & per consequens utrumque concurret ad specificationem scientiæ.

54. Tertia conclusio. Ratio sub qua à qua sumitur unitas, & distinctio generica scientiarum, accipienda est ex abstractione à materia: ac proinde illæ scientiæ erunt eiusdem generis, quæ habuerint eandem abstractionem; illæ verò diversi generis, quæ diversas sortiuntur abstractiones. Hæc conclusio est receptissima inter Thomistas. Pro qua videri possunt Iabellus, & Soncinas 6. Metaph. quæst. 7. Zanard. q. 5. Masius hic cap. 13. quæst. 1. Caiet. Nazarius, Gonçalves, Arauxo, & Sanchez supra citati. Docet eam Aristot. eodem lib. 9. Metaph. text. ut ibi explicat. D. Thom. Quam tradit, & probat Sanctus Doctor, cum locis adductis, alijs multis, quæ adducunt Auctores citati. Sed specialiter videatur lib. 7. de Sensu, & sensato, ubi supra adducta omnia paucis complexus, concludit: *Necesse est, quod habitus scientiarum distinguantur secundum differentiam separationis à materia: & ideo Philosoph. in 6. Metaph. distinguit genera scientiarum secundum diversum modum separationis à materia.*

Probatur breviter ex dictis: quia obiectum in esse scibilis constituitur per immaterialitatem: ergo in esse talis scibilis constituitur per talem immaterialitatem. Sed immaterialitas nihil aliud est, quam remotio, seu abstractio à materia: ergo talis immaterialitatis erit remotio, seu abstractio à tali materia. Hæc autem est triplex, ut dictum est: ergo triplex datur genus scibilis; & per consequens triplex genus scientiæ. Quod autem unitas, quam scientiæ habent ex his abstractionibus, sit tantum generica, probatur: quia intra unatquamque abstractionem continentur scientiæ specie distinctæ, ut supra tactum est & ex dicendis constabit: ergo ex dictis abstractionibus, præcisè provt sic, non potest causari in scientia unitas specifica.

55. Ultima conclusio. Ratio sub qua, ex qua sumitur unitas, vel distinctio specifica scientiarum, petenda est ex unitate, vel distinctione specifica

*Colleg. Compl. Logica.*

principiorum intra idem genus scibilis, seu intra eandem abstractionem. Tunc autem principia erunt eiusdem speciei in esse scibilis; quando vel unum derivatur ex alio, vel ambo ex alterutro intra eandem abstractionem. Tunc verò erunt specie distincta in esse scibilis quando neque derivantur ex alijs, neque ex alterutris. Conclusio provt iacet, est expressa Aristot. & D. Th. quorum verba adduximus supra num. 50. in quibus etiam continentur exempla huius doctrinæ: pro qua videti possunt Soto, Masius, & alij Interpretes Aristot. in hoc lib. cap. 25.

Fundamentum est: quia principia, seu media demonstrationis eatenus pertinent ad rationem formalem specificationem scientiæ, quatenus gerunt vim luminis, per quod illuminatur, & cognoscitur conclusio: ergo tunc conclusio erit diversa in esse scibilis, quando principia, per quæ illuminatur, fuerint in ratione luminis diversa, seu quando habuerint diversam vim illuminandi.

Sed principia, quorum unum derivatur ex alio, vel ambo ex alterutro, non habent diversam vim illuminandi: bene autem principia, quæ nec derivantur ex alijs neque ex alterutris: ergo, &c. Antecedens, & prima consequentia patent, ex dictis num. 49. & 53. Minor verò probatur: quia rectè inquit D. Th. loco ibidem adducto, secunda principia sortiuntur à primis virtutem inferendi, & illuminandi conclusiones: ergo quando unum derivatur ex alio, vel ambo ex alterutro, omnia reducuntur in unam primam radicem luminis ac proinde pertinebunt ad eandem rationem scibilis: quando verò neque derivantur ex alijs, neque ex alterutris, reducuntur in virtutes illuminandi diversas; & consequenter constituent diversas rationes scibilis intra eandem abstractionem.

*Occurritur quibusdam objectionibus, quæ fieri possunt contra propositas conclusiones, & argumentis supra adductis satisficit.*

#### S. IV.

56. **V**T illustrior fiat doctrina tradita, aliqua contra illam obijcienda sunt. Et primò contra hanc ultimam conclusionem obijciens: quia sicut principia hominis & equi continentur sub principiis communibus animalis; ita principia corporis, seu entis mobilis, quod est obiectum Philosophiæ: & principia substantiarum spiritualium, quæ pertinent ad Metaph. continentur sub principiis communibus substantiæ. Ergo si principia hominis, & equi, idè non sunt distincta in esse scibilis: quia derivantur ex principiis animalis; pari ratione, neque principia entis mobilis, & substantiarum spiritualium, erunt distincta in esse scibilis: siquidem derivantur ex principiis communibus substantiæ: Et ex consequenti, sicut eadem est scientia hominis, & equi; ita etiam eadem erit scientia entis mobilis, & Angelorum; quod est absurdum.

Ut respondeatur huic argumento, meminisse oportet, quæ sup. num. 51. adduximus ex D. Thom. quod scilicet non causat unitatem scientiæ unitas primorum principiorum simpliciter; sed unitas principiorum primorum in aliquo genere scibili, hoc est, intra aliquam abstractionem, ut ibidem explicuimus. Quare licet principia, quæ sunt intra unam abstractionem; derivantur ex principiis alterius abstractionis; id tamen non tollit, quominus illa verè sint prima in esse scibilis; utpotè quæ sunt prima intra propriam abstractionem. Et ratio sumitur ex dictis.

D d 3 Quia



Quia cum genus scientiæ sumatur ex abstractione; differentia verò ex primis principiis: proprium autem sit differentie, distinguere rem, quam constituit, non à quibuscumque, sed ab iis tantum cum quibus convenit in genere: inde fit, ut principia ad diversificandas specificè scientias non debeant esse prima absolute; sed illud genus sub quo continentur tales scientiæ.

Quo supposito responderetur, quod principia hominis & equi, non sunt prima in genere scibilis: quia derivantur ex principiis animalis, quæ continentur intra eandem abstractionem à materia singulari, quæ est propria Philosophiæ.

At verò principia entis mobilis non derivantur ex aliis intra propriam abstractionem à materia singulari: quia principia substantiæ, quibus derivantur, sunt intra aliam abstractionem, nempe à materia intelligibili, & consequenter pertinent ad aliud genus scibilis. Ex quo tandem fit Metaphysicam & Philosophiam esse plures scientias; non verò scientiam de homine & equo.

§7. Sed contra. (Et fit secunda obiectio contra eandem conclusionem.) Quia principia quantitatis continuæ, quæ est obiectum Geometriæ, & principia quantitatis discretæ, quæ est obiectum Arithmetice derivantur ex principiis communibus quantitatis intra eandem abstractionem: & tamen sunt scientiæ specie distinctæ: ergo tam solutio, quam conclusio sunt falsæ. Minor & consequentia constant. Maior autem probatur: quia quantitas non abstrahit à materia intelligibili, ut constat ex dictis.

Respondetur, Arithmetice & Geometriam non disputare de numero, & magnitudine secundum essentiales eorum rationes; sed secundum rationem mensuræ: non enim curant, an positi sint in extensione, aut diffusibilitate, vel aliquo alio: sed quomodo eis mensurentur cætera.

Secundum quam rationem principia utriusque non derivantur ex aliis intra eandem abstractionem: quia omnia Geometrica tandem resolvuntur in punctum, quod est prima mensura magnitudinis; & omnia Arithmetica in unitatem, quæ est prima mensura numerorum. Quæ duæ mensuræ sunt primò diversæ in ratione mensurandi; neque possunt habere aliquam mensuram communem, per quam regulentur: quia unitas mensurat numerum ut pars eius, punctum verò magnitudinem ut nexus; aut terminus: qui sunt modi mensurandi omnino disparati, & ad invicem independentes.

§8. Tertiò obicitur contra tertiam conclusionem, quia si ab abstractione sumeretur unitas aut distinctio generica scientiarum, sequeretur sacram Theologiam esse eiusdem generis cum Metaphysica: æquidem continetur intra eandem abstractionem: hoc autem est expresse contra D. Th. 1. p. quæst. 1. art. 2. ad 2. ergo, &c.

Respondetur primò ead. Bænes art. 3. sequenti conclus. 1. & ad 5. Nazari. ibidem controvers. 1. & aliis Thomistis, Theologiam sacram habere proprium modum abstractionis distinctum ab aliis, & excellentiorem illis.

Quia deitas, quæ est ratio formalis quæ obiecti eius est simplicior, actualior, & immaterialior, quam rationes entis & substantiæ, quas considerat Metaphysica; & ideo hæc solum excludit à suo obiecto materiam corporalem admittens in illo realem compositionem ex potentia; & actu. Theologia verò excludit omnem potentialitatem, & materiam etiam Metaphysicam: & ideo habet specialem abstractionem, per quam constituitur in proprio genere ab aliis distinctio. Eam tamen non enumeravimus,

in conclusione: quia ibi solum egimus de scientiis naturalibus, seu quæ acquiruntur ex viribus humani ingenij.

Vel secundò responderetur, conclusionem nostram intelligendam esse de scientiis, quæ procedunt eodem lumine, se tenente ex parte potentie: in quibus illæ, quæ fuerint eiusdem abstractionis, erant etiam eiusdem generis. Et propterea inter scientias naturales, quia omnes procedunt ex eodem lumine naturali intellectus agentis; Geometria, & Arithmetica sunt eiusdem generis: quia habent eandem abstractionem; & idem proportionabiliter est de cæteris. At verò Theologia procedit ex lumine supernaturali divins revelationis ut loco citato inquit, Divus Thomas, & sic distinctio eius ab aliis est magis generica, & sumitur ex universali principio, scilicet ex lumine supernaturali per quod procedit.

§9. Ut autem hoc plenius percipiatur, notandum est, quod cum obiectum potentie sit quid commune, quam obiectum cuiuscumque habitus talis potentie: inde fit, ut distinctio magis generica, & universalior sumatur ab obiecto potentie, quam ab obiecto habitus. Verbi gratia, magis distinguitur scientia à iustitia, quam ab opinione: quia distinctio scientiæ à iustitia sumitur ex ratione veri, quod est obiectum potentie intellectus; distinctio verò ab opinione sumitur ex ratione necessarij, quod est obiectum habitus scientifici, & pars quædam obiecti intellectus.

Proportionabiliter ergo applicando hanc doctrinam ad actus eiusdem potentie, dicendum est, cæteris paribus, maiorem distinctionem esse inter actus naturales, & supernaturales unius potentie, quam inter actus naturales illius: & idem est de habitibus. Quia ut ex doctrina Div. Thomæ notat bene Cabezudo 3. parte, quæstione 72. artic. 8. circa finem, principia supernaturalia, ex quibus tales actus procedunt, quodammodo habent rationem potentie, ut potè quæ non ad faciliter, sicut habitus naturales; sed ad simpliciter operandum tribuuntur, suntque complementa potentie in ordine supernaturali.

Cum ergo Theologia sacra procedat ex principio supernaturali, scilicet ex fide divina, vel lumine gloriæ; quæ se tenent ex parte potentie: inde est, quod distinctio eius ab aliis scientiis naturalibus sumitur ex universali principio; & consequenter est magis generica, quam distinctio earum inter se. Quare cum Metaphysica, & Mathematicæ distinguantur genere infimo, ut constabit ex dicendis, utraque distinguetur à Theologia genere subalterno.

60. ¶ Ad fundamenta aliarum opinionum supra adducta satis patet ex dictis: libet tamen eorum solutionem breviter in præsentia colligere.

Et primò ad rationem dubitandi in principio positam iam constat, quomodo in obiecto habitus, vel potentie ratio sub qua habeat in ratione obiecti eandem unitatem, quam habitus, vel potentia; cum tamen ratio qua possit esse una tantum genericè, aut etiam analogicè.

Constat etiam, quomodo de eodem obiecto materiali possint esse diversæ scientiæ: & quod ex abstractione sumitur unitas non specificæ, sed genericæ earum. Ac tandem, quid sit, quod obiectum constituit in esse scibilis: & quando res sunt unum scibile; quando verò diversum. Arque ita evanescent omnia ad illud propositum adducta.

Ad fundamentum etiam tertie sententiæ sup. not. 38. adductum iam patet, non quamlibet diversitatem principiorum sufficere ad multiplicandas scientias: sed requiri, quod sint prima inter aliquam abstractionem; id est, quod non deriventur ex aliis, vel

vel ex alterutris intra illam, & propterea, licet principia aliarum scientiarum deriuentur ex principiis Metaphysicæ; adhuc esse distinctas scientias: quia talis deriuatio fit ex abstractione propriam illarum scientiarum. Et multò minùs sequitur secundum inconueniens: siquidem ex vniuersalissimis principiis non sumitur vnitas, aut distinctio scientiæ, vt supra num. 5. vt vidimus ex D. Thom.

61. Ad confirmationem neganda est minor. Ad cuius probationem responderetur, quod quamuis propria principia, per quæ probantur passionis definitionis, aut alterius gradus specifici, sint immediata, & simpliciter indemonstrabilia, quatenus non habent causam adæquatam & conuertibilem, seu proprium *propter quid*, per quod probentur: verè tamen dependent, & deriuantur ex communibus principiis secundarum intentionum. Quia gradus genericus est radix & principium differentiarum contrahentium ipsum ad species: & harum passionis verè probantur per principia generica, tanquam per causam remotam, & inconuertibilem. Quod sufficit, vt principia specifica possint resolui in principia generica: & consequenter vt deriuentur ex eis.

Tandem ad fundamentum Pat. Suarez num. 39. adductum respondeant huc vsque dicta. Quamuis enim ob defectum nostrum, & materiæ huius difficultatem, eam non comprehendamus: neque supra adducta intellectum omnino conuincant: tamen multò magis satisfaciet in hac difficili quæstione, qui viam aliquam gratum Doctorum autoritate firmatam explicat, & defendit; quàm qui omnibus aliis dicendi modis relictis, nihil omnino, vel nugatorium quid statuit, vt dictum Authorem fecisse, testatur Rubio loco ibid. citato.

62. Ex dictis in tota hac quæstione inferuntur duo, contra duos priores modos explicandi quartam sententiam supra relata.

Primum est, quod licet collectio specierum sit omnino necessaria ad scientiam, possitque appellari scientia inchoatiuè, & causaliter: tamen id, quod propriè habet rationem scientiæ, est tertia alia qualitas, seu facilitas iudicatiua, qua promptè, & delectabiliter iudicat intellectus de suo obiecto. Neque in hoc est immorandum: quia præter paucos Thomistas, cæteri omnes vniformiter conveniunt.

63. Secundum est, hanc qualitatem, seu facilitatem non componi ex pluribus habitibus partialibus, vt aiebat Suarez; neque similiter ex partibus extensionis, vt tenent alij: sed verè esse formam quandam, & qualitatem simplicem, excludentem quorumlibet partium actuale compositionem.

Si enim res omnes, quæ cadunt sub obiecto Geometriæ, verbi gratia, sunt vnicum scibile in specie infima propter vnicam, & indiuisibilem rationem *sub qua*, quæ in eis inuenitur; ergo de illis omnibus vnus, & simplex habitus Geometriæ iudicare potest.

Sicut propter eandem rationem vnica & simplex potentia intellectus de omnibus intelligibilibus iudicat; quia omnia habent vnicam & indiuisibilem rationem *sub qua*, ab intellectu attinguntur.

Quæ ratio est Dni Thomæ 1. 2. q. 54. art. 4. & pro ea videri possunt Caietan, & alij Thomistæ supra numero 42. adducti.

¶ Quomodo autem habitus scientiæ, cum sit simplex secundum seipsum; realiter tamen augeatur, ita vt verum sit entitatem ipsam intrinsecam habitus esse perfectionem, & magis extensam absque reali additione partium; plura peti à præsentis instituto aliena, quæ commodiùs explicabimus in libris de Generatione, agentis de intensione, & extensione qualitarum.

## Q V Æ S T I O V.

*Quomodo applicanda sit doctrina tradita singulis scientiis in speciali.*

64. His generaliter statutis de scientiarum specificatione, iam facile est iudicare de vtilitate vniuscuiusque in particulari, quanta sit, & vnde sumatur. Ex ideo in gratiam omnium, qui illas profitentur, specialiter discurrendum est per singulas: tum vt grauissima hæc materia quantum in nobis est, vndeque maneat absoluta: tum etiam vt specialiter constet de vnitatem nostræ Dialecticæ & Philosophiæ naturalis postea tradenda.

## §. I.

*De sacra Theologia.*

65. Incipiendo à sacra Theologia: quia alias scientias dignitate superat, cum longa disputatio extra institutum nostrum sit, breuiter asserendum est in primis, ipsam genere subalterno differre à Metaphysica, & aliis scientiis naturalibus, vt satis ex dictis constat. Deinde esse vnum habitum in specie infima, quoad omnes suas partes.

Quæ sententia communis est in schola D. Th. qui eam indicat: tum in Prologo sententiarum q. 1. art. 2. vbi illam defendit Capreol. q. 3. art. 1. concl. 4. tum etiam 1. part. q. 1. art. 3. vbi ipsum in hoc sensu explicat, & defendunt Caiet. & Nazar. in Commentario articuli, Bañes dubio vltimo, Gonzales disp. 3. concl. 4. & communiter Thomistæ.

Probat breuiter ex doctrina generali tradita: quia intra abstractionem propriam Theologiæ, nempe ab omni materia naturali & potentialitate creata, omnia eius principia tandem resoluuntur in diuinam reuelationem: ergo deriuantur ex aliis, vel ex alterutris: & per consequens pertinent ad eandem speciem scibilem.

Confirmatur, quia quæcumque traduntur in Theologia, referuntur in eandem deitatem, vel tanquam in propriam essentiam, vt quæ pertrahuntur de attributis & personis: vel tanquam ad principium efficiens, aut vltimum finem, vt quæ de creaturis disputantur. Hoc autem, non vt sunt quocunque modo cognoscibilia, sed vt stant sub principiis reuelatis. Ergo omnia pertinent ad eandem rationem formalem *quæ*, scilicet deitatem: participantque eandem indiuisibilem rationem *sub qua*, scilicet diuinam reuelationem mediatam, & virtualem: & ex consequenti sunt vnum scibile in specie infima. Videantur Gonzal. vbi sup. & alij Thomistæ.

## §. II.

*De prima Philosophia, seu Metaphysica.*

66. Secundò etiam inferitur ex dictis, quid de Metaphysica sentiendum sit. Cum enim abstractio à materia intelligibili conueniat huic scientiæ: consequens est ipsam genere differre à Mathematicis & Philosophiæ naturali. An autem Metaphysica, quoad omnia, quæ includit, sit vnus habitus in specie infima, longiorè postulat disputationem, quæ aliena est à præsentis instituto.

D d 4

Affirmo

Affirmatiua tamen sententia, quam tradit D. Thom. Opusc. 42. cap. 3. & defendunt Caiet. in hoc lib. c. 23. Araux. 1. Metaph. q. 5. art. 3. & communiter Thomistæ, potest facili ex eisdem fundamentis suaderi. Quia omnia principia ex quibus Metaphysica procedit ad suas concl. demonstrandas, tandem resolvuntur in communia principia entis realis, quod est obiectum eius: ergo deriuantur ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abstractionem à materia intelligibili: & per consequens pertinet ad eandem speciem scibilis.

*De Mathematicis extremis scilicet Arithmetica,  
& Geometria.*

§. III.

67. **T**ertio infertur, quid dicendum sit de Arithmetica, & Geometria, quæ propriè sunt Mathematicæ, (Musica enim, Perspectiva, Astrologia, & similes, quæ solent inter Mathematicas numerari, non sunt verè species Mathematicæ, ut inquit D. Th. 1.2. q. 35. art. 8. & nos infra explicabimus. De quibus in primis statuendum est utramque genere differre à Metaphysica & Philosophia: siquidem continentur sub abstractione diuersa, nempe à materia sensibili, à qua sumitur genus scibilis Mathematici: ac proinde eas immediatè collocari sub eodem genere Mathematicæ, esseque interque species distinctas, siquidem ambæ continentur sub eadem abstractione; & intra eam principia vnus non deriuantur ex principiis alterius, neque utraque ex alterutris, sed resolvuntur in diuersa prima principia, ut supra numero 61. explicauimus.

68. Tandem asserendum est vnusquamque esse vnum habitum in specie infima. Quæ est communis sententia Authorum, quos supra num. 42. retulimus. Conuinciturque ex eisdem fundamentis. Nam in Arithmetica, numeri soli reducuntur ad superficiales, seu planos; & hi ad lineares: qui tandem resolvuntur in vnitatem, quæ est prima omnium mensura. Idem etiam contingit in proportionibus, quæ sunt passionum numerorum. Nam omnes superpartientes deriuantur ex superbipartiente, quæ est prima huius generis: hæc autem, & omnes superparticulares deriuantur ex sesquialtera, quæ est prima superparticularium. Ex quibus, omnes indeterminatæ reducuntur in primam determinatam huius generis, quæ est hemiolium, versaturque inter 2. & 3. Et tandem multiplicitates, & generaliter omnes proportionales, tam numeri ad numerum, quam numeri ad vnitatem deriuantur ex ea, quæ simpliciter est prima in omni genere, scilicet ex proportionem dupla, quæ versatur inter binarium & vnitatem. De quo videri possunt Arist. 3. Metaph. c. 15. & D. Thom. ibid. lect. 17. Ergo principia omnia, ex quibus procedit Arithmetica, deriuantur ex aliis, ver ex alterutris intra propriam abstractionem: & per consequens constituunt vnum scibile in specie infima.

69. Idem etiam patet in Geometria. Nam, ut expressè inquit D. Thom. loco supra num. 50. adducto, principia isochelis, isopleuros, & scalenon deriuantur, ex principiis trianguli & principia quadrati, thombi, rhomboidis & similem ex principiis quadranguli: & utraque ex principiis communibus figuræ.

Et tandem, ut totam Geometram vno complectamur verbo, figuræ omnesque formantur in profunditate. deriuantur ex pyramide, quæ ex prima solidarum: hæc verò, & omnes, quæ formantur in superficie, deriuantur ex triangulo, quæ est prima inter figu-

ras planas: & tandem triangulus resolvitur in lineas, & hæc in punctum, quod ex prima mensura quantitatis continuæ. Ergo illa est vnum scibile in specie infima, & Geometria vnus habitus in specie.

Maior huius explicatio pendet ex perfecta notitia harum scientiarum: hæc tamen sufficiunt, ut eis applicetur generalis doctrina tradita.

*De Philosophia naturali.*

§. VI.

70. **Q**uarto infertur, quid dicendum de Philosophia naturali, ut comprehendit lib. Physicorum, de Cælo, Generatione & Anima, & si quæ alia ad ipsam pertinent, ut sunt libri Arist. qui appellantur Parua naturalia. In quo tamen veteres & iuniores Thomistæ non concordant: & res adhuc sub lite est, ut inquit Arauxo inf. à citandus.

Ex antiquis negant Philosophiæ vnitatem specificam Soncin. 6. Metaph. q. 8. Caiet. in hoc lib. c. 22. & 2. 2. q. 162. in introductione quæstionis.

Pro qua etiam sententia refertur. Capreol. q. 3. Prologi: eique fauet non parum D. Th. in hoc 3. lib. lect. 4. ubi post verba sub. n. 50. adducta statim subdit, quod *Corpus naturale & Mathematicum distinguuntur in diuersas species scibilium.*

¶ Et ratio Caiet. videtur efficax. Quia maior & minor remotio à materia, & motu videtur sufficiens distinctiuium scientiarum. Sed intra abstractionem à materia singulari, quæ communis est toti Philosophiæ, datur maior & minor remotio à materia, & motu in entibus mobilibus, siquidem abstrahit ab omni specie motus determinata, & est tantum mobile ut sic, cui correspondent libri Physicorum; aliud est mobile tantum ad vbi, cui correspondent libri de Cælo; aliud ad formam, cui correspondent lib. de Generatione, &c. Ergo habent diuersas immaterialitates: & per consequens sufficiunt distinguere species Philosophiæ.

71. Secunda sententia constituit vnitatem specificam in Philosophia, ut comprehendit omnes suas partes. Quam docuit Auerroës 2. Physic. text. 29. & sequuntur ferè omnes Thomistæ iuniores. Soto hic cap. 25. & 1. Physic. q. 2. Banpes lib. 1. de Generat. quæ Proemiali ad 4. Arauxo 1. Metaph. q. 5. art. 3. ad 1. Sanchez lib. 1. Logicæ quæ 11. & alij. Quibus fauet D. Th. de sensu & sensato lect. 2. ubi post verba num. 58. adducta, planè loquitur de tota Philosophia, ut de vna scientia; librosque Physicorum, de Cælo, & alios appellat partes eius. Quod etiam colligitur ex Opusc. 42. c. 14. ubi postquam ex diuisione entis in suas species colligit diuisionem Philosophiæ: subdit talem diuisionem magis pertinere ad Logicum, quam ad Philosophum, planè indicans esse partitionem rationis in eodem simplici habitu.

Cerrè de mente D. Thom. non omnino constat in hac difficultate. Hæc tamen, secunda sententia est procul dubio conformior illi: tum propter adducta: tum etiam quia magis consequens est generali doctrinæ de scientiarum specificatione supra ex ipso statuta. Et idè asserendum est totam Philosophiam naturalem esse vnum habitum in specie infima.

In cuius confirmationem præter adducta solam addenda est ratio, quam pro aliis fecimus, quod scilicet omnia principia Philosophiæ deriuantur ex aliis, vel alterutris intra propriam abstractionem à materia singulari: siquidem saltem dependent, & probantur

Probantur per communia principia motus, quæ in lib. Physic. statuuntur: reducunturque tandem in materiam, & formam, quæ sunt prima principia entis mobilis. Ergo omnia, quæ tractantur in Philosophia, constituunt unicam speciem scibilis; & consequenter pertinent ad eandem atomam speciem scientiæ.

72. Ad locum D. Thomæ pro contraria sententia adductum respondent optimè Bañes & Arauxo ubi sup. sanctum Doctorem per corpus naturale, ut condistinguitur contra corpus Mathematicum, intelligere non solum ens mobile, quod est obiectum Philosophiæ, sed alia entia naturalia, quæ sunt obiecta aliarum scientiarum, quæ subalternantur Mathematicis; ut sonorum respectu Musicæ, & visuale respectu Perspectivæ.

Istæ enim scientiæ, ut iam videbimus, continentur sub eodem genere immediato cum Philosophia, & habent pro obiectis entia naturalia: & ideo cum omni proprietate verificatur corpus naturale; ut comprehendit obiecta Philosophiæ, Musicæ, & aliarum, diuidi in plures species scibilium, ut magis constabit ex dicendis.

Ad rationem responderetur negando maiorem. Nam, ut ex dictis patet, intra eandem abstractionem maior & minor remotio à materia aut motu, non causant diuersitatem in esse scibilis; nisi quando resoluuntur in diuersa prima principia, ut contingit in obiectis Arithmeticæ, & Geometriæ. Quod tamen non inuenitur in Philosophia: siquidem omnia eius principia, tam quæ magis, quàm quæ minus abstrahunt à motu, deriuantur ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abstractionem à materia singulari, ut explicatum est.

*De Musica, Perspectiua, Astrologia, & aliis.  
scientiis mediis.*

§. V.

73. **Q**uintò inferitur, quid dicendum sit de scientiis, quæ subalternantur Mathematicis, & solent appellari mediæ inter illas, & purè naturales, ut sunt Musica, Perspectiua, Astrologia, Cosmographia, Geographia, Hydrographia, Machinatiua, & similes. Circa quod suppositis his, quæ de propria subalternatione diximus sup. n. 9. considerandum est huiusmodi scientias quodammodo descendere ex vno genere in aliud, in quantum applicant obiectum, & principia subalternantis ad materiam omnino accidentalem, & extraneam, ut ibidem explicuimus. Quo fit, ut obiectum, & principia subalternantis semper sint sub abstractione diuersa, ab ea quæ habet materia illa, cui fit applicatio in scientia subalternata; ut patet in exemplis ibidem adductis. Numerus enim & linea secundum se, abstrahunt à materia sensibili, sonorum verò, & visuale, tantum à materia singulari. Et hac de causa scientiæ istæ dicuntur mediæ; quia nimirum participant de vtraque abstractione: siquidem in eis principia aliter abstrahunt ad conclusiones.

Ex quo etiam nascitur, ut rectè notauit D. Thom. 2.2. quæstione septima art. 1. ad tertium, quod si principia considerentur, quæ habent rationem formæ; scientias istas cum Mathematicis connumeramus: si verò conclusiones, seu materiam propriam expectemus, magis conueniunt cum naturali: propter quod 2. Physic. text. 2. dicitur esse magis naturales.

74. Ceterum, quis in his scientiis, ut latè explicuimus suprà n. 21. ratio formalis quæ obiecti non sic

constituitur ex obiecto superioris, & materia illa extranea, quasi ex æquo includat vtrumque: sed obiectum superioris consideratur quasi in obliquo, & ut principium, per quod definitur: materia verò extranea principaliter, & in recto, habet rationem obiecti, ut sonum in Musica, & visuale in Perspectiua: inde est, quod absolute, & simpliciter loquendo, scientiæ istæ dicendæ sunt naturales, & continentur in eodem genere cum Philosophia naturali. Quod genus distinctionis gratia appellabimus *scientiam naturalem*, (ne ipsum cum Philosophia, quæ est quædam species eius, confundamus.) Et per consequens genere distinguuntur ab Arithmetica, & Geometria, quæ sunt propriè Mathematicæ.

Hanc sententiam defendunt communiter Thomistæ. Caiet. 2.2. q. 9. art. 2. Flandria 6. Metaph. q. 3. art. 1. Soto in hoc lib. c. 1. q. 5. ad 5. & 2. Physic. q. 2. art. 2. Arauxo ubi suprà ad secundum, & alij. Pro qua etiam videri potest D. Thom. sect. 25. huius lib. & 2. Physic. lect. 2. Vbi eam docet eleganter Aristoteles: nam postquam Mathematici, & Philosophi differentiam explicuit ex diuersa abstractione à materia, subdit: *Hoc idem indicant, & Mathematicarum facultatum hæc, quæ magis sunt naturales, ut Perspectiua, Musica & Astrologia. Nam contra quodammodo se habent ac Geometria namque de naturali linea contemplatur; sed non ut est naturalis: Perspectiua verò Mathematicam quidem lineam considerat, at non ut est Mathematica, sed ut est naturalis.*

Ex quibus verbis probatur à priori hæc sententia: Quia idem Geometria, verbi gratia simpliciter est scientia Mathematica, & genere distinguitur à Philosophia: quia linea, quàm considerat, licet à parte rei sit quid naturale; non tamen consideratur ab ea, ut est naturalis: sed ut abstrahit ab omni materia sensibili. Sed è contra linea, quam considerat Perspectiua, licet secundum se sit quid Mathematicum; non tamen consideratur ab ea, ut est Mathematica, sed ut includit visualitatem, quæ est materia sensibilis. Ergo Perspectiua simpliciter est scientia naturalis, & genere distinguitur à Geometria.

Confirmatur: quia id, quod principaliter, & in recto habet rationem obiecti in his scientiis mediis, est illa materia extranea, & sensibilis; ut sonorum in Musica, & visuale in Perspectiua: ergo tantum abstrahunt à materia singulari, sicut ens mobile, quod est obiectum Philosophiæ: ergo continentur sub eodem genere scibilis naturalis; & consequenter sub eodem genere scientiæ.

75. Circa unitatem verò, aut distinctionem specificam harum scientiarum idem ferè ac de reliquis dicendum est, scilicet sumendam esse ex unitate, vel distinctione principiorum in esse scibilis. Id enim æquè conuincunt de omnibus scientiis rationes suprà n. 9. adductæ. Non tamen sumitur eodem modo in his, ac in cæteris. Cum enim aliæ sint extremæ: tam principia, quàm obiectiui sunt sub eadem abstractione: & ita unitas vel distinctio earum sumitur ex principiis, quæ sunt prima intra abstractionem propriam ipsius obiecti, ut vidimus. At verò in his scientiis, de quibus loquimur, cum sint mediæ inter purè Mathematicas, & Naturales, principia habent diuersam abstractionem, ac obiecta: & ita unitas, aut distinctio earum non potest sumi ex principiis; quæ sunt prima intra abstractionem propriam obiecti: (nulla enim talia principia sunt in his scientiis:) ac proinde desumenda est ex principiis, quæ sunt prima intra abstractionem propriam ipsorum principiorum.

Iuxta quam doctrinam, quæ prout iacet necessariò admittenda est à Thomistis suprà citatis, nobis valdè probabile est, & maximè consequens adhuc vsque di-

ta,

ta, quod sicut duæ tantum dantur Mathematicæ extremæ, quarum principia possint ad materias extraneas applicari: sic duæ tantum dantur huiusmodi scientiæ mediæ, licet variis nominibus significatæ. Altera est, quæ principia Arithmetica applicat ad materias sensibiles: potestque, prout comprehendit omnes materias, appellari *Arithmetica naturalis*. Quæ dum talia principia applicat ad sonos, dicitur Musica: dum verò ad alias materias (si quæ sint, quibus hæc principia possint applicari) fortietur alia nomina. Altera verò est, quæ principia Geometria applicat ad materias sensibiles: potestque communi nomine dici *Geometria naturalis*. Quæ dum talia principia applicat ad visum, dicitur Perspectiua, seu Optica; dum ad cælos, & astra, Astrologia; dum ad mundum, eius partes, Cosmographia; dum ad terram, & eius Prouincias, Geographia, dum ad singularem locum, aut Ciuitatem, Topographia; dum ad aquam, & maria, Hydrographia; dum ad bellica instrumenta, & machinas, Machinatiua: & sic de aliis nominibus, quibus scientia ista potest appellari, secundum quod applicat principia Geometria ad peculiare materias sensibiles.

76. Quamuis autem hæc doctrina, prout iacet non inueniatur expressa in Doctoribus: quia non descendunt ita particulariter ad has materias; est tamen non solum consequens ad fundamenta supra ex Aristot. & D. Th. stabilita; sed etiam communi Mathematicorum sententiæ, qui quatuor tantum Mathematicas admittunt, ut patet ex Ptolomæo in Almagesto. Imò sic necessarium asserendum est iuxta receptissimum loquendi modum, tam Dialecticorum, quam Philosophorum, constituentium septem tantum artes liberales, ut patet ex illo carmine.

*¶ Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.*  
Vbi quatuor tantum numerantur Mathematicæ; duæ extremæ, scilicet Arithmetica, & Geometria designatæ per *numerum*, & *angulum*; & duæ mediæ, nempe Musica, & Astrologia significatæ per *tonum*, & *astra*. Propter quod etiam Mathematicæ ab Antiquis appellabatur quadriuium. De quo videri possunt Hugo Victorinus lib. 3. sui Didascalon, & D. Th. opusc. 70. quæst. 5. art. 1. ad 3.

Ratione etiam idem facile probatur ex dictis. Quia tot sunt constituendæ species scientiæ, quot fuerint principia in ratione luminis diuersa, seu habentia diuersam vim illuminandi conclusiones: sed principia omnia, ex quibus procedunt scientiæ mediæ, sunt tantum duo in ratione luminis, seu tantum habent duplicem vim illuminandi: ergo tantum sunt constituendæ duæ scientiæ mediæ. Maior est Arist. & D. Th. ut patet ex dictis supra n. 58. Minor verò probatur: quia principia omnia, ex quibus procedunt istæ scientiæ mediæ, vel sunt Geometria, vel Arithmetica, ut supponimus: sed in his tantum inueniuntur duæ primæ radices luminis, ut n. 69. ostensum est: ergo tantum datur in eis duplex vis illuminandi conclusiones.

Confirmatur: quia genus sumitur ab eo quod habet rationem materiæ, & differentia ab eo, quod habet rationem formæ, ut vidimus supra disp. 5. n. 73. sed in his scientiis mediis proprium obiectum habet rationem materiæ, & principia superiorum rationem formæ, ut expressè docet D. Th. in hoc lib. lect. 25. & 2.2. q. 9. art. 2. ad 3. ergo sicut in eis rectè sumimus genus ex obiecto, seu materia, ad quam applicant principia superiorum, eas propterea collocantes sub eodem genere cum Philosophia; sic etiam rectè sumimus differentiam ex ipsis principiis superiorum, duas tantum scientias medias constituentes, iuxta duas species principiorum in esse scibilis, nempe arithmetiæ, & geometricorum.

77. Ad hæc fortè respondebis idem principium

geometricum, quod Perspectiua applicat ad visum, & Machinatiua ad instrumenta bellica, licet in se sit formaliter vnum; esse tamen virtualiter multiplex, secundum quod est applicabile ad diuersas materias.

Sed contra hoc est. Primò: quia esto detur in principiis geometricis talis multiplicitas virtualis, adhuc ista reducitur tandem in vnam primam radicem luminis, ut supponimus: ergo non potest causare plures scientias. Patet consequentia: quia nulla alia ratione talis virtualis multiplicitas, quæ ponitur in principiis geometricis, non sufficit causare plures species Geometria: nisi quia reducuntur in vnum primum fontem luminis: ergo eadem ratione non poterit causare plures scientias illi subalternatas.

Secundò: quia omnino falsum est, principia geometrica esse virtualiter plura, secundum quod possunt applicari ad diuersas illas materias: ergo falso nititur fundamento dicta solutio. Probatur antecedens: quia idem lux corporalis non est virtualiter multiplex, secundum quod potest illuminare hominem, & equum: quia illi omnino per accidens est, quod applicetur ad eos illuminandos. Sed principiis geometricis est multò magis per accidens & extranea quæcumque materia, ad quam applicantur. Ergo ratione talis applicationis non sunt virtualiter plura: & consequenter non datur firmum fundamentum ad multiplicandas plures scientias medias sub eadem extrema. Ac proinde duæ tantum sunt constituendæ, ut explicatum est.

## DE LOGICA.

### §. vltimus.

78. **P**ostremò infertur, quid dicendum sit de nostra Logica, quam ad vltimum locum distulimus: quia aliis enumeratis, licet non vtilitate; aut necessitate: dignitate tamen cedit. De qua in primis statuendum est, ad nullum horum trium generum pertinere ut partem, seu speciem principalem alicuius. Quia ut disp. n. 51. tetigimus, & probat D. Thom. opusc. 70. q. 5. art. 1. ad 1. Logica non est pars principalis scientiæ speculatiuæ: sed ad eam reducitur ut adminiculum, & instrumentum aliarum, quatenus docet modum procedendi in illis.

Cæterum, quia Logica sic est instrumentum scientiarum, ut etiam sit vera pars Philosophiæ, seu vera scientia, ut ibidem explicuimus: non omnino excluditur ab hac coordinatione: sed continetur sub eodem genere cum Metaphysica, ut potè quæ habet eandem abstractionem ab omni materia. Differt verò specie ab illa: quia licet vtriusque principia contineantur, & deriuentur ex vniuersalissimis principiis entis, quod abstrahit à reali, & rationis; hæc tamen non causant vnitatem scientiæ, ut supra n. 51. vidimus. Cum autem in aliis non conueniat, siquidem Metaphysica procedit ex principiis entis realis; Logica verò ex principiis secundarum intentionum: planum sit vtriusque principia non deriuari ex aliis, neque ex alterutris: & consequenter esse diuersa in esse scibilis.

Tandem asserendum est, Logicam esse vnicum habitum in specie infima. Quia omnia eius principia deriuantur ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abstractionem, Nam principia demonstrationis deriuantur ex principiis communibus syllogismi: & hæc ex principiis argumentationis: ista verò ex principiis propositionum, & terminorum; & tandem hæc ex communibus principiis secundarum intentionum. Quod idem patet in definitione, diuisione, & aliis partialibus obiectis Logicæ quæ omnia



nia continentur sub eadem abstractione ab omni materia : ergo intra illam derivantur ex aliis , vel ex alterutris , & per consequens pertinent ad unicam speciem scibilis , & scientiæ .



## DISPUTATIO XX.

*De aliis habitibus intellectualibus.*



**C**APITULUM 26. & 27. huius primi libri Aristoteles agit de opinione , & solertia ; ut ostendat in quo deficient , & distinguantur à scientia . Et capite ultimo secundi libri tractat de habitu principiorum , quo cognoscuntur principia demonstrationis : quique est causa scientiæ . Et idè Doctores in fine horum librorum solent aliqua prælibare de his habitibus intellectualibus . Quod nos præstabimus quæstionibus sequentibus .

### QVÆSTIO I.

*Vtrum habitus principiorum sit distinctus ab intellectu, & in quo consistat.*

**C**ONCEDENDUM esse habitum principiorum , quem Aristot. 6. Ethicor. cap. 6. vocat *intellectum* seu *intelligentiam* , ut habet translatio antiqua , ita certum est : sicut est certum dari in rerum natura scientiam . Quemadmodum enim ad cognoscendas propositiones necessarias , & mediatas , seu per aliud notas necessaria est scientia : sic ad cognoscendas eas , quæ nullum habent medium , per quod probentur , & appellantur immediatæ , seu principia , necessaria est virtus aliqua , seu habitus intellectualis , quæ appellatur habitus principiorum . Neque de hoc est controuersia inter Doctores . ¶ Tria tamen sunt , in quibus non omnes consentiunt , *Primum* est : an habitus iste sit ipse intellectus , vel qualitas aliqua illi superaddita , & ab eo distincta . *Secundum* : in quo consistat propria eius ratio , seu circa quæ principia versetur . Et tandem *tertium* : an sit à natura inditus , vel quomodo fiat in nobis . Duo priora tractat rectè Ludouicus Montefino 1. 2. disp. 32. q. 6. & nos breuiter absolue- mus in hac quæstione . Tertium verò in sequenti la- tius explicabimus .

2. Dicendum est ergo primò habitum principio- rum non esse ipsam potentiam intellectuam ; sed verum habitum ipsi superadditum , & ab ea di- stinctum . Hæc conclusio est contra Valentiam , & Lorcam 1. 2. quæst. 51. art. 1. quam etiam ex parte negat Durandus in 3. dist. 33. quæst. 1. ad 2. Est tamen communis consensus Philosophorum cum Aristot. tùm in hoc 2. libro capite ultimo , vbi agens de causis istius habitus , expressè fatetur ip- sum generari in nobis experimento , & memoria : tum etiam loco citato ex 6. Ethicorum cap. 3. vbi numerat ipsum inter virtutes intellectuales ( quæ sunt veri habitus ) appellans eum *intellectum* propter suam excellentiam . Quo loco D. Thom. lectione 5, inquit : *Accipitur intellectus hic , non pro ipsa intelle- ctiva potentia , sed pro habitu quodam , quo homo ex vir- tute luminis intellectus agentis naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia* . Quod etiam docet 2. contra

gent. s. cap. 78. vbi affirmat habitum principiorum accipi ex sensibilibus , & esse effectum intellectus agentis . De quo etiam loquens prima secundæ quæ- stione 62. articulo tertio ad primum expressè inquit esse habitum naturalem superadditum potentie in- tellectui .

3. Fundamentum est : quia potentia rationalis , qualis est intellectus , & voluntas secundum se est indifferens , & se habet ad opposita , ut dici- tur nono Metaphysicæ . Potest enim voluntas ferri in bonum , & malum ; & intellectus , intelli- gere verum , vel falsum . Sed habitus principio- rum non se habet ad opposita : neque indifferen- ter inclinat ad verum , vel falsum : sed infallibi- liter attingit , verum & determinat intellectum , ad cognoscendas propositiones necessarias , imme- diatas ; ipsumque disponit benè secundum suam na- turam in ordine ad aliquam operationem . Ergo non est ipsa potentia intellectiua ; sed verus ha- bitus illi superadditus . Maior , & consequentia constat . Minor verò probatur . Tùm ex verbis Ari- stotel. libro 2. citato circa finem , vbi expressè re- statur habitum principiorum , quem vocat intel- lectum , esse perpetuò verum , dicens : *Cum au- tem mentis habituum , quibus verum perspicimus , quidam veri perpetuò sint , ut intellectus , atque scientia : quidam interdum falsum suscipiant , ut opinio , &c.* Tùm etiam ratione eiusdem Aristot. quia tota certitudo , determinatio , & necessi- tas assensus scientifici sumitur ex certitudine , de- terminatione , & necessitate assensus principiorum : ergo certius , firmitus , & magis immobiliter assen- titur intellectus ipsis principiis . Sed habitus scientiæ , quo cognoscuntur conclusiones , non est indiffe- rens ad verum , vel falsum , sed omnino determina- tus ad cognitionem veri : ergo multò magis deter- minatus est habitus principiorum . Videatur D. Th. 2. dist. 24. q. 2. art. 3.

4. Dices : habitus ponitur ad tollendam indif- ferentiam potentie : sed intellectus circa prima principia est naturaliter determinatus ; siquidem explicatis terminis non potest illis dissentire : er- go ad illa non indiget habitu ? & per conse- quens ipse erit habitus principiorum . ¶ Confir- matur : quia sicut se habet voluntas circa finem sibi proportionatum : ita intellectus circa princi- pia naturaliter cognita : sed circa talem finem voluntas non indiget habitu , ut sumitur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 56. art. 6. & docet expressè quæst. 62. sequenti art. 3. ad primum : ergo neque etiam intellectus indiget habitu circa prima prin- cipia .

Ad argumentum simul cum confirmatione res- ponderetur habitum principiorum esse necessarium : tum quia intellectus secundum se est indifferens ad eliciendum assensum conclusionum , vel prin- cipiorum : tùm etiam quia licet explicatis princi- piis vniuersalissimis naturaliter determinetur ad as- sentiendum illis : tamen respectu aliorum minùs vniuersalium potest habere falsam cognitionem : tum denique quia cum intellectus in omni suo actu indi- geat speciebus intelligibilibus ; non habet de se suf- ficientem determinationem , etiam respectu princi- piorum vniuersalissimorum ; neque ex se est facilis ad assentiendum illis . In quo distinguitur à volun- tate . Cuius operatio quia non requirit species : sed est pura inclinatio in obiectum , quod attrahit ad se voluntatem : inde est , quod sit sufficienter deter- minata , & absque vlla difficultate feratur in finem , in quem naturaliter inclinatur . Sic respondet D. Th. loco

loco citato ex quæst. 62. & quæst. 1. de virtutibus artis. ad tertium.

5. Dicendum est secundò habitum principiorum versari, tam circa principia vniuersalissima, quæ ab Aristot. cap. 1. huius primi libri appellantur *dignitates*, quàm circa principia particularia scientiarum, quæ vocantur *positiones*. Hæc conclusio est contra Valq. 1.2. disp. 74. cap. 3. sed est communis inter Doctores, pro qua videri potest Montefino vbi suprâ. Brevitèrque probatur. Tum quia Aristot. & D. Thom. agentes de huiusmodi habitu non distinguunt principia vniuersalia, & particularia, sed absolute docent versari circa prima principia. Tum etiam, quia, vt sumitur ex eodem Aristot. loco citato, propria ratio per quam habitus principiorum distinguitur à scientia, est quoddam versetur circa propositiones medio vacantes, & per se notas, quod æquè conuenit principiis vniuersalissimis, & particularibus, siquidem utraque sunt propositiones immediatæ. Tum denique quia necessitas ponendi hunc habitum superadditum intellectui, æquè procedit in omnibus; siquidem ex utrisque derivatur cognitio scientifica; & ad omnia requiruntur species intelligibiles. Ergo pro omnibus necessaria, est virtus intellectualis; vt illis firmiter adhæreat intellectus, & determinetur sufficienter ad veri cognitionem.

6. Ex quo apparet iam quid sit iste habitus, cuius definitio essentialis sic potest formari: *Intellectus, seu intelligentia est habitus circa propositiones vniuersales, necessarias, immediatas, & speculativas*. In qua priores particule expriment genus proximum, in quo intellectus conuenit cum synderesi, quæ est habitus principiorum practitorum. Vltima verò ponitur loco differentie: quia penes practicum, & speculativum distinguuntur isti duo habitus vt plene constabit infra num. 19. vbi diuisiones habitus intellectualis ordinabimus.

7. Secundò sequitur eundem habitum in specie infima sufficere pro omnibus principiis speculatiuis, siue vniuersalibus, siue particularibus, & consequenter non esse multiplicandos iuxta numerum scientiarum non subalternatarum; vt multiplicant Rubio, & alij. Ratio autem sumitur tum ex Aristot. in hoc 2. lib. cap. vltimo, vbi docet habitum istum esse virtutem intellectualem certiore, & altiore habitu scientiæ, in quam iste resoluitur; tanquam in principium efficiens, præhabens in se quiddam perfectionis est in scientia. Ergo vnitatis eius sumenda est ex altiori, & vniuersaliori radice: ac proinde non est multiplicandus iuxta numerum scientiarum. Tum etiam, quia propria ratio formalis, sub qua habitus iste tendit in principia, nempe immediata connexio prædicati cum subiecto, eadem est in omnibus principiis scientiarum; quamuis pro diuersitate materiali eorum; sæpè interueniat maior, aut minor difficultas in explicatione terminorum,

vt vidimus suprâ n. 6. Ergo idem habitus in specie infima sufficit pro omnibus principiis speculatiuis, tam vniuersalibus, quàm specialibus, & propriis scientiarum.

\*\*\*

## Q V Æ S T I O II.

*An habitus principiorum sit à natura inditus; vel quomodo fiat in nobis.*

8. **I**N hac difficultate duæ sunt sententiæ extremæ, & alia media. Prima asserit habitum principiorum nullo modo esse naturalem, sed verè acquisitum per actus ipsos, quibus intellectus assentitur principiis; sicut habitus scientiæ, & virtutum acquiruntur per proprios actus. Ita Rubio hic tractatu de habitu principiorum numero decimoquarto. Pro qua sententia citat Ferratam secundo contra gentes cap. 78. falsè tamen, vt infra constabit.

Probatum primò expresso (vt inquit) testimonio Aristotelis in hoc secundo libro capite vltimo, vbi loquens de habitu principiorum inquit: *Neque itaque insunt determinati habitus, neque ab aliis habitibus sunt notioribus, sed assensu*. Quibus verbis docet hunc habitum non inesse nobis à natura, neque ex aliis notioribus notitiis fieri sicut habitus scientiæ: sed per assensum immediatum veritatis per se notæ, quod est acquiri per proprios actus.

Secundò probatur ratione: quia natura solum concedit rebus, quæ necessaria sunt ad simpliciter operandum: quæ verò ad melius aut facilius requiruntur, relinquit acquirenda propria industria, & labore; tribuens illis principia, quibus possint operari, & operando ea acquirere: sed habitus principiorum non est necessarius ad simpliciter assentiendum primis principiis, sed ad assentiendum cum facilitate: ergo non est nobis à natura datus, sed acquiritur propria industria. Maior patet in habitibus virtutum moralium, quos idè natura non concessit: quia non requiruntur ad simpliciter operandum bona opera. Minor verò probatur: quia assensus primorum principiorum non excedit facultatem naturalem intellectus; cum sint veritates quædam naturales, & per se notæ: ergo informatus intellectus speciebus intelligibilibus, per quas apprehendit terminos, & cognoscit significationem eorum, potest propria virtute iudicare de virtute principiorum, eisque assentire; & ex consequenti ad simpliciter assentiendum illis non erit necessarius habitus.

9. Quamuis autem hæc sententia placeat quibusdam Modernis: est tamen procul dubio contra D. Th. vt infra constabit. Et idè illam reiciunt communiter Thomistæ, qui licet inter se dissentiant, an habitus iste sit congenitus intellectui, vel fiat in nobis post vniionem animæ ad corpus; in hoc tamen maximè conueniunt, quòd aliquo modo consequitur ipsam naturam, neque efficitur in nobis per assensum, seu iudicia intellectus possibilis; sicut acquiruntur alij habitus intellectuales; quod satis efficaciter conuincitur.

Quia si habitus principiorum produceretur per tales assensus, sed iudicia, etiam augetur per ipsorum repetitionem; & consequenter cresceret in nobis facilitas assentiendi eisdem principiis. Similiter per cessationem, seu dissuetudinem eorundem assensuum diminueretur talis facilitas; & per consequens posset ipse habitus minui, & tandem corrumpi: consequens est omnino falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Sequela patet: quia vt rectè inquit Diuus Thomas 1.2. quæst. 53. artic. 2. habitus ex eadem causa augetur, ex qua generatur; & ex eadem diminuitur, ex qua corrumpitur. Minor verò probatur: tum ex eodem Angelico Doctore articulo antecedenti, vbi expressè affirmat hunc habitum primorum principiorum nulla

nulla obliuione, aut deceptione corrumpi posse; bene autem scientiam, & aliquos alios habitus intellectuales: cum etiam experientia: quia post repetitos mille assensus huius principij. *Omne totum est maius sua parte*, nullus experitur maiorem facilitatem in assentiendo, ac habuit cum primò explicati fuerunt illi termini. Et eandem facilitatem experitur vnusquisque, cum potest diuinam cessationem, & dissuetudinem actuum, rursus proponitur idem principium. Ergo talis habitus non generatur per proprios actus, sicut alij habitus acquisiti, sed aliquo modo fit in nobis per modum naturæ.

10. Secunda sententia huic extremè opposita asserit habitum principiorum esse omninò à natura inditum intellectui, & cum ipso in creatione animæ comproductum. Sic docent graues Thomistæ, Bannes 1. p. q. 1. articulo sexto notabili tertio, Conradus, & Medina prima secundæ quæst. 5. artic. primo, Sanchez lib. 7. Logica q. 15. & alij quibus non parum fauet D. Thom. 1. p. q. 79. art. 1. 2. 2. q. 91. art. 3. 2. 2. q. 8. art. 2. ad 1. de verit. q. 16. art. 2. & alibi sæpè: vbi habitum principiorum appellat à natura inditum, seu naturalem: & eadem 1. 2. q. 90. art. 1. ad 3. fatetur esse in puero nondum habente vsum rationis, quamuis non possit eo vti, propter defectum ætatis. Et tandem id expressè docere videtur in distin. 23. q. 3. art. 2. ad primum, vbi ita inquit: *Habitus infusus similis est habitui innato: quia sicut naturalis habitus datur in creatione, ita infusus in reparatione. Naturalis autem sicut intellectus principiorum indiget, ut cognitio determinetur per sensum, quo acquisitus non indiget, &c.* Ergo ex sententia Diui Thomæ habitus principiorum est nobis naturaliter cognitus, & datur cum ipsa natura.

Secundò probatur ratione, qua vtitur Diuus Thomas loco citato de veritate: quia in hominibus, cognitio principiorum est quasi quoddam seminarium totius cognitionis sequentis; sicut in aliis naturis sequentium operationem, & effectuum quædam naturalia semina præexistunt. Ergo sicut hæc naturaliter insunt illis: sic etiam cognitio principiorum debet naturaliter inesse hominibus; & per consequens talis habitus erit omninò naturalis.

Confirmatur: quia facilitas, & promptitudo in operando est signum habitus præsentis, sed explicari terminis, ita facile, & promptè assentimur cum primùm proponit hoc principium, *Omne totum est maius sua parte*, quam postquam plures actus habuerimus circa illum, vt supra dicebamus. Ergo signum est ante primum illius assensum iam existere habitum, à quo causetur talis facilitas, & per consequens ipsum esse à natura inditum.

11. Sed quamuis hæc etiam sententia sit satis probabilis, & habeat pro se loca adducta Diui Thomæ; adhuc tamen non satisfacit alijs Thomistis, & meritò. Tum quia habet contra se plura alia Angelici Doctoris testimonia, vbi expressè affirmat habitum istum causari in nobis ab intellectu agente, vt infra videbimus. Tum etiam, quia planè contradicit Aristoteli in hoc libro secundo, capite vltimo, vbi, vt supra numero secundo diximus, & replicant Commentator & alij Interpretes, aperit locum fieri in nobis experimento, & memoria: atque ex ipsa cognitione sensitiua. Tum denique quia tollit ab intellectu humano puram potentialitatem in esse intelligibili, ratione cuius è principio est sicut tabula in qua nihil est scriptum, vt dicitur in tertio de anima textu 15. De quo videri potest Diuus Thomas ibidem, & prima parte quæstione 87. articulo 1. parte secunda quæstione 50. articulo 6. de malo, quæst. 16. articulo 12. ad 2. & alibi sæpè: Ergo habitus principiorum non est omninò naturalis, aut congenitus intellectui.

Colleg. Compl. Logica.

12. Tertia ergo, & inter præcedentes media sententia affirmat habitum principiorum partim esse à natura, & partim ab exteriori principio, seu dici naturalem inchoatiuè, quatenus ex ipsa natura animæ intellectuæ, conuenit homini, quoddam statim cognitio quid est totum & quid est pars, cognoscat quoddam omne totum est maius sua parte; dici verò acquisitum: quia non potest cognoscere, quid est totum & quid est pars nisi per species à sensibilibus acceptas. Hæc sententia prout iacet est expressa D. Th. 2. quæstione 51. articulo primo eamque sequuntur communiter discipuli eius, Caietan. ibidem Ferrara secundo contra gentes capite 78. Nazarius prima p. q. 58. articulo primo controuers. prima. Iabellus 2. Metaph. q. 1. Masius in hoc 2. lib. Post. q. 4. concl. 5. & alij qui tamen non eodem modo explicant illam: nam Masius putat habitum principiorum nihil aliud esse præter intellectum, & species intelligibiles ordinatas, vt patet concl. 4 & ita inquit illud esse naturalem ex parte qua includit intellectum: esse verò acquisitum ratione specierum intelligibilium, quæ per sensus acquiruntur.

Cæterum hic modus dicendi alienus est à mente D. Thomæ. Tum quia ipse expressè excludit potentiam intellectuam ab habitu principiorum, asserens esse quid illi superadditum, vt vidimus quæstione præcedenti. Tum etiam quia apud ipsum nomine habitus intellectus, non intelligitur collectio specierum sed tertia alia qualitas simplex, qua potentia promptè, & delectabiliter iudicat de suo obiecto, vt patet ex iis quæ adduximus disputatione præcedenti numero 42. Tum denique quia vt loco citato dicebamus, habitus principiorum, ex eo quod sit virtus intellectualis, debet semper esse verus; id est debet ex natura sua determinare ad veram cognitionem principiorum, vt inde possit sequi cognitio scientifica. Sed species intelligibiles non sic determinant intellectum sed quantum est ex se, indifferenter se habent ad producendam cognitionem veram, vel falsam; sicut ipsa potentia cuius sunt complementa. Ergo tales species non possunt esse habitus principiorum.

13. Vera ergo legitima D. Thomæ expositio est, quam tradunt Caiet. Ferrara, Nazarius, & alij Thomistæ asserentes habitum principiorum partim dici naturalem, partim acquisitum, non quia vna pars sit à natura, & alia ab exteriori principio: sed quia posita terminorum notitia extrinsecus acquisita mediantibus sensibus; ad præsentiam specierum intelligibilium virtute intellectus agentis resultat in intellectu possibili talis habitus: Atque ita eadem qualitas simul dicitur naturalis: quia fluit per modum naturæ posita notitia terminorum eo modo quo nutrire & augere dicuntur, actus naturales animæ posito alimento decocto: & simul dicitur acquisita, quia supponit operationes sensuum per quas acquiruntur species intelligibiles.

14. Dicendum est ergo conformiter ad hanc sententiam, habitum principiorum non fieri per assensum, seu iudicia intellectus possibilis, sed immediatè produci ab intellectu agente statim, ac per sensus acquiruntur species intelligibiles; ponitur notitia terminorum. Sic docent Thomistæ citati, ex quibus Ferrara assignat expressè discrimen inter hanc, & alios habitus intellectuales: quod istos producit in se intellectus possibilis, concurrente etiam virtute intellectus agentis; habitum verò principiorum efficit immediatè, & per se ipse intellectus agens. Vnde falsò adducitur à Rubio pro sua sententia.

Probatur primo conclusio ex Aristotele in hoc libro secundo capite vltimo, vbi non dixit habitum principiorum fieri assensu; id est per assensum intellectu-

Es Actus

ctus, ut malè legit Rubio: sed, à sensu: id est à potentia sensitiva, ut habent omnes translationes, & legunt ibi Diu. Thom. & cæteri Interpretes. Dicit autem cognitionem principiorum fieri ex sensu, & non aliis habitibus notioribus, ut ostendat non esse reducendam in alios priores assensus, seu iudicia intellectus; sed immediatè desumi ex ipsis sensibilibus modo explicato De quo videri potest D. Thom. loco citato ex 1. 2. & quæst. 1. de virtutibus, art. 3. ad tertium.

15 Secundò probatur ex aliis locis Angelici Doct. ubi expressè affirmat, habitum istum fieri immediatè ab intellectu agente Sic habet eadem. 1. 2. quæst. 53. art. 1. cum inquit: *Vnde si aliquis habitus sit in intellectu possibili immediatè ab intellectu agente causatus, talis habitus est incorruptibilis, & per se, & per accidens Huiusmodi autem sunt habitus primorum principiorum, tam speculabilium, quam practicum, quia nulla obliuione, vel deceptione corrumpi possunt, &c.* Et secundo contra gentes, cap. 78. *Habitus principiorum est acceptus à sensibilibus, ut probat Aristoteles in secundo Posteriorum, & sic oportet, quod si effectus intellectus agentis, &c.* Et in 1. dist. 24. quæst. 2. art. 3. dicit, quod *Est quodammodo innatus menti nostra ex ipso lumine intellectus agentis, ut ostendat quàm immediatè, & naturaliter fluat ex ipso intellectu agente ante assensus, seu iudicia intellectus possibilis quod tandem de habitu principiorum practicum expressit quæst. 16. de veritate art. 1. ad 14. dicens: Quod actus cognitionis non præexigitur ad potentiam, vel habitum synderesis, sed ad actum ipsius, &c.* Ergo ex sententia Diu. Thom. habitus principiorum non fit per assensus, seu iudicia intellectus possibilis; sed immediatè producit ab intellectu agente. Videantur etiam 6. Ethicorum lectione 3. cuius verba adducimus supra num. 1.

16 Tertiò denique probatur ratione: quia secundum hanc sententiam valde consonant omnia, quæ tam de intellectu humano, quam de habitu principiorum docent grauiores Philosophi: & recta ratio, atque experientia ipsa suadent. Ergo omnibus aliis est præferenda. Probat antecedens: quia in primis non tollitur pura potentialitas intellectus, in esse intelligibili, neque ponitur aliquid immediatè ab ipsa natura tributum, quod tantum sit necessarium ad facilius operandum; quod est fundamentum primæ sententiæ. Deindè explicatur optimè, quare talis habitus non possit corrumpi, quare per se à suo contrario, neque per accidens per quamcumque obliuionem, aut dissuetudinem actuum: quod tamen vix saluari potest in illa sententia. Præterea redditur optimè ratio eius, quam experimur; quare scilicet explicatis terminis, ita faciliè, & promptè assentiamur primis principiis, cum primò proponuntur quàm post repetitos plures assensus circa illa. Et tandem ponitur in intellectu per modum naturæ principium sufficienter firmum, & immobile, ut possit esse seminarium totius cognitionis sequentis; quod est fundamentum secundæ sententiæ: ergo pensatis omnibus, nostra sententia alijs omnibus est præferenda.

17. Per quod patet ad argumenta. Ad primum ex verbis Aristotelis, quæ adducit Rubio pro prima opinione iam constat dictum Auctorem addita vna littera corrupisse textum; & omnino variasse sententiam; ibi enim non legitur assensus, sed à sensu, quod facit sensum oppositum, ut vidimus. Vnde mirum est grauem Authorem sic in re clara deceptum fuisse.

Ad secundum etiam patet; non enim ponimus habitum istum esse immediatè à natura; sed productum ex sensibilibus modo explicato, in quo sensu dicitur

acquisitus: quia tamen ipse debet esse seminarium cognitione sequentis; ac proindè principium totius nostræ industriæ & laboris in acquirenda veritate; idèd propriè non dicitur acquiri nostra industria, & labore, quia per hoc significatur produci nostris actibus, sed fuit in nobis per modum naturæ, ut explicatum est.

18 Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur. Ad primum ex locis D. Thomæ, dicitur res rectam eorum intelligentiam, sumendam esse ex alijs adductis pro nostra sententia. Vnde quando inquit habitum principiorum esse naturalem, aut innatum, non est sensus quòd sit omninò naturalis, aut congenitus: sed quod fuit in nobis per modum naturæ, ex lumine intellectus agentis, ut ipse sæpè inquit. Id autem quod assertur de puero non habente usum rationis, non est contra nos. Concedimus enim consequenter posse generari habitum principiorum: ante usum rationis: quia tunc possunt esse in puero species intelligibiles aliquorum principiorum, & notitia terminorum, quibus positis statim fit talis habitus. Vltimus tandem locus difficilior est, sed cum ex alijs habeamus habitum principiorum esse effectum intellectus agentis; explicandus est causaliter, quod scilicet dicatur dari in creatione: quia ibi datur lumen intellectus agentis, ex eo quod ipse naturaliter resultat posita notitia terminorum.

Ad secundum cum sua confirmatione respondetur quòd ut habitus principiorum sit seminarium totius cognitionis sequentis, ut præueniat assensus seu iudicia intellectus circa illa: sufficit quòd sit naturalis modò explicato, ut ex dictis patet: & idèd solùm probant nostram conclusionem.

### Q V Æ S T I O III.

*Quid sint opinio, & solertia: & in quo distinguantur à scientia.*

19 **P**ostquam egimus de scientia, & habitu principiorum, agendum erat de sapientia, quatuor inter habitus intellectuales numerat Aristot. 6. Ethicorum capite tertio. Sed quia ipse in fine huius primi libri expressè remittit eius disputationem ad Metaphysicam illis verbis: *De reliquis autem quæ præstata distribuenda sunt, de mente inquam, de sapientia, &c.* Idèd nos in præsentem cum alijs Dialecticis hanc disputationem prætermittimus: hoc solùm adnotantes, ut rectè percipiatur diuisio habitus intellectualis postea tradenda, quod quamvis circa distinctionem sapientiæ, & scientiæ, variè opinentur Doctores: quorum plures dicendi modos adducunt Bæon: prima parte quæstione 1. art. 6. Araxo lib. 1. Metaphysicæ quæstione 3. art. primo, & alij: probabilior tamen sententia est, quam tradit D. Thom. opusculo 7. quæst. 2. art. 2. ad primum dicens: *Sapientia non diuiditur contra scientiam, sicut oppositum contra oppositum: sed quia se habet ex additione ad scientiam: est enim sapientia, ut dicit Philosophus. 6. Ethicorum caput octauum. Scientia vero nomen alijs inferioribus relinquitur. Quod etiam docet 1. 2. q. 57. artic. 2. ad 1. & 2. 2. quæst. 9. articulo 2.* Ratioque videtur manifesta: quia tam Metaphysica, quàm Theologia (quarum altera est sapientia in ordine naturali; alia verò in ordine supernaturali,) sunt verè, & propriè scientiæ; si quidem sunt habitus acquisiti per demonstrationem: ergo sapientia non opponitur scientiæ in sua latitudine, sed potius continetur sub ea; & addit quòd præcedat per causas altissimas, & nobilissimas.

nobilissimas in quo distinguitur ab aliis scientiis inferioribus. Videantur Bannes vbi supr. Caiet. in hoc 1. lib. c. 10. §. vltim. Sponcinas 4. Metaph. q. 13. & alij.

20. Ex quo intelligitur doctrina, quam tradit Aristoteles citato lib. Ethicor. capite 7. vbi affirmat sapientiam non solum versari circa conclusiones, sicut alias scientias: sed etiam circa ipsa principia, sicut intellectum; & per consequens esse præstantiorem virtutem illis. Verba Aristotel. sunt: *Sapientem ergo non solum ea scire, quæ ex principiis cognoscuntur, sed etiam circa principia dicere vera oportet. Quare sapientia intellectus est, & scientia, & ut caput habent, scientia rerum earum, quæ summis afficiuntur honoribus, &c.* Quorum verborum sensus non est sapientiam integrari tanquam ex partibus ex habitu principiorum, & scientia ut putavit. Stotus in tertia distinctione 35. quæst. 1. Neque similiter esse tertium alium habitum ab utroque distinctum eminenter continentem eorum perfectiones, & sub eadem ratione formali se extendentem ad cognitionem principiorum, & conclusionum, ut explicant alij. Sed sensus est quoddam sapientia, quia est scientia suprema, non habens aliam superiorem, quæ explicet, aut probet sua principia, ipsa reflectitur supra illa, explicando terminos, & aliqualem eorum rationem reddendo; siue contra negantes ipsa disputando; in quo utitur discursu, quod non habet habitus principiorum ut supra vidimus. & ideo sapientia in hoc excedit ipsum, & alias scientias inferiores, quia ille tantum attingit principia, istæ verò solas conclusiones; sapientia autem non solum versatur circa proprias conclusiones, sed etiam reflectitur supra sua principia, modo explicato: propter quod habet specialem rationem virtutis, & appellatur caput cæterarum.

21. His breviter explicatis de habitu sapientie veniendum est ad alios, de quibus procedit difficultas. Et primò certum est apud Auctores dari habitum opinionis, idque probat Aristoteles in hoc primo libro, capite 16. quia præter propositiones necessarias dantur etiam contingentes; sed hæc non possunt cognosci per scientiam, vel habitum principiorum: cum obiecta istorum habituum sint propositiones necessarie, ut supra vidimus: ergo cognoscuntur per alium habitum, qui est opinionis.

Addit autem Aristoteles, quod sicut circa propositiones necessarias duplex assignatur habitus, nempe intellectus, & scientia, hæc circa propositiones mediatas, ille verò circa immediatas: ita etiam duplex debet assignari habitus opinionis circa propositiones contingentes, quorum altero cognoscantur, quæ habent alias priores, per quas probentur. In quo cum non procedatur in infinitum, neque in tali probatione deveniatur ad propositiones necessarias, quia ex necessario non sequitur contingens deveniendum erit ad aliquas propositiones contingentes primas, seu immediatas, quibus assentietur intellectus propter ipsam connexionem extremorum absque aliquo medio; & ex consequenti assignandus erit alius habitus opinionis circa illas, quod rectè prosequitur Divus Thom. ibid. lect. 44.

22. Hanc ergo opinionem, quæ habetur sine discursu, & correspondet habitui principiorum, definit ibidem Aristoteles sic; *Est acceptio (id est existimatio, seu assensus determinatus) propositionis immediata; & non necessaria*, id est principij quod potest aliter se habere, seu propositionis contingentis, quæ nullum habet medium, per quod probetur. Ex qua definitione facillè formatur definitio alterius opinionis, correspondet scientiæ, & habetur per discursum sic: *Est acceptio propositionis mediata; &*

Colleg. Compl. Logica.

*non necessaria*, à quibus si auferantur illæ particulæ *immediata*, & *mediata* remanet essentialis definitio opinionis in communi, propterea comprehendit utramque, scilicet. *Acceptio propositionis non necessaria*, id est existimatio, seu assensus determinatus propositionis, quæ potest aliter se habere: vel actus intellectus qui fertur in vnam partem contradictionis, cum formidine alterius quæ est definitio Divi Thom. prima parte, quæst. 79. articulo 9. ad quartum.

Explicatio huius definitionis facillè ex dictis constat: nam per hoc quod fit *existimatio*, seu *assensus*, sive *actus intellectus*, convenit opinio cum scientia, & aliis cognitionibus necessariis. Additur autem *determinatus*, sive *in alteram partem contradictionis*, ut excludantur dubium, & suspicio, quia ut inquit D. Thom. 2. 2. quæstione secunda, articulo primo, dubitans in neutram partem declinat, sed manet anceps; suspicans verò magis declinat in vnam quam in aliam, non tamen assentitur illi determinatè: quia tantum fertur ex levibus indiciis: at verò opinans assentitur ex fortioribus indiciis, & ideo vni parti determinatè adhæret, sed cum formidine alterius. Per quod distinguuntur opinio à scientia, & aliis assensibus necessariis. Ad quod significandum ponitur illa vltima particula, scilicet *propositionis non necessaria*. Nam eo ipso quod opinio versetur circa obiectum, quod potest aliter se habere, non repugnat illi subesse falsum: ac proinde assentitur tali obiecto; cum formidine alterius partis, quod non convenit aliis habitibus necessariis, ut ex se patet.

23. Dupliciter autem potest contingere quod opinio versetur circa propositiones contingentes, seu cum formidine alterius partis, ut explicat Divus Thomas lectione 44. citata. Primò quando propositiones sunt in se, & ab intrinseco contingentes, & tunc repugnat, quod cognoscantur per scientiam, etiam si de eorum veritate nullatenus dubitemus: ut patet, in exemplo D. Thom. si dicas: *Omne quod currit, movetur: homo currit: ergo homo movetur.* Vbi conclusio non pertinet ad scientiam: cum sit propositio contingens: sed ad habitum opinionis, etiam si certissimus de illius veritate. Cuius ratio est: quia formido, quæ convenit opinioni ab intrinseco, & est per se annexa illi, (quæ solet appellari formido radicalis,) non sumitur ex parte ipsius cognoscentis, sed ex parte obiecti contingentis: quod, quia potest esse aliter, ac de facto est, potest consequenter non esse, sicut cognoscitur, ac proinde cognoscitur cum formidine intrinseca, & radicali.

Secundo modo potest contingere opinionem versari circa propositiones, quæ licet in se, & ab intrinseco sint necessariae, ab opinante tamen accipiuntur ut contingentes: quia non penetrat connexionem prædicari cum subiecto. Et tunc formido non est ex parte ipsius obiecti secundum se: sed ex parte cognoscentis illud: & hanc frequentius appellamus formidinem, soletque appellari formido actualis, & consistit in quodam metu: si fortè altera pars sit vera, quam experimur frequenter in opinionibus, quæ in qualibet materia sunt inter Doctores. Vnde si quis penetraverit dictam connexionem, cognoveritque necessitatem talium propositionum: acquireret veram scientiam illarum; & ex consequenti poterit contingere, & persæpè contingit, ut de propositione, de qua alter habet tantum opinionem, & vulgo dicitur opinio, alius habeat scientiam. Quod existimandum est, multiores accidere in doctrina Aristotelis & Divi Thomæ, qui procul dubio habuerunt scientiam de pluribus propositionibus, quæ apud alios ad summum putantur opiniones,

E e 2

24 Contin



24. Contingit etiam generari in intellectu opinionem, quando per medium probabile cognoscitur conclusio necessaria ab eo, qui nondum habet scientiam de illa. Et similiter quando cognoscitur conclusio necessaria, per medium, quod in rei veritate est contingens, existimatur tamen esse necessarium: vel etiam quando conclusio necessaria cognoscitur per medium, quod in rei veritate est necessarium, & à nobis apprehenditur ut necessarium, sed tamen id non cognoscimus, certo & euidenter, sed tantum probabiliter, & cum formidine. In huiusmodi enim casibus, (qui ad duos priores modos reducuntur) non potest generari scientia, quia cum scientia habeat rationem boni, opinio vero rationem mali, illa non constringit nisi ex integra causa, hæc vero generatur ex quocumque defectu.

Per quod tandem perspicua remanet doctrina Aristot. cap. 26. citato, propter quam hæc omnia adducta sunt, quod scilicet habitus scientiæ distinguitur ab opinione in hoc, quod ille versatur circa propositiones necessarias, seu quæ aliter se habere non possunt, qui proinde non potest subesse falsum; opinio vero versatur circa propositiones contingentes, & quæ aliter se possunt habere; vel secundum se, vel secundum quod accipiuntur à cognoscente, idem non semper verum attingit: quo etiam modo distinguitur habitus principiorum ab opinione, ut ex dictis patet.

25. ¶ Explicata natura opinionis, solent aliqui disputare de fide, ut ostendant etiam in quo deficiat, & distinguatur à scientia; Sed res est alterius loci, de qua neque verbum facit Aristot. in præsentis. Et ideo breviter dicendum est fidem esse assensum determinatæ alterius partis propter auctoritatem, seu testimonium dicentis. Quod si fuerit diuinum, erit fides supernaturalis: in qua ratio formalis assentiendi est diuina reuelatio, seu veritas prima ut reuelans; conditio vero necessariò requisita est propositio Ecclesiæ. Si vero testimonium sit creatum, vel hominis, vel Angelis, erit fides naturalis, vel humana. Ad utramque autem fidem non requiritur discursus, sed sicut vna simplici visione videtur color ratione luminis; sic eodem actu iudicii assentitur intellectus alicui propositioni propter auctoritatem dicentis, tanquam propter rationem formalem, absque eo, quod sit necessarium aliud præcedens iudicium circa ipsam, ex quo moueatur ad talem assensum.

26. Ex quo patet, quomodo fides distinguatur ab opinione, & scientia. Nam ab opinione immediata, quam supra explicuimus, distinguitur in hoc quod talis opinio assentitur principiis probabilibus propter ipsam connexionem extremorum; fides vero propter extrinsecum testimonium dicentis. Ab opinione autem mediata distinguitur, quia hæc pertinet ad discursum, & sit necessariò ex præexistenti iudicio, quod non habet fides, ut diximus. Tandem distinguitur à scientia: quia licet fides, quod maius est testimonium, tanto plus possit habere certitudinis, (credimus enim maiori certitudine, quæ à pluribus, & melioribus asseruntur) possitque crelesce usque ad certitudinem moralem, ut quando credimus Romam esse; & tandem peruenire ad omnimodam certitudinem, & in ea superare scientiam, ut patet de fide diuina. De cuius veritatibus longè certiores sumus, quam de conclusionibus à scientia demonstratis; ex eo, quod auctoritas diuina, cui illa innititur, firmitior, & indefectibilior est, quocumque lumine crelesce, ex quo procedit scientia. Quamuis inquam hæc ita sint, nunquam tamen fides pertingit ad claritatem, seu euidentiam, imò hæc illi repugnat, ut probat D. Tho. 2. 2. q. 1. art. 4. & constat ex definitione Pauli ad Hebr. 11. *Fides est sperandarum substantiarum re-*

*rum, argumentum non apperentium.* Ac proinde habet sibi intrinsicè annexam obscuritatem, in qua distinguitur à scientia.

27. Secundò ex dictis sequitur opinionem, & fidem humanam non esse virtutes intellectuales. De opinione id docent expressè Aristot. 6. Ethicor. capit. 3. & D. Thom. ibidem lectione 3. & 1. 2. quæst. 55. art. 4. & quæst. 57. art. 2. ad 3. De fide vero humana tradit id ipsum Sanctus Doctor 2. 2. quæst. 4. art. 5. & in 3. distinct. 23. quæst. 2. art. 3. quæst. 1. ad secundum: Et virtusque ratio est eadem: quia virtus ut supra vidimus, est dispositio perfecti ad optimum: ergo virtus intellectualis erit dispositio ad optimum, quod in intellectu inuenitur. Sed hoc est, verum semper attingere: ergo sicut in voluntate tantum ille habitus dicitur virtus moralis, qui bonum semper amplectitur, sic in intellectu solum ille habitus erit virtus intellectualis, qui verum semper attingit. Sed opinioni, & fidei humanæ propter sui imperfectionem, & debile lumen, seu medium, cui innituntur potest subesse falsum, ut supra numero 3. vidimus ex Aristot. ergo non sunt virtutes intellectuales.

28. ¶ Tandem solertia vel definit Aristoteles in hoc primo lib. capite 27. *Est bona coniectatio uelut in tempore admodum breui: vel ut habet translatio antiqua: Subtilitas quadam inueniendi medium in non perspecto.* Ut si quis videns lucidam illam partem lunæ, quæ est versus solem, statim percipiat id venire ex eo, quod luna recipiat lucem, à sole: vel si quis viso paupere altercante cum aliquo diuite, statim cognosceret, diuitem mutasse illi pecuniam, de cuius solutione altercatur. Aut si quis videns aliquos, qui cum antea inimici essent, postea amici facti sunt, statim intelligeret hoc ideo esse: quia ambo cuiusdam alterius sunt inimici. Vnde constat solertiam esse quamdam vim, facile, & derepentè inueniendi causam rei cuius tot exempla adducit Aristoteles, teste D. Thom. ibidem, ut ostendat, solertiam inueniri posse in diuersis habitibus intellectualibus tam practiciis, quam speculatiuis. Propter quod etiam ponitur pars prudentiæ, ut patet secunda secunda quæstione 94 artic. 4.

Distinguit ergo Aristoteles scientiam à solertia: quia licet hæc possit inueniri in propositionibus necessariis, ut patet in primo exemplo: tamen nunquam procedit ex necessariis simpliciter, id est, euidenter cognitis, ut necessaria: sed tantum ex coniectatis, siue ex coniecturatis. Qui enim videns lunam versus solem lucidam, derepentè absque alia consideratione, iudicauit, à sole recipere lucem, id tantum coniecurauit, & per consequens potuit decipi in tali coniectura: propter quod solertia non numeratur inter virtutes intellectuales. In quibus omnibus solertia deficit à ratione scientiæ, & distinguitur ab ea, ut ex dictis patet.

29. ¶ In calce huius quæstionis statuendæ sunt diuisiones essentielles habitus, seu virtutis intellectualis: ut supra disput. 15. num. 28. promissimus. Quæ sic possunt ex dictis ordinari. Primò enim diuiditur in habitum, qui immediatè versatur circa singularia; (qui necessariò erit practicus: nam singularia possunt quidem directe, & propriè operari, non autem cognosci) & in eum, qui immediatè versatur circa vniuersalia. Sub primo genere continentur prudentia, & ars, quarum diuisionem loco citato adduximus. Secundum vero rursus diuiditur in habitum circa principia, seu propositiones immediatas, qui dicitur habitus principiorum: & in habitum circa conclusiones, seu propositiones mediatas, & appellatur scientia.

Habitus

Habitus principiorum diuiditur in intellectum, seu intelligentiam, qui est habitus principiorum speculatiuorum; de quo egimus in principio disputationis; & in synderesim, quæ est habitus principiorum practicum; de qua tractant Theologi prima parte, q. 79. articulo 12. Deinde scientia diuiditur in eam, quæ procedit lumine diuinæ reuelationis, scilicet Theologiam; & in eam, quæ procedit ex principiis cognitis lumine naturali. Quæ rursus partitur in practica & speculatiua. Sub practica continentur Philosophia moralis, & Medicina, ut docet Diuus Thom. opusc. 70. quæstione quinta articulo 1. ad quartum, & alibi sæpè. Speculatiua verò diuiditur in tria genera iuxta triplicem abstractionem à materia, ut vidimus disputatione præcedenti, & vnumquodque in species assignatas.

Est tamen pro hac coordinatione obseruandum, practicum & speculatiuum, posita esse, ut differentias diuisas, generum non subalternarum positum non quia existemus talia genera posse eisdem differentiis diuidi; sed de facto nominum: sunt enim in rei veritate differentie omnino diuersæ: nam ratio practici, quæ conuenit prudentiæ, & arti, ex natura sua postulat versari immediate circa singularia, quæ verò conuenit synderesi, essentialiter respicit principia: quæ autem inuenitur in scientia, petit versari circa propositiones vniuersales mediatas: rationes valde diuersæ sunt, quamuis eodem nomine significantur.

#### QVÆSTIO IV.

*An de eodem obiecto possint esse simul scientia, & opinio.*

30. **A**ristoteles in hoc primo libro cap. 16. quem ferè omnes Dialectici imitantur; solum mouet hanc difficultatem de scientia, & opinione & idè in titulo consultò non inquirimus, etiam de fide, ut minùs rectè faciunt nonnulli Moderni; est enim ex hac parte quæstio ista aliena à præsentis instituto: & eam versant Theologi cum D. Thom. 2. q. 1. articulo 5. quamuis inter loquendum de scientia, & opinione quid etiam dicendum sit de fide obiter explicabimus. Ut ergo certa ab incertis separemus.

Primò indubitatum est, quòd si loquamur de eadem re incomplexa, seu de eodem subiecto, secundum diuersa tamen prædicata, seu propositiones bene possunt esse simul scientia, & opinio: ut de homine scimus quòd sit risibilis; & opinamur quòd diligit filios, aut quòd sit Philosophus. Quod explicat & probat Arist. loco citato, exemplo opinionis veræ, vel falsæ.

Sicut enim non repugnat de eadem re dari opinionem veram & falsam, secundum diuersas propositiones, seu prædicata, ut si de diametro asseras esse incommensurabilem lateri quadrati, est propositio & opinio vera, si verò de eodem diametro dicas esse commensurabilem, est propositio & opinio falsa: sic etiam non repugnat, sed de facto contingit, de eadem re, ut de homine scire esse risibilem, & opinari esse Philosophum: quod tantum est dari scientiam & opinionem de eodem; secundum quid, ut rectè inquit Arist. & notat. Diuus Thom. ibidem, id est, de eodem subiecto, sed non secundum idem prædicatum. Quare solum remanet difficultas, an possint dari scientia & opinio de eodem simpliciter, id est, de eodem subiecto secundum idem prædicatum, seu de eadem propositione.

*Colleg. Compl. Logica.*

De qua adhuc certum est posse esse scientiam & opinionem in diuersis hominibus, aut etiam in eodem homine pro diuersis temporibus: sæpè enim contingit quòd eadem propositio ab vno cognoscatut scientificè, & ab alio opinatiuè; aut quòd circa propositionem, de qua nunc habet aliquis opinionem: quia nondum penetraui medium necessarium postea illo inueniò, habeat scientiam. Quare tota difficultas est an de eadem propositione, idem homo in eodem tempore, possit habere scientiam & opinionem.

31. Secundò certum est, quòd quando propositio est ex se, & ab intrinseco contingens: quia nimirum est prædicatio omnino accidentalis, & in materia contingenti: tunc potest quidem de illa haberi opinio, sed implicat, ut simul etiam habeatur scientia: Si enim talis propositio est necessaria, non est demonstrabilis; & consequenter neque scibilis; ut & dictis patet. Quare solum remanet difficultas de propositionibus quæ in se sunt necessariae: nam istæ scibiles sunt per argumentum demonstratiuum, & opinabiles per argumentum topicum. Et sic merito dubitatur: utrum de illis possit simul haberi scientia & opinio.

Vnde constat non esse quæstionem an possit esse scientia & opinio de eadem propositione necessaria secundum eandem rationem formalem, seu secundum idem medium: implicat enim eundem syllogismum simul esse demonstratiuum & topicum, & consequenter repugnat: quòd ex eisdem præmissis, seu idem medium, simul habeatur cognitio scientifica & opinatiua eiusdem conclusionis.

Quare tota difficultas est an idem homo, in eodem tempore, possit habere scientiam & opinionem, de eadem propositione necessaria, per diuersa media; cum autem scientia & opinio sumi possint vel pro actibus, vel pro habitibus, in utroque sensu discutienda est à nobis præfens quæstio.

*An actus scientia, & opinionis possint esse simul.*

#### §. I.

32. **I**n hoc primo sensu non est tanta controuersia inter Doctores. Et ideo dicendum est primò, scientiam & opinionem sumptas pro actibus, non posse esse simul in eodem intellectu de eadem propositione. Hæc concl. est contra aliquos Nominales, quos sequuntur nonnulli Moderni: sed etiam recipiunt communiter Doctores non solum Thomistæ, sed etiam & alij. De quo videri possunt Capr. in 3. dist. 25. q. 1. ad argumentum contra 2. concl. Deza ibid. artic. 5. ad 5. contra 2. concl. Conrad. & Medina 1. 2. q. 67. art. 3. Caiet. ibid. & 2. 2. q. 1. artic. 5. & 3. p. q. 9. art. & in hoc 1. lib. c. 25. Soto, c. 26. q. 8. art. 2. cõcl. 3. Maslib. sect. vnica, q. 5. Sanch. lib. 7. q. 13. Ripa 1. p. q. 2. art. 2. Cabrera, Lorca, Torres, Tolet. & plures alij. quos refert, & sequitur Galleg. hic controuersia 32.

Probat. 1. ex Arist. c. 26. citato, vbi absolute docens non posse simul esse scientiam & opinionem de eadem propositione, ad minus intendit hanc concl. ut fatentur communiter Interpretes. Verba Arist. sunt: *Opinio namque & scientia non omnino eiusdem est, sed vtræque est vera & falsa modo quodam eiusdem opinio, &c.*

Vbi ad longum explicat, quòd sicut contingit de eodem subiecto formari propositionem veram, quando tribuitur prædicatum illi conueniens: & formari etiam propositionem falsam,tribuendo aliud prædicatum illi repugnans; non verò eandem propositionem simul esse veram & falsam: ita etiam potest esse, ut de eodem subiecto idem homo habeat

E c                      scientiam

scientiam, respectu unius prædicati; & opinionem respectu alterius, ut in principio explicuimus non tamen quod de eodem subiecto, respectu eiusdem prædicati aliquis habeat simul scientiam, & opinionem, & concludit: *Ex his autem emergit fieri non posse, ut simul ibidem opinetur quisquam, ac sciat: nam simul existimationem haberet, & aliter, & non aliter, idem se habere; quod quidem fieri nequit.* Quem locum latè explicat Diu. Thom. pro nostra sententia, & concludit: *Sic ergo ex dictis manifestum est, quod non contingit, idem omnino simul scire & opinari: quia simul homo haberet existimationem, quod posset aliter se habere, & quod non posset aliter se habere. Sed in alio homine hoc contingit, quod de eodem unus habet scientiam, & alius opinionem; in eodem vero homine non contingit rationem dicta.*

33. Secundò probat. ex eodem Angelic. Doct. qui perpetuus est in hac doctrina. Tradit illam eleganter 2. 2. quæst. 1. artic. 3. ad 4. his verbis: *Ad quartum dicendum, quod sicut Philosophus ibidem dicit (scilicet c. 26. citato.) à diuersis hominibus de eodem omnino potest haberi scientia & opinio: sicut & supra dictum est de scientia & fide. Sed ab uno, & eodem potest haberi fides & scientia de eodem secundum quid, scilicet de subiecto, sed non secundum idem. Potest enim esse quod de una & de eadem re, aliquis aliquid sciat, & aliquis alius opinetur. Et similiter de Deo potest aliquis demonstratiuè scire quod sit unus, & credere quod sit trinus. Sed de eodem secundum idem non potest esse simul in uno homine scientia, neque cum opinione, neque cum fide. Alia tamen, & alia ratione. Scientia enim cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem: quia de ratione scientia est, quod id, quod scitur existimetur esse impossibile aliter se habere; de ratione autem opinionis est, quod id, quod est opinatum, existimatur possibile aliter se habere. Sed id quod fide tenetur, propter fidei certitudinem existimatur etiam impossibile aliter se habere. Sed ea ratione non potest simul idem, & secundum idem esse scitum & creditum: quia scitum est visum, & creditum est non visum.*

Idem habet quæst. 14. de Veritate art. 9 ad 6. & alibi sæpè. Quæ loca ad minus procedunt de scientia & opinione quantum ad actum, ut per se patet. Ergo ex sententia Aristotelis, & D. Thom. saltem actus scientiæ, & opinionis, non possunt esse simul de eadem propositione. An autem etiam loquantur de Habitibus, postea videbimus.

Ratione solent aliqui probare hanc conclusionem: quia impossibile videtur duos actus simul esse in eadem potentia. Alij verò ex eo, quod cum intellectus per actum scientiæ perfectè videat obiectum, ferè rota vis animæ intensè fertur in illum actum, quo maximè delectatur; ac proinde vix potest extendere concursum, ut actui opinionis incumbat. Sed hæ rationes infirmæ sunt. Et prima quidem falsò nritur fundamento, ut constat ex dictis supra disputatione 17. numero 35. Secunda verò ad summum probat moraliter esse impossibilem talem simultatem actuum, ut consideranti patebit. Quare illis relictis.

34. Tertio probatur ratione Arist. & D. Thom. quia assensus scientificus, & opinatus de eadem propositione habent proprietates. & effectus omnino repugnantes, & unus intrinsecè includit priuationem alterius. Ergo non possunt esse simul in eodem subiecto.

Consequentia patet: quia quæcumque ita se habent, verè sunt opposita, & unum destruit aliud.

Antecedens verò probatur: quia assensus scientificus est iudicium, quo res non potest aliter se habere

opinatiuus verò iudicat eandem posse aliter se habere: per illum plenè, & perfectè determinatur intellectus; & manet omnino conuictus circa veritatem propositionis; per istum verò non conuincitur; sed iudicat posse etiam præstari assensum propositioni contrariæ: ratione illius est omnino certus, & firmiter adhæret conclusioni; ratione verò istius est incertus, & formidat de illa: & tandem alter est euidens, & alter ineuidens. Sed euidens, & ineuidens; certitudo, & incertitudo; firmitas, & formido; esse conuictum, & non esse conuictum, & similia omnino inter se pugnant: & contradictoriè seu priuatiuè opponuntur. Ergo repugnat tales actus esse simul in eodem intellectu.

Respondebis hæc omnia inter se pugnare, si assensus fiat per idem medium: cæterum quando habentur per diuersa media, nullum esse inconueniens, quod intellectus sit simul certus, & incertus de eadem propositione; seu quod simul iudicet eam posse aliter se habere formaliter, ut respicit medium contingens, & non posse aliter se habere, ut deducitur ex medio necessario.

35. Sed contra hoc est primò: (& bene nota: quia ex huius inconsideratione decipiuntur contrarij: ) quia intellectus in quolibet syllogismo, quando post assensum præmissarum assentitur conclusioni, assentitur ei absolute sumptæ, & in se ipsa considerat: non verò in causa, ut aiunt, seu formaliter, quatenus continetur in medio. Tum quia hoc iam factum est in præmissis, ut vidimus disputat. 17. num. 29. Tum etiam quia aliàs rueret ars syllogistica, quæ consistit in hoc, ut intellectus ex eo quod videat duas extremitates absolute vniri cum quodam tertio, iudicet easdem absolute vniri inter se. Ergo semper in conclusionem syllogismi iudicat intellectus prædicatum absolute conuenire subiecto. Sed impossibile est, quod de eodem prædicato absolute sumpto, simul iudicet intellectus conuenire contingenter, & non conuenire contingenter eidem subiecto. Ergo etiam per diuersa media non potest simul habere assensum opinatiuum, & scientificum.

Confirmatur: quia affirmatio, & negatio, quæ includuntur in huiusmodi assensibus, quibus intellectus iudicat idem prædicatum contingenter conuenire, & non contingenter conuenire subiecto, seu per quos est certus, & incertus de eadem propositione, non feruntur in ipsa media: sed in subiectum de quo affirmatur, & negatur tale prædicatum. Ergo non obstante diuersitate mediorum, verè datur ibi affirmatio, & negatio, eiusdem de eodem; & per consequens vera oppositio.

Consequentia est euidens. Antecedens verò constat, tum ex ipsa forma enunciationis, tum etiam, quia aliàs nullus posset dari in intellectu actus verè oppositus assensui scientifico: cum ille necessariò sit acquirendus per diuersum medium, ut patet.

36. Secundò impugnatur dicta solutio: quia ex ea sequitur, posse esse simul in eodem intellectu assensum scientificum, & erroneum eiusdem conclusionis: hoc autem est absurdum: ergo illud ex quo sequitur.

Probatur sequela, quia tales assensus necessariò eliciendi sunt per diuersa media, ut dicebamus: siquidem primus habetur per medium demonstratiuum; secundus verò per medium oppositum ut patet. Ergo si idem intellectus per diuersa media potest esse certus & incertus de eadem propositione; etiam poterit esse scientificus, & erroneus circa illam. Quod autem hoc repugnet probatur: quia assensus scientificus comparatur ad erroneum, sicut lux ad tenebras: sed eo ipso, quod ponatur lux, destruantur tenebræ, unde

vnde cumque illæ fuerint causatæ : ergo eo ipso, quod per medium necessarium habeatur assensus scientificus alicuius propositionis, destruitur assensus erroneus circa illam; ex quocumque alio medio fuerit causatus.

Dices, ex hoc ipso sumi discrimen : nam assensus scientificus non comparatur ad opinatum, sicut lux ad tenebras; sed sicut lumen maius ad lumen minus, quæ quidem possunt esse simul, ut patet de lumine solis & candelæ; & ita nihil sequitur.

Sed contra hoc est, quia assensus opinatiuus, licet ex parte perfectionis quam includit, habeat aliqualem rationem luminis, & quodammodo disponet ad scientiam, ut infra videbimus, tamen ex intrinseca imperfectione sua, intimè habet annexam inevidentiam, & obscuritatem, sicut scientia claritatem. Ergo non se habent quoad omnia sicut lumen maius, & minus, sed verè comparantur tanquam lux & tenebræ, quod non contingit in exemplo adducto.

Pater consequentia, quia lumen candelæ, non est intrinsecè obscurum; sed in se est verè lux (quamvis parua) absque vlla mixtione tenebrarum; & propterea non pugnat cum lumine solis. Opinio verò intrinsecè est lux adumbrata, seu mixta tenebris, quæ non possunt ab ea auferri, nisi destruat propriam rationem opinionis, ut patet. Ergo adueniente assensu scientifico, verè corrumpitur opinatiuus; & per consequens non possunt esse simul. Videatur Mas. vbi sup. ad secundum.

*An habitus ipsi scientiæ, & opinionis possint esse simul.*

§. II.

37 **M**Aior est difficultas in hoc secundo sensu : An scilicet habitus scientiæ, & opinionis simul compatiuntur in eodem intellectu de eadem propositione : & consequenter, an habitus scientiæ simul esse possint cum actu opinionis, & habitus opinionis cum actu scientiæ. Partem affirmatiuam defendunt Durand. q. 1. Prologi n. 23. Salas 1. 2. q. 53. disp. 6. sect. 5. n. 29. Valent. tom. 3. disp. 1. q. 1. puncto 4. §. 2. Rub. in hoc 1. lib. c. 26. tract. 3. Lorinus in Log. tract. de Scientia q. 1. dub. 2. Raphaël de Aversa q. 29. sect. 4. Hurtado disp. 10. de Anima sect. 5. & alij Moderni.

Prob. 1. ex D. Th. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. vbi inquit : *Opinio ex syllogismo Dialectico causata est via ad scientiam, qua per demonstrationem acquiritur : qua tamen acquisita potest remanere cognitio, qua est per syllogismum Dialecticum, quasi consequens scientiam demonstratiuam, qua est per causam : quia ille qui cognoscit causam, hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia ex quibus procedit Dialecticus syllogismus.* Quibus verbis manifestè loquitur D. Thom. de Habitib. ut patet. Ergo adueniente habitu scientiæ de aliqua propositione, potest remanere opinio, quæ habebatur de illa. Similiter 1. 2. q. 67. art. 3. concedit eandem propositionem posse cognosci per diuersa media, quorum alterum sit euidens, alterum verò probabile. Et tandem in 3. dist. 3. 1. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4. inquit : *Opinio & scientia, quamuis sint de eodem, non tamen secundum idem medium, sed secundum diuersa; & ideo possunt esse simul, sed fides, & visio patriæ sunt de eodem, & secundum idem medium : & ideo perfectio vnius non patitur imperfectionem alterius.* Vbi etiam planè loquitur de Habitibus. Ergo ex sentent. D. Thom. habitus scientiæ, & opinionis de eadem propositione possunt esse simul.

38. Secundò probat ratione : quia habens habitum

scientiæ circa aliquam propositionem, potest eam cognoscere & probare per medium contingens, ut experientia constat, & cernitur in hac propositione. *Aliquis homo est admiratiuus* : quæ postquam quis cognoscit scientificè per hanc demonstrat. *Omne discursiuum est admiratiuum, aliquis homo est discursiuus : ergo aliquis homo est admiratiuus* : potest rursus cognoscere per hunc syllogismum cōtingentem : *Omnis Philosophus est admiratiuus, aliquis homo est Philosophus : ergo aliquis homo est admiratiuus.* Tunc sic formatur argumentum.

Per istum syllogismum producit aliquis habitus : nulla enim est sufficiens ratio ad id denegandum, sed talis habitus non est scientiæ, ut patet : ergo opinionis. Ergo simul datur uterque habitus.

Tertio, quia habens habitum opinionis de aliqua propositione, si inueniat veram eius demonstrationem, acquirit scientiam circa illam : & tamen non amittit habitum opinionis : ergo manent simul habitus scientiæ, & opinionis. Maior est certa, & probatur minor : quia saltem quando habitus præcedens opinionis est valdè intensus, & habitus scientiæ, qui de nouo introducit, remissus, non potest hic superare illum : ergo non statim, sed paulatim excludit habitum opinionis.

Patet consequentia in habitibus voluntatis : quando enim quis habet habitum intemperantiæ valdè intensum, & acquirit habitum temperantiæ, remissum, non statim destruitur ille, vsque dum iste paulatim crescat, & superet, corrumpatque contrarium : ergo dato quòd habitus scientiæ, & opinionis, de eadem propositione sint contrarij, tamen pro aliquo saltem tempore possunt esse simul in eodem intellectu.

39. Quarto, habitus scientiæ, & fidei supernaturalis possunt esse simul, respectu eiusdem conclusionis : ergo etiam habitus scientiæ, & opinionis.

Consequentia patet, quia inter habitum fidei, & claram Dei visionem maior, vel saltem æqualis repugnantia est, ac inter habitum scientiæ, & opinionis : siquidem etiam opponuntur in ratione clari, & obscuri, seu penes visum, & non visum. Antecedens verò prob. quia Catholicus habens habitum fidei de hac propositione, *Deus est unus*, si acquirat demonstrationem eius, verè producit in eo habitum scientiæ ; & tamen remanet fides supernaturalis inclinans ad eandem conclusionem : siquidem fides non potest amitti circa articulum semel creditum, nisi amittatur circa alios, ut patet : ergo, &c.

Confirmatur, quia Philosophus Christianus habens scientiam de tali propositione, assentitur illi certius quàm Philosophus Gentilis : sed hæc maior certitudo non potest refundi in habitum scientiæ, supposito quòd in utroque sit æqualis : ergo prouenit ex habitu fidei, & per consequens simul dantur habitus scientiæ & fidei de eadem propositione.

Maior verò probatur, quia aliàs certius crederet fidelis rusticus Deum esse quàm Philosophus Christianus assentiretur eidem propositioni, siquidem fides in certitudine longè superat quamcumque scientiam naturalem.

Quintò tandem, quia saltem habitus fidei potest esse cum actu visionis : ergo similiter poterit esse habitus opinionis cum actu scientiæ, vel è contra habitus scientiæ cum actu opinionis.

Consequentia probata est argumento præcedenti. Antecedens verò est expressum D. Th. 2. 2. q. 175. art. 3. ad 3. vbi cum sibi obieciisset D. Paulum in suo rapto habuisse fidem, & consequenter non vidisse essentiam diuinam, respondet : *Ad tertium dicendum, quod quia Paulus in rapto non fuit beatus habitualiter, sed solum habuit actum beatorum : consequens est, ut simul tunc in eo non fuerit actus fidei : fuit tamen simul tunc in eo fides habitus.*

*habitus.* Ergo ex sententia D. Thom. habitus fidei potest esse cum actu visionis.

40. Dicendum est secundò, etiam quantum ad habitus non posse esse simul scientiam, & opinionem de eadem propositione.

Si docent Thomistæ pro prima conclusione adducti Capreol. De 2. Caiet. Conrad. Ripa, Sor. Tolet. Sanch. Gall. & Mas. Qui plures alios adducit, & addit esse omnium Peripateticorum benè sentientium. De quo etiam videri potest Rua tom. 1. controuersiarum, controu. 1. scholastica.

Et quidem Aristotelem, & D. Th. locis pro prima conclusione adductis, non solum loqui de actibus, sed etiam, & præcipue de habitibus, res est nostro iudicio apertissima.

Primò, quia ratio, quam adducunt, verè concludit de vtrisque, ut postea videbimus.

Secundò, quia intentum Arist. in his capitulis 25. 26. & 27. est explicare effectum demonstrationis, ut testatur D. Th. lect. 41. quod proprius conuenit habitui, quam actibus; siquidem isti aliquo modo intrans ipsam demonstrationem.

Tertiò, quia ut expressè affirmat ipse S. lect. 44. sequenti, Arist. in prædicto loco comparat scientiam: *Ad opinionem, quæ est verorum, & falsorum*: versari autem circa verum, & falsum non conuenit ipsi actui opinionis, sed habitui, ut de se constat.

Quartò, quia statim in verbis sequentibus, ut etiam ait ipse sanctus: *Agit de comparatione scientiæ ad aliquos habitus cognoscituros, qui sunt semper verorum*, scilicet ad sapientiam, prudentiam, intellectum, &c.

Et tandem quintò, quia in fine lib. 2. reassumens Arist. doctrinam horum capitulum, scientiam, & opinionem expressè appellat habitus, quod repetit sæpè D. Th. ibid. lect. 20. Ergo absque dubio ambo in prædictis locis loquuntur etiam de habitibus.

41. Ratio etiam facta pro prima conclusione, etiam conuincit hanc secundam. Quod sic facile ostenditur: quia habitus, & actus eorum versantur circa idem obiectum, & habent eandem rationem formalem attingendi illud; similiter proprietates, quæ sumuntur ex obiecto, sunt eadem in vtrisque.

Ergo, quando actus ipsi repugnant per ordinem ad obiectum, seu in modo attingendi, & iudicandi de illo, aut penes proprietates ipsam consequentes, etiam repugnabunt ipsi habitus. Sed ut patet ex 1. concl. repugnantia inter actum scientificum, & opinionem sumitur, tùm ex eo quod alter iudicat de obiecto non posse aliter se habere, alter verò posse aliter se habere: tum etiam penes certitudinem, & incertitudinem, euidenciam, & obscuritatem, quæ sunt proprietates ex obiecto ipso desumptæ, & communes tam actui, quam habitui. Ergo eadem repugnantia inuenitur inter habitum scientiæ, & opinionis.

Confirmatur, quia habitus proximè specificatur per actus; sicut actus per obiectum: ergo sicut ex obiecto sumitur intrinseca oppositio actuum, sic etiam ex actibus sumitur intrinseca oppositio habituum. Ergo si actus sunt ex natura sua impossibiles, secundum quod versantur circa obiectum, etiam erunt ex natura sua impossibiles habitus.

*Fundamentis opposita sententia respondetur.*

### S. III.

42. **A**D 1. locum D. Th. dicendum est S. Doct. non asserere, quod acquisita scientia potest remanere opinio per syllogismum Dialectic. causata; sed

quod. *Potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstr. &c.* Ut autem verba ista quibus contrarij conuincuntur & mens D. Thom. in tota illa solutione plenè intelligatur, aduertendum est, apud ipsum materiam primam per se solam non esse subiectum alicuius accidentis, & per consequens omnes dispositiones corporales, & ipsam quantitatem subiectari in toto compositio, ut tergius sup. disput. 9. numero 16. & probabimus lib. 1. Physic. Ex qua sententia deducitur alia non minus certa D. Thom. doctrina, quod scilicet non manent in genito eadem numero accidentia, quæ erant in corrupto; quam tradit lib. 1. de Generat. lect. 10. & alibi sæpè. Vnde quando ignis, v. g. disponit lignum introducendo in illo calorem aliquem, qui est dispositio, ut ibi generetur forma substantialis ignis; talis calor imperfectus deperditur quando corrumpitur lignum, & subsequitur alius calor perfectus consequens, & concomitans formam substant. ignis nouiter introductam in materia ligni.

Hoc ergo exemplo vritur D. Thom. in illa solutione, & docet simili modo opinionem esse viam, seu dispositionem ad scientiam; qui enim per aliquod signum seu medium probabile cognouit aliquam concl. proprius accedit ad cognitionem scientificam illius, quam qui nec dum assequutus est talem opinionem. Quando autem aduenit cognitio scientifica talis concl. deperditur cognitio illa formidolosa antecedens, quia intellectus iudicabat prædicatum contingenter conuenire subiecto: quæ proinde verè erat opinio, & si subsequitur alia perfectior cognitio eiusdem concl. per tale medium probabile, consequens habitum scientiæ de nouo acquisitum. Quæ cognitio verè non est opinio: quia intellectus iam non indicat prædicatum contingenter conuenire subiecto, sicut antea, sed est cognitio quædam perfectior præcedenti, procedens ab ipso habitu scientiæ iam acquisito: quia tamen est per medium probabile, non pertingit, ut sit cognitio scientifica. Videatur Caiet. ibid. qui solita subtilitate notat prius, D. Th. dixisse, *opinio ex syllogismo dialectico, &c.* postea verò acquisita scientia, non reassumisse nomen *opinionis*, sed illud mutasse in nomen *cognitionis*, dicens: *potest remanere cognitio, &c.*

43. Per quod patet ad 2. locum eiusdem D. Thom. Fatemur enim eandem propositionem posse cognosci per medium necessarium & probabile.

Sed quando acquisita scientia cognoscitur talis propositio per medium probabile, verè non est actus opinionis, sed cognitio perfectior procedens à scientia, ut explicatum est.

Ad 3. locum responderetur D. Th. mutasse sententiam, cuius euidens signum est; quod idem ipsum argumentum, cui ibidem respondet concedendo scientiam, & opinionem posse esse simul, non verò scientiam, & fidem; sibi obicit locis supra citatis ex 2. 2. & q. 14. de Veritate, & respondet vtrumque esse impossibile.

Ad 2. argumentum responderetur cum Masio ubi supra admittendo casum. Potest enim optimè fieri, ut eadem conclusio cognoscatur per medium necessarium & probabile.

Dicimus tamen quod quando acquisita scientia cognoscitur per medium probabile, non generatur habitus opinionis, sed habitus scientiæ iam acquisitus quodammodò firmatur: non quia reuera intendatur, aut simpliciter fiat maior: sed quia aliquo modo extenditur ad iudicandum de eadem conclusione per signa probabilia.

Nam, ut benè inquit D. Th. loco adducto ex 3. parte, ille, qui per scientiam cognoscit causam, ex hoc magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Neque nouum videatur



tur actus, quales producerent habitum opinionis, si non adesset scientia, ipsa presente non producere illum, sed potius quodammodo firmare, & extendere ipsum habitum scientiæ: idem enim proportionabiliter contingit ex sententia D. Thom. in actibus habituum infusorum, verbi gratia, fidei aut charitatis, per quos non acquiritur aliquis alius habitus, sed infusus: confirmatur, ut expressè docet 1. 2. q. 51. art. 4. ad 3. & quæst. 1. de Virtutibus art. 1. ad 19.

44. Ad tertium respondetur tangere grauem difficultatem ex materia de habitibus: quomodo scilicet illi corrumpantur.

Quamuis autem ad verificandam nostram conclusionem, alicui videbitur sufficere habitum scientiæ, paulatim excludere habitum opinionis, etiam si in gradibus remissis se compariantur; sicut calor, & frigus verè sunt contraria, quamuis in gradibus remissis possint esse simul: tamen absolute negandum est villo modo posse esse simul habitus scientiæ, & opinionis: etiam si possint esse simul temperantia, & in temperantia, aut alij habitus voluntatis oppositi. Radicem autem disparitatis tangit D. Thom. loco citato ex 1. 2. art. 3. quia cum ratio non possit totaliter superare appetitivam potentiam in vno actu, eo quod per vnum actum non possunt proponi voluntati omnes rationes, & motiva diligendi aliquid: idè non potest per vnum actum habitus virtutis generari: quia autem intellectus quantum est ex parte sui omnino conuincitur per vnam propositionem per se notam ad assentiendum alicui propositioni communi; non verò per vnam rationem probabilem: ideo per vnum actum potest generari habitus scientiæ; non verò opinionis. Ex quo rursus sequitur, quod licet ob eandem rationem habitus oppositi voluntatis, & etiam opiniones oppositæ paulatim se excludant; & consequenter sint simul pro aliquo tempore: hoc tamen non contingit inter habitum scientiæ & opinionis de eadem propositione: sed statim ac acquiritur habitus scientiæ, etiam si remissus sit, euanesceat habitus opinionis, quantumvis intensus, nisi fortè maneat quoad alias propositiones, de quibus nondum habetur scientia.

45. Ad quartum negatur antecedens; ad cuius probationem respondetur ex doctrina D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 5. ad 3. quod in Catholico, qui æquirit scientiam de illa propositione, formaliter; non remanet fides respectu eiusdem. Id est habitus fidei iam non inclinatur ad assentiendum illi sub ratione formali reuelationis obscuræ; sicut inclinatur ad assentiendum aliis articulis. Vnde huiusmodi propositiones, ut rectè inquit D. Thom. *Non enumerantur inter credenda: quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes: sed quia præsupponuntur ad ea, quæ sunt fidei, & oportet ea saltem per fidem præsupponi ab iis, qui eorum demonstrationem habent.* Quando autem dicimus, non posse amitti fidem circa vnum articulum, quin amittatur circa alios, intelligitur realiter, & in illo, qui amisit fidem vnius articuli discedendo; non verò in eo, qui formaliter amisit illam: quia assentitur eidem articulo per medium evidens, quod fieri potest in iis, quæ per se primò non sunt de fide, ut ex dictis patet.

Ad confirmationem responder bene Bañez 2. 2. q. 1. art. 5. Medina vbi suprâ, & alij Thomistæ, quod scientia, & fides (& idem est de opinione) se mutuo iuuant; in his quibus non opponuntur. Et sic illa maior certitudo deriuatur ad assensum illius conclusionis, ex affinitate, quam demonstratio habet in eodem subiecto, cum fide remanente circa alios articulos: quia fides, & scientia non opponuntur penes certitudinem. Ex hoc autem non sequitur, quod talis conclusio simpliciter sit credita, vel quod formaliter

maneat habitus fidei circa illam: quippè cum non maneat tota ratio formalis obiecti fidei, quæ completur per obscuritatem. Et idè quamuis talis cognitio habeat certitudinem fidei; verè tamen non est assensus fidei, quia non est obscurus. Sicut à simili in eo, qui acquisita scientia de aliqua conclusione cognoscit eam per medium probabile, talis cognitio habet quidem ab illo medio totum perfectionis, quod haberet si non esset acquisita scientia, sed quia non habet imperfectionem formidinis, quæ est de ratione opinionis: idè verè non est cognitio opinatiua. Per quod patet ad id quod assertur de rustico fideli, & Christiano Philosopho, hic enim quamuis verè non habeat fidem illius propositionis, nisi in præparatione animi, est tamen de illa certus pluribus titulis, ut explicatum est. Et idè habet maiorem certitudinem, quàm rusticus fidelis eiusdem meriti.

*Expenditur vltimum argumentum de raptu D. Pauli: simulque explicatur quid de fide, & scientia dicendum sit.*

#### S. IV.

46. **A**D vltimum, quod sanè difficile est, varias solent adhiberi solutiones. Quarum aliquas referunt Bañez, & Medina citati. Primò enim non pauci negant, D. Paulum in illo raptu vidisse essentiam diuinam. Quorum sententiam probabiliorē reputant Catherinus, & Cornelius 2. Corinthio 12. Molin. 1. parte quæst. 1. 2. art. 1. disp. 2. & alij; eamque, inquit Medina, se libenter amplecti, iuxta quam non procedit argumentum ut patet. Quia tamen contraria sententia est non solum D. Thom. sed etiam August. Chrysostomi, Anselmi, & aliorum Patrum quos idem Auctores referunt; Idè relicta hac solutione.

Secundò alij respondent pro illo tempore, quo Paulus fuit in raptu, lumen gloriæ dissipasse lumen fidei; transacto verò raptu, iterum infusam esse illi fidem ad credendum. Hæc tamen non est solutio, sed effugium, & pugnat cum verbis D. Thom. adductis in argumento, vbi expressè fateretur mansisse in Paulo fidei habitum. Quare hac etiam solutione relicta.

Tertio Bañez vbi suprâ respondet, in illo casu factum esse per diuinam potentiam, ut simul conseruaretur habitus fidei cum actu visionis eiusdem obiecti. Quæ solutio non est improbabilis; maxime si vniuersaliter asseratur, duo contraria in gradibus intensis posse esse simul in eodem subiecto de potentia absoluta. Sed quia hoc non est in præsentem examinandum, & iuxta solutionem istam concedendum est, speciale miraculum in illa simultanea conseruatione. Idè hac etiam prætermissa.

47. Duplicem aliam, & vtramque optimam adducit Caiet. Primam tradit 2. 2. in Comment. huius loci. Respondens Paulum in illo raptu non vidisse omnes articulos fidei, etiam si viderit diuinam essentiam, & ita habitum fidei mansisse quidem respectu articulo- rum, quos non vidit; non verò respectu eorum, quæ vidit, nisi in præparatione animi.

Hanc solutionem impugnatur Bañez: quia lumen gloriæ, sine quo videri non potest diuina essentia; quamuis fuerit in Paulo per modum transitus; verè tamen manifestauit illi Deum sicuti est: ergo vidit omnes articulos fidei. Sed certè impugnatio parum urget: tum quia expressè repugnat D. Tho. quæst. 1. 3. de veritate art. 5. ad 5. & 6. tum etiam quia non eodem modo iudicandum est de forma, quando datur

per modum motus, & habet esse transiens, & quasi intentionale; ac quando habet esse ratum, & firmum in natura: cuius multa possent adduci exempla in doctrina Angelici Doctoris. Sufficiat quod ipse Sanctus expressè docet eodem articulo in solutione ad secundum; Quod scilicet quia in illo rapto lumine gloriæ participatum est in Paulo, solum per modum cuiusdam dispositionis transeuntis; sicut participatur lumen prophetiæ: idè ex illa visione secundum quid tantum potuit dici beatus, & raptus ille quodammodo pertinuit ad prophetiam. Ergo satis probabiliter dici potest tunc non vidisse in essentia divina omnia, quæ ad finem pertinent: maxime cum constet ipsum non vidisse: an esset in corpore aut extra corpus.

48. Secundò idem Caiet. 1. 2. quæst. 67. art. 5. quem sequuntur Medina art. 3. antecedenti, Gallego ubi supra, & alij Thomistæ, responder ex doctrina Angelici Doctoris loco citato ex 2. 2. & 2. Corinthior. 1. 12. & 1. habitum fidei posse quidem compari cum actu visionis transeuntis, ut fuit in D. Paulo: permanentes verò (quod est simpliciter esse simul) non posse compari, neque habitus ipsos, aut actus inter se, neque habitum fidei cum actu visionis, aut è contra.

Si autem obieciat ex Durando in 3. dist. 32. quæst. 2. quod impossibilitatem non facit longitudo temporis, sed natura oppositionis: ergo quæ possunt simul esse per instans, possunt simul esse absolute; & per consequens si transeuntur comparantur habitus fidei, & actus visionis, etiam comparantur permanentes.

Responderetur cum Caietano, quod impossibilitas confurgit quidem ex natura oppositionis. Sed aliquando oppositio inter aliqua, non est in actu exercito, nisi in statu eorum completo, & tunc potest esse necessaria permanentia, ut exerceatur impossibilitas, sicut patet in accidenti spiritali, cui quamvis repugnet subiectari in re corporea permanentes, potest tamen transeuntis recipi in ea; ut de virtute productiva gratiæ, respectu sacramentorum docet expressè D. Thom. 3. part. quæst. 62. art. 4. & in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. & de veritate quæst. 14. Sic ergo dicendum est in præsentis non sequi ex eo, quod transeuntis possint esse simul habitus fidei, & actus visionis, quod etiam permanentes comparantur. Et ratio: est quia horum impossibilitas non sumitur præcisè ex parte mediorum, sed etiam, & maxime ex parte subiecti, quatenus scilicet repugnat idem subiectum esse absolute videns, & non videns respectu eiusdem, etiam per diversa media. Quæ ratio cessat quando actus visionis est transiens, & per modum motus: quia tunc non tam attenditur subiectum in quo recipitur, quam principium, seu medium per quod illuminatur. Sicut à simili, de virtute illa intentionali sacramentorum, non iudicatur iuxta conditionem subiecti corporalis, quod mouetur ad causandam gratiam; sed iuxta conditionem principij, seu causæ à qua mouetur, ut expressè docet D. Thom. eisdem locis.

49. Ex dictis satis apparet quod sicut opinio, sic etiam fides non potest simul esse cum scientia in eodem intellectu de eadem propositione, & hoc tam secundum actus, quam secundum habitus. Sicut enim de ratione opinionis est incertitudo, seu formido in qua pugnet cum scientia: sic de ratione fidei est inevidentia, siue obscuritas; nam fides est argumentum non apparentium; seu assensus determinatus non videntis; sicut spes est appetitus non habentis; & ita ponit subiectum absolute priuatum visione eius, quod creditur: & consequenter esse non visum est de ratione obiecti

eius. Quæ omnia manifestè pugnant cum scientia, quæ intrinsecè est visio intellectualis obiecti; & ex natura sua postulat claritatem, seu euidenciam. Quare sicut repugnat, quod intellectus absolute iudicet de eadem propositione posse, & non posse aliter se habere; & propterea non possunt esse simul scientia, & opinio; sic etiam repugnat quod eadem propositio absolute sit eideni intellectui visa, & non visa; & consequenter non possunt esse simul scientia, & fides. Videantur D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. & 5. Caiet. Bañez, Medina & alij Thomistæ citati.

Est tamen hic aduertendum doctrinam istam intelligendam esse de scientia, quæ actu habet euidenciam suarum conclusionum. Si enim careat illa, ut contingit in Theologia nostra, quamvis non possit simul esse cum opinione propter suam certitudinem; non tamen repugnat quod sit simul cum fide infusæ: quia tunc non adest ratio repugnantia. De quo videri potest Caietan. artic. 5. citato, & Bañez ibidem conclusione 5.

50. ¶ In fine horum lib. notandum est, quod agens Aristot. in 1. lib. de principiis, unde procedit demonstratio, disputat ex professo de definitione; prius ostendens ipsam; seu quidquid est rei, demonstrari non posse: quod satis ex dictis constat. Deinde quia sæpè assumitur, ut medium, ad probandas passiones, de obiecto, idè cap. 14. & 15. docet modum, quo inuestigandæ sunt rerum diffinitiones. Circa quod pauca à nobis adnotanda sunt: nam de modo definiendi accidentia, qui difficilius est, plura diximus supra disp. 5. Docet autem in præsentis Aristot. quod diffinitiones tam substantiarum, quam accidentium inuestigandæ sunt per divisionem: inquirendo scilicet: an res definienda sit ens reale, vel rationis: si est ens reale, an substantia, an quantitas, vel qualitas, &c. Et deinde per arborem proprii prædicamenti descendendo usque ad immediatum genus, sub quo talis res continetur; quo inuento ponendum illud est in diffinitione. Differentia verò colligenda est ex aliquo effectu, vel operatione propria definiri. Quod si fuerint plures, ut contingit in homine, cuius sunt operationes propriæ ridere, admirari, & discurrere; inspicendum est, quæ sit earum prima, & ex aptitudine ad illam assignanda est differentia essentialis. Videatur Caietan. ibidem. Et hæc de libris Posteriorum.

#### NOTATIONES, IN LIBROS Topicorum Aristotelis.

1. Postquam in libris Posteriorum egit Aristot. de demonstratione, quæ est syllogismus procedens ex necessariis: recto ordine de syllogismo opinatio, seu qui procedit ex propositionibus probabilibus agit in his libris. In quorum septem prioribus inuestigat varia loca; unde possunt delumi argumenta ad quamlibet rem in utramque partem disputandam. Propter quod libri isti appellantur Topicorum *topos*, enim Græcè idem est, quod Latine locus, & inde *topicus*, id est localis, & *topica*, id est, ars inveniendi loca, ut inquit. Quintilius lib. 5. cap. 14. in octavo verò, & ultimo libro loca inuenta disponit Aristot. in modo, & figura, ut ex eis fiant syllogismi probabiles.

Est autem materia hæc, ut probat ipse lib. 2. cap. 2. valde utilis, tum ad colloquia, & exercitationes. Tum ad laudandum, & vituperandum; mouendum, & delectandum.

estandum. Tùm ad Philosophiam, & alias scientias: in quibus, quia sæpe ignoramus propriam demonstrationem alicuius conclusionis utimur rationibus probabilibus. Tùm denique ad prima principia probanda, quæ quia demonstrari non possunt, sæpe à nobis ostenduntur, & declarantur rationibus topicis.

Vt ergo quivis faciliè in qualibet re proposita, possit argumenta probabilia formare; assignavit Arist. plurima loca vnde talia argumenta deducerentur. Quæ si numeres, inuenies 19. ea tamen Rodolphus Agricola ad 24. reuocauit, & Petrus Nuñez, quem alij communiter sequuntur ad 10. tantùm reduxit. Hæc sunt, locus à causis; à effectibus; à subiectis; ab adiunctis; à dissentiens; à comparatis; à nomine; definitione; à diuisione; & à testimonio. Quæ in præsentibus breuiter explicanda sunt.

2. *¶* Est autem locus, vt definit Cicero in Topicis, sedes, seu index argumenti: argumentum verò est medium desumptum ad aliquid probandum. Quare id vnde medium desumitur, seu quod nobis indicat medium desumendum; dicitur locus, qui consequenter est, vel vt thesaurus quidam, vnde hauriuntur argumenta, vel potius index eorum. Propter quod loca comparantur rectè manibus ferreis in viuis, aut triniis affixis; quæ iter nescienti demonstrant; vel vt inquit Ludouicus Viues, sunt velut lemmata narthesiorum, quibus Vnguentarij, & Pharmacopolæ admonentur, quid sit in vnoquoque narthesio, aut capsula. His ergo locis adiunguntur quædam propositiones, quæ appellantur maximæ; & sunt quædam communes, & valdè notæ sententiæ, quæ vim tribuunt argumentis, ab his locis desumptis. Pro quibus omnibus videri possunt Auctores citati, & Masius in his libris, vbi materiam hanc breuiter, & perspicuè prosequutus est.

## PRIMVS LOCVS A CAUSIS.

3. *C*ausa dicitur, ad quam sequitur esse alterius, seu cuius vi aliquid fit, estque quadruplex: scilicet materialis, formalis, efficiens, & finalis. Causa materialis est triplex, alia ex qua, vt lapides, & ligna, respectu domus, & ab hac laudatur Templum Salomonis, & ab Ouidio 2. Metamorphos. Templum solis illis verbis: *Regia solis erat sublimibus æta columnis: clara micante auro, &c.* Alia est materia in qua, vt subiectum respectu accidentium. De quo in tertio loco dicemus. Alia est materia circa quam, id est, obiectum; & ab hac commendat Aristot. scientiam de Anima, & Philosophiam moralem præponit Medicinæ, quia hæc circa morbos corporis, illa versatur circa morbos animæ. Causa formalis est quæ dat esse rei, & est duplex: alia artificialis, vt figura turris, à qua laudantur, vel vituperantur ædificia; & alia artefacta: alia est naturalis; & hæc alia interna, vt anima à qua laudatur homo; quia inter alia animalia capax est videndi Deum: alia externa vt pulchritudo. Ex quo loco laudauit Iuno Nymphas primo Æneid. *Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nympha.* Similiter causa efficiens est, à quo primo incipit motus, quæ alia est libera, alia necessaria, & sic de aliis diuisionibus quas in Physica trademus; à quibus plura argumenta sumuntur. Hinc laudamus aliquem à parentibus, à præiis; & excusamus, quando coactus commisit facinus. Tandem causa finalis est, cuius gratia aliquid fit; est autem finis duplex; alius vltimus, alius non vltimus; & ab hoc loco lau-

damus actiones, quæ in bonum finem diriguntur; criminantur verò, cum ab eo deficiunt, & cætera.

## SECUNDVS LOCVS AB EFFECTIBVS.

4. *L*ocus iste proportionabiliter sumitur, ac præcedens, & ab eo laudamus aliquem propter propria facta, Martyres propter constantiam; Artificem propter artefactum, & cætera. Vituperantur autem tyranni, & peccatores propter praua opera, & cætera.

## TERTIVS LOCVS A SVBIECTIS.

5. *N*on dicitur in præsentibus subiectum, id est, subiectum scientiæ, de quo diximus in primo loco; sed subiectum, in quo est aliquid: & ab hoc loco laudantur, vel vituperantur arbores, aut fructus terræ: quia in bona, aut mala terra nascuntur. Præponuntur etiam virtutes, & scientiæ aliis accidentibus: quia in meliori subiecto sunt.

## QVARTVS LOCVS AB ADIUNCTIS.

6. *A*diuncta dicuntur illa accidentia, quæ in subiecto, quæ si sint extra essentiam, & communia; dicuntur adiuncta; si verò res adiunctæ solum circumstant, vt arma, diuitiæ, &c. dicuntur connexa. Vnde amplissimus est locus iste, ex quo laudatur homo, qui perspicaci ingenio est, qui scientias, qui virtutes, qui fortitudinem corporis, qui meliores sensus, patriam, aut amicos habent, qui bonæ fortunæ est, &c. Vituperantur verò qui sacro loco, aut tempore peccatum perpetrarunt.

## QVINTVS LOCVS A dissentiens.

7. *D*issentanea dicuntur, quæ de eadem re simul affirmari, & negari non possunt. Quæ quando repugnant absque propria oppositione, solent appellari repugnantia, seu disparata: quando verò habent propriam oppositionem dicuntur opposita; & hæc alia sunt relatiua, & alia contraria, alia priuatiua, alia contradictoria, de quibus iam egimus c. de oppositis. Ex quo loco sumit argumentum, qui laudat humilitatem, vituperando superbiam, qui ostendit damna luxuriæ afferendo commoda castitatis, &c.

## SEXTVS LOCVS A COMPARATIS, vel similibus.

8. *C*omparata appellantur, vt inquit Rodolfus Agricola, quando in aliquo vno tertio coniunguntur; vt cum dicimus, Regi Hispaniæ licet contra Turcas belligerare: ergo etiam licet Regi Galliæ. Similia verò dicuntur quando comparantur duo duobus per modum proportionalitatis; vt si dicas, sicut inter apes est vna dux, & magistra; ita inter homines oportet esse vnum Principem, &c.

## SEPTIMVS LOCVS A NOMINE.

9. *L*ocus iste solet appellari ab interpretatione sermonis, vel ab etymologia nominis, quo sapissimè

ſapientiſſimè vtimur; vt ſi dicas, decet amatorem ſapientie virtutibus ſtudere: ergo decet etiam Philoſophum. Similiter non decet eum, qui de Deo loquitur, aliquid turpe proferre; ergo neque Theologum. Quo etiam modo arguendi vſus eſt Cicero in Verrem dicens: *Non mirum eſt furum fuiſſe factum à Verre: quia à verrando dictus eſt Verres.* Ad quem locum reducitur locus à coniugatis; quando ſcilicet nomina affinia ſunt, eo quòd vnum ab alio deriuatur; vt concretum eſt abſtracto. Ex quò loco argumentamur; non ſunt appetendi viri, qui nihil habent virtutis, neque homines, qui nihil habent humanitatis, &c.

#### OCTAVVS LOCVS A DEFINITIONE, & nomen à diuiſione.

10. **Q**uid, & quodplex ſine definitio, & diſſio dictum ſatis à nobis eſt in proœmio Summularum. Vbi etiam notauimus modos arguendi in vnaquaque, & ita nihil reſtat addendum.

#### DECIMVS LOCVS A TESTIMONIO.

11. **A** Rodolpho appellatur hic locus à pronuntiatione: quia ſumitur ex his, quæ aliqui pronuntiauerunt. Vel vt alij dicunt ab aſſumptis: quia accipitur omninò ab extrinſeco; neque conſideratur circa ſubiectum. Eſt autem testimonium duplex; aliud diuinum, aliud humanum. Diuinum eſt, quòd accipitur à Deo dicente, vel per Prophetas, & ſcripturas; vel per traditiones Chriſti Domini, & Apoſtolorum, vel per Concilia, aut Eccleſiam: nam hæc omnia clauduntur in præſenti ſub testimonio diuino, & ſunt loci vnde Theologus deſumit ſua argumenta. De quibus agit D. Thom. 1. part. quæſt. 1. artic. 8. & Cano in Aureo lib. de locis Theologicis.

Testimonium humanum eſt, quòd ab homine proſeſtur, quòd quidem, vt author eſt Cicero, poteſt attendi, vel ex auctoritate, vel ex voluntate, vel ex conſeſſione, ſeu oratione. Ad auctoritatem plura concurrunt, nempe ætas, ingenium, opes, ars, vſus, & opinio virtutis, & ita quando plura horum quis habuerit; tantò maior eſt testimonium eius ſumptum ab auctoritate. Propter quò ſenſum testimonij fidem adhibemus, peritis in ſua arte credimus, & qui naſti ſunt virtutis opinionem, melius perſuadent, &c. Ex voluntate etiam ſumitur testimonium, vt ex teſtamento, pactis, & legibus, tam civilibus, quàm canonicis. Tandem ex oratione, ſeu conſeſſione: & hoc ſive voluntariè quis voluntatem fateatur; ſive coactè: quia nimirum, vel corpus tormentis premitur, vel anima ratione voti, ſeu iuramenti ligatur. Vbi tandem nota, quòd à testimonio humano affirmatiuè ſumitur effectus argumentum, vt ſi dicas: Ariſtoteles inquit præteritam præmiā eſſe puram potentiam: ergo ita eſt. Si verò argumentum ſumatur negatiuè nihil probat, & inefficax eſt, vt ſi dicas: D. Thom. non dicit hoc: ergo non ita eſt. Et hæc ſufficiant pro libris Topicorum.

#### NOTATIONES IN LIBROS Elenchorum.

**Q**uemadmodum Medicus non ſolùm de medicamentis, quibus ſalus deperdita reſtituitur, ſed etiam de venenis, quibus ipſa læditur, tractat, vt quancumque fuerint alicui propinata, opportunis medijs depellantur: Ita Dialecticus non tantùm de locis dialecticis, vnde probabilia argumenta deſumuntur, diſputat, ſed etiam de ſophiſticis, vnde rationes capioſæ, & apparentes hauriri ſolent, vt quancumque in concertationibus, argumentis ſimilibus impetitur, quomodo diſſoluenda ſint, calcamus. De hoc ergo argumentorum genere agit Ariſtoteles luculenter in duobus libris Elenchorum ita inſcriptis: quia in eis agitur de ſophiſticis redargutionibus, ſeu reprehentionibus, *elenchos*, enim græcè, idem eſt, quòd latinè redargutio, ſeu reprehenſio. Agit etiam de eadem materia D. Thom. in peculiari opuscul. de fallacijs, quòd eſt in ordine 39. Ex quibus breuiter, quæ neceſſaria viſa fuerint deducemus.

1. Eſt ergo argumentatio, ſeu ſyllogiſmus fallax; qui procedit ex apparentibus, quæ ſcilicet videntur eſſe ſed non ſunt. Et eſt duplex: alius qui procedit ex proprijs alicuius ſcientiæ malè intellectis, vt ſi dicas: *Omnes linea ducta à centro ad circumferentiam ſunt æquales: ſed linea recta, & curua ducuntur à centro ad circumferentiam: ergo ſunt æquales.* Maior enim eſt principium geometricum malè intellectum: quia ſolùm debet intelligi de lineis rectis, & huiusmodi ſyllogiſmum appellat Ariſt. *pſeudographum*, cuius cognitio non pertinet ad Logicam, ſed ad illas ſcientias, ex quarum principijs malè intellectis formatur.

Alius eſt ſyllogiſmus fallax, qui conſtat ex apparentibus communibus, quæ ſcilicet pluribus materijs applicari poſſunt, vt ſi dicas: *Quidquid non amiſiſti habes: ſed barbam non amiſiſti: Ergo barbam habes.* Maior enim illa pluribus materijs applicari poteſt, & de huiusmodi ſyllogiſmo pertinet ad Logicum, qui cum ſit communis artifex, non ſolùm explicat loca, vnde rationes probabiles communes deſumuntur, ſed etiam vnde rationes apparentes communes efformantur.

3. Rurſus ſyllogiſmus iſte fallax, qui pertinet ad Dialecticum eſt triplex. Poteſt enim eſſe fallax, vel ratione materiæ tantùm, quando nimirum, licet ſit in modo, & figura, tamen ratione alicuius æquiuocationis, aut aliunde fallit: vel ratione formæ tantùm, quando ſcilicet forma ſyllogiſmi eſt vitioſa, licet propoſitiones ſint veræ. Tertio tandem ratione vtriuſque. Ex his autem ſolùm ſyllogiſmus fallax primo modo dicitur propriè, & abſolutè ſyllogiſmus: quia ibi ſolùm inuenitur forma ſyllogiſmi: in alijs verò duobus modis deficiente forma deficit veritas ratio ſyllogiſmi, & ita ſecundùm quid tantùm poſſunt appellari ſyllogiſmi. Eo ſenſu, quo homo pictus appellatur homo.

Quando ergo ſyllogiſmus fuerit fallax ex parte materiæ, diſtinguenda eſt illa præmiſſa, in qua vitium reſidet, quando verò fuerit fallax ex parte formæ conſeſſa maiori, & minori neganda eſt conſeſſentia, & assignandus defectus eius, quòd ſatis conſtat ex dictis tertio libro Summularum. Tandem ſi ſyllogiſmus ſit fallax ex parte vtriuſque, tunc quo malueris modo poteris reſpondere; vel assignando vitium materiæ, ſeu defectum formæ.

formæ. Ostendamus ergo breviter aliqua loca, seu fallacias, quibus Sophistæ videntur, quæque oriuntur ex defectu in materia syllogismi: sunt autem istæ apud Aristotelem tredecim, ex quibus sex contingunt in inductione, seu vocibus significantibus res; septem verò in ipsis rebus significatis. Ex fallaciis primi generis.

PRIMA EST FALLACIA æQUIVOCATIONIS.

4. **C**ontingit hæc fallacia, quando ponitur in præmissis aliquis terminus æquivocus. Quod fieri potest tripliciter. Primò quando est pure æquivocus; ut si arguas: *Canis est laetabilis: sedus canis est* ergo *sedus canis est laetabilis*. Secundò quando est analogos attributionis, aut proportionalitatis metaphoricæ; ut si dicas: *Quidquid videt, diducit os: sed prætum videt: ergo prætum diducit os*. Tertiò quando vox aliqua secundum sumptam unam rem significat; quæ tamen aliis contenta mutat significationem; ut si dicas: *Qui sanabatur, sanus est: sed, agrotus sanabatur: ergo agrotus sanus est*. Vbi vox agrotus unita cum verbo de præterito in minori sit de; præterito: quia verò in conclusione iungitur cum verbo de præterito, sit etiam ipsa de præterito.

SECUNDA FALLACIA AMPHIBOLOGIA.

5. **E**st hæc fallacia, quando aliqua integra oratio est æquivoca, & habet plures sensus. Et contingit duobus modis. Primus est, quando est pura æquivocatio: quia nimirum oratio illa æquè habet utrumque sensum absque ordine unius ad alium. Verbi gratia hæc oratio *liber Aristot.* æquè enim significat, & librum, qui possidetur ab Aristot. & qui ab Aristot. editus est. Et ita committitur amphibologia; si arguas: *Libre Aristotelis possidetur ab Aristot. sed liber iste Elench. est Arist.* ergo *possidetur ab Aristot.* Secundus modus est, quando aliqua oratio habet duos sensus, quorum unum primò, & propriè significat; alium verò per metaphoram, & translationem; ut si arguas: *Quicumque litus eras, litus sciend. erat: sed qui oleum, & operam perdis, litus eras: ergo qui oleum, & operam perdis, litus sciend. erat*. Et ad hunc locum renocat D. Thom. fallaciam, quæ fit ex mutatione casus; ut sic dicas: *Omnes Magistri sunt homines: isti libri sunt Magistri: ergo isti libri sunt homines*.

Tertia fallacia compositionis, & quarta divisionis.

6. **C**ontingunt hæc fallaciæ, quando à sensu composito vero arguitur ad sensum diuisum falsum, vel è contra: quod tripliciter potest fieri. Primò, quando propositiones sunt modales: præcipuè, si non attendatur: an modus prædicetur, vel interponatur partibus dicti, ad iudicandum, propositionem esse compositam, vel diuisam; ut si dicas: *Quicumque quis esset, potest ambulare: sed sedens, dum sedet, quiescit: ergo sedens dum sedet, potest ambulare*.

Secundò, quando aliquod extremum propositionum habet plures terminos, qui possunt sumi vel copulati, vel disiuncti; ita ut propositio sit categorica de copulato, vel disiuncto extremo: vel etiam copulatiuè, aut disiunctiue; ita ut propositio æqualeat hypotheticæ, copulatiuæ, aut disiunctiue; ut si dicas: *Quicumque numerus componitur ex duobus, & tribus, est duo, & tria: sed quinaris non est duo, & tria: ergo quinaris non componitur ex duobus, & tribus*. Vbi

Colleg. Compl. Logica,

maior est vera copulatiuè; minor verò copulatiuè. Tertiò tandem contingunt hæc fallaciæ, quando aliqua vox potest iungi partibus antecedentibus, & consequentibus; ut si dicas: *Qui scio literas modò, didicisti illas: sed in scio literas: ergo modò didicisti illas*.

QUINTA FALLACIA ACCENTUS.

7. **E**st hæc fallacia, quando eadem, vox variè prolata varia significat. Et contingit quatuor modis Primò, quando mutatur accentus, de actuo in gravem, vel è contra; ut si dicas: *Quicumque occidis, moritur: sed sicarius occidis: ergo sicarius moritur*. Secundò, quando mutatur quantitas syllabæ, sic: *Omnis populus est hominum multiendo: sed aliqua arbor est populus: ergo aliqua arbor est hominum multiendo*. Nam in maiori prior syllaba corripitur, in minori verò producit. Tertiò, quando mutatur modus proferendi, nunteniter, nunc asperè vocem pronuntiando; vel nunc in verò sensu, nunc per ironiam loquendo; ut si dicas: *Omnia ara est in templo: sed procorum stabulum est hara: ergo procorum stabulum est in templo*. Similiter: *Qui dicit tibi, præclarè functus es officio tuo, laudas te: sed aliquis illudens tibi, dicit, præclarè functus es officio tuo: ergo aliquis illudens tibi laudas te*. Quartò tandem, quando plures voces cœunt in unam; ut si dicas: *Quidquid fit in vite est pampinus, vel racemus: sed quidquid fit coactè, fit innis: ergo quidquid fit coactè est pampinus, vel racemus*.

SEXTA FALLACIA FIGURÆ dictionis.

8. **C**ontingit hæc fallacia, quando fit transitus de vno genere in aliud, quod accidit multipliciter. Primò, si transeat de vno genere Grammaticorum in aliud, ut quando committitur sollicitudinis; quia altera extremitatum est generis feminini, v.g. & altera masculini, ut si dicas: *Omnia substantia afflicta albedine est alba: paries est substantia afflicta albedine: ergo paries est alba*. Secundò quando fit transitus de vno prædicamento in aliud; ut si dicas: *Quidquid fuisse heri, es hodie: sed incipiens fuisse heri: ergo incipiens es hodie*: ibi enim transfertur, quid in quale. Tertiò quando intra idem prædicamentum fit transitus de vna specie; in aliam; ut si dicas: *Digitus, quos olim habuisti, habes hodie: sed paruos digitos olim habuisti: ergo paruos digitos olim habuisti*. Quartò tandem quando vox significans rem vniuersalem transfertur in vocem significantem rem particularem, vel è contra; ut si dicas: *Quod ego sum in nones: sed ego sum homo: ergo in non es homo*. Vbi vox ergo, quæ in maiori est particularis, in minori fit vniuersalis: quia iungitur cum homine.

Ex fallaciis secundi generis, quæ scilicet contingunt in rebus significatis;

PRIMA EST FALLACIA accidentis.

9. **Q**uæ tribus modis contingit. Primò, quando quod est proprium subiecti tribuitur accidenti; ut si dicas: *Iste canis est pater, & est tuus: ergo est pater tuus*: nam canis, & pater sunt unum per accidens. Et ita non sequitur quod quidquid est verum de vno, sit verum de altero. Secundò quando quod convenit superiori accidentaliter, quia superius est, tribuitur inferiori; ut si dicas: *Animal est genus: homo est animal: ergo homo est genus*. Tertiò quando inter ea, quæ recipiuntur, quidquid convenit uni quocumque



cumque modo, tribuitur alteri; ut si dicas: *Animal rationale est definitio: homo est animal rationale: ergo homo est definitio.*

### SECUNDA FALLACIA CONSEQUENTIS.

10. **F**it hæc fallacia, quando argumentamur à termino consequenti, ad antecedentem; quando tales termini non sunt simul antecedens, & consequens iuxta dicta in fine 3. libr. Summul. quod dupliciter contingit. Primò, quando ex affirmatione termini consequentis, infertur antecedens; ut si dicas: *Est animal: ergo est homo.* Secundò quauddò ex negatione termini consequentis infertur negatio antecedentis; ut si dicas: *Non est homo: ergo non est animal.*

### TERTIA FALLACIA A DICTO secundum quid ad dictum simpliciter.

11. **A**liis appellatur hæc fallacia, ab eo quod est in parte, ad id quod est in toto. Quod contingit duobus modis. Primus est, quando illud, quod inest parti, cum possit inesse toti, tribuitur toti, ut *Ethyops est albus secundum dentes: ergo est albus:* quod intelligendum est, iuxta ea quæ dicta sunt in fine 2. libr. Summul. bene enim valet: *Petrus est crispus secundum capillos: ergo est crispus;* quia crispitudo solum potest esse in capillis. Secundus modus est, quando quod non convenit alicui sine adiectiuo, tribuitur absque illo, ut *Cadaver est homo mortuus: ergo est homo.* Et generaliter quando prædicata, quæ non possunt diuidi, diuidimus; aut quæ non possunt coniungi, coniungimus, committitur fallacia ista; ut si dicas: *Petrus est magnus, & est Logicus: ergo est magnus Logicus. paulus est bonus Prætor: ergo est bonus, & est Prætor.*

### QUARTA FALLACIA IGNORANTIAE elenchi, seu redargutionis.

12. **C**ontingit hæc fallacia, quando est aliquid ad contradictionem necessarium, & tamen inferimus contradictoria. Vnde tot modis contingit quot sunt conditiones requisitæ ad contradictionem. Et sic primò fit captio ista; quando non est in ordine ad idem: ut si dicas: *Quaternarius est duplus binario, & non est duplus quinario: ergo est duplus, & non duplus.* Secundò si non est secundum idem: ut *Ethyops est albus secundum dentes, & non est albus secundum corpus: ergo est albus, & non albus.* Tertio, si non sit eodẽ modo: ut si dicas: *Vestis aptata corpori tegit corpus, complicata in arca non tegit corpus: ergo tegit, & non tegit.* Quarto tandẽ si non sit eodẽ tẽpore ut *Hispania calefcit tempore æstatis & nõ calefcit tẽpore hyemis: ergo calefcit, & non calefcit.*

### QUINTA FALLACIA PETITIONIS principij.

13. **C**ontingit fallacia ista, quando id ipsum assumitur, quod in quæstione versatur. Et fit primò, quando vnum synonymum per aliud probatur, ut si probaturi hominem viuere assumamus esse animatum. Secundò quando assumimus illud, quod est omnino idem, cum eo quod probaturi sumus, etiam si diuerso modo significantur: ut quando probamus hominem esse risibilem, quia animal rationale est risibile. Tum enim in rei veritate petitur principium: nam cum homo, & animal rationale secundum se sint omnino idem, ita mediata est hæc propositio, *animal rationale est risibile:* sicut hæc: *homo est risibilis:* & ita illa secundum se non potest esse medium ad istam probandam. Videantur, quæ diximus supra disp. 18. n. 7. ubi ostendimus propositionem, in qua prima passio demonstratur de subiecto secundum se esse immediatam, & per se notam; quia in re non mediat aliquid inter prædicatum, & subiectum, quod possit assumi ad illam demonstrandam.

### SEXTA FALLACIA NON CAUSÆ, ut causa.

14. **F**it hæc fallacia, quando aliquis effectus tribuitur, ut causæ alicui; quod tamen non est vera causa eius. Ut si colligas; arma non esse in Republica permittenda, eo quod multis turbandæ pacis occasionem præbent; vel literarum studiis non esse incumbendum, eo quod multis perniciem attulerunt.

### SEPTIMA, ET VLTIMA FALLACIA plurimum interrogationum, ut vnus.

15. **E**o tendit hæc fallacia, ut qui simplicem responsionem reddit, omnibus minimè satisfaciatur; ac proinde decipiat. Contingit autem tripliciter. Primò, cum vnum de pluribus interrogatur; ut si quæras: *an luxuria, & castitas sint bona.* Secundò, cum plura quærentur de vno: ut si quæras: *an Petrus sit homo, & equus:* si enim respondeas affirmatiue, infert Sophista: ergo Petrus est equus, si autem negatiue, infert: ergo Petrus non est homo. Tertio tandem, cum plura de pluribus quærentur, ut si Petro existente cæco, & Paulo vidente inquiras: *An Petrus, & Paulus sint cæci, & videntes.* Et hæc sufficiant pro libris Elenchorum, & pro tota Dialectica. Vtinam cedant in maiorem Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, cuius iudicio omnia sunt dicta, siue dicenda omnino summittimus. Compluri pridie Kalendas Septembris, M. DC. XXIV.

F I N I S.

卷之三

三

三



COLLEGI  
COMPLUTENSIS  
DISCALCEATORVM  
FRATRVM ORDINIS

B. Mariæ de Monte Carmeli,

DISPV TATIONES  
IN OCTO LIBROS

Physicorum Aristotelis :

*I V X T A M I R A M A N G E L I C I D O C T O R I S  
D. Thoma, & Scholæ eius doctrinam.*

EIDEM COMMUNI MAGISTRO, ET  
Florentissimæ Scholæ dicatæ.



L V G D V N I.

Sumptibus IOANNIS ANTONII HUGVETAN;  
& GUILLELMI BARBIER.

---

M. DC. LXVIII.

COLLIER

COMPONENTS

DISCRETE

TO THE

OF THE

DISCRETE

TO THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE





ANGELICO  
DOCTORI D. THOM:  
PRÆCLARO DIVINÆ MENTIS

INTERPRETI, CATHOLICÆ ECCLESIAE

fulgentissimo syderi, & Christianæ Philosophiæ, ac  
Theologiæ luminari maximo;

INCLYTÆ ETIAM, ET FLORENTISSIMÆ, TOT OQUE  
terrarum orbe celeberrima ipsius Schola, necnon & singulis in ea  
legitimè certantibus.

COLLEGIVM COMPLVTENSE DISCALCEATORVM  
Fratrum B. Mariæ de monte Carmeli dicat, consecrat.



Ad Te, Doctor Angelice, non lento, neque violento, sed  
veloci, & spontaneo cursu, noster hic Dialecticus, & Phi-  
losophicus cursus currit: utinam, quod speramus, sic cur-  
rat, ut te comprehendat, & à te benignè exceptus in te  
placide conquiescat. Cum enim intra securissimas Thom-  
isticae doctrinae ripas percurrat, non potest alium quam  
te Thomam Doctorem, & Parentem suum quærere, nul-  
libi nisi in sinu tuo quiescere; nam ad locum unde exeunt  
flumina reuertuntur. Quod si tuo patrocínio nos sic currentes ad te Christianæ  
Dialecticæ, & Philosophiæ Doctorem traxeris, curremus ulterius in odorem  
vnguentorum tuorum, quæ in tuis Theologicis quæstionibus, & articulis re-  
cundita, suauiter, salubriter, longè latèque spirant, sicque fiet, ut adolescen-  
tia ingenia, quæ quia oleum effusum est nomen tuum, nimis te diligunt; post  
te etiam nobis currentibus concurrant; & tuis Dialecticis, & Philosophicis vn-  
guentis delibuta, Theologicis quæ pretiosiora sunt, imbui ardentè exoptent.  
Quod cum Christianæ Religioni utilissimum esse probè scias, nos etiam cer-  
tissimè scimus tibi, & quod caput est, Deo gratissimum fore, ut post te curren-  
tes collimatis oculis discurreamus.

1. Cor. 9.

Ecl. 1.

Cant. 1.

Ad vos etiam veros, & legitimos Angelici Doctoris alumnos, qui in studio,  
& studio Thomistico foeliciter curritis, nostro Dialectico, & Philosophico cursu  
tanquam minimi ad maiores Fratres eodem Thomisticae doctrinae semine ge-  
niti libenter currimus, & ducimur: nam, ut est apud Homerum.

*Ad similem Deus adducit, similemque, parèmq.*

Homer.

Sic enim frater, quia adiuuatur à fratre, quasi funiculus multiplex qui diffi-  
cile rumpitur, & quasi vrbs munita, quæ impugnari quidem, non tamen expu-  
gnari potest, ut in ea securi, & exultantes, sicut faciebant filij Iob, alternis vici-  
bus Thomistica conuiuia celebrantes reficiamur, & in Domino delectemur,

Prover.

à ij quo

quo nihil in hac mortali vita vtilius, iucundius, & honestius, atque ad immortalē assequendam aptius excogitari potest. Vnde non dubitamus, quin vos, quorum præ omnibus Diui Thomæ doctrinam tueri, & sectari munus est, sic nobiscum curratis, vt citius, & plenius propositum Thomisticæ doctrinæ brauium accipientes, nobis etiam, pro vestra in nos charitate, & ipsius doctrinæ inexhausta vbertate, quod satis, superque sit, percipiendum relinquatis.

---

## FACULTAS, ET.

approbatio Ordinis.

**B**RATER Ildephonsus à Iesu Maria Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beata Maria de Monte Carmeli, de consensu nostri Diffinitorij, vt primus tomus artium cursus, siue disputationum in Aristotelis Dialecticam, & Philosophiam naturalem à nostro Collegio Complutensi, & à grauib, doctisque viris nostri Ordinis maturè recognitus, & approbatus, typis mandetur, & in lucem prodeat, obtenta facultate Supremi Senatus, tenore præsentium licentiam concedimus. Datum in nostro Conuentu Sancti Hermenegildi Matriti, die 26. Mensis Martij, Anni Domini 1624.

Fr. Ildephonsus à Iesu Maria, Generalis.

Fr. Ioannes à Conceptione Secretarius.

---

## CENSURA ET APPROBATIO ACADEMIÆ Complutensis.

**L**ibrum hunc Collegij Complutensis Discalceatorum Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, Summulas & vniuersam Dialecticam Aristotelis continentem, iussu Supremi senatus huic almæ Academix Complutensi commissum, & de mandato eiusdem Vniuersitatis nobis creditum magna cum diligentia, & sedulitate euoluimus, atque perlegimus: inuenimusque in eo præclara theoremata, non solum fidei Catholicæ, & Sanctorum Patrum doctrinæ nihil aduersantia, sed eidem fidei veritatibusque Theologicis exponendi non parum deferuentia, vt potè quæ Angelici Doctoris Sancti Thomæ, atque Aristotelis doctrinam, & continent, & quoad fieri potest vbique redolent, doctè tradi, eruditè, & subtiliter confirmari & (quod rarè conceditur) succinctè, simulque perspicuè disponi: quare dignum censemus opus, quod typis mandetur, & continuè in omnium Dialecticorum oculis, manibusque versetur. Datum Compluti, postridie Kalendas Maij, anni 1624.

Don Aluare de Ayala, Rector.

Doctor Andreas Merino.

Fr. Antonius de Viedma, Episcopus de Petra.



# INDEX

## DISPV TATIONVM

### ET QVÆSTIONVM,

#### QVÆ IN HOC SECVNDO

#### TOMO CONTINENTVR.

**D**ISPVTATIO I. *Proœmialis totius Philosophiæ.* 3  
 Quæst. 1. De nomine, & obiecto Philosophiæ. ibid.  
 Quæst. 2. Vtrum Philosophia inter habitus scientificos connumeranda sit, & an sit vna secundum speciem, & Metaphysicæ subalternata. 5  
 Quæst. 3. Quis sit finis Philosophiæ, quomodo diuidentur, & tandem quam methodum in ea Aristoteles obseruauerit. 7

**LIBER I.** De Physico auditu, seu naturali auscultatione. 9

**DISP. II.** *De principiis entis naturalis in communi.* ibid.

Quæst. 1. Quæ sit essentia principiorum entis naturalis. 10  
 Quæst. 2. Vtrum principia entis naturalis sint tantum tria? 11  
 Quæst. 3. Vtrum principia entis naturalis non solum contraria, sed prima contraria sint. 13

**DISP. III.** *De existentia, natura, & proprietatibus materia prima.* 14

Quæst. 1. An sit, & quid sit materia prima: ubi etiam de variis eius nominibus agitur. ibid.  
 Quæst. 2. Vtrum materia prima, ita sit secundum suam essentiam pura potentia, vt nullo modo sit actus, nullum actum in se includat. 15  
 Quæst. 3. De vnitatem specificam materiæ primæ. 17  
 Quæst. 4. An materia prima ex se habeat propriam vnitatem numericam. 21  
 Quæst. 5. Vtrum materia prima habeat ex se propriam existentiam. ibid.  
 Quæst. 6. Num materia prima per diuinam potentiam possit existere sine forma. 26  
 Quæst. 7. Vtrum materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis. 28  
 Quæst. 8. Vtrum materia prima habeat appetitum ad formam quoruplexque, & qualis sit iste appetitus. 29  
 Quæst. 9. Vtrum materia prima sit principium, & radix corruptionis. 32

**DISP. IV.** *De existentia, & natura formæ substantialis, necnon & de aliis eidem annexis.* 33

Quæst. 1. An sit, & quid sit forma substantialis. ibid.  
 Quæst. 2. Vtrum formæ substantiales educantur de potentia materiæ, & quid sit hoc educi? 34  
 Quæst. 3. An formæ cælorum fuerint de potentia materiæ educæ. 37  
 Quæst. 4. An formæ elementorum in prima sui productione fuerint de potentia materiæ educæ. 40  
 Quæst. 5. Vtrum omnes formæ accidentales educantur de potentia subiecti. 41  
 Quæst. 6. An per diuinam potentiam possint plures formæ substantiales informare simul vnâ, & eandem numero materiam, & vna forma plures materias. 44

**DISP. V.** *De altero entis naturalis principio, scilicet priuatione.* 47

Quæst. vnica. Vtrum priuatio conueniat vniocè cum materia, & forma in ratione principij entis naturalis? 48

**DISP. VI.** *De naturali composito, quod ex principiis intrinsecis unitis resultat.* 49

Quæst. 1. An ens naturale essentialiter tam ex materia quam ex forma constituatur? ibid.  
 Quæst. 2. Vtrum ens naturale constet materia, & forma unitis aliquo nexu ab eis distincto? an verò sine illo se ipsis immediatè vñantur. 52  
 Quæst. 3. Vtrum materia, & forma necestantur inter se vnica simplici vñione: an verò duplici partiali. 56  
 Quæst. 4. An ens naturale distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis, & unitis? 58

**LIBER II.** Physicorum.

**DISP. VII.** *De natura, & arte.* 61

Quæst. 1. Quid sit natura. ibid.  
 Quæst. 2. An definitio naturæ sit essentialis, an verò descriptiua. 64  
 Quæst. 3. Vtrum materia prima sit natura. 65  
 Quæst. 4. 11j

# Index Disputationum, & Quæstionum.

Quæst. 4. Vtrum forma substantialis materialis sit natura.	66
Quæst. 5. Vtrum anima nostra vt rationalis habeat rationem naturæ.	67
Quæst. 6. Vtrum forma totalis, qualis est humanitas, & aliz similes sub hac naturæ definitione comprehendantur.	70
Quæst. 7. Vtrum ad hoc, vt forma sit natura, requiratur indispensabiliter, quodd sit principium actuum motus: vbi etiam agitur an motus cæli sit naturalis.	ibid.
Quæst. 8. Vtrum natura dicatur vniuoce, vel analogicè de materia, & forma.	72
Quæst. vltima. Vtrum natura distinguatur ab arte; & an ars possit efficere opeta naturæ.	73

## DISP. VIII. De causis in communi.

Quæst. 1. Quid sit causa.	75
Quæst. 2. Quotuplex sit causa.	77
Quæst. 3. Vtrum omnis causa sit perfectior suo effectu.	78
Quæst. 4. Vtrum omnis causa sit prior suo effectu.	80

## DISP. IX. De causis materiali, & formali.

Quæst. 1. Per quod causa materialis causet: & an vnio sit illius causalitas, quemvè effectum habeat.	ibid.
Quæst. 2. Vtrum vnio secundum omnia, quæ includit, vt se tenet ex parte materiæ, sit causalitas illius.	84
Quæst. 3. Per quid forma causet, quis sit eius effectus: & an vnio sit illius causalitas, & secundum quam rationem.	86
Quæst. 4. Vtrum effectus primarij harum causarum sint realiter ab illis distincti.	ibid.
Quæst. 5. Vtrum causa exemplaris sit vera, & propria causa formalis, an verò ad efficientem, vel finalem pertineat.	89

## DISP. X. De causa efficiente.

Quæst. 1. Vtrum causa efficiens rectè definiatur, per hoc quod sit id, à quo primò incipit motus?	ibid.
Quæst. 2. Quotuplex sit causa efficiens.	92
Quæst. 3. Vtrum virtus principalis per quam causa efficiens producit aliam substantiam, sit forma ipsa substantialis, per quam in suo esse constituitur: an verò potentiz operatiuæ accidentale, quas habet.	93
Quæst. 4. Vtrum forma substantialis, non solum sit principale, sed etiam immediatum principium, & ratio producendi aliam substantiam.	96
Quæst. 5. Vtrum accidentia non solum dispositiue, sed etiam instrumentaliter concurrant ad productionem substantiæ.	99
Quæst. 6. Vtrum ad hoc, quodd accidens attingat instrumentaliter productionem substantiæ, debeat substantia, cuius est virtus, præstare aliquem immediatum, & proprium influxum, quo confortet concursum ipsum accidentis?	102
Quæst. 7. Vtrum passiones dimanent ab essentia tanquam à proprio efficiente per veram actionem mediam distinctam ab ea, per quam à generante procedunt?	108
Quæst. 8. An vnum accidens respectu alterius sibi similis possit esse causa principalis.	114
Quæst. vltima. Quæ sit causalitas causæ efficientis iam constitutz in actu primo per omnes suas virtutes.	115

## DISP. XI. De dependentia causæ secundæ, & necessariæ à primæ.

Quæst. 1. Vtrum causa secunda necessaria in actu primo per suas virtutes actiuas constituta possit propriam operationem elicere absque actuali concursu causæ primæ.	ibid.
Quæst. 2. An iuxta principia Aristotelis Deus non solum simul concurrat cum causis secundis necessariis: sed eas etiam ad agendum præmoueat.	118
Quæst. 3. An ratione naturali conuincatur, omnes causas secundas necessarias indigere ad agendum, non solum concursu Dei simultaneo; sed etiam motione præuia.	120

## DISP. XII. De instrumentis.

Quæst. 1. An sit de ratione instrumenti agere vt motum à causa principali.	ibid.
Quæst. 2. An sit de ratione instrumenti habere aliquam propriam sibi virtutem, propriamque actionem præuiam.	131

## DISP. XIII. De casu, fortuna, & fato.

Quæst. 1. An sit fortuna, & casus.	ibid.
Quæst. 2. Quid sint fortuna, & casus.	139
Quæst. 3. An sit fatum.	140
Quæst. 4. Quid, & quotuplex sit fatum.	141

## DISP. XIV. De causa finali.

Quæst. 1. Quid, & quotuplex sit finis.	ibid.
Quæst. 2. Sitne finis vera causa realis?	143
Quæst. 3. Quænam sit in fine formalis ratio per quam constituitur in actu primo finalizandum.	144
Quæst. 4. Vtrum finis moueat voluntatem secundum suum esse reale, an verò secundum esse apprehensum.	145
Quæst. 5. Quidnam sit causalitas finis.	147

## DISP. XV. De causis inter se, & ad inuicem comparatis.

Quæst. 1. An causæ inter se collatz habeant aliquam prioritatem quoad perfectionem, & existentiam?	150
Quæst. 2. Vtrum inter causas vna sit prior alia in causando.	152
Quæst. 3. Vtrum duæ causæ totales, & eiusdem ordinis, possint simul producere vnum, & eundem effectum.	154
Quæst. 4. Vtrum idem effectus possit esse à pluribus causis totalibus diuisum.	157

## LIBER III. Physicorum.

## DISP. XVI. De essentia, & quidditate motus in communi.

Quæst. 1. Vtrum definitio, quam Aristoteles de motu tradidit, sit legitima.	ibid.
Quæst. 2. Vtrum per hanc definitionem solus motus successiuus; an verò mutatio, prout abstrahit à successiua, & instantanea, definiatur.	163
Quæst. 3. Vtrum motus realiter distinguatur à termino ad quem.	165
Quæst. 4. Vtrum omnis motus subiectetur in mobili?	166

DISP.

# Index Disputationum, & Questionum.

## DISP. XVII. De actione, & passione tam inter se, quam cum motu collatis. 171

- Quæst. 1. An formalitates actionis, passionis, & motus coordinentur essentialiter inter se per motum rationis superioris, & inferioris? *ibid.*  
 Quæst. 2. Quomodo actio, & passio inter se, & à motu distinguantur. 173  
 Quæst. 3. Vtrum motus comparetur per modum subiecti quo, respectu actionis, & passionis. 175  
 Quæst. 4. Vtrum iuxta mentem Aristotelis, & D. Th. actio transiens subiectetur in agente, vel in passio. 176  
 Quæst. 5. Vtrum ratione naturali conuincatur actionem transeuntem subiectari in agente. 179

## DISP. XVIII. De infinito. 181

- Quæst. 1. An infinitum in actu naturaliter dari possit. *ibid.*  
 Quæst. 2. An per absolutam Dei potentiam possit dari aliqua creatura, quæ sit infinita secundum essentiam. 184  
 Quæst. 3. An data quacumque creatura, possit Deus aliam, & aliam perfectiorem secundum speciem producere. 187  
 Quæst. 4. Vtrum possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundum magnitudinem. 189  
 Quæst. 5. Possitne supernaturaliter dari infinitum in actu secundum multitudinem. 191  
 Quæst. 6. Vtrum possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundum intensionem. 193  
 Quæst. 7. Vtrum vnum infinitum possit esse maius alio? 195

## LIBER IV. Physicorum. 197

### DISP. XIX. De loco. 198

- Quæst. 1. An detur locus, & an sit virtus superficies corporis continentis, vel aliquid aliud. *ibid.*  
 Quæst. 2. Vtrum locus ultra superficiem corporis continentis intrinsecè includat immobilitatem. 201  
 Quæst. 3. Vtrum superficies pertinet ad locum, sit superficies prima, & immediata locato. 204  
 Quæst. 4. An locus constet ex hac superficie, & immobilitate tanquam ex genere, & differentiâ, an verò tanquam ex subiecto, & forma. 205  
 Quæst. 5. Vtrum locus naturalis addat supra rationem loci qualitatem consuetudinem locati. 206  
 Quæst. 6. Vtrum omnia corpora, nec non eorum formæ substantiales, & accidentia sint in loco, & quis ille sit. 207  
 Quæst. 7. Vtrum duo corpora possint supernaturaliter esse in vno, & eodem loco. 210  
 Quæst. 8. Vtrum vnum, & idem corpus possit esse supernaturaliter in duobus locis circumscriptiue, 212

### DISP. XX. De vacuo. 217

- Quæst. 1. An ex vi virtutis rerum sublunarium, aut alicuius corporeæ virtutis sit naturaliter possibile dari vacuum. *ibid.*  
 Quæst. 2. Vtrum per virtutem angelicam, vel diuinam, & supernaturalem sit possibile dari vacuum. 218  
 Quæst. 3. An si daretur vacuum posset corpus moueri per illud. 219

Quæst. 4. An motus in vacuo fieret in instanti, vel in tempore. 220

### DISP. XXI. De tempore. 221

- Quæst. 1. Vtrum tempus sit ens reale. *ibid.*  
 Quæst. 2. Vnde desumenda sit differentia essentialis inter æternitatem, tempus, & ætrem. 222  
 Quæst. 3. Vtrum tempus distinguatur realiter à motu, & in vniuersum quæuis duratio creata à re durante. 226  
 Quæst. 4. Vtrum tempus rectè definiatur per hoc, quod sit numerus motus secundum prius, & posterius. 228  
 Quæst. 5. Vtrum tempus non solum existat ratione instantis, sed etiam ultra hanc existentiam habeat aliam rationem partium. 230  
 Quæst. 6. Vtrum sit tantum vnum numero tempus. 231  
 Quæst. 7. Vtrum substantiæ generabiles, & corruptibiles quoad suum esse mensurentur tempore. 235

## LIBER V. Physicorum. 238

### DISP. XXII. De predicamentis, ad quæ datus per se motus. *ibid.*

- Quæst. 1. Quid sit esse per se motum ad aliquod predicamentum, & quæ condiciones ad hoc requirantur. *ibid.*  
 Quæst. 2. Vtrum ad quantitatem, qualitatem, & vbi detur per se motus. 239  
 Quæst. 3. Vtrum ad substantiam, & reliqua predicamenta detur per se motus. 241

### DISP. XXIII. De unitate specifica, & numerica. 243

- Quæst. 1. A quo motus suam sumat unitatem, & diuersitatem specificam. 244  
 Quæst. 2. Vtrum ad unitatem numericam motus requiratur, & sufficiat unitas mobilis, termini, & temporis. 247

### DISP. XXIV. De contrarietate motuum. 248

- Quæst. 1. Vnde motuum contrarietas desumatur? *ibid.*  
 Quæst. 2. Vtrum idem mobile possit simul moueri duobus motibus contrariis. 250

## LIBER VI. Physicorum. 251

### DISP. XXV. De compositione continui. *ibid.*

- Quæst. 1. Vtrum in continuo sint actu vera, & positiua indiuisibilia. *ibid.*  
 Quæst. 2. An continuum constet solis indiuisibilibus. 254  
 Quæst. 3. Vtrum continuum realiter componatur ex partibus. 257  
 Quæst. 4. Vtrum partes proportionales, quæ sunt formaliter in continuo, sint finitæ: an verò infinitæ. 259  
 Quæst. 5. Quomodo ex dictis occurratur tertio argumento ex quæst. secunda huius disput. relicto, & pluribus aliis difficultatibus inde scaruriensibus. 262


### DISP. XXVI. De modo inceptionis, & definitionis rerum. 263

- Quæst. 1. Quonam modo incipiant, & definiant res successiuæ,



# Index Disputationum, & Quæstionum.

<p>Successive, &amp; indivisibilia eorum. 264</p> <p>Quæst. 1. Quomodo qualitates materiales incipientes, &amp; desinentes per motum incipiant, &amp; desinant. 266</p> <p>Quæst. 3. Quomodo substantiæ generabiles, &amp; corruptibiles incipiant, &amp; desinant. 268</p> <p>Quæst. 4. Quomodo incipiant, &amp; desinant res permanentes, quæ in sua inceptiōe, &amp; desinētiōe motui non subduntur. 270</p> <p>Quæst. 5. Quomodo incipiat, &amp; desinat esse quies. 271</p> <p><b>DISP. XXVII. De maximo, &amp; minimo.</b> 272</p> <p>Quæst. 1. Qui sint termini magnitudinis, &amp; parvitas secundum se, &amp; generaliter sumpti. ibid.</p> <p>Quæst. 2. Vtrum sicut viventia, ita &amp; non viventia habeant ex natura sua terminum suæ magnitudinis. 273</p> <p>Quæst. 3. Vtrum non viventia non minus quam viventia habeant terminos suæ parvitas. 276</p> <p><b>LIBER VII. Physicorum.</b> 278</p> <p><b>DISP. XXVIII. De desinēti, approximatione, &amp;c. ib.</b></p> <p>Quæst. 1. Vtrum idem secundum idem possit se</p>	<p>ipsum per se primo movere. ibid.</p> <p>Quæst. 2. Vtrum graviora, &amp; leviora moveantur à generante, vel à seipsis. 282</p> <p>Quæst. 3. Vtrum causa efficiens debeat esse coniuncta passivo ut in illud agat. 285</p> <p><b>LIBER VIII. Physicorum.</b> 288</p> <p><b>DISP. XXIX. De æternitate mundi.</b> ibid.</p> <p>Quæst. 1. Fueritne mundus ab æterno. 289</p> <p>Quæst. 2. An mundus prout nunc est, possit ex solo concursu ordinario Dei in æternum à parte post durare. 290</p> <p>Quæst. 3. Vtrum aliqua creatura permanens potuerit saltem per divinam potentiam esse ab æterno. 291</p> <p>Quæst. 4. Vtrum motus, &amp; tempus possint per divinam potentiam esse ab æterno. 295</p> <p>Quæstio. 5. Vtrum generationes, &amp; corruptiones substantiales huius universi potuerint per divinam potentiam esse ab æterno. 299</p> <p>Quæst. 6. Quomodo ex motu deveniatur in cognitionem primi motoris, &amp; attributorum eius. 301</p>
--	---



COLLE



# COLLEGI COMPLUTENSIS DISCALCEATORVM FR.

B Mariæ de Monte Carmeli,

DISPUTATIONES IN OCTO LIBROS  
*Physicorum Aristotelis.*

Iuxta miram Angelici Doctoris D. Thomæ, & Scholæ eius doctrinam.

*Eidem communi Magistro, & florentissima Scholæ dicata.*

## P R O O E M I V M.

**I**NITA iam totius Dialectica explanatione, merito Philosophia Arist. expositionem aggredimur. Etenim post sciendi modum, rectè de rebus sciendis sermo instituitur, inter quas primum doctrina ordine res naturales, de quibus Philosophia agit, iam his temporibus, locum obtinend. Licet enim si natura scientiarum, & res, de quibus in illis agitur, solummodo spectetur: post Logicam, statim Mathematica, deinde Philosophia Naturalis, postea Moralis, & tandem Metaphysica addiscenda esset, ut innuit D. Th. 70. Nihilominus qui ad sacram Theolog. & scriptura diuina notitiam in Christianis Scholis (quibus ut par est præcipuè de seruire intendimus) anhelant, ibi Mathematicas prætermittere solent quia ad hunc finem consequendum non adeo necessaria sunt; at rerum naturalium cognitio, de quibus Philosophia agit ad eandem diuinam Theologiam, & sacram doctrinam exactius adipiscendam mirificè conducit.

Nam in primis exemplis quibusdam naturalibus, quorum cognitio à Philosophia est petenda, facilius, multò possumus ad rerum supernaturalium notitiam deuenire: sunt enim illa adeo eleuata, & humani intellectus facultatem excedentes, ut exemplis, similitudinibusque ad eas percipiendas indigeamus, iuxta illud Apostol. ad Rom. 1. Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Vnde conspiciamus sanctos Patres Naz. Chrys. Cyril. Aug. Hieron. D. Th. & alios in reconditis Trinit. Incarn. aliisque Christ. relig. myst. hæc naturalia exempla passim adducere, eisque sacram Theol. ita ornasse, ut nescias, quid in illis magis mireris, eruditionem ne sæculi, (ut loquitur D. Hier. epist. ad magnum urbis Romana Oratorem) vel eruditionem scripturarum, & Theologicam.

Deinde, quia semel naturali Philosophia adepta, melius diuinam Theologiam ad haret, & aliorum infidel. fallacibus, & importunis argu. defendere poterimus: sapè enim hæretici abutuntur principiis naturalib. ad ea, quæ sunt fidei labefactanda: quibus ut occurramus, oportet nos prius esse Philosophia armatos, cuius certè ope, quantum contineant falsitatis ea, quæ in oppugnationem veritatum fidei adducuntur, planè deprehendemus.

Quibus tandem accedit, quòd ut optimè inquit Cic. lib. 2. Academic. quæ est animorum, ingeniorumque naturale quodam pabulum, consideratio, contemplatioque natura erigimur, humana despicimus; cogitanteque supera, atque cælestia, hæc nostra ut exigua, & minima despicimus. Quo fit, ut hoc etiam ex cap. non parum Philosophia ad sacram & diuinam Theol. addiscendum conducas. Non enim Colleg. Compl. Physica.

A

animas

animus terrenis, & infimis rebus deditus, eisque hærens, ad scientiam aded̄ eleuatam comparandam idoneus est. Merito ergo, exposita iam Dialectica ad uniuersam Arist. Philosoph. exponendum properamus.

Ceterum, ut famulus hic, & humile obsequium quod Philosophia diuina Theol. præstat, religiosius sit, ac tale, quale ipsa exoptat: oportet, ut Philosophiam nostram doctrina D. Th. semper præeat: si namque ipsum tanquam Doct. Ang. tanquam Theol. Magistrum, & Ducem, tam nostris, quam præcisis temp. sanior Theologorum pars veneratur, & proclamat: quomodo Philosophia nostra pietati, & doctrina reuelata subseruire, famularique melius poterit, quam si in qu. controuertendis, difficultatum nodis dissoluendis in eas propendamus, qua Angel. Doct. menti & doctrina magis consona fuerint: sic enim veritatis scopum feliciter attingemus, quandoquidem Aquinati, diuina ueritatis, & claritatis radius plenissime affulsit, ut initio Dialecticæ latius prosequuti sumus.

Absit ergo, ut doctrinam aliam præter eam, quam à D. Th. accepimus, doceamus. Absit ut ex alio, quam ex hoc limpidissimo ueritatis, seu Aquinati fonte bibamus: non enim altè hæc nostra disputationes tendunt, nisi ut miram & angelicam Angelici huius Præceptoris doctrinam pro quibus, ipso Doctore duce, expendamus, ut sic ueritas in ipsa latitans foras erumpens, omnium animos ad se alliciat, corda capiat, atque ut sol illuminans proleget obtutum, ut concentus permulcens auditum instruat, ut odoramentum spirans olfactum afficiat, ut sal condicens omniū cibis saporem infundat, pascat gustum: ut oleum spiritale mentem sane, reficiat, impinguet, miræque suauitate perfundat.



# DISPUTATIO PRIMA

## PROOEMIALIS TOTIVS

### PHILOSOPHIÆ.

**E**T si plura ex his, quæ in hac disputatione dicenda sunt, facile colligantur ex dictis in Dialectica; nihilominus quia hîc specialem seueram habent, ideò non possunt non in præsentî attingi.

#### QVÆSTIO I.

##### *Denomine & obiecto Philosophia.*

1. **M**eritò in titulo nomen, & obiectum Philosophiæ coniungimus, quia nomen Philosophiæ debet esse iuxta illius quidditatem: & eius quidditas ex obiecto desumenda est.

Circa nomen igitur breuiter notandum primò. Quòd licet nomen Philosophiæ in rigore loquendo, non denotet scientiam, vel sapientiam; sed amorem illius, ut innuit Laërtius lib. de Viris Philosophorum in principio, Laërtius lib. 3. Diuinarum Institutionum capite secundo; nihilominus, ex quo tempore Pythagoras adèd modeste se gessit, ut Leontio Phylasiorum Regi interroganti, qua arte polleteret respondit, *se non esse Sophum*, id est, sapientem; sed *Philosophum*, id est, sapientiæ amatorem, ut refert Diuus Augustinus 8. de Civitate Dei capite secundo, factum est, ut omnes Sapientes ex tunc Philosophi fuerint appellari, ut docet Diuus Thomas 1. Metaph. lectione 2.

Et meritò, quia Sapientes, sapientiam propter seipsam quærent. At, ut loquitur D. Thom. lectione citata, ille videtur sapientiæ amator, qui sapientiam, non propter aliud; sed propter seipsam quærit; qui enim alterum propter alterum quærit magis hoc amat. propter quod quærit, quàm quod quærit.

Secundò, ut exactè percipiatur in qua acceptione nomen Philosophiæ in præsentî sumitur, notandum est quòd licet *Philosophia*, iuxta vocabuli etymologiam, studium, & amorem sapientiæ denotet; ex impositione tamen sapientiam ipsam significat.

Vnde sicut Sapientia, ita & Philosophia pluribus, & diuersis modis accipitur.

2. Nam in primis sumitur pro cumulo, & collectione omnium scientiarum. Nam sicut hoc nomen *iustitia* vniuersitatem omnium virtutum, tam apud morales Philosophos, quàm in sacris literis solet denotare: ita *Philosophia* collectionem omnium scientiarum significat. Vnde Stoici (ut testatur Plutar. lib. 1. de Placitis c. 2.) Philosophiam sic acceptam definiētes, dixerunt: *Eam esse rerum humanarum, & diuinarum cognitionem*. Quia vniuersitas omnium scientiarum, tum ad humana, tum ad diuina se extendit.

Secundò accipitur Philosophia, ut denotat quamlibet veritatis scientificam cognitionem, siue illa ad intellectum, siue ad voluntatem, siue etiam ad sermonem externum perficiendum ordinata sit: secundum quam rationem solet definiri, quod sit *Scientia entis, & veritatis cognitio*; imo, & sic sumpta celeberrima illa diuisione, scilicet in naturalem, moralem, & rationalem, sub qua omnes scientiæ claudantur, communi omnium calculo solet tripartiri.

Tertia Philosophiæ acceptio strictior est, quatenus nimirum solum comprehendit habitus scientificos in pura, & nuda veritatis contemplatione sistentes. Et Philosophiam sic sumptam diuidunt communiter Doct. vna cum Arist. 6. Metaph. cap. 1. in Metaph. Mathematicam, & Philosophiam naturalem: desumiturque hæc diuisio ex triplici illa abstractione, scilicet à materia singulari, sensibili, & intelligibili, de qua fusius in lib. Posteriorum egimus.

Quarta, & posterior Philosophiæ acceptio est adhuc arctior, secundum quod solum ambit eas scientias speculatiuas, quæ circa substantiam rerum versantur. Secundum quàm rationem tantum complectitur tum Metaphysicam, quæ titulo primæ Philosophiæ meritò insignitur: quia contemplationi primarum nobilissimarumque substantiarum incumbit: tum etiam Philosophiam nostram naturalem in contemplatione substantiarum mobilium, seu corporearum sistentem, & de hac solummodò, quæ nomen Philosophiæ in communi modo loquendi, iam sibi vendicabit in his nostris Philosophicis disputationibus sermonem instituiamus. Et hæc de nomine Philosophiæ.

Vt autem ea, quæ tam pro aduersariis, quàm pro nostra sententia circa obiectum Philosophiæ dicenda sunt intelligantur, recolenda sunt, quæ disput. 1. Logicæ diximus, explicantes quid sit obiectum materiale, & formale; quid adæquatum & inadæquatum, quid principale, & minus principale, quid ratio *qua*, & *sub qua*. Et licet præsens difficultas de ratione formali *qua*, seu obiecto adæquato totius Philosophiæ naturalis intelligatur; nonnihil tamen de obiecto principali & de ratione *sub qua* adiiciemus.

#### *Varia sententia circa obiectum Philosophia recensentur.*

##### §. I.

1. **P**rima sententia asserit corpus mobile; non verò ens mobile esse obiectum adæquatum & formale Philosophiæ. Ita Albert. tra. 1. suæ Philosophiæ; & alij relati à Rubio, in præsentî Prob. 1. Ad illud scientia tanquam ad proprium, & adæquatum obiectum terminatur, quod primò, & per se habet rationē illam; *sub qua* omnia à tali scientia considerantur: at esse principium motus, quæ est ratio *sub qua* Philosophiæ, conuenit primo corpori mobili, enti verò non nisi ratione illius ideo enim ens mouetur, quia corpus mobile mouetur: ergo corpus mobile, non verò ens mobile erit adæquatum, & formale Philosophiæ obiectum.

A 2 Secu

Secundò; ratio formalis per se spectata à scientia, debet quantum fieri congruè possit, exprimi in obiecto illius: sed ratio formalis, quam per se respicit Philosophia, est Physica, & sensibilis mobilitas: ergo cum hæc non satis exprimitur, si *ly* mobile addatur enti: quippè cum sint plura entia mobilia, & non mobilitate Physica, ut patet in Angelis, bene tamen, si addatur corpori: consequens est, ut corpus mobile, & non ens mobile sit pro obiecto Philosophiæ assignandum.

4. Secunda sententia asserit substantiam naturalem, non verò corpus, aut ens mobile esse Philosophiæ obiectum. Quam sequuntur Scotus, & alij relati à Mafio in præfati. Probat 1. ex Arist. qu. 6. Metaph. cap. 1. inquit: Philosophiam naturalem circa substantiam naturalem versari.

Deinde, ratione sic. Passio obiecti Philosophiæ non solum sit mobile, sed etiam quiescibile: ergo non debet poni pro obiecto ens, aut corpus mobile, sed substantia naturalis. Consequentia quoad primam partem patet: quia debet pro obiecto poni illud, quod est radix omnium passionum; cum autem mobile, & quiescibile sint opposita, non potest vnum esse radix alterius. Quoad secundam verò partem sic suadetur; quia substantia naturalis est radix veriusque passionis; quandoquidem idem est substantia naturalis, ac substantia habens in se naturam: hæc autem definitur, per hoc, quod sit principium motus, & quietis: ergo, &c.

Secundò: quia iam ens mobile erit valdè aptum æquivocationi: quandoquidem modo pro ente mobili formaliter, modò pro ente mobili radicaliter accipitur, nec possit sciri num in subiecto; vel prædicato, potius pro ente mobili formaliter, quàm radicaliter, ut contra sumatur. Ergo etiam non erit aptum, ut pro obiecto Philosophiæ assignetur. Patet consequentia; quia in obiectis scientiæ assignandis omnis æquivocatio vitanda est; cum ex notitia, & claritate illius, notitia & claritas scientiæ dependeat.

### Deciditur quæstio.

#### §. II.

5. **Q**uæstio hæc parum de re, multum autem de nomine continet, & ideo ab ea faciliè nos expediemus. Dicendum ergo est primò, si de obiecto Philosophiæ secundum rem loquamur; tunc tam corpus mobile, vel naturale, quàm ens, aut substantia mobilis, aut naturalis, debet pro obiecto illius collocari. Assertio hæc desumitur ex Arist. & D. Th. ut iam dicemus: estque iam communis inter Doct. De qua videri potest Maf. hic lect. 2. q. 6. annot. 2.

6. Ad eam autem probandam, supponendum est; quod *ly* naturalis, adiunctum substantiæ, verbi gratia, aut corpori, ut in præfati adiungitur, sumitur non pro ut opponitur supernaturali, & comprehendit Angelos; sed pro substantia in se habente principium motus, & quietis, &c. tampe pro substantia composita ex materia, & forma, &c. dicuntur natura, ut constabit ex dicendis 2. Physicorum. Vel, ut clariùs dicamus, sumitur pro ratione illa differentiali; & cum præcisione sumpta, ratione cuius prædicta substantia habet esse principium talis motus, & cætera.

Similiter *ly* mobile in præfati, non importat potentiam proximam ad motum. Neque sumitur etiam terminatiuè, seu pro eo, quod motum terminare potest, sed radicaliter, & subiectiuè, pro habente primam radicem, seu principium motus. Et hoc non ut lata quadam significatione comprehendit quid-

quid aliquo modo potest mutari: nam sic etiam arbitretur Angelos. Sed strictè, & propriè, pro eo quod potest in se recipere aliquam mutationem seu motum, qui propriè dicitur talis: seu pro ratione illa differentiam, & præcisam, unde hoc potest. Quod quidem non convenit accidentibus, neque omnibus substantiis. Non sanè accidentibus: quia licet eorum aliqua possint esse terminus alicuius motus: nullum tamen eorum potest esse illius subiectum primum, & principium radicale. Neque etiam omnibus substantiis: nam Angelis, sicut æquivocè dicuntur esse in loco cum corporibus, ita etiam æquivocè dicuntur moveri, ut probat Divus Thomas prima parte, q. 52. & 53.

Vnde, *ly* mobile, aut naturale, cum præcisione sumptum, secundum quam rationem hic accipitur, dicit differentiam constitutivam corporis de prædicamento substantiæ, quod ex materia & forma physica essentialiter componitur. Quia hoc solummodo corpus potest esse subiectum & principium radicale motus physici. Nam esse naturam & principium quo radicale prædicti motus, solummodo competit materiæ & formæ in eo inclusis.

7. Hinc faciliè suadetur conclusio. Nam tam corpus naturale, vel mobile, quàm ens, aut substantia naturalis, vel mobilis, significant eandem rem. Ergo si de obiecto, quoad rem ipsam loquamur, quodvis eorum poterit pro obiecto collocari. Consequentia satis patet. Antecedens verò probatur: tum auctoritate, tum etiam ratione. Auctoritate quidem: nam Aristot. aliquando sentit ens mobile esse obiectum Philosophiæ, ut in citato loco 6. Metaph. Aliquando verò esse corpus naturale, ut 1. de Cælo capite primo text. 1. Imò, & aliquando esse substantiam naturalem, ut 6. Metaph. cap. 1. & similiter D. Thom. modò docet: ens mobile esse subiectum, ut in Proemio huius operis: modò esse corpus mobile, ut de veritate qu. 14. art. 8. ad 18. & 1. parte quæst. 84. art. 1. in argumento. Sed contra, modò esse substantiam naturalem, ut 6. Metaph. lect. 1. Ergo apud illos omnia prædicta idem sunt. Alioquin inconstantia (quod absit) argui possent. siquidem modò vnum; modò aliud, pro obiecto Philosophiæ constituunt. Et idè D. Tho. opusc. 42. cap. 14. sic inquit. *Ex dictis igitur patet quod ens mobile, quod est corpus communiter acceptum, & cætera.*

8. Ratione denique idem antecedens discutendo per singula suadetur. Corpus naturale idem est quod corpus habens naturam, ac proinde habens principium radicale motus, per quod natura, ut iam diximus, definitur. Ergo est idem, quod corpus mobile sumpto *ly* mobile radicaliter, ut hic sumitur. Ergo & hæc duo erunt idem quod ens, aut substantia mobilis vel naturalis.

Patet hæc ultima consequentia: quoniam differentia inferior, si rationi superiori non ita proximè addatur, restringit illam ne coniunctum illud accipiat, nisi pro eo, cuius talis differentia est constitutiva.

Vnde idem significat hoc coniunctum ens, aut substantia rationalis, ac iste terminus complexus, animal rationale. Sed mobile, vel naturale, sumptum secundum præcisum conceptum est differentia constitutiva corporis, de prædic. substantiæ, seu quod idem est mobilis, seu naturalis, ut iam diximus. Ergo restringit ens, aut substantiam, ne prædictum coniunctum accipiat, nisi pro tali corpore: ac proinde omnia prædicta, idem significabunt.

9. Dicendum est secundò, & si tam corpus mobile, seu naturale, quàm ens mobile, aut naturale, &c. sint re ipsa obiectum Philosophiæ: nihilominus pensatis omnibus, quæ debent attendi, convenientiùs



uenientiùs exprimitur, & significatur nomine entis mobilis, quàm quoniam alio. Hæc est Arist. & D. Th. quos sequuntur communiter Thomistæ.

Probatur in primis testimonio Aristot. 6. Metaph. text. 1. ubi sic inquit: *Naturalis speculativa quædam profectò: sed speculativa circa tale ens, quod possibile moueri.* ubi D. Thom. lect. 1. sic concludit: *Et sic patet, quod naturalis Philosophia est circa determinatum subiectum, quod est ens mobile.* Et hoc ipsum docet in procemio huius operis lect. 1.

Rationem autem huius conuenientiz tangit optimè D. Thom. in procemio nunc citato, ubi postquam dixit: Philosophiam non abstrahere à materia communi, & omne, quod habet materiam esse mobile, & idè ens mobile esse subiectum naturalis Philosophiz: addit quodlibet Physicorum est quædam pars Philosophiz, qui considerat præcisè ea, quæ consequuntur ad ens mobile ut sic, & simpliciter sumptum absque additione scilicet differentiarum. Et ita inquit: *Hic autem est liber Physicorum cuius obiectum est ens mobile simpliciter. Non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in hoc libro, nulla autem scientia probat suum obiectum, &c.* Quod idem repetit opusc. 42. cap. 4.

10. Ex quibus hæc sumitur ratio. Certissimum, & dubitatum est, obiectum Philosophiz debere esse aliquid, quod sit principium motus, possitque moueri, siquidem in hoc distinguitur Philosophia ab aliis scientiis, quod tractat de rebus, quæ sunt subiectæ motui, & mutationi. At non est sufficienter manifestum, quod omne sic aptum moueri est corpus: quandoquidem id rationaliter potest in dubium reuocari: & idè tractatur, & probatur in libris Physicorum; cum tamen sit satis perspicuum, & indubitabile, omne, quod sic potest moueri, debere saltem esse ens. Ergo pensatis omnibus, conuenientiùs assignatur obiectum Philosophiz per ens mobile, quàm per corpus mobile. Cuiusque etiam satis perspicuum non sit, naturam esse principium motus; & idè de hoc agitur in 2. Physicorum: inde fit, melius assignari obiectum per ens mobile, quàm per ens, aut substantiam naturalem.

11. Ex quibus potest facillè occurrere duabus objectionibus, quas hio adducunt Iuniores aliqui contra nostram assertionem. Prima est: quia differentia limitans superius, melius coniungitur cum genere proximo, quàm cum alia ratione superiori: & idè commodiùs explicabis hominem si dicas, quod est animal rationale, quàm substantia rationalis. Ergo melius explicabitur obiectum Philosophiz, si asseratur, esse substantiam mobilem quàm ens mobile. Patet consequentia: quia explicatur per suum proximum genus, proximamque differentiam.

Secunda, nam etsi notius sit mobilitatem generalissimè sumptam, esse potiùs coniunctam cum ente, quàm cum corpore, non tamen mobilitatem physicam, quæ sola per se primò respicitur ab hac scientia. Siquidem satis constat, nihil aliud præter corpus posse moueri motu physico. Ergo potiùs per corpus mobile, quàm per ens mobile est obiectum Philosophiz explicandum.

Ad primam objectionem ex dictis constat, illam procedere secundum se, & cæteris partibus, sed in præsentem non sunt cætera paria, ut explicatum est.

Ad secundam negatur antecedens quoad secundam partem; nam qui cuius cognitio iam, quid sit motus physicus, cognoscitur nulli nisi corpori conuenire: ut autem sciatur, quid sit prædictus motus, & in quo ab aliis distinguitur, omninò pendet ex cognitione naturæ, vel corporis, quæ non sunt ita nota: sicut quamlibet mobilitatem esse coniunctam cum ente.

Colleg. Compl. Logica.

12. Dicendum est tertio Ratio *sub qua* obiecti Philosophiz quasi generica, est abstractio à materia singulari tantum, ratio verò specifica sunt prima principia, ex quibus Philosophia procedit. Assertio hæc, suppositis his, quæ in libris Posteriorum dicta sunt, non eger aliqua probatione. Solum verò aduertendum superest, quod hæc prima principia sunt materia, & forma, seu ratio naturæ, quæ in utraque inuenitur, seu, quod idem est, mobilitas radicalis. Vnde ratio naturæ erit specifica ratio *sub qua* Philosophiz: licet congruentiùs nomine mobilitatis; quàm naturæ (ut iam explicauimus) exprimat.

Dicendum, est vltimò, quod obiectum principale Philosophiz est homo. Assertio hæc per se patet. Quandoquidem certum est, hominem inter substantias materiales, & entia mobilia primatum obtinere.

## DILVNTVR ARGVMENTA VTRIVSQVE sententia.

### §. III.

13. AD argumenta aliarum sententiarum, quatenus aliquo modo videntur contra nos pugnare, respondetur. Ad primum primæ sententiæ patet ex dictis. Vnde hoc ipso quod assignemus, pro obiecto Philosophiz ens mobile, propterea ipsa est idem cum corpore mobili, seu corpore de prædicamento substantiæ, necesse est, quod licet mobilitas conueniat enti ratione alterius, scilicet ratione corporis, non tamen enti mobili, sed ratione sui.

Ad secundum constat: tum ex his, quæ modo dicebamus: tum etiam ex notabili pro nostra assertionem adducto.

Ad primum pro Secunda sententia, respondetur, Aristot. loqui de obiecto secundum rem: vnde nihil contra nos. Ad rationem verò ibidem adductam respondetur; quod saltem mobile radicaliter, quo pacto in præsentem sumitur; potest esse principium motus, & quietis: sicut risibile radicaliter est etiam debile per modum radicis.

Ad secundum respondetur, quod etiam in ly *naturale* potest esse æquiuocatio; imò & multò maior, nam primò sumitur pro eo quod est essentialis: secundò ut distinguitur contra liberum: tertio ut opponitur violento, &c. Quare dicendum est obiectum scientiæ, non ita expressè debere importare omnia, quæ ad ipsum pertinent, ut nihil prorsus implicite afferat: ad hoc enim plures essent addendæ particule. Sed satis erit si minus ambiguitatis, & obscuritatis habeat, & quod rationem obiectiuam scientiæ exprimat, ratione cuius sufficienter dignoscatur: ut in præsentem contingit. Adde quod dum pro obiecto Philosophiz ens mobile assignatur, iam iuxta communem omnium acceptionem, pro ente mobili radicaliter sumitur.

## Q V Æ S T I O II.

*Vtrum Philosophia inter habitus scientificos connumeranda sit, & an sit una secundum speciem, & Metaphysica subalternata.*

Cuncta, in titulo comprehenduntur ex his, quæ in prima disputatione Logicæ, & in libris Posteriorum diximus fere constant, & idè paucis quæstionem hanc absoluemus.

A 1

14 Dicen

14. Dicendum ergo est primò Philosophiam esse veram scientiam. Assertio hæc est Arist. 6. Metaph. h. cap. 1. & libro 11. cap. 6. D. Thom. ibidem lect. 7. & opusc. 70. §. Ad 1. sic proceditur, videtur quod speculativa. Estque communiter recepta. Fundamentum est: quia scire est rem per suam causam cognoscere, teste Aristotele. primo Posteriorum, capite secundo. Sed multa sciuntur in Philosophia per suam causam: ergo erit vera scientia. Minor patet: quia de mixtis ostendit per suam causam esse corruptibilia: quia sci licet constant contrariis: & similiter de igne probat esse leuem ex paucitate, & raritate materiz, & de terra esse gravem ex multitudine materiz, & densitate illius, quæ duo sunt causæ prædictorum effectuum.

Nec refert, quod Philosophia non agit de rebus, nisi propter motui subditis, quod videtur esse contra rationem scientiæ, quæ est de rebus necessariis, & perpétuis: nam ad hoc satis patet, ex dictis in Logica disput. 3. num. 9. Quibus adde, quod ita necessarium est res naturales, de quibus agit Philosophia, esse mutabiles, & corruptibiles; sicut quod Angelus sit incorruptibilis. Unde sicut hoc scibile est, ita, & illud.

Ex quibus facillè deducitur essentialis diffinitio, Philosophiæ, ut in præsentia accipitur, scilicet eam esse *Scientiam entis mobilis*, circa quam nihil occurrit dicendum: quia satis constat ex his, quæ disputat. 1. Logicæ diximus: nam ibidem dicta debent proportionem servata quoad præsens applicari.

15. Dicendum est secundò Philosophiam esse scientiam speculativam: ita Aristoteles 7. Metaphysicæ cap. 1. & lib. 11. cap. 6. vbi D. Thom. lect. 7. & opusc. 70. iam citato, communiter omnes. Probatur ex dictis in Logica disput. 1. num. 57. Ille habitus, cuius finis est sola veritatis cognitio, est speculativus: at finis Philosophiæ naturalis, tantum est veritatis cognitio: ergo, &c. Minor patet, quia rerum naturalium cognitionem non ultra ad opus ordinat, sed in earum contemplatione quiescit.

Sed contra obiici potest primò, quod Philosophia agit de Deo, ut auctore naturæ, de eius attributis. At per hæc excitatur voluntas, & dirigitur ad eius amorem, & ad plures alios voluntatis affectus eliciendos. Ergo erit scientia practica. Patet consequentia: quia scientia excitans, & dirigens ad opus, practica est.

Secundò, & urgentius: Medicina est scientia practica: & tamen est vera pars Philosophiæ cum tractet de quodam ente naturali, nempe corpore humano, ut sanabile est, seu ut est mobile ad sanitatem. Ergo Philosophia secundum omnes suas partes nequit inter speculativas connumerari. Maior est Arist. 6. Metaphysicæ & D. Thom. loco citato, & ratio eam convincit: nam finis Medicinæ non est pura, & nuda veritatis contemplatio; sed aliquod opus scilicet restitutio, conservatio sanitatis, & ita præscribit modum quod morbi curentur, debita remedia exhibeantur.

Ad primum respondetur facillè: quamvis enim, dum Deus ut auctor naturæ cognoscitur, excitentur prædicti affectus, id tamen non est per se, intentum à Philosophia, sed tantum ait de Deo, non quidem propter prædictos affectus excitandos; sed tantum, ut de illis notitiam habeat, quatenus naturæ auctor est.

Ad secundum respondent Masius in præsentia, & alij plures, & graves Doctores, duplicem esse Medicinam: altam theoreticam in sola rerum contemplatione consistentem; ac proinde modum medendi minime præscribentem; & aliam practicam, prædictum

modum tradentem, morbisque remedia applicantem. Et si ergo hæc secunda sit practica, non tamen est vera pars Philosophiæ, sed alius habitus ab ea diversus. Ceterum illa prior, & est speculativa, & pars Philosophiæ, unusque habitus cum illa.

16. Sed hæc solutio est contra D. Thom. quia ipse opusc. 70. §. citato in solutione ad quartum sic inquit: *Cum Medicina dividitur in theoreticam, & practicam: non attenditur divisio secundum finem: sic enim tota Medicina sub practica continetur, ut potest ad operandum ordinata: sed attenditur prædicta divisio secundum quod, ea quæ in Medicina tractantur, sunt propinqua, vel remota ab operatione. Illa enim pars Medicinæ dicitur practica, quæ docet modos operationis ad sanationes: sicut quod talibus apostematibus sunt talia remedia adhibenda: theoretica vero dicitur illa pars, quæ docet principia, ex quibus homo dirigitur in operatione, sed non proxime: sicut quod virtutes sunt tres, & quod genera febrium sunt tot. Unde non oportet, ut si alicuius altius scientia aliqua pars dicitur theoretica, quod propter hoc illa pars sub speculativa scientia ponatur.* Hucusque Sanctus Doctor. Quid ergo clariùs in hac re dici potuit?

Et deinde impugnari potest ratione desumpta ex D. Thom. ibidem ad 5. Quia licet obiectum Medicinæ sit aliud materialiter pars obiecti Philosophiæ naturalis, non tamen formaliter quatenus est obiectum Medicinæ, sicut est homo respectu corporis naturalis. Ergo neque ipsa Medicina est pars Philosophiæ: ita ut sit unus habitus cum illa. Consequentia satis patet. Antecedens autem probatur ex eodem Sancto Doctore: nam quamvis idem corpus sit corpus sanabile, & naturale: non tamen est obiectum Medicinæ, propter est sanabile, seu mobile, ad sanitatem à natura, quod requirebantur; sed ut est sanabile per artem.

17. Ex quo etiam manet solum argumentum iuxta mentem Divi Thomæ. Dicimus enim Medicinam non esse propriè partem Philosophiæ; sed illi subalternatam, sed innuit Divus Thomas loco citato: quia corpus sanabile per artem non est pars subiectiva corpori naturali; sed illi tantum differentiam accidentalem addit. Non secus, ac Perspectiva tractans de linea visuali non est pars Geometriæ, quæ agit de linea, sed illi subalternatur: quia visualitas solum addit differentiam accidentalem supra lineam.

Unde concludit Divus Thomas, quia in sanatione, quæ fit per artem, ars est ministra naturæ: quia ex aliqua naturali virtute sanitas proficiscitur auxilio artis: inde est, quod propter quid de operatione artis oportet accipere ex proprietatibus naturalium rerum. Et propter hæc Medicina subalternatur Philosophiæ. Et sic relinquitur, quod Philosophia secundum se, & secundum partes eius est speculativa, quamvis aliquæ operatiue ei subalternentur.

18. Sed dices, ad hoc, ut duæ scientiæ habeant se per modum subalternantis, & subalternatæ; oportet, ut non habeant eundem abstractionis modum; ac huius oppositum invenitur in Philosophia, & Medicina, ut ex se constat: ergo non comparabuntur per modum subalternantis, & subalternatæ. Maior patet; tum ex dictis in Logica: tum etiam, quia aliqui scientiæ illæ essent eiusdem speciei: siquidem principia unius deducuntur ex principiis alterius intra eandem abstractionem; ac proinde non subalternarentur.

Responderetur maiorem esse veram, quando utraque scientia est speculativa; non verò quando aliqua illarum est practica, ut in præsentia contingit: quia tunc distinguuntur genericè, & plusquam duæ speculatiue, quarum obiecta, sint subdieret abstrahio

abstractione: quia radix huius distinctionis non est diuersitas abstractionis, aut primorum principiorum: sed principium aliud magis vniuersalis, & genericum, nempe finis: quia finis vnius est veritatis contemplatio; alterius verò opus.

19. Dicendum est tandem Philosophiam, vt comprehendit libros Physicorum, de Cælo, de Generatione; de Anima, & parua naturalia, esse vnam in specie infima, & nulli scientiæ esse propriè subalternatam. Assertio hæc satis constat ex his, quæ in libris Posteriorum adducta sunt. Diximus autem non esse propriè subalternatam: quia vt ibidem notauimus, impropriè, & secundum quid subalternatur Metaphysicæ, ex eo quod obiectum eius est pars subiectiua eiusdem Metaphysicæ.

### QVÆSTIO III.

*Qui sit finis Philosophiæ, quomodo diuidenda,  
& tandem quam methodum in ea  
Aristot. obseruauerit.*

20. **C**irca finem Philosophiæ ferè nihil se offert cædendū dicendum: nam ex adductis de fine Logicæ satis liquet, quid de fine eiusdem Philosophiæ dicendum sit. Cum enim hæc inter scientias purè speculatiuas, & non deferuientes alteri, vt ministras, connumeretur: consequens est, vt vnicus tantum finis, qui est contemplatio sui obiecti, scilicet ens mobile, sit ei assignandus.

Sed vt multiplicem eiusdem Philosophiæ distinctionem explicemus, & sic secundæ parti tituli satis fiat; notandum est, quod diuisio illius ex multiplici acceptione, & diuisione sui obiecti scilicet entis mobilis, seu corporis de prædicamento substantiæ haurienda est. Quia vt docuit Arist. 3. de Anima; text. 38. scientia diuiditur, sicut ipsæ res, de quibus pertractat. Corpus igitur potest accipi secundum se; in communi, non descendendo ad aliquam particularem speciem; & illi sic sumpto correspondent hi octo Physicorum libri.

21. Deinde potest diuidi in ingenerabile, scilicet cælum; & in generabile, nimirum sublunare. Et de prima specie agitur statim in libris de Cælo: sicuti & de secunda specie vox in libris de Generatione tractatur. Vterius generabile subdividitur in simplex, & mixtum. Et rursus mixtum bipartitur in imperfectum, & perfectum: & deinde perfectum in inanimatum, & animatum & idè de simplici, scilicet de elementis in ultimo libro de Generatione tertio loco discutit, sicuti & de mixto; sed imperfecto, qualia sunt nix, grando, &c. in libris Meteor. statim agit. At de mixtis perfectis sed inanimatis in tertio lib. eorumdem Meteororum deinde disputat. De mixtis autem perfectis sed animatis in libro de Anima sermonem rexit.

Nec vtrumque Arist. in his libris de mixtis perfectis, & animatis agit, sed mirificè in hoc se gessit. Nam in 1. lib. disputat de Anima vegetatiua, quæ est forma viuientis. Et primò de illa agit, quia intra latitudinem animarum, infimum obtinet locum.

22. Deinde in 2. libro de Anima sensitiua, vegetatiuam excedente, quæ est forma animalis, per cuiusque notitiam in cognitionem eiusdem animalis deuenitur, sermonem instituit: vbi etiam de variis eius operationibus agit. Quod quidem spectant libri de Incessu animalium, de Sensu, & Sensibili, de Memoria, & Reminiscencia; & de Somno, & Vigilia. Et deinde vt natura animalis plenius cognosce-

retur, agit in particulari de singulis animalibus, de eorum generatione, compositione, &c. in libris de Historia animalium, de Generatione animalium, & de Partibus eorumdem.

Et tandem in 3. libro agit de homine; qui est præcipua pars obiecti Philosophiæ: nam ibidem sermonem instituit de anima rationali, quæ est eius forma, quæque inter alias animas primatum tenet. Quod etiam pertinent libri de Insomniis, & Diuinatione per somnium, nec non, & de Iuuentute, ac senectute: hæc enim in homine tantummodo propriè nueniuntur. Vnde semel his peractis, sicuti ad perfectissimam entis naturalis, seu mobilis speciem devenitur: sic & tota Philosophiæ doctrina ibidem finitur, & consummatur.

23. Sed obiicies, partitionem factam non esse vndeque veram: quia obiectum, quod huic parti Philosophiæ correspondere diximus, scilicet ens mobile vt sic, non videtur rectè illi fuisse assignatam. Quod sic ostenditur: ens mobile est re ipsa obiectum formale, & adæquatum totius Philosophiæ. Ergo non potest, esse re ipsa obiectum horum librorum in particulari, qui tantum continent vnicam Philosophiæ partem. Antecedens patet ex dictis. Consequentia verò probatur: quia nequit idem esse obiectum totius scientiæ, & partis illius: sed sicut tota scientiæ comparatur per modum totius ad suas partes: ita obiectum illius, & obiectum partis debent per modum obiecti totalis, & partialis inter se conferri.

Et confirmatur: quia nullus est liber, inter istos octo, in quo Arist. de ente mobili in communi expressè agat. Respondetur quod vt sumitur ex D. Thom. hic lect. 1. ens mobile aliter est obiectum totius Philosophiæ, & partis illius, scilicet horum octo librorum: nam totius Philosophiæ est obiectum prout est explicabile per principia, & passiones tam communes, quam particulares; istius verò partis est obiectum præcisè prout est explicabile per principia communia, ac proinde obiectum illius continetur sub obiecto totius scientiæ. Vnde licet in aliis partibus agatur de aliqua specie particulari motus & mobilis, non verò in ista; sed de ipso ente mobili in communi, & modo dicto, non descendendo ad species eius.

Ad confirmationem respondetur, quod in his libris agitur de principiis entis mobilis, de motu locali, & de aliis passionibus illius, & vbi agitur de his, agitur etiam de ipso ente mobili: quia non considerantur nisi secundum quod sunt aliquid illius. Et hæc de prima, & secunda tituli quæstionis parte.

24. Circa tertiam verò, scilicet circa methodum, quam in prædictis libris Aristot. obseruat dicendum est, quod methodus, seu ordo procedendi in his libris est compositionis, & per consequens apertissimus ad tradendas disciplinas, iuxta id quod expressè in Logica diximus, & Aristot. in procemio huius operis docet, scilicet prius tradenda esse quæ sunt magis communia. Cum ergo ens mobile vt sic, communis sit qualibet specie illius, idè prima pars Philosophiæ debebat illi sic sumpto correspondere: & similiter, quia licet corpus generabile, vt sic, non minus immediatè diuidat ens mobile, quàm corpus ingenerabile, scilicet cælum: nihilominus quia mobilitas secundum locum, quæ corpori ingenerabili conuenit est vniuersalior, vt satis constat, idè meritò de hoc statim egit, & sic de aliis.

25. Sed inquires, cur in præfati Arist. statuit, quod ordine doctrinæ est nobis ab vniuersalioribus incipiendum? Respondetur optimo sanè iure. Quod

ut melius intelligatur, & simul procemium, quod Aristot. in hoc opere posuit, quantum modò fas est, explicetur: (amplior enim eorum, quæ in illo dicuntur explicatio specialem in lib. de Anima sedem habet:) notandum est ex D. Thom. in præsentī lect. 1. quòd vniuersalia sunt notiora quoad nos; è contra verò minùs vniuersalia sunt magis nota secundum se.

Rationem primi tradit D. Thom. loco citato, ex eo quòd sunt confusiora, nam cognoscere aliquid confusè, medium est inter puram potentiam, quæ scilicet nondum incipit cognoscere, & inter actum perfectum, quando scilicet exactè, & distinctè rem percipit. At intellectus noster in suo intelligere procedit, de pura potentia ad actum perfectum, ac proinde prius peruenit ad cognitionem confusam, quàm ad distinctam: & consequenter prius illi occurrunt, priusque eidem nota sunt vniuersalia, quàm minùs vniuersalia.

16 Ratio secundi, scilicet quòd minùs vniuersalia sint secundum se notiora, satis constat. Quia sicut Deus, qui purus est actus, est summè intelligibilis, & materia, quia pura est potentia, est secundum se summè ignota: ita minùs vniuersalia, quia magis participant de actu, erunt secundum se notiora: sicut & magis vniuersalia, quia magis participant de potentia, erunt secundum se minùs nota.

Hoc ergo supposito facilè redditur ratio ordinis doctrinæ, quem Aristot. obseruauit, & ea, quæ circa hoc in procemio docet, manent explicata. Nam ordine doctrinæ rectus ordo procedendi est, ut ab iis, quæ sunt nobis magis nota, ad ignotiora procedamus; nos enim, quippè qui per discursum intelligimus, ex his, quæ nouimus, ad ignota percipienda ascendimus. Si ergo vniuersalia sunt nobis notiora, & minùs vniuersalia magis ignota, rectè ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia proceditur.



PRIMA PARS  
PHILOSOPHIÆ  
DE ENTE MOBILI IN COMMUNI.  
SVPER OCTO LIBROS PHYSICORVM  
Aristotelis.



SCIT nomen Philosophiæ est, ut suprà dicebamus, ad Philosophiam naturalem secundum omnes sui partes denotandam, specialiter accommodatum: ita hi primi octo libri, quos (Deo dante) explicare conabimur, speciale sibi nomen vendicant, nam scribuntur de physico auditu, seu naturali auscultatione Cuius inscriptionis rationem, ut redderent, Plutarchus in vita Alexandri, Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromat. Tullius lib. 5. de finibus adnotarunt, Aristot. duo librorum genera in lucem edidisse, exotericum alterum, id est vulgari, & facili stylo conscriptum, quod proinde à quouis facile intelligi, & sciri absque magistri ope potest: alterum profundiori stylo, & subtilioris Philosophiæ doctrinam recondita phrasi continens, quos proinde acroamaticos, seu auscultatorios appellavit, eo quod ab auditoribus maiori studio audiri, & auscultari, & à Præceptoribus maiori cura explicari postulent. Quia ergo hi octo Physicorum libri sunt difficiliores, & subtiliorem doctrinam continent, ideo de physico auditu, seu naturali auscultatione inscribuntur.



LIBER PRIMVS.

*De Physico auditu, seu naturali auscultatione.*



SCIT tam iste, quam sequens liber de principiis entis naturalis agat: attamen hic de eisdem principiis *in esse rei* consideratis, pertractat, ut nuper dicebamus. Et meritò, quia principia *in esse scibilis*, præsupponunt principia *in esse rei*. Quia tamen hanc materiam satis diffusè discussit Arist. non vacabit, vel textum eiusdem exponere, vel scholiis, aut annotationibus illustrare. Curabimus tamen omnia eisdem locis, ac ille, eodem ordine, quoad fieri commodè possit, pertractare.

SUMMA TEXTVS  
totius libri.

Liber hic nouem capita complectitur. In primo, præscribit Aristoteles methodum in Philosophia obseruandum, de qua nos suprà aliquid tetigimus. In 2. & 3. adducens opinionem Parmenidis, & Melissi docentium omnia esse vnum & immobilia, eam confutat. In 4. proponit varias veterum de principiis opiniones, & eas falsitatis conuincit. In 5. ostendit principia rei naturalis esse contraria. In 6. dari tria principia generationis; duo contraria, & vnum subiectum eorum, scilicet materiam.

In 7. exprimit, quæ sint principia; scilicet materiam, formam, & priuationem, & aliqua theorematia ad illa spectantia proponit: & tandem quomodo materia sit cognoscibilis explicat. In octauo adducit, & impugnat rationem, ob quam veteres rerum ortum, & interitum à medio tollebant. In ultimo verò proponit fundamenta, quibus Plato utebatur, ut non distingueret materiam à priuatione, & prædictam opinionem labefactat: & deinde ostendit materiam primam esse ingenerabilem, & incorruptibilem.



DISPUTATIO II.

*De principiis Entis in communi.*



QUONIAM methodus, ut diximus; procedendi, quam Aristot. in præfati obseruat, est methodus compositionis, seu ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia: ideo de iis, quæ principiis naturalibus communia sunt primò differemus: postea de singulis principiis; in propriis disputationibus agemus.

QUEST



## QVÆSTIO I.

*Qua sit essentia principiorum Entis naturalis.*

**D**icendum ergo est cum Arist. in hoc lib. c. 5. (ex. 42. & D. Th. ibidem, principia entis naturalis esse, *Qua nec sunt ex aliis, neque ex alterutris, sed omnia sunt ex ipsis.* Quæ definitio, ut exactius intelligatur, aduertendum est, definitum illius esse principia entis naturalis, prout à corruptibili, & incorruptibili abstrahit: id enim suadet tum inscriptio horum librorum: nam etiam inscribuntur, de rerum omnium naturalium primis principiis: tum etiam quia ad eandem scientiam spectat agere de materia subiecta, principiis, & proprietatibus ab ea dimanantibus, teste Aristot. 1. lib. de Demonstratione cap. 1. At in his libris agemus de communibus affectionibus corporum superiorum, & inferiorum, ut de motu, loco, tempore, &c. ergo, & de communibus illorum principiis.

3 Sed insurgit Soto: entia naturalia incorruptibilia, quales sunt cæli, non sunt ex priuatione formæ cum eorum materia non possit esse priuata ea forma, quam habet. Ergo si hic definiuntur principia entis naturalis, etiam incorruptibilis, non comprehenderetur priuatio sub tradita definitione, quod sanè est contra communem Doctorum sententiam, ut questione sequenti dicemus. Et confirmatur ex Aristot. qui cap. 7. huius libri, text. 48. postquam docuit præter principia contraria, constituendum esse aliquod commune subiectum, inquit: principia, de quibus locutus fuerat, esse principia earum rerum, quæ oriuntur, & intereunt.

Respondetur cum Masio, Conimbricensi. & aliis quòd etsi mens Aristot. sit de rerum omnium naturalium principiis in communi agere, non tamen ita ut doceat, omnia illa omnibus conuenire, sed quòd quædam quibusdam & alia alijs adaptentur, sicque materia, forma, & priuatio his rebus inferioribus conueniant; superioribus verò sola materia, & forma. Quare illa particula, *sunt*, ultimo loco in definitione posita (cui correspondet in Græco verbum quoddam, cuius significatio extendi potest, ita ut denotet idem quòd *ly sunt*, vel *constant*) per distributionem accommodam intelligenda est, sic: corruptibilia ex ipsis sunt, incorruptibilia ex ipsis constant, seu componuntur: ex ipsis scilicet, quæ sunt principia rem constituentia; qualis est materia, & forma.

Et radix horum omnium hæc est: nam cum hic definiantur principia *fieri*, & *esse rei*, sit inde, ut nisi per distributionem accommodam intelligatur definitio, non possit omni definito conuenire; quandoquidem non omnia, quæ primis conueniunt, possunt secundis adaptari. Ad confirmationem respondet idem Masius Arist. docere quidem se egisse de principiis rerum, quæ oriuntur, & intereunt, at non dicit, se solum de his egisse, nam locutus est de materia, & forma, quæ non tantum sunt principia entis naturalis corruptibilis, sed etiam incorruptibilis.

De his igitur principiis sic sumptis inquit Philosophus, quòd *Nec sunt ex aliis, neque ex alterutris*, id est ex se inuicem, *sed omnia sunt ex ipsis.* Et merito sanè: nam cum non sint utcumque principia; sed prima,

non possunt ex aliis fieri, alioquin non ipsa, sed illa ex quibus fierent, essent prima principia, & ob eandem rationem non possunt fieri ex alterutris, ut constat: sicut si omnia entia naturalia non fierent, vel essent ex ipsis, non haberent rationem principij respectu entis naturalis, ut sic.

4 Sed obiicies primò, quòd hæc ultima particula, scilicet *omnia sunt ex ipsis*, nullis principis in particulari potest conuenire: ergo nec principis, in communi; & per consequens nulli. Antecedens patet: quia ex principis aquæ, verbi gratia, sola aqua, & similiter ex principis ignis, solus ignis fieri potest. Ergo non dantur aliqua particularia principia ex quibus fiant omnia. Prima verò consequentia probatur: quia repugnat aliquid conuenire, prædicato communi, & repugnare particularibus sub illo contentis.

Secundò obiicies; forma verè est principium, ut docet Aristot. in præsentī, & infra dicemus; & tamen si est materialis, sit ex materia, per educationem de potentia illius, ut disp. de forma ostendimus: imò sit ex priuatione eiusdem formæ, quæ ante illam præerat in materia; alioquin principia non essent contraria, cuius oppositum docet Aristot. in hoc lib. 5. text. 42. Ergo iam principia sunt ex alterutris.

Obiicis tertio: illa particula ex ultimo loco posita, vel denorat habitudinem partis componentis, ita ut omnia fiant ex his principis tanquam ex partibus & sic tantum conuenit materiæ, & formæ, non verò priuationi, vel significat habitudinem termini, à quo, & sic solum competit priuationi, non verò materiæ, & formæ. Ergo in nullo sensu conuenit omnibus principis.

5 Obiectiones has consultò proposuimus: quia ex earum solutione tradita definitio principiorum satis illustrabitur. Ad primam ergo respondetur, quòd definiuntur primariò communia principia, secundaria tamen ratione principia particularia: ita tamen ut illa vltima particula, de qua procedit obiectio secundum distributionem accommodam intelligatur: ut sensus sit, quòd omnia in generali fiant ex principis in communi acceptis, ex eisdem verò particulariter sumptis, & contractis ad aliquod genus, vel speciem, fiant omnia, quæ in illo genere, vel specie continentur, & sic ex materia, & forma in communi fiant omnes res naturales in communi; & ex materia, & forma ignis, omnes ignes, sicut & ex materia, & forma aquæ, omnes aquæ, &c. fiant.

Ad secundam obiectionem respondetur, quòd ut docet Aristot. lib. 8. Metaphys. cap. 1. & D. Thom. ibidem lect. 1. id quòd propriè, & simpliciter sit, tantum est totum compositum. Quòd etiam eleganter dixit, & probauit S. Doctor. 1. part. quæst. 45. art. 4. quia partes non habent esse, sed compositum; sic autem alicui comperit fieri, sicut & esse. Quare cum *ly sunt* in definitione principiorum sumatur pro fieri simpliciter, & sine addito, ut constat, planè sequitur, quòd partes, vel principia, nec fiant ex aliis, nec ex alterutris. Quòd enim non sit simpliciter, & sine addito, quomodo ex aliis, aut ex alterutris potest simpliciter, & sine addito fieri; Cum hoc tamen stat, ut sicut partes, & principia existunt, non quidem simpliciter, sed *ut duo*, seu, ut alij loquuntur, coexistunt toti: ita producantur *ut quo*, seu comproducantur cum toto. Et in hoc sensu concedimus, formam fieri *ut quo*, ex materia, ut ex subiecto; imò ex priuatione, ut ex termino à quo. At hoc nihil contra nos: quia principia hoc ipso, quòd prima tantum petunt non fieri ex aliis, *ut quod*.

Ex quo ad tertiam obiectionem respondetur, particulam

# Disp. II. de princip. Entis naturalis. Quæst. II. 11

titulam ex semper sumi eodem modo; cæterum non sumitur prout determinatè denotat habitudinem termini à quo, vel partis componentis, sed prout abstrahit ab utraque; ita ut sensus sit *principia sunt, quæ nec fiunt* (intellige ut quod) *ex aliis, ne ex se inuicem, vel tanquam ex parte intrinseca, vel tanquam ex termino à quo, omnia tamen fiunt ex ipsis, vel tanquam ex partibus intrinsecis, vel tanquam ex termino à quo.*

necessariò ad generationem. Iam ergo principia erunt plura, quàm tria. Antecedens patet: quia nisi materia sit ad formam ignis disposita, & nisi eidem uniatur, non poterit esse generatio ignis. At hæc omnia si poteris, statim generatio aderit: ergo, &c.

*EXPENDITVR, ET PROBATVR  
vera sententia.*

## Q V Æ S T I O II.

*Utrum principia Entis naturalis sint tantum tria?*

6 CVM titulus q. dictionem contineat exclusiuam, duas habet exponentes. Prima, num entis naturalis principia sint tria. Secunda verò, an sint plura tribus; idèoque duplici argumentorum genere utimur, quibusdam quidem, ut probemus principia non esse tria; aliis verò, ut confirmemus esse plura tribus, quorum tamen vis, ut intelligatur aduertendum est, tria, quæ entis naturalis principia ponuntur, esse materiam, formam, & priuationem.

*PROPONUNTVR RATIONES  
dubitandi.*

### §. I.

7 HOC ergo supposito, sic primò arguitur. Priuatio nequit esse principium entis naturalis, aut effectiōis illius; ergo sunt pauciora tribus. Antecedens probatur: tum quia, vel nihil, vel ens rationis est, proindeque non poterit esse principium realis entis quale est ens naturale: tum quia etiam eodem modo, quo habet esse, non conseruat, illud quando generatio adest, sed tunc euanescit, aliàs materia simul esset sub priuatione formæ ignis, & sub ipsa forma ignis, quæ in puncto generationis debet necessariò materiam informare, quod quidem apertam inuoluit contradictionem. Ergo priuatio, nullo modo potest esse generationis principium.

Secundò: forma non potest esse principium respectu generationis: ergo, &c. Antecedens probatur: idèò forma rationem principij poterat habere; quia est generationis terminus. At propter hoc non: quoniam compositum substantiale est illius terminus præcipuus, & nihilominus eiusdem principium non est. Ergo nec forma.

8 Ex alia verò parte (ut sic secundo argumentorum genere utamur) arguitur tertid, ad probandum principia esse plura tribus. Quia, non magis per se progreditur generatio à priuatione formæ denuò ad uenientis, quàm à forma præexistente. Ergo si ob id priuatio inter generationis principia connumeratur, inde fiet, ut & forma præexistens sit etiam connumeranda. Antecedens probatur; quia cum materia semper debeat esse sub aliqua forma, ut infra dicemus, non potest transire ad nouam formam, nisi à forma.

Confirmatur, mutatio accidentalis per se pendet à forma præexistente accidentali. Ergo idem dicendum est de substantiali. Patet consequentia ex paritate rationis. Antecedens verò constat ex Arist. 6. 5. text. 43. huius libri dicente: album non fieri per se ex quouis non albo, sed tantum ex non albo, quod est nigrum, vel alius medius color.

Quartò, unio materiæ ad formam, necnon, & dispositiones accidentales ad eandem formam, requiruntur

9 PRO huius quæstionis decisione notandum est: hic non fieri sermonem de quibusuis entis naturalis principijs: certum est enim, hæc plura esse, quàm tria. Etenim omnis causa est principium; cum ratio principij sit quid superius ad causam, ut supra dicebamus. Vnde, cum quatuor sint genera causarum, totidem ad minus debent esse principia, quibus si addideris priuationem, iam erunt quinque. Sed tantum loquimur, de intrinsecis, & primis principijs, ut iam explicamus. Cæterum, quia ens naturale dupliciter potest considerari, vel in fieri, quo nihil aliud est, quàm ipsa eiusdem generatio; vel in facto esse, id est, ut iam est genitum, & ex suis partibus compositum: idèò, quæ fiunt illius principia, tum in fieri, tum etiam in facto esse dicemus, ut sic omnis difficultas aboleatur.

10 Dicendum est ergo primò, tria tantum esse intrinseca principia entis naturalis in fieri, materiam nimirum, formam, & priuationem. Ita Aristot. in hoc lib. cap. 7. text. 67. & D. Thom. ibidem, & opuscul. 31. in principio, & communiter omnes Doct. Ratio fundamentalis desumitur ex Aristot. 8. Metaph. & D. Thom. ibidem lect. 1. Quia in omni mutatione, ut talis est, tria tantummodo sunt necessaria, scilicet terminus à quo, terminus, ad quem, & subiectum utrique commune, ut patet ex definitione mutationis: mutatio enim est transitus subiecti de non esse ad esse, ut etiam docet D. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 2. ad 2. & 2. contra Gent. cap. 17. & de potentia quæst. 3. art. 2. in corpore, & ad 4. Sed generatio entis naturalis est per se loquendo, saltem secundum communem ordinem rerum, mutatio quædam substantialis, cum sit transitus quidam primi, & substantialis subiecti, à non esse sub hac forma substantiali v.g. ignis ad esse sub illa, ut docet D. Tho. 1. part. quæst. 27. art. 2. Ergo tria hæc tantummodo ad illam, requiruntur, scilicet subiectum transiens à non esse ad esse, quod est materia prima: non esse formæ connotando aptitudinem ad illam, in quo consistit priuatio: & tandem terminus, ad quem forma, nimirum substantialis, ad quam habendam mutatur.

11 Sed quia tota huius quæstionis difficultas, quoad hanc partem ex efficacia, & penetratione huius rationis pendet: idèò contra illam aliquam obijciendæ erunt, ex quorum solutione satis illustrata manebit. Primum est, quòd hoc ipso, quòd forma solam requireretur ad generationem, ut terminus eius ad quem, necessariò subsequitur ad eandem generationem: cum fieri, vel mutatio præsupponatur ad suum terminum. Sed quod subsequitur ad fieri, non potest esse eius principium; quandoquidem principium debet præcedere id, cuius est principium. Ergo non potest forma ullo modo esse principium, si per modum termini ad quem requiritur ad generationem.

Confirmatur: quia eadem ratione non solum priuatio formæ genitæ, sed etiam priuatio formæ corruptæ esset principium; quia sicut per generationem fit forma ut terminus ad quem: ita & priuatio formæ corruptæ suo modo fit, & hoc adèò indispensabiliter,

ut

## 12 Disp. II. de principiis Entis naturalis, Quæst. II.

ut repugnet generari novam formam, nisi introducat<sup>ur</sup> nova privatio formæ præexistentis.

Secundum est: nam ad generationem necessarium requiritur generans: tum quia generatio est productio geniti, quæ sine generante, neque esse, neque intelligi potest: tum etiam quia generatio est quid creatum saltem *ut quo*, ac proinde intrinsecè pendet ab agente: tum denique, quia ad mutationem necessarium requiritur mutans. Male ergo dictum fuit in maiori propositione, rationis pro conclusione factæ, quod generatio tantummodo requirit tria illa à nobis enumerata.

Tertium, & ultimum est, quod generatio cadaueris per se sit ex vivente: quoniam hæc forma nequit introduci nisi in materiam prius informatam forma viventis. Ergo falsum est, quod mutatio ut sic, vel substantialis mutatio, qualis est generatio entis naturalis, sit transitus à non esse: sed potius erit transitus vel à non esse, vel ab uno ad aliud esse: ut sic prædicta mutatio comprehendatur.

12 Ad primum respondetur, quod forma non est principium respectu generationis: quia illam per modum partis componat: sic enim concurret ad esse entis naturalis; sed quia mutatio substantialis intrinsecè ad eam extendit ut ad finem; & id à quo suam sumit speciem, & non nisi per eam definiti potest. At principium, quod se habet per modum finis, & termini, nisi in executione debeat esse posterius, semper tamen est prius in intentione naturæ.

Ad confirmationem dicendum est, privationem formæ præexistentis, sicut & corruptionem, non intendi per se à natura, & idè non connumeratur inter principia per se generationis.

Ad secundam objectionem respondetur, quod licet generatio ut actio intrinsecum dicat ordinem ad causam efficientem, imò etiam ad finalem; attamen generatio ut rationem mutationis sortitur, non respicit formaliter loquendo agens, aut immutans, ut docet D. Thom. 3. Physicorum, lect. 4. & in 2. dist. 40. quæst. 1. art. 4. ad 1. sed solum identicè: quod quidem satis est, ad hoc ut rationem entis ut cumque creati habeat. Vnde respectu illius sic consideratur neque efficiens, nec finis sunt principia intrinseca: quia nomine talis principij generationis, illud intelligimus, quod intrinsecè, & per se ab eadem respicitur. At in præsentia non de generatione ut actio, sed ut mutatio quædam est, sermo instituitur, Physicus enim agit de ente naturali, ut motui, & motioni substat: quia agit de illo ut constat natura: Hæc autem ad minus per se primò non est principium actionis in aliud, sed principium motus eius in quo est, ut ex definitione naturæ alibi tradenda constat.

13 Ad ultimam objectionem negandum est antecedens. Vnde posset optimè Deus introducere formam cadaueris in materiam, etiam si in ea non præcessisset forma viventis. Tunc tamen compositum illud non denominaretur mortuum: quia dei omnia requirit saltem tanquam connotatum, quod præcesserit forma viventis in eadem materia.

Ratio autem propter quam ad introductionem formæ cadaueris semper præcedit forma viventis: non est, quia forma cadaueris per se petat fieri ex adeò nobili termino, qualis est forma viventis; sed quia dispositiones formæ viventis adeò faciliè alterantur, & destruuntur, ut non possit verbi gratia ignis disponere sufficienter materiam ad propriam formam in ea temporis mora, quæ satis est ad alterandas, & destruendas dispositiones formæ viventis. Quare, quia his destructis necesse est destrui prædictam formam, & alias sine sufficientibus dispositionibus non potest introduci forma ignis; idè ne materia moneat

sine forma, intromittitur interim & per accidens ibidem forma cadaueris, quæ est omnium ignobilissima.

14 Dicendum est secundò principia entis naturalis in facto esse, tantum esse duo, formam scilicet, & materiam. Hæc est Arist. in hoc lib. tex. 66. & D. Th. ibid. & communis inter Doctores, & idè idem Philosophus dixit, principia entis naturalis esse quodammodo duo; & quodammodo tria: quia sunt duo, loquendo de ente naturali in facto esse, & tria loquendo de eodem in fieri. Et suadetur conclusio ratione desumpta ex Arist. loco citato, & D. Th. lect. 13. Illa sunt principia in facto esse respectu entis naturalis, quæ manent in ipso transacta generatione, ac proinde & intrinsecè illud componunt. At hæc tantum sunt materia, & forma, ut constat: ergo, &c.

*Soluntur rationes dubitandi initio posite.*

### S. III.

15 **A**D primum ergo initio quæstionis adductum respondetur ex dictis: privationem solum dici intrinsecum generationis principium, quia intrinsecè, modo tamen infra explicando respicitur ab illa per modum termini à quo, ad hoc tamen non requiritur, ut sit quid positivum: satis enim est ut sit realis carètia, sicut nec desideratur, quod realiter adsit in instanti generationis; sed sufficit, ut tunc desinat: non enim exercet rationem principij nisi per modum termini à quo.

Ad secundum respondetur, non idè formam esse principium, quia est utcumque generationis terminus; sed quia terminat dando esse formaliter composito, hoc autem terminat ut principiatum, & ut habens esse à forma, idè non terminat ut primum principium, de quo in præsentia.

Ad tertium respondetur, quod etsi materia semper sit sub aliqua forma, attamen id non possit mutari ad novam formam, sed ob intrinsecam imperfectionem suam, quæ tanta est, ut non possit esse sine aliqua forma, ac proinde hoc erit per accidens ad generationem: quoniam si per impossibile nullam haberet, posset denuò ad formam mutari. Privatio autem non ita, & per accidens ad generationem concurret, ut iam diximus.

16 Ad confirmationem respondetur, quod quando generatio secundum quid, qualis est accidentalis, habet pro termino à quo formam positivam, hoc non convenit ei ut mutatio; sed ut est motus propriè sumptus, ut ostendimus 5. Physicorum.

Ad ultimum respondetur, vel non requiri modum illum unionis à materia, & forma distinctum, sed seipsis immediatè vniri, de quo infra: vel si requiritur, reduci ad materiam, aut formam ut modum illarum, quo quilibet exercet rationem principij respectu entis naturalis. Constat autem exercitium principij non ponere in numero cum ipso, sed ex parte illius se tenere. Ad illud verò quod de dispositionibus adducitur, dicendum est, non requiri ita per se, ut sine habitudine ad illas generatio esse non possit. In præsentia autem loquimur de principiis, ad quæ generatio dicit intrinsecam habitudinem: & licet huiusmodi dispositiones necessarium requirerentur, adhuc nihil inde contra nos, quia cum pertineant ad genus causæ materialis, reducuntur ad materiam, & idè simul cum illa ut unum computantur: quippe quæ ex parte illius se tenent.

Nec obstat, quod etiam privatio teneat se ex parte materiæ: non enim materia concurret ad generationem.

rationem, nisi ut habet priuationem formæ, & nihilominus priuatio ponitur ut distinctum principium: ergo, &c. Nam ad hoc respondetur, esse disparẽ rationem. Quia etsi priuatio debeat in materia præesse, ut ad nouam inueniatur formam; attamen ipsa priuatio specialem habet concurrẽdi modum distinctum ab eo, quo materia concurret, nimirum ut terminus à quo, cui per se correspondet terminus ad quem: homo enim ex non homine fit; at dispositiones non nisi in genere causæ materialis, & modo alibi fusiùs dicendo, concurrunt.

## Q V Æ S T I O III.

*Verum principia entis naturalis non solum contraria, sed prima contraria sint.*

17. **V**identur autem non esse contraria, quandoquidem principia entis naturalis tantum sunt tria, ex quibus duo scilicet materia, & forma, sunt substantiæ; ergo neque ipsa inter se, nec priuatio, quæ est aliud principium, alterutri illarum contrariatur. Quippè cum substantiæ nihil sit contrarium, ut docet Arist. cap. de substantia.

Secundò, datq, quòd prædicta principia essent contraria, adhuc tamen non essent dicenda prima contraria; quia hæc sunt illa, quibus prima, & propria contrarietas conuenit. At hæc non competit substantiis, sed accidentibus, scilicet quatuor primis qualitatibus; ergo, &c. Minor probatur, quia hæc solæ sunt quibus conuenit, tum primitas, quippè quæ ex aliarum promixtione qualitatum non oriuntur: tum etiam definitio contrariorum, quæ sunt propriè talia, scilicet, quòd sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt.

18. Nec satis erit, si dixeris: hîc non fieri sermonem de contrarietate adeò strictè dicta, sed paulò latius sumpta; quia ratione comprehendit quamlibet impossibilitatem, ac proindè & oppositionem priuatnam.

Nam contra hoc est, quòd si in hoc sensu de primis contrariis fiat sermo, potius hinc fiet non esse proprium primorum principiorum entis naturalis, quòd sint prima contraria: Quia ut inquit Aristot. in hoc lib. text. 50. & 56. in quolibet genere datur una prima contrarietas, & consequenter aliqua prima contraria. At non quælibet prima contraria cuiusuis generis possunt esse principia entis naturalis. Ergo non erit proprium principiorum entis naturalis, quòd sint prima contraria.

Dicendum tamen est primò. Principia entis naturalis in facto esse, scilicet materiam, & formam, non esse contraria. Hæc conclusio communiter admittitur à Doctoribus, & ex se patet. Quia contraria mutuo se expellunt: sed materia cum sit receptaculum formæ, eamque in sinu suo quasi foueat, minimè eandem à se expellit: non ergo eidem contrariari potest.

19. Dicendum est secundò. Principia entis naturalis in fieri, formam scilicet & priuationem, non solum contraria, sed prima contraria esse. Hæc est expressa Arist. hîc cap. 5. & D. Thom. ibidem, eamque omnes expositores vniuersimodo admittunt.

Probatum ratione desumpta ex Arist. in præsent. Prima contraria sunt prima principia. Ergo prima principia sunt prima contraria. Consequentia est aperta; procedit enim per simplicem conuersionem propositionis indefinitæ. Antecedens verò probatur. Prima principia sunt, quæ nec fiunt ex aliis, neque ex alterutris, sed omnia fiunt ex ipsis. At pri-

ma contraria non fiunt ex aliis, neque ex alterutris: quia hoc ipso quòd sunt prima, nullo modo possunt ex aliis fieri: alioquin non essent prima. Et tandem omnia fiunt ex ipsis; siquidem omnia quæ per se generantur, fiunt ex suis contrariis, ut D. Thom. 1. part. q. 46. art. 1. ad 3. innuit Ergo iam prima contraria erunt prima principia.

Cæterum hæc ratio inefficax videtur. Primò; quia syllogismus, in quo innuitur, est in secunda figura, & nihilominus duabus propositionibus affirmatiuis constat: quo tamen pugnat apertè cum his syllogismis, quæ in secunda figura concludunt, ut inuenienti patebit.

Secundò, nam ex ea sequitur materiam & formam esse prima contraria, quandoquidem eis competit definitio primorum principiorum, & hæc etiam est definitio primorum contrariorum, ut in hac ratione innuitur.

Tertiò, nam falsum videtur, vnumquodque fieri ex suo contrario; quia quando ex homine pallidogenatur cadauer pallidum, tunc de nouo fit pallidum; non tamen ex non pallido: ergo, &c.

Respondetur ad primum syllogismum in secunda figura ex duabus præmissis affirmatiuis constantem, tunc esse vitiosum, cum termini sunt impares, & inæquales, ut si dicas: equus est animal, homo est animal; ergo homo est equus. Secus verò cum termini pares & æquales sunt: quis enim hanc inficiari potest argumentationem: homo est rationalis, risibile est rationale; ergo risibile est homo. At hi termini, *prima contraria*, & *prima principia* sunt pares, & æquales, ut potè qui ad conuertentiam dicuntur, proinde quæ ex hoc cap. nullum prædicta ratio patitur defectum.

Ad secundum neganda est sequela. Ad cuius probationem dicendum est, illa primorum contrariorum definitione non definiri prima contraria, nisi ibidem subintelligatur hæc particula, *opposita*, quæ vicem generis sortiatur, ita ut sensus sit, prima contraria sunt opposita, quæ non fiunt ex aliis, &c.

Sed dices, iam ergo hi duo termini *prima principia*, & *prima contraria*, non sunt æquales: quandoquidem primus comprehendit sub se materiam, non verò secundus.

Respondetur, quòd sicut cum Arist. dixit, prima principia esse prima contraria, non vniuersaliter, sed indefinitè loquutus est: sic & nos cum duos illos terminos diximus esse pares & æquales, non vniuersaliter, sed indefinitè loquimur, ut sic omnimoda seruetur proportio. Quare ad huius locutionis veritatem, & ad vim rationis Aristot. satis est, quòd aliqua sint prima principia, & quòd hæc eadem sint prima contraria; non secus, ac si per impossibile daremus hominem & equum identificari cum eadem portione animalis, sufficeret hoc ut ista indefinita esset vera, species animalis sunt idem realiter inter se; & ut possemus sic argumentari: homo est hoc animal, equus est hoc animal; ergo homo est equus: ex quo etiam intelligitur quomodo, etsi ratio principij, & primi contrarij, habeant aliquando inter se nexum, nunquam tamen formalissima ratio vnius est formalissima ratio alterius.

Ad tertium respondetur, quòd cum in casu argumenti non fiat pallidum per se primò, sed consecutiue, & per accidens, ideo nihil inde contra nos, quia loquimur de eo, quod per se primò fit.

21. Solum ergo superest ad rationes dubitandi initio quæst. positas respondere.

Ad primam ergo & 2. bene respondetur ibid. si tamen addatur Arist. non loqui de quauis impossibilitate, sed de ea, quæ est inter formam substantialem

lem, & eius priuationem. Quia loquitur de primis contrariis, quæ sint prima primitate simpliciter, quatenus eorum contrarietas est radix & origo cæterarum aliarum contrarietatum, ut D. Thom. ibid. lect. 10. notauit. Vnde loquitur de contrarietate sumpta pro impossibilitate priuatiua, quæ est inter formam substantialem, & eius priuationem. Nam cum contrarietas accidentium ita egeat substantia, ut sustentante, ut sine illa consistere nequeat, utrumque ducat ex ipsa substantia, & hæc contrarietas, quæ inter formam substantialem, & eius priuationem versatur, sit radix & primum principium formationis substantiæ totalis, inde fit, ut sit etiam suo modo prima radix contrarietatis accidentium.

22 Ex quo ad impugnationem contra solutionem ibi datam responderetur, quod Arist. in loco ibi relato loquitur de priuatiua oppositione, quæ est in quouis genere, ut docet Diuus Thom. lect. citata, & hanc vocare optimè potuit *contrarietatem primam*; contrarietatem quidem, quia quæ sic contraria sunt, se se interimunt, more illorum, quæ rigoroſa gaudent contrarietate.

*Primam* verò: quia priuatiua oppositio in quauis oppositione, etiam in illa, quæ propriissimè est talis suo modo includitur: quandoquidem omnia opposita specie distinguuntur, & species sunt, sicut numeri; ac proinde vna excedit aliam in perfectione, & quæ imperfectior fuerit, dicit priuationem perfectioris. Vnde priuatiua oppositio comparatur ad alias oppositiones, ut communior, & vniuersalior, & consequenter ut prior illis. Cæterum non ob hoc erit prima primitate simpliciter, & ut sic dicamus; primitate causalitatis, de qua in præſenti, nisi sit inter formam substantialem, & eius priuationem, ut dictum est.



## DISPUTATIO III.

### De existentia, natura, & proprietatibus materia prima.

**E**A, quæ in superiori disputatione discussa sunt, ad principia entis naturalis in communi spectabant. Consequens ergo est, ut de iisdem principiis sigillatim, & primò de materia prima, quæ aliorum fundamentum est, seorsum sermonem institueremus.

## QVÆSTIO I.

*An sit, & quid sit materia prima: ubi etiam de variis eius nominibus agitur?*

**A** Prima huius quæst. parte facilius nos expediremus; quia certum omninò est verè dari materiam primam in rerum natura: tum quia Sancti Patres illam admittunt, Basil. nimirum, August. Ambr. Chrysost. Beda, & alij, quos refert Massius in præſenti c. 9. lect. 2. q. 1. tum etiam; quia hoc ipsum communiter Scholastici Theologi testantur cum Magistro in 2. distinctione 12. & D. Thomas 1. parte q. 66. art. 4. Tum etiam: quia hæc breuis, valdè tamen efficax ratio id confirmat.

Nam, ut in præcedenti disp. q. 2. diximus, quodque

per se patet, in quauis mutatione necessario debet dari aliquod subiectum, quod tranſeat à non esse ad esse, seu ut alij dicunt, quod maneat sub utroque termino. Ergo etiam in mutatione substantiali, qualis est generatio substantialis, debet assignari aliquod subiectum, quod à non esse sub forma substantialis, verb. gr. ignis, ad esse sub illa tranſeat. Vel ergo subiectum hoc præſupponit aliud, vel non; Si hoc secundum concedatur, habemus intentum: quia subiectum illud iam erit subiectum primum. Si verò tale subiectum supponat aliud, inquirimus rursus de illo subiecto, quod supponitur, an sit primum, vel aliud eo prius detur: cumque impossibile sit in causis subordinatis procedi in infinitum, fiet inde, ut subsistendum necessariò sit in aliquo, quod ita sit obiectum ut aliud non supponat, proindeque primi subiecti ratio eidem competat. Ergo cum nomine materiæ primæ nihil aliud nos intelligamus, necesse erit, hanc in rerum natura inueniri.

2. Quoad secundum verò, quod in quæst. titulo proponitur nimirum in quonam quidditas materiæ primæ sita sit dicendum est: eam ab Arist. duplici definitione definitam fuisse, quarum primam, ex verbis Philosophi, in hoc libro sic conſicimus: *Materia prima est substantia, quæ ita se habet ad formas substantiales sicut æs, vel lignum ad artificiales*. Quam definitionem tradit etiam Diu. Tom. opusc. 31. §. 1. circa medium, ubi non accipitur *æs*, vel *lignum*, ut in suo substantiali esse completa sunt, sed ut in genere artificiali sunt in pura potentia, ut artificis beneficio hanc, vel illam artificialem formam in se recipiant. Sic enim materia prima est in pura potentia, ut hac, vel illa substantiali forma informetur.

Secundam verò definitionem, quæ melius naturam materiæ primæ explicat tradit Arist. in c. ult. huius lib. text. 82. sub his verbis: *Materia est primum subiectum cuiusque ex quo aliquid fit, cum insit, non secundum accidens*, Quam admittit D. Thom. lect. ult. huius lib. & communiter Doct.

Prima particula, quæ (si debito sensui attendatur) est *ly subiectum*, vicem quasi generis sortitur, per quam cum materia secunda conuenit, ab illaque per *ly primum* distinguitur: sicut, & per illam particulam *cum insit* excluditur peculiariter priuatio, ut notauit Diu. Thom. lectione citata.

Nam etsi ex ea fiat ens naturale, in quo conuenit cum materia, non tamen ex eadem componitur; quia in illo manet. Secus verò de materia dicendum est; quandoquidem est omninò intrinseca composito physico. Additur tamen illa particula, *non secundum accidens*, ut denotetur ex materia, & forma unitis vnum per se substantiale coalescere.

3. Sed obiicies primò, materiam primam non esse subiectum: ergo malè definita fuit.

Antecedens probatur; nam quod est primum subiectum, non potest esse substantia; quia nequit inuari in alio, ut in subiecto; sed materia prima non est substantia, ut docet Aristoteles Metaph. text. 8. dicens: *Materiam primam per seipsam, neque esse quid, neque quantum, neque quale, neque aliud eorum est, quibus ens determinatur*: ergo nequit esse primum subiectum. Confirmatur, quia D. Thom. 1. p. q. 5. art. 3. ad 3. dicit: materiam esse ens in potentia; ergo actu non est ens, ac proinde nec substantia.

Secundò obiicies, quod si semel verum est, materiam primam esse primum subiectum, superflue cæteræ partiæ definitionis, adduntur: quandoquidem per hoc solum, quod sit primum subiectum, sufficienter constituitur, & distinguitur ab omnibus aliis, ut intuenti patebit.

Ad primum, responderetur, sensum prædictorum verè bonum



borum Aristoteles tantum esse cum, quem Diuus Thomas, loco citato ex septimo Metaphysicæ, lectione secunda, explicuit dicens: *Philosophum solum velle, quod oportet subiectum mutationis, & motus, alterum esse per se loquendo ab utroque terminorum motus. Vnde cum materia sit primum subiectum, substans non solum motibus, qui sunt secundum qualitatem, quantitatem, & alia accidentia; sed etiam mutationibus, quæ sunt secundum substantiam, oportet quod materia sit in alia secundum sui essentiam ab omnibus formis substantialibus, & earum privationibus, non solum quod sit aliud à quantitate, qualitate, & aliis accidentibus.* Hucusque S. Doct.

4: Ad confirmationem respondetur, quod licet res sumatur à quidditate; attamen nomen *ens* desumitur ab actu essendi, seu existendi: id quod aperte docet D. 1. Thom. contra Gentès cap. 25, in fine, & in 1. dist. 8. q. 1. art. 1. de Veritate, q. 1. art. 1.

Vnde, quia materia prima non habet actum essendi, seu existendi ex se, sed tantum in potentia & à forma, ut infra ex eodem S. Doct. referemus: ideo loco citato ipse cum Arist. sæpè dixit, materiam esse in potentia. Cum quo tamen stat, eam esse veram rem, & partem veram essentiae totalis compositi. Et ideo Diuus Thomas de Veritate, q. 3. art. 5. in fine dixit: *Quod etsi materia non habeat propriè essentiam, attamen est pars essentia.*

Ad secundum resp. particulas illas maioris explanationis gratia additas fuisse. Quod quidem potiori titulo in materia permitti debet, cum ob infimam sui entitatem adeo sit ignota, proindeque maiori indigeat explanatione.

5 Ex quibus omnibus facile intelligetur ratio, ob quam pluribus, adeoque diuersis nominibus nuncupetur. Quia & quod per omnia illa significatur, conuenit ei, quia est primum subiectum puræque potentia, respectu omnium formarum substantialium. Vnde appellatur *Chaos, mater, matrix, turpis, malefica, seu adultera, per se ignota, tenebra, & propè nihil.*

Vocatur ergo *chaos* à veteribus Poëtis, ut ab Hesiodo, & Orpheo, & à Magistro in secunda dist. 12. eo quod confusè rerum omnium formas respicit. Dicitur *mater*, quia est principium passuum generationis. *Matrix*, quia sub gremio complectitur, fomet & conseruat omnes formas. *Turpis, seu incomposita*, ut docet Diuus Thomas 1. p. q. 66. art. 1. quia sicut ex se est pura potentia, ita ex se caret omni decore; quoniam omnis decor est per actum. *Malefica*, quia ut possit frui alia forma, qua caret, machinatur eadem propriæ formæ quam possidet. *Per se ignota*, ut docet Arist. 8. Metaph. lect. 1. apud D. Tho. quia cum ex se non habeat actualitatem, nisi per formam, non est nisi per illam cognoscibilis: propter quam etiam *tenebra* appellantur. Et tandem dicitur esse *propè nihil*, ut loquitur August. 12. Confessionum quia in genere substantiæ habet minimum entitatis,

quod excogitari potest & ideo est quid maxime in hoc genere ad quandam veluti nihilitatem accedens.

\* \*

## Q V Æ S T I O II.

*Virum materia prima sit secundum suam essentiam pura potentia, ut nullo modo sit actus, aut nullum actum in se includat.*

6. **T**itulus quæstionis non intelligitur de actu omnino primo, qualis est forma substantialis, aut de actu subsistentiæ & existentiæ, aut tandem de actu secundo, & accidentali, qualis est operatio.

Nam ut ex se, & ex dicendis constabit, certum est, nullam, ex iis actibus posse esse essentialem materię primæ: sed tantum intelligitur de quodam actu, quem iuniores Philosophi denuo suscitauerunt, quemque actum entitatum appellant dicentes, esse vniuersalem & transcendentalem, respectu omnium rerum; quia cuiuslibet rei hoc ipso quod sit realis entitas, debet conuenire: nam hoc ipso iam habet actum entitatis, seu est actualis entitas & per consequens per aliquem actum saltem entitatum debet in esse talis entitatis constitui, ut ita nulla sit actualis entitas, quæ erat actu sibi proportionato.

*Refertur sententia affirmatiua.*

### §. I.

7. **P**rima sententia asserit, materiam non sic esse puram potentiam, ut aliquem actum entitatum non includat: ita Scotus in 1. dist. 12. q. Perei. lib. 5. ca. 13 Toletus in præsentī, q. 1. 2. Suarez disp. 13. Metaph. sect. 5. & alij plures.

Probatur primò, quoniam Deus est purissimus actus excludens esse omnem potentialitatem; sed materia prima ei assimilatur: ergo aliquid actus debet habere, & ex consequenti cum cæteris actus phisicos & reales iam enumeratos excludat, non poterit non actum entitatum includere. Minor est D. Thom. q. 1. de Veritate art. 5. ad 1. ubi inquit: *Licet materia prima sit informis tamen inest ei imitatio primæ formæ: quantumcumque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primæ Entis.*

Secundò, materia prima actu constituit ens naturales ut eius vera realis & substantialis pars: ergo habet rationem actualis & realis entitatis. At actualitas hæc non potest non includere actum entitatum constituentem illam quasi formaliter in esse actualis entitatis: ergo, &c. Minor prob. quia, ut inquit Arist. 7. Metaph. text. 49. actus est, qui distinguit ac proinde ille solus erit, qui constituit, cum constitutiui & distinctiui sint prorsus idem.

Confirmatur, illud cui conuenit esse actu bonum debet & actum bonitatis habere; sed materię conuenit esse actu quid bonum: ergo actum bonitatis habebit & ex consequenti actum entitatis seu actum entitatum: siquidem bonum sequitur ad ens, ac proinde actus bonitatis in actum entitatis. Minor patet, cum quia id videtur docere D. Thom. contra Gent c. 20. tum etiam quia materia est bona, valdeque utilis cõposito substantiali; quãdoquidem ea euanesceat, & cõpositum ipsum desinet.

9. Tertiò, potentia obiectiua, est potentia ad esse: ergo illud esse per quod talis potentia expletur, debet habere rationem actus saltem entitatum. At expletur per positionem materię primæ: ergo ipsa actu entitatum includit.

Prima consequentia patet: tum quia potentia à nul-

B 2 lo

lo alio præter quam ab actu expleri valet; tum etiam, quia tot mediis dicitur actus quot & potètia. Ergo si ultra cæteras alias potèntias, datur potèntia obiectiua, debet etiam extra reliquos actus dari proprius actus illius, quem entitatiuum appellamus.

Confirmatur id quod omnino est in potèntia, est nihil: quia solum dicitur esse, ex eo quod potest ab agente fieri: sed materia est extra nihil: ergo est aliquid extra puram potèntiam, ac proinde aliquem actum includit, qui, ut constat, non potest esse alius, quam entitatiuus.

*Stabilitur vera sententia D. Thomæ.*

## S. II.

10. **Q**uæstio hæc aliquid, & fortè non parum habet de nomine: ut tamen rem ipsam, & legitimum loquendi modum, tum Arist. tum D. Tho. explicemus dicendum est, materiam primam secundum se sumptam nullum prorsus habere actum, etiam entitatiuum, sed esse omnino puram & realem potèntiam.

Hæc est Arist. pluribus in locis, maxime verò in hoc lib. text. 69. ubi docet, ita se habere materiam primam ad res naturales, sicut res naturales, ex se ad artificiales. Sed istæ ex se nullum includunt artificialem actum: ergo neque materia prima vllum habebit actum naturalem.

Idem docet D. Tho. 1. p. q. 7. art. 2. ad 3. ubi inquit: *Materia prima non existit in rerum natura per seipsam cum non sit ens in actu: sed potèntia tantum.* Et 1. contra Gent. c. 43. ait: *In rebus inuenitur aliquid, quod est potèntia tantum, ut materia prima, & aliquid quod est actus tantum, ut Deus; & aliquid, quod est actus & potèntia, ut res cætera.* Quod etiam tenet 1. p. q. 66. art. 1. & quæst. 115. art. 1. ad 2. & alibi sæpè.

Quam sententiam tuerentur etiam Capreolus, Ferrara, Caietan. Bannes, omnesque Thomistæ, Fonseca, Conimbricense Collegium in hoc li. q. 9. art. 1. & 2. Masius in præsent. c. 9. sect. 2. q. 6. Rub. tract. de Materia, q. 2.

11. Probatur ratione primò: nam ut ex quæst. præced. ex Arist. & Diuo Thom. constat, nulla ex definitionibus ibidem relatis, & vnanimi omnium consensu admissis, quibus idem Arist. & D. Thom. explicauerunt essentiam materiæ primæ, continet verbum aliquod, quod rationem actus exprimat; imò potius omnino puram, & nudam potèntiam nobis contemplandam obiciunt. Ergo cum definitiones explicent essentiam rei consequens est in ratione, & essentia materiæ nihil prorsus actus includi.

Respondebis cum aduersariis; id solum in definitionibus exprimendum, quod rebus definitis secundum suas specialiores rationes; non verò quæ secundum communissimas, & transcendentis conuenit, quare cum actus iste entitatiuus non sit specialis ipsi materiæ, sed illi cum rebus omnibus, & ob generalem rationem entis realis communis; idè non potuit in definitione exprimi.

12. Sed contra, quoniam si loquamur de re aliqua in particulari realiter & physice, & non secundum id, quod habet ab intellectu, vel per ordinem ad illud (quomodo de materia in præsent. loquimur,) ratio transcendens illam non est talis nisi iuxta talitatem, ut sic dicamus, rei in qua imbibitur: ut apertè colligitur ex D. Th. de Veritate q. 1. art. 1. & de potèntia q. 7 art. 3. in corpore, & ad 4. Vnde ens in substantia imbibitum est substantia, in accidenti verò inclusum ibi est accidens, & non substantia: Sed materia prima secundum suam ultimam rationem, & secundum id,

quod sibi solummodò proprium est, considerata, tantummodò habet rationem potèntiæ, & nullo modo actus, ergo quævis ratio in illa inclusa rationem potèntiæ sortitur: & ex consequenti falsum omnino erit prædicatum aliquod transcendente rationem actus habens in ea includi.

Confirmatur, repugnat rationem veræ potèntiæ in aliquo transcendentaliter imbibitur quod à sua vltima & propria ratione non dicat specialem potèntialitatis modum. Ergo etiam repugnabit imbibitur transcendentaliter actum aliquem in re illa: quæ à sua vltima ratione non habeat aliquem specialem modum actus, & ex consequenti repugnabit, quod in materia prima transcendentaliter imbibitur ratio actus, quandoquidem ipsa secundum sibi propriam & vltimam formalitatem solum importat esse puram potèntiam, ut aduersarij ipsi admittunt.

13. Secunda ratio pro nostra conclusione, per quam eueritur fundamentum aduersariorum, desumitur ex Arist. 9. Metaph. tex. 1. nec non & 6. eiusdem Metaph. tex. 4. & D. Tho. lect. 2. ubi dicunt: ens bipartiri in actum & potèntiam:

Et ut bene notauit Suarez in indice suæ Metaph. non diuiditur hic ens in rem possibilem, & in eandem Metaph. ut existit extra statum possibilitatis: quia hæc non esset partitiō entis in diuersas res, aut entia: sed diuersus status eiusdem rei.

Hoc ergo supposito sic suadetur assertio. Ens diuiditur in actum & potèntiam: ergo per hoc præcisè quod aliquid sit pura potèntia realis, etiam si omnem prorsus à se actum excludat, poterit rationem entis realis habere: & per consequens ex hoc quod materia prima habeat veram & realem essentiam, malè colligitur, eam includere intrinsecè aliquem actum.

Hæc vltima consequentia ex se constat. Prima verò etiam patet: nam membra diuidentia debent diuisum includere, & inter se formaliter opponi; ergo cum actus, & potèntia diuidant reale ens, sit inde, ut eorum quodlibet sit ens reale, etiam si alterum membrum à se formaliter excludat aliud, ut necessariò debet excludere.

14. Vltimò, nam vel materia ex hoc actu entitatiuo, & ex sua potèntialitate componitur, vel est ipsemet entitatiuus actus; non primum, quia aliàs amitteret rationem primi subiecti, non secundum, nam vel hic actus esset informans, & hoc non: quia hic, subiectum, cui innitur, semper supponit: vel actus subsistens, & neque hoc dici potest, quandoquidem subsistens actus longè perfectior est, informantem, utpotè qui non indiget sustentante. Ergo cum materiæ primæ ob suam potèntialitatem non possit conuenire ratio actus informantis, multominus erit actus subsistens. Ergo nulla ratione erit actus, siquidem omnis actus debet vel pendere ab alio ut sustentante, & sic erit actus præcisè informans; vel non pendere, & sic erit actus subsistens.

15. Nec satis erit si dixeris id, quod innuit P. Suarez, scilicet quod cum tot modis dicatur actus, quot & potèntia & materia prima, sicut & quævis alia res expleat per suam entitatem potèntiam obiectiuam, quam habet ad hoc ut sit: consequens est ut ex qua parte prædictam potèntiam explet, sit actus, & ex qua parte non dependet ab alio ut à subiecto sustentante sit actus subsistens. Vnde ut sit adæquata diuisio illa actus in informantem & subsistentem, non debet sumi actus subsistens pro formis completis, & spiritualibus, quæ sunt nobiliores actibus informantibus; sed prout abstrahit ab illis, & à quævis re explete suam potèntiam obiectiuam, & simul independente ab alio ut à subiecto, qualis est materia prima.

16. Nam

16. Nam contra hoc est quod fundamentum, quo innitur prædicta solutio, est falsum; quia non semper potentia obiectiva per actum explenda est; sed aliquando per actum, aliquando verò per realem potentiam, si res illa quæ possibilis dicitur, fuerit ens, quod sit realis potentia: etenim potentia obiectiva solum est quædam non repugnantia essendi in tota realis entis latitudine. Cum ergo intra totam essendi latitudinem ratio realis potentia contineatur, per eam tanè illa possibilitas, aut obiectiva potentia poterit expleri.

Confirmatur, possibilitas actus per actum explatur: ergo possibilitas, quàm habet realis potentia ad hoc ut sit, per potentiam explenda est; aliàs enim potentia illa non explebitur: quandoquidem ad ipsum, quod possibile est, non ponitur à parte rei. Unde illud, quod dicitur in solutione tot modis dici actum, quod & potentiam, verum est de reali, & vera potentia receptiva, non verò de ea quantum est obiectiva, quæ non est formalissimè loquendo rigorosa potentia; sed quædam non repugnantia, & realis tantum denominatio extrinseca desumpta à potentia activa illius agentis, quod rem illam extra causas potest ponere.

17. Confirmatur tandem. Materia prima sicut de se non habet proprium esse, ut iam ex D. Thom. diximus, & amplius infra dicemus; sed tantum existit per existentiam totius; ita non habet proprium fieri; sed producit ad productionem totius, id quod aperte docet Arist. 8. Metaph. text. 3. ubi D. Thom. lect. 1. & 1. p. q. 4. art. 4. de Veritate, quæst. 3. art. 5. ad 1. secundo loco propositum; ac proinde non habet sibi propriam potentiam obiectivam; sed per obiectivam potentiam totius dicitur possibilis. Unde non est necesse, ut asserat actum ex se, sed satis erit, quod actuetur per formam substantialem, & ita una cum toto in rerum natura ponatur.

*Solvuntur argumenta prima sententia.*

### S. I II.

18. **A**D primum ergo pro prima sententia adductum, dicendum est, quod licet materia non sit actus; quia tamen ens & substantia est, idèd ratione harum formalitatum aliquantulum Deo similis erit, non qua ratione ipse est actus purissimus; sed ut primum ens & substantia est.

Et ideo Doct. Angel. postquam dixerat in materia esse imitationem primæ formæ, statim in quo sit illa similitudo, explicuit, dicens: *Quantumcumque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi Entis.*

Ad secundum respondetur, quod ut colligit ex Arist. loco citato, & 6. Metaph. text. 4. & D. Thom. ibid. lect. 2. & Opus, 1. §. 1. & 2. circa medium: aliud est aliquid esse realem entitatem, quæ sit in actu, aliud verò esse reipsa realem entitatem.

Nam ad primum requiritur, vel quod sit actus, vel quod includat actum: quia ut loquitur D. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. circa finem, impossibile est ponere aliquod ens actu, quin vel ipsum totum sit actus & forma, vel habeat actum seu formam. Solus enim actus est, qui dat rei, quod sit in actu; sicut sola & pura potentialitas dat rei, quod sit pura potentia, aut in pura potentia receptiva actus.

At verò, ut aliquid sit re ipsa realis entitas, satis est, quod re ipsa non sit purum nihil, sed habeat aliquem entitatis modum, siue talis entitas sit completa, siue incompleta, siue sit actus, aut in actu, *Colleg. Compl. Logica.*

siue non; sed tantum sit pura potentia receptiva actus: & nihil actus includens.

Nos ergo non negamus materiam; dum constituit compositum physicum, esse se ipsa realem entitatem, quæ sit potentia, aut quod à forma sit in actu; sed quod negamus, est, eam secundum se, & sua essentialia præcisè consideratam, esse ens in actu, aut entitatem actualem; qui tantum est pura potentia receptiva; nihil actu includens.

19. Diximus re ipsa, quia quoad modum loquendi & denominandi non debet dici ens nisi cum addito, scilicet ens in potentia, ut ex dictis quæstione præcedenti, & ex modo dicendis constabit. Quare ad argumentum in forma, concedendum est antecedens; quia materia ut unita formæ, secundum quam rationem actualitatem unionis includit, componit actu totum; sed neganda est consequentia iuxta prædicta.

Per quod etiam ad confirmationem patet; quia etsi materia secundum se sit re ipsa bona compositio; attamen præcisè secundum se non est actu bona; quia non includit actum; & esse actu bonum, est saltem affectus formalis alicuius actus, ut ex D. Thoma dicebamus; sed tantum est re ipsa bona potentia, & eius bonitas in puræ potentia bonitate consistit.

20. Quibus tamen addendum est cum D. Thoma 3. contra Gent. capite 20. quod licet unumquodque sit bonum in quantum est ens; nihilominus etsi materia non sit simpliciter, & sine addito appellanda ens, sed ens in potentia; attamen potest absolute, & sine addito appellari bona.

Cuius rationem sic reddit S. Doctor; *Quia ens absolute dicitur*, seu quod idem est, ut ipse Divus Thomas locis citatis quæstione præcedenti se explicat, dicitur ab actu essendi, seu existendi, & ideo materia ex eo quod sit potentia adesse, in quo eius essentia consistit, non dicitur simpliciter ens; sed tantum in potentia. *Ab bonum* (ut loquitur D. Thom. etiam in ordine consistit, id est, non solum aliquid dicitur bonum, quia est finis, vel quia est obtinens finem; sed etiam quia etsi nondum ad finem peruenierit, est tamen ordinatum ad finem; quia media suam etiam habent bonitatem. Materia ergo non potest simpliciter, & sine addito dici ens; bene tamen dici simpliciter, & sine addito bona propter ordinem, quem dicit ad actum, qui est finis, & bonum ipsius. Unde etsi passionibus, quæ absolute dicuntur, tam quoad rem, quàm quoad modum denominandi, convertantur cum ente, non tamen est necesse id verificari quoad modum denominandi in his passionibus, quæ respectivæ sunt, & aliquid extrinsecum connotant.

21. Ad tertium patet ex dictis in ratione pro nostra conclusione. Ad confirmationem verò; dupliciter posse aliquid dici esse in pura potentia. Primum in pura potentia obiectiva, & quod sic est in pura potentia, est nihil. Secundò in pura potentia subiectiva, ad quod tantum requiritur essentiam eius consistere in hoc, quod sit pura potentialitas receptiva formæ; quod autem sic est in pura potentia subiectiva, potest optimè esse extra nihil, saltem in suo toto non obstante, quod nihil actus ex se includat, ut explicatum est.

## Q V Æ S T I O II.

*De unitate specifica materia prima.*

**P**RO tituli intelligentia aduertendum est, nos hinc non loqui de materia cœlesti, sed sublunari. Quia de illa priori in libris de Cœlo agendum est; B 3 sicut

sicut propter eandem rationem, non nisi obiter explicabimus, an utraque materia distinguatur specie, & sint vnum unitate generica.

PROPONUNTUR VARIÆ  
sententia.

§. I.

12 **P**rima sententia affirmat materiam primam esse vnam specie, non quidem completa, sed incompleta, sicut etiam ipsamet quid incompletum est. Et licet hanc ut primam, & propriam, ac inuariabilem speciem materię assignent, addunt tamen pro diversitate formarum tot habere species extrinsecas, & aduentitias, quot fuerunt formę diversę speciei, quibus unitur. Ita Suarez 1. tomo Metaph. disput. 13. sect. 5. num. 8. & plures alij.

Fundamentum quoad primam illius partem est: quia potentia quavis desumit speciem ab actu, seu ab obiecto adæquato, ad quod dicitur habitudinem, ut omnes concedunt; sed omnes sublunares materię respiciunt eundem adæquatum actum, ergo una erit earundem species. Minor probatur: nam quavis portio materię respicit formam amissibiliter informantem; saltem vagę sumptam, tanquam id in ordine ad quod propria natura, & species materię, desumitur, idēque quęlibet portio eadem perseverans potest quacumque amissibili forma informari. Ergo actus adæquatus cuiuslibet materię sublunaris, unus, & idem est, & ex consequenti omnes illę erunt idem secundum speciem.

Confirmatur: materia sublunaris convenit omnino cum materia cœlesti in ratione purę potentię, & distinguitur essentialiter, & ultimo ab illa per hoc quodd respicit actum amissibilem, ut nuper dicebamus; sed cœlestis. Ergo conveniunt genere, & distinguuntur specie: & ex consequenti materia sublunaris habebit propriam unitatem specificam.

23 Secundam verò partem sic probant: quia sicut materia habitudinem per se dicit ad formas substantiales, ut rationem amissibilem habent, sic per accidens easdem respicit, secundum quod talis, vel talis speciei sunt, scilicet ut una est forma hominis, alia leonis, &c.

24 Secunda sententia est cuiusdam Iunioris, qui ut suam sententiam explicet, supponit, quodd esse reale potest sumi dupliciter. Primum pro esse reali obiectivo, quodd tantum exprimit realem, & intrinsecam connexionem prædicari cum subiecto, & hoc quodd est posse ex vi talis esse, & sine beneficio intellectus terminare realem cognitionem: quamvis pro fundamento requirat, quodd in virtute alicuius causę contineatur. Secundò pro esse reali, ut executioni mandabile est, ac proinde pro ut exprimit practicum (ut ipse loquitur) ordinem ad existentiam. Hoc ergo supposito inquit, quodd si materia prima sumatur secundum suum esse reale obiectivum, habet propriam specificationem, incompletam tamen: & eidem sic consideratę extrinseca, & accidentaliter est specificatio, quam à forma participat. Si verò sumatur pro ut executioni mandabilis est, & ut existit, dicitur prædictum ordinem ad existentiam; tunc non habet propriam specificationem; sed tantum à forma, & composito.

25 Quoad primam partem, in qua convenit cum prima sententia, probat illam eisdem argumentis, quibus præcedens sententia nititur. Quoad secundam verò sic suadetur: primò, nam materia pro ut parte rei existit, specificatur à forma, & composito. Ergo, ut existens, practicum vè dicit ordinem ad exi-

stentiam, non potest ab specie totius abstrahi, ac proinde neque propriam sibi speciem habere; aliàs simul secundum eandem rationem esset in duplici specie incompleta; altera quę suam entitatem, altera quę formam, & compositum sequatur. Antecedens patet: quia forma non dat materię effectum formalem secundarium, scilicet esse existentię, nisi quatenus prius natura dedit effectum primum, quę est constituere illam in specie, cuius ipsa forma principium est. Ergo hæc specificatio est in natura omnino intrinseca, & essentialis, in ordine ad recipiendam existentiam.

Confirmatur: nam existentia creata, verbi gratia, equi, vel leonis (hęc enim sola potest esse effectus formę) tantam habet cum equo commensurationem, ut per illam non possit existere nisi equus, & ea, quę ad illum ut talem intrinsece pertinent: & idē committere Theologi 3. p. q. 3. art. 1. dicunt cum S. Thom. proprium esse solius personę divinę assumere sibi ad subsistendum, vel existendum alienam naturam. Ac materia prima si secundum se, & omnino nuda consideretur, non est propria equi potius quàm leonis, &c. nisi quatenus effectus primarius formę equi eidem tribuitur. Ergo nequit illi existentia equi à forma procedente communicari, nisi quatenus prius natura effectus primarius, scilicet prædicta specificatio illi concessa est.

*Ostenditur materiam non habere ex se unitatem  
specificam positivam.*

§. II.

26 **P**ro huius quæstionis decisione, notandum est unitatem specificam, ut colligitur ex D. Thom. 1. p. q. 16. art. 7. ad 2. & opusc. 3. 1. esse duplicem; aliam positivam, aliam verò negativam. Tunc aliquid dicitur esse vnum specificè positivè, quando habet in se principium aliquod unde oriatur talis unitas, ut patet in homine, qui includit in se animam rationalem, ex qua tanquam ex primo, & radicali principio propria illius specificatio procedit. Tunc verò aliquid habet unitatem specificam negativam, quando non est plura specificè: quia non includit in se principium aliquod proportionatum per quodd specificè plurificetur.

Et potest hoc explicari exemplo, quodd adducit D. Thom. art. 7. proximè citato his verbis: *Aliquid esse simpliciter & ubique potest intelligi dupliciter. Vno modo, quia habet ex se unde se extendat ad omne tempus, & ad omnem locum, sicut Deo competit esse ubique, & semper. Alio modo, quia non habet in se quodd determinatur ad aliquem locum, vel tempus, & per hunc modum quodlibet univēsale dicitur esse ubique, & semper in quantum univēralia abstrahunt, ab hęc, & nunc.*

27 His ergo suppositis; Dicendum est, loquendo de unitate specifica, & positiva, tunc siue consideretur secundum suum esse reale obiectivum, siue secundum quodd practicum (ut aiunt) dicit ordinem ad existentiam, nullam habet secundum se præcisè sumptam unitatem specificam; sed solum emendicatam à forma, & à toto. Hęc est Arist. 2. de anima, text. 2. & 8. Metaph. cap. 1. & Divus Th. ibid. lect. 1. super utrumque locum, & 1. p. q. 17. art. 7. ad 2. his verbis: *Materia prima dicitur esse una non quia habet unam formam, sicut homo est unus ab unitate unius formę, sed per remotionem omnium formarum distinguuntur.* Vbi solum tribuit materię unitatem per remotionem omnis formę, ac proinde negativam, in hoc, ut diximus, consistentem; cumque ab eodem principio oriatur unitas positiva, ex cuius remotione devenitur ad negativam, planè sequitur quodd omnis unitas positiva à forma, vel actu

Quæ debeat provenire. Et idèd vt explicaret unitatem positivam materiæ addidit S. Doctor : *Sicnt homo est vnus ab unitate vnus forme*. Quod etiam indicat opusc. 31. citato, quem sequuntur communiter Thomistæ : & idèd non est necesse singulos referre.

28. Et quidem materiam secundum quod est proximè capax existendi, nullam habere specificationem positivam nisi à forma, satis manet probatum ex argumentis pro secunda parte secundæ sententiæ adductis, & ampliùs patebit ex dicendis infra quæstione sequenti. Sed nihilominùs quodd secundum quoduis esse considerata, sit idem de illa, quoad hoc dicendum, sic ostendimus.

Primò, ad hoc vt aliquid secundum quoduis esse reale habeat unitatem specificam positivam, oportet vt habeat in se principium aliquod, vnde talis unitas sumatur, vt nuper dicebamus. At materia secundum se præcisè considerata, non includit intrinsecè hoc principium; bene tamen fit vt actuata per formam sumatur. Ergo secundum se non habet unitatem specificam positivam, bene tamen vt est informata per formam. Minor probatur, quia vt in Logica dicimus, cum differentia Metaphysica habeat rationem actus metaphysici, & suadetur in entitate reali, & physica, debet desumi tanquam à prima radice, ab aliqua entitate, quæ physice sit actus, siue informans, siue subsistens. Sed materia prima secundum suum esse physicum est expertus totius actualitatis, nisi consideretur vt actuata per formam, vt quæstione præcedenti ostensum est. Ergo nullam secundum suum esse essentialis præcisè sumptum, sed solum per formam, habet specificam & positivam unitatem.

29. Confirmatur, ex eo quodd genus dicit gradum potentialem, idèd licet proximè sumatur, quoad suam potentialitatem à tota entitate rei, prout habet rationem contrahibilis; atamen tanquam à primo principio, & radice desumitur ab aliquo physico, quod vel sit pura potentia, scilicet materia prima, vtpotè quæ est prima, & potissima in ratione potentie respectu aliarum potentialitatum compositi, ac proindè mensura, & prima ratio illarum; vel si fuerit actus, requirit tamen saltem tanquam conditionem, quodd habeat aliquid veræ potentialitatis admixtum. Ergo similiter ex eo quod differentia dicat gradum Metaphysicum actualem, non poterit vt à prima radice desumi, nisi ab aliquo, quod physice habeat rationem actus, siue informantis, siue subsistentis; & ex consequenti cum materia ex se nullum habeat actum, vt probatum est, non poterit secundum se, & præcisè sumpta componi ex genere, & differentia.

Antecedens licet ex se pateat, nihilominus potest sic amplius declarari. Nam idèd Deus nequit fundare duplicem rationem contrahibilis, & generis, & altera contrahentis, & differentie: quia est expertus totius veræ potentialitatis: & Angeli, qui sunt forma, & actus completi, nisi haberent potentialitatem aut terminabilitatem in ordine ad subsistentiam, vel existentiam, non possent constare ex genere: ergo, &c. Quæ omnia vnico verbo complexus est D. Th. 1. part. quæst. 105. art. ad 2. dicens: *Materia prima est potentia pura: sicut Deus est actus purus*. Vnde sicut Deus non habet vnde sumatur compositio metaphysica generis, & differentie; ita nec materia prima.

30. Secundò probatur assertio. Si in materia esset aliqua species positiva incompleta, & infima, deberet reduci ad aliquam completam, & infimam: nam sicut species imperfecta ad perfectam; ita species incompleta infima, ad completam & infimam reducenda est. At materia secundum se, & præcisè sumpta ad nullam speciem atomam potest reduci: ergo, &c. Mi-

nor probatur: quia non potest pertinere ad omnes eandem naturam non participet, nec ad aliquam in particulari: quia non est maior ratio, ob quam ad hanc potius quàm ad illam spectet: quandoquidem non nisi vt determinata per determinatam formam pertinet ad speciem determinatam: ergo, & cætera.

31. Ex quibus inferendum, & dicendum est secundò. Si materia prima consideretur vt ad ordinem practicum existibilem pertinet, seu vt est proximè capax existendi, tunc specificatio positiva, quam habet à forma, est illi omninò intrinseca, & essentialis. Si verò absolute, & simpliciter sumatur, tunc specificatio prædicta, etsi non sit illi essentialis; non tamen est dicenda extranea, & omninò accidentaria; sed potius valdè connaturalis.

Prima pars huius assertionis est valdè consona D. Thomæ 1. part. q. 66. art. 1. & sequitur apertè ex dictis: quia implicat materiam existere, nisi priùs habeat prædictam specificationem, per quam fit proximè capax existentie. Ergo in ordine ad existentiam hæc specificatio est intrinseca, & essentialis illi.

Ex quo etiam sequitur maior confirmatio assertionis præcedentis. Nam quod non potest esse propriè indiuiduum existens etiam incompletum, nisi vltiorem indiuiduationem ab alio recipiat, non potest habere specificationem positivam etiam incompletam; quandoquidem cuius speciei reali positivæ proportionatum indiuiduum, & existens, siue per propriam, siue per alienam existentiam correspondens.

32. Secunda verò pars solum indiget explicatione. Quia prædicta specificatio provenit materiæ ab actu sibi connaturalissimo, qui est prima illius actualitas. At quod sic est connaturale; non potest esse extraneum. Adde quodd si specificatio positiva est illi essentialis, vt ad ordinem practicum existibilem (vt verbis aliorum utamur) pertinet, non erit illi absolute sumptæ extranea: quia specificatio omninò requisita, vt res aliqua sit capax existentie, non est censenda extranea respectu illius. Vnde materia etiam per modum partis censetur dimidium ens, vsque dum habeat talem specificationem: quia semper censetur res aliqua esse dimidium ens etiam per modum partis, vsque dum ad ordinem practicum pertinere intelligatur.

33. Sed obicies, sequi inde, quodd eadem entitatis, materiæ sit diuersæ speciei intrinsecæ. Sed hoc est impossibile: ergo, &c. Minor patet: quia etsi vna, & eadem res possit pertinere ad duplicem speciem accidentalem, non tamen ad duplicem intrinsecam, alioquin esset, & non esset idem. Sequela verò probatur: quia eadem entitas materiæ potest esse sub duplici forma saltem successivè. Ergo si specificatio, quam habet à forma, est illi intrinseca, & non aduentitia, iam idem manens idem, esset modò huius, modò illius speciei intrinsecæ.

Confirmatur: Id quod est prius alio, non potest plurificari secundum specificationem non sibi intrinsecam per id, quod est posterius. At materia prima præcedit formam: ergo, &c. Maior ex se patet: quia quod est prius alio habet ea, quæ sunt ipsi intrinseca ante quàm aliud sit.

34. Respondetur, quodd etsi res aliæ, quæ ex se sunt positivæ, vna, non possint successivè esse diuersæ speciei intrinsecæ constare; bene tamen materia propter specialem rationem, quæ in ea procedit; quia cum non habeat ex se, nisi esse vnā negativè, vt iam ostendimus, & unitas specifica negativa consistat in hoc, quodd res, quæ dicitur vna, non sit ex se plures, possit tamen plurificari: quia est unitas puræ potentie, ac proindè non potentis proximè esse susceptivam

B 4 actualitatis,



actualitatis, nisi specificationem à forma recipiat: inde est, ut eadem entitas materialis eiusdem materie, materialiter sumpta, possit trahi ad plures, & diversas specificationes positivas, iuxta pluralitatem formarum: quia eius essentia consistit in potentialitate ad plures specificationes successivè, licet ex se nullam habeat.

Vnde ad confirmationem responderetur, concedendo maiorem de eo, quod est prius, & unum, & existens positivè; non tamen si est tantum pura potentia, & unum negativè, & à posteriori habeat esse in actu: quia tunc consistit in quadam capacitate, ut recipiat ab illo posteriori specificationem positivam intrinsecam.

*STATUITVR MATERIAM EX SE HABERE unitatem specificam negativam.*

### §. III.

35. **D**icendum est tertio: si loquamur de unitate specifica negativa, tunc materia secundum se sumpta tam secundum suum esse reale obiectivum, quam ut remotè est suo modo susceptiva existentie, habet propriam specificationem negativam. Hæc est D. Thomæ, ubi supra, & communis inter Thomistas. & colligitur apertè ex dictis: quia tunc aliqua res habet unitatem specificam negativam, quando non est plures specificè: quia nimirum non includit in se principium aliquod proportionatum, vnde talis specificatio, & plurificatio sumatur. At hoc reperitur in materia: quia ut diximus principium hoc debet esse aliquis actus, quem materia secundum se præcisè considerata non includit; ergo, &c.

36. Sed obiicies primò. Materia prima est ens positivè: ergo & una: quia unum est passio entis: ergo, & erit una specificè. Patet hæc consequentia, quia esse unum specificè nihil est aliud, quam esse unum essentialiter. At quidquid est unum ens: est unum essentialiter: ergo specificè; & ex consequenti non habebit solam unitatem negativam: quia cum unum sit passio entis, & eo modo illi conuenit, sicut ratio entis.

Respondetur, quòd aliud est loqui, ut optimè notavit Masius in præsentis, cap. 9. sect. 3. q. 1. 3. de unitate transcendentali, & analogæ, pro ut præcisè importat entitatem non diuisam; & hoc modo concedimus materiam habere unitatem positivam: aliud verò de unitate hac peculiari, scilicet unitate specifica positiva, ad quam non qualiscumque entitas sufficit; sed entitas, quæ sit actus, vel includat actum. Vnde non mirum quòd materie primæ prædictam unitatem positivam negemus, & solum tribuamus ei unitatem specificam negativam, ac proinde & capacitatem, ut unitatem positivam recipiat.

7. Secundò obiicies; si materia solum habet unitatem specificam negativam, cum omne negativum reducat ad suum positivum, non poterit non reduci ad aliquam speciem positivam: at nequit reduci ad aliquam: ergo neque habere hanc unitatem negativam. Minor patet; quia non ad aliquam speciem subalternam, sc. speciem corporis; quia hæc non esset proportionata reductio; neque ad aliquam infimam: quia non est maior ratio, ob quam ad hanc potius, quam ad aliam spectet, imò ad nullam spectare potest: quia materia non reducitur ad speciem formæ, nisi ut informata per illam: hic autem loquimur de materia secundum se, ut nuda ab omni forma: ergo, &c.

Respondetur, quòd materia sicut non habet unitatem specificam positivam, ita nec genericam: quia

hæc saltem proximè debet etiam ab actu desumi, ut in Logica dictum est. Vnde si loquamur de unitate generica solum habet unitatem negativam. Hoc ergo supposito dicimus; quod reducitur ad speciem positivam, non quidem positivè, sicut species positiva imperfecta ad positivam perfectam; sed sicut id, quod est unum negativum, reducitur ad suum positivum, ac proinde negativè. Nam sicut quia non est una genericè, potest tamen recipere hanc unitatem, reducitur ad speciem positivam genericam, cuius est capacitas, quia non habet ullam unitatem specificam, licet possit successivè habere omnes, reducitur ad omnes. Et licet materia non reducat ad positivum ad speciem hominis, verbi gratia, nisi actuata per formam hominis: bene tamen negativè, quatenus nimirum importat carentiam illius una cum capacitate ad ipsam.

*DILVUNTVR ARGUMENTA utriusque sententia.*

### §. IV.

38. **A**D fundamentum ergo pro sententia P. Suarez responderetur: quòd ad unitatem specificam positivam non sit est respicere actum, si ille respectus sit puræ potentie; & in pura potentialitate consistens; quia per hoc nihil actus intrinsecè includit, quamvis talis respectus sufficiat ad unitatem specificam negativam.

Ad confirmationem negamus, posse omnino abstrahi rationem materie ab omnibus materiis, ac proinde ratio illa abstracta non erit una simpliciter, sed solum una analogicè, ut optimè noravit D. Thom. 1. part. quæst. 66. art. 2. in fine corporis. Et ratio est aperta ex dictis; quia ut detur omnimoda abstractio, & consequenter ut ratio abstracta sit univoca, requiritur, quòd in re, quæ abstrahitur, detur fundamentum ad formandum duplicem conceptum, quorum unus habeat rationem differentie contrahentis; alius generis contrahibilis. At in materia prima, sicut non datur secundum se aliquid actus, quod per modum primæ radice fundet conceptum differentie, & suo modo sit fundamentum conceptus generici; ita neque adest fundamentum ad duplicem conceptum formandum.

Vnde sicut differentie inter se distinguuntur se totis: quia sunt conceptus simplices, & impartibiles in duos conceptus, quorum unus possit abstrahi ab alio: ita duæ materie secundum se, & præcisè consideratæ eodem modo distinguuntur, quamvis cum his cohareat, non esse necessarium, ut dictæ materie concipiantur expressè, secundum id, in quo inter se distinguuntur; sed possint concipi secundum id, in quo conveniunt, quamvis ibidem actu inuoluatur implicitè ratio illa, in qua distinguitur, ut constat ex his, quæ in Logica diximus.

39. Ad fundamentum pro secunda parte huius sententia, ut patet ex dictis, quomodo materie ut habet unitatem specificam atomam positivam, non sit accidentale, quod habeat formam, verbi gratia humanam, & in quo sensu hæc specificatio sit illi intrinseca. Ad fundamenta pro secunda sententia, quoad primam eius partem patet ex dictis.

Quoad secundam verò probant nostram secundam conclusionem.

QVÆST

QVÆSTIO IV.

*An materia prima ex se habeat propriam unitatem numericam.*

40. **Q**uæstio hæc ferè decisa manet ex præcedenti. Sed ut Aristot. & D. Thom. mentem explicemus, & aliquibus obiectionis satisfaciamus, eam excitare placuit. Partem ergo affirmatiuam tenent omnes ij, qui materię propriam unitatem specificam, licet incompletam tribuunt, ut ita inter unitatem specificam, & numericam debita seruetur proportio. Probatur primò: materia prima ex se habet componere ens naturale, non solum ut est vnum unitate specificas, sed etiam ut est vnum unitate numerica: ergo ex se est quid singulare; & ex consequenti habet suam unitatem numericam. Vtraque consequentia patet: quia singulare, ut singulare, non constat, nisi ex partibus singularibus, ut tales sunt, ac proinde habentibus unitatem numericam. Antecedens verò etiam constat: quia ut ex dicendis infra disp. 6. ex Aristot. & D. Thoma patebit, sicut materia, & forma in communi constituunt ens naturale in communi: ita hæc materia, & hæc forma pertinent intrinsecè ad hoc ens naturale, ut singulare est.

41. Secundò omnes materię sublunares secundum se sumptæ distinguuntur ad inuicem numero: ergo quælibet habet suam unitatem numericam. Patet consequentia: quia sicut distinctio est inter vnum, & vnum, ita distinctio numerica inter vnum, & vnum, quorum quolibet sit vnum numero. Antecedens probatur: tum quia alia est materia in Ioanne, & alia in Francisco, &c. tum etiam: quia si omnes materię sublunares essent vna numero, cum omnes formæ sint in eis tanquam in subiecto: fieret inde plures formas substantiales non solum numero, sed etiam specie diuersas, esse simul in vno, & eodem numero subiecto, quod ut constat, & infra dicemus, implicat: imò, & hinc fieret nullam posse esse transmutationem, siquidem vna, & eadem materia habet omnes formas.

Confirmatur: Quod est commune pluribus secundum prædicationem, non est vnum numero: sed materia prima est communis pluribus secundum prædicationem, ut si dicas: hæc materia est materia: ergo, &c. Confirmatur tandem: vnum numero est incommunicabile, ut *quo*, & ut *quod*: sed materia communicatur pluribus indiuiduis, de quibus prædicatur: ergo, &c.

42. Dicendum tamen est, materiam primam secundum se, & ex solis suis meritis, non habere unitatem numericam positiuam; sed tantum negatiuam. Ita D. Thom. quæst. 16. primæ partis citata, & opusc. 41. & in 1. dist. 2. q. 1. art. 1. ad 3. & communiter Thomistæ. Et ratio est manifesta ex dictis: quia unitas numerica, & specifica cuiusvis rei debent esse inter se proportionatæ; sed materia prima secundum se nullam habet unitatem specificam positiuam; sed solum negatiuam: ergo idem dicendum erit de numerica. Diximus secundum se, & ex solis suis meritis: quia modò non discutimus, utrum materia, præter hanc unitatem numericam negatiuam habeat aliam positiuam à forma, vel à sigillatione ad certam quantitatem: quia hoc pendet ex pluribus in lib. de Generat. circa principium indiuiduationis dicendis: & idè ibidem hoc explicandum erit.

43. Ex quo inferendum, & dicendum est secundò, omnem materiam primam sublunarem secundum se, seu præcisè sumptam, esse vnā, & eandem numero negatiuè, ita ut non sit plures numero. Hæc

est D. Thom. opusc. 31. citato in hæc verba: *Sciendum est, quòd materia prima dicitur vna numero in omnibus.* Patet etiam ex dictis: quia si præcisè consideretur, non habet unde distinguatur numero: quia non includit actum. Ergo omnes illæ sunt vna numero materia negatiuè: id quod etiam docent communiter Thomistæ.

44. Ad primum initio quæstionis positum respondetur: quòd ut aliquid constituat ens naturale, & singulare, per modum puræ potentie, satis est, esse vnum numero negatiuè, & capax suscipiendi unitatem numericam positiuam, siue à forma, siue à sigillatione ad illam, & ad certam quantitatem, &c. de quo infra loco citato.

Ad secundum patet ex dictis, nihil conuincere, si semel attendatur, tum ad unitatem negatiuam numericam, quam materia ex se habet, tum etiam ad positiuam; quæ ei à toto communicatur. Vnde ad primam probationem dicimus, materiam ut existit à parte rei, & ut habet unitatem positiuam, esse multiplicem numero: secundum se tamen, & negatiuè esse vnā numero. At nihil obest, puram potentiam, quæ ex se non est plures numero, ac proinde est negatiuè vna, plurificari per formam. Per quod etiam patet ad secundam probationem: quia etsi esset plures formas substantiales esse in vna materia, quæ sit vna numero, tam positiuè quàm negatiuè; non tamen in vna negatiuè, & positiuè in pluribus. Neque hinc, ut patet, tollitur transmutatio rerum. Ex quo etiam ad primam confirmationem constat: quia materia sublunaris solum prædicatur de pluribus materiis petri & materia differentibus numero positiuè, ut cum dicimus: materia. Ad vltimam confirmationem respondetur, quòd idem numero positiuè, & in actu, est incommunicabile, non autem idem numero negatiuè, & in potentia.

QVÆSTIO V.

*Utrum materia prima habeat ex se propriam existentiam.*

45. **P**ostquam explicuimus materiam esse ex se ita puram potentiam, ut nullum actum ad ordinem essentię pertinentem intrinsecè includat, siue ille sit physicus, siue metaphysicus; explicandum superest, an etiam taliter sit pura potentia, ut nullum actum existentie afferat.

REFERTVR PRIMA SENTENTIA.

§. I.

**P**artem affirmatiuam tenent ex antiquis Henric. quodlib. 1. quæst. 10. & quodlib. 4. quæst. 16. Scot. Gabr. Gregor. in 1. dist. 12. quæst. 2. & ceteri Nominales: & ex Recentioribus Fonseca 1. Metaph. cap. 7. quæst. 3. sect. 8. Suarez disp. 13. Metaph. sect. 4. & 3. par. quæst. 6. disp. 17. sect. 2. Perier. lib. 5. Physicæ cap. 12. Tolet. 1. Physicorum quæst. 13. Rubio in præsentia, tractatu 1. de materia quæst. 3. & ferè omnes Scriptores Societatis.

Probatur primò: materia, & forma, verbi gratia equi, diuersis fuerunt actionibus productæ, cum illa, per creationem, & ab initio mundi, hæc verò per actionem generatiuam agentis naturalis producta sit. Ergo & diuersas habent existentias; cum enim fieri ad esse terminetur, diuersum fieri ad diuersum esse terminabitur.

46. Secun

46. Secundò: si materia prima propriam non habet existentiam; sed à forma, vel à toto emendicatam; sequeretur eam toties corrumpi, aut generari, quoties composita naturalia, & eorum formæ generantur, vel corrumpuntur. Sed hoc est falsum, quandoquidem, ut infra dicemus est ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo, &c. Sequela probatur: quia res non aliter producuntur vel destruuntur, quam acquiendo, vel amittendo esse existentie at si materia prima existit existentia formæ vel compositi, toties acquirit, vel amittit existentiam, quoties corrupta, vel producta fuerit existentia formæ; vel compositi: ergo toties ipsamet materia destruetur de nouo que produceretur.

Tertiò: materia prima est causa materialis compositi, & formæ; cum hæc ex eius potentia educatur; illud verò ex ea intrinsecè, ut ex potentia constituitur: ergo est prior utroque. Patet consequentia: quia necesse est, ut causa antecedit effectum. Tunc ergo alterius, quando materia utriusque, ut primum subiectum præsupponitur, non est omnino nihil, aliàs generatio fieret ex nihilo, formaque substantialis in nihilo reciperetur. Ergo est aliqua entitas ex se, & non à forma, vel toto existens, quandoquidem, quod non existit, est actu nihil, & quod ante aliud existens est, per illius existentiam existere nequit.

Confirmatur: causa creata sine materialis, siue formalis nullo modo potest realiter causare, quin ipsa prius ab agente causetur, cum antequam produceretur, solum sit pura potentia obiectiua. At omnis efficientia ad aliquod esse existentie terminatur, quandoquidem ex vix illius ponitur res extra causas. Ergo etiam secundum ordinem nature esse existentie causæ materialis, & formalis, eorundem causalitatis supponi debet, sicut & quod sint effectus, est prius in illis, quam quod sint causæ.

47. Quartò, materia prima habet re ipsa propriam essentiam non emendicatam à forma, vel composito, per quam est formaliter extra nihil. Sed existentia non distinguitur ab essentia reali, per quam res extrahitur formaliter extra nihil: ergo etiam habebit propriam existentiam. Consequentia ex se patet. Maior verò constat ex dictis Minor autem probatur: quoniam impossibile omnino est, ut res aliqua constituitur formaliter extra nihil per aliquid à se ipsa realiter distinctum: cum per propriam entitatem à se omnino indistinctam sit formaliter extra nihil. At existentia ponit rem formaliter extra nihil: quia ponit illam extra causas, & eatenus erat nihil; quia erat intra illas. Ergo non distinguitur ab essentia.

Confirmatur, & explicatur hoc ipsum: tum quia ante existentiam, res erat nihil, & hoc ipso quod existit, iam est aliquid: ergo per existentiam fit extra nihil: tum etiam, quia rem esse aliquid in se ipsa, est habere esse extra causas, & idèd quandiu est intra illas, tandiu est in se nihil. At esse existentem, est formalitè esse extra causas: ergo esse in se aliquid, & esse existens, non distinguuntur realiter.

#### PROPOSITIO SENTENTIA

D. Thoma, & expeditur primum illius fundamentum.

#### §. II.

48. Dicendum est tamen, materiam primam nullam prorsum, habere existentiam: sed eam solum, quam à forma, & toto composito emendicat. Ita Boëtius opusc. de unitate, & vno, D. Bonavent. in 2. dist. 2. 2. quæst. Capreol. in 2. dist. 13. q. 1. Caiet.

de ente & essentia c. 5. q. 8. Fetrara 1. contra gent. c. 4. & 1. Physic. quæst. 1. 1. Soncinas 7. Metaph. quæst. 17. & lib. 8. quæst. 1. label. 5. Metaph. quæst. & lib. 8. quæst. 1. & tandem hæc fuit constans & perpetua sententia in schola D. Thom.

49. Probatur primo auctoritate Arist. & de Thom. Nam Aristot. 5. Metaph. text. 15. inquit: Animam esse causam existentie materiz similiter. D. Thom. hoc ipsum sæpè docet, maxime 2. p. q. 7. art. 2. ad 3. vbi habet: *Materia non existit in rerum natura per se ipsam cum non sit ens in actu: sed potentia tantum: unde magis est aliquid concreatum, quam creatum.* Et quæst. 4. de potent art. 1. in corpore inquit: *Quidquid in rerum natura inuenitur, actu existit, quod quidem non habet materiam nisi per formam. quæ est actus eius.*

Respondet aduersarij, solum velle Doctorem Angelicum, materiam non habere existentiam, per quam naturaliter possit esse actu sine forma. Sed contra est, nam si attente legantur dicta testimonia, manifestè apparebit, illis aliquid amplius quam dependentiam in existendo significari, aliàs etiam idem de forma materiali, imò de composito, quod sine materia non potest existere, dici posset. Vnde ipse S. Doctor. 1. 2. q. 94. art. 5. ad 2. quasi mentem suam contra hos Auctores explicans, sic ait. *Idem esse formam, & materiam, & hoc quidem est esse compositi.* Quod etiam docet in 2. dist. 1. q. 4. ad 2.

50. Deinde probatur ratione. Hoc ipso quod aliqua res sit existens, est ens in actu: ergo si materia propriam habet existentiam, & similiter forma suam, quælibet earum erit ens in actu, etiam in illo priori in quo toti & adinuicem præsupponuntur. Ergo in illis non poterit fieri vnum per se, quale est compositum physicum à parte rei existens, & ex materia & formaque coalescens. Hæc vltima consequentur patet ex illo vulgatissimo inter Philosophos axioma: *Ex pluribus entibus in actu non potest fieri vnum ens per se.*

Respondent aduersarij, quod licet ex pluribus entibus quorum quodlibet sit in actu per existentiam completam, non possit in ratione existentis fieri vnum per se; se quia iam vnumquodque illorum omne complementum secundum hanc rationem habet; bene tamen ex pluribus, quorum quodlibet existentiam habeat partialem, & incompletum, quia tunc vna existentia comparatur ad aliam ut perfectibilis & alia ut perficiens, intra idem genus; at existentie materiz, & formæ sunt particule, & incompletæ, & ita bene potest ex eis resultare per compositionem physicam vnum per se etiam in ratione existentis.

51. Sed contra; nulla existentia potest se habere ut potentia respectu alterius existentie: ergo ex nullis existentis potest fieri vnum ens per se compositione physica. Patet consequentia: quia hæc compositio nequit esse, nisi vnum extremum habeat se ut potentia realiter respectu alterius: sicut nec potest dari compositio metaphysica, quæ est secundum rationem, & fundata supra physicam, nisi vnum extremum habeat se per modum potentie secundum rationem.

Antecedens, in quo est difficultas, probatur: tum quia etsi vna, & eadem res possit esse in diuerso genere, & ordine actus, & potentie: non tamen in eodem. Vnde quia forma substantialis in ordine existentie est actus; idèd in hoc ordine nequit esse potentia, licet in ordine subsistendi, & existendi possit comparari per modum potentie respectu actuum subsistentie, & existentie. Sed quævis existentia est actus in ordine existendi, ut ex se patet, & ex D. Thoma statim dicemus: ergo non poterit in eodem

dem ordine esse potentia. Tum etiam, quia existentia ex proprio, & formali conceptu suo est ultimus terminus substantialis ubicumque inueniatur, ut ex eodem Angelico Doctore statim ostendimus. Et ideo eo ipso quod intelligatur res existens, intelligitur etiam ultimum terminata, & completa generatio substantialis illius. Ergo existentia ubicumque inueniatur, est ultimus actus substantialis rei, ac proinde repugnat quod habeat rationem potentiae respectu alterius actus, aut termini substantialis.

§ 2. Deinde quia repugnat inueniri in aliqua rationem differentialem, seu ultimam, quæ sit ignobilior ratione superiori eiusdem, ut indicat Arist. 8. Metaph. text. 10 & docet D. Thom. de spiritualibus creaturis art. 8. ad 9. & 1. p. q. 50. art. 5. ad 1. quandoquidem ratio inferior comparatur per modum actus respectu superioris. Ergo repugnat existentiam materię comparari per modum purę potentię respectu alterius existentię.

Pater consequentia: quia si semel illa existentia est potentialis respectu existentię formę, iam hæc potentialitas erit conceptus ultimus illius: ergo non poterit contrahere conceptum existentię, ut sic, qui est conceptus cuiusdam actus ut talis, & valde actualis, ac proinde vincens in perfectione rationem purę potentialitatis.

Accedit, quod hoc ipso, quod aliquid secundum suam ultimam rationem sit potentia respectu alterius, nequit in ea imbibere ratio actualitatis, & actus: ergo neque esse existentia. Pater antecedens: nam sicut ratio potentię ut sic, nequit imbibere in actu, quatenus actus: ita neque ratio actus in potentialitate, quatenus potentialitas est. Ergo si existentia materię ut comparata cum existentia formę habet se ut potentia respectu illius, secundum istam rationem nequit imbibere rationem actus, ac proinde neque esse existentia.

§ 3. Et potest tota hæc doctrina, & ratio ex illa confecta elucidari, & confirmari expressis testimoniis D. Thom. Nam q. unica de Anima art. 6. ad 2. definiens esse seu existentiam inquit: *Quod ipsum esse est actus ultimus qui participabilis est ab omnibus, ipsum autem non participans.* Quod magis explicat de potentia q. 7. art. 2. ad 9. dicens: *Neque intelligendum est, quod ei, quod dico esse aliquid addatur, quod sit eo formaliter ipsum determinans sicut actus potentiam.* Et paucis inæxpositis: *Vnde non sic determinatur esse per aliud, sicut potentia per actum sed magis sicut actus per potentiam: nam & in definitione formarum ponuntur propria materia loco differentie, sicut cum dicitur: quod anima est actus corporis physici, & organici, &c. per hunc modum hoc esse ab illo esse distinguitur inquantum est talis, vel talis natura.* Quam doctrinam tradidit etiam 1. part. q. 3. artic. 4. & quæst. 4. artic. 1. ad 3. nec non quæst. 5. articulo 1. & alibi sæpè.

§ 4. Deinde impugnatur eadem solutio, ostendendo implicare, quod dentur existentię partiales: sed omnem existentiam, vel non esse talem, vel esse perfectam. Tum quia ratio præcedens id conuincit: quia si semel darentur, una earum haberet se per modum potentię respectu alterius: tum etiam quia existentia non tam habet rationem formę, quam termini naturę: & ideo verbum respectu humanitatis Christi habet rationem puri termini, ut docent communiter Theologi cum D. Thom. 3. p. quæst. 1. Ergo nequit physicè esse composita, & diuisibilis, ac proinde nec dari existentię partiales. Pater prima consequentia: quia quod est terminus alterius, caret ea diuisibilitate, & compositione, quam habet res terminata. Vnde quia linea terminat superficiem diuisibilem secundum latitudinem, ideo caret diuisibilitate secundum

latitudinem. Ergo quod terminat compositum substantialiale, quod est diuisibile in partes physicas, & per modum actus, & potentię se habentes, caret hac compositione, & diuisibilitate.

## DISCVTITVR SECVNDVM fundamentum vera sententia.

### §. III.

§ 5. Secundo principaliter probatur assertio. Existere est rem esse extra causas, ut ex nominis etymologia, & definitione constat: ergo prius intelligimus causas exercuisse causalitates suas, seu esse in ultimo, ut sic dicamus, exercitij causalitatis, quam rem existere. Pater consequentia: quia res non est extra causas, nisi quia ab illis exiit mediis causalitatibus, quæ sunt veluti egressus, seu exitus & ab eisdem, unaquæque in genere suo. Prius ergo intelliguntur exercitæ causalitates, seu esse in ultimo talis exercitij quam rem extra causas esse, proindeque quam rem existere. At quod his causalitatibus mediis, eisque præsuppositis modo dicto à causis egreditur totum est, non partes. Ergo solummodo totum propriam habebit existentiam. Minor probatur: tum quia id solum, præsuppositis causalitatibus omnium causarum ab illis exiit, quod finitis causalitatibus tandem est. Hoc autem solummodo est totum: quandoquidem eo productio quiescunt omnes causæ, & usque dum illud producat, non censentur causalitates deuenisse ad ultimum sui exercitij: ergo, &c.

Illustratur hæc ratio: quia dum causalitates exercentur, neque ad ultimum sui exercitij deueniunt, semper censetur effectus vnitus causis, ac proinde nondum existens, ut potè qui ab eis in primo sui esse adhuc pendet, nec extra illas iam exiit, sed est ut sic dicamus in egressu. At usque dum causæ attingant totum, causalitates earum semper sunt, ut sic loquamur, in exerceri, nec ad ultimum sui exercitij deueniunt: ergo nondum existentiam communicant.

§ 6. Respondent aduersarij ad productionem cuiuslibet compositi naturalis desiderari vnicam totalem actionem, & plures partiales habentes se per modum actus, & potentię. Vnde sicut partes suo toto priores sunt, sic & illæ causalitates partiales censentur prius exercitæ, quam totalis, proindeque per eas existentia partialis prius in partibus producta intelligetur, quam existentia totalis toti adueniat.

Sed contra: nam in primis falsum est dari prædictas actiones partiales habentes se per modum actus, & potentię: ut constat ex his, quæ diximus ad probandum impossibiles esse existentias partiales, quarum una se habeat per modum actus, & altera per modum potentię. Quoniam ferè omnia, quæ ibidem adduximus, quæ probant impossibilitatem in prædictarum actionum, ut potè cum omnis actio sit ultimus actus in ordine agentis, sicut quævis existentia in ordine existendi: ergo, &c.

§ 7. Deinde: quia etiam si gratis concederemus dari illas actiones partiales, adhuc argumentum rectè intellectum manet in sua vi. Nam ad hoc ut existentia effectus causetur, non solum requiritur: quod hæc, vel illa causalitas exercita sit; sed etiam ut omnes causalitates, & dependentiæ modi ad primum esse effectus requisitæ perueniant ad ultimum sui exercitij. Sed usque dum essentia totius adsit, & actio totalis ultimum sui exercitij attigerit, nequit materia esse extra omnes causalitates, & dependentiæ modos: ergo nec per illam actionem partialem insufficienter causari, ut existat.

Consequen

## 24 Disp. III. de Materia prima, Quæst. V.

Consequentia patet. Maior verò probatur ex definitione existentie. Non enim definitur existentia (ut ipsi aduersarij fatentur) quò sit *id, quod res est extra causam*, sed, *id quo res est extra suas causas*. Vnde vsque dum causalitates omnes, & dependentie modi ad primum esse requisiti finiantur, oportet ut sicut effectus non erit extra causas, sic neque existens. Maxime quia sicut ob dependentiam existentie à causa efficiens debet effectus esse extra causalitatem hanc, ut existat; ita ex eo quòd eadem existentia, non minus ab illis causis, aliisque rebus saltem conaturaliter pendet, oportet, ut nisi omnes hæ causalitates, & dependentie modi finiantur: nequeat prædicta existentia in rerum natura inueniri. Non enim causa efficiens causat effectum, & existentiam illius per positionem sue entitatis in illo; sed per positionem aliorum quouis modo requisitorum ad eandem existentiam.

§ 8. Minor verò etiam constat: quia materia secundum omnia, quæ habet; imò & actio illa partialis, quæ fingitur ad eam terminata, debet pendere ab ipsa forma, & à toto composito: & consequenter ab alia actione partiali forme productiua, nec non ab existentia totius: alioqui sine illis posset in rerum natura nullo præsupposito miraculo inueniri. Ergo vsque dum omnes hæ causalitates, & dependentie modi intelligantur exhaustæ, non potest censerì, quòd materia sit extra omnes causalitates, & dependentie modos, quos prærequirit: & consequenter etiam si admitteretur illa actio partialis ad materiam terminata, non posset in illo priori, in quo præsupponitur, causare sufficienter materiam, ut existat. Ex quo etiam non parum efficaciter huius actionis partialis impossibilitas colligitur.

Nec vim huius nostræ impugnationis aliquo modo infringit obiecto quædam, quæ contra eam statim sese offert scilicet ex illa sequi, quòd productio totius physici possit non illi communicare existentiam, quo vsque adsint accidentia omnia, sine quibus nequit conaturaliter esse: quandoquidem quo vsque illa sint, non possunt esse finitæ omnes causalitates, & dependentie modi ad esse totius requisiti: sed hoc, ut constat, est omnino falsum: ergo, &c.

§ 9. Respondetur enim negando sequelam. Quia satis est, ad hoc ut totum sit existens, quòd sit extra suam causam efficientem, & extra omnes causalitates & dependentie modos proprii generis: id quod ex natura ipsius existentie substantialis satis colligitur. Nam hæc, & est ultimum complementum essentie, & perficit illam in proprio genere. Vnde sicut ex quo capite est complementum proprii generis debet aduenire ante alia extranei generis, ac proinde ante accidentia: ita ex quo capite est ultimum complementum, debet statim esse post omnia alia proprii generis. Maxime, quia dependentia totius ab accidentibus est dependentia ab alio, ut in re inexisterente, ac proinde innitente alio, ut in re prius, & simpliciter existente. Sed dependentia totius à partibus: vel materie à forma, vel à toto in ordine ad existendum, est dependentia ab aliquo dante propriam specificationem, vel intrinsecè complente: & ideo ut totum, vel materia existat, debet esse extra hos; non verò extra illos dependentie modos.

*Occurritur aduersariorum oppositionibus.*

### §. IV.

60. **A**D argumenta pro prima sententia initio posita responderetur. At primum concessio antecedenti, neganda est consequentia; quia so-

lum ea, quæ per se producuntur, accipiunt propriam existentiam ex vi sue productionis. Materia verò non est per se, & sola producta; sed composita ad productionem totius, una cum forma. Vnde non accipit propriam existentiam, sed solam coexistentiam in toto. Ex licet hinc sequantur, quòd existentia, quam tunc habuit sub prima forma, sit distincta ab ea, quam modo habet sub forma equi: quia est pars distincta compositi, & per distinctam actionem ad distincta tota terminata, fuit illi prædicta existentia communicata; non tamen quòd dum est sub forma equi, existat per distinctam existentiam, ac ipse equus: quia ad hoc requirebatur, quòd peteret propriam, & distinctam actionem per quam fieret. Sed circa hæc videantur ea, quæ disp. 4. num. 39. & 40. dicemus.

61. Ad secundum neganda est sequela. Et ad eius probationem dicendum, quòd corrumpi non est utcumque amittere esse; sed ita illud deperdere, quòd in eodem instanti, loco illius alia existentia tali rei non communicetur. Est enim corruptio transitus ab esse ad non esse: & generatio à non esse ad esse. Vnde quia materia prima in eodem instanti, in quo amittit unam formam, aliam de nouo acquirit à qua existentiam habet: ideo nunquam transit ab esse ad non esse; sed ab vno ad aliud esse. Estque hoc maxime consonum nature communis subiecti, quòd sub omnium formatum esse seu existentia, hoc ipso quòd illis commune est, petit manere. Quòd è conuerso in forma substantiali contingit. Quæ hoc ipso quòd alia forma de nouo materie adueniat; statim perit.

62. Ad tertium responderetur, concedendo primam entymema; & primum antecedens secundi: neganda tamen est consequentia. Quamuis enim per se agere ut efficiens, præsupponat necessariò existentiam: actiones enim sunt existentium, & sustentium; ad hoc tamen ut aliquid rationem primæ causæ materialis vel formalis habeat, & ut talis causet, non est necesse ut illo priori in quo causat, existat: satis enim erit, si pro illo priori sit extra nihil essentie, & in eodem instanti temporis una cum composito, & per illius existentiam existat.

Cuius ratio est: tum quia genus causæ materialis est genus potentialitatis. Vnde non potest exerceri à materia ut existens est reductiuè, & formalissimè loquendo, quando quidem existentia est vltima actualitas: imò & valde perfecta. Tum etiam quia cum hæ receptio, & causalitas, sit respectu fieri, & respectu entis naturalis, prout nondum in suo esse in se, & extra causarum dependentiam est; sed prout habet primum esse essentiale ex partialibus essentiis materie, & forme compositum: ac proinde prout est in *egredi*, & fieri, non requiritur; imò non potest esse pro tali priori, existentia, quæ est vltimus terminus substantialis generationis: sed satis est, quòd pro illo priori reuera sit realitas essentie, quæ est quasi via quædam ad actualem existentiam, seu sustentiam entis in se, & extra causas suas.

Explicatur magis: quia id habent suo modo in illo priori causæ intrinsecæ quòd pro illo eodem priori ponunt intrinsecè in toto, quòd est effectus eorum. Ergo cum pro illo priori tantum ponant essentiam totius, fit inde, ut satis sit illis tunc habere essentiam, quamuis etiam connotent existentiam in illo eodem instanti reali emendicam à toto. Cæterum, quid dicat essentia actualis prout distincta ab existentia, & quomodo ut sic considerata propriam habeat realitatem, & non formalitèr emendicam ab existentia; statim dicemus in solutione ad quartum.

63. Ad confirmationem responderetur, quòd licet



licet in illo priori, in quo materia secundum suum esse essentia realis causat formam, & compositum, intelligatur quasi extra causam efficientem, adhuc tamen non concipitur in statu sistenti; quem nomen existentia significat; sed, ut sic, dicamus, in statu viali, & in *egredi*: sicut solum habet tunc causare compositum ipsum, ut in *egredi*. Vnde tam ipsa quam compositum solum intelliguntur habere à causa efficiente suam essentiam realem, non verò existentiam, per quam constituuntur in esse omnino extra causas. ac proinde in esse quasi stante, & sistenti. Quia sicut materia prima est tunc primò in *egredi*: ita debet solum illi communicari ab agente id, quod est in ipsa omnino primum, scilicet suum esse essentia realis. Quamvis, ut iam diximus in eodem instanti temporis, diuerso tamen, & posteriori naturæ, debeat necessariò habere ab agente, tam actualitatem specificationis positiuæ prouenientem à forma, quam esse existentia ab eadem, & à toto emendicatam.

Cum autem dicimus materiam, v. g. esse tunc in *egredi*, non est ita intelligendum quòd secundum suam puram potentialitatem nudè consideratam, partim sit intra causam, & partim extra; sed quia licet tunc totam suam puram potentialitatem essentiali habeat ad agentem: non tamen omne id, quod intra proprium genus substantia debet in instanti generationis habere: quia deest illi tum actualitas ad ordinem essentia spectans, quam participat à forma, tum etiam existentia, seu coexistentia, in toto, per quam constituitur omnino extra causas. Ac proinde, usque dum omnia hæc habeat ab efficiente, semper censetur vnita illi, nec ab illius dependentia omnino intra proprium genus absolui, & consequenter, neque esse existens.

64. Ad quartum concessa maiori in sensu statim explicando, neganda est minor. Quia in creaturis essentia, ut re ipsa, & in se est, aliquid distinguitur realiter ab existentia, ut latius alibi dicemus, & docet D. Thom. 1. p. q. 3. art. 4. & q. 44. art. 1. & 54. art. 1. nec non & 2. contr. Gent. c. 52. & alibi sæpè. Imò essentia actualis, ut talis, etiam ratione suæ actualitatis, distinguitur realiter ab existentia, si loquamur non de actualitate vltima: sed de actualitate realiter viali, & ad rationem essentia pertinente; quia totum suppositum, ut includens actualitatem essentiali formæ & materia, ut actuata per illam intelligitur esse in quadam substantiali tendentia ad actualitatem existentia substantialis.

Vnde essentia realis, aut actualis actualitate ad ordinem essentia pertinente, & ut terminata per subsistentiam, est id, quod realiter recipit existentiam: non verò quid ex illa essentialiter constitutum: estque id, quod ratione propriæ essentia directè correspondet prædicatis quidditatiuis possibilibus: non verò existentia. Quare, quia essentia hominis, ut erat sub statu possibilitatis, consistit in hoc, quòd sit animal rationale: idè essentia illius realis, & actualis, actualitate ad ordinem essentia spectante, est id, quod re ipsa, & actualiter importat hæc prædicata. Existentia verò solum dat, quòd hæc eadem essentia, quæ in priori antecedenti importabat re ipsa hæc eadem prædicata prout in *egredi* ab agente, habeat vltimam actualitatem, per quam constituatur omnino extra causas, & consequenter in facto esse, & in statu sistentia.

65. Neque obest quidquam probatio ibidem adiuncta: nam id, quod modò est aliquid, idè erat antea nihil, quia ita erat in causis, ut non sit extra illas; neque in fieri; neque in facto esse. At existentia solum tribuit rei, quòd sit formaliter in facto esse, non

Colleg. Compl. Physic.

verò quòd sit in fieri, seu in via ad vltimam perfectionem substantialem.

Nam essentia hominis, v. g. se ipsa formaliter; connotando tamen existentiam in eodem instanti reali, & in alio posteriori naturæ illi conuenientem, terminat tunc primò illud fieri, & idè se ipsa formaliter est aliquid, licet effectiue habeat totum hoc ab agente.

Vnde constat essentiam, ut actualement ut actualitate realis essentia habere quasi medium quendam statum inter duos alios extremos, quorum alter est status purè possibilitatis, in quo essentia est actualiter nihil.

Alter verò est status existentia, in qua tanquam in vltimo substantiali termino desinit, & quiescit totus hic substantialis processus. Cum tamen eadem natura in illo mediò quasi statu sit in egressu à priori, & non in progressu ad posteriorem.

66. Ad confirmationem constat ex dictis. Nam ad primam illius probationem dicendum est: non idè res abire in nihilum pereunte existentia, quia existentia det formaliter essentia, quòd sit aliquid: sed quia requiritur, ut diximus, per modum connotati ad hoc quòd essentia sine extra suum essentiali nihil.

Diximus *extra suum essentiali nihil*: quia quòd res sit omnibus modis extra nihil completè, prouenit formaliter ab existentia quia est vltima rei actualitas; & ita sicut agens communicat effectui essentiam actualement, dum eius causalitas intelligitur quasi in sui initio, & ob id dicimus effectum, ut est *ingredi*, habere suam essentiam actualement licet talis essentia distinguitur à suo fieri, sic communicat existentiam, dum intelligitur eius causalitas esse in vltimo sui exercitij per se primò intenti; quia existentia est vltimum complementum substantiale vltimaque actualitas substantialis cuiuslibet rei.

67. Ut autem hoc plenè intelligatur, & sic euanescent ferè omnia, quæ ab aduersariis indefessè obijciuntur, aduertere oportet: quòd in eodem instanti temporis causa efficiens producit essentiam, & existentiam; existentia verò actuat essentiam, rursusque essentia recipit illam.

In hoc tamen instanti temporis distinguit intellectus cum fundamento in re plura instantia naturæ, in quibus omnia ista habent rationem prioris, & posterioris in diuerso modo. Nam in genere causæ efficientis prius est efficiens operari, quàm effectum esse productum. Et in ipso effectui prius est existentiam in genere causæ quasi formalis actuare essentiam, & rursus in genere causæ materialis est prius essentiam recipere existentiam, quàm existentiam actuare illam.

Quo sit, quòd sicut res est omnino nihil, quando omnino est intra omnes suas causas, & omnibus modis aliquid, quando est omnino extra omnes illas: ita intelligitur esse quodammodò nihil, & quodammodò aliquid, quando intelligitur esse aliquo modo extra vnā, & non intelligitur esse extra aliam. Quia ex qua parte intelligitur modo dicto esse extra aliquam, vel aliquas, ac proinde est in illo, quasi statu medio, quem iam descripsimus, & valdè notari optamus, intelligatur esse aliquid, & ex qua parte intelligitur esse extra aliquam aliam, intelligitur esse nihil, quoad id, quòd ab illa causa habitura est in genere, & in ordine illius.

68. Hinc ergo dicimus, quòd realiter aliquando, & in eodem instanti essentia vna cum existentia terminat actionem agentis. Cæterum, prout essentia intelligitur esse extra efficientem saltem in fieri, & nondum extra causalitatem formalem existentia, ac proinde neque etiam omnino extra causalitatem efficientis, censetur esse aliquid in se, quodammodò nihil. Quia nòdum intelligitur esse extra causalitatem

C forma

formalem existentiam, ac proinde neque extra causalitatem efficientis in facto esse, & dum intelligitur esse extra causalitatem formalem existentiam, & consequenter omnino in facto esse, extra causalitatem efficientis, & omnium suarum causarum intelligitur esse omnibus modis aliquid; quia intelliguntur iam exhaustæ omnes causalitates: ex quo, & ex dictis ad quartum patet solutio ad secundam probationem huius confirmationis.

## QVÆSTIO VI.

*Num materia prima per diuinam potentiam possit existere sine forma.*

**Q**uartus decisio huius quæstionis ex his, quæ in præcedenti tradita sunt, ferè constet, eam tamen discutimus, ut sic argumentis, quibus vera D. Tho. doctrina labefactatur, satisfiat.

*Refertur opinio affirmans.*

### §. I.

69. **P**artem affirmatiuam tenent ferè omnes, qui præcedenti quæstione materiam propriam existentiam tribuerunt. Et probant primò, existentiam non esse à forma, tanquam à causa formali, & multominus, ut à causa materiali intrinsecè illam constituentem: est enim existentia teste D. Thom. opusc. q. præced. citato, simplex quid: ergo solum pendebit à forma, ut à causa extrinseca.

Sed quidquid quævis causa secunda extrinseca præstat, potest Deus sua virtute illud supplere; siquidem causalitas harum causarum, non habet sibi intrinsecè annexam ullam imperfectionem: ergo poterit tunc materia, sine forma existere.

Confirmatur, quia existentia ad summum erit effectus secundarius formæ, siquidem effectus primarius illius tantum est tribuere esse essentia. Sed effectus secundarius formæ bene potest suppleri à Deo, imò & de facto illum supplet in mysterio Incarnationis, ubi materia humanitatis Christi existit, & non per existentiam fluentem à forma; sed per existentiam increatam Verbi diuini, ut docet D. Thom. 3. p. q. 17 art. 2. ergo, &c.

Secundò, magis pendet accidens à substantia, quam materia à forma; sed illud potest Deus à substantia separare, ut in sanctissimo Eucharistiae sacramento satis patet: ergo, & formam à materia separatam conseruare poterit. Maior etsi satis sit clara, suadetur sic. Materia ut potè substantia, saltem partialis longè perfectior est accidentibus. Ergo, minus pendens: dependentia enim imperfectionis nota est, proindeque quod fuerit perfectius, erit magis immune ab omni dependentia.

Tertiò, materia est entitas absoluta, realiter à forma distincta, priorque illa: ergo poterit ab ea separari.

Patet consequentia, tum quia non est aliud signum realis distinctionis inter duo, nisi possibilis eorumdem separatio, saltem per potentiam absolutam: tum etiam quia prius hoc ipso quod tale, non pendet à posteriori: ergo, &c.

Confirmatur, in Deo est distincta idea materiam & formæ, ergo nihil verat quod Deus utatur idea materiam ad producendum illam, sine eo quod utatur idea formæ.

Antecedens probatur, tum quia sicut sunt inter se realiter distinctæ, ita petunt exemplaria distincta: tum

etiam, quia quod per se est intelligibile, per se etiam habet ideam, at materia est per se intelligibilis: quia est per se ens, & intelligibilitas est passio entis: ergo, & habet per se ideam.

*Sententia D. Thoma defenditur.*

### §. II.

70. **N**ihilominus dicendum est, implicare contradictionem, materiam esse sine forma: Ita D. Th. 3. contra Gentes c. 4. 1. p. q. 66. art. 1. & quodlib. 3. art. 3. quem sequuntur Thomistæ, & omnes Doct. pro nostra sententia in quæst. præcedenti relati.

Probatur primò ratione desumpta ex eodem S. Doct. 1. p. q. 66. citata, & quodlib. 3. art. 1. ubi ex professio hanc sententiam probat & defendit. Quæ ratio ad hanc formam potest reduci. Si materia existeret sine forma, esset actu sine actu. At hoc aperte implicat: ergo, & cætera.

Sequela probatur: nam esset actu, quippè quæ haberet actum existendi, & esset actu sine actu: quia ut supponitur non haberet ullam formam, quæ quidem est actus materiam: ergo, &c.

Respondent aduersarij committi in hac ratione apertam æquiuocationem, & variationem suppositionis: quia dum in ea dicitur fore materiam in actu, sumitur actus pro actu existendi: dum verò additur futuram esse in actu sine actu, sumitur actus pro forma substantiali.

Vnde etsi implicet esse in actu existentiam sine existentia, aut in actu essentiali proveniente à forma sine forma: non tamen esse in actu existentiam, sine actu illo essentiali, qui à forma indispensabiliter emanat.

71. Cæterum, solutio hæc falsa est, & omnino insufficientis ad infirmendam rationem D. Tho. Quia in hoc quod materia sit sine actu formali, virtualiter continetur fore in actu existentiam, sine ipso actu existendi. Quod sic ostenditur: quia ordo essentia distinguitur realiter ab ordine existendi. (ut quæst. præced. innuimus, & alibi Deo dante dicemus: ) & insuper ab intrinseco importat esse priorem ordine existendi, & ad illum inuertibiliter supponi. Ergo actus, qui ad ordinem essentia per se pertinet, prior erit illo, qui ad ordinem existendi spectat, & ad illum indispensabiliter supponitur. At forma substantialis est actus pertinet ad ordinem essentia, sicut existentia est actualitas spectans ad ordinem existendi: ergo materiam esse in actu per formam substantialem, necessariò debet supponi ad hoc, ut sit in actu existendi per existentiam; & ex consequenti in hoc quod materia 1. sit existens sine actu formali formæ substantialis, virtute continetur, quod existat sine actu existentiam.

Prima consequentia ex se patet. Nam cum isti ordines habeant essentialem subordinationem, ita ut nisi supponatur ordo essentia, nequeat ordo existendi subsequi, consequens est, ut actus talium ordinum habeat inter se eandem essentialem subordinationem.

Minor autem statim subsumpra quoad primam eius partem etiam constat. Tum quia eam docet Arist. 2. de Anima text. 2. & 5. ubi etiam D. Th. Tum quia ut q. 1. huius disp. ostendimus, materia ex se nullum habet actum etiam entitatum pertinentem ad ordinem essentia; ergo sola forma substantialis erit actus illius ad ordinem essentia spectans. Quoad secundam verò partem non indiget probatione: nam semel supposita distinctione inter essentiam & existentiam, evidens est existentiam esse actum ad ordinem existendi spectantem.

72. Confirmatur primò, materia prima inter omnia

omnia creata habet esse ex se maximè potentiale, ac proinde nihil actualitatis, seu actus includens, quippe quæ est pura, & prima potentia. Sed existentia est maxima omnium actualitas, & ferè nihil debet admixtum potentialitatis, utpotè quæ est participatio rationis formalis in Deo inuentæ omnium actualissimæ.

Ergo ut hæc potentia reddatur proportionata ad recipiendam existentiam, quæ est ultimus actus, necesse est ut mediet forma substantialis, & specificatio ab ea desumpta, quæ aliquid actualitatis, & aliquid potentialitatis habet. Non enim ad maximam omnium actualitatem nisi per inferiorem, neque ad actum ultimum nisi per intermedium, gradatim deueniri potest.

Confirmatur secundo, quia ut communiter dicunt Thomistæ, idè implicat contradictionem, essentiam diuinam ut habet rationem speciei intelligibilis, vñiri intellectui beatorum, nisi prius actuetur lumine gloriæ: quia intellectus creatur, in genere intelligibili, habet esse puram potentiam, & ipsa essentia diuina, ut rationem speciei intelligibilis supplet, est perfectissimus actus: proinde, ut in intellectu beati, sit sufficiens proportio & aptitudo respectu talis, speciei debet disponi & proportionari per lumen gloriæ, quod & diuinum ordinem attingit, & habet actualitatem admixtam cum potentialitate.

Ergo cum materia prima sit pura potentia in genere entis non poterit esse capax perfectissimæ actualitatis existentie, nisi prius præsupponatur alia actualitas essentie, quæ sit via ad ipsam consequenter ex negatione talis actualitatis ad ordinem essentie spectantis bene colligitur negatio actualitatis existentie. sicut quia esse rationale importat summam actualitatem essentialem, quæ intra latitudinem substantie materialis potest inueniri, ideo ex eo, quod non medient alij gradus inter ipsam & rationalitatem, optimè inferitur non posse per rationalitatem contrahi.

73. Secunda ratio principalis pro nostra assertionis desumitur ab inconuenienti, quod ex opposita sententia sequitur, scilicet esse aliquid in rerum natura sub certo genere, quod sub specie aliqua non sit, quod est omnino impossibile, ut ex se patet.

Sequela probatur, quoniam si daretur in rerum natura materia nuda ab omni forma; tunc esset sub genere substantie & corporis, cum ex se sit pars substantialis compositi physici, & cum sit nulla esset forma, sub nulla etiam specie containeretur, quandoquidem hæc à forma sumitur. Daretur ergo sub genere, non sub specie.

Occurrit Rubio in hoc lib. tract. de Materia, q. 5. quod etsi ens completum, & quod ex se indiuiduum est, non possit etiam per diuinam potentiam à parte rei inueniri, quin sub aliqua sit specie atoma, attamen ens incompletum, & quod ex se indiuiduum non est, sed indiuidui pars, quale est materia prima, non postulat ex se atomam speciem; sed subalternam solummodo videlicet corporis.

74. Sed contra, nam in primis hæc solutio satis impugnata manet ex his, quæ præcedenti ratione adduximus. Deinde, quia etiam si concedamus huic Auctori materiam dum existit, non esse indiuiduum partiale, sed solum partem indiuidui; adhuc tamen negati non posset, quod si semel ponitur existens, sit singularis pars compleri indiuidui, quandoquidem si esset pars communis, implicaret à parte rei existere. Ergo implicat res ipsa, & physice immediatè collocari seu pertinere ad speciem subalternam corporis, & sic existere.

Probaturs consequentia, idè repugnat indiuiduum completum immediatè sub genere poni, quia inter utrumque mediat species. Sed inter principia generis,

*Colleg. Compl. Log. ica.*

& indiuidui, necessariò mediant principia speciei ut talis: ergo sicuti ob illud, non potest re ipsa dari indiuiduum completum, participans immediatè rationem generis: sic neque poterit realiter dari incompletum, seu partem indiuidui (ut ipse loquitur) immediatè sub genere positam.

75. Quare aliter responderi Suatez disput. 15. suæ Metaph. sect. 9. & cum eo ferè omnes ex sua familia, quod etsi repugnet aliquod existere, quod sit sub genere, & non sit sub specie atoma siue completa, siue incompleta, non tamen quod habet suam specificationem incompletam, ut in materia contingit.

Sed neque hoc satisfacit: tum quia ut multis probauimus supra in hac disp. n. 27. & deinceps, repugnat materiam ex se habere aliquam unitatem specificam & posituam etiam incompletam; sed hæc necessariò debet provenire à forma: tum etiam, quia etsi fundamentum illius verum esset, adhuc tamen requireretur in materia ad existendum ulterius specificatio à forma proueniens, propter essentialem subordinationem inter existentiam & actum, ad ordinem essentie pertinentem, ut ex dictis num. 71. & 72. constat.

*Soluntur argumenta prioris sententia.*

## §. III.

76. **A**D primum ergo primæ sententia respondetur, existentiam materiae quantumuis simplicem esse effectum formalem formæ non quidem primarium, sed secundarium. Nec ad hoc ut sic sit effectus est necessarium ut intrinsecè componatur ex forma; sed satis erit si ex vi primarij (modo alibi dicendo) subsequatur. Vnde essentialiter præsupponit effectum primarium ipsius formæ in materia, proindeque & formam eidem unitam. Quare licet effectus secundarius existendi aliena possit existentia suppleri, non tamen si primarius, qui sine forma esse nequit, non supponatur, ut explicatum est.

Quare, Deum supplere hunc effectum secundarium, non est quod talis effectus ponatur in aliqua re absque primario ut contingeret, si poneretur materia existens absque omni forma: sed quod loco ipsius effectus secundarij substitueretur aliquid supplens vicem illius ut contingit in Incarnatione, ubi & datur materia æternata per formam, & loco substantie & existentie creatæ subrogatur diuina. Per quod patet ad confirmationem.

77. Ad secundum responderetur negando maiorem cum D. Thoma, quod lib. 3. art. 1. magis enim dependet, ut bene notauit Caiet. de Ente & Essentia, c. 5. q. 8. pura potentia ab actu, quàm actus imperfectus à perfecto: etenim accidentia rationem habent actus & formæ; in suo ordine completæ, & idè ad determinatam pertinent speciem, tanquam quid in illa specie, aut genere ponibile directè.

Vnde non nimirum, si aliàs non sint modi, quod separata possint existere. Materia autem est pura potentia, & ex se (ut nunc dicebamus) ad nullam determinatam pertinet speciem, & idè sine forma non potest existere.

Ad probationem maioris dicimus discursum illius esse legitimum, quando cætera sunt paria, quod in præsentem non contingit.

At 3. concessio antecedenti, neganda est consequentia; ad cuius priorem probationem negandum est antecedens; bene enim esse potest ut aliqua sint realiter distincta, nihilominus separari nequeant, si tamen aliunde inter illa sit essentialis dependentia, qualem in existendo inter materiam & formam esse, iam explicuimus.

78. Ad 2. probationem distinguendum est antecedens, & si intelligatur de prioritate, quæ dicit perfectionem alicuius actus, & modo dicto, concedendum est: secus verò si illa prioritas sit prioritas orta ex natura entis aded diminuti, & ut dicamus, entis etiam intra latitudinem partis dimidij, siue speciei, aut essentiae determinatione: sitque respectu illius, à quo integratur, & speciem accipit; quia tunc in genere causæ formalis actuantis & perficientis, debet tale esse dimidium, quate est materia prima, esse quid, posterius.

Vnde, et si id quod ita est in vno genere causæ prius, ut in nullo alio sit necessariò posterius, posset ab aliis separari, non tamen id, quod ita est prius in vno genere, quod necessariò debeat esse in alio posterius, & dependens, ut contingit in præsentis ob rationes dictas.

Maximè, quia licet materia sit prior forma, tamen materia ut existens, non est prior quàm illa; sed potius posterior, sicut paries, licet prior sit albedine, tamen prior est albedo, quàm parietem esse album.

Ad confirmat. resp. rangi in illa difficultatem de propria & speciali idea materiæ prima de qua ex professo tractant Theologi 1. p. qu. 15. & ex his, quæ ibi dicuntur, negandum est antecedens cum D. Th. loco citato art. 3. ad 3. affirmante, quod idea materiæ est idea compositi, cuius dicitur pars. Vbi (ut notauit Caiet.) retractauit sententiam, quam docuerat de Veritate q. 3. art. 5. & 1. sentent. dist. 36. art. ult.

79. Et ratio manifestè desumitur ex Arist. & D. Th. Quia, ut docet Philosophus 7. Metaph. tex. 36. materia est per seipsam incognita. Quod etiam tenet D. Thom. ibid. lect. 10. & 1. p. q. 15. iam citata.

Nam cum intellectio sit quædam commensuratio & adæquatio actualissima rei intelligibilis & intellectus ratione cuius intellectus ipse quodammodo transformatur in ipsum obiectum intelligibile, propter quod dicitur, quod intellectus intelligendo fit omnia. Inde est quòd sicut intellectio est actus: ita etiam ipsum intelligibile debet aliquo modo participare rationem actus, ut possit intellectus in illud transformari, & fieri ipsum.

Vnde sicut materia ex se nihil habet actus, sed à forma: ita nec potest intelligi nisi per formam, quatenus nimirum, vel cognoscitur cum forma, quam in se habet saltem secundum rationem generalem formæ considerata, vel per analogiam & comparisonem ad materiam secundam, ut vult Arist. in hoc lib. cap. 7. text. 69. & D. Th. ibid. lect. 3. Quare cum id quod non est per se solum intelligibile, non habeat per se ideam, ided nec materia illam habebit.

80. Per quod ad 1. probat eiusdem antecedentis ibidem adductam satis constat.

Ad secundam, quod ut patet ex iis, quæ sup. q. 1. huius disp. num. 4. diximus, materia prima non est simpliciter dicenda ens: sed ens in potentia, ut indicemus ipsam indigere forma actuante. Vnde non mirum, quod non dicamus eam simpliciter intelligibilem: sed intelligibilem in potentia, ut innuamus indigere forma, ad hoc ut intelligatur. Quo fit, ut intelligibilitas sit per se passio entis in actu, non verò entis pura potentia: quia hoc non est intelligibile, nisi per aliud, scilicet per formam.

Vnde, etsi cognoscamus in materia essentiam distinctam à forma & composito, semper debemus eam cognoscere per analogiam & comparisonem ad formam: ac proinde semper est necessarium concipere formam, non verumque, sed tanquam id, quod modo dicto dat ei esse intelligibile, ut ex Arist. diximus.

Secundò responderetur ad totam hanc confirmationem, quod etiam si gratis admitteremus, dari in Deo

distinctas ideas materiæ & formæ, quæ nostro modo intelligendi essent partiales, adhuc tamen dicendum esset, ideam materiæ representare illam, non aliter factibilem, nisi vnâ cum forma: quia non aliter est capax existentiae, & ided ratione rei faciendæ non potest Deus uti idea materiæ, siue ad dandam illi existentiam, siue ad cognoscendam ipsam, nisi simul etiam utatur idea formæ; sicut non potest uti idea vnius relatiui ad cognoscendum illud, nisi contatur idea alterius.

## Q V Æ S T I O VII.

*Utrum materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis?*

Ingenerabilitas, & incorruptibilitas materiæ 1. ex eius pura potentialitate ortum ducit, ut iam videbitur: Et ideo semel hac explicata recto ordine aggredimur exponere: an materia sit ingenerabilis & incorruptibilis.

81. Pro huius quæstionis decisione notandum est, quatuor esse incorruptibilitatis gradus. Primus sine aliqua dependentia ab intrinseca alia re, ut Deus. Secundus est cum dependentia: sed à solo Deo, ut Angeli. Tertius cum dependentia à Deo, & ab aliis causis, quæ tamen naturaliter impediri nequeunt. Quartus denique, quando præter naturas rerum impeditur corruptio alicuius entis, ut si homo, qui ex sua natura corruptibilis est, conseruetur à Deo impediendo causas corruptionis illius.

Non ergo dubitamus, an materia prima sit incorruptibilis duobus primis modis: quia ut ex dictis patet, materia non potest esse sine forma, ac proinde non solum à Deo, sed etiam ab aliis causis debet in suo esse & incorruptibilitate sua pendere.

Sicut neque in dubium vocamus, an posteriori modo sit incorruptibilis: quia hoc ex se patet: quandoquidem certum est liberum esse Deo conseruari perpetuò rem quamlibet, licet ipsa sit ex se corruptibilis. Quare quod in præsentis inquirimus tamen est, an materia prima habeat tertium incorruptibilitatis gradum, & simul an ei conueniat esse ingenerabilem.

82. Dicendum ergo est, materiam primam esse ingenerabilem, & incorruptibilem Ita Sonein. 7. Metaph. q. 12. Fland. in eodem lib. quæst. 12. artic. 6. Scot. quæst. 8. Anton. Andr. quæst. 9. Ferrar. 1. Physic. q. 11. Iandun. quæst. 29. Label. q. 36. Soc. q. 6. dub. 4. Richard. in 2. distinct. 12. art. 1. q. 2. & alij, quos omnes refert, & sequitur Masius in præsentis cap. 9. sect. 2. q. 12. & tandem Rubio in præsentis tract. de Materia quæstione 9.

Probat in primis testimonio Arist. 7. Metaph. c. 7. & 8. & lib. 8. c. 5. & lib. 11. c. 3. & eandem in hoc lib. cap. 9. text. 82. qui sequentibus verbis docet & probat assertionem nostram dicens: *Incorruptibilem & ingenerabilem necesse est ipsam esse; si enim fiat subiecti aliquid oportet primum, ex quo inexistente fiat: hoc autem est ipsius natura: quare erit antequam fiat.* Hoc seipsum docet D. Thom. ibid. & locis citatis ex Arist. & 1. p. quæst. 46. art. 1. ad 3.

83. Sed ut probatio ex Aristot. & D. Th. modò adducta fiat clarior, supponendum est id, quo suo loco fusiùs declarabitur, & quod ab omnibus est receptum scilicet generationem esse transitum de non esse ad esse, præsupposito aliquo subiecto; corruptionem verò esse transitum de esse ad non esse, manentem aliquo subiecto. Hinc ergo satis apparet vis rationis, qua Arist. probauit, tum materiam esse ingene-

ingenerabilem, tum etiam incorruptibilem.

Primum quidem, nam materia est primum subiectum, ut ex dictis supra patet: ergo non potest ex præsupposito subiecto produci, ac proinde nec generari: alias iam illa non esset primum subiectum. Maxime, quia cum materia præsupponatur omni generationi, si ipsa generatur, esset antequam generatur.

Secundum verò, quia subiectum, quod manere debet in omni corruptioni, est materia prima: siquidem ipsa habet rationem primi subiecti, ut dictum est, & sine ea ratio subiecti stare non potest: ergo repugnat ipsam per corruptionem desinere.

Sed dices primum, sequi ex proposita conclusione, quod totum compositum sit etiam ingenerabile & incorruptibile. Si enim ex eo, quod materia est entitas quædam materialis, etiam compositum materiale quid est, quamvis altera pars, forma scilicet, sit quid spirituale: cur ex eo, quod est ingenerabilis, non dicatur totum ingenerabile.

Confirmatur, quia si materia sit incorruptibilis, non verò totum, fiet inde, illam esse perfectiorem, quam totum: quandoquidem hoc est corruptibile, illa verò incorruptibilis, & incorruptibile perfectius est corruptibili: ergo, &c.

84 Resp. facile quod esse ingenerabile, & incorruptibile rationem habet boni, esse verò materiale, malum est, seu imperfectum: quid quia ergo malum ex quocumque defectu, bonum verò ex integra causa, ideo sola materialitas materiæ sufficit, ut totum, in quo illa est, sit materiale; non verò illius incorruptibilitas est satis, ad hoc, ut totum incorruptibile sit, & dicatur.

Ad confirmationem resp. quod si cætera sint paria, incorruptibile est simpliciter nobilius corruptibili; secus verò si non sint paria, ut hic contingit: quia totum compositum est maioris entitatis quam materia, & ita quamvis sit corruptibilis, erit nihilominus longè nobilius: nobilitas enim simpliciter ex maiori, vel minori entitate petenda est; non verò ex modo productionis vel desitionis, seu quod idem est, ex ingenerabilitate, vel incorruptibilitate, quæ quoad præsens attinet, ad modum productionis vel desitionis pertinet: (nihil enim aliud est materiam esse ingenerabilem & incorruptibilem, quam non posse produci per generationem, nec desinere per corruptionem.

Secundò obijciens: omne accidens vel actus denominat subiectum, in quo est, & ideo albedo eo ipso quod sit in subiecto, tribuit illi denominationem albi. At generatio substans est in materia: ergo denominabit illam genitam.

85 Respondetur esse duo genera accidentium vel actuum; alios, qui dicunt habitudinem ad subiectum & ad terminum; alios verò qui solum ad subiectum ordinem important. Etsi ergo accidentia vel actus, qui sunt posterioris ordinis, tribuant subiecto omnem denominationem, quam præstare possunt; non verò est necessarium hoc affirmare de illis prioribus, quæ aliquam denominationem dant subiecto, aliquam verò termino. Et ideo quamvis dicamus, quod generatio est in materia prima; non denominat illam genitam, sed mutatam; quia illa prior denominatio non procedit à generatione, ut collata cum suo subiecto; nec habet illam in genere causæ formalis, ut det eam subiecto, quia subiectum, quod præsupponitur omni generationi, non debet per illam generari; sed ut tribuat illam termino: qui est ipsum compositum. Et contra hæc non habet vim exemplum in obiectione positum: albedo enim est accidens secundæ ordinis ex duobus enumeratis.

Colleg. Compl. Logica.

## QVÆSTIO VIII.

*Verum materia prima habeat appetitum ad formam, quotuplexque, & qualis sit iste appetitus.*

**M** Et id post quæstionem præcedentem statim de materiæ appetitu agimus; nam cum ipsa sit incorruptibilis, necesse est ut appetat perpetuitatem in esse ac proinde habere formas per quas hanc perpetuitatem obtineat.

86 Pro tituli intelligentia notandum est ex D. Thom. 1. part. quæst. 61. art. 1. ad 2. & quæst. 19. art. 1. & 9. & quæst. 9. art. 1. appetitum esse duplicem: alterum innatum, seu naturalem; alterum verò elicitum. Primus est inclinatio, seu propensio ab auctore naturæ indita, quæ unaquæque res absque vlla cognitione in suum bonum est propensa, qualis est propensio gravis in centrum terræ, & omnium potentiarum ad sua obiecta. Appetitus verò illicitus, qui propriè rationem appetitus habet, est actus appetendi, quo res fertur in bonum cognitum sub ratione boni. Hic ergo non quærimus, utrum materia prima habeat hunc posteriorem appetitum: est enim satis per se manifestum, non posse ei convenire, quandoquidem omnis cognitionis est expers; sed solummodò dubitamus, an habeat priorem appetitum ad formas.

*Adducitur sententia negans.*

### §. I.

87 **P** Artem negativam tuentur D. Iustinus Martyr: in confutatione dogmatum Arist. Avicenna 1. lib. suæ sufficientiæ cap. 2. Probatur primum: quia appetitus hic non est respectu omnium formarum: ergo respectu nullius. Patet consequentia: quia si materia appeteret formas, appeteret omnes: siquidem omnes sunt perfecti illius. Antecedens verò probatur: tum quia alias appetitus hic nunquam satiaretur, & consequenter esset frustraneus: etenim formæ generabiles, & corruptibiles sunt sine categorematicè infinitæ, sicut & generationes, & corruptiones suapte natura sunt perpetuæ: & ideo non potest materia omnibus illis unquam informari. Tum etiam, quia alioqui materia appeteret corruptionem totius, quod actu componit, quoniam sine huius corruptione nequit recipere novam formam. At hoc repugnat, cum omnis pars fortius inclinetur in bonum totius, quam in bonum proprium.

Secundò ad rationem appetitus naturalis indispensablem requiritur, ut habens talem appetitum, adhibeat aliquem conatum ad propriam perfectionem, quam appetit, acquirendam; sed materia nullum potest adhibere conatum ad propriam perfectionem: ergo neque hoc appetitu gaudere. Maior patet, quia ideo datur à natura appetitus, ut mediante illo res consequantur perfectionem in quam inclinatur: sublato autem omni conatu, tunc talis appetitus ad propriam perfectionem consequendam vanus erit. Minor autem probatur: nam cum materia habeat rationem nudæ potentiæ, ut iam diximus, nequit ad propriam conari perfectionem: sed solum se habet purè passivè, recipiendo quod ei imprimatur.

Tertiò: si materia haberet appetitum naturalem, magis appeteret formam perfectiorem, quam imperfectiorem: ac proinde habens perfectiorem, non appeteret imperfectiorem. At è contra res se habet



habet : quia materia appetit formam generandam , quæ sæpè imperfectior est , & non potest acquiri sine amissione perfectionis : ergo hic appetitus non est naturalis.

88. Maior solum videtur indigere declaratione , & idè explicatur sic. Nam vt docet S. Thomas 1. 2. quæstione 16. & 1. part. quæst. 40. art. 3. licet appetitus naturalis non sequatur propriam cognitionem rei naturalis non appetentis; sequitur tamen cognitionem Authôris naturæ , à quo talis rebus concessa est natura, vt in bonum sibi conueniens non minùs bene & aptè inclinètur hoc naturali , & innato appetitu ; ac si intellectum haberent , & semel cognito bono sibi conuenienti , elicitò , & ordinato appetitu ipsum appeterent. Sed nemo cognoscens se habere maius, & perfectius bonum , appeteret ordinatè minus bonum, cum amissione perfectioris. Ergo appetitus ille, quo hoc appeteret, non esset appetitus naturalis, vt potè qui inordinatus esset, nec rationali conformis. Imò etiam sequeretur, quòd ordinatio illa in Authorem naturæ refunderetur, cuius cognitionem naturalis appetitus sequitur, & à quo hæc inclinatio materiæ indita est.

Confirmatur : quia aliàs materia appeteret proprium malum, quod est contra rationem appetitus naturalis, vt ex se constat. Patet consequentia : quia expoliari perfectissima forma, qualis est humana , & loco illius tribui illi aliam imperfectiorem, est maximum malum ipsi materiæ : quia minus bonum vt priuat maiori, habet rationem mali.

*Veritas Thomistica enucleatur, & suadetur.*

## S. II.

89. Dicendum tamen est primò materiam primam habere appetitum innatum ad formam. Hæc est Aristot. in hoc lib. text. 81. vbi asserit. *Materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum.* Et Diu. Thom. prima parte quæstione 59. art. 2. vbi sic habet : *Videmus quòd inclinatio, quæ est ad esse rei, non est per aliquid additum essentia; sed per materiam, quæ appetit esse, antequam habeas: & per formam, quæ tenet rem in esse, postquam fueris.* Et hoc ipsum docet in 2. distict. 18. quæst. 1. art. 2. in corpore , & de veritate quæst. 32. art. 1. ad 3.

Nec refert si obiicias eundem sanctum Doctorem 1. part. quæst. 87. art. 4. asserentem , appetitum naturalem procedere à forma naturali; sicut elicitum à forma apprehensa. Vndè cum materia ex se nullam habeat formam; neque ex se vllum habebit appetitum. Respondetur enim, illum loqui de appetitu, qui consequitur ens completum , & in specie omnino constitutum, qualis est gravitas in lapide in ordine ad centrum; non verò de eo, qui consequitur entitatem incompletam, qualis est materiæ appetitus; & idè assertionem dictam sequuntur communiter Interpretes Arist. & D. Thom.

90. Ratio fundamentalis est : quia nihil est, quod appetitu naturali non feratur in sibi proportionatum, & conueniens bonum, quo ex se caret, ex cuiusque possessione maxima illi accrescit perfectio, vt ex se patet, & innuit D. Thom. 1. Ethic. lect. 1. & 1. p. quæst. 5. art. 1. & quæst. 9. art. 1. sed forma respectu materiæ quasi diuinum quoddam est, vt loquitur Arist. cum afferat secum essentiam rei, speciem completam, & determinatam, & materiam etiam in rerum natura faciat existerè : ergo materia appetitu innato tendit in tale bonum, scilicet formam. Confirmatur : quia imperfectio materiæ potius conducit, vt in ea inueniamus veram rationem appetitus naturalis

etenim quòd maior est imperfectio, eò maior erit indigentia perfectionis, & consequenter erit maior occasio forius appetendi bonum illud, quod desideratur.

91. Sed vt secundæ parti tituli quæstionis satisfaciamus, dicendum est secundò. Duplici genere appetitus materia respicit formam; appetitu nimirum desiderij, & appetitu fruitionis, seu complacentiæ. Illo primo appetitu appetit formam, quam nondum habet hoc verò secundo, formam, quam possidet, vel possedit. Explicatur simul, & probatur conclusio. Sicut enim respectu potentie appetitiue per actum elicitum; nomen appetitus potest significare quamcumque actionem possibilem elici à potentia appetitiua, quomodò tam desiderium, quam complacentiam includit; quia tam respectu boni absentis per desiderium, quam boni præsentis per fruitionem, vel complacentiam potest actum elicere, siue illa complacentia sit de bono, quod pro tunc possidet, siue de eo vt iam possesso, nam complacet quis de bono, quod iam possedit; etsi tunc non adsit.

92. Sic similiter in præsentem duplicem possumus distinguere naturalem appetitum. Alium, qui sit inclinatio, & propensio respectu boni præsentis, siue illius, quo res iam satiata est, & iam præterit, per quem in tali bono complaceat. Alium, qui sit quasi desiderium boni absentis, & nunquam habiti. Quomodò locutus est S. Thomas 1. p. q. 19. art. 1. dicens : *Qualibet res per suam formam naturalem, hanc habet habitudinem, vt quando non habet ipsam, tendat in eam, & quando habet ipsam, quiescat in ea.* Subdit autem : *& hac habitudo ad bonum* (illa scilicet de qua fuerat locutus, quam habet quælibet res, tam vt quiescat in bono, quam vt in illud tendat) *in rebus carentibus cognitione vocatur appetitus naturalis.* Hæc S. Doctor. Ex quibus patet proposita conclusio, quandoquidem per se patet, desiderium tendere in id, quod non habetur & fruitionem verò, seu vt melius dicamus, complacentiam, non esse nisi de bono præsentis, vel præterito, vt aliquando fuit præsens. Quia ad complacentiam in re habita satis est, quòd debito tempore fuerit agens naturale, quod prædictas formas in materiam introduxerit.

Sed obiicias : Anima rationalis separata habet appetitum desiderij naturalem in ordine ad corpus, quòd semel informauit : ergo è contra corpus illud desiderabit eandem animam, ac proindè falsò dicimus appetitum naturalem, & desiderij materiæ, solum esse in ordine ad formas, quas nondum habuit. Hæc vltima consequentia ex se constat. Prima verò ex paritate rationis. Antecedens autem videtur D. Tho. 1. parte quæst. 76. art. 1. ad 6. vbi sic inquit : *Sicut corpus leue manet quidem leue cum à loco proprio fuerit separatum; cum aptitudine tamen, & inclinatione ad proprium locum: ita anima humana manet in suo esse cum fuerit à corpore separata, habens inclinationem naturalem ad corporis unionem.* Vbi vt constat, loquitur de appetitu desiderij naturali : quia in hoc comparat animam cum leui separato à proprio loco, quod retinet naturale desiderium ad illum.

93. Respondetur ex Caietan. & Bañez ibidem negando antecedens : & ad probationem, quòd vt D. Thom. docet in 4. dist. 43. art. 2. naturale, & supernaturale dupliciter dicitur. Primò absolute, & simpliciter, quando aliquid scilicet est naturale, tam ex parte termini producti, quam ex parte principij, & modi quo producit, vt equus ab alio equo generatus; supernaturale autem, vt charitas, quæ in se supernaturalis est, & non nisi per principium supernaturale produci potest. Secundo modo dicitur aliquid naturale secundum quid, nempe ex parte termini

termini producti, supernaturale autem ex parte principij, ut illuminatio cæci, quæ quidem terminatur ad visum, qui naturalis est secundum suum esse; principium autem produciens illum est supernaturale.

Quando ergo D. Thom. inquit animam separatam habere naturalem inclinationem, & aptitudinem ad unionem cum materia, est intelligendum de inclinatione naturali ex parte termini, qualiter, & ipsa unio etiam est naturalis, licet sit supernaturalis propter principium supernaturale, quo tantum fieri potest. Unde potentia ad illam erit obedientialis; non autem proprie, & in rigore naturalis, & quoad hoc præcisè æquiparat ibi D. Thom. animam separatam cum leui existente sursum, non verò quoad omnia alia; alioqui sicut nullo præsupposito miraculo potest leue ascendere: ita & anima re uniri suo corpori.

94. Sed ut melius intelligatur, quid quilibet horum appetituum adæquatè importet, & sic titulo quæstionis plenè satisfiat. Dicendum est tertio: appetitum materiæ non esse utcumque nudam entitatem materiæ; sed aliquid aliud, ut conditionem, sed connotatum requirere. Pro explicatione, & probatione huius conclusionis notandum est, appetitum hunc esse ad formam habendam, vel ad formam, quæ tunc habetur, vel iam habita sit (eo tamen modo, quem tunc dicebamus) & non utcumque; sed secundum vim, & dispositionem gentium, quibus naturaliter subditur materia, ut informetur. Et ratio est: nam ipsa ex se non potest educere formam ex sua potentia, & unire ipsam sibi; sed hoc naturali agenti relinquendum est. Unde, cum hic appetitus non sit (ut sic dicamus) speculativus; sed quasi practicus, & de re ut exequenda modo dicto, fit inde ut non utcumque formam appetat; sed iuxta præscriptam virtutem agentis, & hanc vagè, vel in communi respiciat, non determinando hanc, aut illam virtutem agentis, & dispositionem, saltem quando appetitu desiderij forma appetitur.

Ex quo etiam fit, ut appetitus desiderij, quem materia habet, non dicat nudam entitatem materiæ, alioqui cum hæc entitas semper maneat, appeteret eandem numero formam, quam amisit, cum tamen illam recipere sit naturaliter impossibile, ac proinde illam appetere: sed insuper tanquam pro conditione requirit, seu connotat esse naturaliter possibiles dispositiones agentis naturalis, actionemque introductionem formæ. Et insuper connotat privationem eiusdem formæ; ad quam sic inclinatur, sicut etiam appetitus complacentiæ, si sit formæ præsentis, requirit præsentiam eius; si verò præteritæ præteritionem illius, & cætera hinc inclusa saltem ut conditionem, & connotatum acquirit.

*Solutio rationum opposita sententiæ.*

S. III.

95. AD primum iam patet ex dictis quid respiciat Appetitus ille si fuerit desiderij, vel complacentiæ. Et ad primam probationem in contrarium dicendum est appetitum hunc desiderij non esse de numero eorum, qui est in ordine ad actum, per quem fit in satiatio esse; sed in ordine ad formam per quam fit in satiari; ad hunc autem modum satiandi appetitum non obest; sed potius prodest infinitas formarum, alioqui talis appetitus esset aliquando in satiatio esse, ita ut nihil illi restaret recipiendum. Unde, semper habet admixtam potentiam cum privatione, & simul habet quod est satiari. Quam doctrinam innuit D. Thom. 1. p. qu. 7. art. 4. ad 1.

Ad secundam probationem responderetur, materiam

per accidens esse principium corruptionis formæ; & totius, quod actu componit, non quidem quia habet tædium illius; sed quia cum amissibilis sit præsens forma, & ipsa etiam materia sit pars saltem in potentia plurium aliorum compositorum, idè appetit formas illas, quibus talia composita constituuntur, ad quod attendens Arist. dixit: *Ipsam esse veneficam, seu insidiatricem.*

Accedit, quod præcipuum bonum ad quod ordinatur materia, est bonum vniuersi: quia est eius pars, & bonum totius est bonum, & finis cuiuslibet partis ab ipsa appetitus, ut docet D. Thom. 1. p. qu. 60. art. 5. Bonum autem vniuersi constitit in nouis generationibus, iuxta illud Eccles. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit*: quia non nisi his mediis potest durare. Unde, quia hoc bonum consequi non potest, nisi aliqua corrumpantur; quia generatio vnius est corruptio alterius, non est inconueniens, quod malum ipsam corruptionis per accidens à materia appetatur, quia propter maius bonum desideratur; alioquin nisi malum esset, periret vniuersi pulchritudo, ut inquit idem S. Thomas 1. par. qu. 22. art. 2. & qu. 48. art. 2. in corpore, & ad 3. Nam si materia nouas formas non appeteret, non succederent nouæ generationes, & cum composita naturalia sint corruptibilia, consequens esset, ut per continuas corruptiones res omnes materiales perirent, ac proinde, & vniuersum hoc.

96. Ad secundum principale responderetur: quod etsi ad appetitum materiæ aliquis requiratur conatus; ille tamen actiuus esse non debet; satis enim est, si passiuus fuerit. At materia per modum causæ materialis influit ad productionem formæ, vel ad unionem ipsius.

97. Ad tertium responderetur: non esse contra naturam huius appetitus appetere formam imperfectiorem, etiam dum imperfectio habetur, cum amissibilis sit. Tum quia supposita amissibilitate præcedentis formæ quantumvis perfectioris, maius bonum est formam imperfectiorem denuò habere, quam perfectiorem amittere sine acquisitione alterius. Tum etiam, quia valdè conducit ad successiuam conseruationem rerum naturalium, & ad naturam secundorum agentium tuendam, & conseruandam: imò, & ad bonum vniuersi (quod sanè quid diuinum præ se fert) quod agentia pro diuersitate facultatis actiue, & dispositionum, quas hinc, & nunc possunt imprimere, agant inuicem, & fortiores fortius operentur, ac proinde imprimant materiæ formas sibi similes.

Unde distingui posset illa maior huius argumenti, & admitti, si forma perfectior cum imperfectiori præcisè, & quasi speculatiue comparatur: secus verò si practicè inter eas fieret collatio, reliquæ attendenderentur, ratione quorum hæc continua materiæ transmutatio etiam dum materia perfectiori forma gaudet, est maximè conteniens ob rationes iam dictas. Quare pensatis omnibus, ut pensari debent, posset appetitu elicito, & ordinato, imperfectior forma appeti.

98. Ex quo ad confirmationem responderetur, non esse inconueniens concedere, materiam in malum proprium per accidens tendere, ut tunc subsequatur: tum præcipuum bonum ipsius, scilicet conseruatio inesse, quod per solam animam rationalem non potest inamissibiliter habere; tum etiam bonum vniuersi iam dictum, in quod ipsa, ut pars illius, fortius, quam in proprium bonum propendet. Maxime, quia etiam si hanc animam rationalem amittat, potest aliam, & aliam per continuas transmutationes multoties acquirere.

# 32 Disp. III. de Materia prima, Quæst. IX.

Accedit, quod ut optimè notauit Ferrara 2. contra genit. c. 11. per se loquendo non est malum materię priuari anima rationali. Quia ut Diu. Thom. ibidem inquit: sicut bonum proprium consistit in allocatione illius, quod sibi debetur, ita malum ipsius, per se loquendo, consistit in priuatione boni sibi debiti: quia sicut nomine boni intelligitur esse perfectum; ita nomine mali priuatio esse perfecti, quod res nata est habere, & non utrumque; sed quando, & quomodo debet illud habere, ut exponit D. Tho. opus. 2. Materię autem non debetur esse sub determinata forma: quia est omnium receptiua. Vnde, ut idem Diu. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. loquitur: materia remanet in potentia ad omnes alias formas, nec hoc excluditur, si una illarum sit perfectior, & continens in se virtutes alias: quia potentia, quantum, est de se, indifferenter se habet ad perfectiorem, & imperfectiorem.

## QVÆSTIO IX.

*Vtrum materia prima sit principium, & radix corruptionis.*

99. **S**i semel materia est principium corruptionis formę, quam habet, id debet oriri ex appetitu, qui in ea est respectu formarum quibus caret, & idè merito post præcedentem quæstionem hæc instituit. Consulto autem addita est in titulo illa particula *radix*, ut denotetur hic non fieri sermonem de principio proximo corruptionis; sed de primo, & radicali.

100. Aliqui sentiunt non materiam primam; sed formam substantialem esse primam radicem corruptionis. Probatum primò: nam aliàs sequeretur materiam esse corruptibilem, quod esse falsum iam ostendimus. Suadetur sequela: quia *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis*, ut Author est Arist. lib. 1. de Posteriori analysi, cap. 2. Ergo si ratione materię primę, res corrumpuntur, potiori ratione dicetur materiam esse corruptibilem. Maximè quia incorruptibile non est causa corruptibilitatis, cum vnum oppositum non sit causa sui oppositi.

Secundò, appetitus materię ad nouam formam, ex quo oritur corruptio, ducit originem à forma substantiali: ergo illa potius quàm materia erit radix corruptionis. Antecedens probatur; idè materia appetit aliam formam: quia hæc, quàm habet, non complet totam capacitatem materię, neque illam perpetuò conseruare potest: quia ex se defectibilis est, idèque materia cęlestis, quę informatur forma habente vim ad materiam perpetuò conseruandam, nullo modo appetit nouam formam.

Tertiò; si materia nostra actuetur cęlesti forma, compositum ex utraque coalescens, esset incorruptibile; è contra verò si materia cęli corruptibili forma informaretur, compositum illud esset corruptibile; quandoquidem materia nostra informaretur tunc forma inamissibili, & materia cęlestis actuetur forma amissibili. Non ergo materia; sed forma est radix corruptionis, cum illa sit causa prima per se & adæquata alicuius effectus, teste Arist. 1. Post. cap. 10. quia posita, vel ablata, ponitur, vel auferitur effectus.

Quartò, quotiescumque affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis: ita Aristor. 1. Post. sed causa entis in actu est forma, & non materia: ergo causa non essendi in actu est absentia formę, & non materia.

101. Dicendum ergo est primò: materiam non

fatiatam forma, & formam non fatiantem, quamlibet in genere suo, esse principium corruptionis. Assertionem hanc indicat D. Thom. 1. par. quæstione 66. art. 2. 2. contra gent. cap. 55. & tenent eam Soncinas 8. Metaph. q. 29. Masius in præsentī cap. 9. sect. 2. q. 1. 2. in solutione ad 3. & Oña in hoc lib. quæst. 3. art. 10 & alij plures. Suadeturque quoad formam argumentis iam factis pro prima sententia, Quoad materiam verò probatur; tum ex Arist. in hoc lib. cap. ultimo docente: *Materiam priuatam forma machinari maleficium, idest, composui corruptionem*: tum etiam, quia ex eo quòd materia sit priuata forma, ortum habet, quòd appetat eas dispositiones, quibus præsens forma expellenda.

Sed tunc statim inquires, vnde proveniunt quod materia sublunaris de qua in præsentī est sermo, non sit fatiata forma sua, sicut materia cęli per propriam formam fatiata est. Respondetur id provenire, ex eo quòd forma sublunaris dat esse amissibile, & corruptibile; forma verò cęlestis tribuit materię perpetuum esse: in hoc autem etiam inuoluitur quod forma illa, quę est in materia sublunari, requirat ad sui conseruationem tales dispositiones, ut eis alię sint contrarię, proindèque sit talis conditionis, ut illis dispositionibus in materia receptis, sit necessarium ut etiam ob impossibilitatem dispositionum inter se, forma præsens euanescat. Quod quidem non poterit verificari in materia cęlesti; quandoquidem non habet huiusmodi dispositiones, ut dicitur Deo dante in lib. de Cęlo.

102. Dicendum est secundò. Quamuis materia, & forma sint principium radicale corruptionis, facta tamen collatione inter utramque, tunc materia erit principium omninò primum, & radicale illud. Assertio hæc colligitur apertè ex D. Thom. 2. contra Gent. capit. 55. tenetque eam Oña loco citato, & communiter Doctores. Probatum: tum quia licet omnes dispositiones quibus mediis sit corruptio, in toto recipiantur, attamen totum non habet subistere omnibus illis à forma tanquam à principio omninò primo; sed à materia, quę est primum principium passiuum: tum etiam, quia priuatio, quę maximè ad corruptionem necessaria est, tenet se potius ex parte materię, quàm ex parte formę: ergo pensatis omnibus, materię tribuendum est, quòd sit primum principium corruptionis.

103. Ad primum ergo initio quæstionis positum respondetur, maximam illam esse intelligendam; quando prædicatum illud natum est causa, & effectui conuenire. At oriri, & interire non est prædicatum, quod natum sit materię primę competere. Vnde non valet, iudex castigat reum ob amorem iustitię: ergo magis iustitiam ipsam punit. Sed sic deberet inferri: iudex castigat reum ab amore iustitię, & castigat iustitiam: ergo magis castigat iustitiam ipsam. Cumque hæc minor sit falsa, inde est ut totus processus ruat. Ita ergo similiter ex vi illius maximę, ita in proposito deberet inferri, totum est corruptibile propter materiam, & materia est corruptibilis: ergo magis corruptibilis erit ipsa materia. Cumque illa minor sit falsa: inde est ut totus discussus nihil concludat.

Ad confirmationem respondetur, materiam non esse corruptionis causam, quatenus habet rationem incorruptibilis, sed ut annexam habet priuationem formę impossibilis cum præsentī, quę gaudet.

104. Ad secundum, & tertium responderetur, solam probare formam esse inadæquatum principium corruptionis; non tamen omninò primum ob rationes dictas. Vtrum autem semel admissa materia cęli informata

informata per formam sublunarem, & materia sublunari actiua per formam caelestem, tunc constituerent compositum corruptibile, vel incorruptibile, non est huiusmodi; sed, ad libros de Cælo relinquendum. Videatur tamen Tabell. 8. Metaph. quæstione 24. ubi partem negatiuam tenet, docens compositum ex cælesti forma, & nostra materia fore corruptibile.

Ad ultimum responderetur, quod etsi formalissima, ut sic dicamus causa corruptionis sit *non esse formæ*, radix tamen illius *non esse* necessario debet esse materia, quandoquidem si materia non esset priuata forma generanda, & hoc ut fundamentum supponeretur, non posset forma à subiecto abesse.



## DISPUTATIO IV.

*De existentia, & natura formæ substantialis, nec non & de aliis eidem annexis.*

**Q**Uia materia, & forma sunt principia intrinseca entis naturalis, & talem inter se habeant ordinem, ut materia sit prior, forma verò posterior; merito post disputationem de materia, ad formæ naturam enodandam accedimus. Verum quia primò de re inquirendum est an sit & quid sit, idcirco hoc primo loco in dubium vocamus.

### QVÆSTIO I.

*An sit, & quid forma substantialis.*

**Q**uia ad cognitionem alicuius rei multum iuuat notitia nominum, quibus res illa insignitur, hic proponimus, quibus hoc substantiale principium entis naturalis insignitur est. Nuncupatur ergo principium hoc vulgariter, *forma*, eo quod formet & poliat ruditer, & deformitatem materiz. Secundò dicitur à Pythagora *unum*, quia ad vnā, & certā, & quasi vagam conditionem materiz, & ob id etiam nomen *characteris* ab aliquibus ei merito imponitur; eo quod quicumque rei quasi notam imprimat, qua à cæteris dignosci, & discerni valeat. Quartò dicitur *pulchrum*, non solum quia ex se sit pulchritudo turpis, & deformis materiz; sed quia decor totius vniuersi ab eadem originem trahit: nam dum partes totius separat, distinguit, & ordinat, mira veritate illud exornat. Ideoque Arist. ut suprà diximus, protulit: *Formam appeti à materia sicut pulchrum à turpi.*

2. Quintò appellatur ab eodem Aristotele 2. Physicor. *ratio*, id est definitio, quia, ut ipse ibidem docet, definitio, & eius partes referuntur ad causam, quæ forma est. Sextò dicitur ab eodem Philosopho, *quod quid erat esse*: quia licet tota rerum quidditas in ea solummodo sita non sit, attamen inter partes quidditatis principalior est. Ex quo etiam, *exemplari*, nomen accepit; quia est id, quod sibi agens naturale imitandum proponit: & ad eius normam intendit suum producere effectum. Et denique *mens* dicitur à Platone in Timæo, dum modum dixit necessitate, id est materia, constare: & mente, id est forma. Et appellatur sic: quia est quædam similitudo adumbrata diui-

næ mentis. Cui etiam consonat titulus alius, quo ab aliis insignitur, scilicet *participatio diuina gratia*: quoniam est quidam actus, sicut & diuina natura actus purus est. Et ob id etiam appellatur in alio loco ab eodem Platone, *diuina proles*. Et ab Aristotele cap. 9. huius libri, *quidpiam diuinum, & optimum*. De hoc igitur entis naturalis principio, quod his nominibus exprimitur, & quibus non parum eius natura sit nota, num sit, & quid sit inquirimus.

3. Dicendum ergo est primò cum Aristotele in hoc libro, Diuo Thoma in opuscul. de formis, quæstione prima, articulo primo, & communi Peripateticorum schola: certum omninò esse dari formas substantiales. Probatur quoniam rebus omnibus naturalibus ab intrinseco competit, quod sint definitæ, & determinatæ ad certam aliquam naturam: ergo ratione alicuius intrinseci, & essentialis principij hanc limitationem habent. At hoc non potest esse materia: quia hæc eadem est in rebus, quæ essentia, & natura differunt, quandoquidem homo qui corrumpitur, & cadaver, quod eo pereunte generatur, eandem habent materiam. Sed neque accidentia tale principium esse queunt, utpotè quæ de intrinseca ratione entis naturalis non sunt. Ergo præter materiam primam aliud erit constituendum principium substantiale, certam concedens naturam rebus naturalibus, quod nos *formam substantialem* nominamus.

4. Secundò probatur, supponendo ut omnino certum, dari animam rationalem, quæ sit vera forma hominis. Sic enim definitum est in Concilio Lateranensi. 3. sub Leone 10. sess. 8. & in Clementina de summa Trinitate Ex quo sequens probatio deducitur. Quia ex positione animæ rationalis tanquam formæ separabilis à subiecto, rectè concluditur esse in entibus naturalibus aliquod subiectum substantiale, quod sit incompletum in genere substantiæ, & aptum ut informetur forma substantiali. Ergo tale subiectum petiit esse semper sub aliqua substantiali forma præcipuè cum suprà ostensum sit, esse ex se puram potentiam, nullam habens specificationem, & ineptum ut per se existat. Ergo cum non sit proprium hominis; sed in aliis rebus reperitur, ut per se notum est, consequens erit ut res omnes naturales, quæ constant illo subiecto, seu materia, debeant etiam constare actu seu forma substantiali actu ante illud.

5. Dicendum est secundò. Essentia formæ sita est in hoc, quod sit *Actus primus corporis*. Assertio hæc patet ex dictis: sicut enim materia prima est prima potentia substantiæ corporeæ: ita forma est primus actus illius. Neque hoc indiget maiori probatione. In hoc autem, quod asseratur formam esse actum, innuitur distinctio illius à materia prima, quæ ut ex dictis constat, solum habet rationem puræ, & nudæ potentie sicut & hoc ipso, quod dicatur esse *actum primum*, denotatur, tum quod sit actus substantialis, ac proinde distinctus à formis accidentalibus: nam sicut substantia est prior naturā, & cognitione accidentibus: ita actus omninò primus non potest non esse actus substantialis: tum etiam quomodo distinguatur ab aliis actibus, seu terminis substantialibus, substantia scilicet: & existentia: Nam hi sicut præsupponunt esse essentia: ita & actum primum, scilicet formam, quæ ad ordinem essentia pertinet.

Et tandem hoc ipso, quod datur ly *corporis* satis explicatur, & quod sit actus incompletus, ac proinde actus alicuius primæ potentie: quandoquidem vnā cum materia debet constituere substantiam corpoream, quæ ex materia ut ex prima potentia intrinsecè, & essentialiter constat, & quod distinguat ab actibus sub

subsistentibus, & completis quales sunt Angeli; quia licet actus sint, non tamen actus materiæ, & corporis; sed sunt actus substantiales completi intra genus substantiæ, ac proinde nec constituunt corpus, nec possunt vna cum materia constituere vnum ens per se, sicut illud constituit.

6. Sed obiicies primò: quia non possunt hæc duo inter se coherere, & quòd forma sit actus materiæ, & quòd sit substantia. Nam hoc ipso, quòd est actus materiæ, debet esse in illa vt in subiecto. At accidens nihil aliud est, quàm id quod est in alio vt in subiecto, ergo, &c. Adde Arist. 2. de Genera. c. 2. dixisse: *Qualitates primas*, calorem nimirum, & frigiditatem, &c. *esse formas substantiales elementorum*: sed qualitates primæ sunt accidentia; non ergo forma substantialis est actus substantialis.

Secundò obiicies contra illam particulam, *actus*: nam vel forma ita est actus, vt careat omnipotentia, vel ita vt constet ex actu, & potentia: non primum; aliàs esset actus purus, & consequenter Deus: neque secundum, quia alioquin non esset simplicior quàm totum, quod hoc sola compositione intrinsecè constat: ergo non potest habere rationem actus.

Tertiò, nam si forma est actus, fiet inde vt minus sit substantia, quàm materia; quia minus substantiat quàm eadem materia quæ eidem formæ substat. Hoc autem omnino falsum est, cum forma longè sit nobilior, quàm materia: ergo, &c.

Vtrindò, nam si forma habet rationem actus respectu totius; habebit totum ab ea, quòd sit ens vnum, & perfectum: ergo ipsa erit magis vna, & perfectior quàm totum; quia quod competit causæ, & effectui, nobiliori modo competit causæ.

7. Ad primum responderetur ex D. Th. quòd etsi hæc duo inter se non possint coherere, scilicet esse actum inhzrentem, & esse substantiam: benè tamen esse actum informantem, & rationem substantiæ habere, forma autem non est inhzrens; sed informans.

Ad illud, quod ex Arist. in eodem primo argumento additur, dicendum est: elementa sumi posse secundum substantiam, naturam, vel vt elementa sunt, etenim *elementum* non est nomen naturæ sed contrarietatis. Si primo modo loquamur de illis, tunc qualitates primæ non sunt ipsorum formæ: si verò secundo modo, dicuntur ab Arist. formæ, & differentiæ substantiales, id est essentielles: (substantia enim, vt ex Logica constat pro essentia sæpè sumi solet,) quia ratio formalissima, quia ignis, & aqua immediatè, & proximè contrariantur, est, quia ignis calore affectus est, aqua verò frigiditate.

8. Ad secundum responderetur, quòd quamuis forma substantialis sit actus simplex, non tamen actus purus: quia etsi non componatur intrinsecè, & essentialiter ex actu, & potentia physicis; ordinatur tamen ad componendum totum physicum ex prædicto actu, & potentia constants. At actus purus, nec componi potest ex aliis, nec componere per modum actus, & formæ informantis, imò neque ordinari ex natura sua ad talem compositionem: quia sicut importat infinitam perfectionem in genere entis, ita est liber à prædictis imperfectionibus.

Ad tertium, nobilitatem substantiæ non provenire à substando, vel ab eo quod est pluribus subesse utcumque; sed ab actualitate in qua reliqua antecedit, ac proinde quamuis materia pluribus subsit, non inde nobilior erit, sed forma, quæ actualior

est, & prima actualitas entium naturalium primatum obtinebit.

Ad quartum neganda est consequentia, & ad eius probationem dicendum est: illud, quod est commune causæ, & effectui, si eodem modo conveniat utrique nobiliori modo competere causæ, quàm effectui: ceterum: esse ens, vnum, & perfectum non conveniunt formæ, & totæ eodem modo, quia formæ competunt *ut quo*, toti verò *ut quod*: & cum habere aliquid *ut quod*, sit melius, quàm habere illud *ut quod*, idèd forma erit ignobilior toto. Maximè, quia totum includit quidquid includit forma, quia ipsa est eius pars.

## Q V Æ S T I O II.

*Vtrum forma substantiales educantur de potentia materia & quid sit hoc educere*

9. Pro tituli intelligentia notandum est: nos hic non loqui de formis cælorum, neque elementorum in prima sui productione. Nam quid de illis sentiendum sit, ex dicendis questionibus sequentibus constabit; sed solum de aliis formis materialibus, nec non, & de anima nostra; & ideo in titulo non inquisivimus, an omnes formæ substantiales, & materiales, sed an formæ substantiales educantur de potentia materiæ.

### VARIÆ RATIONES DVBITANDI.

#### §. I.

10. Quamuis huius ætatis Philosophi communiter proferant formas educi ex potentia materiæ, nihilominus id aliquantulum implicatum est. Nam nihil poterit inde extrahi, vbi prius non erat: sed formæ substantiales minimè præerant in materia; quandoquidem ipsa est pura quædam potentia excludens à se omnem rationem actus: ergo, &c.

Secundò, omne quòd terminat veram creationem, non educitur ex potentia materiæ, vt docet D. Thom. 1. p. quæst. 45. art. 4. at formæ substantiales, etiam si sint materiales, terminant veram creationem: ergo, &c. Probatur minor: quia ad fieri illarum nulla tantum materia præsupponitur: ergo in ea nihil præest formæ producendæ: ergo cum forma illa verè fiat, cum antea nihil esset, fiet ex nihilo sui, ac proinde creabitur: quia vt docet D. Thom. loco citato: nihil est aliud creatio, nisi productio entis ex nihilo.

11. Quòd si utrique rationi cum antiquis Philosophis occurras, præesse aliquid formæ in materia, & aliquid de nouo produci: contra hoc est, tum quia, vel habere illud aliquid formæ, convenit materiæ ex se, vel ex vi influxus, & causalitatis agentis. Primum dici non potest, alioquin simul inuenirentur in materia formæ sibi inuicem repugnantes, nec materia esset connumeranda inter res simplices, sed inter compositas; imò & valdè compositas. Ergo habet illud aliquid formæ, ex vi actionis agentis ac proinde tale esse non præsupponitur actioni. Ergo cum forma terminat actionem agentis, fiet ex nihilo sui, & consequenter per creationem. Tum etiam, quia forma substantialis, est quid physicè simplex: ergo repugnat illam in materia præexistere, & non secundum se totam. Quòd si hoc modo



modo in materia præexisteret; fieret inde, quod antequam produceretur compositum substantiale, esset iam productum: quandoquidem ante talem productionem adest iam materia, & forma simul, quibus positus non potest non esse tale compositum.

12. Tertiò, si propter aliquam rationem formæ non fierent ex nihilo; sed educerentur ex potentia materiæ; maximè quia fiunt ex materia, ut ex subiecto præsupposito; sed hæc ratio nulla est: ergo, &c. Maior patebit dicendis in hac eadem quæstione. Minor verò probatur: quia indè fieret animam rationalem educi de potentia materiæ, quod sine errore dici non potest. Patet sequela quia sicut materia concurrat ad productionem aliarum formarum in genere causæ materialis per naturalem inclinationem, quam habet ad eadem: ita concurrat similiter ad productionem animæ: quandoquidem, & naturaliter inclinatur ad illam sicut ad alias formas; & positus certis dispositionibus in materia, sequitur productio animæ in illa, & ablatis aufertur, ut in alijs formis contingit: ergo, & cætera.

Confirmatur primò, anima pendet, tam in sua informatione, & effectu formali, quam in suo esse à materia: & tamen non educitur de potentia illius, ut statim ostendemus: ergo nec reliquæ formæ. Consequentia patet: quia non potest aliunde oriri, quod formæ educantur de potentia materiæ, nisi ex dependentia in esse ab illa, ut iam dicemus. Maior verò, quoad primam partem, scilicet quoad dependentiam effectus formalis animæ nostræ à materia, ex se patet. Quoad secundam verò etiam constat: quia formæ intimior est effectus procedens ab ea in genere causæ formalis, quam qui procedit in genere causæ efficientis: sed ex eo, quod forma non habeat effectum in genere causæ efficientis, qui non pendeat à materia, colligimus eam pendere in suo esse ab illa, ut in libris de Anima dicemus, & docet D. Thom. 1. p. quæst. 7. §. art. 1. ergo ex eo, quod non habeat effectum in genere causæ formalis independentem à materia, rectè inferetur, quod nec habeat esse independentem ab illa, quia intimior effectus magis indicat naturam causæ, ac proinde anima non minus educitur, quam cæteræ aliæ formæ, quæ idèd educuntur, quia pendunt in esse à materia.

Confirmatur secundò. Animæ nostræ, quando fit, non communicatur propria existentia, sed tantum existit *ut quo*, & per existentiam totius. Ergo pendet in esse à materia, & à toto sicut cæteræ formæ; & consequenter in fieri. Ergo cum hoc non obstat; quo minus non educatur de potentia materiæ, neque etiam id obstat in cæteris formis. Consequentia satis ex se, & ex dictis patet. Antecedens verò probatur: quia fit unita materiæ, & consequenter exercens rationem formæ;

sed forma exercens rationem formæ non est id, *quod est*, sed id, *quo* aliud est. Et-

go non fit, ut existens *ut quo*,

sed tantum, ut existens

ut *quo*, sicut aliæ.

formæ.

\*\*

*Pro decisione quæstionis aliqua prælibantur.*

## §. 11.

13. **P**ropter has difficultates quidam ex antiquis Philosophis in varia abierunt placita, quæ partim refert, & impugnat D. Tho. 1. p. q. 45. art. 8. partim in solutionibus argumentorum, quæ in hac quæstione adduximus, & iam impugnauimus; continentur: & idèd illa ulterius in medium adducere superuacaneum erit.

Ut igitur, his omissis sententiis, quæstio præsens melius decidatur, oportet secundam tituli quæstionis partem primò explicare, nimirum quidnam sit forma substantialem de potentia materiæ educi. Hoc autem eleganter expressit D. Thom. 1. p. q. 90. art. 2. ad 2. breui hæc sententia, dicens: *Alium extrahi de potentia materiæ, nihil aliud est, quàm aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia*, scilicet materiæ, ut ex contextu constat. Quæ verba si rectè expendantur satis aperiunt id, quod intendimus.

Pro eorum igitur explicatione notandum est primò: quod sicut id, quod continetur in efficiente, ut in causa, dicitur contineri in potentia actiua illius: ita id, quod continetur in materia, ut in causa materiali, dicitur contineri in potentia illius receptiua: quia vnaquæque causa debet continere effectum iuxta proprium modum cauendi illius. Efficiens quidem: quia causans quatenus est in actu, oportet ut contineat illum ratione suæ actualitatis. Materia, verò quoniam causat per modum puræ potentiæ, debet illum continere ratione suæ potentialitatis.

Cæterum ad hoc, quod detur talis continentia requiritur, ut actus, seu forma in tali potentia receptibilis, aliquo modo sit immersa materiæ: ita ut non reperiatur in ea aliquid omnino eleuatum supra conditionem illius; ac proinde, nec habeat nec connaturaliter possit habere esse, nisi dependenter à materia. Hæc autem immersio formæ in materia satis colligi potest ex eo, quod nec fluat ab illa, nec connaturaliter possit fluere aliqua operatio, sine dependentia ab eadem materia, seu quæ non fiat per organum corporeum. Vndè cum D. Thom. prærequirit ad educationem formæ quod prius esset in potentia materiæ, loquitur de continentia in illa, ut in causa materiali: quia ratione suæ potentialitatis habet esse sic causam: ac proinde loquitur de continentia in illa, ut in potentia receptiua comprehendente (eo modo quo diximus) talem formam, ut idem S. Doctor ibidem innuit.

14. Secundò, ut explicemus plura alia, quæ inuoluuntur in hoc, quod formæ contineantur in potentia materiæ, ut in causa materiali, & simul quid velit S. Doctor, cum addit ad educationem requiri formam fieri actu: notandum est quod cum materia, ut modo diximus, tantum contineat in genere causæ materialis, & in potentia formam substantialem, idèd ultra illius causalitatem requiritur causalitas, & actio agentis cuius munus est producere actu res, communicareque illis esse actuale. Cæterum actio illa, ut sit educio, non potest esse factiua materiæ, sed per se loquendo prærequirit illam iam esse productam per aliam actionem in alio instanti non solum naturæ, sed etiam temporis, ac proinde tunc debet ibidem interuenire vera transmutatio materiæ, quandoquidem transit à non esse realiter sub illa forma, quæ educitur, ad esse sub illa.

Et ratio huius prioritatis est: nam actio per quam fit materia, est simpliciter prior quàm illa, nec præsupponit ipsam aliquo modo extra causam efficientem.

tem, quin potius per illam extrahitur. At actio educit formam ex potentia materię est simpliciter posterior illa, & præsupponit eandem esse extra causam efficientem: quia pendet ab illa ut à prima causa materiali, quæ non potest causare, quin prius simpliciter causetur ab efficiente. Cumque materia non possit fieri per propriam actionem: quia nequit habere proprium esse, sed esse totius, ut supra diximus, necesse est ut actio educita formę, quæ modò educenda est, præsupponat materiam factam sub alia forma, & sub alio toto; ac proinde talis præsuppositio materię debet esse non solum præsuppositio secundum ordinem naturę, inuoluens simultatem in eadem duratione reali, sed etiam secundum ordinem durationis: alioquin duę formę substantiales; illa nimirum, quæ educitur modò, & sub qua primò materia producta est, essent simul, & in eadem duratione in illa. Quare ut iam diximus, non potest non ibi intervenire vera transmutatio materię.

15. Vltimò notandum est hinc fieri quòd hoc ipso quod forma educatur de potentia materię, non solum debet per se loquendo intervenire transmutatio illius, sed quòd talis forma debeat fieri ex vi actionis, per quam effectiue saltem transmutatur materia. Ita D. Thom. 2. contra Gent. cap. 86. Et ratio est aperta ex dictis: quia cum formę educendę contineantur in materia, ut in causa ac proinde nec habeant, nec naturaliter possint habere esse nisi dependentes à materia, & ab vnione cum illa, fit inde necessariò, ut ex vi eiusdem actionis, qua educuntur, vniantur materię; nec possit aliter eis communicari esse (naturaliter loquendo) nisi vniedo illas eidem materię, ac proinde & quòd ex vi illius actionis transmutetur materia, & rursus quòd ex vi eiusdem actionis transmutantis debeant fieri.

#### DIFFICULTATIS NODVS dissoluitur.

#### §. III.

16. Dicendum est ergo primò, formam educi de potentia materię nihil aliud esse, quàm quod forma illa prius contineatur in potentia eius, ut in causa materiali, & quod inde reducatur ad actum ex vi actionis transmutantis materiam. Assertio hæc patet ex dictis, & ex verbis D. Thom. iam relatis, nec non ex iis, quæ docet de spiritualibus creaturis art. 2. ad 8. & 2. contra Gent. cap. 86. eamque tenent Thomistę.

Dicendum est secundò formas materiales educi de potentia materię. Hæc est communis inter Doctores, & ideo non oportet singulos referre. Probatur facili ex dictis: nam formę hæc præsupponunt materiam factam in aliqua duratione temporis: quia ut initio quæstionis diximus, non loquimur hic de formis cælorum; & elementorum in prima sui productione, sub quibus creata est tota materia, & rursus hoc ipso quòd sint materiales, sunt adedò imperfectę, ut nec habeant, nec habere possint existentiam, nisi dependentes à materia: ergo continentur in illius potentialitate, ut in causa materiali, & reducuntur ad actum cum transmutatione materię, & ex vi talis transmutationis, & ex consequenti educuntur ex potentia illius. Patent omnes consequentię ex dictis, quia ex quo capite præsupponunt materiam prius prioritate temporis factam sub aliis formis, non possunt aduenire absque transmutatione illius; & ex quo capite sunt dependentes ab illa, non possunt reduci in actum, nisi ex vi actionis vnientis illas cum materia; ac proinde transmutantis ipsam.

17. Dicendum est tertio, animam rationalem non educi de potentia materię. Ita D. Th. 1. p. q. 90. art. 2. & cum eo cuncti eius discipuli, & ceteri Doctores. Sed ut eius probatio melius percipiat: supponendum est ex D. Thom. loco citato, hoc esse discrimen inter alias formas, & animam nostram, quòd ceterę formę non sunt per se, sed quasi per accidens ad productionem totius: quia totum solummodo est, quod per se primò generatur, & prædictę formę solum congenerantur, & comproducentur, ut docet Aristot. 8. Metaphysic. cap. 8. & probat. S. Thom. 1. part. quæst. citata. Ceterum anima nostra non conproducitur, sed fit per propriam actionem distinctam à generatione totius; ac proinde per creationem. Vnde ut sit homo, duę actiones requiruntur: alia quæ est productio animę, & per se primò terminatur ad illam, altera verò, qua anima vnitur corpori per quam transmutatur materia, & generatur homo. Ratio autem, ob quam anima per se producitur, est: quia habet esse per se, & ut quod etiam dum est in corpore, ut in lib. de Anima dicemus.

18. Hinc ergo facile suadetur assertio ex dictis: quia ut aliqua forma contineatur in potentia materiali materię, ut in causa; ac proinde educatur de potentia illius, oportet, fiat ex vi actionis transmutantis materiam. At anima non fit per transmutationem materię, seu vnitionem illius ad materiam, sed per aliam actionem priorem, quippe quæ habet, vel saltem naturaliter potest habere, esse independens à materia, & transmutatione eiusdem: ergo neque educitur de potentia illius.

#### SATISFIT RATIONIBVS dubitandi.

#### §. IV.

19. Ad primum ergo initio quæstionis positum, respondetur: quòd ut aliquid ex alterius potentia tanquam ex causa materiali educatur, non est necesse, ut sit in illo tanquam in actu siue formali, siue virtuale: quia hic modus continendi est proprius causę efficientis: sed satis erit, si in eius potentialitate, tanquam in casu materiali contineatur, & per transmutationem illius modo iam dicto, & infra latius etiam explicando reducat in actum. At licet materia non contineat illo priori modo formas materiales de quibus loquimur, bene tamen hoc posteriori.

Ad secundum respondetur, quòd ut forma creetur, aut concreetur, non sufficit, quòd fiat secundum totam suam intrinsecam entitatem, si semel reducit in actum ex aliquo præsupposito subiecto, & per transmutationem illius, quia creatio est productio entis ex nihilo, id est, ex nullo præsupposito subiecto.

Sed dices, quòd aliquid contineatur in potentia agentis, & inde per actionem illius extrahatur, non tollit quominus creetur, & hoc non ob aliud, nisi quia fit ex nihilo suę entitatis intrinsecę. Ergo quòd aliquid contineatur in materia, & inde extrahatur, non tollit etiam rationem creationis: quia similiter, non fit ex aliquo, quod intrinsecè pertineat ad suam intrinsecam entitatem.

Respondetur, quòd in primis effectus non extrahitur ex potentia actiua agentis propriè loquendo: quia ly ex dicit concursum materiale. Quibus adde, quòd hoc ipso quòd forma præsupponat materiam factam, & fiat ex illa, iam forma illa nec habet, nec naturaliter habere potest esse proprium; ac proinde nec proprium fieri, & ideo comproducit ad productionem totius; cumque hoc ipso quòd totum præsupponat

supponat materia, fiat ex aliquo intrinseco sibi, & consequenter non creetur, sed educatur; consequens est, ut & forma ipsa fiat per educationem. Cæterum ex hoc quod forma substantialis per se, & ratione sui contineatur in potentia activa agentis, potius sequitur posse habere proprium esse, & fieri ut *quod*, ac proinde si fiat ex nihilo sui, tunc creari.

20. Ad tertium patet ex dictis, nam etsi materia habeat naturalem inclinationem ad animam, & ideo ex eis fiat unum ens per se; tamen non fit per transmutationem illius, sed per aliam actionem, quæ prius natura terminatur ad animam, quam subsequitur alia actio transmutativa materię, scilicet unio. Unde etsi homo fiat per educationem ex potentia materię, quia fit ex vi transmutationis materię: non tamen anima.

Nec refert quod anima non creetur, nisi sit materia aliquo modo disposita. Non inquam hoc refert, quia hoc quod est materiam disponi, fit alia actione, & solum requiritur connaturaliter loquendo tanquam occasio exigens creationem animę, sine qua nec ipsi animę debetur ut fiat, neque causa prima ad illius effectum concurrat.

Ad primam confirmationem respondetur, quod etsi effectus formalis sit intimior formę quatenus per hoc denotatur, in eodem involui ipsam formam; quia nihil est aliud, si de eo cum præcisione loquamur, quam forma unita materię; non tamen quoad hoc quod est formam sequi naturam illius, nisi quando forma est talis naturę, ut non possit consistere sine ipso. At quando forma est elevatior, & separabilis ab illo, tunc etsi effectus nequeat reperiri sine materia, quia nequit forma actuare, quin materia recipiat: bene tamen ipsa forma; quia si semel est separabilis à suo effectu formali, erit utique separabilis ab ipsa materia.

Ad secundam confirmationem negandum est antecedens. Ad probationem respondetur animam priusquam uniatur, fieri per aliam actionem, forma autem, quæ priusquam uniatur & exerceat rationem formę; terminat propriam actionem, habet proprium esse ut *quod*.

## QVÆSTIO III.

*An forma cælorum fuerint de potentia materia educæ.*

**Q**UAMVIS quæstio hæc, ferè decisa maneat ex dictis in præcedenti: quia tamen plures ex Iunioribus eam excitant, & aliqua adducunt argumenta solutione digna, & alia involuunt, quæ specialem perunt impugnationem, ideo oportuit præsentem quæst. excitare: maxime quia ex illius decisione plenior remanebit intelligentia illius communis pronuntiati ad hanc disputationem specialiter spectantis, scilicet formas educi ex potentia materię.

*Quid sentiant Molina, & alij.*

### §. I.

21. **P**artem affirmativam tuentur Molina & Valquez 1. p. q. 45. art. 1. & cum eis plurimi ex Iunioribus, quos refert, & sequitur Rubio in præfenti tract. 2. de Forma q. 2.

Probatur primò, nam formę hæc pendent in esse à materia: tum quia materiales sunt, & in hoc di-  
*Colleg. Compl. Physic.*

stinguuntur formę spirituales à materialibus, quod illæ sunt independentes à materia, ut patet in anima nostra, secus, verò istæ: tum etiam, quia non habent operationem independentem à materia, & qualis est modus operandi, talis est modus essendi: ergo dependent etiam in fieri ab illa, ergo non creantur, sed educuntur de potentia materię fuerunt.

Patet prima consequentia, quia quale est esse, tale est fieri, cum fieri sit via ad esse. Ergo quæ pendent in esse à materia, pendent utique eadem in fieri. Ex quo etiam 2. consequentia satis patet, quia quæ dependent à materia in fieri, ac proinde sunt ex præsupposito subiecto, sicut non sunt ex nihilo, ita nec creantur, sed educuntur ex prædicti subiecti potentialitate.

22. Secundò, formę istæ nec fuerunt creatæ per partiales creationes, nec per creationem totius con- creatæ: sed præter creationem non datur alia actio, per quam fiant formę substantiales, nisi educio: ergo non creantur aut concreantur, sed educuntur fuerunt.

Minor satis constat, quia omnis actio vel est ex præsupposito subiecto, vel non: si secundum, erit creatio; si primum, educio.

Maiores in qua est difficultas sic, quoad primam illius partem, probatur; quia cum hæc formę secundum totum suum esse pendeant à materia ut à sustentante, nequeunt habere propriam subsistentiam, etiam partialem. Ergo nec per partialem creationem creari.

Patet consequentia, quoniam, ut inquit D. Th. 1. p. q. 45. art. 5. creati est rei subsistentis. Ergo sicut creati non potest per creationem completam & totalem, nisi subsistens completum: sic neque per partialem, quod non habuerit aliquam subsistentiam, saltem partialem.

Quoad secundam verò partem, scilicet non fuisse concretas ad creationem totius, sic suadetur à Valquez eadem maior. Omne esse, quod ex aliquo est, aut constituitur, dicitur etiam fieri ex illo: quia unumquodque fit ex eo, à quo constituitur: sed totum compositum est, & constituitur ex materia tanquam ex subiecto, & ex forma tanquam ex principio formali: ergo fit ex illis tanquam ex aliquo priori, prioritate saltem naturę. Ergo tale totum non creatur, & consequenter nec partes ad creationem illius concreabuntur.

Patet hæc penultima consequentia: quia quod creatur, fit ex nihilo, nihil autem excludit omne subiectum, vel etiam principium constituens, quod prioritate saltem naturę sit prius.

*Præfertur sententia D. Tho. & expenditur primum fundamentum illius.*

### §. II.

23. **S**ed nihilominus dicendum est, formas has in prima sui productione non esse educas de potentia materię; sed ad creationem totius concretas. Hæc est expressa sententia Arist. in lib. de Cælo, ubi inquit cælum esse ingenerabile, & D. Thomas prima parte, quæst. 46. art. 3. in argumento, *sed contra* ex scriptura petito. Et in solutione ad 2. & quæst. 65. art. 3. & in corpore. Quem sequuntur Suarez 1. tomo Metaph. disp. 15. sect. 2. in fine, & communiter Thomistæ, & ideo non oportet singulos referre.

Probat in primis ex illo Genes. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Quod testimonium, quoad cælum, intelligunt communiter sancti Patres de vera creatione, ut optime notavit Doctor Monachinos, 1. 2. q. 112. disput. 3. n. 34.

24. Secundò probatur ratione ex dictis q. præced. & ex D. Th. loco citato desumpta. Partes per se  
*D* nec

nec fiunt, nec producantur, sed ad productionem totius comproducantur: ac cælum & elementa creata sunt: ergo formæ illorum non fuerunt educæ, sed creata ad creationem totius.

Maiores est Div. Thom. dicta quæst. 46. quam sæpè in ea repetit, manifestèque deducitur ex iis, quæ disp. 3 ex eodem sancto Doctore retulimus scilicet partes ex se non habere esse, sed ad totius existentiam coexistere. Ex quo hæc inferri potest probatio, quam D. Thom. in prædicta quæstione in hunc etiam finem format. Fieri ordinatur ad esse ergo cuius est esse, eius est fieri, & quorum tantum est coesse ad existentiam, ut in partibus contingit illorum tantum erit comproduci sed productionem alterius, scilicet totius.

Minor verò nimirum cælum creari, sic ostenditur: quia hoc ipso, quod ad creationem totius non præsupponatur materia facta per aliam actionem, necesse est, ut totum illud fiat ex nihilo sui ac proinde creetur quandoquidem nec materia, nec forma, aut quippiam aliud ad ipsum pertinens præsupponitur factum. Sed materia cælorum non potest præsupponi facta per aliam actionem: quia nec per se potest fieri, ut modò dicebamus: nec fuit aliud totum prius, ad cuius productionem comproducta fuerit, ut supponimus: ergo totum cælum fuit factum ex nihilo sui; proinde per creationem.

Confirmatur, & explicatur: Materia primo cælorum non potuit esse genita; quia est ingenerabilis, neque adducta ex potentia subiecti: quia est primum subiectum. Ergo fuit concreata ad creationem totius: nam ex quo capite fuit ex nihilo debuit actio ad illam terminata habere rationem creationis, & ex quo capite non subsistit per se sed ad subsistentiam totius; non fuit creata per se, sed ad creationem totius cæli concreata est, & consequenter etiam formæ illorum concreatæ fuerunt.

Paret hæc ultima consequentia, quia ad creationem totius non sufficit creatio materiæ, si semel forma de potentia illius educitur, ut patet in generatione, v. g. equi, in qua etsi materia præsupponatur modo dicto creata, attamen quia forma educata est, ideo equus non creatus, sed genitus, & educatus est.

Confugiunt aduersarij ad suas actiones & existentias partiales dicentes: materiam quippe ens essentialiter diminutum, tam in esse essentiali, quam existentiali, fieri per actionem creatiuam sibi propriam & partialem, priusquam fiat forma cæli, cumque actio alia productiua formæ inueniat materiam productam, & aliàs forma pendeat in suo esse à materia: non poterit non prædicta actio esse ex præsupposito subiecto; ac proinde erit educatio.

Sed hæc solutio vna cum suo fundamento de existentis partialibus satis corrumpitur, ex dictis disp. 3. num. 5. & adhuc contra illam urget, quod gratis admissis prædictis actionibus, non potest non saltem naturaliter loquendo, actio partialis productiua materiæ esse vnita cum altera actione, quæ sit partialis, scilicet cum productione formæ: quia omnis pars, vnica excepta anima rationali debet esse vnita cum sua comparte: imo non utcumque prædicta actio debet vniri cum alia actione partiali, sed ita ut actio productiua formæ habeat rationem actus sicut & productiua materiæ rationem potentie: quia termini partiales per ipsas producti hoc modo inter se vniuntur. Ergo cum actio quæ se habet per modum actus non sit ignobilior illa, quæ se habet per modum potentie, & oportebit, quod sicut hæc posterior est creatio, ita etiam illa prior. Alioquin esset ignobilior. Ac proinde cum per hanc actionem fiat forma, consequens erit, ut talis forma, taleque totum creetur. Nec obstat quod forma illa pendeat in esse à materia, quia agens infi-

nitum bene potest per actionem independentem à materia efficere id, quod aliàs ab illa pendet.

*Examinatur secundum fundamentum doctrinæ Thomisticæ.*

### S. III.

28. **V**ltima ratio principalis quæ etiam ex dictis ex Div. Thoma quæstione præcedenti sumitur, & hic ampliùs illustrabitur, sic se habet. Ad educationem formæ de potentia materiæ requiritur: ut forma illa fiat per transmutationem, & ex vi transmutationis materiæ, Sed formæ cælorum in prima sui productione non fuerunt factæ cum mutatione, & ex vi transmutationis materiæ: ergo neque educæ.

Maiores probatur ex dictis quæstione præcedenti; nam ut ex Diuo Thoma vidimus, formam educi, est, quod contineatur in potentia materiæ: ac proinde pendeat ab illa in esse, & quod fiat actu virtute agentis. Unde ex quo capite forma illa est in potentia materiæ, & inde extrahitur virtute agentis necesse est quod materia transeat ab hoc quod est habere illam in potentia ad hoc quod est habere eandem in actu, ac proinde quod mutetur. Et ex quo capite hoc ipso quod contineatur in potentia materiæ pendet ab illa in esse, oportet ut illa actio educiua sit vnitiua formæ cum materia: alioqui prædicta forma esse non posset interum natura, & consequenter oportebit, quod ex vi talis actionis materia transmutetur.

Minor verò probatur, quia ibi nulla intercessit mutatio quandoquidem ad mutationem requiritur, ut materia transeat à priuatione ad habitum, ut sic aliter se habeat nunc, quam prius. At materia non præcessit priuata prædictis formis: quia ut supponimus, nunquam fuit sine forma, & prædictæ formæ fuerunt primæ formæ, sub quibus producta est: ergo neque ibi præcessit ulla mutatio; atque adeo neque educatio.

Confirmatur: materia cæli semper se habet eodem modo, respectu suæ formæ: quia ex quo producta fuit semper est in actuali possessione illius: ergo nulla ibi præcessit mutatio: ergo, &c.

27. Respondebis cum pluribus ex aduersariis, ad mutationem non requiri materiā præcedere in aliquo instanti reali sine forma, sed satis est quod præcedat priuata illa in aliquo instanti naturæ, & significationis quatenus in illo primo signo facta fuit materia præcisè, secundum suam potentialitatem: & ita tunc non intelligitur habere formam, ac proinde intelligitur esse sub priuatione illius, & in secundo signo producitur forma, & consequenter intelligitur transire ab hoc quod est non habere illam secundum se & in priori signo, ad habere eam in posteriori.

Explicantur & confirmantur hoc ipsum: tum quia in omni generatione substantiali debet esse in instanti generationis terminus à quo, scilicet priuatio, & ad quem, nimirum forma; alioquin generatio non esset mutatio. At tunc non datur priuatio nisi tantum pro aliquo priori & signo rationis, ut constat. Tum etiam, nam gratia Angelorum facta fuit per educationem, ut ex Div. Thom. qu. sequen. dicemus, & tamen habuerunt illam Angeli in primo instanti sue creationis, ut docet idem S. Doct. 1. p. quæst. 26. art. 3. iuxta illud August. à D. Thom. ibidem relati *Et erat Deus in illis condens naturam, & largiens gratiam.*

28. Sed solutio non est sufficiens, 1. quoniam etsi demus posse esse veram educationem de poten-

Subiecti, quando subiectum præcedit ordine naturæ productum per actionem propriam; ut contingit in exemplis huius solutionis; secus tamen dicendum est, quando non ita præcedit; sed per illammet actionem comproducitur; per quam forma illa fit. Quia tunc sicut actio illa productiua formæ, & totius attingit subiectum: ita est productio ex nullo præsupposito subiecto; & consequenter non potest esseeductio, sed creatio.

At in præsentī materiæ cælorum & elementorum non præcesserunt factæ per propriam actionem, ut ostensum est; sed per illammet comproducentur, per quam formæ illæ comproductæ sunt. Ergo illa naturæ prioritas nihil illis prodest, ad hoc ut formæ prædictæ ex earumdem potentia educantur.

Secundò impugnatur eadem solutio: quoniam in præsentī loquimur de vera & reali mutatione; ac proinde debet præfuisse in materia vera & realis priuatio: nam sicut mutatio requirit transitum à priuatione ad habitum: ita vera & realis mutatio, veram & realempriuationem.

Sed vera & realis priuatio debet ad minus per aliquod reale instans durare. Ergo cum materia in productione cælorum, & prima affectione elementorum, non præfuerit in aliquo instanti reali, priuata, forma, fiet inde, ut nec habuerit realiter priuationem.

Minor patet, nam sicut non potest subiectum esse verè & realiter informatum per formam; nisi in aliquo instanti temporis: ita non potest verè & realiter esse priuatum illa nisi saltem per instans habeat carentiā eiusdem: quia cum nimium mensuræ realis sit instans temporis, debet ad minus esse per tale instans.

29. Confirmatur primò, nam inquirimus an fuerit materia in aliquo instanti realiter priuata forma; vel non: si primum, ergo non habet tunc realiter formam, quandoquidem non potest materia habere simul realiter formam & priuationem illius: ac proinde creata fuisset nuda, & sine omni forma, quod & falsum est, & contra id, quod in hac quæstione supponitur.

Si verò nunquam fuit realiter priuata forma, ergo nec realiter mutatur: neque potest positivè intelligi, quòd sit sine forma, quia ad realempriuationem requiritur, quòd aliquando fuerit in materia realis priuatio, & nihil potest positivè, & cum fundamento in te intelligi esse realiter sine aliqua forma, si realiter habeat illam, ita ut nunquam ea caruerit.

Confirmatur secundò, nam quod aliquid sit prius prioritate tantum secundum naturam, & à quo, quàm aliud, non tollit, quòd utrumque inueniatur simul in eodem instanti realiter: imò prioritas ista, quando præcisè est prioritas à quo petit simultatem utriusque in eodem instanti: quia talis prioritas explicatur per hoc, quòd licet vnum pendeat ab alio; non tamen vnum sit sine alio: ergo si in materia potest præcedere priuatio formæ cum sola prioritate naturæ, & à quo, ita ut nunquam materia caruerit realiter tali forma: fiet inde, ut ex vi huius prioritatis petatur, quòd utrumque sit simul in eodem instanti, ac proinde quòd simul materia habeat formam, & careat illa.

At hoc sanè implicat, tum quia cum forma per se petat excludere priuationem, non potest per se petere simultatem cum ea in eodem instanti: tum etiam quia cum minima duratio realis sit instans, non potest inueniri in eodem instanti esse, & non esse priuationis: quia quodlibet istorum petit ad minus vnum instans.

30. Confirmatur tandem, & simul impugnatur fundamentum præcipuum huius solutionis: quia aliud est materiā quantum est de se, non habere formam, seu quòd intelligatur sine forma negativè, id est, non intellecta forma: aliud verò, quòd intelligatur positivè

Colleg. Compl. Physic.

esse sine forma: illud prius satis patet esse verum, hoc secundum est falsum: quia aliàs materia posset esse sine forma: nam in iis, quæ distinguuntur realiter, si vnum intelligitur positivè esse sine alio, non dependet essentialiter ab illo; ac proinde potest saltem supernaturaliter esse sine ipso. Cæterum ad priuationem quæ est terminus à quo mutationis, non satis est illud prius sed desideratur hoc posterius.

Et ratio est aperta: quia terminus à quo mutationis non potest manere in termino ad quem, ut de se constat: quoniam mutatio est transitus à termino à quo ad terminum ad quem. At postquam materia est in termino ad quem, scilicet sub forma, adhuc conservat quòd de se non habeat illam, aut quòd possit intelligi non intellecta forma, modo tamen iam dicto; ergo hic modus ( si sic licet loqui ) carenti formæ non est satis ad veram mutationem.

31. Nec contra hoc quidquam obest, id quod de generatione substantiali dicebatur: nimirum materiam in instanti generationis præcedere priuatā forma introducenda pro aliquo tantum priori & signo naturæ.

Nam ad hoc satis constabit ex iis, quæ infra disp. 15. n. 12. dicemus, dum explicuerimus quomodo generationi substantiali, etiam si sit instantanea mutatio, conveniat definitio motus: quia licet id, quod non præcessit in aliquo reali instanti priuatum forma, non possit cum fundamento in re intelligi, quod postea in instanti generationis præintelligatur, quod in aliquo signo rationis caret illa; secus tamen est, quando in præcedenti duratione revera habuit priuationem talis formæ: nam tunc licet in instanti generationis sit non esse talis priuationis, potest tamen subiectum aliquo modo præintelligi sub illa, ut ibidem dicemus.

Sicut neque etiam obest illud, quòd de gratia Angelorum de potentia obedienciali eorumdemeducta, & in primo instanti eisdem concessa, in prædicta solutione adducitur: quia in ea & in pluribus aliis accidentibus in eodem instanti vna cum subiecto productis, imò & in aliquibus generationibus substantialibus est specialis ratio, quam quæst. seq. agentes de educatione formæ accidentalis à suis subiectis, commodius explicabimus.

Adde, quòd prædicta gratia præsupponit subiectum iam factum per propriam actionem in aliqua reali prioritate naturæ, & ideo licet demus eam esseeductam, non ob id formæ cælorum & elementorum in prima sui productione educuntur, propter rationem dictam.

Respondetur argumentis, Molina, & sequacium.

#### §. IV.

32. AD primum ergo pro prima sententia resp. cum Nazario 1. p. q. 45. art. 4. controu. vnica; ad educationem non satis esse pendere ab alio utcumque in esse, id est, tanquam à priori, per solam prioritatem naturæ, à quo, sed desiderari, quòd pendeat actu ab illo tanquam ab aliquo priori: & antea productum per productionem distinctam sibi propriam & per se peritam, ac proinde per se loquendo tanquam ab aliquo priore prioritate alicuius instantis realis, quamvis per accidens fieri possit, ut aliquando concomitanter producantur eodē instanti; ad hæc prioritas non inuenitur in præsentī, ut ex dictis constat.

Explicatur hoc, licet gratis demus cælū non fuisse creatum ( cuius oppositum ex iam dictis patet ) attamen negari non debet posse saltem per diuinam potentiam creari secundum esse, quòd modò habet: quia agēs

D 2 infinitum



Infinum non pendet necessarîo in sua actione ab aliquo subiecto. Cumque eius forma & eius esse ac proinde, & esse totius, pendeat à materia, & è contra materia à forma, & à toto, & consequenter sit ibidem vera proprietas naturæ, & à quo, fieret inde, quòd si semel hæc dependentia in esse, hæcque prioritas obesset creationi, quòd non posset Deus secundum suum esse creare, quod sanè absurdum est.

36. Ex quo ad secundum patet: formas has concretas: quia subsistunt ad subsistentiam totius. Nec obstat probatio ibidem facta: nam in primis, licet forma constituat totum, non fit ex illa, quia *ly ex*, dicit causalitatem materialem. Vnde aliud est id, quod sic ponatur vel constituatur ab aliquo: aliud verò quod fiat ex illo. Nam ad primum solum requiritur, ut id quod fit, componatur, vel constituatur ab illo, ita ut per tale fieri producat sic constitutum, seu sic compositum. At verò ad hoc posterius desideratur, quod illud compositum componatur ex tali subiecto: & pendeat ab illo, non tanquam ab habente qualemcumque prioritatem naturæ, & à quo; sed prioritatem iam dictam, ac proinde per se loquendo prioritatem realem in quo: cumque hæc prioritas non inueniatur in præsentî, sed potius oppositum exigatur: ideo nequit conui in prima productione fieri ex materia.

#### Q V Æ S T I O IV.

*An forme elementorum in prima sui productione fuerint de potentia materiæeductæ.*

Sicut quæstio præcedens ex dictis in anteriori constabat: ita & hæc ex iis, quæ in utraque diximus decisa manebat. Sed quia aliquibus obiectionibus scitu dignis, oportet satisfieri, & solutiones earum doctrinam satis necessariam continent, idè sigillatim illam excitamus, ut sic clariùs, & distinctius procedamus.

34. Partem ergo affirmantem tuentur Molina, V. sq. Rub. locis citatis, quæst. præced. Suarez 2. tomo Metaph. dub. 15. sect. 2. Fundamentum est: nam hæc formæ tales sunt ut etiam in 1. productione non postulent fieri eadem actione, qua fit materia sed præsupponunt illam creatam per proprium fieri, & per aliam actionem, quæ sit posterior natura, inducuntur in materiam: ergo talis actio non potest non esse veraeductio.

Pater consequentia: quia cum præsupponant materiam factam, & aliàs pendeant ab illa in esse, non poterunt non pendere in fieri, ac proinde non poterunt non educi.

Antecedens verò probatur: nam actio illa, per quam materia elementaris creata fuit talis est naturæ, ut, usque nunc perseveret eademmet conservando materiam: quandoquidem conservatio est continuata productio.

Vnde, sicut eandem materiæ entitas nunc perseverat: ita & eadem actio conservans illam in esse productio: at actio ad formam, vel compositum, elementare, v. g. ad ignem terminata cessavit cessantibus ipsis: signum igitur est actiones illas esse ex natura rei diversas.

35. Dicendum tamen est, elementa in prima sui productione fuisse creata, ac proinde earum formas concretas. Ita Div. Thom. locis citatis q. præced. pro assertionem nostram, & communiter Thomistæ.

Probatur primò ex testimonio Scripturæ ibidem relato: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Nam etiam quoad terram, ac proinde quoad alia prima corpora esse intelligendum de propria creatione,

docuit divus Thomas prima parte quæstione 65. art. 3. ubi probat Angelos non fuisse assumptos, ut instrumenta ad primam creaturæ corporalis productionem, quia prima corpora producta sunt per creationem; creatura autem nequit assumi, ut instrumentum ad creandum.

Nec necesse erit assertionem hanc aliis novis rationibus, præter eas quæ in precedenti quæst. pro nostra assertionem adductæ sunt, confirmare: quia illæ non minus hanc, quàm illa convincunt, ut intuitu patet.

66. Ad fundamentum ergo primæ sententiæ responderetur, negando antecedens.

Et ad probationem responderetur, actionem illam concretam materiæ, ut formaliter est conservatio illius, cessare: quia sicut illa actio non erat conservatio materiæ, nisi ad conservationem totius: ita cessante in esse conservationis totius, cessat ut est conservatio materiæ: quare in illo instanti, in quo cessat, conservabitur materia per actionem generativam compositi advenientis, per quam effectivè habet, ut existat per existentiam prædicti compositi: sicut, & in tempore subsequenti conservatur per eandem conservationem, per quam & totum compositum; quia sicut non existit, nisi ad existentiam alterius, ita nec conservatur, nisi ad alterius conservationem.

Nec refert si dicas, quòd durare & conservari se persistere in esse, sed materia non persistit in illo instanti in esse existentie, quod habet à novo composito, sed incipit existere per illud: sicut & illa existentia & forma, nec non & compositum tunc primò sunt in rerum natura: ergo ex vi illius existentie aut actionis, per quam prædicta existentia ei communicatur; non habet conservari.

Non inquam hoc refert, nam ad hoc quod res dicatur conservari, satis est, ut entitas essentia quæ est sub existentia, persistat, siue hæc persistens sit sub existentia diversorum compositorum, ad quorum existentiam eadem illa partialis entitas coexistat, siue sit semper sub eadem existentia: & ita licet compositum de novo incipiat, & materia incipiat de novo existere; aut coexistere per existentiam illius: quia tamen non incipit existere de novo absolute, ideo tunc dicitur conservari per actionem prædicti agentis: quia media illa persistit absolute in esse.

37. Secundò responderi potest, quòd ut N. zarinus innuit loco citato, materia in illo instanti revera non conservatur per solam actionem generativam compositi illius: quia actio conservativa talis est naturæ; ut quantum est de se, produceret id quod conservat, si non inveniret illud productum: at actio illa generativa non posset producere materiam, si non invenisset illam extra causas, ut patet.

Vnde, etsi illa actio attingat productionem existentie, per quam materia existit; quia tamen non potest attingere entitatem essentia materiæ primæ, quia actio ad illam terminata, per quam producit vel conservatur, debet esse ex nihilo: idè ad talem conservationem desideratur, & adest ibi alia actio Dei, per quam conservat materiam primam & attingit immediatè essentiam illius, quæque modo statim dicendo produceret illam ex nihilo, si non invenisset eam iam productam.

38. Sed statim contra hæc videntur insurgere multa ex iis, quæ à nobis nuper dicta & stabilita sunt.

Primò, quia inde fieret materiam primam habere propriam existentiam. Patet sequela ex ratione à nobis sæpè inculcata, scilicet, quòd cum fieri terminetur ad esse: illorum tantum est fieri, quorum est esse & è contra; ergo si semel materia fit per propriam & peculiarem

peculiarem actionem ad ipsam terminatam, poterit habere propriam existentiam; vel si est incapax propriæ existentiz, nequibit per propriam & peculiarem actionem ad ipsam per se primò terminatam fieri.

Secundò, vel illa actio est totalis vel partialis: non totalis, quia præcisè terminatur ad partem: non partialis, quia actio partialis petit aliam actionem partialem tanquam compartem sui. At in productione noui illius compositi, non adest illa actio partialis: quia illa, per quam producit forma, attingit etiam per se primò compositum, ac proinde est totalis. Imò licet daretur alia actio partialis, non posset vniri cum hac actione terminata ad materiam, vt patet ex iis, quæ contra hanc vnionem actionum partialium diximus disp. 3. q. 7. & partim retigimus in hac eadem quæst.

39. Ad primam ex iis obiectionibus neganda est sequela. Ad probationem dicendum est, dupliciter posse aliquid fieri, conseruari per propriam actionem; vel ita vt per se fiat, aut conseruetur per illam, ac proinde semper perat proprium fieri; vel ita vt tantum per accidens; & ob indigentiam alterius sc. compositi id cōtingat: nimirum quia iuxta circumstantias tunc occurrentes nō potest aliter subueniri prædictæ indigentiz.

Licet ergo id quod fit per propriam actionem priori modo, possit habere propriam existentiam vt probatio rectè concludit, non tamen quod fit, aut conseruetur per propriam actionem posteriori modo, & per accidens. At materia conseruetur tunc per propriam actionem hoc vltimo modo: quia nimirum corrupta est forma, ad cuius conseruationem conseruabatur, & corruptio non est per se à natura; sed per accidens. Item conseruetur per propriam actionem, præcisè ob indigentiam tam totius compositi, quàm ob illam, qua agens illud particulate introducens nouam illam formam indiget materia: cumque totum compositum, aut agens illud non indigeat quod communicetur materiæ propria existentia: quia media forma totius, quam de nouo introducit agens, potest existere: idèd actio illa conseruatiua materiæ, vel vt melius dicamus desiderata ad conseruationem eiusdem materiæ vna cum actione agentis naturalis producentis prædictum compositum non communicat materiæ propriam existentiam: quia talis actio ponitur ob indigentiam compositi, & agentis: & non aliter, & ita solum terminatur ad realem entitatem essentiz materiæ primæ.

Quare ad hoc vt aliquid fiat, aut conseruetur per propriam actionem, provt propria actio abstrahit ab his duabus enumeratis; satis est, vel quod illa actio communicet proprium esse existentiz, vel quod habeat necessariò adiunctam aliam actionem, quæ communicet formam, & esse à tali forma dimanans. Vnde, etsi materia nequeat terminare propriam actionem dantem esse existentiz, benè tamen propriam actionem quæ solum terminetur ad realem entitatem essentiz, & habeat inuiolabilem nexum cum alia actione producente compositum, & in illo tribuente materiæ esse prædicti compositi. Quia materia, & habet propriam entitatem realem essentiz, per quam saltem per accidens possit terminare illam actionem, & est capax existendi per existentiam totius, quod componit.

40. Et possunt hæc omnia non parum illustrari, & confirmari sequenti exemplo. Nam quando corumpuntur species sacramentales, & generantur vermes, tunc in puncto generationis, & ex vi præcedentis miraculi conuerteritur quantitatis illius hostiæ consecratæ in materiam primam, & ea semel per conuersionem producta, virtute agentis naturalis gene-

rantur vermes, vt docet Diuus Thomas 3. p. q. 77. art. 5. Sic enim intelligunt S. Doctorem Caiet. ibid. Bañez 1. p. q. 45. art. 5. Capreol. in 4. dist. 12. & communiter recentiores Thomistæ, & tamen in via S. Thom. per illam actionem non communicatur materiæ propria existentia, quia est incapax illius etiam in ordine ad diuinam potentiam, quamuis prædicta actio habeat necessarium nexum cum alia actione, quæ producat formam, & communicet materiæ existentiam propriam compositi. Et ratio est eadem in vtraque causa: nimirum materia illa, & per accidens fit per propriam actionem; scilicet quia materia panis, quæ erat sub illis speciebus definit esse per conuersionem ipsius, totiusque substantiæ panis in corpus Christi: & quia solum fit ob indigentiam compositi de nouo gignendi, nec non & agentis naturalis, quod generaturum est tale compositum.

41. Ad secundam obiectionem respondetur, illam actionem esse entitatiuè ipsammet actionem immanentem Dei, simul tamen virtualiter transeuntem; non verò actionem aliquam formaliter transeuntem, sicut eam ponunt aduersarij, & idèd non eget vnione cum alia comparatè, licet necessariò desideretur altera actio, quæ producat formam, & tribuat esse existentiz: quia tam forma quàm existentia sunt necessaria ad conseruationem materiæ.

## Q V Æ S T I O V.

*Vtrum omnes forma accidentales educantur de potentia subiecti.*

42. **P**RO tituli intelligentia notandum est primò: quod consultò non diximus, *An educantur de potentia materia prima*, sed, *de potentia subiecti*; quia subiectum respectu illarum se habet, sicut materia prima respectu formarum substantialium. Supponimus autem modò, quod accidentia materialia subiectantur in toto composito, non verò in sola materia prima, vt in libris de generatione dicimus.

Secundò notandum est, formam accidentalem esse in multiplici differentia: alia enim est connaturalis subiecto: vt calor igni, & frigus aquæ. Alia verò est violenta: vt calor respectu aquæ, quæ proindè recipitur in subiecto contra propriam inclinationem. Aliz formæ sunt intentionales: vt species visibiles receptæ in aëre, quæ nec sunt connaturales, & debitz subiecto, nec subiectum resistit productioni illarum, aut illas petit. Aliz sunt artificiales: vt formæ cathedræ, domus, &c. Quæ quidem fiunt ab arte. Aliz tandem sunt supernaturales, & diuini ordinis; vt gratia habitualis, quæ talis sunt naturæ, vt petant fieri à Deo, vt est agens supernaturale.

Vnde consequenter multiplex distinguenda est potentia. Alia connaturalis, quæ respicit formam connaturalem. Alia violenta, quæ est in ordine ad formam, quæ recipitur in subiecto contra propriam inclinationem. Alia obediens, & hæc est duplex; vna quæ est præcisè in ordine ad agens liberum, & artificiale: altera verò, quæ est in ordine ad Deum, vt est agens supernaturale, & inducens formam supernaturalem supra totam capacitatem subiecti. Hoc ergo supposito, vt educatio formarum maneat exactius explicata, hanc addidimus quæstionem, an omnes hæc formæ ex potentia suorum subiectorum eisdem correspondentibus educantur.

*Refertur prior sententia,*

## §. I.

43. **P**rima sententia asserit solas formas accidentales, & connaturales subiecto educi de potentia illius. Hanc videtur tenere Soncinas 7. Metaph. q. 8. Egid. in 1. distinct. 3. quæst. 2. Argent. ibidem art. 3. & Carthusian. quæst. 1. quatenus ideò dicunt formas intentionales non educi de potentia subiecti: quia non præest; in illo inclinatio naturalis ad eas.

Et probari potest primò: quia ad hoc ut formæ educantur de potentia subiecti necesse est, ut contineantur in illo tanquam in causa, ut ex dictis quæst. 2. huius disputationis constat; sed nec formæ supernaturales, nec violentæ, aut artificiales continentur in illo ut in causa; benè tamen formæ connaturales suis subiectis: ergo hæ solæ, non illæ educuntur, de potentia suorum subiectorum.

Minor quoad formas supernaturales videtur perspicua; nam quod continetur in alio tanquam in causa, est eiusdem ordinis, cum illo; alioqui si causa manet improporcionata, & inferioris ordinis, nequibit continere rem superioris ordinis, quam non attingit: sed formæ hæ supernaturales semper ad diuersum, & superiorem ordinem pertinent, ac proinde subiectum, quod est inferioris ordinis remanet, improporcionatum respectu illarum; ergo non continentur in ipso tanquam in causa.

Ex quo etiam potest aliququaliter probatio eiusdem minoris pro formis violentis intentionalibus, & artificialibus colligi. Nam causa dicit connaturalem inclinationem ad effectus, quos continet, unde habent naturalem appetitum ad causandum illos; at respectu formarum prædictarum non est in subiecto naturalis hæc inclinatio: quæ non sunt connaturales illi, nec debite eidem, sicut sunt connaturales, & debite formæ, ad quas subiectum habet naturalem inclinationem: ergo prædictæ formæ non continebuntur in suis subiectis ut in causis. Ex quo tandem eadem minor quoad formas naturales, scilicet illas educi de potentia sui subiecti, satis constat.

44. Confirmatur: formæ violentæ, motusque violentus non educitur ex potentia sui obiecti: ergo neque reliquæ formæ accidentales præter eas, quæ sunt connaturales suis subiectis. Probatur antecedens: nam subiectum non conatur ad productionem illius, sed potius resistit: ergo non educitur ex eius potentialitate; siquidem non continetur in eo, sed potius oppositum talis formæ talisque motus. Ex quo etiam prima consequentia probatur: quia forma, & motus violentus pendet in esse, & fieri à materia, & nihilominus non educitur: ergo aliquid aliud requiritur ad educationem præter hanc dependentiam: cumque illud non possit esse aliud quam quoddam forma educenda sit debita materiæ: sicut quilibet effectus debitus est suæ causæ, consequens est, ut cum solæ formæ naturales sint debite suis subiectis, solæ ipsæ de potentia subiectorum educantur.

45. Secundò: gratia, & virtutes infusæ non fuerunt productæ per educationem: ergo nec reliquæ formæ, quæ non sunt connaturales suis subiectis. Paret consequentia: quia cum formæ supernaturales dependant in esse à subiectis nihil potest obesse quominus educantur: nisi quia non sunt connaturales suis subiectis. Antecedens verò probatur: tum quia in scriptura productio gratiæ, atque adeò reliquarum virtutum vocatur creatio iuxta illud Psalmi: *Cor mundum crea in me Deus*: tum etiam quia omnia prædicta infunduntur à Deo, ut docet Trident. sess. 9. de iustifi-

cat. cap. 7. At quod educitur de potentia subiecti, & consequenter in eo continetur, non infunditur, ut ex se constare videtur: ergo, &c..

Confirmatur: quoniam gratia, & prædictæ virtutes sunt ex se incorruptibiles, quippe quæ sunt eiusdem speciei cum gratia, & virtutibus Beatorum, quas tamen constat esse incorruptibiles: ergo etiam sunt ingenerabiles, & ineducibiles. Paret consequentia: quia quæ sunt incorruptibilia, sunt etiam ingenerabilia, & ineducibilia ex potentia subiecti, ut constat in cælis, & Angelis.

*Notationes pro elucidatione sententia Thomistica.*

## §. II.

46. **P**ro decisione huius quæstionis notandum est primò accidentia esse in duplici differentia: alia, quæ per se petunt fieri eodem instanti, ac subiectum: quia sunt debita illi, dimanantque ab illius essentia, ac proinde fiunt vnà cum ipso; alia verò, quæ per se non petunt simul, & in eadem duratione fieri cum subiecto, quamvis per accidens contingat simul cum illo fieri: quia subiectum posset naturaliter esse sine tali accidente; & illud accidens, quantum est ex se, posset æquè reproduci in alio instanti.

Secundò notandum est: quòd licet ad educationem, per se loquendo requiratur vera transmutatio: nihilominus per accidens potest contingere, ut salva manente essentia educationis, non detur de facto talis transmutatio. Quia quamvis forma, & subiectum non habeant nexum per se in eodem instanti; attamen per accidens fuerunt simul producta in illo, cuius oppositum desideratur ad hoc, ut de facto sit ibi mutatio ut satis indicat Diu. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 2. ad 2. & 2. contra Gent. cap. 17.

Cuius duplex exemplum potest in via D. Thom. adduci. Nam gratia Angelorum fuit verè educata de potentia obedientiali eorumdem: quia ut ex D. Tho. statim videbimus, omnis gratia educitur de potentia subiecti, & tamen in illa educatione non intercessit de facto, & per accidens vera mutatio: quia per accidens contingit, quòd gratia fuerit simul producta in eodem instanti cum essentia Angeli, ac proinde quòd non præfuerit in Angelo vera mutatio, aut carentia gratiæ, quæ ad mutationem desideratur. At nihilominus, quia per se loquendo gratia illa non habet nexum cum essentia Angeli, ideò quantum est ex se illa educatio habet coniunctam mutationem.

47. Similiter, ut quæstione præcedenti ex Diu. Thoma quæst. 77. 3. partis vidimus, in illo instanti, in quo quantitas hostiæ consecratæ convertitur in materiam primam, educit ex illa agens naturale formam, verb. gr. vermis, pro qua quantitas illa, quæ vicem materiæ gerebat, fuit disposita; & idem contingeret, etiam si materia fieret per creationem: & tamen licet illa educio, & generatio vermis per se loquendo non perat fieri in eodem instanti, ac materia, quia tamen per accidens neantur in illo instanti, & consequenter posset saltem æquè benè fieri, etiam si materia multò tempore præcessisset sub alia forma: ideò per accidens non ad est ibi mutatio, quamvis per se loquendo deberet ibidem interuenire.

*Veritas*

## §. III.

48. **D**icendum est ergo primo. Formæ accidentales, connaturales suis subiectis, quæ ab eorundem essentia dimanant, & in eodem instanti cum illis sunt non tam dicuntur educi etiam eo modo, quo formæ educi absolute asseruntur sed potius coeduci. Assertionem hanc absolute intellectam docent Thomistæ, & per se patet. Nam sicut non tam sunt etiam eo modo, quo formæ fieri dicuntur, quam confunt: ita non educuntur, sed coeducuntur ad educationem formarum, seu essentiarum à quibus dimanant. Confirmatur primò: qui dat formam, dat consequentia ad formam; ergo educit formam præcipuam, seu essentiam, ex qua hæ proprietates dimanant, ad quamque consequuntur, coeducet etiam prædictas proprietates.

Confirmatur secundò: nam priuatio realis, quæ præcessit in materia, non tam est respectu illarum quam respectu formæ constitutivæ illius essentia, à qua dimanant; nam semel materia priuata tali forma habet ut sic dicamus, esse compriuatam proprietatibus eiusdem formæ: ergo non tam dicuntur educæ; quam coeducæ ad educationem alterius. Patet consequentia quia sicut educio, per se loquendo, habet nexum cum priuatione in sensu tam in hac quæstione, quam in præcedenti explicato: ita coeducio cum priuatione. Vnde prædicta accidentia respectu subiecti immediati nullam inuolunt per se priuationem: quia petunt esse in eodem instanti cum illo.

Advertendum tamen, quod hæ assertio intelligitur de illis proprietatibus quarum essentia, seu forma, à quibus dimanant educuntur de potentia subiecti. Nam si semel essentia, vel forma fiat per creationem tunc etiam prædictæ proprietates, concrebuntur ut patet in anima nostra, quæ quia creatur, non habet proprietates, scilicet intellectum & voluntatem educas de potentia subiecti, sed potius concreatas ad creationem ipsius animæ,

49. Dicendum est secundò. Reliquæ formæ accidentales, quæ non neccuntur per se in eodem instanti cum subiecto, quamvis per accidens contingat fieri in eodem instanti cum illo, educuntur de potentia illius, etiam si sint formæ supernaturales. Assertio hæ aperte colligitur ex his, quæ docet D. Thom. quæst. vnica de virtutibus art. 10. ad 13. eamque docent Thomistæ, & plures alij. Et probatur ratione generali quoad omnes has formas. Nam formæ, quæ in esse pendent à subiecto tanquam ab aliquo priori prioritate, *in quo*, id est, quod potest intelligi esse connaturaliter, & absolute sine illis; verè pendet in fieri ab illo: & quæ in esse, & fieri pendent, verè educuntur de potentia ipsius subiecti, ut ex dictis constat. Sed omnes hæ accidentales formæ pendent in esse à suis subiectis tanquam ab aliquo, quod modo dicto est prius prioritate *in quo*: quia vel sunt actu in alio instanti, vel per se loquendo fieri possunt in illo, ac proinde pendent etiam in fieri ab illis: ergo educuntur de potentia illorum.

50. Confirmatur formæ illæ, quæ sunt ex vi transmutationis subiecti, saltem per se loquendo, educuntur de illius potentia: at omnes hæ formæ accidentales, de quibus in præsentī fit sermo, sunt saltem per se loquendo ex vi transmutationis subiecti: ergo & educuntur. Maior patet ex dictis quæst. 2. huius disp. & insuper suaderi potest: quia tales formæ hoc

ipso quod prædicto modo fiant ex vi transmutationis subiecti, non creantur, ut patet: neque fiunt per conuersionem totalem alicuius in ipsas, ut ex se constat ergo educuntur, quia non restat alia actio, per quam fiant,

Minor verò primi syllogismi ex supradictis liquet nam si semel fiunt in alio instanti, ac subiectum reuera interuenit ibi transmutatio materiæ quandoquidem transit à priuatione ad habitum, cumque prædictæ formæ, quippe accidentales, pendent à materia in esse, necesse est ut actio productiua illarum sit vnitua earundem cum subiecto, ac proinde transmutatiua subiecti, & consequenter fiunt ex vi actionis transmutatiuæ eiusdem subiecti. Si verò accidentaliter contingat quod prædictæ formæ fiant vnà cum suis subiectis, ut contingit in Beata Virgine (quæ in eodem instanti in quo eius anima creata est, habuit gratiam: tunc saltem per se loquendo, adesset ibi transmutatio subiecti & ex vi transmutationis fieret illa gratia quamvis per accidens non sit ibi transmutatio: ergo cum ad educationem satis sit, quod saltem per se loquendo actio illa sit transmutatiua materiæ, seu subiecti, ut probatum est consequens erit quod etiam tunc prædictæ formæ educantur.

51. Neque hinc fit, ut Iunior quidam obiicit, quod interueniat saltem præsuppositiuè aliquod miraculum, quoties reductio formæ accidentalis fit sine mutatione, sicut interuenit quoties educio formæ substantialis sine illa fit.

Responderetur enim quod educio formæ accidentalis habet nexum per se cum mutatione ad eum tantummodò modum, quò aqua habet nexum cum frigiditate ut octo: & generatio grauis, cum collatione eiusdem in suo loco naturali, quatenus si se moueantur impedimenta, & extrinsecæ circumstantiæ per accidens occurrentes, semper aqua habebit frigiditatem ut octo: & graue in suo loco naturali. Vnde sicut absque omni miraculo potest graue non esse coniunctum cum suo loco naturali: ita prædicta educio potest esse sine actuali mutatione. Cur autem in educatione substantiali semper interueniat mutatio, quoties saltem præsuppositiuè non intercedit aliquod miraculum, iam supra quæst. 2. huius disputationis explicatum est.

## OCCVRRITVR ADVERSARIORVM argumentis.

### §. IV.

52. **A**d argumenta ergo pro prima sententia responderetur. Ad primum neganda est minor: & ad primam probationem de formis supernaturalibus dicimus quod licet ad hoc, ut aliquid contineatur in aliquo tanquam in causa efficiente principali, requiratur, quod sit eiusdem ordinis cum illo; imò, & hoc ipsum desideretur, ad hoc quod contineatur in aliquo tanquam in causa materiali ratione potentia naturalis ut naturalis est; non tamen ad hoc, ut contineatur in aliquo, tanquam in causa materiali ratione potentia obediens: quia sicut potentia obediens, de qua loquimur, ut est sub conceptu potentia obediens, immediate respicit, & subditur agenti supernaturali: ita immediate est in ordine ad formam supernaturalem, ac proinde ordinis superioris.

Neque hinc, sequitur subiectum esse omnino improporcionatum: quia ut optime notauit Caetan. tom. 3. opusc. tract. 3. quæst. 2. potentia hæc obediens nec est purè naturalis nec purè supernaturalis; sed aliquo modo conuenit cum vtraque: quia est

entitativè, & ex parte subiecti sit naturalis : at tamen terminativè est supernaturalis : quia respicit terminum : & agens supernaturale : qui quidem respectus , licet non variet illam in esse entitativo ; variat tamen eandem formaliter in esse potentie : quoniam ratio potentie passivæ non consistit in entitate subiecti absolute sumpta ; sed ex ordine ad actum recipiendum, & agens , quod productum est ad formam recipiendam. Vnde non mirum , quod ut subordinata agenti supernaturali , cui subditur , possit recipere , & causare in genere causæ materialis formam supernaturalem.

53. Adde, quod si semel verum est potentiam obedientialem formaliter saltem sumptam, quæ est in creatura in ordine ad Deum autorem supernaturalem, esse non solum ex parte termini , sed etiam secundum substantiam supernaturalem , ut plures ex recentioribus Thomistis volunt ( quod sanè valde probabile est ) tunc nihil mirum , quod gratia ex illius potentia educatur : quippe quæ est eiusdem ordinis simpliciter cum ipsa gratia. Ex quo ad probationem eiusdem minoris pro aliis formis accidentalibus respondetur : quod ad solam causalitatem materialem ratione prædictæ potentie connaturalis requiritur appetitus , & inclinatio naturalis ad effectum, non verò ad causalitatem materialem simpliciter , & absolute sumptam.

Ad confirmationem negandum est antecedens. Ad probationem dicendum est, nihil ob stare, quod etsi aliquis motus naturalis contineatur in potentia naturali tanquam in causa materiali, nihilominus motus oppositus, & violentus contineatur in potentia violenta, qua subiectum illud subditur alicui agenti creato: nam motus deorsum continetur in potentia naturali gravis, & tamen potest recipere motum sursum, dum ab aliquo sursum proicitur. Vnde tale agens ita subditur graue sibi ratione maioris virtutis, quam habet, ut faciat illud concurrere secundum potentiam prædictam, & in genere causæ materialis in ordine ad prædictum modum.

54. Ad secundum respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem ; productionem gratiæ vocari creationem moraliter , quatenus non sit ex meritis. Ad secundam probationem: quod illa, quæ sunt ordinis supernaturalis ea solum ratione dicuntur infundi ; quia non continentur ut in causa in potentia subiecti naturali, nec possunt virtute agentis creati tanquam à causa principali educi; sed solum virtute Dei ut agentis supernaturalis , ut iam explicuimus.

55. Ad confirmationem respondetur : dupliciter aliquid posse dici incorruptibile. Primo, quia perpetuò durat ex natura sua : si tamen Deus de facto voluerit illud non durare, est tunc resolvable in aliquod subiectum. Secundo, quia ita natura sua durat, ut etsi Deus vellet, quod non dureret amplius, non tamen tunc desinet, quia resolveretur in aliud prius subiectum; sed quia abiit omnino in nihilum : quamvis ergo id, quod hoc ut ultimo modo est incorruptibile, sit etiam ingenerabile, & ineducibile; secus, quod illo priori modo est incorruptibile, ut ex se constat. At gratia hoc tantum modo est ex natura sua incorruptibilis, ut ex dictis patet.

Vnde ad probationem antecedentis dicendum est, tam gratiam viæ, quam patriæ esse ex parte sua & secundum se præcisè incorruptibilem modo dicto: quavis cum hoc discrimine, quod gratia viæ ex parte modi, quo recipitur, recipitur amissibiliter. Vnde, quia corruptibilitas formarum non substantium prouenit ex parte subiecti, in quo recipiuntur, & modi receptionis : ideo quia gratia viæ recipitur in

subiecto amissibiliter, potest naturaliter corrumpi, & eius desitio non est annihilatio. At gratia patriæ recipitur inamissibiliter, quia tunc perfectè dominatur subiecto, & subiicit illud sibi, & ideo naturaliter nequit corrumpi : bene tamen supernaturaliter corruptione propriè dicta. Vnde non mirum, quod semper producat per educationem: quia hoc ipso, quod possit supernaturaliter corrumpi, nec sit debita naturæ, petit educi de subiecto, ut diximus.

56. Illud tamen in fine huius quæstionis pro vberi doctrina eorum, quæ tam in hac quæstione, quam in præcedenti dicta sunt, aduertere non desinemus : quod nimirum licet probabilius iudicemus, quod quando subiectum ante instans introductionis formæ non præcessit realiter priuatum illa, tunc non est sufficiens fundamentum ad hoc, ut in instanti generationis intelligatur habere pro aliquo priori priuationem eiusdem, ut etiam explicuimus. Cæterum probabiliter dici etiam potest, quod hoc ipso, quod subiectum non neatur per se in illo instanti cum forma; sed æquè bene possint fieri in diuersis instantibus, vel forma non neatur per se eodem modo cum subiecto, & ita in utroque casu fiant per distinctas productiones : adest sufficiens fundamentum ex parte rerum, & productionum illarum ad hoc, ut etsi sint productæ in eodem instanti, nihilominus subiectum præintelligatur, quod pro aliquo signo rationis est aliquo modo priuatum forma. Quia illa multiplicatio productionum, & concomitantia purè per accidens earum, nec non & quod per se loquendo nihil obest, quin ibi esset vera priuatio formæ, præbent sufficiens fundamentum ad hunc modum intelligendi; ac proinde, & ad hoc, ut intelligamus esse ibidem mutationem.

## QVÆSTIO VI.

*An per diuinam potentiam possint plures formæ substantiales informare simul unam, & eandem numero materiam, & una forma plures materias.*

57. IN hac quæstione aliqua ut certa supponimus; & aliqua in dubium vocamus. Supponimus enim primò : quod plures formæ substantiales possunt successivè informare eandem materiam: imò, & id necessarium est, si loquamur de formis sublinariis. Siquidem respiciuntur à materia sub ratione amissibilium, ac proinde una deperdita succedit alia loco illius, ne materia maneat omnino sine forma. Supponimus verò esse naturaliter impossibile duas formas substantiales informare simul eandem numero materiam id quod satis indicat corruptio formæ præexistentis ; quando de nouo alia aduenit. Si enim essent naturaliter compossibiles, non esset ratio ob quam una expelleret aliam.

Vocamus autem in dubium : an saltem supernaturaliter sit possibilis hæc simultas formarum in una materia. & licet quæstio hæc posset intelligi tam de formis substantialibus, quæ secundum aliquos tribuunt solummodò gradum aliquem communem; non verò pertingunt, usque ad constituendam rem in specie athoma ( de quorum numero esset forma corporeitatis materiæ coæua ; si semel verum esset eam dari ) nihilominus solum intelligitur de simultate formarum, quarum quælibet sit sufficiens ad constituendum compositum, & materiam in specie athoma. Quia verò præsentī quæstioni est satis affinis alia:

an



an animarum una, & eadem forma posset simul informare duas materias, idè de hoc aliquid etiam dicemus. Ceterum de formis illis prioribus, & dantibus præcisè gradum communem; an sint compossibiles in eadem materia, cum alia forma dante ultimum esse specificum, alibi commodius agetur.

## PROPONITUR OPINIO

*affirmans.*

### §. I.

38. **P**rima sententia asserit, posse supernaturaliter duas formas informare, simul eandem materiam: & rursus unam formam esse simul in duabus materiis. Ita Gregor. in 1. dist. 12. quæst. 3. art. 2. Palud. in 3. dist. 15. quæst. 1. Fonseca 5. Metaph. c. 4. q. 4. sect. 2. Suarez tom. 1. suæ Metaph. disp. 15. sect. 10. n. 60. quos refert, & sequitur Rubio tract. de forma q. 7. num. 72. & alij ex Iunioribus. Et quidem secunda pars huius sententiæ satis apertè colligitur ex prima. Nam si semel duæ formæ possunt esse in eadem materia, ac proinde unica portio materiæ recipere simul plures formas: etiam una forma poterit simul informare duas materias: quia forma non habet minorem vim ad informandum, quam materia ad recipiendum: ergo si materia potest simul recipere plures formas, etiam forma poterit simul informare duplicem materiam.

Quoad primam verò partem sic primò probatur. Non potest Deus simul ponere in uno, & eodem loco duo corpora, ut ex dicendis in quarto libro constabit: ergo & in eadem portione materiæ semel actuata per unam formam substantialem, poterit ponere aliam, quæ simul cum præcedenti illam informet. Patet consequentia ex paritate rationis: nam sicut in loco est naturaliter capacitas ad circumscribendum successivè duo loca: ita in materia reperitur naturaliter capacitas ad recipiendum successivè plures formas: & sicut in uno, & eodem loco non possunt esse naturaliter duo corpora; quia unum expellit naturaliter aliud: ita & in formis repugnat naturaliter simultas earum in materia: quia una expellit aliam, tum ratione sui, tum ratione dispositionum impossibilium, quas quælibet secundum se affert. Ergo si semel simultas duorum corporum in uno, & eodem loco est supernaturaliter, possibilibus: ita & simultas duarum formarum in eadem portione materiæ.

39. Secundò: neque repugnat ex parte materiæ neque ex parte formarum, neque ex parte utriusque quòd duæ formæ informant simul eandem numero materiam: ergo id est supernaturaliter possibile. Patet consequentia: quia in antecedenti referuntur omnia capita, ex quibus potest provenire repugnantia huius simultatis formarum.

Antecedens verò, quoad priorem partem, scilicet quòd non repugnet ex parte materiæ, sic probatur: quia materia, etiam dum informatur una forma, retinet potentiam ad recipiendam quamcumque aliam: siquidem potentia materiæ ad recipiendas formas non distinguitur à sua essentia: unde hac manente remanet prædicta potentia.

Quoad secundam autem partem, scilicet; quòd non repugnet ex parte formarum, sic idem antecedens suaderetur: quia maior est impossibilitas illa, quæ invenitur inter duo contraria, verbi gratia, calorem, & frigus, ex parte ipsorum, quam quæ est inter duas formas substantiales: quoniam illa est pro-

pria, & rigorosa contrarietas, ac proinde strictissima impossibilitas, secus verò hæc, quæ tantum largè, & improprie est contrarietas; quia substantiæ nihil est contrarium: at illa impossibilitas contrariorum non tollit, quominus sint supernaturaliter compossibilia in eodem subiecto, ut infra dicemus: ergo multò minus impossibilitas duarum formarum auferet simultatem earundem in una materia saltem per divinam potentiam, quamvis in utroque casu sit prædicta simultas naturaliter impossibilis.

Ex quo idem antecedens, quoad ultimam partem, scilicet, quòd non repugnet ex parte utriusque satis liquet: quia repugnantia ex parte utriusque supponit, ut ex parte alicuius, repugnet: cum ergo ostensum sit, neque ex parte formarum, neque ex parte materiæ id implicare, consequens est ex nullo capite repugnare.

60. Quòd si eis respondeas, repugnare ex parte materiæ habentis potentiam limitatam, quoad actualem receptionem, unde unica forma ab ea semel recepta satiatur eius potentialitas, ac proinde nequit plures recipere.

Contra sic insurgunt: actualis receptio unius formæ non destruit, sed potius perficit potentiam materiæ; ergo materia ex se tunc habet potentiam ad alias formas, & consequenter, ex parte ipsius non repugnabit, quominus plures formas habeat.

*Sententia D. Thom. & primum eius fundamentum tutatur.*

### §. II.

61. **D**icendum tamen est implicare contradictionem, quòd duæ formæ substantiales sint simul in eadem portione materiæ. Ita D. Th. 1. p. q. 76. art. 3. & 4. item opusc. 33. & quodlib. 1. art. 6. ubi sic ait: *Impossibile est in uno, & eodem esse plures formas substantiales.* Nam ratio, quia ibid. probat non posse in homine esse duplicem formam substantialem, convincit utrique quòd neque supernaturaliter id fieri potest. Tenent etiam hanc sententiam Caiet. ibid. & alij plures ex recentioribus Thomistis. Et licet expressè ab Authoribus antiquis discussa non fuerit, attamen ex eorum principiis apertè constat illos nostræ conclusioni suffragari.

Probatur primò; duæ formæ substantiales se ipsæ sunt immediatè impossibiles, quia in actu exercito informant, & idè videmus, quòd hoc ipso, quòd una adueniat, statim alia desinit actuare materiam, ergo si semel Deus vult, verbi gratia, formam hominis informare aliquam determinatam portionem materiæ; non potest velle, quòd eadem materiæ portio, simul informetur ab alia forma.

Antecedens est perspicuum. Consequentia verò sic ostenditur, quia licet posita in causa virtute causandi, & omnibus requisitis ad actum primum, possit Deus etiam in causis naturalibus impedire, ne fiat effectus; attamen si semel cum omnibus istis ex parte actus primi se tenentibus ponantur omnes causalitates ad effectum desideratæ: non poterit, non & ipse effectus in rerum natura poni: & idè posita forma, & causalitate eius non potest non sequi effectus formalis, & posito efficiente, & causalitate eius non potest non sequi effectus illius. Ergo cum virtus, quæ una forma substantialis expellit aliam, sit propria essentia, & ratio actus substantialis simpliciter primi, & causalitas eius sit informatio actualis, sit inde, ut his positis non possit non talis expulsio sequi.

62. Respon

62. Respondebis, quod etiam si posita virtute causativa, & causalitate eius, ponatur indispensabiliter effectus primarius: non tamen est necesse in ordine ad Diuinam potentiam, ut ponatur effectus secundarius: ut patet in humanitate Christi Domini, ubi posita anima Christi & informatione eius impeditur Deus existentiam creatam, quæ est effectus secundarius eiusdem animæ. Quare cum effectus primarius cuiusvis formæ tantum, sit communicare se materiæ, & composito, & hoc quod est expellere aliam formam, habeat rationem effectus secundarii: quia corruptio non est per se intenta à natura, ideo potest prædicta expulsio supernaturaliter impediri.

Sed contra: nam licet effectus secundarius positivus possit saltem multoties per diuinam potentiam impediri; non tamen si fuerit priuativus, & valde intimus. Sed expulsio vnius formæ substantialis, quando aduenit alia, est effectus secundarius priuativus proveniens à forma de nouo adueniente: quia nihil est aliud, quam non esse illius in tali subiecto, estque valde intimus: quoniam provenit ex intrinseca ratione formæ substantialis: ergo est omnino indispensabilis. Maior patet: nam ex eo, quod forma cadaueris dat illi consequenter, & secundario priuationem vitæ tanquam effectum secundarium priuativum ex speciali, & intrinseca ratione talis formæ provenientem, oritur quod etiam per diuinam potentiam nequeat impediri, nec ad prædictam formam subsequatur: alias idem esset vivum, & priuatum vitæ, quod implicat.

63. Respondebis, non esse ita intimam expulsionem vnius formæ substantialis ab alia, sicut expulsio, & priuatio formæ viventis est intrinseca formæ cadaueris, ob specialem oppositionem, quam inter se habent.

Sed contra: nam quoties effectus primarius aded habet intimam connexionem cum secundario, ut saltem à posteriori colligatur non fore effectum primum nisi subsequatur secundarius; tunc effectus secundarius est aded intimus, ut sit omnino indispensabilis: non enim ob aliud priuatio vitæ intimæ, & indispensabiliter sequitur ad formam cadaueris: nisi quia si semel non sequeretur, non daret primum effectum, scilicet esse cadaueris. At si semel adueniente vna forma substantiali non expelleretur alia, iam forma adueniens non esset actus simpliciter primus materiæ, neque rationem actus simpliciter primi erga illam exerceret, ac proinde neque suum effectum primum tribueret materiæ. Ergo talis expulsio non minus intimæ sequitur ad talem formam, quam priuatio vitæ ad formam cadaueris.

Min. in quâ est difficultas, sic probatur: quia actus simpliciter primus materiæ & exercens, erga illam, rationem talis actus indispensabiliter inuoluit quod non præsupponatur, neque sit simul cum eo alius actus primus in materia: alias non exerceret erga illam rationem actus primi, sicut quia materia prima est essentialiter primum subiectum, necessariò inuoluit, quod non præsupponat aliud subiectum prius, & si semel datur subiectum, quod præsupponat aliud, subiectum, iam subiectum illud præsupponens aliud, non erit primum subiectum: & ita nec materia prima.

64. Confirmatur ex eodem S. Doctore loco citato quodlib. 1. quæst. 4. art. 6. Ut forma substantialis exerceat rationem actus primi respectu materiæ, duo debet habere. Primum est quod componat vnum per se cum illa; secundum verò quod tribuat illi primum esse, seu esse simpliciter. At nisi subsequatur effectus ille

secundarius, scilicet expulsio præexistentis formæ, non potest forma præstare illa duo priora, quæ pertinent ad effectum primum adæquatum illius. Ergo talis effectus secundarius est valde intimus, & nulla vis impediibilis.

Maior quoad primam partem probatione non indiget: quandoquidem evidens est, quod ex vnione materiæ, & formæ resultat totum, quod quatenus ex illis componitur, est vnum per se. Quoad secundam verò partem sic eadem maior suaderetur, ex differentia, quæ est inter formam substantialem, & accidentalem; nam cum materia recipit formam substantialem, dicitur de ea, saltem ut est in suo toto, quod simpliciter, & sine addito *est*. Ceterum cum saltem in toto, & cum toto recipit formas accidentales, non dicitur de illa etiam in toto, quod habeat simpliciter, & sine addito *esse*, sicut neque hoc de toto ex vi talium formarum enunciat, sed solùm, quod sit alba, vel nigra, quod non est esse sit simpliciter, sed esse secundum quid secundarium, & cum addito: sicut etiam cum primò aduenit forma substantialis, dicitur totum fieri simpliciter: quia habet esse simpliciter, & sine addito. Cum verò aduenit forma accidentalis, non dicitur fieri sine addito, sed album, vel nigrum, &c.

65. Ex quo etiam minor primi syllogismi, quæ sola probatione indiget, sic probatur: quia ex qua parte materia ex iam in actu per primam formam, non potest constituitur vnum per se cum subsequenti, nisi altera appellatur: quia quod aduenit enti in actu, non aduenit per se, sed per accidens, nec potest constitui cum illo vnum ens per se: & ex quo capite per talem informationem prioris formæ, materia habet modò dicto esse simpliciter primum: ac proinde de esse simpliciter, & sine addito, non potest illud recipere à sequente forma. Si namque iam simpliciter, & sine addito est, non tribuetur illi, quod simpliciter sit, sed ad summum, quod habeat esse cum addito: scilicet esse tale, vel tale, quod est esse secundum quid. Imò, & hinc sequetur formam subsequentem non esse substantialem, sed accidentalem, ut infert D. Thom. & ex dictis constat.

Ex quibus omnibus inferendum, & dicendum est secundò, implicare etiam, quod vna, & eadem numero forma substantialis informet simul duas portiones materiæ. Assertio hæc aperte colligitur, tum ex his, quæ docet D. Th. 3. p. q. 3. art. 1. tum etiam ex dictis in prima assertionem. Si enim vna, & eadem portio materiæ, quæ est commune subiectum eorum formarum, qui in ea continentur, non potest recipere plures formas simul, neque etiam forma poterit simul duplicem portionem materiæ informare. Nam si materia dat se formæ per modum subiecti: ita forma dat se materiæ per modum actus: ergo sicut repugnat vnam materiam dare se simul duabus formis per modum subiecti, ita & eandem formam communicare se simul duabus materiis.

#### EXAMINATUR SECUNDVM fundamentum veræ sententiæ.

##### §. III.

66. Deinde ratione fundamentali (quæ proportionem seruata potest etiam ad præcedentem assertionem probandam applicari) sic probatur. Virtus, quæ ex natura sua est impotens ad aliquem effectum præstandum, nisi ei aliquid addideris, impossibile est, quod illum præstet: quoniam si nihil ei additur, manet sicut antea: & consequenter ita impotens sicut prius.

prius erat. Sed forma connaturaliter loquendo est impotens ad informandum simul duplicem portionem materie, vt satis constat: alioquin id naturaliter contingeret, quod nullus concedit, & nihil potest ei addi, per quod reddatur potens. Ergo etiam in ordine ad diuinam potentiam erit illi hoc impossibile.

Secunda pars minoris probatur: quia vel illud, quod additur, est diuersæ speciei, & essentiae ab ipsa forma, vel eiusdem: non primum, quia etsi demus quod illud, quod additur, posset aliam materiam informare, non tamen potest conducere, vt eadem forma præexistens, & actuans vnā materiam possit aliam simul actuare. Nam forma non habet vim informatiuam, nisi per suam intrinsecam entitatem: quia causat dando se. Vnde sicut quidquid ei addideris diuersæ speciei ab illa, non pertinet ad solam intrinsecam entitatem: ita nihil conducet ad intrinsecam illius vim informatiuam augendam in ordine ad aliam materiam. Neque secundum dici potest: quia si semel illa virtus est eiusdem speciei, tunc sicut prima virtus præexistens in forma, non poterat extendi ad duas materias simul actuandas; ita neque secunda, quæ superadditur, aut prima vnā cum illa; quia ambæ sunt eiusdem speciei.

67. Item vel ex illa virtute superaddita, & ex forma præexistente sit vna forma, vel non: si, non; ergo iam non vna, & eadem forma est simul in duplici materia: si verò sit vna forma; tunc virtus superaddita, & eiusdem speciei, tantum potest esse pars integralis formæ præexistentis: quia vt supponimus, forma substantialis non est intensibilis: & præterquam quod distinctio partium provenit formaliter à quantitate; ac proinde non potest dare vim substantialem ad informandam duplicem materiam; adhuc contra hoc obstat: quia forma, quæ licet sit maior, est tamen vnica, quamuis possit ratione maioritatis informare maiorem materiam, non tamen duplicem, sicut è contra de materia in ordine ad formam dicendum est.

## CONVELLUNTUR ARGVMENTA oppositæ sententiæ.

### S. IV.

68. **A**D primum initio quæstionis positum respondetur potius esse pro nobis, quam contra nos. Quia idè duo corpora possunt diuinitus esse in vno loco; quia in virtute locabili possunt fieri vnum, & idem, quatenus nimirum, etsi entitatiuè manent duo, tamen vnum penetratur cum alio, & ita in esse locabili, & circumscriptibili ita se habent ac si essent vnicum (vt lib. 4. amplius explicabimus.) At duæ formæ, verbi gratia hominis, & equi, in vi informandi semper sunt duæ, neque possunt fieri vnum: quia semper informant, vt distinctæ in specie: & idè semper dant suis totis specie diuersas, ac proinde nunquam poterunt esse simul.

Ad secundam, negandum est antecedens, quia repugnat tam ex parte materie, quam ex parte formæ. Et ad primam probationem, qua intenditur non repugnare ex parte materie, dicendum est aliud esse, an materia, dum habet vnā formam, retineat tunc potentiam ad habendam aliam formam pro tunc: aliud verò, an retineat tunc potentiam ad habendam illam, non pro tunc pro alia duratione, vel pro eadem, ita vt si alia adueniret, præsens forma expelleretur. Seu vt alij dicunt; aliud est an tunc

sit in ea potentia ad aliam formam in sensu composito: aliud verò, an in sensu diuiso retineat prædictam potentiam. Primum nunquam potuit conuenire materie, & idè nunquam potuit simul habere duplicem formam: bene tamen secundum, vt ex se patet.

69. Ad secundam probationem patet ex dictis: quia etsi oppositio duarum formarum non sit propriè contrarietas, est tamen impossibilitas indispensabilis, & quantum ad hoc vincit propriam contrarietatem accidentium. Et ratio sumitur ex dictis: quia probationes factæ pro formis substantialibus non procedunt in formis accidentalibus; quæ nec sunt actus simpliciter primi; ac proinde non repugnat supponere alium actum, neque faciunt vnum per se substantialiter cum materia: & consequenter nihil refert, materiam non præsupponi, vt omnino nudam, id est, sine aliquo alio actu formali. Nec tandem dant esse simpliciter, id est, primum esse absolute, & sine addito; sed esse secundum quid, hoc est cum addito, scilicet tale, vel tale esse. At non repugnat, quod subiectum habeat duplex esse secundum quid: bene tamen quod habeat duplex esse simpliciter, vt probatum est.



## DISPUTATIO V.

### De altero entis naturalis principio; scilicet priuatione.

**P**OST QUAM egimus de principio entis naturalis in facto esse, restat vt de priuatione, quæ illius principium est in fieri, sermonem institamus, & meritò vltimo loco de hoc principio agimus: tum quia ignobilius est quàm alia duo, scilicet materia & forma; quandoquidem non est ens, sed carentia entis: tum etiam quia non nisi per formam, & ratione formæ, cuius est priuatio, cognosci potest. Et licet, vt exactè maneret in præsentia explicata natura priuationis (si verum est, quod non enti, & carentiæ entitatis naturam aliquam tribuere possumus) plura essent discutienda. Primum an sit priuatio, & an inter realia, vel rationis entia, vel inter puras nihilitates connumeranda sit. Secundum, quid sibi vendicat, vt à negatione condistinguitur. Tertium, an & quomodo à materia distinguatur. Quartum, an eadem priuatio sit verum principium entis naturalis in fieri. Quintum, an vniuocè cum materia, & forma in ratione principij entis naturalis conueniat. Cæterum quia de primo, & secundo constat ex his, quæ in Logica dicta sunt: & de tertio, & quarto ex his, quæ in hoc libro disp.

1. asseruimus: idè pro completa huius principij noticia solum de vltimo restat nobis agendum, & ita vnicam tantum quæstionem in præsentia disputatione excitabimus.

\*\*\*

## Q V Æ S T I O vnica.

*Utum priuatio conueniat vniuocè cum materia,  
& forma in ratione principij entis  
naturalis?*

**D**icendum est breuiter: priuationem non conuenire vniuocè cum materia, & forma in ratione principij entis naturalis, sed analogicè analogia proportionalitatis. Prima huius assertionis pars inde liquet enti & non enti quatenus tali, nihil potest dari communione vniuocè, ut in Logica diximus. Sed ratio principij, quæ reperitur in priuatione, non potest esse aliquid positium reale, & duo alia principia necessariò postulant, ut in ratione principij aliquid reale, & positium sint: non ergo ratio principij illis erit vniuocè communis. Minor ex dictis in disputatione secunda constat, & potest amplius sic declarari. Nam priuatio est principium generationis per modum termini à quo. Vnde cum terminus à quo generationis substantialis sit non esse: quandoquidem generatio est transitus à non esse: sit inde, ut priuatio quatenus terminus est, solum dicat quid priuatum. At materia, & forma: quia illa per modum subiecti: hæc verò per modum termini ad quem concurrunt, idè in ratione principij sunt quid positium. Id, quod etiam definitio ipsa generationis exprimit, in qua dicitur, quod est transitus subiecti de non esse ad esse.

Secunda verò pars conclusionis suadetur sic: quia priuatio verè rationem principij participat, quandoquidem verè illi conuenit, tum definitio principij ut sic; tum etiam definitio principij entis naturalis, ut ex dictis patet; sed non conuenit vniuocè cum cæteris: ergo analogicè, non analogia attributionis, si quidem Aristoteles, & cæteri Philosophi appellant priuationem principium simpliciter rei naturalis: ergo analogia proportionalitatis.

3. Sed contra dicta obiicitur primò: Ratio scibilis potest esse communis vniuocè respectu entis realis, & rationis, quod reuera est non ens. Ergo & ratio principij poterit esse vniuoca respectu priuationis, & aliorum principiorum, licet priuatio sit reuera non ens, & alia principia sint quid positium. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens verò probatur: quia Logica conuenit vniuocè cum aliis scientiis in ratione scientiæ. Ergo eius obiectum, quod est ens rationis, conuenit etiam vniuocè in ratione scibilis cum aliis obiectis scibilibus. Patet consequentia: quia non potest scientia habere maiorem unitatem in ratione scientiæ, quàm eius obiectum in ratione scibilis: quoniam ab eis specificatur.

Confirmatur, in oppositione contradictoria, & priuatiua alterum extremum est non ens, & tamen ratio communis oppositionis vniuocè dicitur de illis, & aliis oppositionibus quarum utrumque extremum est positium: ergo similiter in proposito dicendum erit. Minor patet: nam ratio communis oppositionis ut sic, tantum importat impossibilitatem aliquorum; sed in hac nullo modo differunt omnes hæc oppositiones; ergo omnimodè conueniunt, & consequenter vniuocè.

4. Respondetur: transeat antecedens, & negetur consequentia: quia ad rationem scibilis materialiter se habet etiam in ente rationis, quod sit non ens: quia alius est ordo, & ratio scibilium, & alius ordo rerum: & formale illius solum consistit in hoc, quod habeat passiones demonstrabiles: & idè ratio illa vniuoca non est communis enti, & non enti, ut est formaliter

non ens. Cæterum priuatio, ut principium est, habet rationem sui, & tanquam quid formaliter importatum quod sit non ens: quia modus ille principiandi per modum termini à quo importat, ut formale, carentiam entitatis, &c. è contrà verò materia, & forma formaliter dicunt quid positium, ut iam explicuimus.

Ad confirmationem verò respondetur, negandum esse, oppositionem esse vniuocè communem omnibus oppositionibus. Solum enim est vna analogicè analogia proportionalitatis respectu quatuor illarum oppositionum, sicut & in ratione principij entis naturalis hac conuenientia, & unitate, forma, materia, & priuatio adunantur. Et ratio est eadem in utroque: quia etiam in oppositione priuatiua, & contradictoria habet se ut formale, quod vnum extremum sit non ens: atque adèd non potest omnimodè abstrahi ratio illa communis ab his, & aliis.

5. Obiicitur secundo, Aristotel. 5. Metaphysicæ text. 14. vocantem priuationem ens reale: dicit ergo realem entitatem. Igitur ex hac parte non obicitur, quominus conueniat vniuocè in ratione principij cum cæteris.

Respondetur ens reale duobus modis accipi: primo strictè, & propriè, pro natura & essentia rei, in qua acceptione positium entitatem significat, & in decem prædicamenta partitur. Secundo minùs propriè, prout nimirum re ipsa est fundamentum realis veritatis propositionis. Sicut enim verè dicimus hominem esse animal, adestque verum fundamentum in rebus, ut hoc enuntiemus: sic verè dicimus de homine visu carente cæcum esse, adestque sufficiens fundamentum in carentia illa ad hanc terminandam intellectualem compositionem. Priuatio igitur non dicitur ens reale, sumpto reali ente illo priori modo: benè tamen, si hoc posteriori sumatur. Quam doctrinam accepimus ex his, quæ docet D. Th. prima parte quæst. 48. art. 2. ad 2.

6. Tertio obiicitur. Ratio principij non est vniuoca respectu horum principiorum, ex eo quod priuatio non est ens, hoc ipsum conuincit, quod neque analogicè analogia proportionalitatis de omnibus illis dicatur: quod enim impropriè ens dicitur, quomodo propriè principium erit, cum primum prædicatum, & proprium, quod alicui conuenit, sit esse ens: quod si propriè principium est non analogia proportionali, sed attributione analogica conueniunt: quia ut in Logica dictum est, quæ illo priori modo vnum sunt, quodlibet eorum propriè participat rationem analogam.

Respondetur negando consequentiam. Et ad eius probationem dicendum est, rationem principij, ut termini à quo, non postulare entitatem: quia à non ente in ens potest optimè esse mutatio. Imò in generatione substantiali terminus à quo per se est non ens, & ita ratio principij saluari optimè potest, sine ratione entitatis in his principijs, quæ positiuè non inflant; sed tanquam id, quod relinquendum est. Et licet in his quæ pro ratione differentiali aliquid positium important, in recto, sit primum, & proprium prædicatum esse ens, & non tamen in his, quorum formalissima, & vltima ratio in pura carentia consistit. Nam licet impropria entia sint, potest tamen propriè aliquod aliud prædicatum eis conuenire.



## DISPUTATIO VI.

*De naturali composito, quod ex principiis  
intrinsecis unitis resultat.*

**I**TEM vs huc vsque de principiis entis naturalis. Dicamus ergo oportet de ipso naturali ente, quod ex eis coalescit: sic enim & ipsorum principiorum natura magis cognoscetur, & finem in quem à natura destinata sunt, melius percipiemus.

## QVÆSTIO I.

*An ens naturale essentialiter, tam ex materia,  
quàm ex forma constituitur?*

**Q**uia entis naturalis cognitio ex huius quæstionis decisione valde pendet, idè eam primo loco excitamus.

*Quid senserint Averroës, & alij?*

## §. I.

1. **P**rima sententia est Averro. 7. Metaph. comm. 21. l. 7. Meth. q. 14. quibus fauet Alexander Aphrodisi. 2. Metaph. tex. 12. & Thomist. 3. de Anima, tex. 9. & 38. dicentium solam formam esse entis naturalis totam quidditatem; proindeque materiam nullo modo de eius essentia esse.

Probatur primò testimonio Aristot. 2. lib. huius operis, cap. 3. tex. 20. vbi formam appellat *ipsum quod quid erat esse rei*, seu quidditatem rei. In quibus verbis quidditatem totam ponere videtur in forma.

Deinde ratione probatur, forma substantialis appellatur illud, quod dat esse rei, imò & hæc est illius propria definitio: ergo illa sola erit quidditas & essentia compositi. Alioqui si materia præberet esse composito, essetque de essentia illius, non distingueretur à forma, cuius proprium est esse rationem compositi, & præbere esse omni enti naturali.

Confirmatur, sicut se habet forma artefacti ad suam materiam, ita forma substantialis ad suam materiam primam; sed forma artefacti est tota essentia & quidditas illius, quod simpliciter est ens artificiale: ergo pari ratione forma naturalis erit tota quidditas illius quod simpliciter est ens naturale, & materia solum se habebit, ut loquitur Philosophus lib. 7. Metaph. tex. 41. *ut habens, deferens, aut suscipiens essentiam*, vel ut loquuntur Authores oppositæ sententiæ, *ut vehiculum quidditatis*.

2. Secundò, illud formaliter est de essentia alicuius rei, quo res illas ab aliis essentialiter separatur, iuxta illud Philosophorum proloquium acceptum à Philosopho 7. Metaph. tex. 41. scilicet, *Idem est constitutum, ac distinctum*. At sola forma substantialis, v. g. hominis, facit hominem specie distingui à leone. Ergo sola illa erit tota quidditas entis naturalis.

Minor patet, quia leo, v. g. penes materiam non distinguitur specie ab homine, eadem enim materia, quæ modo sub forma equi est, potest decursu temporis esse sub forma hominis.

Tertiò, esse est propter operari, ut tenet communis Colleg. Compl. Physic. -

loquendi modus; sed sola substantialis forma dat composito vim & potentiam operandi. Illa ergo præcisè sumpta est tota quidditas illius.

Minor suadetur, nam sicut vnumquodque agit secundum quod est in actu: ita nihil est ratio agendi, nisi propter actus est. At materia pura potentia est secundum se sumpta, ergo, &c.

3. Quartò, & urgentius confirmatur. Si materia esset de essentia entis naturalis, etiam hæc singularis materia esset de essentia huius entis naturalis; verbi gratia, Petri. At hoc impossibile est: ergo & illud. Maior ex se patet. Minor suadetur.

Primò, quia materia Petri actione caloris naturalis, humidum depascentis, perpetuò dilabitur. At rei essentiam fixam, stabilemque esse oportet, dum res illa durat. Deinde, cum intereunte Petro forma cadaueris in eius succedat materiam, sequeretur eandem materiam singularem ad diuersam essentiam videlicet Petri, & cadaueris pertinere, quod videtur absurdum.

Item, quia si hæc singularis materia esset de huius hominis essentia, non posset idem numero homo in generali resurrectione ad vitam reuocari, quod est contra fidem, ut enim in Symbolo Athanasij dicitur. *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis*, Et Iob. 19. *Quem visurum sum ego ipse & non alius, & cetera*.

Patet consequentia: nam accidere potest, quòd duo homines diuersis temporibus eandem sibi materiam vendicarent, ut patet ex iis, qui humanas carnes comedunt, quodque contigisse in miserranda Hierosol. obsidione Iosephus refert. Ergo cum eadem numero materia utrique concedi nequeat, sit inde, quod alter illorum, qui sine tali materia manserit, non resurgat idem numero.

*Quæstionis difficultas expeditur.*

## §. II.

4. **N**ihilominus dicendum est; ens naturale intrinsecè componi ex materia & forma, tanquam ex duabus partibus intrinsecis & essentialibus, quarum quælibet si absit, statim ipsum naturale ens evanescit. Hæc assertio colligitur ex illo Symboli Athanasij. *Sicut anima rationalis & caro unus est homo &c.* Vbi manifestè denotat se desiderare aliquid aliud ad rationem hominis præter animam rationalem. Quod magis confirmat id quod subiungit; *Ita Deus & homo unus est Christus*. Ergo sicut solus Deus non constituit Christum: ita nec sola anima hominem. Colligitur etiam manifestè ex D. August. 19. de ciuit. Dei c. 3. vbi ait: *Homo neque est anima solum, neque solum corpus, sed ex utroque compositum*. Eandem tenet Boëtius lib. de duabus Naturis, passimque S. Th. præsertim in 1. contra Gent. c. 21. & 1. p. q. 75. art. 4. & 7. Metaph. tex. 33. estque inter omnes Doctores communis.

5. Et probatur, tum Theologica, tum etiam Philosophica ratione. Ratio Theologica hæc est, nam ex opposito sequeretur, quod in triduo illo mansisset in rerum natura Christus homo. Consequens est valde absurdum in Fide: ergo, &c.

Sequela probatur, quia etiam in triduo à parte rei, mansit diuinum Verbum vnitum animæ rationali, iuxta illud commune Theologorum pronuntiatum, *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*. Ergo si hæc est tota hominis quidditas, fuit etiam in illo triduo natura humana in rerum natura Verbo unita. Ergo, & Christus homo; nihil enim aliud est Christus homo

E ois



anî natura humana, Verbum & vnio. Item sequitur quod homo sit immortalis & incorruptibilis, quod tanè est contra fidem.

Sequela probatur, quia anima, fide testante, immortalis est. Et tandem inferitur nos non esse resurrecturos in die iudicij denud quandoquidem nunquam perissemus, sicut neque anima nostra nunquam perit, aut peribit.

6. Secunda ratio Philosophica pro nostra conclusione desumpta est ex D.Th. vbi sup. quia essentia, v.g. hominis, physicè loquendo est illud, quod per definitionem physicam explicatur; sed per talem definitionem explicatur non sola anima, sed etiam corpus, id est materia. Non ergo sola anima, sed etiam materia erit de quidditate illius.

Maiores probatur, quia non esset vera definitio Physica, homo est constans anima, nisi etiam adderetur constans corpore: sicut neque hæc esset legitima definitio Metaphysica, homo est rationalis, nisi etiam adderetur animal.

Respondent ad hoc, quod ea, quæ ponuntur in definitione, vel ponuntur vt partes essentielles, vel vt additamentum: in definitione autem Physica hominis anima ponitur vt essentia, & materia vt additamentum.

Sed contra hæc arguit Doct. Angelic. quod est proprium accidentis, quia simpliciter quod imperfectum est, nequit communicari substantiæ completæ. Sed definiti per additamentum, est proprium accidentis: quia est quid diminutum & imperfectum, cum sit entis ens. Ergo hoc nequit conuenire substantiæ completæ, atque adeo homo non definitur per corpus, tanquam per additamentum.

#### DILVNTVR FVNDAMENTA OPPOSITA, præter ultimum.

##### §. III.

7. **A**D argumenta ergo in oppositum respondetur, & primò ad auctoritatem ex Arist. desumptam dicendum est: ideo formam vocari, *Quod quid est rei*: quia est nobilior pars compositi; & quia licet materia pertineat ad illud, pertinet tamen vt habet speciem ab ipsa forma. Vnde ei vt origini illius specificationis & actualitatis, meritò quali per antonomasiam tribuitur nomen quidditas rei.

Ex quo patet ad 1. rationem ex testimonio eiusdem Aristor. desumptam; idè definiti formam per hoc quod det esse rei; tum quia ipsa sola dat specificationem positivam: tum etiam (id quod ex præcedenti sequitur) quia ipsa sola est, quæ propriissimè dat esse existentiz. Nam efficiens efficit illud, finis vero mouet ad talem effectum; materia autem recipit vt quo prædictum esse. At forma est, quæ propriissimè dat illud: quia modus cauendi in genere causæ formalis, propriissimè explicatur per hoc quod est, dare suum effectum formalem.

Ad confirmationem resp. quod in artefactis sola forma importatur in recto, negamus tamen idem dicendum esse quoad præsens. Et ratio disparitatis est: quia cum forma artificialis in suo genere sit quid completum, non potest artefactum ex æquo dicere completum, quod aliàs est aliquid completum. Imò idem est dicendum in accidentibus naturalibus: album enim, teste Philosopho, solam qualitatem significat: innuit autem ex parte modi significandi subiectum. At in naturalibus, & substantialibus compositis cum forma sit quid incompletum, sicut &

materia, non potest quolibet seorsum esse tota essentia compositi, sed vtique quatenus inter se vnitæ sunt.

8. Ad secundum resp. quod etiam materia prout à forma habet vnitatem specificam, positivam concurrat ad distinctionem specificam leonis à boue. Adde, quod vt aliquid sit essentialitè alicui, sat est, si ab illo etiam specifica differentia supatur. At genus & differentia à materia & à forma simul, vt in Logica diximus, desumuntur.

Ad tertium distinguenda est maior, & concedenda si intelligatur de esse essentiz præcipuo vel totali, secus verò si de esse potentiali minus præcipuo intelligatur: ad hoc enim non est necesse, vt totum ipsum sit ratione illius operatiuum; sed satis est, si ex illo intrinsecè componatur. Adde satis esse ad hoc vt aliquid sit essentialitè compositum, vt sit ei prima radix recipiendi.

#### OCCVRRITVR VLTIMO ARGV- mento prima sententia.

##### §. IV.

9. **A**D vltimum Durandus in 4. dist. 44. q. 1. & Suarez disp. 5. suæ Metaph. sect. 6. duo dicunt. Primum, quod hoc compositum non constat essentialitè ex hoc numero corpore, sed ex ista anima, & quolibet corpore indifferenter. Secundum verò quodque ex præcedenti sequitur, quod vt resurgat idem numero homo, satis est, resurgere cum eadem numero anima, & cum quauis ex materiis sublunariis: quia ista anima indifferenter respicit quodlibet corpus.

Sed contra primum obstat hæc ratio, desumpta ex D. Thom. 1. p. q. 15. art. 1. & q. 119. art. 1. nec non & ex 4. dist. 44. q. 1. art. 1. desumpta: quia licet se habet materia prima ad compositum physicum, ita talis materia ad tale compositum; sed variata materia prima secundum speciem variatur compositum physicum secundum speciem: ergo variata materia secundum numerum variatur etiam compositum secundum numerum. Maior videtur certa. Minor verò prob. quia repugnat formam sublunarem informare materiam cælestem: quia hæc materiæ sunt diuersæ rationis. At si idem compositum secundum speciem, v.g. equus, posset constare ex forma equi, & materia diuersæ rationis, non esset talis repugnantia, vt de se pater. Ergo signum est, quod ad entitatem compositi secundum speciem, non solum requiritur forma eadem secundum speciem, sed etiam eadem materia secundum suam qualemcumque vnitatem specificam.

Contra 2. verò obstat: quod hic modus dicendi non ita consonat cum illo Iob: *Et in carne mea videbo Deum saluatorem meum*. Nam sicut ad veritatem verborum consecrationis panis, quæ modò sit non satis esset poni ibi quodcumque corpus vnitum animæ Christi, sed necessarium est, poni illudmet corpus, quod de Virgine natum est, vt ex Conciliis & Patriarchis suo loco ostenditur: ita ad verificanda illa verba: *Et in carne mea videbo Deum*, non satis est, quod resurgat quis cum propria anima, & quouis corpore & materia; sed necesse est, vt cum illo eodem corpore, & illa eadem materia, quam in vita habuit resurgat, in eaque videat Deum saluatorem suum.

10. Quare aliter responderetur negando minorem. Ad probationem responderetur cum eodem Doct. Angelico 1. p. q. 11. art. 1. & q. 119. art. 1. & 1. contra Gentes

Gentes cap. 81. nec non & in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. concedendo maiorem: neganda tamen est minor, & ad eius priorem probationem respondetur cum eodem D. Tho. 1. p. q. 119. art. 1. ad ultimum his verbis: *Ad quintum dicendum, quod sicut Philosophus dicit in 1. de Generatione, quando aliqua materia conuertitur in ignem, tunc dicitur ignis de nouo generari: quando vero aliqua materia conuertitur in ignem præexistens, dicitur ignis nutriri. Vnde si tota materia simul amittat speciem ignis, & alia materia conuertatur in ignem, erit alius ignis numero. Si vero paulatim combusto uno ligno aliud substituitur, & sic deinceps, quousque omnia prima consumantur, semper remanet idem ignis numero: quia semper quod additur, transit in præexistens, & similiter est intelligendum in corporibus uiuentibus, in quibus ex nutrimento restauratur id, quod per calorem naturale consumitur. Ex quo fit, quod licet materia denud per nutritionem addita, v.g. Petri, sit materialiter diuersa ab ea, quam antea habebat, non tamen formaliter, eo sane modo, quem infra disp. 18. q. 2. innuimus, & ideo tota Petri materia secundum se totam manet formaliter inuariata, vt ibidem tangemus.*

11 Ex quo ad 2. probationem patet ex iis, quæ disp. 3. n. 34. diximus, scilicet nihil referre, vt id, quod est essentialiter per modum communis subiecti & potentie, pertineat successiue ad essentiam plurium compositorum, dummodo tale subiectum, licet sit idem negatiue, non tamen perseueret cum eadem unitate positiua.

Ad ultimam probationem respondendum est cum S. Th. in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. quæstioncula 4. ad 3. & 4. contra Gent. c. 81. quod si eadem pars materie in diuersis hominibus fuerit tunc illi tribuetur, qui eam habuit in sua prima productione. Quod si contigerit in hoc esse æquales homines illos tunc ei concedetur, qui prius illam habuit: quia primum ius in eam acquisiuit, & illius propria facta est; qui vero illam postea habuit, quasi mutuam eam accepit, & ideo non huic, sed illi tribuenda est. Alteri vero concedentur aliæ partes materie, aliæ inquam, vel ex iis, quæ per nutritionem propriam illud indiuiduum acquisiuit, vel per calorem naturalem deperditæ sunt.

12 Aduertendum tamen, quod licet Metaphysicè loquendo, non repugnet, vt omnes partes materie, quas Petrus, v.g. habuit in instanti suæ generationis, & acquisiuit nutritione, aut per actionem caloris naturalis deperdidit, fuerint prius concessæ alteri, aut aliis, quibus proinde necessario restituendæ sint: attamen ad suauitatem diuinæ providentiæ spectat supposita voluntate, & decreto quod habet de resurrectione hominum, res ita disponere, vt tota huius indiuidui materia ad alterum non pertineat, sed quod ita in vita singulorum distribuerit partes materie, vt cuilibet in resurrectione nouissima possit concedi propria materia taliter vt vnum & idem numero indiuiduum maneat.

13. Sed obieciens, quod suppositis iis, quæ disp. 3. à num. 27. vsque ad 38. de unitate specifica materie diximus, videtur potius sententiam Durandi, quam oppositam à nobis amplectendam esse. Quia vel loquimur de unitate numerica positiua materie, vel de negatiua: si de negatiua, tunc tota materia sublunaris censenda est eadem numero negatiue, vt ibid. diximus: si de positiua, tunc iuxta nostram sententiam dicendum est, hanc unitatem habere materiam à forma vel à sigillatione ad illam, & eius quantitatem. Ergo hoc ipso quod quis resurgat cum eadem

Colleg. Compl. Physic.

numero forma, & quantitate, resurget cum eadem numero materia tam positiua, quia hæc prouenit à prædictis principiis, quam negatiua; quandoquidem secundum hanc nulla materia distinguitur numero ab alia; sed omnes materie sublunares sunt idem numero.

Respondetur negando antecedens. Sed vt ad eius probationem respondeamus, notandum est, quod sicut substantia materialis & completa, v.g. vermis, non habet actu distinctionem partium sine quantitate, sed solum in potentia, nec rursus est in ea signare aliquid, quod sit in potentia ad hoc vt fiat hæc pars, v.g. pes potius quam manus, vel è contra; quia hoc argueret in ea aliquam distinctionem partium: attamen semel adueniente quantitate datur hæc distinctio partium: & semel partibus distinctis & diuisis per quantitatem iam petit hæc pars quasdam dispositiones, quas non petit alia, & è contra. Ita materia secundum se, non actu distincta; vel diuisa in plures numero materias, sed solum in potentia, neque est signare secundum istam considerationem aliquid in ea, quod petat hanc potius formam sublunarem, quam aliam, vel hanc potius quantitatem, quam illam: quia hoc non posset esse sine aliqua distinctione, & multiplicitate eiusdem materie, & portionum eius.

Cæterum, semel adueniente sigillatione ad formam & quantitatem, nec non & forma, & quantitate ipsa ad quam sigillata est, tunc distinguitur, & diuiditur in plures portiones, & semel distincta & diuersa per quantitatem, &c. vt reuera diuisa est cum primò creata fuit, non debet intelligi, quod quælibet portio materie, quæ fuit facta hæc à prædictis principiis possit recipere quamlibet formam, & quælibet dispositiones & sigillationes; sed hæc numero portio tantum potest recipere collectionem quandam; infinitam tamen in potentia formarum & dispositionum ad illas, quarum nullam potest recipere altera portio materie, sed alias collectiones similes præcedentibus, vt patebit ex illis, quæ lib. 2. disp. ult. dicimus.

14 Hoc ergo supposito ad objectionem dicimus, nos loqui de unitate materie, tam negatiua, quam positiua. Cæterum, sicut sola illa portio materie facta fuit hæc positiue & radicaliter per sigillationem ad animam Petri, eiusque quantitatem, positiue vero & formaliter per eandemmet animam, quæque successiue habuit plures alias unitates positiuas, potest recipere hanc numero animam; cum tamen ceteræ aliæ portiones nequeant recipere illam: ita nec à dispositionibus sigillantibus ad illam, nec à sigillatione; nec tandem ab ipsa anima potest indiuiduari positiue per hanc numericam unitatem humanam, nisi illammet portio materie, quæ prius facta fuit hæc, & positiue, vna quæque cum primò diuisa est materia in portiones, respiciebat animam D. Petri tanquam aliquam ex formis contentis in sua collectione Vnde nisi D. Petrus resurgat cum illamet portione eodem modo, quem diximus, non resurget idem numero.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum ens naturale constet materia & forma; unitis aliquo nexu ab eis distincto; an vero sine illo seipsis immediate uniantur.*

**D**iximus ens naturale constare essentialiter materia, & forma: cumque non possit illis constare

E 2 nisi

nisi ut coniunctis & unitis, restat ut dicamus an ipsæ se ipsis absque aliqua vnione realiter ab eisdem distincta vniantur, an verò tali nexu realiter distincto indigeant.

*Adducitur prior opinio.*

§. I.

15. **P**rima sententia est materiam & formam, se ipsis addè immediatè necti ut nec etiam aliquis modus ab eis reipsa distinctus inter utramque mediet, qui sit vinculum & nexus earum. Refertur pro hac sententia Caiet. 3. p. q. 2. art. 7. & 10. ad 1. & Aluarez ibid. disp. 13. & videtur esse Aristot. 8. lib. Metaph. text. 15. & D. Th. 3. contra Gent. c. 7. quibus in locis asserunt actum & potentiam sine medio vniri.

16. Probatur ratione. Primò, quia ex opposita sententia sequuntur plura incommoda. Primum est, aliquid aliud præter corpus, & animam constituere hominem, quod videtur esse contra Athanasium in illis verbis: *Sicnt anima rationalis, & caro vnus est homo*. Secundum, est dari aliam tertiam entitatem præter materiam, & formam, & compositum, quod est contra Arist. 2. de Generatione.

Secundò, seclusa quauis realitate à partibus diuersa, possunt ipsæ, partes inuicem copulari, & efficere vnum substantiale. Ergo superflua est quæuis realitas præter partes ad earum vnionem. Consequentia est aperta, & antecedens probatur: materia de se essentialiter est potentia, & forma intrinsecè est actus, & earum quælibet ingenita propensione in alteram propendet, ut totum componat & perficiat. Ergo secundum se omni alia realitate circumscripita efficient vnum per se.

Confirmatur, ut illud vinculum medium inter materiam & formam sese partibus vniat, alius nexus necessarius non est, aliàs daretur processus in infinitum. Ergo pari ratione cum forma, sese vniat & communicet materiæ, & è contrà, aliqua vnio à partibus diuersa non desiderabitur.

17. Tertiò, Verbum diuinum & humanitas vniuntur ad inuicem seipsis, absque eo quòd ibidem desideretur aliquis nexus aliquo modo distinctus ab illis. Ergo forma vnietur materiæ, & è contrà absque tali nexu medio, sed per suas proprias entitates.

Consequentia videtur legitima, si namque Verbum diuinum & humanitas, quæ ex natura sua non ordinatur ad vnionem, possunt seipsis immediatè & absque aliquo nexu medio vniri, quanto magis materia & forma, quæ ex natura sua propendent ad vnionem & ad compositionem totius ex eisdem re-sultantibus.

Antecedens in quo est difficultas probatur, tum quia Verbum sine aliquo alio sibi superaddito vnitur humanitati: tum quia ex vnione nihil reale intrinsecum acquisiuit. Ergo & è contrà humanitas seipsa præcisè remansit vnita eidem Verbo: nam in hoc ut ex paritate rationis constat, æqualis debet esse vtriusque conditio. Tum etiam, quia humanitas vnitur seipsa immediatè cum propria subsistentia, nam subsistentia est modus naturæ, modus autem non vnitur medio alio modo, aliàs daretur processus. Ergo etiam vnitur immediatè cum subsistentia Verbi: aliàs personalitas Verbi non suppleret vicem propriæ personalitatis, quantum ad id quod perfectionis est, nempe quantum ad hoc, quod est, im-

mediatè complere, & terminare naturam humanam.

18. Confirmatur, quia vel iste modus & nexus medius esset aliquid supernaturale, vel naturale; non secundum, quia est talis conditionis, ut non possit esse connaturalis alicui substantiæ creatæ aut creabili, in quo ratio entis supernaturalis iuxta communem omnium Theolog. sentent. consistit. Sed neque supernaturalis esse potest; tum quia identificatur cum re naturali scilicet cum humanitate. Ad idem non potest simul esse naturale & supernaturale: tum etiam quia iuxta communem Theolog. sen. 1. p. qu. 12. nequit dari substantia supernaturalis, ac proinde neque modus iste erit supernaturalis: quia si semel datur, erit reuera substantialis, ut omnes fatentur.

Confirmatur secundò, quia si ob aliquam rationem adderetur iste modus, aut nexus medius in humanitate, maximè quia alioqui humanitas Christi eodem modo se haberet sicut si non vniretur Verbo: at hæc ratio est nulla: ergo, &c. Maior ex infrà dicendis patebit. Minor verò probatur: tum quia ad hoc sufficit actio vniuiua recepta in humanitate, ut per illam dicatur aliter esse tunc, quàm prius: tum etiam, quia transacta actione manet relatio vnionis, & per hanc aliter se habet humanitas, quàm si non esset vnita Verbo.

19. Vltimò tandem, & est confirmatio omnium, quæ hucusque diximus, arguitur testimonio D. Th. in 3. sent. dist. 2. q. 2. art. 1. vbi sic ait: *In vnione humana natura ad diuinam nihil potest cadere medium formaliter vnionem causans, cui per prius humana natura coniungatur, quàm diuina: sicut inter materiam & formam nihil cadit medium in esse, quòd per prius sit in materia; quàm forma substantialis*. Ergo tam Verbum, & Natura humana, quàm materia & forma vniuntur immediatè seipsis absque aliquo nexu medio ab eis distincto: alioqui prius vniretur tali nexui, qui mediat, quòd est contra S. Doctorem.

*Quæstionis controuersia ex mente D. Thom. dirimitur.*

§. II.

20. **D**icendum tamen est materiam & formam non vniri inter se præcisè per suasmet entitates, sed necessariò desiderari aliquem nexum ab eisdem ex natura rei, seu secluso intellectu distinctum, quo vniantur. Assertionem hanc satis indicat. D. Th. 1. p. q. 76. art. 1. solutione ad 6. vbi inquit: *Quòd secundum se conuenit anima corpori vniri: sicut secundum se conuenit leui esse sursum, & sicut corpus leue, manet quidem leue, cum à proprio loco fuerit separatam, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum: ita anima humana manet in suo esse, cum fuerit à corpore separata, habens aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis vnionem*.

Vbi, ut vides, docet S. Doctor. ita se habere animam ad vnionem, & è contrà sicut se habet hoc quòd est esse sursum respectu leuis: at leue non constituitur formaliter in hoc quòd est esse sursum, nisi addideris illis vbi-cationem, quæ est modus ex natura rei ab ipso distinctus; quique est talis conditionis, ut leue possit esse sine illo. Ergo pariformiter neque anima erit formaliter vnita, nisi ei modus vnionis ab ea distinctus superaddatur, quique sit talis naturæ, ut sine illo esse possit, cumque quoad hoc sit eadem ratio de anima nostra, & de aliis formis, quantum ad indigen-

indigentiam, saltem alicuius modi vnionis superadditi; sit inde, ut si semel anima eo indiget, quod cæteræ etiam formæ sint illius indigæ.

Eandem sententiam apertè indicat Dominicus Bañes super eundem articulum dubit. 3. in solutione ad vltimum quatenus docet vnionem animæ nostræ ad corpus educi de potentia materiæ, ut statim expendemus. Eundem sequuntur Cabrera 3. p. q. 2. art. 4. disp. 8. num. 17. innuens hanc sententiam esse communem inter Theologos. Et in Codicibus manuscriptis. Magister Gonzales 3. p. disput. 16. sect. 1. Magister Herrera, Primarius cathedræ Salmanticensis eadem 3. p. q. 2. necnon & Arauxo ibidem communiter recentiores Thomistæ, paucis exceptis. Idem tenent Suarez 3. p. q. 2. art. 8. disp. 8. sect. 2. Vasquez, & plures alij.

21. Probatum in primis ratione desumpta ex D. Thoma loco citato: quia licet animæ nostræ, & cuius alij formæ substantiali sit essentialis aptitudo ad vnionem cum materia: attamen de nullius formæ substantialis essentia potest esse, quod sit actu vnita cum illa: quandoquidem anima rationalis naturaliter esse potest sine corpore, & cæteræ formæ possunt supernaturaliter separari. Ergo ad hoc ut sint actu & formaliter vnitæ, necessarium est eis aliquid superaddi quo formaliter vniantur. Ergo cum illud quod superadditur, sit talis conditionis, ut forma possit sine illo saltem supernaturaliter esse, fiet inde ut actu, & secluso intellectu, debeat ab illa distinguui.

Prima consequentia patet, tum quia id cuius essentia præcisè sistit in potentia ad aliquem actum, non potest esse formaliter in actu, nisi ei aliquid addatur, quo formaliter in actu constituatur, nam si nihil ei addideris, manet sicut antea, ac proinde sicut antea talis essentia solum importabat potentiam ad illum actum, non verò esse in actu; ita dum nihil ei additum fuerit, quo formaliter fiat in actu, eodem prorsus modo manebit. Tum etiam quia inde colligimus corpus leue indigere aliquo superaddito per quod formaliter constituatur in hoc quod est esse actu sursum, quia ex se ipso & ex vi suæ essentia, ut leue est, tantum habet potentiam ad hoc quod sit sursum. Ergo similiter, & cætera. ut ex D. Thoma supra vidimus.

Ex quo etiam secunda consequentia, imò & prima satis constat: nam quoties aliquid additur alicui rei, & est talis conditionis, ut res illa verè possit esse sine eo quod illi additur, non tamen è contra, necesse est ut illa duo aliquo genere distinctionis realis distinguantur: quia quod actu est idem prorsus cum alio, nequit ab illo separari. Ergo cum forma possit saltem supernaturaliter permanere sine sua vnione: licet non contrà: fiet inde, ut aliqua distinctio realis, seu secluso intellectu debeat inter vtramque inueniri.

22. Confirmatur, & explicatur ratione desumpta ex iis, quæ Caiet. loco citato inquit: quia etsi materia, & forma præcisè ex vi suarum entitatum sint causatiue, non tamen sunt actu causantes nisi eis aliquid superaddatur. At causalitas earumdem consistit in actuali vnione vnus ad alteram: ergo talis vnio formaliter loquendo non est pura, & nuda essentia, aut entitas earum; sed aliquid distinctum modo dicto ab eis. Maior patet: quia materia prima verbi gratia D. Petri, quandoque causat compositum ipsum, quandoque verò non, sicut etiam anima eiusdem quandoque influit actu in suam materiam, & in totum, scilicet dum erat in corpore: quandoque verò non, ut modò contingit. Cumque essentia tam materiæ, quam animæ sit semper eadem, non pos-

Colleg. Compl. Physic.

sunt ex vi essentia solius constitui in hoc quod est actu, causantes totum. Minor verò etiam constat. quia præcisè per hoc quod materia sit vnita formæ, communicat, & dat se formæ, ut potentia illius: sicut & præcisè per hoc quod forma sit vnita materiæ, communicat illi suum esse.

### *Euationes aduersariorum, & quomodo præcludenda.*

#### §. II.

23. **A**D hoc argumentum multipliciter solet responderi ab aduersariis: nam in primis respondet Iunior quidam concedendo non esse essentialem formæ vnionem ad materiam, aut esse in actu secundo causantem esse illius, vel totius compositi. Negat tamen hinc sequi debere illi addi aliquid per quod formaliter vniantur, aut sit in actu causans, sed sat esse si illi superaddatur extrinseca connotatio materiæ. Quod idem de materia respectu formæ dicit: quia materiam esse vnitam formæ, & è contra, nihil est aliud quàm materia ut communicata formæ, vel è conuerso, & hoc nihil addit supra easdem præter extrinsecam connotationem, vel denominationem essendi in alio vel sub alio.

Sed contra: quia licet verum sit formam esse vnitam materiæ nihil esse aliud, quàm eandem formam ut communicatam illi: attamen falsum est; quod hoc tantum addat extrinsecam quandam connotationem alterius extremi scilicet materiæ. Quia per hanc extrinsecam connotationem tantum potest addi quod forma, & materia sint omnino inter se indistinctæ, & vna præsens alteri, quatenus hoc posito connotato, statim ipsæ ob naturalem propensionem, & coaptationem, quam habent seipsis formaliter vniantur. At etiam si ponatur tale connotatum, non manent formaliter vnitæ: ergo formam esse vnitam materiæ aliquid aliud dicit præter prædictam connotationem.

Minor probatur: quia aliàs anima nostra in illo priori, in quo creatur, maneret vnita materiæ, antequam ab agente naturali vniretur: quia cum creetur intra corpus connotabit materiam, ut ab illa indistinctam, & præsentem eidem. Vnde si formam esse vnitam materiæ nihil est aliud, quàm forma ut connotans sic materiam, non poterit non illo priori manere vnita. Quod tamen satis constat esse falsum: quippè quod destruit creationem animæ nostræ, ut ex se, & ex supra dictis patet: ergo, &c.

24. Confirmatur: nam etsi in aliis rebus possit aliquando recurri ad hæc extrinseca connotata; non tamen in præsentem: quia de ratione causæ creatæ est, quod se ipsa formaliter non sit causans in actu secundo: ergo non deest illi sua causalitas ex defectu alicuius connotati præcisè, verbi gratia ex defectu subiecti, erga quod talis causalitas versatur: sed ex defectu eius, per quod formaliter constituitur in esse causantis in actu secundo.

Antecedens probatur, tum quia causalitas causæ efficientis, & finalis, aliquid addit formaliter supra ipsas distinctum ab eisdem: ergo multo magis in causa materiali & formali, quæ non sunt ita perfectæ in modo causandi, ut ex se, & ex infra dicendis lib. 2. disp. 8. constabit: tum etiam quia causalitas causæ, formaliter sumpta, pendet ab illa, & secundum id, quod dicit in recto, procedit re ipsa à sua causa saltem in creaturis: quia habet suam qualencunque entitatem ab illa, non minus quàm ipse effectus: & ideo causa est prior natura quàm sua causalitas: ergo

E ; non

non est formaliter idem quod illa; quia nihil est pendens à seipso, et prior natura seipso.

25. Confirmatur secundò: idèd in Deo neque in ordine essendi, neque in ordine operandi, intelligendi, et volendi distinguitur actus secundus à primo: quia est purus actus in illo genere, quatenus multis importetur aliquod, extrinsecum connotatum, quia non potest esse in actu secundo volens creaturas futuras, nisi futuritio earumdem connotetur: ergo cum causa formalis, & materialis in nullo ordine, siue in ordine essendi, siue causandi sint purus actus, nequibit in illis esse idem virtus, & potentia causatiua, & ipsa causalitas etiam secundum ea, quæ in recto importat causalitas; ac proinde non ex defectu solius connotati desinent esse in actu secundò.

26. Secundò respondent alij concedendo sicut præcedens solutio concedebat, non esse essentialem formæ vnionem ad materiam, aut causalitatem in illam: ac proinde debere addi saltem aliquod connotatum, hoc tamen esse ipsam actionem, & causalitatem agentis: quia nisi agens simul agat, & vniat formam cum materia, nequibunt ipsæ seipsis vniri, aut habere causalitatem erga seipsas; at semel posita actione agentis statim seipsis vniuntur.

27. Sed contra hanc solutionem obstat: quia reuera non soluit impugnationes contra præcedentem solutionem factas. Nam quidquid sit de actione hac, quæ connotatur: inquirimus, vtrum ex parte effectus, & in facto esse importet hoc quod est materiam esse vnitam formæ, vel è contrà, aliquid aliud saltem modale, præter ipsam entitatem formæ, connotando materiam, vt indistantem & præsentem illi, vel non. Si primum, habemus intencum: secundum autem dici non potest: quia hoc ipso quod daretur forma in rerum natura connotando materiam, vt indistantem, & è contrà, deberet dari in eodem signo, imò & prius natura actio vnitiua agentis naturalis; sed hoc apertè ostendimus esse falsum in anima nostra in illo priori, in quo creata est: ergo etiam erit falsum, quod formam esse vnitam materiæ non dicat aliquid præter illam, vt dicto modo connotantem materiam.

Maiores patet: quia si ex parte effectus, & in facto esse nihil aliud desideratur ad hoc vt materia sit vnita formæ, & forma materiæ; & consequenter ad hoc vt sit totum compositum: ergo nequit intelligi poni hæc, quin prius ponatur causalitas agentis, per quam talis vnio, taleque compositum fiat: quia nequit esse in rerum natura, quidquid ex parte effectus, & in facto esse requiritur ad aliquod totum, quin prius natura adsit actio per quam hæc ponuntur in rerum natura.

28. Confirmatur: quia per euentem consequentiam colligimus non adesse ex parte effectus, & in facto esse omnia requisita, si prius natura non adsit prædicta causalitas agentis. Ergo cum probatum à nobis sit, animam in illo priori in quo creatur intra corpus, connotare materiam, vt indistantem, & è contrà, & nihilominus in illo priori antecedenti non dari actionem vnitiuam; sed in subsequenti ad creationem: consequens est, quod ex parte effectus, & in facto esse, desideratur aliquid aliud, ad hoc vt materia; & forma maneat vnita præter intrinsecas earum entitates, & connotationem vnus ab alia.

Confirmatur secundò; quia ex vi actionis vnitiuæ non potest poni formaliter denominatio intrinseca vnitarum in forma, vel materia, nisi vel ipsæ sint formaliter ipsa vnio, & nexus, vel superaddatur illis talis vnio: quia actio vnit actiue, non verò formaliter. At forma, & materia non sunt ipse nexus formaliter.

Ergo nisi superaddatur talis vnio, non manebunt vnita, imò neque dabitur actio vnitiua.

Minor patet, quia sicut de essentia actionis est esse actuale fieri rei, & idèd hoc ipso quod detur in rerum natura actio secundum sua essentialia, dantur omnia connotata ad actuale fieri: ita de essentia vnionis est esse actuale vinculum extremorum, & ita hoc ipso quod detur actualis vnio secundum ea, quæ in recto, & formaliter importat, dabuntur omnia connotata ad illam. At de essentia formæ, v.g. Diui Petri non est esse actuale vinculum sui ipsius ad materiam, neque hoc ipso quod talis forma detur, dantur omnia connotata, ad hoc vt maneat vnita. Quod idè de materia respectu eiusdem formæ dicimus. Ergo neque materia, neque forma sunt seipsis formaliter ipsa vnio, & nexus; ac proinde præter actionem agentis aliquid aliud desiderabitur, ad hoc vt maneat formaliter vnita.

29. Adde tandem non posse hæc duo coherere, scilicet materiam esse vnitam formæ, & è contrà non addere aliquid aliud ex parte effectus præter materiam connotantem formam indistantem, & sibi præsentem, & è conuerso, & nihilominus hoc ipso quod ponatur actio agentis naturalis tanquam connotatum, statim formam vniri materiæ, & adesse causalitatem vtriusque absque aliquo alio. Erratio est: nam si semel desideratur in homine, v.g. actio agentis naturalis tanquam connotatum, non potest non aliquid aliud desiderari ad vnionem præter prædicta; tunc quia actio illa agentis naturalis attingit vnionem, & non vtrumque, sed educendo illam, de potentia subiecti: quia talis actio est educatio. At si vnio nihil addit præter materiam in recto, & animam in obliquo, & è contrà, nequit educi quia neutra ex his partibus est educibilis de potentia alterius: ergo, &c.

Tum etiam, quia aliàs esset possibilis naturaliter reunitio animæ cum corpore: quia virtute Angeli poterit materia poni iuxta animam, & anima iuxta corpus, ac proinde tunc anima expellet formam, quam habet materia, & manebit vnita cum proprio corpore: nam sicut si semel est verum (vt verum esse putamus) quod ad vnionem materiæ, & formæ requiritur aliquis nexus, tunc qui poneret simul hæc tria, poneret compositum nouum, & expelleret effectiue formam præexistentem: ita similiter si partes esse vnitæ solum importat materiam, & formam se inuicem connotantes, qui poneret ista, poneret totum effectiue, & similiter expelleret formam præexistentem à materia.

#### *Solutio fundamentorum prioris sententia.*

#### **§. IV.**

30. **A**rgumentis igitur in oppositum adductis sic occurrimus. In primis ad testimonium Arist. & D. Thom. constabit ex iis, quæ ad vltimum argumentum dicimus. Ad primum ergo argumentum ex ratione petitiu respondetur negando sequelam. Ad primum inconueniens dicimus, Athanasium ibi solum numerasse partes hominis, & idèd non miram si nexum & vnionem cum non sit pars, sed partium nexus, innumeratam reliquerit.

Quibus adde, quod in illa particula, & cum dixit sicut anima rationalis, & caro, &c. significatur formaliter vel virtualiter hic modus vnionis, non enim corpus, & anima vtrumque faciunt hominem, sed media vnione: sicut Deus, & humana natura non faciunt Christum, nisi interueniat vnio hypostatica. Vnde sicut



sicut non est inconueniens asserere inter Deum & humanam naturam interuenire hypostaticam vnionem, vt confurgat Christus Dominus, etiam si expressè ibi non fiat huius vnionis mentio: ita pari ratione in præsen- ti idem dicendum est. Ad secundum inconueniens patet ex dictis.

31. Ad secundum respondetur, quòd etsi quælibet harum partium dicat maximam propensionem ad vnionem, nihilominus sine prædicto modo vnionis vniri nequibunt propter rationes à nobis factas.

Ad confirmationem respondetur, quòd sicut quantitas, quæ facit extensam substantiam, non eget aliquo alio, quo ipsamet extensa sit, eo tamen modo, quem in Logica assignauimus, & actio quia est fieri effectus non eget alio fieri, sed seipsa, & vt quo exit ab agente: sic modus iste vnionis, quia reuera est nexus, & actualiter vinculum partium, non eget alio nexu, vt sese vniant partibus non quidem tanquam extremum, sed tanquam extremorum nexus. Vnde non sequitur processus in infinitum, neque quòd eadem ratione materia, & forma se ipsis sine hoc modo vniantur quia etsi sint inter se vnibiles, non tamen sunt essentialiter ipse nexus.

32. Ad tertium posset in primis negari consequentia, neque probatio ibidem adducta oppositum conuincit: imò ex ea non incongrua desumitur solutio. Nam cum substantia Verbi non se habeat per modum formæ respectu humanitatis, sed solum per modum termini: & humanitas habeat respectu illius puram rationem rei terminabilis, non mirum quòd non indigeant vnione, à se distincta: quia hoc proprium est termini, & rei purè terminabilis, quòd ille per se ipsam terminet, & hæc per seipsam quasi passiuè terminetur. Maxime, quia cum Verbum sub omni ratione sit actus purus, idè seipso est vnibilis, & vnitur humanitati. At forma vnitur per modum formæ, atque adeò per modum causæ. Vnde & debet esse ibidem informatio, & consequenter modus vnionis ab illa distinctus.

33. Secundò respondetur negando antecedens: quia, vt docet D. Thom. 3. p. qu. 2. art. 7. relatio vnionis quæ est inter humanitatem, & Verbum, oritur non ex mutatione Verbi, sed per se loquendo ex reali mutatione humanitatis (quamuis per accidens, quia vnio illa fuit in eodem instanti com- pducta cum humanitate, non intercesserit ibidem propria, & rigorosa mutatio iuxta ea, quæ suprà disp. 4. nu. 26. diximus; sed solum mutatio valde late sumpta, prout est idem quòd acquisitio alicuius formæ intrinsecæ,) cumque per Verbum ipsum non possit sic formaliter immutari: tum quia vnitur per modum puri termini; tum quia, sicut Verbum est omnino immutabile, ita per ipsum formaliter, & præcisè nequit alia natura creata villo modo immutari: consequens est, vt debeat acquirere saltem aliquem modum quo formaliter, & intrinsecè modo dicto immutetur.

Et ad primam probationem antecedens dicimus, quòd licet in aliis compositis nexus copulans utramque partem teneat se ex parte vtriusque intrinsecè afficiens illas, & comparetur per modum actus respectu illarum, non tamen hoc est de essentia cuiusvis nexus: & idè satis est vnionem se tenere ex parte vnus extremi, & terminari ad aliud. Vnde cum humanitas sit capax per se loquendo mutationis, secus verò Verbum: idè vnio inest humanitati, & terminatur ad verbum, quòd purè sub ratione termini vnitur: imò quia est purissimus actus, idè se ipso est extremum vnibile & ipsa vnio sui ad humanitatem, connotando tamen, quòd humanitas per modum vnionis in ipsa existentem, ad Verbumque ter-

minatum vnatur illi: nam quando extrema prædicto modo distant, petunt sic vniri.

34. Ad secundam probationem neganda est consequentia: & ratio disparitatis est: quia natura, & propria substantia habent inter se connaturalem coaptationem, & commensurationem, & idè natura est se ipsa naturaliter determinata sed propriam substantiam, & non vtrumque, sed talis determinatio est in ordine ad substantiam, non tanquam ad formam, sed tanquam ad terminum. At terminus seipso vnitur cum re terminabili, quando est naturalis coaptio, & determinatio vnus ad alterum: quia ibi non adest vera causalitas: & quia de eius essentia est, esse actualiter terminans rem terminabilem: Et idè per diuinam potentiam nequit esse sine re terminabili. Cæterum etsi humanitas, & Verbum diuinum vniantur per modum termini, & rei terminabilis; attamen non habent inter se connaturalem coaptationem; nec humanitas est de se determinata ad substantiam diuinam, & idè eget nono modo, quòd determinetur, modificetur, & trahatur ad esse personale. Verbi, quique saltem tanquam terminum attingat ipsum Verbum; addendum tamen esse satis probabile substantiam creatam vniri medio modo vnionis ab ea distincto; quia solus modus, qui sit ipsa vnio est incapax, vt media alia vnione vnatur, ne detur processus in infinitum.

35. Neque hinc sequitur, quòd Verbum non suppleat vicem propriæ personalitatis quantum ad omne quòd in ea erat perfectionis: quia illamet perfectio continetur in Verbo sub eminentiori ratione, & vt continet illam terminat humanitatem: sicut, etsi substantia Verbi non sit connaturalis humanitati, non sequitur quòd desit humanitati illa perfectio quæ illi accrescebat ex connaturali terminatione propriæ substantiæ, & hoc ob rationem dictam.

36. Ad primam confirmationem respondetur, quòd cum modus iste sit, realiter modaliter distinctus ab humanitate, potest esse supernaturalis, licet ipsa humanitas sit naturalis: quia non conuenit illi, vt subdatur agenti naturalis; sed supernaturali & hypostatici ordinis. Vnde licet corpus Christi dicat entitatem naturalem; habet tamen in Eucharistia modum essendi sub speciebus supernaturalem qui solum modaliter ab ipso distinguitur.

Ad id autem quòd in eadem confirmatione dicitur de impossibilitate substantiæ supernaturalis, dicendum est, illud esse verum ad minus in substantiis completis, secus in modis. Disparitas est: quia substantia completa non specificatur ab intrinseco, & idè non esset supernaturalis respectu, id est, ex eo, quòd non esset connaturalis alicui substantiæ creatæ, aut creabili; quia non comparatur per modum affectionis respectu alterius substantiæ, sed esset supernaturalis: quia superaret in perfectione omnem naturam creatam aut creabilem, atque ita tali substantia necessarìo deberet esse Deus, & non natura aliqua creata. At modus iste cum consistat in relatione quadam secundum dici; ac proinde specificetur per ordinem ad extrinsecum, sitque quædam quasi affectio substantiæ, potest esse supernaturalis, non ex eo quòd superet totam naturam creatam, & creabilem, alioqui superaret se ipsum; sed ex eo quòd est affectio adeò eleuata, vt nulli substantiæ creatæ, aut creabili possit esse connaturalis.

37. Ad secundam confirmationem concedenda est maior, sed neganda minor. Ad primam, & secundam probationem patet ex dictis: quia relatio vnionis præsupponit vnionem extremorum;

humanitas autem vnitur. Verbo per modum vnionis iam explicatum.

Ad vltimum responderetur, sensum verborum D. Thomæ vt ex contextu constat: tantum esse, inter humanitatem, & personam Verbi, aut inter materiam, & formam non intercedere aliquid tanquam quoddam tertium & extremum *vt quod* vnionis, afferens proprium esse, in quo formaliter vniantur: quia sic non manerent immediatè vnita, nec possent componere vnum per se; non verò negat aliquem modum, qui non afferat proprium esse, quique non sit extremum *quod* vnionis, sed id quo nectuntur extrema. Vnde sicut non est extremum, sed nexus extremorum, ita non tollit ab extremis rationem immediatorum extremorum, & consequenter quoddam simpliciter loquendo immediatè vniantur.

### QVÆSTIO III.

*Vtrum materia, & forma nectantur inter se vnica simplici vnione, an verò duplici partiali.*

*Quid afferant Scotus, & alij.*

#### §. I.

38. **P**rima sententia asserit materiam, & formam duplici substantiali vnione inter se vniri, ita vt vna ex parte materiæ se teneat, & sit receptio formæ, altera verò, ex parte, formæ, & sit informatio. Ita Durand in 3. distinct. 15. quæstione 3.

Probatum primò: nam causalitas materiæ erga formam est vnio, vel receptio, & causalitas formæ in materiam est vnio, vel informatio: sed causalitas formæ, & materiæ reipsa sunt duæ, ita vt nullo modo identifcentur: ergo etiam vniones. Maior certa est, & latè probatur infra lib. 2. Minor verò probatur: quia materia, & forma sunt causæ adæquatæ in suo genere. Ergo per diuersas causalitates causant. Probatum consequentia; quia causalitas nihil est aliud quàm tendentia quædam realis, & Physica causæ in effectum suum: ergo vbi est diuersa causa totalis in suo genere, & nullo modo identificata, ibi etiam erit diuersa realiter causalitas, nullatenus identificata. Ob hanc enim rationem causa efficiens causat per diuersam realiter causalitatem, quia est diuersa causa.

39. Confirmatur: quia materia sua causalitate causat in suo genere formam materialem. Ergo repugnat, quoddam eadem causalitate suam esse recipiat à forma, ab illaque causetur. Si enim nihil magis alienum à ratione, poterit affirmari, quàm quoddam Petrus producat illa causalitate, & productione, quâ ipse Paulum efficit: ita nihil sanè absurdius in Philosophia dici poterit, quàm quoddam eodem prorsus modo causalitatis, scilicet eadem vnione, quâ materia causat formam, ipsa recipiat suum esse ab eadem forma.

Confirmatur secundò: quia materia verè recipit, & non informat, & forma etiam verè informat, & non recipit; Ergo actualis receptio, & informatio non sunt re ipsa vnum, & idem. Si enim sufficienter colligimus potentiam passiuam, seu receptiuam distinguere realiter ab actu informatiuo: quia illa reipsa potest recipere, non verò informare: è contrà verò actus ipse potest esse informatiuus, non verò receptiuus; cur non colligamus realem distinctionem inter actualem receptionem; & informationem propter eandem proportionalem rationem.

40. Secundò: nam in homine vnio corporis, & animæ rationalis, non est simplex, sed composita. Ergo in omni naturali composito idem dicendum erit. Patet consequentia ex paritate rationis. Antecedens probatur: nam vel illa simplex vnio esset materialis, & corporea, vel spiritalis. Si primum, non poterit vniri, & attingere animam si verò spiritalis fuerit, nequibit nectere materiam: nexus enim cum re nectenda proportionatus esse debet.

Confirmatur: nam si vnica tantum pro his duabus partibus vniendis ponatur vnio, inquiremus ex parte, cuius se teneat, an ex parte materiæ, sitque proprius illius modus; an verò ex parte formæ? Si primum dicatur, ergo debet esse corporeus talis nexus: si secundum, ergo erit spiritalis; modus enim debet proportionari cum re cuius est modus, vt nunc dicebamus.

41. Neque poterit dici, quod ex parte vtriusque se teneat: quia omnis modus informat, & actuat id, ex parte cuius se tenet, seu vt clariùs loquamur id, cuius est modus. At vnicus tantum modus non potest simul actuare, & informare duas realitates à parte rei distinctas, cum hoc perfectissimis etiam formis, qualis est anima nostra, non concedatur. Ergo neque concedi debet modum vnionis ex parte vtriusque extremi se tenere.

Vltimò: quia relationes reales, quibus materia, & forma vt vnitæ inter se referuntur, fundantur in reali vnione earundem. Sed fundamenta realium relationum debent esse inter se realiter distincta in vtroque extremo, vt patet in albedine fondante respectus numericè realiter distinctos, quæ idè in vtroque albo realiter distincta est. Ergo similiter materia, & forma non vnica, sed multiplici nectuntur vnione, vt ita realis possit fundari relatio.

*Quid in hac re sentiendum sit?*

#### §. II.

42. **N**ihilominus dicendum est materiam, & formam tantum vnico modo vnionis realis vniri inter se. Declaratur assertio: non enim negamus modum hunc vnionis esse realiter, formaliter multiplicem, sed quod à parte rei sit entitatiuè modaliter plures. Quomodo autem cohzreat, quod aliqua duo ex natura rei distinguantur, & nihilominus identifcentur realiter entitatiuè, infra disp. 16. explicabitur, dum de distinctione actionis, passionis, & motus egerimus.

Assertionem hanc ita intellectam docent communiter Thomistæ, & ratio fundamentalis est: quia vnicus modus vnionis potest perfectè, & completè vniri materiam, & formam: ergo superflue ponitur duplex. Consequentia est euident ex communi axiomate, *Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora*: Et antecedens probatur: quia vnio partium vt talis, est vinculum duarum partium: ergo ad duas partes vniendas vnicum tantum vinculum satis est.

Varij variè huic argumento occurrunt: alij enim asserunt verè posse vnica vnione extrema vtrunque copulari; non tamen perfectè, & iuxta exigentiam, modumque vnionis formalis intrinsecè immutatis (vt ipsi loquuntur) materiam, & formam: hic enim specialis modus nectendi essentialiter petit vt quæuis pars non solum sit terminus vnionis alterius compartis, sed etiam, vt intrinsecè per suam vnionem efficiatur & immutetur. Vnde cum, vnio quæ ex parte materiæ se tenet, respiciat materiam, vt subiectum ac proinde illam solummodo immutet: formam verò solummodo, vt terminum inspiciat, sic inde,

inde, ut per illam non possint secundum rationem prædictam uniri, & ideo necessario debet priori illi unioni correspondere alia partialis unio ex parte formæ se tenens, & respiciens materiam, ut terminum.

43. Sed hæc solutio nihil contra nos convincit, ut infra videbimus, nec argumenti nodum dissolvit. Quia impossibile est ut materia intelligatur unita formæ, quin eo ipso realiter intelligatur forma unita materiæ: sicut impossibile est unum extremum esse indistans loco ab alio quin aliud eo ipso sit indistans ab eodem, ut per se patet. Ergo per modum illum unionis quo materia unitur formæ, manebit forma realiter unita materiæ, & consequenter altera illa partialis unio realiter modaliter à priori distincta superuacanea erit. Patet prima consequentia: quia quotiescumque partes ut tales inter se uniantur, hoc fit ob indigentiam, & dependentiam, vel commentum quod una ab alia habet, & è contrà: & ideo intinsecè, & per se completur ex tali unionem. Ergo unio illa realiter utramque immutat, sicut & utramque complet. Ergo non attingit alteram partem extrinsecè, & per modum termini solius, ac proinde ex vi talis unionis utrumque extremum unietur.

44. Quia propter alij dicunt non esse necessariam specialem unionem ex parte materiæ, & aliam ex parte formæ, ut partes præcisè copulentur; sed solum ut materia, & forma se mutuò causare possint. Hæc enim mutuà causalitas non potest inter eas reperiri, si unicus tantum inter utrumque adeat nexus, ut videtur probari primo argum. factò pro prima sententia.

Sed contra: quia materia, & forma ad inuicem sunt causæ in actu secundo ratione: unionis ergo si ut sint unitæ inter se non requiritur, nisi unicus tantum nexus: neque ad causalitatem earundem quidpiam aliud desiderabitur. Antecedens infra probabitur latius lib. sequenti, & nunc breuiter suadetur: quia per hoc quod materia, & forma sint unitæ, forma se communicat, datque suam entitatem materiæ, & materia sustinet ac sustentat in se formam, Ergo quælibet in suo genere, ratione talis unionis exercet suam propriam causalitatem, nam causalitas formæ est informatio, seu donatio (ut sic dicamus) sui ipsius: sicut materia non aliter causat, quàm recipiendo modo supra dictò in se formam sustentandòque illi suam entitatem, ut in ea veluti innitatur.

*Satisfit primo argumento aduersariorum, & eius confirmationibus.*

## S. III.

45. **A**D Primum neganda est minor, Ad eius probationem dicendum est nullam esse repugnantiam in hoc, quod eademmet entitas realis formaliter tamen, & ex natura rei diuersa possit esse causalitas diuersarum causarum eiusdem ordinis: quia non requiritur tanta distinctio inter causalitates quanta inter causas, ut patet in causis efficientibus subordinatis, & earum causalitatibus, sicut etiam eadem actio est causalitas finis, & agentis diuersimodè tamen considerata. Vnde, etsi concederemus causalitatem agentis esse omnio realiter distinctam ab ea, quam materia, vel forma exercent, non ideo hæc eadem distinctio admitti deberet inter causalitatem materiæ, & formæ: quia causa materialis, & formalis sunt eiusdem ordinis; id est ambæ sunt causæ intrinsecæ. At verò efficiens est causa extrinsecæ sicut etiam, & finis, ideo melius intelligitur ut pro his causis una realiter causalitas detur.

Ex quo ad primam confirmationem facile responderetur: quod licet unio hæc sit entitativè modaliter unica: attamen est formaliter, & virtute plures: & ideo non minus potest exercere officium plurium, quàm si esset realiter plures. Neque est simile exemplum illud, quod in argumento adducitur de causa efficiente; efficiens enim ita est causa sui effectus, ut simul non sit effectus respectu illius, & ideo non potest recipere neque illa, neque alia causalitate esse ab illo. At forma ita est causa materiæ in genere causæ formalis, ut simul etiam sit effectus illius iuxta capacitatem suam in genere causæ materialis. Quare non mirum si à suo effectui, licet non ut effectus est, aliquid accipiat, & quod hoc sit per eandem realiter entitatem, & causalitatem, cum hæc formaliter multiplex sit.

46. Ad secundam confirmationem concedendum est antecedens, & distinguendum consequens: & si intelligatur formaliter, neganda est consequentia: si verò materialiter tantummodo, concedi poterit. Explicatur hoc recipere, vel informare distinguuntur realiter entitativè penes subiecta materialia, quæ denominantur: non verò penes formam denominantem, quæ est entitas modalis eiusdem unionis, quemadmodum agere, & pati, diuersæ denominationes sunt ex parte materiæ: quia reuera ab actione solum agens denominatur agens, & non passum. Econtrà verò passio passum solummodo denominat, sicut & agens ut tale est, agit, & non patitur Econtrà verò passum, vel ut tale, ita patitur, ut non agat, & nihilominus ex parte formæ denominantis non est realis entitativæ diuersitas: quia actio, & passio una, & eadem entitas saltem modalis est, ut lib. 3. ex D. Th. dicemus.

Quibus adde, quod etsi unio sit tota in materia; non tamen totaliter, id est non præstat illi totum effectum, quem potest, quod idem de forma dicemus. Vnde ab eadem unionem potest materia habere hoc, quod est recipere, & non informare, & è contrà forma informare, & non recipere. Et est huius aliquale exemplum in anima nostra, quæ etsi totum corpus, quamlibetque eius partem informet, totaque in toto, & tota in quavis parte sit, non tamen tota, & totaliter (ut plures satis probabiliter volunt) cuius parti unitur: ideoque ab eadem anima habet capillus, ut viuat vita vegetatiua & non sensitiua. Et similiter manus, quod viuat vita sensitiua, & non rationali. Si ergo anima nostra absque eo quod in se realiter formaliter, sed solum ratione ratiocinata distinguatur, potest hæc præstare: quanto magis unio de qua loquimur, cum dicamus eam esse realiter formaliter multiplicem.

Ex quo etiam patet, nullam vim habere exemplum quod in fine huius argumenti allatum fuit: quia cum potentia receptiua, & actus informativus non dicant aliquid aliud, præter suam entitatem quod ad præsens conducatur, non possumus assignare aliquid reale, in quo realiter entitativè distinguantur (quod ex vi argumenei necessario assignandum est) nisi etiam assignemus distinctionem realem in illorum entitate, & à propria entitate subortâ. Ac cū hoc quod est actus recipere, & actus informare (si concretionem sumatur) importent aliquid pro formali, & aliquid pro materiali, poterit assignari distinctio realis entitativæ ex parte significati materialis: licet non assignetur ex parte formalis.

*Occurritur.*

*Occurritur cæteris argumentis opposita.  
sententia.*

## §. IV.

47. **A**D Secundum, etsi possemus concedere antecedens, & negare consequentiam propter specialem rationem, quæ in homine reperitur: quia nimirum illa forma spiritali, & materia corporea constat, quod in nullo alio composito naturali inuenitur; nihilominus negamus idem antecedens. Ad cuius probationem respondet Suar. disput. 15. suæ Metaph. sect. 3. in fine, & plures alij unionem illam spiritua-lem esse, licet sit pendens à materia in esse, fieri, & conservari. Negant tamen inde sequi, quod per eam non possit uniri materia. Nam sicut anima non obstante immaterialitate sua informat materiam, datque illi suum esse, sic & unio, etsi sit spiritalis, suo etiam modo materiam informabit, eamque uniet formæ.

Sed contra: quia in generatione hominis attingitur hæc unio ab homine, ut à causa efficiente, & principali: sed agens corporeum non potest virtute propria, & corporea, qualis est potentia generatiua, producere modum aliquem entitativæ spirituales: alioqui effectus superaret in nobilitate suam causam: ergo talis modus nequit esse spiritalis.

Præterea, quia non satis inter se coherent hæc duo, nimirum quod modus ille sit spiritalis, permanentis, & omnino indivisibilis: & quod sit à materia pendens in suo esse, & fieri: quia in hoc præcisè substantia materialis: & permanens generalissimè sumpta distinguitur à substantia spiritali permanenti, & in eadem generalitate considerata, quod scilicet prædicta substantia materialis, vel est materia, vel è materia pendet; secus verò substantia spiritalis, & permanentis: non enim aliud discrimen inter eas inuenitur. Ergo, & cætera.

48. Quare aliter ad argumentum cum aliis dicendum est: unionem illam corpoream esse. Negandum tamen per eam non posse uniri formam: quia sicut illa forma, etsi entitativè spiritalis sit, nihilominus est forma corporis, & in materia corporea recipi potest: ita & per receptionem corpoream suscipitur, & per unionem huius ordinis, & consequenter corpoream potest uniri.

49. Ad confirmationem, seu explicationem aliqui dicunt: unionem hanc esse inhæsiuè in materia: quia corporea est; terminatiuè verò in anima rationali: quia attingit animam; non quidem per inhæsiuè; sed per adhæsiuè ad aliqualem puncti similitudinem: quia utramque partem lineæ coniungit, & neutri inhæret, utrique tamen adhæret. Vel ad similitudinem unionis hypostaticæ, quæ est aliquid in humanitate, ipsique inhæret, attingit tamen suo modo unibiliter: non verò inhæsiuè, aut modificatiuè diuinum Verbum. Sed contra, nam materia, & forma sunt eiusdem ordinis in ratione actus, & potentie: & utraque innata propensione maximè propendet ad unionem. Ergo sicut ad hoc, quod censeatur una alteri unita, necesse est, ut unio ex parte illius se teneat: ita ad hoc, ut illa altera similiter uniatut, debet etiam unio ex parte illius se tenere.

Deinde, quia Theologi multum laborant, ut explicent quomodo Verbum diuinum, sine aliqua mutatione fuerit humanitati unitum: quod si talis modus unionis in anima rationali inueniretur, ita ut sine ulla prorsus mutatione sui, maneret unita, satis facile posset percipi modus ille unionis: imò facillimè difficultas hæc, quæ adeo ab illis magnificatur, ut porè, quæ supra omnem humanam capacitatem est, solueretur.

Confirmatur: tum quia id, quod tribuitur unioni hypostaticæ, quia modus hic adeo mirabilis est: & supra omnem intellectum creatum, non debet affirmari de alia naturali unionem quia ut ad hoc intentum dicitur in Concilio Toletano, si haberet exemplum, non esset singulare. Vnde cum hoc, quod est unire sine mutatione unius extremi tribuatur unioni hypostaticæ: quia adeo mirabilis est, non est hoc unioni animæ rationalis cum corpore tribuendum. Tum etiam, quia Theologi in solam verbi immutabilitatem, & infinitam perfectionem eius referunt, quod non sit subiectum unionis hypostaticæ: quo impedimento semoto, nullus dicere dubitaret, quod unio Verbum afficeret, & illud immutaret. Vnde cum forma sit capax mutationis, & sic meliori modo à nobis concipiatur unita ut ex dictis pro conclusione constat) fatendum erit unionem ex parte utriusque se tenere, & illas immutare,

50. Vera ergo solutio est, unionem illam licet entitativè corpoream tenere se ex parte utriusque extremi, & utrique inhære, seu utrumque intrinsecè afficere; non tanquam subiectum totale; sed tanquam partiale. Quod tamen non est sic intelligendum, ut sit sensus quod pars unionis sit in materia, & pars in forma, tota enim entitas modalis huius unionis, hæc non totaliter ut supra diximus, est in utraque; sed est sensus, quod nulla ex his partibus potest in se suscipere unionem, nisi dependenter ab alia. Vnde nihil refert, quod modus iste sit corporeus, ad hoc ut nequeat recipi anima, quæ est spiritalis: quia in re spiritali, quæ simul est forma corporis, bene potest recipi aliquis modus corporeus dependenter ab ipso corpore, seu materia.

Ex quo etiam patet, optimam esse solutionem illam, quæ initio quæstionis huic confirmationi adhibita est: quia non est nouum, ut eadem forma informet multiplex subiectum partiale, quamvis etiam in hoc sua inter unionem, & alias formas intercedat diuersitas, quam in huiusmodi dictis satis inuimus.

51. Ad tertium responderetur: quod licet unio materię, & formæ sit realiter & entitativè modaliter eadem, attramen, ut necit formam, verbi gratia distinguitur formaliter ex natura rei à se ipsa, ut est nexus materię cum forma. Cumque prædicta unio tantum sit ratio fundandi, sufficit hæc distinctio ad relationem unionis (si verum est eam ibidem interuenire) sicut similis distinctio inter actionem, & passionem, latet ad hoc ut sint rationes fundandi aliarum relationum.

## Q V Æ S T I O IV.

*An ens naturale distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis & unitis.*

52. **C**onsuleto addimus, particulam illam, *simul sumptis, & unitis*: quia certum, & indubitabile est, distinguere realiter à quavis parte scortum sumpta, cum supra illam addat aliam: sicut etiam ex dictis in quæst. præcedentibus constat, distinguere etiam realiter ab utraque simul sumpta, non tamen inter se unitis, cum supra illas addat unionem, quam diximus esse modum reipsa distinctum ab illis. Quare rota controuersia procedit de eisdem partibus simul sumptis, & inter se unitis.

*Referatur*

*Refertur opinio affirmans.*

§. I.

33. **P**artem affirmantem tuentur Hervæus quodlib. 2. qu. 14. Didacus Deça, Scotus, Capreol. in 3. dist. 2. art. 1. Caiet. 3 p. q. 6. in solutione primi argumenti, Ferrara 4. contra Gent. cap. 85. & q. 5. huius libri label. Aqua, Antonini And. Fland. 7. Metaph. q. vltima, Fonsæc. 5. Metaph. cap. 2. qu. 2. sect. 2. & Conimbricensis Collegium 1. Physic. q. 1. artic. 3. cap. 2. quibus videtur favere D. Thom. in 3. dist. 2. q. 1. art. 3. quæstiuncula 3. ad 3. & in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. quæstiuncula 2. ad 2.

Probatür primò ex Arist. 5. Metaphys. cap. 14. text. 16. dicente: *Sex non sunt his tria: sed semel sex, & lib. 7. cap. 17. Syllabam, b a, non esse b. & a. lib. 8. cap. 6. text. 15. ait: Totum esse aliquid præter partes.* Et secundo de anima in principio, & alibi sæpè, distinguit substantiam in materiam, formam, & compositum, dicitque tres esse substantias.

Secundo, partium vnio, & consequenter partes vnitæ ordinantur ad vnitatem totius; tendunt enim ad hoc vt resulet vnum per se. Ergo hoc vnum, quod nihil aliud est, quàm totum compositum, aliquid reale est præter partes, vt vnitas. Probatür consequentia: quia id ad quod aliud realiter ordinatur, distinguitur realiter ab eo, quod ordinatur ad illud.

34. Tertiò, quia partes simul sumptæ, & vnitæ sunt vera & realis causa totius; sed inter causam realem, & effectum realem est realis relatio, & consequenter realis distinctio: ergo totum distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis. Maior probatur cum quia totum sit non ex partibus ad inuicem diuulsis; sed in vnum collectis: cum etiam, quia materia & forma non causant totum, nisi vt illa recipit, hæc verò informat. At vt vnitæ sunt, vna earum informat, & altera recipit, quia vnio est causalitas earum, vt iam diximus: ergo vt vnitæ sunt inter se causant totum.

Quartò si totum substantiale, verbi gratia homo, non distingueretur realiter à suis partibus, sequeretur contra communem sententiam Philosophorum, nihil esse discriminis inter totum per se, & totum per aggregationem. Probatür sequela: nam si totum substantiale est suæ partes: cum partes sint plura entia, & omne totum, quod est plura, sit totum per aggregationem: planè fieret totum per se quale est totum substantiale, esse totum per aggregationem.

Vltimò, multa re ipsa tribuuntur substantiæ compositæ, quæ partibus etiam simul sumptis non conueniunt; & è conuerso: ergo. &c. Antecedens probatur: quia totum est terminus generationis, non verò partes etiam vnitæ: hæ enim non dicuntur generari sed totum ex illis resultans. Item ex toto dicuntur procedere passionēs; non verò ex partibus: sicut & illud dicitur operari; non verò hæ; etiam si simul sumptæ considerentur.

*Proponitur sententia negans.*

§. II.

35. **P**artem verò negatiuam tuentur Alexand. Themist. Philoponus Simpli. in hoc lib fauet Auerroës comment 9. Duran. in 1. dist. 2. q. 2. Greg. in 1. dist. 14. q. 1. art. 1. Palud. in 1. dist. 1. q. 1. Astudillo 1. Physicorum q. 6. vtramque partem censet probabiliorem Soto. Tolet. Tallef. & tandem communiter omnes

Recentiores sequuntur, ideoque singulos referre superuacuum erit. Probabantque eam cum auctoritate, tum etiam ratione; auctoritate quidem, quia Arist. 2. de Anima. & 5. Metaph. text. 31. & in 4. Physicorum text. 35. hoc ipsum testatur, & D. August. 7. de Trinitate cap. 4. multum fauet dum dixit: *Homo nihil est aliud, quàm anima & corpus: (vnita intellige)* & similiter cap. 3. lib. 9. de ciuitate Varronem commendat; eo quod hominem neque animam solum, neque solum corpus esse arbitraretur. Fauer etiam Athanasius loco citato symboli, dum illa verba sæpius inculcata protulit: *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, &c.* Et tandem D. Paulus dum 1. ad Corinth. 12. docet: *Omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt.*

36. Ratione verò suadetur, supponendo totum non posse distingui realiter à suis partibus vnitis; nisi quia addat aliquid reale super illas quoniam solum posset distingui ab illis distinctione includentis, & inclusi. Hinc verò prima ratio pro hac sententia sic deducitur: quia partes vnitæ, etiam si præcisè absque aliqua alia superaddita entitate sumantur, sunt aliquid per se vnum; non quidem per simplicitatem: sed per compositionem: ergo etiam si quæuis alia entitas auferatur, erit prædicta collectio idem quod totum compositum substantiale, cum hoc nihil aliud sit quàm quid substantiale, & vnū per se per physicam compositionem. Antecedens probatur: quia talis collectio materiæ, & formæ prout vnitæ constat ex pura potentia, actuque substantiali, & primo; & non ob aliud homo est vnum quid per compositionem, teste Arist. 1. de anima c. 1. text. 7. & 8. Metaph. c. vlt. text. 15. nisi quia constat ex pura potentia, & forma substantiali.

Confirmatur primò: nam illa entitas, quam totum supra partes vnitas addere dicitur, aduenit enti in actu: ergo non potest facere vnum per se cum partibus iam vnitis; quæ præsupponitur, & consequenter, vel intellectus solis partibus vnitis intelligitur quid per se vnum, totumque substantiale; vel sola hæc entitas tertia intelligitur esse totum compositum; Vnde cum hoc posterius dici non possit, vt initio huius quæstionis dicebamus, necessariò affirmandum est illud primum. Hæc secunda consequentia satis constat; prima verò etiam patet ex communi illo axiomate: *Quod conuenit enti in actu, aduenit accidentaliter.* Antecedens verò etiam liquet: quia aduenit materiæ, & formæ iam vnitis, in qua collectione necessariò includitur forma quæ actus simpliciter, & substantialis est, quæque actuat simpliciter materiam.

Confirmatur secundo: si totum physicum physica definitione definiatur, non ponitur in ea illa entitas tertia, quam totum superaddit: sicut cum totum metaphysicum metaphysicè definitur: solum partes illius metaphysicæ, genus scilicet, & differentia, vt inter se vnitæ sunt, vbi ponuntur. Ergo hæc entitas non est de essentia totius, ergo hoc ipso quod intelligantur partes vnitæ, intelligitur totum, etiam si hæc tertia entitas præscindatur.

37. Secunda ratio principalis: si totum substantiale physicè compositum dicit aliam entitatem ultra partes vnitas; non poterit in sola illa consistere, vt ex præcedenti ratione constat: quia nisi ibidem includantur partes; non erit totum. Ergo illa entitas, quæ fingitur superaddita simul cum materia forma, & vnione constituet totum. Ergo talis entitas, non minus quàm cæteræ entitates, erit vera pars totius; est enim pars (quoad præsens attinet) quidquid se solo non facit totum; sed vna cum alio. Ergo verum semper manebit, totum nihil aliud esse, quàm partes cum tale compositum nihil aliud sit; quàm materia,



ria forma, & vnio, & hæc tertia entitas quæ additur quæque illius pars est.

Confirmatur, & explicatur, si propter aliquam rationem totum physicum adderet aliquid supra materiam maxime quia ex ipsis coalescit ipsum totum, & id quod coalescit, addit aliquid supra id, ex quo confurgit ac hæc ratio prorsus est nulla: ergo, &c. Minor probatur: nam sicut ex vnione partis resultat tertia illa entitas: ita etiam ex vnione huius tertiæ entitatis cum aliis partibus resultabit alia; quandoquidem hæc omnia sunt partes totius compositi: & cum etiam hæc, quæ denuo confurgit, non sit tota entitas compositi sed aliquid eius: etiam hæc entitas cum aliis erit pars illius, & consequenter ex omnibus illis resultabit alia entitas, & sic in infinitum. At hoc dici nequit: ergo nec illud prius, nimirum, quod hoc ipso, quod materia, & forma vniantur, resultat aliqua tertia entitas distincta ab ipsis vt vnitis. Sed hæc ratio amplius elucidabitur in solutione ad secundum, & tertium.

*Iudicium de utraque opinione iuxta mentem D. Thoma fertur.*

### §. III.

§ 8. **D**icendum ergo est primò; ex his duabus sententiis hanc posteriorem præferendam esse: tum propter fundamenta adducta, & idè quo melius potuimus ea vrgeri conati sumus: tum etiam, & maxime, & quia Sanctus præceptor in ea sententia est multis in locis, & præcipue 4. contra Gent. c. 81. ad 2. vbi sic ait: *De humanitate non est intelligendum, quod sit quadam forma confurgens ex coniunctione forma ad materiam, quasi realiter sit alia ab utraque*. Redditque pro huius ratione illam, quam supra proposuimus dicens: *Quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu: illa tertia forma consequens non esset substantialis: sed accidentalis*. Et loquitur S. Th. vt raris lux vim aperiamus, de entitate, reali ad eundem ordinem entitatis, & compositionis physicæ, & essentialis spectante: non verò de ea quæ ad ordinem subsistendi vel existendi pertinet: ex hac enim, & ex partibus vnitis vnum per se subsistens potest resultare. Vnde inferiùs in eodem capite infert: *Quod humanitas nihil aliud dicit quàm principia ipsa essentialia coniuncta*, & 1. p. 2. q. 13. art. 1. *Homo* (inquit) *nec est corpus solum, neque anima sola, sed utrumque simul*: & idem etiam docet de toto integrali 1. p. q. 77. art. 2. ad 2. & in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. in corpore: quæ loca, vt supra dicebamus, non minus de toto physico, quàm de integrali intentum conuincunt, cum vtroque par sit ratio.

§ 9. Dicendum est secundò: Totum, & partes simul sumptæ, & vnitæ distinguuntur ratione ratiocinata. Hæc est valde consona Arist. & D. Thom. locis citatis, solumque eger declaratione: etenim non quævis distinctio rationis rationalitatis inter totum, & partes vnitas intercedit: non est enim similis ei, quæ in homine inter rationalitatem, & animalitatem reperitur: nam cuilibet horum conceptuum correspondet vna quasi formalitas propria obiectiua realis, & excludens à suo conceptu alteram, ratione cuius eminentialis distinctio à parte rei inter veramque cernitur. Nam certum est quod conceptui totius correspondet, etiam si non expressè, conceptus partium vnitarum, & e contra.

Vnde distinctio rationis, quæ inter utrumque intercedit, similis est ei quæ inter definitum, & definitionem inuenitur, vt inter hominem, & animal rationale: tum quia quidquid respondet priori con-

ceptui, respondet & posteriori; diuersimodè tamen penes explicitam & implicitam correspondentiam: tum etiam, quia quoad modum significandi, & concipiendi habent similitudinem quatenus prædictas partes vnitas pluribus, & distinctis conceptibus aliquo modo inadæquatis, & cum aliquali fundamento in re concipimus, secundum quod collectio illa partium & vnionis veluti postulat concipi per modum plurium. Ipsum verò totum per modum vnius; non secus ac in definito, & definitionis partibus contingit.

*Diluantur argumenta prima sententia.*

### §. IV.

60. **A**d argumenta igitur initio quæstionis posita respondetur. Et primò ad auctoritatem Arist. dicimus: in primo loco non loqui de toto, & partibus, sed de numeris formaliter sumptis: docet enim ibi numerum senarium non componi ex duobus ternariis formaliter sumptis, in quantum scilicet sunt alterius speciei; sed materialiter ratione vnitatum. Et ita sensus est, quod numerus senarius non est duo indiuidua ternarij: sed alia species numeri. quæ componitur ex sex vnitatibus. Vnde locus ille non est ad propositum argumenti. Secundus autem locus intelligitur de partibus absque vnione: sic enim verum est, quod syllaba *ba* non est præcisè *b*, & *a* si præcindamus ab illis vnionem ordinis ratione cuius componunt talem syllabam, nam etiam *ab* habet eandem litteras, & tamen est alia diuersa syllaba propter diuersam vnionem: Quod indicauit Aristot. ibidem dicens: *Quod syllaba non est compositum, sicut acernus*, id est, per solam aggregationem, absque vnione, & ordine. per quod patet ad tertium locum. Sensus enim est totum non esse solam coacervationem partium sed; includere aliquid præter partes, scilicet vnionem ad testimonia D. Thom. patet ex dictis.

61. Ad secundum, & tertium respondetur: partes vnitas dupliciter posse accipi primò, ita vt vna sumatur in recto altera verò in obliquo, & vt sic dicamus diuisim, vt si asseras, *forma vt vnita materie*. Alio modo collectione, non solum vt sunt sub vnione: sed ita vt sub vna eademque collectione, ac vtraque in recto importetur, vt si dicas: *forma & materia vnita*. Quod verò hæc distinguantur constat quia sicut dicitur forma vt vnita materie, posset etiam dici, & non synonymè, materia vt vnita formæ; nam materia vt vnita formæ dicit, quoad præsens attinet, materiam, & vnionem in recto, & formam in obliquo: & similiter forma vt vnita materie dicit formam, & vnionem in recto, & materiam in obliquo. Vnde materia vt vnita formæ realiter distincta est à forma, vt vnita materie: sicut pater respiciens filium diuisum quid realiter est à filio respiciente patrem etiam transcendentaliter: quamuis vnumquodque illorum importet quidquid aliud, & solum sit differentia penes hoc, quod est importare illud in recto, vel in obliquo.

Dicimus ergo, quod etsi non in secundo, attamen in primo modo partium vnitarum rectè intelligitur vera, & realis causalitas respectu totius, veraque, & realis distinctio inter illud, quod talem exercet causalitatem, & inter ipsum totum: cum quælibet pars per se etiam cum vnione, quæ se tenet ex parte eius distinguatur realiter in toto, ad illudque realiter ordinetur.

62. Diximus, quasi diuisim vt denotemus non vnica (vt sic dicamus) & eadem comparatione, conferendum esse totum cum partibus simul sumptis, & vnitis

vnitis, & è contra : ita vt simul, & semel comparetur cum ambabus in recto, & vnitis : quia sic identificantur realiter cum toto ; sed ita vt per vnicam comparationem comparetur cum materia, vt vnita formæ, & per aliam cum forma vnita materiæ. Et meritò quidem : nam cum habeant diuersum modum causandi, & quilibet sit in suo genere adæquatus non possint vnica, & eadem comparatione comparari cum toto, si vt causæ illius considerentur.

Ad quartum neganda est consequentia : quia cum partes totius physici sint actus, & potentia substantialis quorum totum esse ad vnionem tendit, idèd hoc ipso quòd vniantur resultat vnum per se ; cuius oppositum contingit in toto per aggregationem, propter oppositam rationem : & quia non vniantur vnione, quæ simpliciter talis sit ; sed quæ semper aut ferè semper sit extrinseca, ratione alicuius extrinsecæ situationis ; aut alterius similis.

Ad vltimum respondetur, quòd realiter loquendo omnia illa, quæ conueniunt toti, possunt, & debent conuenire partibus simul sumptis, & vnitis.



## LIBER SECVNDVS.

*Physicorum.*

PROOEMIUM.

**P**OST QUAM Aristotel. de principiis entis naturalis, secundum se, & in esse rei consideratis egit, iam nunc in hoc lib. 2. sermonem instituit de eisdem principiis : in esse scibilis, seu de ratione sub qua sunt principia huius scientiæ. Et idèd disputat de Natura, vnde res dicuntur naturales, quæque est ratio sub qua in Philosophia : nec non & de causis ex quibus Philosophus ad passionés de suo obiecto demonstrandas procedit : quas causas, vt distinguat à casu : & fortuna ; idèd de casu & fortuna sermonem texit. Et licet hæc ita sint, & summatim ex illis colligatur, quænam sint illa de quibus Arist. in hoc lib. egit, nihilominus placuit sigillatim, sed breuiter innuere, quid in quouis cap. Philosophus disputet, vt melius eius mens possit comprehendendi.

### SVMMA TOTIVS LIBRI.

**L**iber hic nouem capitibus absolvitur. In primo diuisio rerum in naturales, & artificiales, & discrimen, quod inter eas versatur, nec non & definitio naturæ proponitur, & simul ostenditur, tum solas substantias corporeas quippè compostas ex materia & forma, esse propriè entia naturalia, accidentia verò esse entia secundum naturam : tam etiam formam esse magis naturam, quàm materiam. In 2. stabilitur diuersitas, quæ versatur inter Philosophiam naturalem & Mathematicas : imò & quæ intercedit inter purè Mathematicas, & Mathematicas medias, hæcque esse magis naturales, quàm illas. In 3. propositis quatuor generibus

*Colleg. Compl. Physic.*

causarum ostendit posse vnum & eundem effectum simul ab omnibus illis pendere, easque ad inuicem esse causas. Ac tandem alia huc spectantia, pluresque causæ diuisiones (de quibus infra disp. 10. q. 2.) adducit.

Caput verò quartum, quintum & sextum in explicatione casus, & fortunæ consumens, ostendit ad quam causam spectent, nec non & discrimen, quod inter hæc duo versatur. In capite verò septimo sufficientiam diuisionis causæ in quatuor causarum genera iam dicta conuincit, additque ad naturalem Philosophorum spectare, omnia illa in rebus naturalibus speculari. In capite verò octauo demonstrat, naturam agere propter finem. In vltimo verò ; quæ sit radix, & origo, necessitatis in rebus naturalibus explicat.



## DISPVATIO VII.

*De natura & arte.*



T eo passu, & ordine, quo Arist. incedit, incedamus, & nos, idèd primam, huius libri disputationem, vnà cum eodem Naturæ, & Artibus.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit natura.*

**E**TI de quauis re primo loco sit inuestigandum an sit, vt docet Aristot. quando aliquod dubium circa illius existentiam suboriri potest : attamen quando manifestè constat eam esse, non oportet id dubium reuocare. At esse in rebus naturam, quis dubitare potest ; quandoquidem in entibus naturalibus experimur tot motus, qui satis indicant esse in eisdem aliquod principium & radicem primam, à qua oriantur, ac proinde & naturam. Quare relicta quæstione an est, meritò à quæstione, quid est, exordium sumpsimus.

Sed quia quidditas rei non potest aliter melius explicari, quàm illius definitionem adducendo, & si opus fuerit, eam explicando, idèd in hac quæstione cum Arist. dicendum est : quòd Natura est principium, & causa motus, & quies eius in quo est primo, & per se, & non secundum accidens. Cuius definitionis bonitas, vt magis innotescat, singulæ illius particulæ sigillatim, declarandæ sunt.

In primis igitur natura dicitur principium, in quo conuenit cum priuatione : sed additur, quòd sit causa motus, per quod ab eadem distinguitur. Nam etsi motus, tam à natura, quàm à priuatione procedat ; attamen priuatio, sicut non est ens, ita influxum verum in motum non habet ; secus verò natura. Et quia influxus iste per causam modo iam explicando significatur, idèd de natura dicitur : quòd sit principium, & causa motus.

Sed dices : causa intrinsecè includit principium : ergo superflue ponitur ly principium, si semel ponitur.

ponitur *ly causa* : sicut si in definitione hominis diceretur , quod est viuens animal , superflueret illa particula *viuens* : quia viuens includitur in animali.

2. Respondent Vallesius & Tartaretus , poni utramque particulam maioris claritatis gratia ; etenim cognitio entis naturalis maximè dependet ex notitia exacta naturæ , & deò magna cum claritate illius quidditas exponenda erat : quia fortè tunc non erat exploratum , quomodo se habebant *principium*, & *causa*, quoad prædictam inclusionem. Alij verò dicunt, quòd causa non sumitur secundum omne id, quod includit : sed solum secundum quod exprimit id , quòd addit supra principium , scilicet rationem influxus in effectum : & idè nullam ibidem committi negationem. Et tandem D. Thom. in præsentī , quem sequitur Ferr. q. 1. inquit poni utramque particulam ad denotandum naturam in aliquibus esse principium passiuum , in alijs verò principium actiuum. Nam per *ly principium*, intelligitur principium passiuum , per *causam* verò principium actiuum , vt ex Diuo August. disp. sequenti dicemus. Cæterum hæc proportionaliter ad ea, quæ ex eodem S. Doct. in hac eadem quæst. dicuntur, debent intelligi.

Additur deinde in eadem naturæ definitione 2. particula, scilicet *motus & quietis*, vt denotetur quid sit illud r. spectu cuius debeat natura habere rationem causæ : nam hoc nihil aliud est , quàm motus, & quies.

Cæterum, hæc duæ particule non parum difficultatis videntur prima facie ingerere : tum quia in cælo verè est natura , quandoquidem est ens naturale constans materia & forma : & tamen in eo non est quies ; imò neque naturaliter esse potest : quia vt in lib. de Cælo probat Arist. motus ille circularis ex natura sua est perpetuus : tum etiam , quia totus terræ globus habet in se naturam , vt constat : & tamen secundum se totum nunquam mouetur : imò nunquam naturaliter ex suo loco naturali , in quo est , moueri poterit : ac proinde neque erit in eo principium motus. Quod idem de cælo empyreo dicendum est, quod sicut in perpetua quiete futurum est ; ita principio motus caret : alioqui frustra tale principium haberet, cum frustra sit potentia, quæ nunquam ad actum reducitur.

3. Respondetur cum S. Thom. in hoc lib. lect. 1. quòd sensus definitionis est, naturam esse principium motus , & quietis, non quidem , quia in omnibus, in quibus est , habeat esse vtriusque principium ; dantur enim plura entia naturalia ; quæ non mouentur, qualis est totus terræ globus , sicut & quædam , quæ ex se nunquam quiescunt , qualia sunt cæli : sed quia quæuis quies aut naturalis motus qui in entibus naturalibus repertus fuerit , à natura procedit , ita tam n vt si aliquod ens naturale moueatur , & quiescat , factem successiue , natura in illo sit principium talis motus, & quietis : si verò vel solum quiescat, vel solum moueatur , tunc illa quies , motusve ille à natura, vt à prima radice & origine ortum habeat.

Ere est huius satis accommodatum exemplum definitio illa, qua animam , vt sic definiuit Aristot. dicens : *Anima est qua viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus*. Cuius definitionis sensus non est , quod quæuis anima sit principium omnium harum operationum : aliàs enim plantæ , imò , & bruta non haberent animam ; sed tantum per illam intenditur , quòd vbicumque fuerint simul omnes illæ operationes , vel quælibet earum , necessario debent ab anima provenire.

Sic ergo pari ratione in præsentī philosophandum est.

4. Per quæ satis patet ad omnia, quæ contra hanc particulam obiecta sunt.

Sed vrgebis , quoniam iuxta hanc expositionem iam natura erit in aliquibus entibus , naturalibus principium , & causa tam motus , quàm quietis : at hoc est contra rationem ipsius naturæ : ergo, &c.

Minor in qua est difficultas probatur dupliciter : primò quidem ; quia causæ naturales in hoc differunt à liberis , ( vt docet Aristot. 9. Metaph. cap. 2. ) quòd naturales non possunt vtrumque contrarium per se producere ; sed vnum ; vt ignis non potest per se producere calorem & frigus ; sed solum calorem. At verò liberæ possunt producere vtrumque : homo enim amare, & odio prosequi valet. Natura igitur non poterit esse principium oppositorum effectuum, qualis sunt motus, & quies.

Secundò probari potest eadem minor , nam quies est pura carentia motus, proindeque purum nihil : ergo improprie dicitur natura esse principium quietis : id enim quod reale est , improprie dicitur esse principium non entis : sicut & ipsum non ens improprie causari asseritur. Adde carentiam non per se , sed per accidens fieri, vt patet in cæcitate & surditate , quæ sicut à Natura non intenduntur, ita per accidens resultant.

5. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Et ad primam probationem dicimus ex D. Thoma , in prima distinctione 40. quæstione 4. artic. 2. ad primum, duplicem esse quietem : vnam violentam, & contra naturam ; alteram naturalem ; violenta est, qua, v.g. lapis detinetur in loco superiori : naturalis verò, qua in loco inferiori quiescit. Ex his violenta quasi contrariatur motui naturali : at verò naturalis est perfectio motus , terminus , ac complementum ipsius. Præterea violenta non fit à natura rei, quæ mouetur ; sed à principio extrinseco : naturalis verò à natura illius , quod mouetur , ortum habet.

Dicimus ergo , quod motus & quies, quæ fluunt à natura, non sunt contrarij effectus , quamuis motus & quies violenta inter se opponantur , nec à natura intrinseca eiusdem rei fluant. Vnde per hoc quod natura sit principium vtriusque , non sequitur esse principium contrariorum : sed esse principium finis & medij ad illum ordinati : per quod ad primam probationem satis patet.

6. Ad secundam probationem eiusdem minoris respondetur ex Diuo Thom. prima parte, quæstione 73. artic. 2. & 3. & in 2. dist. 15. quæst. 3. artic. 2. quod etsi natura respectu quietis , prout præcisè dicit puram carentiam motus, improprie dicatur principium, respectu tamen illius prout importat possessionem termini , & quietem in re consequuta, ad quam sequitur priuatio motus ( de qua in definitione fit terminus ) optimè potest natura esse principium. Tum quia hæc est, quid posituum : etenim graue esse in loco naturali , quod est quies acquisita , oportet , vt sit quid posituum. Tum etiam , quia natura non mouetur, sed hanc quietem anxie expetit. Quòd si moueri desiderat , & de facto mouetur, non est propter motum ; sed propter quietem hanc, saltem in his , quæ talis quietis capacia sunt.

Subsequitur deinde in eadem definitione tertia particula, scilicet , *eius in quo est*, per quam denotatur , qualis debeat esse motus ille, cuius ipsa natura est principium ; &c. Circa quod est prima explicatio

tiq̃ quorundam dicentium, sensum huius particulæ esse, quod natura est principium motus illius entis, in quo est ipse motus: siue talis motus sit in eodem ente, siue non: quia *ly ens in quo est*, non appellat supra motum, & quietem, sed supra principium, & causam, ita ut non sit sensus, naturam esse principium motus interni, sed esse principium internum motus, siue quo mouetur ipsum ens naturale, in quo est illa natura, siue quo mouetur aliud.

7. Cæterum, hæc explicatio non est admittenda: alioqui enim natura ut talis esset principium motus violenti, verbi gratia calefactionis aquæ, quia reuera est causa motus illius entis, in quo est ipse motus: quandoquidem est causa calefactionis aquæ, in qua est ipsa calefactio. At hoc satis constat esse falsum: quia natura, ut talis, non est causa nisi motus naturalis, ergo, &c.

Adde, quod hinc etiam fieret, quod omnes cause efficienter, seu principia, ut quo efficiendi quemlibet motum in quoduis passum, deberent dici naturæ: quod tamen esse falsum inde liquet: nam causa efficiens præcisè secundum quod agit, non dicitur moueri, sed mouere, neque est ens mobile, sed motuum. At ens naturale, ut tale, & ut habet naturam, licet possit esse ens motuum, attamen indispensabiliter debet esse ens mobile per talem motum, seu (quod idem est) debet moueri per illum, & ideo pro obiecto Philosophiæ assignatur ens naturale, seu ens mobile.

8. Quare legitimus sensus huius particulæ est, naturam esse principium, & causam motus interni, seu (quod idem est) motus illius entis, in quo est ipsa natura. Ita D. Thomas in præsentī, lect. prima. Ex quo etiam fit, per eandem particulam denotari, quod natura est principium quo motus; non verò principium quod. Si enim natura est principium & causa motus illius entis, in quo est ipsa natura, necesse est ut natura sit in ipso ente, quod mouetur ut quod: ac proinde ipsa non est ens illud, quod mouetur ut quod; sed pars eius de qua verè dicitur, quod est in toto, & quod sit principium quo motus.

Sed dices, naturale est igni calefacere lignum vel aquam. Ergo illa calefactio est à natura; quia quod est naturale, à natura oritur: sicut quod est artificiale ab arte. Ergo natura non solum est principium motus interni; sed etiam motus externi; atque adeo male limitatur illa particula, ad motum, qui est in eo, in quo est ipsa natura.

Respondetur, quod sicut naturale multis aliis modis sumitur, scilicet prout distinguitur ab artificiali, à libero, &c. Ita etiam frequenter accipitur prout significat id quod est iuxta inclinationem & propensionem alicuius rei, quo pacto dicimus, quod est naturale bono communicare se, & Angelo intelligere semetipsum. Hoc ergo supposito, dicendum est: quod etsi igni sit naturale communicare se, prout naturale significat id, quod est secundum inclinationem rei, non tamen prout naturale hic sumitur, id est, prout à natura, ut natura est, in ea acceptione in qua illam in præsentī sumpsit Aristoteles. Quoniam naturam, secundum hanc considerationem, tantum importat principium motus interni: quia, ut sic non constituit ens motuum præcisè; sed vel solum ens mobile ut mobile, ut patet in cælo: vel si constituit ens motuum, ut in viventibus, constituit ibi; sed ita est in illis natura principium mouendi, ut simul sint mobilia per talem motum, & consequenter semper natura est talis, respectu motus interni.

Colleg. Compl. Physic.

9. Ponitur ulterius in eadem definitione illa particula *primò*, ut denotetur naturam non esse utcumque principium, &c. motus; sed primum, seu radicale principium quo. Vnde per hoc excluduntur alia principia proxima, & principia instrumentalia motus, ut grauitas in graui, leuitas in igne, quæ etsi sint principia motus, non tamen radicalia, ac proinde nec sunt naturæ.

Cæterum, quia natura non est utcumque principium radicale; sed hoc illi per se, & non secundum accidens conuenit; ideo additur quinta particula, & vltima scilicet *ly per se*, & *non secundum accidens*: per quam hoc ipsum denotatur. Et per eam etiam distinguitur natura ab arte, quæ aliquando per accidens solet esse principium (modo tamen infra dicendo,) motus eius in quo est ipsa ars. Id quod explicat Arist. exemplo Medicinæ: *Conspicitur enim aliquando* (inquit ibi D. Thomas) *quod aliquis Medicus sit sibi ipsi causa sanitatis, & sit principium sanitatis. Est in eo, hoc tamen est per accidens, non enim sanatur in quantum Medicus; sed in quantum infirmus: & ideo principium talis sanitatis, non est à natura, qua potest esse principium per se, & non per accidens motus illius entis in quo est tale principium: quod non conuenit Medicinæ, neque aliter. Artes factæ Arti enim, quatenus talia, non habent in se principium artefactionis: sed quadam sunt ab extrinseco, ut domus, & alia, quæ manu inciduntur, quadam verò sunt à principio intrinseco, sed per accidens, ut dictum est.*

10. Sed obiicies primò, quod videtur vna ex his duabus particulis superflue: nam quod per se conuenit, primò conuenit & sicut & quod primò competit rei, non potest non per se conuenire: nam si conueniret per accidens, vel ratione alterius, non competere primò tali rei; sed illi, cui per se essentialiter conuenit. Ergo satis erat ponere in definitione, aut *ly per se*, aut *ly primò*.

Secundò obiicies, quod non est vniuersaliter verum, artem non esse principium per se motus eius in quo est. Quia arscantandi est principium cantus eius, in quo est per se: & arscaltandi est per se principium saltationis, quæ in saltante est: ergo, &c.

Respondetur ad primum, quod *ly per se* non dicit conuenire utrumque per se naturæ esse principium motus, imò neq̃ solum importat, quod natura sit intrinsecè, & essentialiter principium illius; sed quod conueniat illi omnino per se & secundum ipsam, id est, non ratione alicuius prædicati superioris, cui primò conueniat, sed ratione sui: nam sæpè alicui conuenit aliquod prædicatum essentialiter; non tamen isto modo quem dicimus: sicut homini conuenit esse viuens sensibile radicaliter, non tamen hoc conuenit ei, quia homo, id est, à gradu rationalitatis proprio illius; sed à gradu superioris animalis (ut in lib. Posterior. diximus). Quia ergo natura est principium radicale motus, prout principium radicale distinguitur à principio proximo; ideo oportuit ponere illam particulam *primò*. Quia verò non utcumque conuenit illi esse principium radicale; sed ratione sui, & secundum ipsam: ideo addita est illa particula *per se* quæ quidem coniuncta cum priori inruit illam primitatem, quæ conceditur naturæ, esse primitatem) ut sic dicamus, omnino primam: quia non utcumque essentialiter; sed ex vi propriæ, & vltimæ rationis habet esse principium motus. Vnde sicut non est verum, quod id, quod est principium radicale utcumque motus debeat esse per se perfectitate dicta principium illius, ut patet, in homine, respectu motus sentiendi,

F. 2

tiendi,

tiendi; ita neque est verum, ut quod est perfectioris di-  
sta principium eiusdem motus, debeat esse prin-  
cipium radicale: nam leuitari conuenit secundum ip-  
sam esse principium motus sursum; non tamen esse  
principium illius radicale: quare merito utraque par-  
ticula addita est. Ad secundam objectionem patebit  
ex dicendis infra.

## Q V A E S T I O II.

*An definitio Naturæ sit essentialis, an verò  
descriptiua.*

**L**icet Natura non sit diffinibilis propria, & rig-  
rosa definitione: quia tantum importat ratio-  
nem quandam analogicè communem, tam materię,  
quàm formę, ut infra dicemus, ac proinde non po-  
test talis ratio explicari per verum genus & diffe-  
rentiam: nihilominus, quia non loquimur in præsentia  
de definitione: ita strictè, sed paulò latius accepta,  
& quęuis definitio sic sumpta debet reduci, vel ad  
quidditatiuam, vel ad descriptiuam: ideo in hoc sen-  
su inquirimus, an hæc definitio sit descriptiua, an ve-  
rò essentialis & quidditatiua. Prima sententia asserit,  
definitionem hanc esse descriptiuam. Pro hac refert  
Massius in præsentia q. 3. Albert. in hoc lib. Ferrar. q.  
2. Zimaram in sua tabula verbo, aut dict. *Natura*.  
Probant illam sic. Nam definitio, quę datur per effe-  
ctus definiti, nequit esse essentialis: ac hæc datur per  
effectus: ergo, &c.

Maiores, patet, quia definitio essentialis datur per  
intrinsicam & essentialia definiti. At effectus alicuius  
rei, sicut supponunt ipsam in sua essentia constitutam;  
ita nequeunt ad illam intrinsicè pertinere. Minor  
verò eiusdem primi syllogismi probatione non in-  
diget: quandoquidem definitio hæc, ut videmus, da-  
tur per motum & quietem, quę sunt effectus na-  
turę.

Et confirmari potest, natura, prout hic definitur,  
est substantia: quia est pars intrinseca, & consti-  
tuta entis naturalis, ac per consequens quid ab-  
solutum: sed absolutum non definitur per ordi-  
nem ad aliud: ergo natura non debet definiri per mo-  
tum.

**12. Confirmatur Secundò.** Quia licet in de-  
finitione accidentis debeat poni substantia, non  
tamen è contra. Ergo cum motus sit accidens, &  
natura sit substantia, non poterit per illam defi-  
niri.

Secundò probatur. Quia in natura prius est prin-  
cipium essendi, quàm esse principium motus: sicut in  
ente naturali prius est habere esse, quàm moueri.  
Ergo cum definitur natura per principium motus, &c.  
non definitur essentialiter.

Paret consequentia, quia esse principium, motus,  
sicut non est primum, quod inuenitur in natura: ita  
non est eius essentia: quia essentia est primum quod  
inuenitur in re. Ergo definitio naturę, quę per hanc  
rationem principij datur, non est essentialis.

Tertiò, quia natura: prout hic definitur, tantum  
includit materiam, & formam, ut ex dicendis infra in  
hac eadem disp. aperte constabit. At neque materię  
neque formę est intrinsecum: & essentialiter esse prin-  
cipium motus: ergo, &c. Minor prob. quia materia  
tantum importat essentialiter, quod sit subiectum  
primum, unde eius essentia solum desumitur penes  
ordinem ad formam & compositum; è contra verò for-  
ma solum dicit, quod sit primus actus materię, ut

ex supradictis disp. 3. de Materia q. 1. & disput. 4. de  
Forma, q. etiam 1. constat: ergo, &c.

**13.** Dicendum est tamen, definitionem naturę à Phi-  
losopho traditam, esse essentialem. Hanc indicat Diu.  
Thom. in præsentia, & eam sequuntur Mas. in hoc  
lib. c. 1. q. 3. Soto, Toler. & alij communiter. Ratio fun-  
damentalis est: quia illa est definitio essentialis, quę  
datur per intrinsicam & essentialia rei definitę, sed hoc  
inuenitur in præsentia: ergo hæc definitio erit essen-  
tialis. Minor patet, tum quia esse principium primum  
& radicale motus, pequit conuenire naturę, ratione  
alicuius accidentis: quia accidentia ad summum sunt  
principia proxima motus, non verò radicalia & pri-  
ma, ac proinde si semel naturę conuenit esse radicem  
motus, non potest non illi conuenire ratione proprie  
substantię & essentię: tum etiam & maxime quia ens  
naturale, ut tale, essentialiter importat ut sit prin-  
cipium radicale quod motus interni: unde idem formaliter  
est ens naturale, & ens mobile: ergo id per quod  
constituitur in esse entis naturalis debet necessariò  
& essentialiter esse principium radicale quod motus.  
Ergo cum constituatur in esse entis naturalis per na-  
turam, ut natura est: non potest non ratio naturę ut  
talis, importare essentialiter, quod sit principium ra-  
dicale quod motus, ac proinde si per hoc natura defi-  
niatur, dabitur talis definitio per intrinsicam essentialia  
rei definitę.

Ad primum ergo pro prima sententia responderetur,  
hanc definitionem non dari per motum, & quietem  
solummodo; sed per esse principium radicale utrius-  
que modo iam explicato: quatinus autem motus, vel  
quies non pertineant ad intrinsicam naturę ut talis,  
benè tamen esse principium radicale illorum. Unde  
etsi motus & quies sint effectus & posterius quid  
quam natura; non tamen hoc quod est esse prin-  
cipium & radicem utriusque.

**14.** Ad 1. & 2. confirmationem resp. quod etsi natu-  
ra sit substantia: quia tamen est substantia partialis &  
incompleta, ideo, licet secundum suam essentiam  
præcisè considerata sit absoluta ab ordine prædica-  
mentali; non tamen est ita absoluta, ut non sit relativa  
secundum dici.

Unde non mirum quod definiatur per aliquid  
extrinsecum, ad quod talis habitudo secundum dici  
terminatur, ac proinde quod definiatur per motum  
qui (eo modo, quem infra dicemus) est terminus  
prædictę habitudinis. Et hæc solutio est valde con-  
sona doctrinæ Diui. Thom. in præsentia l. c. 1. ubi inquit  
*Ponitur autem in definitione naturę principium quasi  
genus, & non aliquid absolutum: quia nomen naturę im-  
portat habitudinem principij.* Cumque nomen naturę  
sit nomen substantię, & consequenter non possit  
importare habitudinem prædicamentalem ut quid il-  
li intrinsecum, oportet, ut si semel illam asserit, quod  
talis relatio sit secundum dici, ac proinde quod ratio  
principij, etsi sit absoluta à relatione prædicamentali;  
non tamen à prædicta habitudine, & consequenter  
quod sit non omnibus modis absoluta: & ideo ad id  
denotandum optimè S. Thom. dixit, quod ponitur  
principium quasi genus, & non aliquid absolu-  
tum.

**15.** Ad secundum responderetur, quod etsi id quod  
realiter est natura, sit etiam principium essendi, at-  
amen hi duo conceptus sunt intrinsicè ad inuicem di-  
stincti: quia corpus, verbi gratia, animatum, ut habet  
suam essentiam, importat animam, ut dat illi esse in  
se viuens substantiale: at si consideretur, ut habet  
naturam, tunc eandemmet animam importat, non ut  
dat illi esse in se substantialiter, sed ut tribuit esse  
principium radicale motuum vitalium: & ideo,  
vniuer-



vniversaliter loquendo, per suam essentiam constituitur res in esse & ordine essendi cum illius mundi rebus : at per suam naturam in esse, & ordine operationum motus interni, seu mobilium, saltem radicaliter : quamuis tales ordines sint inter se essentialiter subordinati, ita vt ordo mobilium ordinē essendi præsupponat : sicut & ordo essentiarum & existentiarum, quamuis formaliter se non includant, attamen iste præsupponit illum priorem. Ex quo fit valde essentialē esse definitionem hanc : quandoquidem datur per id, quod illi vt tali conuenit primò, & adæquatè, ac omnino formaliter.

Ad tertium respondetur, quod hoc ipso quod materia sit primum subiectum, & forma eius actus, debet vtrique esse principium radicale *quo* motus : sicut hoc ipso quod totum compositum constet ex materia, vt ex primo subiecto, & ex forma, vt ex primo actu, non potest non esse principium radicale *quod* eiusdem motus. Cæterum sicut compositum ipsum, vt habet suam essentiam totalem, prout essentia totalis distinguitur à natura totali, non dicitur quod sit principium radicale *quod* motus : ita non constat ex materia & forma vt habent rationem principij radicalis *quo* ; sed vt componunt essentiam illeam totalem ac proinde tunc forma verbi gratia, non dicitur seipsam, vt habet rationem naturæ ; sed se ipsam, vt habet rationem essentiarum vt *quo*, seu constitutiui essentiarum totalis. Quare cum hoc nomen forma significet illam, vt habet rationem essentiarum vt *quo* : sicut & hoc nomen natura denotat eandem, vt habet rationem principij radicalis, non mirum quod vt explicatur nomine formæ, non explicetur per ordinem ad motum sicut neque quod vt significatur nomine naturæ, non significetur, vt est principium essendi respectu totius aut respectu materiæ ; sed vt est principium motus.

Et congruit hæc solutio cum his, quæ ex Arist. in præfatio huius libri dicebamus : quia ipse bis agit de principiis compositi substantialis, semel quidem in 1. lib. & iterum in hoc 2. sed in 1. lib. agit de illis in *esse entis* consideratis, & in hoc 2. de eisdem in *esse scibilis*, id est, eisdem vt habent rationem naturæ.

### QVÆSTIO III.

*Vtrum materia prima sit natura.*

16. **P**Artem negatiuam tenuit Vallesius controuers. 1. ad Tirones : probatque suam sententiam, tum auctoritate ; tum etiam ratione : auctoritate quidem, quia Aristor. hoc ipsum insinuat 2. de Partibus animalium, cap. 1. & in hoc 2. lib. cap. 1. & 5. Metaph. cap. 1. Deinde ratione probatur primò. Materia non est principium, & causa motus : ergo nec est natura. Antecedens probatur : si esset causa motus, esset vtrique causa materialis, sed hoc nequit admitti : quia quod est causa materialis alicuius, debet esse subiectum illius, cum autem motus, quippè qui rationem accidentis habet non in materia prima, sed in toto composito subiectionetur, vt in lib. de Generatione dicendum est, fiet inde, vt materia non sit materialis causa illius.

Quod si dicas esse principium motus : quia est principium entis naturalis, quod tanquam vera causa producit motum. Contra hoc est : quia ex hoc solum habetur, quod materia sit principium per se entis naturalis ; motus verò non nisi ex consequenti, ac proinde natura non erit, quia natura habet esse per se primò principium motus. Secundò, in arti-

*Colleg. Compl. Physic.*

ficialibus sola forma est ars : ergo in naturalibus sola forma est natura. Patet consequentia : nam sicut se habet forma artefacti respectu illius, sic & forma naturalis respectu entis. naturalis vtrique enim est proprii compositi & forma, & actus primus, illudque constituit in propria specie, necnon & proportionatam tribuit illi existentiam.

17. Confirmatur : illud in naturalibus est natura, per quod distinguuntur ab artificialibus : sed per solam formam distinguuntur : ergo, &c. Maior patet : quia ens artificiale, vt statua, tantum per artem distinguitur à natura : ergo è contrà ens naturale tantummodò per naturam distinguitur ab arte. Minor probatur : quia artificialia, & naturalia conueniunt in materia ; eadem enim materia prima, quæ est in ligno, manet in statua : igitur tantum differunt per formas.

Tertiò, si materia esset natura, sequeretur nullum motum esse violentum ; sed hoc est falsum vt patet : ergo. Sequela probatur : nam illum dicimus naturalem motum, qui secundum inclinationem naturæ est : sed omnes sunt secundum inclinationem materiæ, tum quia ipsa ex se est indifferens ad omnes illos, neque aliquis motus ei repugnat, nisi ratione formæ cui adiuncta est, vnde si alia forma cui talis motus esset connaturalis : materiam informaret, etiam ille motus qui antea ei vt adiuncta erat formæ repugnabat, iam modò est illi connaturalis ; tum etiam, quia cum materia æquè inclinetur in omnes formas, æque etiam dicit inclinationem in quosuis motus ex eis dimanantes. Nec enim alia ratione motus sursum leuius est secundum inclinationem materiæ ; nisi quia materia hoc ipso quod in formam ignis inclinatur propenderet etiam in ipsum motum sursum.

18. Nihil ominis dicendum est, materiam verè & simpliciter esse naturam. Hæc assertio est expressa Aristotelis diuidentis naturam in subiectum, & non subiectum ; sed materia prima habet rationem subiecti primi : ergo & naturæ imò illa diuisio hoc solum intendit, scilicet natura alia materia quæ est principium passiuum, alia quæ subiectum non est : sed actus subiecti, vnde text. 10. & 11. huius cap. sic habet : *Vno igitur modo natura sic dicitur prima uniuscuiusque subiecta materia habentium in seipsis principium mutationis ; alio autem modo forma, & species.* Laudatque ibi aliquos, qui materiam naturam esse dixerunt. Vnde post traditam definitionem naturæ confirmat, solam substantiam esse ens naturale hoc argumento : quod constat naturis, est ens naturale : sola substantia constat naturis, subiecto scilicet, & quod est in subiecto, seu materia, & forma, quæ sunt naturæ : ergo sola substantia erit ens naturale, & hoc ipsum docet D. Thom. ibidem.

17 Ratio fundamentalis est : quia materia est principium, & causa motus, & quietis eius in quo est, &c. Ergo est natura. Consequentia patet : quia arguitur à definitione ad definitum. Antecedens verò probatur : nam motus physicus sicut reperitur in toto composito vt in subiecto totali *quod*, ita recipitur in materia sicut in subiecto *quo* : nam sicut ipsa habet esse primum subiectum, non supponens aliud : ita, esse primam & per se rationem recipiendi prædictum motum : ergo erit vera prima, & per se causa materialis motus illius entis in quo est ipsa materia, ac proinde verè erit natura.

Confirmatur : compositum ipsum vt habet suam essentiam totalem, verè componitur ex materia, & forma, vt habent rationem essentiarum modo explicato in præcedenti quæstione : ergo vt habet rationem entis naturalis, verè constat ex duabus naturis partialibus : nam cum sit tale per compositionem, debet ex duabus naturis partialibus coalescere.

F 3

Ad

- Ad primum primæ sententiæ, & primò ad testimonia ex Aristotele desumpta respondetur; solum in illis velle, materiam non esse ita perfectè naturam sicut forma; sed longè imperfectiori modo. Vel secundò potest dici quod solum vult Philosophus, materiam non esse naturam per modum principij actiui; non verò negat, quod et ratio naturæ per modum principij passivi conueniat.

20. Ad rationem priorè, respondetur ex Aristotele in præsentì, & D. Thom. lect. 2. quod sufficit ad rationem naturæ ut sit subiectum *quo* motus, etsi rationem subiecti *quod* non habeat. Materia autem est subiectum *quo* motuum: idèoque non sinit in compositione entis naturalis, quoad esse præcisè: sed tribuit illi in genere causæ materialis, quod sit, & quod sit aptum subiectum motus, & hoc sufficit ad rationem naturæ.

Ad secundum, quidquid sit de antecedenti, neganda est consequentia. Ratio autem disparitatis est, quod ars essentialiter petit esse accidens, & idè subiectum illius debet esse substantia, & non potest esse ars. At natura non petit hoc; sed solum substantiam in motum influentem modò dicto. Vnde non mirum si rationem naturæ fateamur conuenire primo subiecto substantialis formæ; cum etiam in motum influat, & idè concedimus quoad omnia illa, quæ in argumento dicuntur conuenire formæ artis, & naturæ negamus tamen consequentiam propter rationem dictam.

21. Ad confirmationem neganda est minor. Ad cuius probationem dicendum est, non esse eandem artis, & naturæ materiam: ars enim, in materia secunda, natura verò, quæ est forma, in prima materia subiectatur. Vnde licet materia prima maneat sub arte ut subiectum *quo*, non tamen ut subiectum *quod*, & idè non potest manere nec recipere in se artem, nisi ut sic dicamus effecta materia secunda, & determinata per formam ad certam speciem.

Ad vltimum respondetur, nullum motum esse violentum respectu materiæ ut sic, esse tamen violentum respectu formæ, quæ est principium contrarij motus per efficientiam: vel naturalem propensionem. Quia verò forma est præcipua pars per quam compositum in specie constituitur, idè tales motus absolute censentur violenti. Notanter diximus materia ut sic, quia si consideretur materia ut tali forma substantiali informata, tunc sicut reductiuè pertinet ad speciem formæ, & compositi: ita participat inclinationem ad bonum totius, & idè etiam respectu eius ut sic consideratæ, potest dici violentus ille motus, quia est contra naturam compositi.

Ex quo etiam deducitur maior confirmatio illius, quod modò dicebamus, nimirum quod solus motus, qui est contra inclinationem formæ, absolute dicitur violentus quia cum materia non influat in motum, verbi gratia, calefactionis aquæ, nisi, ut subiectum; *quo*, ac pròinde nisi ipsa aqua sit subiectum *quod*, & consequenter nisi materia sit talis positiuè per formam aquæ: inde fit, ut sicut ille motus est contra inclinationem formæ: ita & contra inclinationem materiæ sic consideratæ, quia secundum istam

rationem propendet in bonum formæ totius: ac pròinde hoc ipso quod motus sit contra inclinationem formæ, debeat absolute & simpliciter censeri violentus.

\*\*\*

## QVÆSTIO IV.

### *Verum forma substantialis materialis sit natura*

22. **T**Riplex est substantialium, & materialium formarum genus: aliz enim sunt principium sentiendi, & viuendi ut formæ animalium: aliz verò quæ dant solum viuere ut formæ plantarum; aliz tandem quæ etsi esse substantiale tribuant composito, attamen quia nullum istorum graduum illi communicant, (qualis est forma ignis) idè dicuntur inanimatæ. De his igitur omnibus quæstio procedit.

Dicendum est ergo tria hæc formarum genera esse verè, & propriè naturam. Hæc assertio est Aristotelis, in præsentì, & alibi sæpè; sed præcipuè lib. 1. de Partibus animalium cap. 10 & lib. 1. de Anima, textu primo, ubi de anima in vniuersali, & in particulari de anima sensitua, quæ simul est vegetatiua, docet naturam esse: & idè considerationem eius per se pertinere ad Philosophum naturalem. Quam sententiam amplectitur etiam Sanctus Thomas in præsentì, & omnes ferè Arist. Interpretes tam Moderni, quàm Antiqui non solum in hoc lib. cap. 1. sed etiam in primo de Anima in principio.

23. Ratio fundamentalis est. His formis conuenit naturæ definitio: ergo sunt natura. Antecedens probatur, sunt principium, & causa illorum motuum, qui sunt in illo ente naturali, quod constituunt, vegetatiua quidem motus accretionis, & nutritionis: sensitua verò motus progressiui, cæterarumque sensationum quæ verè sunt motus, ut hîc sumitur, quippè quæ mutationes sunt corporeæ, & physicæ: cæteræ verò formæ motus sursum, vel deorsum, & quietis naturalis in propriis locis: ergo cum omnes hæc formæ sint principium, & c. prædictorum motuum primò per se, & non secundum accidens, ut constat, fit indè, ut illis integrè conueniat prædicta definitio.

Sed licet ratio hæc adè sit efficax; nihilominus simplicius in præmio librorum de Anima, & quidam Andreas Cifalpinus lib. 3. quæst. Peripateticarum quæst. 1. necnon & Albertus Magnus 2. Physic. tract. 1. cap. 1. sentientes animam non esse naturam, respondent argumentum propositum conuincere intentum quoad reliquas formas; non verò quoad eas, quæ animæ communiter nuncupantur: nam in definitione naturæ nomine principij, & causæ debet intelligi principium passiuum: at anima ut anima, est principium actiuum harum omnium mutationum, & idè ut talis non erit natura.

Sed hæc interpretatio est contra mentem Philosophi, & contra rationem. Primum quidem, nam Arist. 8. Physic. text. 27. & Diuus Thomas ibidem inquit: *Quod totum animal natura seipsum mouet*: ergo natura erit principium actiuum motus: mouere enim se sonat principium actiuum: ergo principium actiuum, motus erit natura. Quæ vltima consequentia est euidentis, cum sit per conuersionem simplicem indifinitæ propositionis.

24. Secundum verò, scilicet quod sit contra rationem, præterquam quod manifestè patebit ex his, quæ infra dicemus, nihilominus sic breuiter suaderetur. Non minùs naturale est viuentibus mouere se (ut infra etiam dicemus,) quàm moueri; imò illud videtur esse magis naturale: quia mouere se, magis spectat ad actiones vitales quàm moueri; hoc enim commune est tam viuentibus, quàm non viuentibus: illud

illud verò solummodo virtutibus potest conuenire, velle Arist. 8. Physic. cap. 4. sed mouere se ad principium actuum etiam spectat: ergo natura etiam est principium actuum.

Confirmatur, & explicatur magis: nam si principium actuum motus immanentis est in ipso ente naturali & primo, ac per se in talem motum influit quænam ratio reddi potest ob quam principium passuum motus & non actuum sit natura? Maxime quia cum natura realiter pertineat ad esse naturalis entis, & ipsum in esse, talis realiter constituat, fit inde ut cum ratione formæ animatæ in suo esse præcipue constitutatur ens naturale viuens, illa sit præcipua natura.

25. Obiicies primò: nam Aristot. 2. lib. Physic. cap. 7. docet primum motorem scilicet Deum, qui ita mouet ut ipse non moueatur: non spectare ad considerationem philosophicam: quia non habet in se principium motus, ac pròinde quia non includit in se naturam: sed primo motori solum deest principium passuum non verò actuum ut constat: ergo ratio naturæ solum dicit principium passuum motus.

Secundò, agere, & pati sunt rationes inter se omnino oppositæ: ergo & esse principium actuum, & passuum, ergo cum natura non possit non esse principium passuum, non poterit esse actuum.

Tertiò arguit Alb. quia natura, ut est commune omnium Philosophorum prouerbum, est determinata ad vnum, sed anima secundum gradum vltimum, secundum quem est actuum principium, multos, & varios motus habet, scilicet sursum, deorsum, & secundum omnes differentias positionum, imò & plures alios motus præter localem, ut ex dictis patet: ergo, &c.

26. Ad primum responderetur, quòd licet demus, non viuentia tantum habere principium passuum motus; (de quo alibi) nihilominus viuentia debent habere utrumque, & actuum scilicet, & passuum. Vnde fit Aristotelem in illo loco agere de principio passiuo; non quia ratio naturæ ad hoc principium adstringatur, sed quia viuentibus qualis est Deus utrumque debet conuenire, si semel includunt naturam, & ita per carentiam cuiuslibet desinunt esse entia naturalia: imò hoc ipso quod non sit in eis principium passuum scilicet materia; non habeant actuum eo modo, qui ad rationem naturæ hinc definitur desideratur.

Ad secundum responderetur, quòd cum natura diuidatur in materiam, & formam: inde est quod ratione materiæ tanquam principij quo poterit viuens pati, & ratione formæ ut principij quod poterit esse principium actuum suorum motuum: cum quo etiam stat, ultra hoc principium debere in eisdem viuentibus ut possint se mouere, assignari principium aliquod actuum parziale, & ut quod distinctum ab alio principio partiali, & ut quod passiuo, vel à toto ipso viuente, ut infra dicemus.

27. Ad vltimum responderetur, quòd ut verificetur naturam esse determinatam ad vnum, sufficit, non habere libertatem, indifferentiam, neque electionem in suis motibus. Itaque in modo operandi est natura determinata ad vnum; non verò in operatione: seu motu. Vnde omnes animæ materiales etsi sint principium motuum diuersorum, & iuxta diuersas positiones, ut patet in motibus ingressiuis, nihilominus in modo operandi, seu mouendi se sunt determinatæ: quia non mouent se cum indifferentia, & electione. Sed de hoc axioma iterum quæstione sequenti redibit sermo ubi explicabimus quomodo anima rationalis sit natura, & in quo sensu sit verum, naturam esse determinatam ad vnum in modo operandi. Ad-

de tandem in hoc communi axioma scilicet: *Natura est determinata ad vnum*, intelligi etiam nomine naturæ totum vniuersum, idèquæ sensus est natura ferè semper eodem modo, operatur, ut patet in circulationibus hiemis, æstatis, & aliarum differentiarum, temporum, nec non & in pluribus aliis.

## Q V Æ S T I O V.

*Utrum anima nostra ut rationalis habeat rationem naturæ.*

**M**erito in titulo addimus particulam illam: *ut rationalis*: nam ut vegetatiua, & sensitua est, id in dubium verti non potest: quandoquidem supra factæ rationes non minus de ea secundum hos gradus, quàm de cæteris animabus naturam esse conuincunt.

*R E F E R T U R S E N T E N T I A  
Simplicij, & aliorum.*

### §. I.

28. **P**artem negatiuam tuentur Simplicius in præfati, Albertus Magnus libro primo Physicorum, quod tractatu 1. capite 2. & libr. de origine animæ cap. 9. Auicenna 1. sufficientiæ cap. 5. quos omnes refert Rubio in præfati quæstione prima. Probatum primò: quia Aristotel. in hoc libro capite primo, diuidit naturam in eam quæ est subiectum, & in eam, quæ est in subiecto; sed sub nullo horum membrorum comprehenditur anima nostra: ergo non est natura. Minor quoad primam partem patet satis: quia anima nostra, non est materia prima, quæ nomine subiecti intelligitur ibi ab Aristotel. Quoad secundam verò sic suadetur Omnis forma quæ est in subiecto, seu materia prima est materialis: sicut omne accideus, quod est in homine est humanum; sed anima nostra est omnino immaterialis: ergo in materia esse nequit.

Secundò, forma quæ est natura non potest separari à materia; sed anima nostra ab ea separatur, ut fides docet: ergo non est natura. Maior probatur: tum ex Aristot. in hoc lib. textu. 12. tum etiam, quia quidquid natura est non potest non esse principium motus Physici, & corporei: ergo non potest à materia separari. Probatum consequentia: quia anima separata non potest esse principium talis motus: sed solummodo actionum purè immaterialium: non enim sine materia possunt actiones ab eadem materia dependentes exerceri.

29. Tertiò, forma, quæ est natura, debet ex potentia materiæ educi: sed anima nostra, ut ex dictis 1. lib. patet, ex potentia materiæ non potest educi: ergo non est natura. Maior patet: quia forma, quæ est natura, debet per naturam produci sicut forma artis debet per artem attingi: aliàs natura esset imperfectior arte: ergo cum natura non habeat alium modum producendi formam nisi educendo illam de potentia subiecti: fit inde ut forma, quæ est natura, debeat ex potentia illius educi.

Quartò, operationes animæ rationalis non sunt naturales: ergo neque ipsa anima, à qua tales fluunt operationes, erit natura. Consequentia patet quia natura est principium, & causa motus, seu operationis naturalis. Antecedens autem probatur: quia eius operationes sunt intelligere & velle: sed hæ non sunt Physicæ, & naturales, cum sint etiam communes Deo & Angelis, quæ naturalia entia non sunt: ergo, &c.

Nec satis est, si respondeas, volitionem: & intellecti-  
onem non esse operationes, propter quas anima  
rationalis dicatur natura; sed illas, quas exercet in  
corpore inquantum perfectissimè operatur quidquid  
aliæ materiales formæ: scilicet quatenus est princi-  
pium augmentationis, nutritionis, &c. Nam contra  
hoc est; inde sequi animam rationalem secundum  
suum ultimum gradum non esse naturam, cum sic for-  
maliter, solummodò sit principium spiritualium actio-  
num, seu mutationum, quæ hoc ipso quòd incorporeæ  
non sunt, Physicæ non erunt.

**STATUITUR VERA  
sententia.**

**§. II.**

30. **N**ihilominus dicendum est animam rationa-  
lem etiam secundum ultimum gradum esse  
naturam, imò & perfectissimam in ratione naturæ.  
Ita Aristot. D. Thom. Alexander, Simplicius, Val-  
lesius, Toletus, Conimbricens. Rub. & alij in præ-  
senti, Suar. tom. 1. sup. Metaphysicæ disp. 1. sect. 2  
num. 17.

Probatùr primò ratione, quam innuit D. Thom. 1.  
parte quæst. 74. art. 1. Anima rationalis secundum gra-  
dum ultimum est vera, & naturalis forma hominis:  
ergo ex vera natura. Antecedens est certum secun-  
dum Finem: quia definitum est ab Ecclesia in Con-  
cilio Lateranensi sub Leone decimo, & in Viennensi  
sub Clemente V. & habetur in Clement. vnica de  
Summa Trinitate, & Fide Catholica quod etiam  
aperta ratione probatur: quia anima rationalis, qua  
rationalis est constituit hominem specie distinctum à  
cæteris animantibus, ergo est vera, & naturalis forma  
illius, si quidem repugnat naturam, aut essentiam ho-  
minis resultare ex vñione ad corpus per solam assi-  
stentiam extrinsecam motoris ad mobile, aut alterius  
similis; sed omninò requiritur informatio materiæ,  
& vnio substantialis cum illa, vt vnum per se substan-  
tiale, & naturale resultet. Consequentia verò proba-  
tur: quia vt hic expressè docuit Aristot. natura pro-  
priè dicitur de materiâ, & forma tanquam de partibus  
entis naturalis ex vtraque compositi.

31. Secundò probatur ratione, quam innuit D. Th.  
1. parte quæst. 75. art. 2. ad secundum, & 1. de anima  
textu 1. Anima nostra, vt rationalis, est principium  
motus naturalis eius, in quo est, &c. Ergo est natura,  
vt hic ab Aristot. definitur, Antecedens probatur  
quia secundum gradum rationalis est principium ad-  
mirationis, risus, fletus, locutionis: qui quidem mo-  
tus, cum sint naturales homini vt homo est, & in ipso  
sint non possunt non ab anima, vt rationalis est, tan-  
quam in principio quo, & radicali dimanare. Quod au-  
tem cætera definitionis partes ei conueniant, proba-  
tione indiget.

**DILUVNTUR OMNIA FVN-  
damenta opposita, præter ultimum.**

**§. III.**

32. **A**d primum igitur, initio quæstionis positum,  
respondetur, quòd vt aliqua forma intrinsecè  
sit, & dicatur materialis, non est satis esse in materia;  
sed insuper requiritur, vt in suo esse ab illa pendeat:  
sicut idè quantitas homini dicitur humana, quia  
ab homine in suo esse dependentiam habet. Vnde  
quia anima nostra ita est in materia, vt in suo esse  
ab ea dependens non sit, idè non est intrinsecè  
materialis.

Ad secundum, neganda est maior: ad cuius proba-  
tionem respondetur, Aristotelem solùm velle ani-  
mam, seu formam secundum statum separationis à  
corpore, seu præcisè consideratam, prout separabilis  
est, non esse naturam: & idè vt sic non ad philo-  
sophum; sed ad Metaphysicum spectat: quandoqui-  
dem secundum hanc rationem non est principium  
alicuius motus naturalis; sed tantum actionum in-  
tellectualium, & aliarum mutationum, quæ caput  
Physicum excedunt. Quod etiam expressit Aristot.  
dum dixi primò de Partibus animalium cap. 1. consi-  
derationem animæ separatæ non esse Physicam: quia  
anima non est natura, id est, quia anima vt separata  
rationem non habet naturæ.

33. Explicatur hoc: anima nostra in statu separa-  
tionis quia spiritualis, & separata est à materia: attingit  
ordinem substantiarum spiritualium, & separata-  
rum, quales sunt Angeli & aliunde, quia vera, & na-  
turalis forma hominis est; etsi separata sit, habet in  
hoc statu cum cæteris formis conuenientiam. Vnde  
& natura est sicut cæteræ formæ, & natura non est  
secundum aliam rationem sicut nec Angeli sunt na-  
turæ. Hoc autem secundum habet quatenus est se-  
parata, & vt sic est principium intellectiōis, & vo-  
litionis, nec quoad substantiam, vel modum à corpo-  
re dependentis. Est autem natura, secundum quòd  
adhuc in illo statu conseruat, quòd sit vera pars ho-  
minis, veraque illius forma ac proinde primum, &  
radicale principium motuum naturalium hominis.  
Vnde cum nos dicimus, animam in statu separationis  
non esse naturam, solùm loquimur de ea prout for-  
malissimè tali gaudet statu: & consequenter prout  
præcisè est radix earum mutationum, quæ illi statui  
conueniunt, in quibus nullum cum materia habet  
commercium.

34. Ex quò ad secundam probationem eiusdem  
maioris constat: satis enim est naturæ, vt iam dixi-  
mus, esse radicale principium motus Physici, quòd  
anima etiam separata conseruat. Nec refert quòd  
semel separata non possit per naturam reuniti, & con-  
sequenter exercitium talis principij sit omninò im-  
peditum. Non inquam hoc refert. Quoniam sufficit,  
vt debito tempore fuerit eius vis causatiua ad actum  
reducta; sicut potentia nutritiua, vel augmentatiua  
in beatis frustranea non est; nec definit esse talis;  
etiam si nunquam in illis ad actum reducenda sit:  
quia sufficit vt tempore debito virtutem suam exer-  
cuerint.

35. Ad tertium neganda est maio.: non enim per-  
tinet ad rationem Physicæ formæ, aut naturæ vt talis;  
educi de potentia materiæ: sicut & ad eam secun-  
dum hanc rationem consideratam, non requiritur, vt  
in suo esse habeat dependentiam à subiecto, in quo  
est: sed hæc sunt potius imperfectiones naturæ, à qui-  
bus concedimus animam rationalem esse liberam, &  
ita habere rationem formæ, & naturæ perfectissimæ  
denudatæ à quibusuis aliis imperfectionibus, quæ in  
aliis imperfectioribus naturis reperiuntur.

Ad probationem maioris dicendum est animam  
non intendi ab agente naturali vt ipsa sit: sed vt esse,  
quòd habet communiter compositum: non enim inten-  
ditur, nisi vt forma: at hæc non intenditur omninò  
per se, primò propter se; sed propter totum. Vnde  
quia hoc ipso quòd anima vnitur materiæ, statim con-  
surgit compositum: idè satiatur agentis naturalis de-  
siderium, si eam viderit; quoniam indigentia, quam  
habet illius, aufertur sufficienter per hoc. Ex quibus  
satis percipitur, quomodò sufficiat ad hoc vt ani-  
ma censeatur esse in potestate naturæ quantum  
requiritur ad hoc, vt sit forma habens rationem  
naturæ, quòd possit à natura vniri, siquidem per hoc  
omne

omne illud consequitur, quod media anima adipisci intendit.

36. Per quod etiam patet ad id; quod de arte in eodem argumento tangebatur: etenim si per impossibile daremus, non esse in potestate artis producere formam illam artificiosam, si tamen eam materiam vnires, & per hoc omnem artificiosum effectum, quem desiderat consequeretur: tunc non censureretur ars imperfecta, nec forma illa idem desineret esse artificiosa; quod si modo ars vtrumque potest, hoc non oritur ex perfectione; sed ex imperfectione formarum artificialium, inter quas nulla est adeo excellens, ut nequeat simul ab arte produci, & vniri, ut in naturalibus est sola anima rationalis.

*OCCVRRITVR VLTIMO FVNDAMENTO opposita sententia.*

§. IV.

37. **A**D quartum: quis maiori indiget discussione, sigillatim responderetur quod licet intellectio, & volitio huius status non sint motus sensibiles, si consideretur secundum suam substantiam, & in essentia, nihilominus exercentur dependentes à materia sensibili; seu dependentes, ab operatione sensibili phantasiae, sensus communis, aliorumque sensuum; & non vtrumque; sed ita ut hanc etiam mutationem sit ipsa anima radicale principium, tam quoad substantiam, quam quoad hoc, quod est, eas ordinari ad intellectum, & volitionem: & idem intellectio, & volitio in hoc statu saltem quoad modum pendet à materia. Quod quidem satis est ad hoc, ut tales operationes sint, & dicantur naturales, & oriantur ab anima ut natura. Vnde Arist. 3. lib. de Anima agit ex professo de anima rationali, ut est principium intellectus, dependentis à phantasmate. Quare cum libri de Anima sint præcipua pars naturalis Philosophiæ; sit inde, ut anima rationalis quatenus talis, & ut habet rationem causæ respectu prædictorum motuum, sit vera & perfecta natura.

38. Quibus etiam addi potest, quod anima in hoc statu moderatur per intellectum, & volitionem motus Physicos, qui ab ea oriuntur: & idem eos imperat, & ad eisdem exercendos mouet potentias; præscribitque quomodo, & quando exercendi sint, ad hoc ut etiam in ordine Physico melius se habeant. Vnde non mirum, quod ratione huius imperij, &c. nec non & ratione prædictæ dependentiæ quam iam explicuimus, possint intellectio, & volitio connumerari inter operationes naturales, & à natura ut tali prodeuntes.

Sed tunc obieciens primo: quod ut supra quæstione præcedenti innuimus, natura in modo operandi est determinata ad vnum, id est (ut ibidem explicuimus) non operatur media indifferentia, libertate & electione. At intellectio & volitio in hoc statu, necnon & ceteri motus sunt liberi, & cadunt sub electione, ergo non oriuntur ab anima ut natura. Minor satis constat: quia volitio ipsa est formaliter libera, & intellectio, ceterique motus subduntur imperio voluntatis: ac proinde secundum istam considerationem sunt liberi, & cadunt sub electione illius.

39. Secundo obieciens: quod natura quatenus talis, debet esse principium non solum modi motus; sed etiam substantiæ ipsius. Ergo per hoc quod anima tantum sit principium modi horum motuum, non saluatur, etiam secundum istam rationem esse naturam. Antecedens probatur: quoniam artes saltandi, & cantandi sunt principium modi cantus, &

saltationis, & nihilominus non sunt natura: quia non sunt principium substantiæ talis motus.

Ad primam ex his obiectionibus responderetur: hoc quod est, *Naturam esse in modo operandi determinatam ad vnum*, conuenire naturæ, ut est inuoluta cum aliquibus imperfectionibus; quæ non sunt de ratione naturæ; non vero prout est in omni sua puritate, qualiter repetitur in anima rationali, quæ inter omnes naturas primatum obtinet. Vnde cum de natura absolute dicitur eam esse in modo operandi determinatam ad vnum; tunc nomen genericum, aut quasi genericum *natura*, appropriatur aliis naturis imperfectioribus: quia multoties nomen diuisi appropriatur membro diuidenti imperfectiori, ut supra in Logica diximus.

40. Ad secundam obiectionem responderetur primo: ad rationem naturæ ad minus exigere, quod sit principium modi petiti à natura, & denique talis ut sit in natura, non solum obedientialis, sed etiam naturalis potentia ad illum, ac proinde talis potentia sit in ordine ad agens naturale modo iam dicto, & infra etiam explicando: at modis artificiosis nihil horum competit: ceterum anima, ut est principium modi prædicti, est principium Physicæ, & per modum principij actiui, & passiuæ Physici: & motus ille est petitus à natura, adeoque in ea naturalis potentia ad illum.

41. Secundo responderetur: aliud esse an substantia actus præcisè ut spiritualis est, oriatur ab anima ut natura: aliud verò an eadem substantia, & spiritualitas, vestita tamen (ut sic loquamur) prædicto modo, ducat ortum ab eadem anima, ut habet rationem naturæ: ita ut anima secundum istam rationem considerata, non solum influat in modum, sed etiam in substantiam, & spiritualitatem illam actus. Primum illud nos non dicimus; aliàs enim intellectio, & volitio prout exercentur in statu separationis, oriuntur ab anima, ut natura; quoniam substantia horum actuum semper est spiritualis: at verò secundum ingenue concedimus.

Et ratio est aperta: tum quia homo in hoc statu habet quandam affinitatem, tam cum Angelis, quam cum his inferioribus: & idem necesse erat, quod anima, ut illum constituit in esse hominis, sit etiam in eodem statu principium actuum, seu motuum, secundum quod affines sunt tam cum actibus Angelorum in spiritualitate, & substantia, quam cum motibus horum inferiorum, seu aliorum entium naturalium in aliquo modo dependendi à materia. Tum etiam, quia sicut species intelligibiles huius status secundum substantiam sunt spirituales, & secundum modum dependent à materia: quia sunt à potentia spirituali, scilicet ab intellectu agente, dependentes tamen à phantasia, quæ est materialis: ita anima ut est in hoc statu, & consequenter ut natura, petit ut illis secundum vtramque rationem: ac proinde influere in intellectum, ut secundum substantiam, seu entitatem spiritualis est, & ut secundum modum pendet à materia. At verò ars saltandi præcisè consistit in influxu circa modum saltandi; non verò extenditur ad substantiam actus sub illo modo, ita ut attingat etiam substantiam ipsam: quia substantia illa ut natura, est extra latitudinem suæ actiuitatis.

42. Nec refert si virgeas: quod cum modus iste sit spiritualis, quippe afficiens actus animæ spirituales, nihil conducet, ad hoc ut anima natura sit quatenus est principium actuum, ut sunt sub illo: quandoquidem idem non est natura, quatenus est principium substantiæ actuum: quia talis substantia est spiritualis.

Non inquam hoc refert: quia licet prædictus modus,



us sit spiritualis; atamen consistit in dependentia quadam eiusdem intellectus à materia sensibili, seu à mutationibus sensibilis, ut innuit Divus Thomas 1. part. quæst. 75. artic. 2. ad 3. non quidem tanquam à subiecto, sed vel tanquam ab obiecto, iuxta illud oportet intelligentem phantasmata speculari; vel tanquam ab excitante externo vel tanquam à necessario concomitante; intellectus autem ut præcendit à prædicto modo nullatenus pendet ab illa, & idè: quia natura non habet rationem talis, nisi respectu operationum, seu motuum à materia dependentium: idè anima non est natura respectu intellectus; nisi ut est (ut sic dicamus) vestita prædicto modo.

### QVÆSTIO VI.

*Verum formatio talis, qualis est humanitas, & alia similes, sub hac natura definitione comprehendatur?*

43. **Q**uæstio hæc paucis absoluenda est, quoniam illius decisio facile ex dictis colligitur. Sunt ergo aliqui Authores existimantes formam totalem, naturam esse, imò & fuisse comprehensam sub definitione naturæ ab Aristotele tradita. Primum probant: nam humanitas dicitur natura humana, & ratione illius ens naturale dicitur habere naturam. Deinde si naturæ partiales sunt naturæ: quomodo, quæ totalis natura est, non erit simpliciter natura?

Tandem humanitas est principium motus eius, in quo est, & media illa tanquam principio radicali, & quo agens operatur, & movet: imò & recipit motum: quia accidentia in toto composito subiectantur: ergo erit natura.

Secundum verò, scilicet, quod comprehendatur sub tradita definitione, ex hoc priori satis liquet. Quia si verè natura est: ergo vel definitio non est re-cta; vel sub illa comprehenditur: sicut in definitione hominis, ut sic, necessariò requiritur, ut quidquid homo fuerit comprehendatur.

Alij verò dicunt formam totalem esse naturam, non tamen, sub hac definitione comprehensam. Quoad primam partem constat ex his, quæ pro prima sententia adducta sunt. Quoad secundam verò probatur, quia non convenit illi particula illa *primo* posita in definitione naturæ: nam prius materia, & forma sunt principium: quia sunt principia eiusdem humanitatis, & primæ radices motuum illius, unaqueque in genere suo.

44. Nihilominus dicendum est formam totalem, verbi gratia humanitatem propriè, & in rigore non esse dicendam naturam: neque in hac definitione comprehendi. Assertio hæc colligitur ex Aristotele in præfati textu. 1. ubi postquam dixit, materiam, & similiter formam esse naturam, addit: *Quod autem ex his natura quidem non est, sed à natura.* Vbi D. Thom. sic ait: *posset autem aliquis credere, quod quia materia dicitur natura, & etiam forma, quod compositum possit dici natura; quia substantia dicitur de materia, & de forma & de composito: sed hoc excludit dicens, quod compositum ex materia & forma non est ipsa natura: sed est aliquid à natura; quia natura habet rationem principij, compositum habet rationem principij.* Huc usque S. Doctor. Quare sicut homo, quia est principiatum, non est natura: ita neque humanitas ob eandem rationem non erit propriè, & in rigore natura, sed à natura. Aliquis propriè, & in rigore quia si natura sumatur latius, seu pro quid dicat, & essentia, tunc humanitas dicenda est natura, imò & potèntissima

inter naturas. per quod ad fundamenta primæ sententiae patet: quia humanitas non est primum principium motus eius, in quo est.

### QVÆSTIO VII.

*Verum ad hoc, ut forma sit natura, requiratur in- dispensabiliter, quod sit principium actuum motus: ubi etiam agitur an motus celi sit naturalis?*

45. **L**icet quæstio hæc possit procedere de natura ut sic, & in hoc sensu ab Antiquis, & ab aliquibus ex Iunioribus controuertatur: nihilominus, quia quoad materiam iam est decisa in quæstione tertia huius disputationis, & quoad formam, nonnullam maiorem difficultatem habet: propterea eandem, quoad formam tantummodo excitauimus. Et quia ex hac quæstione pendet alia: imò in ea necessariò inuoluitur: an nimirum motus celi sit naturalis, idè hoc ipsum explicabimus.

### REFERTUR OPINIO

*affirmans.*

#### §. I.

**P**artem affirmatiuam truetur Vasq. 1. 2. disp. 25. cap. 3. & alij, querens vniuersaliter inquirunt ad rationem naturæ requiri, quod sit principium actuum motus. Probatur primò: quia si forma non influat in motum eius, in quo est per modum principij acti- uo, non influit per modum primi principij, primæque radices: ergo neque per modum naturæ: & ex consequenti ad hoc ut forma sit natura necesse est, ut sit principium actuum, quo. Vtraque consequentia satis patet. Antecedens verò sic ostenditur: nam primum principium passiuum est materia: sicut ipsa sola est primum subiectum, Vnde forma ratione materiæ habet recipere, & pati ergo ad hoc, ut forma sit prima radix motus, debet in alio genere influere, scilicet actiue.

Confirmatur: forma ut forma solum influat per modum actus: ergo non vtrahabet rationem potentie, ergo non per modum principij passiui quia principium passiuum influat per modum potentie.

46. Secundò: nam esse naturam, est esse principium motus, &c. & esse principium motus, est posse conari, & impetum adhibere in ordine ad illud: & idè natura dum actu influit in motum, tunc actu adhibet conatum, & impetum ad eundem ergo repugnat esse naturam, & solum esse principium passiuum motus. Patet consequentia: quia conari, & impetum adhibere sonat agere, at quod præcisè recipit id, neque habet conari, vel impetum adhibere, aut agere: ergo, &c.

Tertiò: quia si ratione principij passiui esset aliquid natura, id sanè esset violentum rei, quod esset contra potentiam, seu principium passiuum illius: quia, id est violentum, quod est contra naturam: at hoc dici nequit: ergo neque illud prius. Minor patet: quoniam alioquin multa dicerentur esse in statu violento: quæ re vera in illo non sunt, ut materia, dum est sub vna forma sublunari, & humanitas Christi Domini, dum est sub personal. diuina: quia vna forma sublunaris est contra naturalem inclinationem, quam materia habet ad aliam quia est impossibilis cum illa. Et ob eandem rationem substantia diuina est contra naturalem inclinationem quam habet humanitas ad propriam substantiam, utpote impediens illius.

**DECIDI**

DECIDITUR QVÆSTIO.

§. II.

47. Nihilominus dicendum est: ad hoc ut forma habeat rationem naturæ satis esse, quod sit principium passuum motus. Hæc est Aristot. in hoc lib. & D. Thom. lect. 1, eamque communiter tenent Doctores.

Probatur aperta ratione desumpta ex Aristot. & D. Thom. locis citatis. Ad hoc, ut alicui conveniat ratio aliqua per definitionem significata, satis est, quod ei competant omnes particule definitionis propriæ, & in rigore sumptæ, ut ex se patet: sed præcisè per hoc, quod formæ substantiali conveniat esse principium passuum quo motus, &c. conveniunt illi omnes particule definitionis naturæ propriæ, & in rigore sumptæ: ergo præcisè per hoc conveniet illi ratio naturæ. Minor, quoad reliquas particulas præter quam *principium, & causa motus*, satis constat: quoad hæc verò etiam patet: nam ratio principij & causæ motus, propriæ, & in rigore salvatur in principio passivo: alioquin solum principium actuum esset verè, propriè & rigorosè principium, & causa: & consequenter divisio causæ in efficientem, materiælem, &c. non esset divisio veræ, & rigorosæ causæ; quod ut constat est apertè falsum: ergo, &c.

Confirmatur, materia prima, ut supra vidimus ex Aristotele est vera natura, & tamen solum est principium passuum motus, & non utrumque; sed ita ut imperfectiori modo concurrat, quàm forma, quæ solum concurrat per modum principij passivi: ergo multò magis prædicta forma erit natura.

48. Secundò probatur: quia cæli sunt vera entia naturalia, ut innuit Aristot. 1. de Cælo cap. 2. & 7. Metaph. cap. 2. text. 5. ubi numerans corpora naturalia collocat inter ea cælum: ac proinde eorundem formæ sunt verè naturæ; & tamen hæc formæ non sunt principium actuum motus: ergo ad rationem naturæ non desideratur in formis substantialibus, quod sint principium actuum motus; sed satis erit, quod sint passuum. Minor probatur, quia esse principium actuum motus eius, in quo est, solum convenit formis, quæ sunt anima vegetativa, vel sensitiva, vel tandem rationalis, ut docet Aristot. Physicor. cap. 4. unde ibid. ait: quod moveri effectivè à se, est vivere: & idè definit actiones vitales per hoc, quod sint à principio activo coniuncto; ac formæ cælorum non sunt aliquæ ex his animabus: ergo, &c.

Fortè respondebis primò cum antiquis Philosophis: cælum esse animatum, ac proinde eius formam esse veram animam. Cæterum impugnatio huius solutionis non est huius loci, sed ad lib. de Cælo spectat; videatur tamen D. Th. 1. part. q. 70. art. 3. ubi eam optimè falsitatis convincit.

49. Secundò respondebis cum alijs ex sectarioribus Scoti: rationem hanc non esse firmam: quia cælum reuera non est ens naturale, neque eius forma natura; atque adeò non desumitur sufficiens argumentum, ad hoc, ut natura non petat esse principium actuum motus ex hoc, quod forma cæli id non postulet. Et rationem reddunt, quia motus cæli non est naturalis: tum quia omnis motus naturalis est ab statu non naturali ad naturalem: siquidem est ad acquirendam perfectionem naturalem, ut inductivè patet in cæteris alijs moribus; sed cælum (ut constat) non acquirit aliquam perfectionem, aliquemve statum naturalem per suum motum. Tum etiam, quia si naturalis est cælo motus ad Occidentem, erit connaturalis motus ab Occidente ad Orientem, & ita habe-

ret duos motus contrarios, & connaturales; quod est absurdum. Tum denique, quia motus naturalis debet effici à causa naturali; sed motus cæli causatur ab intelligentia, quæ non est causa naturalis, sed per intellectum, & voluntatem operatur.

50. Et confirmatur hoc ipsum: quia alioquin quies esset violenta cælorum: quoniam ex duobus contrariis si unum est naturale, aliud erit violentum; sed hoc admitti nequit: quia aliàs illa quies non esset perpetua, siquidem nullum violentum est perpetuum. Ergo dicendum est; quod motus cæli non est illi naturalis, ac proinde non habere in se naturam: quia natura est principium, & causa motus naturalis, & cælum nullum alium habet motum præter hunc.

Sed hi non possunt subterfugere, quin contra Aristot. & D. Thom. incedant, (ut iam vidimus) imò, & contrà manifestam rationem: quia cælum est verum compositum ex materia, & forma physica, ut cum Arist. 1. de cælo, & Thom. ibid. lect. 6. communiter docent Philosophi; idque satis colligitur ex eo, quod habet veram quantitatem, quæ in sola substantia naturali, & completa recipi potest. Ergo est verum compositum physicum, verumque ens naturale; nam ut in disputatione præfati huius operis ex Arist. & D. Thom. diximus) ens mobile, & naturale est re ipsa idem, quod compositum ex materia, & forma physica: ergo constitutum illud scilicet forma cæli, est verè & rigorosè natura. ¶ Ex quo etiam fundamentum adversariorum corrumpitur: nam si semel cælum est ens naturale, cum non petat esse in perpetua quiete, necesse est, ut habeat aliquem motum naturalem; cumque non habeat alium præter assignatum, non poterit non hic esse illi naturalis.

51. Confirmatur: repugnat motum cæli non esse naturalem: ergo & quod cælum non habeat in se naturam; ac proinde fundamentum adversariorum evanescit prorsus. Antecedens probatur: tum quia fuit à principio passivo motus eius, in quo est, &c. Ergo est motus naturalis: quia motus internus, & à principio interno ortus &c. non potest non esse naturalis. Tum etiam: quia ad Philosophum naturalem spectat agere de cælo, & eius motu, ut patet ex quatuor libris, quos de cælo Aristot. edidit; ac Philosophus naturalis non agit de entibus mobilibus ita ex professo, nisi habeant motum naturalem: quia eius obiectum est ens mobile motu naturali.

Nec rationes, quas pro se adducunt, sunt alicuius roboris. Non quidem prima: quia procedit de motu recto ad locum, non verò de circulari, qui appellari solet motus circa locum. Nec secunda: quia motus ab Oriente in Occidentem: & è contra, non est nisi unicus tantum motus continuus, & una integra revolutio eiusdem corporis. Nec deinde tertia: quia ad motum naturalem satis est, quod sit internus procedens à principio passivo naturali, nec petat agens, quod operetur per modum naturæ, & necessariò; sed satis est operari iuxta ordinem naturæ rerum debitum, licet aliàs agat per intellectum, & voluntatem. Nec tandem confirmatio obest: quoniam illa quies erit à Deo, ac proinde non erit violenta: quia est secundum inclinationem univèrsalem.

quæ est in quavis creatura ad obediendum auctori naturæ cui inclinationi peculiaris, & naturalis inclinatio subordinatur.

\*\*\*

SOLV

SOLVTIO RATIONVM  
prima sententia.

## §. III.

42. **A**D Primam initio quæstionis propositam respondetur: quod cum principium passiuum quod motus sit ipsum ens naturale ut naturale est, necesse est ut à duplici principio quo constitutur in esse subiecti à materia quidem tanquam à primo subiecto: à forma verò tanquam à dante illi actualitatem necessariam, ut sit subiectum quod. Vnde sicut utraque concurrat ad esse entis naturalis, & esse huius entis, ut tale, necessariò petit rationem principij passiuum quod: ita utrumque principium pertingit ad hoc ut sit illi ratio recipendi motum: quamuis diuerso modo, ut diximus, Per quod satis patet ad confirmationem.

Ad secundum ex Vasq. respondetur id quod est vera causa alicuius, verè influere, & in suo genere conari, ut constabit ex his quæ infra ex Diuo Thoma dicemus. Vnde quia forma ut habet rationem principij passiuum, verè causat motum ut quo: quia ratione illius est ens naturale principium passiuum quod, ac proinde vera causa materialis quæ: idè ratio principij passiuum satis est ad naturam. Adde, quod etiam causare sonat agere, & tamen propriè tribuitur causæ materiali, quæ passiuè concurrat.

§ 3. Ad vltimam ex illis exemplis desumptam respondetur: potentiam materiæ æquè esse respectu omnium formarum sibi connaturalium, & idè non patitur violentiam dum vnā recipit, etiam si tunc non possit aliam simul recipere. Ad illud de humanitate Christi respondetur, per substantiam Verbi diuini communicari illi eminentissimo modo, quidquid perfectionis poterat habere per propriam substantiam: & idè non appetere propriam, ac proinde nec esse in statu violento, sed supernaturali. Ita Caietan. & communiter Thomistæ 3. part. quæst. 4. artic. 2.

## QVÆSTIO VIII.

*Utrum natura dicatur vniocè, vel analogicè de materia, & forma.*

§ 4. **P**ostquam explicuimus, quid sit natura, quidque sub definito huius definitionis comprehendatur: & diximus, quod ratio naturæ, ut hic ab Aristotel. definitur, solùm conuenit materiæ, & formæ, restat ut explicemus, quomodo natura se habeat ad illas.

Prima sententia asserit naturam vniocè dici de materia, & forma. Ita Scotus in præsentī quæst. 2. quod reputat probabilius Toletus quæst. 1. ad 5. quem sequuntur Plaza in hoc lib. disp. 1. quæst. 3. in 2. part. illius, & alii ex Recentioribus. Probat primò: quia materia, & forma non discriminantur inter se in ratione principij & causæ motus, & quietis; & super hoc addunt suas differentiales rationes principij actiui, vel passiuum, seu principij per modum actus, aut per modum potentie. Ergo natura in communi verè dicitur de illis vniocè: sicut idè de homine, & equo dicitur animal vniocè: quia in ratione animalis non discriminantur, & vnumquodque illorum addit supra animal propriam rationem differentialem.

§ 5. Confirmatur: ratio partis substantialis, &

Physicæ potest vniocè dici de materia, & formæ, ergo & ratio naturæ: patet consequentia; quia quærens sunt partes physicæ, sunt naturæ: nam secundum istam rationem componunt ens naturale, & sunt prima principia motuum illius. Et antecedens suadetur: quia potest ab illis abstrahi ratio partis non determinando, an sit pars hoc, vel illo modo, sed solùm considerando rationem componentis ut sic; at in ista ratione non differunt: ergo omnino conueniunt: ergo vniocè.

Secundo quia, sicut forma habet quod sit natura per suam essentiam: ita materia per suam: ergo neutra habet, quod sit natura ab alia: ergo ratio naturæ potest esse illis vnica. Patet consequentia: quia quotiescumque aliqua inferiora participant intrinsecè rationem superiorem, & vnum non pender ab alio, tunc possunt fundare vniocationem: nam tunc ratio illa superior non petit descendere inæqualiter ab illa, sed omninò æqualiter; ac proinde cum omnimoda vniiformitate, & vniocatione.

§ 6. Dicendum tamen est, Rationem naturæ analogicè dici de materia, & forma. Hæc est Arist. in hoc lib. c. 1. ubi docet formam esse magis naturam, quàm materiam. Et hoc idem probat dicens: *Atque natura magis hæc est, quàm materies: vnumquodque enim tunc magis dicitur: cum est actu, quàm in potentia.* Quem locum explicans D. Thom. lect. 2. sic inquit: *Quia vnumquodque magis dicitur secundum quod est actu, quàm secundum quod est in potentia: idè forma, secundum quam aliquid est ens naturale in actu, magis est natura, quàm materia secundum quam est aliquid naturale in potentia.*

Item idem Aristoteles, ut explicet magis hoc ipsum in 5. Metaph. text. 5. dicit formam propriè appellari naturam: at verò materia non dicitur natura, nisi quatenus est susceptiua formæ. Vbi D. Thom. sic habet: *Vnde patet: quod primò, & propriè natura dicitur substantia, id est forma rerum habentium in se principium motus, in quantum huiusmodi: materia enim dicitur esse natura, quia est forma susceptibilis.* Quare cum omnia hæc adstruant analogiam, ut constat, sit inde Aristotelem, D. Thom. esse in nostra sententia. Quam etiam tenent Auerr. in hoc lib. text. 2. Albert. 1. cap. 3. Sirianus apud Simplicium commento 3. Alber. 1. Physico. 1. cap. 3. Conimbricenses in præsentī, & alij quos refert Masius in præsentī, q. 12.

§ 7. Probat ratione, quam inuit Diu. Thom. locis citatis in Logica disput. 5. Nam quod non potest esse species, nec habere actum metaphysicum etiam partialem, ex se non potest fundare conuenientiam vniocam, genericam etiam, in ratione aliqua partiali: quia ratio generica non abstrahitur, nisi ab speciebus; at materia non potest esse species etiam partialis nec habere aliquem actum metaphysicum, si secundum se consideretur. Ergo non potest fundare conuenientiam vniocam genericam in ratione naturæ: ergo neque vllam prorsus secundum istam rationem. Patet hæc vltima consequentia: quia cum materia, & forma sint diuersæ essentialiter in ratione talis, vel talis naturæ, si semel vniocarentur in ratione naturæ, esset utique talis ratio vnioca per modum generis. Minor verò, in qua posset esse difficultas, sane constat: tum ex dictis lib. 1. disp. 3. num. 72. & deinceps, tum in Logica disp. 5. num. 71. & deinceps. Nam cum actus metaphysicus desumatur ab actu physico eo modo, quem iam explicuimus: sit inde ut sicut materia prima secundum se est experta totius actualitatis physicæ: ita sit incapax, si secundum se præcisè sumatur, alicuius actus metaphysici: quare non nisi à forma habet constitui

constitui in aliqua specie positiua, & est capax alicuius actus metaphysici.

38. Secundò probatur ratione, quam etiam innuunt Arist. & D. Thom. loco citato: nam materia non habet, quod sit principium, & causa motus, nisi ratione formæ; ergo nec habet rationem naturæ, nisi dependenter ab illa: ergo ratio naturæ non descendit vniuocè ad utramque. Antecedens probatur: quia materia, verbi gratia, grauis, non inclinatur in motum deorsum aut influit in illum, nisi quia est actiuata per formam grauis. Vnde si actiuaretur forma levis, inclinaret, & influeret in motum sursum: imò neque respectu generationis influit materia, nisi dependenter à forma, ut à fine & termino formali quo generationis: ita ut ab ea habeat in hoc ordine suam causalitatem materialem ut infra disputatione 14. dicemus: ergo, &c.

39. Ad primum initio quæstionis positum responderetur, negando antecedens: quia à materia & forma non potest omnino abstrahi ratio principij influentis in motum, ac proinde illa ratione principij partim conueniunt, & partim, imò simpliciter discriminantur, cuius radicem in prima nostra ratione iam assignauimus: quia materia non est partibilis in duos conceptus, quorum vnus solùm dicat rationem principij, & alius rationem talis principij, quod se habeat per modum actus Metaphysici, respectu prioris cõceptus, quia est expers totius actualitatis. Vnde se tota distinguitur à forma, eo sanè proportionali modo, quo differentia se totis differunt. Ex quo ad confirmationem satis patet. Ad secundum patet ex dictis: quia etsi materia per suam entitatem sit causa motus, id tamen habet cum dependentia iam dicta à forma & ratione illius. Vnde qua ratione est dependens à forma in ratione naturæ, analogatur cum illa analogia attributionis. At qua ratione natura inuenitur intrinsecè in utraque, analogantur analogia proportionalitatis, ut in Logica disp. 10. n. 30. & 34. innuimus.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Utrum natura distinguatur ab arte, & an ars possit efficere opera natura.*

60. **Q**Uoad primam huius quæstionis partem, scilicet distinctionem versantem inter naturam & artem, ratio dubitandi esse potest: quia ars videtur esse principium & causa motus eius, in quo est, & per consequens non distingueretur à natura. Antecedens patet: quia si sumamus duo corpora, alterum planum, & alterum sphaericum, & ex aliquo eminenti loco utrumque deiceremus, tunc sphaericum velocius moueretur, imò & longius percurreret spatium, etiam si æquali impetu ambo corpora proiciantur. At hunc motus excessum non habet corpus sphaericum à natura: quia supponimus omnia naturalia esse in illis æqualia: ergo id habet ab illa artificiali figura: ergo ars & artificialia, ut sic, sunt causa motus.

Confirmatur, quia ars saltandi est causa saltationis; & idè videmus eos, qui illam habent, rectè saltare; secus verò alios: ergo ars erit principium & causa motus eius, in quo est.

61. Nihilominus dicendum est, artem & naturam distingui inter se. Ita Arist. in hoc lib. c. 1. D. Thom. ibidem & cuncti Philosophi. Probatur breuiter, nam ars, vel sumitur pro habitu interno & intellectu, vel pro effectu ipso artificiali ad extra producto: v. g. pro figura & forma illa artificiali domus; sed secundum

*Colleg. Compl. Physic.*

dum utramque rationem distinguitur à natura: ergo & cetera.

Maiores patet. Minor verò quoad habitum intellectualem satis liquet: Tum quia id, quod est natura, debet esse in genere causæ formalis quid corporeum; siue hoc habeat formaliter, siue eminenter; at habitus prædictus est omnino spiritualis. Tum etiam quia natura est substantia, & prædictus habitus est accidens; ac proinde nec facit vnum per se, sicut natura. Tum denique & maxime, quia natura est principium & causa motus, quoad substantiam, secus verò ars, quæ vel nullo modo est principium motus, vel ad summum est principium illius, quoad aliquem modum.

Ex quo etiam eadem minor quoad effectum artificiosum satis constat: tum quia forma artificialis externa, v. g. forma domus, est ad summum quoddam accidens: tum etiam, quia non est principium & causa motus, sicut natura, ut experientia, & ex se constat.

Ex quo ad rationem dubitandi, & eius confirmationem patet: quia ars interna est ad summum principium modi motus, & figura illa artificiali corporis sphaerici, habet per se modum conditionis, respectu velocitatis motus, quæ est modus illius.

62. Sed maior difficultas est quoad secundam huius quæstionis partem: an scilicet ars possit efficere opera naturæ. Nam Albertus Magnus libro tertio de Mineralibus capite nono, Henricus quodlib. 5. quæstione tertia Zimara in tractatu de differentiis Naturæ & Artis, tuerentur partem affirmatiuam. Et probant primò ex illo Exodi septimo, ubi legitur Magos aut Sapientes Ægyptiorum quosdam serpentes per artem magicam edidisse.

Deinde hoc ipsum suadent, nam per artem chemicam potest fieri aurum & argentum verum, ex commixtione aliorum metallorum, facta ad calorem ignis.

Tandem plures ad idem probandum adducunt instantias: nam statua Dædali tali arte confectæ erant, ut huc & illuc ambulantes discurrerent, ut testatur Aristot. 1. Politic. cap. 3. & 1. de Anima text. 44. Et columba Architzæ ita artificiosè fabricata fuit, ut eam volasse referat Gellius lib. decimo Noct. Artic. cap. 12. Et tandem Valer. narrat, fortunæ simulachrum, quod Romæ erat via Latina, bis loquutum fuisse. Quod quidem cum ex vi naturæ fieri non possit, sit inde, quod non aliunde nisi ex magno, & accommodato artificio, quoad hunc effectum constructa erat, talis loquutio proueniret.

63. Nihilominus dicendum est primò. Ars non potest per se, & per veram efficientiam conficere opera naturæ. Hæc est Aristot. in hoc libro capite primo, D. Thom. ibidem, & omnium ferè Philosophorum.

Probatur aperta ratione: nam vel ars efficit opera naturæ per se, & propria virtute, aut solùm efficienter instrumentaliter, ac nullo ex his modis: ergo nullam efficientiam potest habere, per quam immediatè attingat opera naturæ. Consequentia videtur legitima, quia in maiori referuntur omnes modi efficientiæ.

Minor verò, quoad efficientiam principalem satis patet: quia opera naturæ, vel sunt substantiæ, vel accidentia naturalia: ac neutrum continentur in arte formaliter aut virtualiter, ut ex se constat: ergo nequid ad illa propria virtute efficienda pertingere.

Quoad secundam verò partem prob. quia si semel ars attingeret instrumentaliter productionem rerum naturalium, id esset, quia natura vteretur ea, ut virtute instrumentaria: eo sanè modo, quo vtitur calore ad productionem ignis: ac natura non vtitur, nisi virtutibus instrumentariis naturalibus ad suos effectus: tum quia virtus instrumentaria debet esse

*eiusdem*

# 74 Disp. VIII. de causis in comm. Quæst. I.

eiusdem ordinis cum causa principali, qualis non est ars, respectu naturæ; tum etiam, quia forma instrumentaria habet se per modum proprietatis respectu substantiæ agentis per illam, ut patet in calore, respectu ignis quod quidem, respectu naturæ, conuenire, nequit ergo, &c.

64. Dicendum secundò est, licet ars non possit propria virtute, aut per veram efficientiam attingere opera naturæ, potest tamen aliquammodo ad id concurrere applicando actiua passiuis. Vnde illi effectus non fiunt ab arte; sed à naturalibus virtutibus, quæ applicantur. Hæc est D. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 2. ad 1. & D. August. 10. de Ciuitate Dei cap. 11. ubi docet, dæmonum industria plures effectus naturales fieri, & aliquando præter communem causam naturæ. Cuius rationem reddit: quia cum per scientiam illam perfectissimam, quam habent, cognoscant euidenter virtutes naturales rerum, sciunt quoque sic actiua passiuis applicare, ut effectus naturales, quos intendunt, in lucem edant non quidem ex vi artis tanquam causæ effectiuæ; sed ex vi virtutum naturalium, quas applicant. Vnde hanc sententiam docent communiter Philosophi, & Theologi & ideo non est necesse singulos referre.

65. Probatur deinde assertio: tum experientia artis Medicinæ, per quam ita bene solent virtutes naturales lapidum, herbarum, & aliorum humanis corporibus applicari, ut mediis his sanitatem consequantur imò aliquando aded mirabilem, ut prima facie videatur, supra communem rerum cursum fuisse consecutam. Tum etiam ex eo quod experimur in pullis, quorum generatio naturaliter fit medio calore gallinæ onis incubantis, & nihilominus solet industria humana fieri per applicationem quorundam corporum calidorum ad eadem oua.

66. Ad primum ergo initio quæst. positum dicunt aliqui serpentes illos non fuisse veros; sed apparentes. Sed hæc solutio displicet D. August. à Glossa ibidem citato, & D. Thomæ quæstione 6. de Potentia, art. 5. ad 8. Necnon & Origeni, qui unanimiter admittunt serpentes illos fuisse veros, & naturales. Et subdit D. Thom. ibidem dicens: quod ex hoc verissimiliter probatur quia scriptura eodem vocabulo nominat, & virgas Magorum, & virgam Moysis, quam constat verè in serpentem esse conuersam.

Quare responder idem Doctor Angelicus, id fuisse factum operatione, & arte dæmonum: non quidem quia dæmones effectiuè id præstiterint; sed per aliqua semina collecta quæ habebant vim putrefaciendi virgas, & in serpentes conuertendi eas. Vnde his semel applicatis, posuit prædictus effectus in lucem prodire. Quibus etiam non improbabiler addi potest, quod illi serpentes potuerunt aliunde à dæmonibus in tam breui mora illuc adduci ut viderentur de nouo à Magis producti; sed inter has solutiones magis placet ea, quam reddit D. Thom.

67. Ad 2. respond. 1. ex D. Tho. in 2. distinct. 7. qu. 3. art. 1. ad 5. his verbis: *Quedam forma substantiales sunt quas, nullo modo ars inducere potest: quia propria actiua, & passiuia inuenire non potest; sed in his potest aliquid simile facere: sicut Alchimista faciunt aliquid simile auro quantum ad accidentia externa; sed tamen non faciunt verum aurum: quia forma substantialis auri non est per calorem ignis quo viuitur Alchimista; viget virtus mineralis: & ideo tale aurum non habet operationem consequentem speciem, &c. similiter in aliis, quæ in eorum operatione fiunt.* Hæc D. Thom.

Sed quia idem S. Doctor. 2. 2. qu. 77. art. 2. ad 1. satis innuit oppositum, ut docet Caiet. ibidem.

Ideo secundò responderetur cum eodem nihil obef-

se quod per artem chemicam fiat verum aurum; non quidem quia prædicta ars effectiuè attingat illud, sed quia applicat actiua passiuis.

68. sed dices, vsus huius artis, & vendere prædictum aurum pro vero est damnatum ab Ecclesia, in Extrauaganti *Spondes*: ubi etiam declaratur vendentes illud teneri ad restitutionem: ergo tale aurum non est; sed fucatum, & apparens.

Patet consequentia: quia si applicando actiua passiuis posset verum aurum fieri, nec vsus huius artis esset damnatus, nec esset illicitum vendere tale aurum pro vero: ac proinde nulla ex tali venditione consurgeret obligatio restituendi,

Respondetur ex Caiet. ibid. quod licet D. Thom. in responsione ad 1. non reputer impossibile fieri aurum verum per artem: quia tamen nunquam, aut rarò fit; sed sæpius accidit contrarium, non mirum quod Ecclesia vsus prædictæ artis prohibuerit, prudenter iudicans tale aurum non esse verum, sed fucatum: & ita videntem illud pro vero teneri ad restitutionem: quia argumentum desumptum ex communiter contingentibus, non est in rebus moral. exigui ponderis.

69. Ad tertium responderetur, vel motus illos non fuisse veros, sed tantum ibidem interuenisse aliquam illusionem factam à dæmone: vel factos esse media aliqua causa naturali ibidem inclusa & per artem humanam explicata, ut patet in horologio, quod ex vi ponderis, quod habet, & est artificiosè ei applicatum, mouetur continuò: vel tandem processisse à dæmone, qui potest localiter mouere corpora; imò, & applicando actiua passiuis, potest medio aliquo reali motu, in aëre cauare sonum, similem voci articulatae.



## DISPUTATIO VIII.

### DE CAUSIS IN COMMUNI.

**H**ucusque de prima huius libri parte, scilicet de natura egimus: restat ut de illius secunda parte, nimirum de Causis, agamus. Et meritò disputationem hanc de Causis in communi, aliis disputationibus præponimus, quæ de eisdem in particulari agunt: quia ordo & methodus quam Aristot. in hoc opere obseruat, est, ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia procedere.

### QUESTIO I.

#### *Quid sit causat*

**C**ausam esse quis dubitabit? & ideo meritò quæstione *an est*, relicta, à quæstione *quid est*, exordium suminus. Sed pro tituli intelligentia notandum est causam multipliciter sumi, vel nimis amplè, & vulgariter, quo pacto principium, & causa pro eodem sumuntur qua acceptione vsusest Arist. 2. Metaph. c. 2. text. 11. cum priuationem causam appellauit. Vel nimis strictè, prout solum comprehendit id, quod verè efficiendo causat. Secundùm quam considerationem sola causa efficiens habet rationem causæ. Vnde Dion. August. in hoc sensu libro 38.

Quæst.



Quæst. ait: *Omnis causa efficiens est.* Et Plato in Hypia maiori docet quod *Efficiens & causa, in nullo differunt.* Vel tandem medio modo, secundum quem totum comprehendit quatuor vulgata genera causarum. Titulus ergo quæstionis non de causa primo, aut secundo modo; sed ea secundum hanc ultimam considerationem accepta procedit.

*Referuntur & refelluntur diversa sententia  
Iuniorum.*

## S. I.

1. **C**Ausa igitur sic desumpta nullibi à Philosopho definita est: & ideo varij varie ipsam definirunt. Nam in primis Rub. & alij ex Iunioribus causam definiunt dicentes, causam esse *Principium per se, influens in effectum.* Explicanteque eam sic: *principium* ponitur loco generis; & ita ambit etiam priuationem, quæ tamen excluditur per *ly influens*; sicut etiam causæ per accidens per *ly per se*, sed additur *ly in effectum*, ut excludantur diuina persone: quia licet Pater æternus influat *esse* in Filium: & Pater, ac Filius in Spiritum sanctum, non tamen ut in effectum: quia Filius, & Spiritus sanctus non sunt facti.

Et potest bonitas huius definitionis sic suaderi, ex eo quod causa & effectus constituentur per rationes oppositas, & murus sibi correspondentes; ac ratio effectus ut sit, consistit in hoc, quod res illa, quæ effectus dicitur, habeat esse per influxum alterius tanquam causæ: ergo ratio causæ sita erit in hoc, quod influat esse in eandem rem, tanquam in effectum.

3. Cæterum hæc definitio non ita rem explicat, ut parerat: quia quod pater æternus non influat in filium ut in effectum, verum quidem est; non tamen probatur ex hac definitione causæ, ut probari debeat. Ideo enim Pater non influit in Filium ut in effectum: quia Pater causa non est: quod verò causa non sit, ex definitione causæ probari deberet, ostendendo hanc Patri æterno conuenire non posse. Hæc ergo definitio causæ adhuc consideratur.

Explicatur hoc inquirendo: utrum Pater sit principium influens per se in Verbum? Respondebis esse quidem. Quare ergo non est causa? Dices: quia non influit in illud ut in effectum. Sed tunc inquiremus, quid ergo est influere ut in effectum, ut hinc videamus, an Patri talis modus influendi conueniat; Quare, illud, quo, rectè explicueris, quid sit influere ut in effectum, erit definitio causæ, per cuius negationem colligetur, & probabitur Patrem non esse causam.

Declaratur amplius hoc ipsum, idem est per se influere, & non ut in effectum, quod per se influere; & non tanquam causam: ergo erit sensus prædictæ definitionis: causa est principium per se influens tanquam causa. Quæ definitio ut pater nugatoria est. Explicare ergo oportebat, quæ ratio influentiæ, aut emanationis sit ea, qua causa in ratione causæ constituitur, sicque differat à principio perfectissimo, quale in diuinis reperitur, quod licet influat, & verè producat, non tamen causat.

4. Alij, ut hanc difficultatem euadant, inquiunt causam esse, *Id à quo aliquid per se pendet.* Sic Fonseca 1. Metaph. c. 1. q. 1. sect. 3. quem alij sequuntur, Quare sic aliquid influere, ut verè dependat res ab

*Colleg. Compl. Physic.*

influente, est esse causam. Vnde cum Pater æternus non sic influat, ut Filius ab eo pendeat: ideo non est causa rectè: ergo per hanc definitionem explicatur illud per quod causa cæteris aliis principiis distinguitur.

5. Sed adhuc non quiescit animus, quia explicare oportebat quis sit modus ille influendi trahens, aut postulans dependentiam: & ita necessarium erat exponere quid sit vnum dependere ab alio, & quare non sufficiat ad dependendum, quod sufficiat ad procedendum: etenim pendere in esse suo nihil aliud esse videtur, quam non habere illud à se, sed datum & communicatum ab alio: ita ut ab eo semper verum influxum dari debeat, ut semper haberi possit; sed Verbum habet à Patre tam esse essentia, quam esse personale: ita ut semper debeat illi à Patre dari, ut semper illud habeat: ergo si hoc solum requiritur ad causam & effectum, iam Pater erit causa, & Verbum effectus. Non ergo adhuc habemus definitionem causæ, quæ omnino principio verè influenti, & non causanti non conueniat. Quod si hoc non sufficit ad dependendum; debebat addi ibidem aliquid quod immueret, quisnam sit modus influendi trahens secum dependentiam.

*Proponitur sententia D. Thom. una cum ali-  
quibus obiectionibus con-  
tra eam.*

## S. II.

1. **Q**ua propter D. Th. in hoc 2. lib. lect. 10. aliter causam definit, dicens: *Causa est, ad quam sequitur esse alterius.* Quam etiam tradit opusc. 31. circa medium dicens: *Causa est id, ex cuius esse sequitur aliud;* & q. 10. de Potentia art. 1. ad 3. inquit: *Dicimus enim causam, ad quam sequitur aliud.* Quæ definitio desumpta est ex lib. de Causis, & eam etiam tradit Diu. Bonauent. 2. distinct. 20. art. 2. qu. Masius 2. Physic. cap. 3. qu. 2. Tolet. ibid. quæst. 1. Sor. quæst. 3. huius lib. & est communis inter Thomistas.

Cæterum, sicut aliz definitiones nobis displicuerunt: ita hæc pluribus ex Iunioribus non placet: quia censent eam alii à definito competere; siquidem ad priuationem, quæ solum est principium generationis substantialis; & non causa, sequitur generatio: & ad primum punctum lineæ, sicut, & ad auroram dies sequitur. Imò si ad altiora ascendamus, inueniemus, quod ad esse Patris in diuinis sequitur esse Filij: & ad esse vtriusque Spiritus sanctus; & tamen neque Pater respectu Filij, aut vterque respectu Spiritus sancti potest rationem causæ habere.

Quod si eis respondeas cum Toletio, Masio & alijs, *ly sequitur* debere intelligi de sequela Physicæ quæ est per dependentiam vnius ab alio, quæ tamen non reperitur in his, quæ in argumento referuntur.

Contra hoc præterquam quod possunt obijci illa, quæ contra 3. definit. adduximus: nihilominus adhuc obijciunt. Tum quod etiam si intelligatur illa particula de vera dependentia, conuenit priuationi: nam quæ maior dependentia esse potest, quam quod generatio ad eam intrinsecam & transcendentalem habitudinem ad priuationem dicat, ut sine illa neque esse, nec intelligi possit.

G 1

Item

Item quia ab illo, quod per se intrat in definitionem, per se pendet definitum: at per se intrat privatio in definitionem generationis ut lib. 1. diximus: ergo &c. Tum etiam, quia definitio hæc videtur satis obscura, & apta æquivocationi, nam per illud verbum *sequitur*, absque aliquo alio addito non denotetur hæc spiritalis consecutio: inde est ut verbum illud maneat satis obscurum, & æquivocationi aptum, ac per consequens, & ipsa definitio quæ tamen quidpe explicans naturam definiti, debet esse clara & perspicua.

*Profundus sensus definitionis Divi Thomæ  
ernitur.*

### §. III.

1. **S**ed hæc non adeo vrgent, ut propterea sit deservenda definitio à D. T. adducta: & ideo pro eius explicatione notandum est: quod ad rationem causæ indispensabiliter desideratur quod influat in rem cuius est causa, & quoddam influxus sit talis conditionis, ut medio illo res causata verè pendeat per propriam, & rigorosam dependentiam à sua causa: id quod unanimi omnium consensu admittitur. Et ideo, ut supra dicebamus, privatio non est causa generationis entis naturalis, licet sit principium illius; quia non influit: & Pater æternus, licet influat in Filium, quia tamen Filius non pendet à Patre medio tali influxu, propterea nec Filius est effectus, nec Pater causa.

Cæterum ad hoc, ut ille influxus sit talis, ut medio illo adsit prædicta dependentia necessariò requiritur, ut illud *esse*, quod per se primò influit causa, sit saltem distinctum numericè ab *esse*, quod est in eadem causa Cuius ratio est: quia sicut Deus præcisè, quia est ens à se, id est, ab alio omnino independentens, habet quod non indigeat influxu ab alio, à se essentialiter, siue specificè, siue numericè distincto: & ideo contra rationem huiusmodi independentiæ non est quoddam una persona divina procedat ab alia; quia utraque est eiusdem prorsus essentiæ: ita dependentia, quæ ex diametro opponitur omnimodæ independentiæ, habet ex vi sua, ac proinde, ut per hoc nomen significatur, quod indigeat influxu alterius habentis essentiæ, vel specie, vel numero saltem distinctam.

Quæ omnia eleganter docuit D. Th. 1. p. q. 33, art. 1. ad 1. dicens: *Vnde hoc nomen causa videtur importare diversitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij; in quibus enim causa generibus semper invenitur distantia inter causam, & id, cuius est causa secundum aliquam perfectionem, aut virtutem & concludit: hoc non habere nomen principij.* Et hoc ipsum docet qu. 10. de Potentia, art. 1. ad 8.

Hoc igitur supposito satis constabit, quàm legitima sit definitio, quam Doct. Angelicus tradit, & quam subtiliter & proprie explicet id, quod aliæ definitiones non explicabant; nimirum quis sit ille proprius modus influendi causæ, qui prædictam secum affert dependentiam, Nam cum S. Th. inquit causam esse ad quam sequitur esse alterius, vel ad cuius esse sequitur aliud: *ly sequitur* non de qualicumque consecutione sed de consecutione per influxum intelligitur. Cum verò additur *ly esse alterius*, vel *ly sequitur aliud*, denotatur, quod tale esse debet esse specificè vel nume-

ricè distinctum: ac proinde explicatur modus ille proprius influendi, quem habet causa, quippe affert dependentiam rei causatæ à sua causa.

8 Ratio autem ob quam per *ly aliud*, vel per *ly alterius* denotatur, quod esse quod modificat, debeat esse modo dicto distinctum, sumitur ex eodem D. Th. 1. p. qu. 31. art. 2. ad 4. ubi ut doceat, quod *ly aliud*, dicat distinctionem in essentia; secus verò *ly aliud*, sic ait: *Neutrum genus est informe: masculinum autem est formatum & distinctum, & similiter femininum, & ideo convenienter per neutrum genus significatur essentia communis; per masculinum autem & femininum aliquod suppositum determinatum in communi natura.* Vnde etiam in rebus humanis, si queratur quis est iste? Respondetur Socrates. Si autem queratur quid est iste? respondetur animal rationale: & ideo, quia in divinis distinctio est secundum personas, non autem secundum essentiam, dicimus quod Pater est aliud à Filio sed non aliud: & e converso dicimus quod sunt unum, sed non unus. Hucusque S. Doct.

Quare cum *ly alterius* etiam sit informe: quia deseruit tam pro masculinis, quàm pro femininis, quàm etiam pro neutris; & ideo omnia hæc includit, sit inde, ut si iuxta mentem & doctrinam D. Th. & proprietatem sermonis loquamur, quod per hoc, quod dicatur de causa *esse eam*; quam sequitur esse alterius, vel ad quem sequitur aliud, denotatur, quod esse subsequutum per verum influxum ab ea, debet esse saltem numericè distinctum: ac proinde explicatur modus ille proprius influendi, quem habet, & medio quo id, quod ab ea procedit, pendet ab ipsa: cum tamen hoc per cæteras definitiones non explicetur.

Sed dices causa finalis est vera causa: ut infra dicemus & tamen aliquando non habet essentiæ distinctam specie, aut numero, à suo effectui, ut cum quis amat præcisè ob bonitatem, quæ est in actu amoris; ubi ipse amor simul est causa & effectus in genere causæ finalis: ergo, &c.

Respondetur, quod ut infra disput. de causa finali dicemus, finis, *cuius gratia* nunquam causat, nisi ut constituit unum & eundem finem cum fine cui; at talis finis ex utroque coalescens, & secundum se totum causans satis ut pater, distinguitur ab effectui, scilicet ab illo actu amoris. Sed hæc amplius loco citato dilucidabuntur.

*Diluuntur aduersariorum oppositiones.*

### §. IV.

6. **A**D primum ergo contra definitionem D. Tho. adductam bene respondetur ibid. Et ad primam impugnationem desumptam ex his, quæ contra definit à Rubio adductam obijciamus, patet ex dictis: quomodo etsi Pater æternus influat in Filium: ac proinde ad illum sequatur esse Filii, nihilominus non sit causa, quia ad illum non sequitur esse alterius, quoniam eadem numero est essentia, & esse utriusque. Nec refert si dixeris: quod Pater communicat esse personale Filio, quod tamen est quasi specificè distinctum ab esse personali Patris, propter oppositionem relativam, quæ est inter utrumque. Nam prædictum esse personale non est terminus formalis generationis divinx; sed esse naturæ. At ad veram dependentiam & causalitatem, quæ ex termino formali desumenda est, requiritur, ut terminus formalis communicationis sit essentialiter modo distinctus ab ipsa causa.

10. Ad

10. Ad 2. verò probat. constat etiam ex dictis: nam in primis privatio excluditur per ly *sequitur*: quia intelligitur de sequela per influxum. Item eadem privatio etiam excluditur per ly *esse alterius*: qui ad privationem, etsi sequatur fieri alterius: quia est principium entis naturalis in fieri; non tamen *esse alterius* si præcisè, & omninò formaliter loquantur: quia non est principium efficiendi: ceterum, causa præcipuè influit in esse. Deinde ad id, quod additur, scilicet definit. Dr Th. manere obscuram, quia ly *sequitur* non magis significat sequelam per influxum, quam quamvis aliam sequelam, dicendum est, satis esse, quòd apud Doctores sic communiter intelligatur, & in hoc sensu communiter circumferatur; maxime quia hic modus sequelæ per influxum est valde notus.

Imò hinc etiam manet unico verbo solutum fundamentum illud, quod pro definitione Rubij adducebamus; nam etsi verum sit causam esse in ordine ad effectum, & è contra, ut tamen aperte sciatur, in quo consistat hic ordo, & quid sit causam respicere effectum ut effectum, & è contra, oportebat explicare id, quod in illa definitione ne non est explicatur, scilicet quis sit ille modus influendi, qui est proprius causæ, & terminatur ad effectum ut talem.

## Q V A E S T I O II.

### Quotuplex sit causa.

SEmel explicata quidditate causæ, merito ad eius multipliciter declarandam accedimus. Quamvis autem Aristoteles, & eius schola quatuor solummodo causarum genera agnoscat, scilicet materialem, formalem, efficientem, & finalem: quia tamen apud antiquos Philosophos magna fuit dissensio circa causarum numerum; nam alij existimabant esse plures quàm quatuor prædictas, alij verò esse pauciores: idè non duplici argumentorum genere contra Aristotelis doctrinam, & in favorem antiquorum utemur; quibusdam quidem ut probemus esse pauciores; quibusdam verò ut ostendamus esse plures.

### Adducuntur rationes dubitandi.

#### §. I.

11. ET sanè videtur (ut sic à primo argumento-  
rum genere exordiamur) causas non esse tot, quot ab Aristotele enumerantur. Nam in primis forma non potest esse causa: quia repugnat eandem rem simul esse causam, & effectum respectu eiusdem actionis, at forma est effectus generationis, cum educatur per illam de potentia subiecti: ergo non potest exercere causalitatem respectu eiusdem generantis: ergo nec respectu compositi, nam quod est causa generationis rei, neque etiam erit causa necessariò requisita ad esse talis rei: aliàs sine illa fieri non posset, & ex consequenti debet à numero causarum excludi: cum non sit aliud, respectu cuius sit causa.

Secundò quia etiam videtur materiam non posse esse causam materialem; quia causa debet esse vel æquè perfecta, vel perfectior suo effectui, ut quæstione sequenti dicemus; at materia imperfectior est toto composito respectu: cuius dicitur esse causa: ergo nequit habere rationem causæ. Minor ex se

Colleg. Compl. Physic.

constat quia totum totam materiæ perfectionem, & aliquid amplius includit, scilicet perfectionem formæ. Quod argumentum etiam videtur probare, quòd nec forma (si sigillatim, & ut forma est, sumatur) possit esse causa: quia totum, respectu cuius poterat esse causa, est perfectius quàm illa; quippe quod includit ipsam; insuper addit materiam.

12. Ex alia verò parte ut sic secundo argumentorum genere utamur) videtur causas plures esse quàm quatuor prædictas. Nam in primis instrumenta, verbi gratia artis, sunt vera, & realis causa: quoniam ab eis per se pendet effectus. Sed non sunt causa materialis, vel formalis; cum non component intrinsecè res artificiales: neque efficiens; quandoquidem hæc, ut dicemus, est id, à quo per se primò incipit motus, quod ut ex se constat, neque convenire instrumentis: neque etiam sunt causa finalis: cum non sit effectus ob instrumentum, sed potius è contra: ergo.

Secundum est: nam exemplar, vel idea est causa rerum, quæ ab arte sunt: si enim non adesset, nec artefactum fieri posset. At non est causa formalis, materialis, vel finalis propter rationes in præcedenti argumento adductas: neque efficiens: tum quia nullus motus est principium, ut videmus in exemplari externo: tum etiam: quia actio artis est actio vitalis: exemplar autem non est principium vitale: siquidem est accidens extraneum, & denuò acquisitum, proindeque in se vitam non habens. Non ergo actionis vitalis principium esse potest.

Tertio, nam obiectum scientiæ est causa illius; quippe quod speciem illi tribuit; at non est materialis, formalisve, ob rationem iam tactam, neque efficiens: tum quia aliquando est ens rationis, ut patet in Logica: tum etiam, quia obiectum ut tale solum habet terminare habitudinem scientiæ ad ipsum: neque etiam est causa finalis: quia nullius rei essentia secundum se sumpta pendet à fine: sicut neque ab efficienti, cum hæc duæ causæ non respiciant effectus; nisi vel quatenus actu producuntur vel ut producibiles sunt, quod quidem est affectio, seu quid posterius rerum essentias consequens; non verò ipsa essentia.

### Expeditur quæstio.

#### §. II.

13. Nihilominus dicendum est, tantum esse quatuor genera causarum, scilicet materialem, formalem, efficientem, & finalem. Hæc est philosophi in hoc lib. cap. 3. D. Thom. ibidem & opuscul. 31. Vbi hoc explicat, & probat ex professo, & tandem omnium Peripateticorum: & idè superuacaneum esset singulos referre. Et licet assertio nostra pluribus posset confirmari rationibus: quia tamen satis est manifesta, & ut diximus ab omnibus recepta: idè hac unica ratione ex D. Thom. opuscul. citato desumpta, eam suadebimus.

14. Composita naturalia non possunt ex nihilo fieri, cum per vim naturæ ex nihilo nihil fiat: sicut ergo ex aliquo præsupposito; sed hoc quod eorum effectui præsupponitur, & ex quo sunt ex materia. dabitur ergo materialis causa. Rursus materia est pura potentia nullum habens in se actum; proindeque per se non potest dare speciem: & complementum substantiale, quod naturalia compositi habent: dandum ergo est aliquid, quod compleat, atque tale compositum; Hoc autem non potest esse aliud, quàm forma: ergo erit etiam admittenda causa formalis. Deinde nulla res seipsam efficere potest, alioquin esset antequam esset: ergo præter causam formalem

G 3

88

& materialem debet necessariò causa efficiens admitteri : quæ compositum illud producat. Vtèrius, omne efficiens nisi casu, & temere agat, debet operari ob aliquem finem, qui illum ad talem operationem alliciat : concedenda ergo erit finalis causa. Vltra hæc autem nihil aliud desiderari potest ad hoc ut fiat ens naturale, quod inter omnia entia maximè compositum est proindeque à pluribus causis pendet: ergo nulla alia causa præter dictas etiam in aliis assignanda est.

*Solutio rationum dubitandi.*

§. III.

15. **A**D primum ergo argumentorum genus, quod initio huius quæstionis adduximus, respondetur iuxta doctrinam Diui Thomæ opuscul. 3. quod est vnum, & idem non possit secundum eandem rationem esse effectus, & causa alicuius actionis: bene tamen secundum diuersas. Vnde forma ut actu, & in executione sit per generationem, est effectus: ut verò est formalis terminus generationis per se à natura intentus, rationem finalis causæ habet: imò ut ad compositum comparabilis est, hoc ipso, quod ipsum formaliter constituit, non potest non esse causa formalis respectu illius: aliàs nec esset terminus ad quem generationis: nam hæc ratio illam præsupponit necessariò.

16. Ad secundum respondetur: totum dupliciter posse considerari: vel secundum esse, quod præcisè habet à forma, vel à materia, vel ab alia quauis causa; ita ut totum, & totaliter ab ea procedat, vel secundum illud, quod participat ab omnibus simul: quæuis enim causa aliquid dat per se primò composito, quod alia ei non communicat. Materia namque tribuit esse materiale, & forma esse formale. Dicimus ergo, quod ex si demus quamuis causam debere esse, vel æquè perfectam, vel perfectiorem suo effectui secundum illud esse, quod ab ea per se primò totum, & totaliter accipit, non tamen necesse est ut vnica causa intrinseca secundum se considerata tantam habeat perfectionem, quantam suus effectus, tam ab illa, quàm à cæteris aliis causis participat. Vnde totum priori modo consideratum non est perfectius forma, neque ut sic dicitur esse, quod ei à materia provenit.

Sed vrgebis: esse formale, quod à forma in totum derivatur, etiam est perfectius, quàm forma ipsa: rursus ergo solutio tradita. Antecedens patet: effectus formalis dicit ipsam formam, &c. insuper addit vnionem; sed perfectior est forma cum vnione, quàm sola forma: ergo, &c. Respondetur, formam secundum se, virtualiter, & eminenter continere vnionem, ut ex parte eius se tenet, ac proinde saltem intensiue esse æquè perfectam ac suum effectum.

17. Superest respondere ad secundum genus argumentorum, quibus probari intendebatur, causas esse plures, quàm quatuor enumeratas. Ad primum dicimus: instrumenta reduci ad causam efficientem. Vnde nihil refert quod illis non conueniat esse id, à quo primò incipit motus; quamuis hæc esset definitio efficientis: quia ibi solum definitur directè principale efficiens, ei autem, cui reductiue ratio causæ conuenit non est necesse ut ita exactè definitio illi adapteretur.

Ad secundum respondetur: exemplar vel pertinere ad causam efficientem, vel finalem, vel ad formalem: non quidem intrinsecam, sed extrinsecam; ita tamen quod si semel sit causa formalis, non pertineat solum reductiue ad hoc genus; sed per se, & directè habeat constituere diuersum caput causæ formalis ab eo

quod forma intrinseca constituit. Vtrum autem omnes hi causandi modi, vel aliquis specialis ex tribus dictis, conueniat exemplari, suo loco dicemus.

Quod si obijcias: si semel dicitur, exemplar pertinere ad causam formalem modo dicto, iam dabitur quintum genus causæ, quod quidem contra Aristotelem, & nostram assertionem pugnat.

Respondetur negando sequelam: illa enim diuisio causæ in quatuor causarum genera, non est diuisio in membra infima, & atoma; sed est similis ei, quæ genus aliquod in suas species subalternas diuiditur, in qua membra diuidentia subdividi possunt in alias species. Vnde causa efficiens iterum partitur in primam, & secundam, in vniuocam, & æquiuiocam, &c. Quod idem de fine cum proportionem dicimus: & idè etiam causa formalis ut sic potest iterum diuidi in plures quasi species causarum formalium. Quare cum communiter dicitur, quod illa est causa formalis, quæ dat esse rei, *ly, dare esse*, abstrahit suo modo ab hoc, quod est dare illud, siue intrinsecè, siue extrinsecè: sed de hoc latius infra.

Ex quo ad vltimum dicendum est, obiecta scientiarum pertinere ad causam formalem, non quidem intrinsecè, sed extrinsecè eadem mensurantem. Nec refert, quod illis notio causæ formalis ab Aristot. in hoc lib. cap. 23. text. 18. tradita, simpliciter non accommodetur, non enim ibi causa formalis in tota sua significationis amplitudine sumitur.

Q V Æ S T I O III.

*Vtrum omnis causa sit perfectior suo effectui.*

18. **P**RO huius quæstionis decisione notandum est, quod licet effectus comparari possit, vel cum omnibus causis simul sumptis, vel cum solis intrinsecis, aut tantummodò cum extrinsecis, non decidemus quæstionem hanc comparando effectum, non cum omnibus causis simul acceptis, sed cum eisdem sigillatim sumptis. Est enim res per se euidens, effectum non posse omnium causarum excedere perfectionem, quandoquidem nihil perfectionis habet, quod non participauerit à suis causis sic acceptis, proindeque tota illius perfectio in eis, vel formaliter, vel virtualiter præesse debuit, imò non solum causæ erunt æquæ perfectionis cum effectui, sed eundem in illa superabunt, cum inter causas omnium generum, à quibus habet dependentiam, Deus ipse continetur.

*Diciditur quæstio quoniam causas intrinsecas.*

§. I.

19. **C**onferendo igitur effectum cum suis causis intrinsecis, materia scilicet, & forma, dicendum est primò, esse æquæ omnino perfectionis cum illis simul sumptis, & actu causantibus. Hæc est Aristot. & D. Thom. locis citatis in 1. lib. disp. 6. quæst. 4. & omnium Doctorum quos 4. ibidem pro nostra sententia adduximus.

20. Probatum clarè: tum quia effectus non habet aliunde formaliter, siue entitatiue perfectionem, nisi ab eis causis, esse perfectior illis; aliàs enim excederet eas in perfectione, abique eo quod in illo esset aliquid, unde ei accresceret talis imperfectionis excessus. Tum etiam, quia ut disputatione 6. dictum

Etiam est, totum non distinguitur à suis partibus vni-  
ris, nisi totum ratione; eo scilicet proportionali  
modo; quo definitum, & definitio. Ergo neque  
hæ causæ sic sumptæ superabunt in perfectione effe-  
ctum neque è contra: sicut nec definitio quidditati-  
ua definitum.

21. Ex quo infertur id, quod etiam supra quæ-  
stione præcedenti diximus; quod si effectus secun-  
dum totum id, quod habet ab his causis simul accep-  
tis, compareretur cum singulis earum erit excellentior  
qualibet cum ex neutra harum habeat intrinsecè per-  
fectionem suam totam, & totaliter. Idèoque merito  
affirmamus, totum esse substantiam simpliciter com-  
pletam: partem verò quamlibet esse quid incomple-  
tum.

Dices, quando hic effectus est aliquod accidentale  
compositum non est necesse, ut totum illud excedat  
in perfectione materialem causam per se sumptam:  
quandoquidem solum poterat illam separare ratione  
accidentalis formæ: hæc autem cum sæpe eminenter  
soleat in substantia contineri, fiet indè, ut ad minus  
ita perfectè in ea secundum se sumpta, quàm in com-  
posito illo sit. Respondetur: quod si aliquando tota  
hæc perfectio in materiali substantia contineretur (de  
quo nihil modò) illud certè ei conueniret, non ut  
materialis causa est, sed alia superiori, & eminentiori  
ratione. Vnde semper saluatur materialem causam sic  
formalissimè sumptam numquam adæquare totius  
compositi perfectionem.

Urgebis: licet hinc sequatur totum compositum  
esse perfectius materia: quia supra illam perfectio-  
nem aliquam addit non tamen quod maiorem ha-  
beat perfectionem, quàm forma, ex eo quod supra  
illam addat materiam: nam cum hæc sit radix, &  
origo omnium imperfectionum, quæ in materiali  
substantia totali inveniuntur, non idè censei debet  
perfectius quàm ipsa forma, ex eo quod addatur ma-  
teria: imò absolutè ignobilior erit cum sola forma  
sit simplicior, ac purior, & carens permixtione po-  
tentiz, & consequenter magis sit libera ab imperfe-  
ctionibus.

Confirmatur: res creatæ ed sunt perfectiores, quod  
magis Deo assimilantur; sed forma quæ tota actus  
est, similior est Deo, qui purissimi actus rationem ha-  
bet, quàm totum compositum quod actus est, & po-  
tentia: ergo erit illo nobilior.

22. Respondetur: quod etsi materia sit radix, &  
origo multarum imperfectionum: cum omnis imper-  
fectio ex aliqua potentialitate, & indigentia pro-  
ueniat: nihilominus aliqualet, etsi valdè diminu-  
tam, habet perfectionem quippè quæ vera entitate  
substantiali gaudet. Vnde etsi paritas à materia, nec-  
non & simplicitas arguat maiorem perfectionem;  
cum res illa habet essentiam completam, & in seipsa  
subsistit: non tamen quando est quid incompletum  
vel in alio subsistens: maximè si conferatur cum  
toto illo, in quo tota eius clauditur perfectio, &  
aliquid aliud additur. Quare cum tota formæ per-  
fectio in toto sit, & insuper perfectio materiæ adda-  
tur, fit inde ut hoc perfectius, & nobilior sit quàm  
forma.

Ad confirmationem respondetur: quod licet for-  
ma quæ est actus subsistens, & substantia completa  
sit similior Deo, quàm compositum substantiale Phy-  
sicum, non tamen forma quæ modum essendi per  
se non habet, vel est incompleta in genere substantiæ:  
quia quod excellentissimum est in actu purissimo, non  
est esse actum utcumque; sed actum talis conditio-  
nis ut nullo modo indigeat alio, ut sit, habeatque  
omnem essendi plenitudinem, in hoc autem totum  
substantiale magis assimilatur Deo, quàm forma

quippe quod habet completè & simpliciter rationem  
substantiæ.

Adde quod licet daremus in id quod est actus, esse  
similius Deo, quàm, id quod non est solus actus;  
sed constat etiam ex potentia id tamen intelligen-  
dum est de eo, quod ita est; aut claudit potentiam,  
ut non habeat etiam in se illum actum; nam si hunc  
in se incluserit, & insuper potentiam, tunc tantam  
similitudinem habebit, quantam actus & insuper  
aliquid aliud maioris similitudinis ratione potentiæ:  
quarenus aliqualem importat perfectionem, & enti-  
tatem substantialem. Et hæc de compositione effectus  
cum causis intrinsecis.

*Expeditur difficultas quoad causam efficientem.*

## § II.

**R**estat ergo ut de effectui in comparatione ad cau-  
sas extrinsecas, efficientem scilicet, & finalem  
& primò de efficiente aliquid dicamus.

23. Dicendum ergo est secundò, Si effectus cum  
causis efficientibus conferatur, aliquando perfectior  
aliquando imperfectior; aliquando verò æquæ per-  
fectionis est secundum triplex genus efficientis causæ;  
quod distingui potest. Hæc est D. Thom. ut iam di-  
cemus & valde communis inter Doctores idèoque  
nullus in particulari referendus est. Declaratur & pro-  
batur assertio: nam inter causas efficientes accipiendo  
largius nomen efficientis, triplex genus causæ potest  
distingui nam aliæ sunt instrumentales; aliæ princi-  
pales: & hæc rursus, aliæ sunt vniuocæ: aliæ verò  
æquiuocæ, ac causæ instrumentales sunt imperfectio-  
res effectui, & causæ principales vniuocæ sunt eiusdem  
perfectionis cum illo: sicut & æquiuocæ principales  
excedunt ipsum: ergo, &c.

Maior est certa apud Doctores minor verò quo-  
ad primam illius partem, scilicet quoad causam in-  
strumentalem, est D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. art.  
4. quæstiunc. ad 3. Et insuper suadetur ratione: nam  
instrumentum in quantum tale non attingit propria  
virtute effectum, sed per elevationem à principali  
agente, & ita ut tale, est imperfectius quàm effe-  
ctus alioqui ad quid indigeret elevatione? Quoad  
secundam verò, & tertiam partem, eadem minor  
ostenditur quia causa vniuoca est illa, quæ producit  
effectum eiusdem rationis cum illa, & consequenter  
eiusdem perfectionis, & causa æquiuoca est illa, quæ  
continet eminenter effectum, & ita habet eminenti-  
us esse, quàm effectus in eadem contentus: ut no-  
tauit D. Thom. 1. parte, quæstione 4. articulo 1. ad  
3. & quæst. 6. art. 2. in corpore, & in 4. dist. 5. q. 2.  
art. 2. quæstiunc. 1.

Obiicies primò, D. August. lib. 83. quæst. q. 2.  
dixisse: omne quod fit, ei, à quo fit, par esse non  
posse. Respondetur, intelligendum esse de æqualitate  
in omnibus, quod sanè indubitatum est: quia ad mi-  
nus causa habet excellentiam hanc supra effectum, ut  
effectus ab illa; non verò ipsa ab effectui dependens sit

Secundò, è contra obiicies, sæpe effectum superare,  
in perfectione suam causam: nam homo tardi ingenij  
multoties producit alium ingenij perspicacis. Item  
species intelligibilis est causa intellectus intellectus  
autem, cum sit actus vitalis, excedit in perfeccio-  
ne prædictam speciem, quæ est, ut sic dicamus, quid  
exanime.

Confirmatur primò: animal minus perfectum ge-  
nerat aliud perfectioris speciei, ut cum mulus gigni-  
tur ex accessu asini ad equam.

Confirmatur secundò: nam animalia imper-  
fecta, quæ generantur ex putrefactione ut mures,  
G 4



& vermes producantur à virtute cælorum : neque enim est alia particularis causa , à qua principaliter producantur ; neque cælum, neque eius virtus est adeò perfecta sicut forma muris, quæ est forma vitalis; at per consequens altioris & eminentioris ordinis, quàm quævis forma non vitalis, qualis est forma cæli: ergo hi effectus sunt perfectiores suis causis.

24 Respondetur negando antecedens. Et ad primum exemplum dicendum est : quod si quis inuentur excessus in perfectione substantiali animarum, ut in perfectione entitativa intellectus, producitur à Deo, cuius proprium est animas creare. Cæterum excessus, qui inuentus fuerit in meliori disputatione organorum, &c. oritur ex concursu aliarum causarum simul concurrentium cum homine, aut à proprietatibus locis natiuitatis, à sole, à benigno aspectu siderum, &c. imò & ex influxu Dei qui vna cum cæteris causis concurrat.

Vnde in hoc sensu asseruit D. Thom. 3. contra gen. cap. 84. posse esse verum illud Prolomæi in centiloquio: cum fuerit Mercurius in natiuitate aliquis respondens domui Saturni, & ipse fortis in influxu suo dat bonitatem intelligentiæ medullitæ. Et Hypocrates asseruit, prudentiores esse qui ad meridiem spectant, quàm qui ad Aquilonem. Quapropter ad rationem causæ vniocæ solum spectat, ut producat effectum eiusdem speciei cum ipsa.

25 Ad secundum exemplum respondetur, speciem intelligibilem non se sola; sed vna cum intellectu, & illi subordinatam concurrere; & idè satis est, quod ille excessus perfectionis contineatur in intellectu.

Ad primam confirmationem respondent aliqui semper aliquod ex his generantibus esse æquè perfectū ac fortū, quæ ab utroque generante quasi ab vna causa integra, seu ex duobus illis principiis integra procedit.

Sed licet hæc solutio non sit improbabilis, non tamen coheret cum his, quæ docet D. Thom. 3. parte, quæst. 32. artic. 4. & 1. 2. quæst. 85. art. 5. & Arist. 2. de generat animalium cap. 1. scilicet solum masculinum concurrere per modum principij actiui in generationibus animalium: nam sæpè in generatione muli brutum concurrere per modum masculini, est minus perfectum.

26. Quare dicendum est: Deum supplere suo concursu defectum illum causæ particularis: quia in similibus occasionibus, quando non apparet causa particularis sufficiens spectat ad authorem naturæ prædictos defectus supplere.

Ad secundam confirmationem respondetur ex D. Thoma 1. p. qu. 45, art. 8. ad 2. nec non & de Potentia, quæst. 3. artic. 11. ad 12. & ad 13. & 1. parte, quæst. 78. art. 3. ad 3. vbi sic ait: *Ad tertium dicendum, quod corpus celeste, cum sit mouens motum, habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis: & idè ex virtute sui motoris, qui est substantia viuens, potest causare vitam: quare non mirum quod eam in animalibus imperfectis instrumentaliter causet, siue hoc viuens, in cuius virtute causatur, sit Angelus, siue Deus, ut loquitur D. Thom. quæst. citata de Potent ad 13. Ratio verò, ob quam cælum non possit saltem naturaliter concurrere ut instrumentum ad animalia perfecta, tangitur eleganter ab eodem S. Doctore locis citatis, vbi videri potest. Quæ quia ad præsens non intèret: idè consultò omittitur.*

*Resolutio questionis quoad causam finalem.*

### §. III.

27. **D**icendum est terriò. Res quæ est causa finalis interdum est nobilior simpliciter suo

effectu; interdum ignobilior, interdum denique æquæ perfectionis. Primum patet nam cum nos aliquam honestam actionem exercemus, tunc illam in Deum ut in finem vltimum dirigemus, qui, ut constat est infinitè nobilior illa secundum verò inde liquet: quia sæpè nobilissimas actiones exercemus propter pecuniam; imò etiam actus alios valdè bonos in per simos ordinamus fines ut patet in eo, qui sacrum audit, ut foretur. Vltimum verò patet: nam sæpè effectus coincidit cum eodem fine: ut cum quis contemplatur præcisè, ut contempletur: tunc autem satis constat rem quæ est finis, seu *id quod est finis cuius gratia*, & effectum esse æquæ omnino perfectionis.

Quod si dicas: Causa debet continere perfectionem sui effectus, quandoquidem quidquid perfectionis est in illo ut tali habet à sua causa ergo finis non potest esse ignobilior suo effectui.

Solutio huius petenda est ex diuersitate, quæ intercedit inter causam efficientem, & finalem, & earum causalitatem nam efficiens operator per realem, & naturalem formam prout in acta simpliciter est, & eius causalitas est propriissimus influxus, idè quæ ipsa continere debet effectum, vel formaliter, vel virtualiter: non enim naturales formæ, seu virtutes alium habent continendi modum. Vnde æquè, vel maioris perfectionis debet esse, quàm effectus finalis verò causa non nisi per metaphoricam causalitatem causat, ut suo loco dicemus; mouet enim alliciendo voluntatem ad sui amorem, & desiderium, quocirca non est necessarium, ut formaliter, vel virtualiter proprius effectus secundum esse naturale contineatur; sed satis est, si aliquam, habeat bonitatem, ratione cuius allicere possit ad executionem illius.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum omnis causa sit prior suo effectui.*

28. **P**ro tituli intelligentia notandum est, duplicem esse quoad præsens attinet prioritatem aliam *in quo*, aliam *à quo*, ut ex D. Thom. opusc. 31. & 2. Physic. lect. 6. colligitur. Illud est prius prioritate *in quo*, quod in illo priori in quo præsupponitur ad aliud, verè est sine illo: & ad hanc prioritatem reducitur prioritas *in quo* secundum rationem, quando nimirum aliqua duo sunt in instanti reali: at tamen in illo instanti distinguimus plura instantia rationis, in quorum primo intelligitur existere illud quod dicitur prius nondum in eo quod posterius est, existente; sed solum in posteriori. Quo pacto Deus intelligitur prior suis actibus liberis: & similiter Angelus respectu actus liberi, quem in primo instanti habuit.

At prioritas *à quo*, quæ etiam prioritas naturæ, seu causalitas solet nuncupari, est prioritas independentiæ. Vnde illud à quo aliud pendet, in aliquo genere causæ dicitur esse prius, & id quod ab alio sic pendens est, dici solet posterius, & si vtrumque in eodem instanti reali, imò & in eodem signo rationis, sit. Vnde non valet hæc consequentia *A* est prius natura *B* ergo in illo priori *A* est sine *B*; sed sic debet inferri: ergo *B* pendet ab *A*, non verò *A* à *B*. Quo duo prioritatis genera maximè notanda sunt: ex eis enim plurimum, & grauissimarum quæstionum, tam in Philosophia quàm in sacra Theologia resolutio pendet Titulus ergo quæstionis, etsi præcipuè de prioritate *à quo* procedat, non nihil tamen de prioritate *in quo* dicitur, ut sic omnia, quæ hic occurrere solent diluantur.

*Quid*

*Quid sentiat Soncinas.*

§. I.

29. **P**artem negativam tenuit Soncinas §. Metaph. quæst. 7. Probatur primò : causa, & causatum sunt relativa : ergo nullum illorum est prius alio. Consequentia patet : quia relativa sunt simul natura. Et antecedens probatur : quia totum esse causæ est in ordine ad effectum : quoniam sine illo intelligi non potest, & si sit causa actu causans, nequit sine illo à parte rei inveniri : ut ex infra dicendis patebit : ergo sunt relativa.

Secundò, quia minus causa materialis, & formalis non sunt priores suo effectui scilicet composito, quod sic ostenditur : nam si quæ prioritas, & posterioritas inter causam, & effectum, debet esse realis : quia convenit illis ratione realis causalitatis secundum quam causa realiter influit in effectum : inter causam materiale, & formalem ex vna parte, & inter earundem effectus ex alia nequit esse realis prioritas, & posterioritas : ergo nulla. Minor probatur : nam ad realem prioritatem, & posterioritatem requiritur realis distinctio inter causam, & effectum : nam idem realiter non potest esse realiter prius, & posterius seipso ; at effectus causæ materialis, & formalis non distinguitur realiter ab illis ut unitis, seu actu causantibus, cum effectus materiæ sit eadem materia ut unita, & materia actu causans dicat eandem materiam, & unionem, ex dictis primo lib. disp. 6. n. 61. constar.

Tertiò : nam omne, quod est prius natura quàm aliud, potest ab ea naturaliter separari : nam prioritas naturæ est prioritas independentiæ, ut dicebamus, & quod ab alio independens est, nihil obest, ut ab eo naturaliter separetur : ergo si materia, & forma materialis sunt priores natura quàm compositum, poterunt ab eo etiam naturaliter, disungi, & in rerum natura permanere ; at hoc est falsum ; ut ex disp. 3. n. 70. constar.

Confirmatur : omne quod, aliud in perfectione superat, est prius illo secundum naturam, ut testatur Arist. cap. de priori in postprædicamentis. At totum, ut supra diximus est quid perfectius singulis causis intrinsicis : ergo & erit prius quàm illæ. Ergo cum totum sit effectus tam materiæ quàm formæ, tam effectus harum causarum non erit posterior illis

*Quid in hac re dicendum sit.*

§. II.

30. **N**ihilominus dicendum est, omnem causam causantem, seu in actu secundo consideratam esse prioritate naturæ, & à quo priorem, quàm suus effectus ; non tamen prioritate reali in quo. Hæc est Arist. in hoc lib. & D. Th. ibid. lect. 6. quos sequuntur omnes Philosophi, vno Soncinæ excepto ; & idè necesse non est singulos referre.

Probatur assertio quoad primam partem : quia omnis effectus pendet à sua causa actu influente : quando quidem ab ea accipit suum esse ; at causa non pendet à suo effectui ut talis ergo omnis causa ut actu causans est prior natura quàm effectus. Patet consequentia quia ut supra diximus prioritas naturæ solum est prioritas independentiæ.

Deinde quoad secundam partem sic ostenditur : quia causa est in actu per hoc, quod actualiter influit ; non potest autem influere actu nisi etiam sit in illo instanti aliquid, in quod influat : ergo cum hoc

nihil sit aliud quàm effectus ab illis dimanans, sicut inde ut causa in actu & talis effectus in actu, debeant esse simul in eodem instanti.

*Satisfit duobus primis fundamentis opposita sententiæ.*

§. III.

31. **A**d argumenta initio posita respondetur Ad primum causam dupliciter posse considerari vel ut est formaliter relativa prædicamentaliter, vel secundum formalem rationem causæ. Et si ergo causa secundum priorem rationem causæ non sit prius natura, quàm effectus, bene tandem secundum posteriorem secundum quam nos de ea hæc loquimur. Nec refert quod causa causans non possit sine effectui cognosci, quia etiam cognitio, quæ cognoscitur eius rationis non potest percipi ut obiectum quod, non percepto ente rationis ; & nihilominus non refertur ad illud prædicamentaliter, ut ex dictis in Logica constar.

Ad secundam posse primò dici, effectum realiter procedentem à materia actu causante, solummodo esse formam materiale, & totum compositum, quæ duo realiter ab illa distinguuntur, ut constar.

Secundò respondetur, quod licet effectus materiæ præcisus (de quo sequenti disputatione) scilicet esse materiale, qui totus, & totaliter à materia in suo proprio genere causatur, sit eadem materiæ entitas unita ; nihilominus realiter modaliter distinguitur ab ipsa, ut præstat hunc effectum, quamvis illum per seipsam, & per eandem unionem causet. Quod ut melius intelligatur, notandum est, materiam tripliciter posse combinari cum sua causalitate. Primò ; ita ut dicat in recto causalitatem, seu unionem ; & in obliquo entitatem materiæ secundum quam rationem potius consideratur, ut pendens à sua causalitate quam è contra : quia consideratur, ut habet ab illa formaliter esse causantem. Secundò, ita ut dicat in recto entitatem materiæ ; in obliquo causalitatem, secundum quam rationem consideratur ut est id, à quo oritur in exercitio propria causalitas & non concipitur ut pendens ab illa ; sed potius ipsa causalitas consideratur ut pendens ut quo à causa. Tertiò tandem, ut dicit utrumque in recto : nam cum sint eiusdem prædicamenti, & ex se ordinata ad constituendum unum per se, sumpta in recto, possunt hoc modo inter se combinari.

32. Hoc ergo supposito, dicimus : quod effectus præcisus materiæ, qui ab ea primò via originis causatur, est esse materiale cum præcisione sumptum, quod importat materiam, & unionem in recto : quia cum totum compositum coalescat ex esse materiali, & formali cum præcisione sumptis, & totum nihil sit aliud quam materia, & forma, & unio, ut sunt sub vna, & eadem collectione, & in recto, ut lib. 1. diximus : necesse est, ut esse materiale dicat materiam, & unionem, ut se tenet ex parte materiæ in recto sicut & esse formale ; debet dicere, formam, & unionem in recto, ut ita totum nihil sit aliud, quàm esse materiale, & formale simul sumpta & in recto. At materia dum intelligitur causare hoc esse materiale, dicit seipsam in recto, & unionem in obliquo : quia consideratur non ut pendens à sua causalitate, ac proinde non propter formaliter denominatur ab illa, sed ut est id, à quo oritur propria causalitas ; propriumque illis effectus. At materia in recto, & unio in obliquo distinguitur realiter modaliter à seipsa, & unione in recto ratione diversæ modi importandi, qui refunditur in

in res ipsas importatas, ut constat ex his quæ disp. 6. num. 60. diximus.

33. Et explicari potest hoc ipsum ex communi illo Philosophorum pronuntiato: quod materia ut vnita formæ causat totum in genere causæ materialis: & forma, ut vnita materiæ causat illud in genere causæ formalis: ac proinde quod materia ut vnita formæ, & causans totum distinguitur realiter à forma, ut vnita materiæ, & causans idem totum non obstante, quod materia ut vnita formæ, & secundum considerationem dictam dicat materiam & vnionem in recto, & formam in obliquo; & forma ut vnita materiæ importet formam, & vnionem in recto, & materiam in obliquo. Ecce ergo quomodo iste diuersus modus importandi refunditur in res importatas, & causat distinctionem realem sed hæc amplius ex dicendis disputatione sequenti elucidabuntur.

*Occurrunt ultimo argumento prima sententia.*

#### S. IV.

34. **A**D tertium respondetur: id quod est omnibus modis prius alio, independensque ab illo, bene posse ab illo separari: illud autem, quod et si in vno genere causæ habeat independentiam, & prioritatem; attamen est quid dependens, & posterius in alio genere, nequit ab illo separari. Vnde quia licet materia, & forma sint priores quàm totum in genere causæ materialis, & formalis; nihilominus sunt posterius quàm illud in genere causæ efficientis: quia ipsæ non produciuntur per se: sed ad productionem totius componuntur, & ad ipsius conseruationem modo supra dicto habent conseruari, ut docet Diu. Thom. opusc. 1. atque adeo, & ad illius existentiam coexistunt: idcirco non poterunt à toto naturaliter separari, etiam si quælibet sit prior illo in suo genere. Imò materia: neque etiam supernaturaliter poterit esse sine aliquo reo, quod componat: sicut etiam non obstante, quod esse actualis essentia formæ pendeat à materia in genere causæ materialis, nihilominus pendet ipsa existentia materiæ à forma in genere causæ formalis. Et idcirco est prior quàm materia in hoc genere: quia materia non in omni genere: sed solum in proprio est prior quàm forma, & è contrà.

35. Ad confirmationem respondetur, probare quidem intentum de prioritate nobilitatis, non verò de prioritate causalitatis, & in omni genere; quia ut diximus, totum pendet à suis causis intrinsecis in proprio genere earum, quia verè causant illud.

Sed obiciens primò quòd et si ex data solutione sequatur, formam subsistentem posse esse priorem in genere causæ formalis quàm totum; non tamen formam materiale: nam quod est prius in genere causæ formalis quàm totum necesse est, ut sicut ad illud præsupponitur: ita etiam ad propriam causalitatem formalem. Non secus ac id, quod est prius in genere causæ efficientis, oportet, ut propriam causalitatem præcedat; cum non minùs causalitas cuiusvis causæ, quàm ipse effectus pendeat ab illa: sed ad causalitatem formæ materialis, seu informationem, non potest ipsa forma præsupponi; sicut præsupponitur forma subsistens, scilicet rationalis ergo neque erit prius natura, quàm totum.

Minor videtur esse perspicua: quia forma materialis non est prius in se, quàm sit in suo subiecto, ac proinde non est prius in se, quàm sit informans. Nam in hoc distinguitur à forma immateriali, & subsistente, quòd hæc prius est in se, & per se quàm sit in subiecto, & consequenter quàm informet; secus verò illa, quia est semper pendens à suo subiecto.

Confirmatur & explicatur: nam si forma materialis est prius natura sua informatione, inquitur: num ut præsupponitur in illo priori, sit in se, & per se: vel in alio? Non primùm; aliàs esset forma per se subsistens: ergo secundum ergo erit prior sua informatione ut supponitur; & non erit prior illa; quia semper debet esse recepta in subiecto, & pendens ab illo, & ita informando ipsum quia receptio, & informatio mutuo se inferunt.

Secundò obiciens, ex dictis sequi causas esse sibi inuicem causas; at hoc videtur omnino falsum; ergo, &c. Sequela est euidens. Minor verò probatur: quia ut iam diximus, causa debet esse prior suo effectui: ergo non potest id, quod est effectus, esse causa suæ causæ, alioqui vel esset simul prius & posterius respectu eiusdem, vel non omnis causa esset prior suo effectui. Nec satis erit si dicas: quod licet totum, & idem non possit secundum eandem considerationem esse prius, & posterius natura, quàm aliud; bene tamen secundum diuersas considerationes: quia causæ sibi inuicem sunt causæ. Nam contra hoc est, quod prioritas naturæ causatum non est prioritas secundum vnā vel alteram considerationem, sed prioritas realis, & simpliciter.

Confirmatur quia quidquid entitatis est in forma materiali, totum, & secundum omnem rationem in eo inuentam, est effectus materiæ: siquidem quidquid in ea inuenitur, est materiale, ac poinde secundum totum suum esse pendens à materia: ergo nihil superest in eadem forma, secundum quod possit esse prius natura, atque adeò vera causa respectu materiæ.

36. Respondetur ad primam ex his obiectionibus negando minorem. Et ad probationem, quod licet forma materialis non sit prius in se quàm sit in subiecto: id est, non sit prius in se subsistens quàm informet, vel recipiatur; attamen prius in genere causæ formalis habet suam essentiam actualem, quàm informet. Vnde quia ad causalitatem formalem latet, quod habeat suam essentiam actualem, ut ex dictis disputatione 3. numer. 62. constat, idcirco potest prioritate naturæ præsupponi ad suam informationem. Quare discrimen, quod est inter formam spirituales, & materialem, tantum consistit (quoad præsens attinet) in hoc, quod forma spiritualis prius quàm informet, habet suam essentiam actualem, & insuper est in se, & per se subsistens, vel saltem quantum est ex natura sua potest id habere; at forma materialis tantum habet in illo priori suam essentiam actualem nec est naturaliter loquendo capax propriæ subsistentiæ.

37. Ad confirmationem respondetur: quòd sicut de quauis re debet absolute verificari esse albam, vel non albam; non tamen si addatur aliqua reduplicatio: & idcirco Petrus secundum se neque est albus, neque est non albus; ita et si demus, quod de forma materiali debet absolute, & in quouis instanti verificari, quòd vel est in se, & per se per quod significatur esse subsistens, vel quod est recepta in alio, per quod denotatur habere esse dependenter ab alio ut à subiecto: ceterum si addatur aliqua reduplicatio, ut reuera additur cum dicitur, *Forma ut est in illo priori antequam causas* (seu quod idem est), ut præsupponitur sua causalitati, tunc non est necesse, ut aliquod horum prædicatorum illi conueniat. Quare in illo priori solum importat suam essentiam actualem, attamen in eodem priori neque intelligitur esse per se, neque in alio; sed abstrahit.

38. Et potest huius reddi manifesta ratio, & satis necessaria ad plures æquiuocationes in hac materia vitandas, necnon ad plura alia soluenda, quæ primo aspectu satis difficilia apparent. Nam hoc conuen-

ctum

Quam scilicet, *forma ut in illo priori*, reduplicat formam ipsam ut causam, non verò ea quæ eidem competunt, ut est effectus aliarum causarum: quia ut sic non consideratur ut prior; sed ut posterior. At forma materialis ut causa non est per se subsistens, ut constat, neque etiam secundum hanc considerationem causæ intelligitur esse in alio propterea esse in alio opponitur modo essendi in se, & per se ut in præsentia sumitur, & denotat dependentiam ab alio, ut à subiecto, & sustentante: quia ut intelligitur esse sic in alio, intelligitur ut pendens ab illo, ut à subiecto: ac proinde intelligitur ut effectus, & ut posterior; non verò ut causa, & ut prior.

Itaque etsi eadem forma, quæ est prior, sit simul posterior ut pendens ab alio ut à subiecto: attamen ut prior non est posterior; & ut independens non est dependens: quia ut est causa formalis non est effectus; & è contrà: & idè optimè diximus, quod si consideretur ut prior, sicut non consideratur ut effectus, ita neque ut pendens ab alio ut à subiecto, sed tam eius informatio, quam materia, & compositum pendens ab illa; secus verò ipsa ab eis, si secundum prædictam rationem consideretur.

39. Ad secundam objectionem responderetur, solutionem ibi datam non solum esse veram; sed necessariò admittendam, ut potè expressè assertam ab Arist. in hoc lib. & ab omnibus ut axiomata receptam. Et ratio est aperta: quia satis est ad prioritatem realem naturæ in aliquo genere, quod ad sit ibidem prioritas simpliciter in illo genere: sicut ad prioritatem in omni genere causæ desideratur prioritas simpliciter in omni genere. Quod ad idè verum est, ut si semel quod est prius in vno tantum genere, non esset simul posterius: ac proinde non esset effectus in alio, iam prioritas in omni genere coincideret cum prioritate in aliquo solo genere.

Et ad probationem in contrarium responderetur: quod licet in forma, verbi gratia, hæc duæ rationes causæ, & effectus comparatæ præcisè inter se non distinguantur realiter, attamen quævis ex his rationibus collata cum sua causa, aut cum suo effectui distinguitur realiter ab illo, & idè ipsa ut effectus distinguitur à materia, quæ est sua causa, & ipsa ut causa distinguitur à materia, & toto, ut habent rationem effectus respectu illius. Vnde nihil obstat, quod forma possit simul esse realiter prior, & posterior respectu diversorum,

40. Ad confirmationem responderetur, concedendo antecedens, si sensus illius sit, quod in tota entitate, & quavis formalitate formæ materiali includitur, hoc quod est esse effectum materiæ negandum tamen erit, si velit quod hæc est adæquata ratio formæ & cuiusvis formalitatis illius. Quod potest hoc exemplo explicari: etenim etsi in quavis hominis formalitate includatur ens; non tamen tota, & adæquata hominis ratio est, esse ens. Et similiter licet in quavis formalitate, & in tota hominis entitate intrinsecè contineatur, quod sit quid dependens à Deo non tamen tota, & adæquata hominis natura est, esse ab illo dependentem: sic satis nihil est in forma materiali, quod non pendeat à materia, modo tamen in sequenti disputatione dicendo. Nemo tamen dicit hanc dependentiam esse totam, & adæquatam formæ rationem. Ex quo non fit, quod ipsamet forma non possit secundum quod complet materiam, dando illi determinatam speciem, & existentiam habere rationem causæ respectu illius, non enim materia utcumque causat ut formam; sed eam in se recipiendo. Vnde & ipsamet forma non potest non complere

materiam daretque illi ea, quæ ab ipsamet forma in genere causæ formalis fluunt.



## DISPUTATIO IX.

### DE CAUSIS MATERIALI, ET formali.



Vm inter quatuor causarum genera quædam intrinseca, quædam verò extrinseca sint prius de intrinsecis, scilicet materia, & forma, quæ hoc ipso quod tales sunt, magis pertinent ad entis naturalis essentiam cognoscendam; agendum nobis est. Quia tamen plura in præcedenti libro de qualibet illarum diximus proindeque tot restant in hoc libro dicenda, idè eas in hac unica disputatione coniunximus. Dabimus autem primum locum causæ materiali: quia prius causat, quam formalis.

## QVÆSTIO. I.

*Per quid causa materialis causet: &  
an unio sit illius causalitas: quemvè  
effectum habeat?*

VNum supponimus in titulo quæstionis ut certum; & aliud in dubium vocamus. Supponimus enim esse in causa materiali vim ad causandum, actuque hanc suam vim aliquando exercere, id quod unanimiter omnes Philosophi fatentur. Vocamus autem in dubium primò. per quid causa materialis constituatur potens, & fecunda in actu primo ad causandum. Secundò: per quid actu, & in exercitio constituatur in esse causæ. Quod est inquirere de causalitate eius, & hoc dupliciter, vel de causalitate in fieri vel in facto esse.

1. Dicendum est primo. Materia prima non habet vim causatiivam per aliquod accidens sibi superadditum, sed per nudam, puramque entitatem substantialem suam. Assertio hæc desumitur ex Aristot. 1. Physic. & Divo Thoma ibidem & 1. part. qu. 76. art. 7. & qu. vnica de spiritualibus creaturis art. 3. ad 18. & idè eam tenent communiter Thomistæ in præsentia. Rubio tract. 2. de causa materiali num. 62. Suarez in Metaph. disputatione 13. sectione 3. & alij plures.

Probat, nam materia prima causat per potentialitatem suam cum eius causalitas sit actu recipere formam, ad quod solum requiritur, quod sit subiectum, seu potentia habens vim ad recipiendum, & veluti sustinendum in se illam, eius generationem; at hæc potentia non distinguitur realiter à materia: ergo solum per suammet entitatem habet completam vim ad causandum. Minor probatur: nam si hæc potentia esset distincta, haberet rationem substantiæ, vel accidentis non hoc secundum; quandoquidem potentia, quæ vnum per se cum actu substantiali componit, vel primò subternitur generationi substantiali, ut primum subiectum illius, debet etiam esse substantialis. Primum autem dici non potest: nam substantia adæquatè dividitur ab Aristotele in materiam, formam, & compositum, & tanquam in

## 84 Disp. IX. de causis materiali & form. Quæst. II.

in tres entitates omnino exhaurientes diuisum. At potentia illa non est forma, neque compositum: quoniam est potentia ad recipiendam formam substantialem, & constituendum compositum: ergo erit materia; non igitur à materia realiter distinguetur.

Sed obiicit: materia non potest recipere formam, nisi adsint præuiz dispositiones, quibus mediis formam in se recipiat: iam ergo materia indiget aliquo principio proximo, & accidentali, quod sit ei veluti, potentia proxima ad causandum.

2 Respondetur ex D. Thom. 1. part. quæst. 76: citata, & quæstione de spiritualibus creatis iam dicta necnon ex Aristotele 1. de Generat. text. 13. quod etsi dispositiones concurrant in genere causæ materialis, & dispositiue ad receptionem formæ: non tamen ita ut in eis immediatè recipiatur forma substantialis: quia hæc in nuda materia recipitur. Vnde dispositiones si fuerint omnino antecedentes, pereunt in instanti generationis vnà cum composito, in quo subiectantur; si verò fuerint concomitantes, recipiuntur in toto composito denuò genito: & idè semper manet verum, quod potentia receptiua in materia respectu formæ solùm sit nuda entitas materiæ, & quòd non recipiat illam media alia entitate, sicut totum ipsum media quantitate recipit alia accidentia: & mediis virtutibus operatiuis operatur.

3 Dicendum est secundò. Causalitas materiæ in fieri est generatio recepta in materia: causalitas verò in facto esse, est vnio substantialis prout in ipsa materia recipitur. Prima pars huius conclusionis desumitur ex Aristotele, & ex D. Tho. locis disputat. 6. citatis, & eam docent Thomistæ: Rubio in præsent. Suar. in Metaph. disputat. 13. sect. 9. Probatur, illa est causalitas in fieri materiæ per quam materia actualiter concurret ad suum effectum in fieri: sed recipiendo in se generationem, & sustentando illam, concurret ad suum effectum in fieri: ergo generatio ut recepta in materia erit causalitas in fieri illius. Secunda verò pars assertionis desumitur ex eodem Aristotele, & diuo Thoma, & suadetur sic Illa est causalitas materiæ in facto esse, quæ manet in transacto fieri, & per quam materia communicat se formæ, & toti: at vnio substantialis materiæ cum forma manet transacto fieri, & per illam se communicat formæ, & toti; & idè hoc ipso, quòd cessat vnio, cessat hæc communicatio: ergo vnio hæc substantialis est causalitas illius in facto esse.

### Q V Æ S T I O II.

*Verum vnio secundum omnia, quæ includit ut se tenet ex parte materiæ, sit causa-  
litas illius?*

**P**Ro explicatione huius quæstionis notandum est, materiam ex vi vnionis tria hæc munera exercere. Primò actu recipere, seu causare formam. Secundò limitare illam: & tandem constituere compositum. Dissensio ergo inter Doctores merito suboritur est, an causalitas materiæ sit vnio secundum vnā, vel alteram: an secundum omnes has rationes.

*Proponuntur, & reiciuntur varia sententia.*

#### §. I.

14 **P**rima sententia est Auic. 6. Metaphys. tract. 1. Alber. Magn. in hoc lib. tract. 2. cap. 1. Ioann. Mai. in 2. sentent. distinct. 12. dicentium: vnionem materiæ cum forma esse illius causalitatem, secundum quod præcisè media illa reducitur ad actum vis compositiua materiæ respectu compositi. Quoniam hi auctores arbitrantur materiam solùm respectu totius suam causalitatem exercere.

Fundamentum est: nam sicut causa materialis est causa intrinseca, sic eius causalitas non est nisi respectu eius quod intrinsecè ex ipsa componitur; at materia non est pars intrinseca formæ, sed solùm compositi: ergo illius causalitas præcisè est respectu eius, non verò illius.

5 Secunda sententia est aliorum, qui existimant vnionem substantialem materiæ, esse causalitatem illius, prout est actualis receptio formæ, non verò prout media illa influit in totum compositum, Ita Soncin. Metaph. q. 5. conclus. 2. Tabell. q. 2. Fonse. cap. 2. eiusdem lib. q. 1. sect. 3. Veractux speculat. 3. & alij, quos omnes refert Malsius in præsent. cap. 3. sectio. 2. quæstio. 1. Probatur primò: materia est pura potentia & ut talis causat, sed pura potentia solùm respicit actum suum: quia tota eius quidditas est in ordine ad illum; ergo solùm respectu formæ causalitas eius est attendenda.

Secundò, quia causa denominatur talis à causalitate sua: ergo si materia duplicem habet causalitatem, vnā respectu formæ, & alteram respectu compositi duplex, & non vnica causa erit, quòd sanè contra communem omnium Doctorum sententiam est.

6 Sed vtraque sententia est omnino falsa, quod hoc vnico efficaci tamen argumento probatur. Forma materialis per se pendet à materia quoad esse: aliàs enim non esset materialis: & formæ spirituales quales sunt animæ nostræ, habent etiam dependentiam per se à materia quoad vnionem, & informationem: igitur materia est vera causa materialis illarum quoad esse; & istarum quoad informationem & vnionem. Pater consequentia ex dictis disputatione 8. numer. 7. vbi asseruimus, causam re ipsa esse principium à quo per se pendet effectus, Deindè compositum naturale intrinsecè, & essentialiter constat ex materia, pendet ergo per se ab illa: igitur materia est vera causa materialis illius.

7 Tertia denique sententia est cuiusdam doctissimi Iunioris, & aliorum asserentium duplicem esse in materia causalitatem: aliam primariam; aliam verò secundariam: sicut etiam duplex ab ea dimanat effectus, alter primarius; alter verò secundarius. Vnde dicunt causalitatem primariam materiæ esse in ordine ad formam, sicut & ipsa forma primarius illius effectus est: secundariam verò in ordine ad compositum, quod est secundarius illius effectus. Probatur primò: ex vnione materiæ, & formæ resultat totum: ergo vnio harum partium præsupponitur ad illud: id enim, ex quo aliquid resultat, præcedere debet id, quod ab eo resultat: at in illo priori in quo materia vnitur formæ, verè est vnio materiæ cum illa: ergo verè est causalitas materiæ: & ex consequenti cum illo priori tantum adsit vnio ad formam, sit indè, ut hæc sit eius primaria causalitas.

Secundò, quia forma, per se primò causat ut  
dans:



ans: ergo materia influit per se primò vt recipiens : quia sicut proprium est actus dare ; sicut & potentie recipere : sed materia non est recipiens totum ; sed solam formam: ergo causalitas illius primaria in ordine ad istam tantummodo attendenda est.

8. Sed hæc sententia non parum difficultatis habet : nam compositum nequit esse effectus secundarius materie : ergo nec causalitas , quia in illud influit, potest esse secundaria, vel secundariò ad ipsum terminari. Consequentia videtur certa. Antecedens verò probatur : nam effectus secundarius nunquam per se primò intenditur à natura ex vi propriæ causalitatis : id enim, quod per se primò causalitas agentis , vel alterius causæ ex vi sua intendit , est absque dubio illius primarius effectus ; at materia recipiens formam non intendit per se primò , & ultimè talem receptionem , sed totum : tum quia omnis pars per se primò intendit vni suo toti : tum etiam , quia eatenus materia recipit formam , vt cum illa totum componat : sicut solum in toto potest habere esse : ergo totum non est effectus secundarius causalitatis materie.

*Veritas Thomistica enucleatur, & suadetur.*

## §. II.

9. **Q**uarta denique sententia , & communior , quam D. Thom. schola defendit, docet , causalitatem materie esse vnionem substantialem illius ; pro vt illa tria munera suprà dicta exercet. Sed quia hæc sententia, si rectè explicetur , est omnino vera , vt statim dicemus ; ideo pro eius exactiori intelligentia notandum est, tres has rationes non distinguere realiter : quia materie causalitas entitatiuè loquendo vna solummodo est , distinguuntur tamen formaliter , siue virtualiter. Propter quod optime verificari potest , materiam vt causat formam , non causare compositum , reperiri que tres formaliter , siue virtualiter rationes in vnica illa causalitate:

Verum licet hæ tres rationes identificatæ inueniantur, non tamen vtcumque , & quasi disparatæ ibi sunt; sed cum aliquo ordine, ratione cuius vnā causalitatem non solum entitatiuè; sed etiam formaliter per aliqualem quasi compositionem constituit, secundum quod vnio materie ad formam, & limitatio eiusdem formæ sunt quasi via ad constitutionem compositi, ratione cuius melius intelligi potest, quomodo hæ tres rationes vnum quid constituent : vt enim Doctor Angelicus docet, vbi est vnum propter aliud , ibi tantum est vnum. Vnde optime dici potest effectum adæquatum materie esse compositum ipsum : non quidem in eo sensu, in quo Authores primæ sententiæ loquebantur ; sed quia tota eius causalitas , vel solum est directè, & proximè respectu totius, vel in ordine ad illud. Quare influxus materie in compositum has omnes rationes includit : quia non aliter materia componit totum, quam sustinendo , in se & limitando formam, dandòque seipsam composito.

10. Secundò, vt intelligatur, in quo consistat hæc limitatio, qua materia limitat formam, notandum est ex D. Th. 1. p. q. 7. art. 1. formam sublunarem, de qua loquimur, quantum est de se, seu pro vt est abstracta, non magis postulare hanc portionem materie, quam illam, & consequenter non magis exposcere, vt constituat hoc quam illud indiuiduum. Vnde secundum istam considerationem quidam (vt sic dicamus) infinitatis modus illi conuenit, siquidem infinitas nihil aliud est, quam non limitatio. Cæterum, hoc ipso quod materie actu vnitur, hæc eius amplitudo finitur, & limitatur : quia ea, quæ antea informare

*Colleg. Compl. Physica.*

poterat, quantum est ex vi eorum, quæ secundum se dicit, quamlibet materiam, iam nunc, si semel recepta inueniatur in hac portione, nequit ultra se extendere, & aliam portionem informare.

11. Hoc ergo supposito, dicimus, hanc vltimam sententiam prædicto modo explicatam nobis magis placere. Assertio hæc ex variis D. Thom. locis in vnum coniunctis aptè desumitur, scilicet ex 1. parte, quæstione 7. articulo 1. necnon ex his, quæ sæpè tam in hoc, quam in præcedenti libro traditæ, eamque docent Thomistæ. Quam non aliter quam ex sufficienti partium enumeratione comprobamus. Etenim vnio materie non est causalitas illius præcisè in ordine ad totum, eo modo, quo prima sententia loquebatur, neque solum in ordine, ad formam, secundum quod dicit puram receptionem, & causalitatem respectu illius solummodo, vt probatum est : ergo erit vnio causalitas materie secundum vtramque rationem. Rursus, hoc ipso quod materia media vnione recipiat formam, limitat, & coarctat eam : ergo forma, vt sic limitata habet esse effectum materie : igitur & vnio illa, secundum quod dicit limitationem formæ, erit etiam eius causalitas.

Quod si obiicias : quævis forma prius est in certo, & determinato genere, quam vnatur materie : ergo ante vnionem erit iam limitata : quia quod est in determinato genere, eo ipso est finitum, & limitatum : non ergo forma per materiam limitabitur. Respondetur : dupliciter posse aliquid esse infinitum, vel in genere entis, vel in aliquo certo genere, aut ratione, quæ suo modo infinitatem habeat : etsi ergo forma sit limitata, ante vnionem in genere entis ; non tamen in genere formæ secundum amplitudinem dictam. Vnde etsi per receptionem non limitetur in genere entis, benè tamen in proprio genere, & secundum rationem prædictam.

Sed vrgebis, potius forma in ratione formæ solet intra suum esse specificum compleri; ex eo quod recipitur in particulari subiecto ; vt patet in calore, qui habet suam completam perfectionem, quando est in igne : & de luce, quæ dum est in sole, habet plenitudinem lucis, malè ergo dictum est, formam per receptionem in materia limitari.

12. Respondetur, benè posse aliquid perfici in suo genere, licet absolute non perficiatur; imò perfectio, cui in aliquo genere non est annexa imperfectio, potest imperfectionem in genere entis habere. Sit exemplum; etsi enim posse intelligere per conuersionem ad phantasmata non sit perfectio simpliciter in genere cognitionis; est tamen perfectio simpliciter in speciali genere cognitionis humanæ ; & ita licet non sit melius simpliciter, posse intelligere per illam conuersionem quam sine illa, est tamen melius homini. Similiter ergo in præsentia, formam recipi in materia dicit limitationem, & aliquam imperfectionem in forma in genere rei : cæterum, intra hoc vel illud genus, vel in istis, aut illis formis maior perfectio est recipi in materia, quam esse sine illa.

Quare sicut homo, licet posset esse sine virtute ad intelligendum absque conuersione ad phantasmata ; attamen eligibilis esset ei, posse intelligere per conuersionem ad illa, ita si daretur albedo separata, licet ex vna parte haberet quandam infinitatem in esse albedinis, nihilominus ex quo capite est forma accidentalis, esset illi maior perfectio esse in subiecto, quam esse extra illud, & sic eius ampliudine per hoc limitetur. Similiter ergo calor ex eo, quod est in proprio subiecto nimis in igne habet complementum, quod exposcit vt talis forma est, cæterum ex alio capite habet admixtam imperfectionem illam, quæ necessariò est annexa cuiusque formæ

H recepta

receptæ in materia, est tamen in proprio genere eligibilior illa perfectio cum imperfectione hac, quàm dictam amplitudinem habere.

*Conuellantur argumenta aliarum sententiarum.*

### §. III.

13. **S**olùm ergo superest ad argumenta pro aliis sententiis adducta respondere, Ad fundamentum pro prima sententia, & ad secundum secundæ dicimus, materiam non vocari causam intrinsecam: quia respectu cuiuscunque effectus ab illa procedentis sit causa intrinseca intimè imbibita in illo; sed quia eius præcipua causalitas eiusque potissimus effectus est in ordine totum, quod componit, & in quo intrinsecè clauditur. Nec refert quod in eadem realiter causalitate materiz sint duæ rationes particulares, & inadæquate, quales sunt illæ, quæ argumento adducuntur: quia ad hoc ut materia esset duplex causa, requirebatur, ut haberet duplicem causalitatem adæquatam, & totalem.

Ex quo etiam ad primum secundæ sententiæ patet potentia enim materiz non solùm est in ordine ad actum sed etiam in ordine ad totum, quod componit, imò respicit actum ut una cum illo totum constituat.

14. Ad primum & secundum pro tertia sententia respondetur, dupliciter posse aliquam causalitatem vel aliquem effectum esse primum. Primò, quia ex duobus rationibus inadæquatis, quæ in eadem causalitate, vel effectu primariò inveniuntur, obtinet primum locum saltem via originis, Secundò, quia sola ipsa est, quæ primariò intenditur.

Causalitas igitur materiz erga formam non dicitur prior quia ipsa sola sit de intentione primaria nature; sed quia ex pluribus rationibus inadæquatis, quæ in eadem causalitate inveniuntur; hæc est prior via originis, attamen cum hoc stat, quod facta colloca-tione inter has duas rationes formales, & inadæquatas quod causalitas materiz est in ordine ad totum, sit potissima: quia etsi utraque sit de intentione primaria nature quia potentia per se primò respicit formam, & totum attamen causalitas materiz erga formam subordinatur causalitati eiusdem erga totum sicut cum quia intendit duos fines inter se subordinatos, tunc etsi quivis in suo ordine sit primò intentus, attamen unus est propter alium. Ita ergo (proportione tamen servata in præsentis dicendum est: quia materia recipit formam, ut tandem componat totum.

### Q V Æ S T I O III.

*Per quid forma causas, quis sit eius effectus an unio sit illius causalitas, & secundum quam rationem.*

15. **B**renissimè quætionem hanc absolvemus: quoniam ex dictis in duabus præcedentibus facit eius decisio constabit. Etenim in his causis intrinsecis eodem prorsus proportionali modo philosophandum est ob mutuam, & essentialem correspondentiam, quæ inter veramque intercedit, tanquam inter actum, & potentiam eiusdem generis. Vnde sicut materia non habet vim ad cauandum ratione aliquid realis entitatis superadditæ: sic nec forma, ut docet D. Thom. 2. p. q. 76. artic. 7. & sumitur ex Arist. 8. Metaphysic. c. 6. & 1. de Anima cap. 11. quia forma

per essentiam suam est actus; & ita per illam est potens reddere materiam in actu. Et sicut unio: ut se tenet ex parte materiz secundum illas tres rationes, seu ut melius dicamus, ut dicit adæquatum influxum in compositum, est causalitas materiz: ita ut se tenet ex parte formæ ut illas proportionaliter includit, est illius causalitas: quia præcisè per hoc quod forma materiz uniat, & re ipsa eam informet limitat illam necnon & compositum constituit. Ac eandem sicut esse materiale est effectus materiz: ita eodem modo esse formale est effectus formæ.

Sed dices forma cælestis non limitat materiam, quoniam non potest materia cælestis, nisi tantummodo formam, quæ cælestis est recipere: non ergo est illius causalitas limitatio materiz.

16. Respondetur: quod licet daremus, formam illam non limitare materiam ad certam speciem (de quo alibi Deo dante dicendum est) nihilominus adhuc limitat eius potentialitatem: quia materia illa, etsi semel accepta una forma numero huius cæli non possit illam amittere: attamen quia natura, verbi gratia, primi cæli est numero multiplicabilis, proindeque possunt saltem supernaturaliter dari plures numero formæ cælestes eiusdem speciei: idèd habeat materia quamdam amplitudinem, secundum quam quantum est de se, non perit magis hanc numero formam, quàm illam. Vnde sicut in prima conditione cum hac numero forma est creata, posset etiam cum alia creari, attamen semel cum hac creata, iam eius capacitas, & amplitudo limitata est. Neque est necessarium, ut omnino æqualis limitatio in omnibus formis respectu cuiusvis materiz reperiat: sicut etiam non requiritur quod æqualem dependentiam habeant omnes formæ à materia.

### Q V Æ S T I O V.

*Utrum effectus primarij harum causarum sint realiter ab illis distincti.*

**C**onveniunt omnes, effectus primarios harum causarum esse formaliter distinctos ab illis. Quare tota controuersia est, an realiter ab eisdem sint distincti.

*Adducuntur diuersæ opiniones.*

#### §. I.

17. **P**rima sententia est aliquorum quos suppresso nomine refert. Ona in præsentis, asserentium has causas nullo modo distingui realiter à suis effectibus. Quorum primum fundamentum desumitur ex natura causæ intrinsecæ: nam hæc eo ipso quod talis sit, non causat per veram aliquam actionem; sed dando suum esse intrinsecum, & intrinsecè: at esse suum non potest realiter ab illa esse diuersum. Ergo neque primarios effectus ab ipsa procedens.

Secundò, quia compositum, quod est primarius terminus harum causarum, non est realiter distinctum à forma nisi per esse, quod illi materia communicat: sicut neque à materia diuersum est, nisi ratione illius esse, quod à forma participat: sed hoc modo non comparatur cum qualibet suarum partium intrinsecarum, ut effectus illius est; restat ergo quod ut est effectus, nulla reali distinctione ab ipsis distinguatur. Minor probatur: compositum non est effectus materiz secundum esse, quod recipit à forma; sicut neque è contra est effectus formæ secundum esse, quod recipit à materia: ergo

go cum comparatur cum qualibet sigillatim secundum esse, quod ab alia habet, non confertur ut effectus illius est: ergo, &c.

Tertio, nam impossibile est, ut communiter docent Philosophi, formam sine effectu formali primario reperiri: at si effectus formæ esset realiter distinctus ab ipsa, posset sine illo inueniri: ergo, &c. Minor probatur: sola forma potest esse separata à subiecto, in quo statim cum nihil habeat realiter à suo esse distinctum, neque habebit actu suum primarium effectum.

18. Secunda sententia est aliorum dicentium: formam, & materiam esse realiter à propriis effectibus condistinctas. Quorum primum fundamentum est: nam inter causam, & effectum realem, qualis est materia; & suus effectus, est realis prædicamentalis relatio: ergo & realis distinctio. Patet consequentia, quia realis prædicamentalis relatio petit extrema realiter distincta.

Secundò, quia aliàs idem omnino secundum rem haberet rationem causæ, & effectus respectu sui, & consequenter idem esset sibi ipsi causa essendi, idemque prius, & posterius; perfectum, & imperfectum: at hæc omnia absurda sunt: ergo, &c.

Tertio, materia est realis causa formæ materialis, ut primo libro dictum, & ab illa realiter omnino distinguitur: ergo iam effectus materiæ est realiter ab eadem diuersus.

*Fertur iudicium de utraque opinione.*

## § II.

19. **P**RO huius quæstionis decisione renocandum est in memoriam id, quod supra disputatione præcedenti asseruimus, scilicet compositum substantiale posse bifariè considerari: vel secundum esse, quod habet ab utraque causa intrinseca, & sic comparari cum earum qualibet: vel præcisè secundum illud esse, quod à sola forma, aut à sola materia habet, sicque cum singulis earum conferri; ita ut cum forma secundum ea, quæ ab ipsa solummodo participat, & cum materia secundum ea, quæ ab illa habet, conferatur.

Secundò notandum est, quod ad hoc ut aliquis effectus alicui causæ tribuatur, necesse non est, ut totum & totaliter attingat illum: sic enim homo dicitur producere hominem, non quidem, quia materiam, aut formam efficiat; cùm harum quælibet à solo Deo producta fuerit, sed quia saltem attingit earum unionem; & similiter totus effectus solet causæ finali attribui, quæ tamen solum in proprio genere illum causat, nihil eorum, quæ sunt in eo per veram efficientiam attingendo.

Ex quo fit, quod etsi compositum ipsum substantiale non causetur totum, & totaliter à materia, aut à forma; nihilominus dici potest illius effectus. Tum quia sicut quælibet earum non causat, nisi componendo modo supra explicato, & solum componit compositum: sic & absolute asserendum est, totum compositum esse effectum cuiuslibet. Tum etiam, quia causalitas utriusque in proprio genere considerata ad totum ipsum, tota, & totaliter tendit. Vnde non minus ipsa unio se dat composito; quam materia, & forma, à quibus oritur. Tum denique, quia ad minus materia attingit (quod idem de forma dicimus) totam unionem, & vinculum utriusque partis in proprio genere.

Quare si satis est ad hoc ut absolute sit verum, causam efficientem producere totum effectum, quod attingat unionem in genere efficientis, etsi nullam ex partibus producat: cur non sufficiat ad hoc ut ab-

*Colleg. Compl. Physica.*

solute verificetur, totum compositum esse effectum materiæ saltem in proprio genere, quod tota unio, & nexus partium ab ea in proprio genere procedat: maxime quia non solum attingit unionem; sed etiam ponit in toto suam propriam entitatem.

20. Hoc igitur supposito, non erit difficile de utraque sententia iudicium ferre. Dicendum est ergo primò: Totum compositum, quod harum causarum est effectus, comparatum cum forma verbi gratia, secundum illud esse præcisè, quod in totorigore Metaphysico ab ea solummodo habet, realiter modaliter, & non maiori distinctione ab illa distinguitur: ac proinde prima sententia absolute est falsa. Probatur, id quod habet totum præcisè à forma verbi gratia, distinguitur realiter modaliter ab ipsa forma, & non maiori distinctione: ergo etiam si totum comparatur cum forma secundum illud esse præcisè, quod totaliter ab ea solummodo habet, non distinguetur entitativè, sed solum realiter modaliter ab ipsa. Antecedens probatur: quia nihil est aliud quam eademmetentitas formæ ut unita materiæ, & communicata ipsi composito. At forma ut unita materiæ solum realiter modaliter distinguitur à seipsa: siquidem unio, ut supra probatum est, tantum habet rationem cuiusdam modi, & realiter modaliter ab utraque que compositi parte condistincti: ergo, &c.

21. Dicendum est secundò: si absolute loquamur de effectu causato ab his causis intrinsecis, qui est totum compositum, ut iam diximus, tunc effectus illarum distinguitur realiter entitativè distinctione saltem includentis, & inclusi à quavis earum: proindeque vera erit secunda sententia sic explicata; etiam si velit realem entitativam distinctionem inter quamcumque ex his causis, & effectum proprium constituisse. Hæc conclusio suppositis his, quæ iam notauimus, non indigebat probatione: sed nihilominus maioris claritatis gratia sic probari potest. Tunc aliqua duo distinguuntur distinctione prædicta, quando eorum unum includit alterum, & addit realem entitatem, & non solum modum supra illud: sed totum, quod absolute loquendo est effectus materiæ, includit illam, & superaddit realem entitatem formæ: ergo iam effectus materiæ sic sumptus distinguitur realiter entitativè ab ipsa.

*Soluntur argumenta utriusque sententia præter ultimum.*

## § III.

22. **A**D primum ergo primæ sententiæ facilis est solutio, concedenda enim est maiori sed minori, in qua videtur loqui de effectu materiæ, in illa comparatione præcisè primæ assertionis, distinguenda est, & si velit quod esse proprium formæ, ut sic præcisè sumptum absque alio addito non possit esse realiter ab ipsa distinctum, admittenda est; si verò sit sensus, quod esse proprium formæ, ut communicatum composito; non possit realiter modaliter distingui à forma, neganda est, quia forma, ut communicata toti, addit supra seipsam communicationem, seu unionem realiter modaliter ab ipsa condistinctam.

23. Ad secundum patet ex dictis, quod quamvis si totum sumatur in esse effectus cum illa præcisione, non distinguatur realiter entitativè à forma ratione illius esse, quod præcisè participat à materia; bene tamen si absolute in esse effectus, & modo dicto consideretur.

Ex quo ad tertium facilis est solutio: illa enim propositio, forma non potest reperiri sine suo effectu formali.

formali, solum est vera in forma communicata toti, & materiz quia non nisi secundum istam rationem causat. At forma separata, non mirum si non habeat primatum suum effectum quandoquidem ut sic, nulli communicatur, nec suam exercet causalitatem.

Fundamenta verò secundæ sententiæ saltem primum, & secundum pro nobis sunt, quoniam satis est distinctio illa, quam nos ponimus ad rigorosè soluenda illa, quæ in eis dicuntur. Vtrum autem in materia prima adsint cætera alia-requisita ad hoc ut realiter prædicamentaliter referatur ad suum effectum necne, non est huius loci.

*Occurrit ultimo argumento secunda sententia.*

#### §. IV.

24. **A**D tertium quia longiori eget discussione, sigillatim responderetur ex D. Thom. opusc. 31. §. *Viso autem quod sum.* Formam solum esse effectum materiz: quia ex natura sua habet, quod educatur ex eius potentia; cætenus autem educitur, quatenus neque esse; neque fieri potest, nisi materia ipsa ad eius fieri, & esse concurrat, sustinendo, tum eius productionem: tum etiam ipsammet formam productam. Vnde forma solum, ut sustentata à materia est illius effectus: attamen ut formalissimè dicitur esse sustentatam, non distinguitur realiter entitatiuè à materia: quia solum (si attendamus ad id, quod omnino formaliter, & cum præcisione sumptus talis effectus importat) dicitur materiam, ut actu unitam, & sustentantem formam, dantemque se ipsam illi; non quidem per modum partis intrinsecæ; sed per modum quasi basis & fundamenti, cui innitatur.

25. Et potest hoc ipsum explicari exemplo eiusdem materiz ut informate: nam secundum istam rationem solum dicitur, si formaliter loquamur, formam sibi unitam, & communicatam, etsi non per modum partis intrinsecæ in eius entitate includatur: bene tamen per modum actus, qui eidem sit modo sibi debito unitus. Nec mirum hoc sufficere, ut absolute dicamus formam materiale esse effectum materiz quoad suam esse essentiam: quia hoc ipso quod non sit spiritualis, habet esse talis naturæ, conditionis, ut nisi in materia sustentetur, ab eaque pendeat, omnino evanescat. Vnde sicut absolute loquendo de causalitate materiz erga totum absolute etiam sumptum, dicendum est effectum istum distingui realiter entitatiuè ab illa: ita si de causalitate, quam materia erga formam absolute exercet, fiat sermo, tunc effectus inde absolute proveniens poterit realiter entitatiuè ab illa distingui.

Sed obuias, hinc fieri: tum quod posset absolute dici materiam produci ab agente creato, & quod secundum suam entitatem considerata sit absolute effectus formalis formæ: si quidem agens eam unit formæ, & forma dat illi suam specificationem positivam, sine quibus nequit in rerum natura esse: sicut neque forma materialis sine sustentatione materiz, ob quam rationem dicitur eam absolute sumptam esse effectum illius. Tum etiam, quod inde fieret formam secundum se sumptam esse effectum ipsius materiz, non minus rigorosè, & propriè, ac ipsa ut sustentata: nam idè secundum se sumpta, & omninò rigorosè, est effectus agentis saltem *ut quo*: quia pendet à materia ut à sustentante. Vnde nisi sic ab ea penderet, non posset ab agente naturali attingi: ut in anima rationali contingit: ergo potiori titulo forma secundum se sumpta erit in omni rigore effectus materiz, cum hæc sustentatio ab ea immediatius, & intimius procedat quam ab ipso efficiente.

26. Responderetur negando sequelam: quia materia absolute debet præcedere etiam in genere causæ efficientis actionem agentis naturalis, & creati, & effectum formalem provenientem à forma, quam prædictum agens inducit, & ideo incapax est recipiendi denominationem, quam obiectio intendit: sicut ob hanc rationem de anima rationali non potest absolute dici, quod fiat ab agente creato, sed solum cum addito, scilicet quoad unionem.

Ad aliam verò partem eiusdem obiectionis: seu ultimam sequelam illius, dicendum est, esse disparè rationem: nam in effectum, rigorosissimè tali alicuius causæ debet splendere perfectè modus causandi illius causæ. Quia ergo modus causandi causæ intrinsecæ, in quo ipsa perfectè splendet, est quod causet imbibendo se in effectum causato, in forma autem secundum se sumpta non includitur materia: bene tamen in eadem ut sustentata, ut explicatum est: ideo ipsa secundum se sumpta nequit esse effectus rigorosissimus materiz. Cæterum, quia causa efficiens est causa extrinseca: ac proinde non est conua ratione eius, neque contra rationem effectus ab ea procedentis, quod non imbibatur in illo, sit inde ut secundum illam rationem, secundum quam ab ea procedit aliquis effectus totus & totaliter possit secundum eandem dici, quod talis effectus procedit siue *ut quo*, siue *ut quod* rigorosissimè ab illa.

Sed urgebis, hinc fieri, quod nec ipsa forma secundum se sumpta, seu quoad suam entitatem possit absolute dici effectus materiz: at hoc est contra dicta: ergo, &c. Patet consequentia: quia etiam effectus, qui ab aliqua causa absolute procedit, debet ab ea secundum proprium modum causandi illius ortum ducere alioquin non esset propriè effectus eiusdem ergo si forma secundum se sumpta non procedit à materia ut includente ipsam, & hic proprius modus causandi materiz non procedet ab illa secundum modum proprium procedendi à causa materiali & ita neque erit absolute effectus illius.

27. Responderetur, non esse necessarium in effectibus, qui absolute ab aliqua causa procedunt, inveniri secundum se totos ita exactè modum causandi illius causæ & depèndendi ab ea satis enim erit: tum quod in formalissima ratione, à qua habent esse effectus, id reperiatur quia: ratione huius reconditur aliquo modo in eos prædictus modus tum etiam quod seipsum, quamvis non omnimodè, participant similem depèndendi modum: quia sicut deviant ab omnimoda ratione effectus talis causæ ita & à modo depèndendi. At forma ut sustentata à quo habet tanquam à ratione formalissima, quod ipsamet absolute sumpta causetur à materia, pendet ab ea ut ab eo, quod intrinsecè includit: quia ut suprà dicebamus forma ut sustentata formaliter loquendo nihil aliud dicit quam materiam, ut dantem se formæ in materia autem, ut data includitur ipsa materia. Similiter forma ipsa sustentata, & materia, ita inter se conferuntur, ut forma licet non includat materia, patet tamen esse unitam cum illa & adèdè intimè ab ea penderet, ut nisi eidem coniungatur, statim saltem naturaliter evanescat: vnde aliquo modo materia est intrinseca illi.

Diximus, *non est necessarium*: quia nec contra rationem effectus absolute sumpti erit, quod in eo vis propria causandi suæ causæ, & modus depèndendi ab illa splendat: imò ratione huius perfectius participabit rationem effectus.

QVÆSTIO V.

**UTRUM CAUSA EXEMPLARIS  
sit vera propria causa formalis, an verò ad ef-  
ficiendum vel finalem pertineat**

**Q**uia causa exemplaris non constituit intrinsecè  
ens naturale idè licet ad causam formalem,  
ut iam dicimus, pertineat, ultimo loco in hac dispu-  
tatione de ea egimus.

*Preludium ad quæstionem.*

§. I.

28. **V**ta, quæ tam pro aduersariorum, quàm  
pro nostra sententia dicenda sunt, intelli-  
gantur permittere primò oportet, quid sit idea, vel  
exemplar. Idea igitur ut ex D. Thoma de veritate q.  
3. art. 1. & ex D. August. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 25.  
colligitur: *Est forma quam aliquis imitatur ex intentione  
agentis determinantis sibi finem.*

Quam definitionem ut explicemus, aduertendum  
est, triplex, quoad præsens attinet, esse genus for-  
marum, est enim alia, ut sic dicamus, forma *ex qua*,  
alia *à qua*, alia tandem *ad quam*. Prima est illa, ex  
qua res constat, seu ut melius, & proprius, loquamur,  
per quam res constituitur in sua specie, & idè etiam  
forma *per quam* a priori nomine. nuncupatur. Secun-  
da verò *à qua* effectus ut ab agendi principio progred-  
itur. Tertia tandem illa erit, ad cuius similitudinem  
aliquid fit. In præsentī ergo definitione illa particu-  
la *forma*, quæ locum obtinet generis pro forma ut  
sic, ut ab his tribus formarum generibus suo modo  
abstrahente, accipienda est. Illa verò dictio, *quam  
aliquis imitatur*, ponitur ad eas includendas formas,  
quas aliæ non imitantur: sicut forma hominis non  
est idea ignis: quia illam ignis forma nequaquam  
imitatur.

29. Sequitur deinde particula illa *ex intentione  
agentis*: ut per illam remoueantur formæ, quas effe-  
ctus casu exprimunt. Vnde si aliquis non attendendo  
ad Petrum verbi gratia, neque ad illius ideam depin-  
geret imaginem aliquam valdè illi similem, non ideo  
Petrus diceretur exemplar illius imaginis. Additur  
tamen *ly determinantis sibi finem*, ad denotandum for-  
mas agentium naturalium excludendas esse, veluti  
forma ignis dum alium generat ignem: nam eum  
medio intellectu, & voluntate suos non producat  
effectus, proindeque nec sibi finem prædeterminare  
possit: sic indè ut illius forma, quam effectus imi-  
tatur nequeat exemplar dici: quia effectus ex in-  
tentione ipsius ignis modo dicto eam non imitatur.  
Quæ explicatio est D. Thom. loco citato de Verit. q.  
3. art. 1. Ex quo fit, andem sortiri rationem talis, qua-  
tenus habet rationem obiecti cogniti: quia hoc ip-  
so quòd sit id, ad quod intendens artifex operatur, non  
potest non, ut idea est, habere rationem obiecti co-  
gniti: quomodo enim ad eius similitudinem potest a-  
gens formare effectus, nisi illam ut obiectum co-  
noscat.

30. Secundo permittendum est, in hac quæstio-  
ne, aliquid supponi certum, & aliquid in dubium  
vocari. Supponimus enim ideam, vel exemplar ad  
aliquod ex quatuor generibus causarum pertinere  
ut suprà disp. 8. n. 16. tetigimus, docent Arist.  
in hoc lib. & D. Thom. ibidem 1. part. quæst. 15.

*Colleg. Compl. Physic.*

& cæteri Scholastici in 1. distinctio 35. & 36.

Cuius optimam rationem innuit D. Thom. 1. p.  
q. 44. art. 3. quia agens intellectuale ex propria na-  
tura non est determinatum ad determinatam formam  
tribuendam effectui: quia agit per intellectum &  
voluntatem, quæ non sunt determinata ad unum;  
sicut agens naturale: Ergo oportet quod suo pro-  
prio, & intellectuali modo determinetur; sed per  
ipsam artem seu scientiam præcisè non determina-  
tur: quia ars seu scientia est principium opposi-  
torum; cum opposita ad eandem scientiam, & artem  
pertineant: ergo præter artem aliquid aliud est po-  
nendum in agente per intellectum per quod deter-  
minetur. Vnde cum hoc quod additur nihil aliud  
sit quam exemplar faciendorum, quia per illud pro-  
ponit sibi quid, quale, & quomodo faciendum sit:  
consequens est quod ab ipso proveniat species, &  
determinatio rei faciendæ, ac proinde sit vera causa.  
Quare solùm vocamus in dubium, ad quodnam ge-  
nus causæ exemplar pertineat.

*Opinio D. Bonaventura, & aliorum.*

§. II.

31. **P**rima sententia asserit ideam, seu exemplar  
non esse causam formalem; sed quoddam propria,  
& per se causalitas illius sit effectiua. Ita D. Bonauen-  
tura in 3. distinctio 11. quæst. 2. Scot. in 1. distinctio 2. quæ-  
st. 2. Herbæus distinctio 36. q. 1. Petrius lib. 8. c. 1. Suarez  
1. tomo Metaph. disp. 25. sect. 2. quos omnes refert &  
sequitur Rubio 1. Physic. tract. q. 3.

Et in primis quoad priorem illius partem scilicet non  
esse causam formalem, sic hanc suam sententiam  
probat Socrates ex Aristot. in 2. libro, qui solùm nu-  
merauit quatuor genera causarum: ergo qui dicunt  
idem esse causam formalem, & exemplarem, ad-  
dunt quintum genus causæ distinctum ab illis qua-  
tuor. Nam licet exemplar nomine formæ appelle-  
tur; tamen reuera est causa, non minus distincta  
à causa informante, quàm ab efficiente illaque con-  
uenientia cum causa formali vix potest esse plusquam  
in nomine.

Deinde eadem pars ratione probatur: si propter  
aliquam rationem idea esset causa formalis, maximè  
quia concurrat obiectiue per modum obiecti cogniti;  
at non sic concurrat: ergo, &c. Minor patet: nam  
hoc ipso quod concurrat obiectiue, non potest con-  
currere efficienter, quippè non se tenens ex parte  
principij, sed ex parte termini, & obiecti ac proinde  
solùm concurrat, quia specificat & passiva sui imi-  
tatione determinat ad certam formam qui modus con-  
currendi est proprius causæ formalis.

Minor verò probatur, quia nullum obiectum di-  
stinctum ab effectu artificiali per se influit in illum.  
Vnde Angeli qui possunt facere res artificiales, non  
oportet ut habeant alterum obiectum interius co-  
gnitum præter ipsas numero res, quas efficiunt. Et  
Christus in quantum homo si aliquod artefactum  
facere vellet, ad nullum aliud obiectum respiceret,  
nisi ad idemmet numero distinctè cognitum, quod  
esset factururus. ergo cum idem respectu sui non pos-  
sit habere veram causalitatem, licet indè ut nullum  
obiectum cognitum per se desideretur, tanquam  
vera causa ad effectum rei artificialis; & per  
consequens quod exemplar, quod intrinsecè deside-  
ratur ad effectum artificialem, non concurrat per  
modum obiecti cogniti.

Confirmatur: nam forma semper est intrinseca  
rei; cuius est forma, ut inductiue in omnibus formis  
patet: at exemplar est intrinsecum quid respectu effe-  
ctus;

H 3



Autem medio producit: quoniam domus facta est extra intellectum, & exemplar intra illum, non ergo exemplar erit causa formalis. Ergo efficiens vel ad efficiendum reducitur nam quod materialis, vel finalis non sit, iam supra disputatione præcedenti probatum est.

Secunda verò eadem sententia pars scilicet causalitatem ideæ esse propriè effectivam, probatur primò testimoniis. Arist. & D. Thomæ nam Philosophus 7. Metaph. text. 13 ait. *Sanctatem extra fieri à sanctitate, quæ est in mente.* Et D. Thom. quod lib. 7. art. 3. inquit similitudo rei cognitiæ dupliciter est in cognoscente: uno modo sicut causata à re alio modo sicut causa rei ut patet in artifice, qui cognoscit artificiatum ut per illam formam, per quam ipsum fecit. Item quia ideæ diuinæ sunt effectrices rerum, teste August. 12. de Civitate Dei cap. 1. & Dionys. cap. 4. & 5. de Diuinis nominibus: ergo & nostræ ad genus causæ efficientis pertinebunt, si quidem aliud sunt quàm participationes quædam diuinarum idearum.

Secundò hanc eandem partem ratione probant: nam ad actionem artificis tria concurrunt, ars, voluntas, & potentia exequens: sed voluntas ut mouens potentiam exequentem, pertinet ad genus causæ efficientis, ergo & ars ut dirigens, & ordinans illam: dirigit autem mediante ideâ, & exemplari: ergo ideâ & exemplar ad idem genus causæ pertinent.

Tertiò, nam quod præstat forma naturalis in naturalibus agentibus, id præstat intellectualis forma, seu ideâ in agentibus per intellectum: at illa ad causam pertinet efficientem: ergo & hæc Maior probatur: quia sicut forma naturalis determinat agens naturale ad determinatum effectum, & secundum, eam prædipnè attenditur similitudo inter verumque: ita ideâ determinat agens per cognitionem ad effectum, facitque illum similem suo modo illi: cum in nullo alio agens per intellectum assimiletur suo effectui: ergo, &c.

*Vera sententia D. Thomæ aliquibus conclusionibus explicatur.*

### S. III.

32. **D**icendum est primò. Ideæ siue exemplari triplex genus causalitatis competit scilicet efficientis, formalis, & finalis. Hæc est D. Thomæ de verit. quæst. 3. art. 1. quam defendunt Nazarius 1. p. quæst. 15. art. 1. controuersia vnica, dicto 3. & sequentibus, & quàm plures ex Thomistis. Probatur quoad primam illius partem, scilicet quoad causalitatem efficientem, ex D. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 6 ubi inquit: *Artifex per verbum in intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum operatur.* Vnde & *Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, & per suum amorem, qui est Spiritus sanctus.* Neque necesse est, rationem aliquam pro hac parte adducere: quia eam satis conuincunt probationes adductæ pro secunda parte primæ sententiæ; quamuis debeant cum limitatione infra adducenda intelligi.

33. Quoad secundam verò partem, scilicet quoad causalitatem finalem sic suadetur assertio ex eodem D. Thomæ 3. contra Gent. cap. 19. ubi sic ait: *Res omnes create sunt quadam imagines primi agentis, scilicet Dei, agens enim agit sibi simile: perfectio enim imaginis est ut representet suum exemplar per similitudinem ad ipsum: ad hoc enim imago instituitur: sunt igitur res omnes propter diuinam similitudinem consequendam, sicut propter vltimum finem.* Ex quibus verbis potest

sequens probatio deduci: bonitas & perfectio exemplari tunc est completa, quando perfectam completur exemplaris similitudinem; & deinde exemplar, & eius bonitas, ut apprehensa ab agente per intellectum, mouet ipsius appetitum ad efficiendam ipsam imitationem, siue similitudinem exemplari ad exemplar ergo exemplar habet etiam extrinsecam causalitatem finalem. Vnde Suarez loco citato non ita consonè ad doctrinam Diu. Thomæ negat, conformitatem exemplari ad exemplar esse intentum, ut finem ab agente, cuius oppositum docuit D. Thom. loco proxime relato.

34. Tandem, quoad vltimam partem, scilicet quoad causalitatem formalem, est assertio nostra. Arist. lib. 5. Metaph. text. 2. ubi diuidit causam formalem in intrinsecam & hanc appellat speciem; & extrinsecam, & hanc appellat exemplar. Et ibidem Diu. Thom. & de verit. quæstione 3. articulo inquit: *Ideam esse formam, quam aspiciens artifex operatur.* Quod etiam recipiunt omnes alij Doctores, & Caiet. 1. parte quæst. 44. art. 3. optimè explicat, qualiter causalitas exemplaris distinguatur à causalitate efficientis, & formæ constituentis illud in actu primo quatenus est principium effectuum quo. Nec necesse erit hanc vltimam assertionis partem ratione confirmare: quia apertè patebit ex his, quæ in secunda conclusione dicemus.

35. Dicendum est secundò. Propria, & essentialis causalitas ideæ non est causalitas finalis, aut efficiens, sed formalis intrinseca. Assertio hæc habet ex præse apud Aristotelem nam ut modo diximus, distinguens quatuor genera causarum, collocast sub causa formali exemplar, quia habeat rationem formæ extrinsecæ respectu effectus producti; & diuidit in eodem loco illam ab efficiente. Id quod etiam docet ibidem D. Thom. locis supra relatis. Et hoc etiam tenent Doctores, quos in initio assertionis præcedentis adduximus, & insuper Caietan. loco citato 1. parte quæst. 44. art. 3. Vnde in hoc sensu intelligendus est, ut bene notauit P. Magister Ioannes Gonçalves, dū dixit, ideam non significare formam quā agens agit; sed quam concipit, ad cuius similitudinem operatur.

36. Et sigillatim quoad omnes eius partes & in primis quoad primam, scilicet de causalitate finali sic suadetur assertio: nam etsi ratio formæ intrinsecæ in idem numero coincidat (realiter loquendo) cum fine, imò & ratio formæ fundet rationem finis, nihilominus alia est ratio finis in illa, & alia ratio formæ: ergo similiter licet forma extrinseca, quæ est ideâ, vel exemplar in idem numero realiter coincidat cum fine: imò exemplar quatenus tale, fundet etiam consequenter causalitatem finis, ut ostensum est; nihilominus formaliter loquendo alia erit causalitas eius, ut exemplar, & alia ut est finis.

Consequenter ex paritate rationis satis patet & insuper sic declarari potest. Nam sicut causalitas formalis formæ intrinsecæ consistit in hoc, quod det actualitatem, & speciem: & causalitas finalis in hoc, quod moueat ut quo. & tanquam terminus formalis ipsum egens, & ob id hæc duæ causalitates distinguuntur in ea, & quatenus est forma, est propria illius causalitas, illa prior, scilicet formalis: ita similiter causalitas ideæ, ut ideâ est & exemplar: quia essentialiter est forma, ut ex definitione eius constat; ideo consistit formaliter in imitatione formali, quā vna forma ab alia deducta est, & consequenter, in hoc, quod det speciem per modum formæ extrinsecæ. At causalitas eius, ut finis, posita est in hoc, quod prædicta forma, & eius bonitas, ut apprehensa ab agente, per intellectum alliciat illum ad efficiendam

ciendam ipsam imitationem, seu similitudinem exemplari ad exemplari. Ergo hæc duæ causalitates distinguuntur, in illa priori consistet causalitas illius ut idea est ut sic sit debita similitudo inter utramque formam intrinsecam scilicet, & extrinsecam.

37. Secundò quod reliquas duas partes scilicet quòd propria ideæ causalitas non sit efficiens, sed formalis, sic suadet assertio: quia causa efficiens, ut completa per suas potentias, & virtutes agendi, est per se principium mutationis, seu motus, ut ex Aristotele disputatione sequenti quæst. 1. dicemus: sed idea, vel exemplar, non est per se primò principium mutationis, seu motus: ergo non causat primò, & per se efficienter. Consequentia patet. Minor verò probatur quia solum consequenter, & secundariò inclinatur in motum. Tum quia id docet D. Thom. 3. parte quæst. 78. art. 2. ubi sic ait: *Forma artificialis est similitudo ultimi effectus, in quem fertur intentio artificis: sicut forma aris in mente adificatoris, est forma domus adificata principaliter; adificationis autem consequenter* Tum etiam, quia idea non est exemplar ipsius adificationis; sed adificij: ergo causalitas exemplaris ut sic, non est causalitas efficientis, Patet consequentia: quia causa efficiens, ut completa per suas potentias, per se est principium mutationis, ita ut per se primò Determinet ad operationem, nam potentia activa est propter actum, & speciem capit ab illo eo modo, quem infra dicemus.

Et confirmatur: idea per se primò concurrat per modum similitudinis determinantis ex parte termini; non verò ex parte principij: ergo eius causalitas essentialis non inter effectivas, sed inter formales connumeranda est. Atcedens est D. Thom. 1. parte, quæst. 15. art. 1. & de veritate quæst. 3. art. & ob hanc rationem docet ibidem, ideam non esse speciem impressam; sed expressam. Consequentia verò satis constat: nam proprius modus influendi causæ efficientis est influere ex parte principij. Confirmatur tandem nam aliter debet influere ars, & aliter idæa: quia ars est principium actionis artificiosæ, & ex parte principij se tenens; idea verò essentialiter habet, quod determinat ad hoc potius artefactum, quam ad aliud. At propria causalitas artis pertinet ad efficientem: ergo causalitas essentialis ideæ erit formalis.

*Satisfit argumentis opposita sententiæ.*

#### §. IV.

B. **A**D primum ergo pro prima parte primæ sententiæ patet ex locis Aristot. pro nostra sententiæ citatis & ex his, quæ disputatione præcedenti quæst. 1. diximus. Item ex similitudine; quæ est inter formam extrinsecam, & intrinsecam, quoad hoc quod est dare speciem ad rationem verò, quæ in confirmationem huius partis scilicet quòd idea non sit causa formalis, adducitur; neganda est minor. Ad probationem quòd licet demus exemplar extremum non per esse necessarium, secus tamen est de exemplari interno, & per modum obiecti concurrente. Nec verum est quòd illud exemplar non sit distinctum ab effectu efficiendo, & ante præcognito. Quia etsi res representata splendet ad vnguem millo, distinguitur tamen ab eodem, ad minus in modo essendi, ac proinde & realiter. Ad confirmationem respondetur quod dare esse intrinsecè non est proprium

formæ intrinsecæ, quia forma est; sed quia est intrinsecæ, & idè non mirum quòd idea simpliciter sit forma licet non det esse intrinsecè.

Ad argumenta pro secunda parte huius sententiæ non oportet respondere quia probant esse in idea causalitatem efficientem, quam non admittimus sed non ita ut nec sit prima, & essentialis illius causalitas: quia per se primò non inclinatur in operationem, sed secundariò, & consequenter. Vnde causalitas eius non est per se primò efficiens; sed per se secundò, idè secundariò est forma, qua agens operatur.



## DISPUTATIO X.

### DE CAUSA EFFICIENTE.

**I**N ITA iam explicatione causarum intrinsecarum, meritò ad explicandam naturam intrinsecarum accedimus. Et licet causa finalis nobilior, & prior sit in modo cauendi, ut patebit ex his, quæ infra disputatione 14. dicebamus: nihiloominus primo loco de efficiente agemus quippe, quæ tam secundum se, quam secundum suam causalitatem, est nobis notior; ac proinde aprior, ut prius de illa quam de causa finali sermo institatur.

#### QVÆSTIO I.

*UTRUM CAUSA EFFICIENTIS rectè definiatur Per Hoc, quod sit id, à quo primo incipit motus,*

**N**ON inquirimus, an sit causa efficiens: quia id satis superque notum est. Quare meritò à quæstione quid est, incipimus. In quo causa prima ratio dubitandi est: quia cum dicitur, tam efficientem esse id, unde primò incipit motus, vel per illam particulam *primò* denotatur, quòd facta collatione inter causam efficientem, & alias causas, incipit ab ea primò motus; atque adeo ipsa primò simpliciter est causa illius, vel tantum quia in suo proprio genere incipit ab ea idem motus. Non primam: quia ut infra disp. 14. dicemus ex D. Thom. causa finalis est simpliciter prima in cauendo: quia efficiens non causat, nisi ut mota à fine, ac proinde prius mouetur ab illo, quam causet. Si verò secundum asseratur, fiet inde, eadem ratione posse definiiri causam materialem, vel formalem per eandem definitionem: quia ab eisdem primò primitate in proprio genere, incipit motus.

Secundò, nam causa secunda verè est causa efficiens, & tamen non est id unde primò incipit motus etiam in genere causæ efficientis: ergo, &c. Maior patet. Minor verò probatur nam causa secunda agit subordinata causæ primæ, & ut mota & applicata ab ea ad agendum, ut infra disput. 11. dicemus ergo non incipit ab ea motus, etiam in genere causæ efficientis, sed à prima quæ illam explicat, & mouet.

H 4 . Cno

Confirmatur, nam cum instrumenta pertineant, & reducantur ad causam efficientem, debet illis convenire aliquo modo id, in quo dicitur hanc causam differre ab aliis causis, scilicet in *ly primo*; at hæc particula illis non convenit vlllo modo: ergo &c. Minor probatur quia de ratione instrumenti est, ut agat in virtute alterius, ac proinde motum ab alio; ergo & quod sit non sit id vnde primo; sed vnde secundo, & dependenter ab alio incipit motus.

Tertio, nam supra definitimus naturam ex Aristotele per hoc, quod sit principium motus quietis, primo, & per se; ergo male nunc definitur causa efficiens per hoc quod sit id, à quo primo incipit motus. Patet consequentia: quia conceptus naturæ non est conceptus causæ efficientis, imò est ab illo distinctus, ut constat ex his, quæ supra disp. 7, num. 7. diximus.

Quarto tandem, causa creans est causa efficiens; imò potissima inter efficientes, & tamen non est id, vnde incipit motus: ergo, &c. minor probatur: quia cum creatio non sit motus, aut mutatio quippe, quæ non supponit subiectum quod mutatio prærequirit non potest talis causa esse principium mutationis per hoc quod sit principium, à quo est creatio, ut docet D. Thom. 1. parte. quæst. 45, art. 2.

2. In contrarium tamen est autoritas Aristotelis in hoc lib. cap. 3. & D. Thom. ibid. Quorum sententiam libere nter amplectimur. Tenent etiam hoc ipsum Masius, Toletus, & alij.

Ut autem melius, & radicatus percipiatur, in quo causa efficiens differat ab aliis, ac proinde sensus legitimus traditæ definitionis pateat, notandum est dupliciter posse intelligi aliquid esse id, vnde primo incipit motus. Primo, ordine intentionis quomodo causa finalis est quæ prima influit, ut docet D. Thom. 1. parte quæst. 5, art. 4. & art. 2. in solutione ad primum quia ex eo agens agit, quoniam intendit aliquid, ac per consequens, quia movetur à fine. Secundo, ordine executionis seu secundum esse, & ita ab efficiente primo incipit motus, nam licet quævis causa sit in suo genere id, vnde primo est motus: quia nec materia aliam materiam; nec forma aliam formam præsupponit; si tamen fiat collatio inter ipsas causas & earumdem causalitates, tunc causa efficiens est id, à quo absolute incipit primo motus ordine executionis, secundum suum esse exercitum.

Vnde hæc causalis est vera quia efficiens agit, ideo materia incipit formam, & forma informat materiam & subsequitur compositum, quod erat finis intentus: nam cum materia non possit seipsam movere ad formam: quia nullius est actiuitatis; nec rursus forma possit seipsam efficere quia nihil est causa sui; oportet ut adueniat efficiens, quod materiam moueat ad formam, & illam de potentia materię educat sicque resultat totum compositum, quod primo à natura intendebatur.

3. His ergo suppositis, facile constat: tum, quàm legitima sit prædicta definitio siquidem explicat id, in quo potissime causa efficiens ab aliis distinguitur. Tum etiam solutio omnium rationum dubitandi, quas initio huius quæstionis adduximus. Nam ad primum patet, quomodo *ly primo* sumatur, scilicet quatenus denotat causam efficientem, esse id, à quo ordine executionis, & secundum esse motus, & quies absolute, & simpliciter incipit, etiam si fiat collatio cum cæteris aliis causis ut explicatum est.

4. Ad secundam, quod licet collata causa secunda efficiente cum prima, scilicet Deo, non sit id, à quo primo incipit motus, & quies; bene tamen si con-

feratur ordine executionis, & secundum esse, cum aliis causis aliorum generum: & hoc sufficit eo sanè modo, quem iam in sequenti solutione explicamus.

Ad confirmationem patet ex dictis: quia si instrumentum conferatur modo prædicto cum aliis causis, prius ab eo, quàm ab illis, incipit motus: licet in hoc deficiat instrumentum, à rigore causæ efficientis: hæc enim collata in suo ordine, scilicet in genere causæ efficientis, vel proximæ, vel vniuersalis cum aliis causis materialis scilicet, & formali, ac finali, habet, si fuerit causa efficiens proxima quod ab ea primo incipiat effectus independenter ab alia causa eiusdem ordinis scilicet proxima, & consequenter habet, quod ab ea primo simpliciter, & in rigore incipiat motus. Quia dependentia ab alia causa vniuersali sicut non tollit à causa proxima rationem causæ principalis: ita neque quod ab ea primo incipit motus. At vero instrumentum, quod inter causas proximas connumeratur, talis est naturæ, ut dependenter ab alia causa proxima, seu principali moueat, ac proinde nunquam ab eo ita incipit motus, ut primo simpliciter, & rigore ab eodem incipiat.

5. Ad tertium: naturam tantum esse per se primo principium motus interni. Vnde additur in definitione naturæ principium, & causa motus, & quietis, eius in quo est; causa autem efficiens est id, à quo primo absolute incipit motus, siue sit internus, siue externus. Item, natura secundum rationem naturæ non perit, ut ab ea primo incipiat motus in comparatione ad alias causas: quoniam materia est natura, & non incipit ab ea primo motus in in sensu dicto. Tandem natura, ut talis, tantum est principium quod; at causa efficiens potest esse principium quod, à quo primo incipit motus.

6. Ad ultimum: quod sicut Aristor. non cognouit causam agentem per creationem, ita neque illam definiuit: potest tamen facile formari definitio, quæ comprehendat, tam causam efficientem operantem per motum, seu ex præsupposito subiecto, quàm eam quæ ex nihilo operatur, si dicatur, causa efficiens est id, quo primo incipit productio rei: per cuius ultimam particulam denotatur, intelligendam esse de ordine executionis.

## Q V Æ S T I O II.

### Quotuplex sit causa efficiens.

7. **P**lures satis & variae possent & efficientis causæ diuisiones adduci, nos tamen eas, quæ magis necessariae sunt afferemus. Diuiditur ergo ab Arist. in hoc lib. cap. 3. causa efficiens in causam per se, & per accidens. Causa per se est illa à qua secundum quod talis procedit effectus: ut statuarius est causa per se statuæ, & ædificator ædificij: quia ab illis ut talibus effectus isti procedunt. Causa vero per accidens est, quæ coniungitur per accidens causæ per se, & ponit exemplum Arist. in Polycleto, qui per accidens est causa statuæ: quia accidit quod Polycleto sit statuarius: & similiter musicus dicitur causa per accidens statuæ quia musica coniungitur per accidens statuario.

Dupliciter autem potest contingere, aliquam causam esse per accidens. Primo, ex parte ipsius cau-

æ,

sz, vt in exemplis adductis patet. Secundò, ex parte effectus quando nimirum effectui per se alicuius causæ, per accidens coniungitur aliquid aliud, vt effodiens terram dicitur causa per accidens inuentio- nis thesauri: quia effossioni ipsi, quæ est effectus per se hominis effodientis terram, coniungitur per ac- cidens inuentio thesauri.

Sed obiciens contra exemplum quod ex Aristotel. adduximus ad explicandam causam per accidens: quod Polycletus denotat suppositum: quia est nomen pro- prium huius hominis: at suppositum: est causa per se: nam actiones per se fluunt à suppositis: ergo non erit causa per accidens.

Obiectionem hanc, & exemplum Polycleti in de- finitione causæ per accidens consultò proposuimus: quia ex his magis quidditas huius causæ (si quiddita- tem habere verum est) explicabitur. Respondetur ergo, actiones esse suppositorum; non tamen sem- per per se; sed aliquando per se; aliquando verò per accidens: nam si supposita agant iuxta propriam for- mam, fueruntque expressa nominibus denotantibus dependentiam effectuum ab eis: atque ita signifi- cantibus suppositum, vt habet illam formam, per quam effectus dependet, tunc suppositum significa- tur, vt causa per se, fin minus causa accidentaria nuncupabitur. Vnde Polycletus artifex, si nomine artificis explicetur, iam vt causa per se denotatur; secus verò si nomine Polycleti; significetur, quam solutionem innuit Diu. Thom. 1. 2. quæstione 85. artic. 5.

8. Relicta igitur causa per accidens, diuiditur rursus causa per se in principalem, & instrumenta- lem. Principalis est, vt inquit D. Thom. 2. p. q. 62. art. 1. & quæst. 4. de malo, art. 1. ad 14. quæ propria virtute operatur, vt patet respectu filij. Instrumentalis verò est illa, quæ in virtute alterius operatur, seu quæ ele- uatur ad effectum, quem ipsa secundum se præstare non potest, vt colligitur ex eodem S. Doctore 3. parte quæst. 62. art. 1. & 1. p. qu. 45. art. 5. & 2. contra Gent. cap. 21. Vtraque autem causa vltèriùs diuiditur, nam instrumentum in duo membra partitur, scilicet in coniunctum, & separatum. Primum est illud, quod ex sua natura est coniunctum cum agente principali: vt lingua, & manus in homine, vt docet Doctor Ange- licus 3. p. quæst. 62. art. 6. & 4. contra Gent. cap. 41. Se- cundum verò, scilicet separatum, est illud (vt ipsum nomen præ se fert, & docet D. Thom. locis nunc ci- tatis) quod est disiunctum ab agente principali. Vnde iuxta communem Thomistarum, & Theologorum sententiam, humanitas Christi Domini est instru- mentum coniunctum ad iustificandos homines, ad opera miraculosa edenda, &c. eo quod illa est con- iuncta cum Verbo quod prædicta mirabilia operatur. At sacramenta nouæ legis sunt instrumenta separata Christi: quia sunt, natura, & essentia, ab illo distincta, & ab eo secundum esse omnino separata.

9. Deinde, causa principalis multiplici diuisione partitur scilicet in primam, & secundam; in vniuer- salem, particularem: in vniuocam, & æquiuocam; in totalem partialem; in liberam, & necessariam, in essentialiter subordinatas, & in accidentaliter tantum subordinatas. In quibus diuisionibus quælibet duo membra eo ordine, quo collocata sunt vnam diuisionem efficiunt. Causa igitur prima (vt singulas sic cau- sas enumeratas explicemus) est illa, à qua cæteræ causæ pendent, illa verò à nulla est pendens: vel vt melius loquamur, est illa, cuius proprius effectus est ipsum ens, seu ipsum esse absolutè, vt docet D. Thom. Causa verò secunda est ea, quæ in sua causalitate pender à prima: seu cuius proprius effectus est tale ens, vel tale esse vt docet idem S. Doctor. Deinde causa vni-

uersalis est, quæ plures, si diuersos producit effectus, vt sol; particularis verò, quæ ad aliquem determina- tum effectum destinata est, Vltèriùs, causa æquiuoca est, quæ producit effectum diuersæ speciei ab ipsa causa; è contra verò causa vniuoca, quæ attingit effe- ctum eiusdem speciei cum illa.

Item causa totalis est illa quæ in suo genere, & ordine potest per se producere effectum. Vnde licet pendeat à materia, & forma, imò & ab aliis causis efficientibus diuersi ordinis, puta à causis vniuersalibus & à prima causa, scilicet Deo, non ob id definit esse causa totalis: quia non indiget alia eiusdem ordinis scilicet alia causa proxima. Causa verò partialis est illa, quæ per se non potest sine auxilio causæ eiusdem ordinis producere effectum: vt duo homines con- iuncti ad portandum pondus, quod neuter per se por- tare poterit. Deinde causa libera est illa, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari. Sicut & causa necessaria ea est, quæ positis eisdem requisitis, non potest non operari.

Tandem, causa per se subordinata illa erit, quæ non potest operari; nisi dependenter ab actuali concursu illius causæ, cum qua per se nequitur: vt patet in causa secunda respectu primæ. Sicut & causa accidentaliter subordinata, & concatenata, censenda est, quæ non indiget actuali concursu alterius, vt pater, & filius: nam licet filius à patre pendeat, quatenus ab eo ha- bet suum esse; non tamen indiget concursu actuali illius, vt operetur & ideo mortuo parente, potest operari.

### QVÆSTIO III.

*Verum virtus principalis, per quam causa efficiens producit aliam substantiam, sit forma ipsa substantialis, per quam in suo esse constituitur: an verò potentia operativa accidentales, quas habet?*

**Q**uia quod primò intendit causa efficiens, est producere in quantum potest sibi simile in sub- stantia: idè primo loco inquirimus de virtute, seu ra- tione agendi, quæ est in causa efficiente in ordine ad aliam substantiam.

#### QVID SENTIAT PEREYRA.

##### §. I.

10. **B**enedictus Pereyra P. cap. 11. 12. & 13. Basseruit, formam substantialem nullo modo concurrere ad effectum alterius substantiæ; sed sola accidentia, eaque esse causam principalem in tali productione. Et probatur primò quia Aristot. lib. de sensu, & sensibili, cap. de sapore ait ignem non agere vt ignem; sed vt calidum, & consequenter solus calor erit illi ratio, & principium quo agendi: sicut per solum illum redditur calidus.

Secundò sæpè cernimus ignem generari, non ab alio igne; sed à solo calore; ergo tunc calor virtute propria attingit illam productionem, & consequen- ter est causa principalis. Antecedens probatur: quia à calore ferri candentis, sæpè gignitur ignis in stupa, & nihilominus ferrum illud non est ignitum: quia aliàs quantumuis in aquam immergeretur, non ma- neret ibi forma ferri, quam tamen ibi experi- mur. Similiter accidentia vni consecrati, in quo nulla forma substantialis vini est, vt docet. Concil. Trident.

Trident. sess. 13. c. 4. canone 2. possunt guttam aquæ in vinum conuertere: ergo, &c.

Tertio accidentia reuera attingunt ad productionem substantiæ, ut quæstione sequenti fusiùs probabimus; at nullam superadditam virtutem accipiunt in ordine ad hanc productionem: ergo virtute propria producunt illam: ergo ut causæ principales. Minor probatur: quia vel illa virtus superaddita esset substantia, vel accidens; non primum: quia virtus superaddita alicui, debet recipi in eo; at substantia nequit recipi in accidenti. Sed neque secundum: quia si semel hæc virtus addita, est accidens, & sine veteriori additione virtutis substantialis potest attingere substantiam, iam saluatur, quod accidens produceret substantiam virtute propria: quoniam virtus illa accidentalis sine eo, quod aliquid ei addatur, ac proinde virtute propria produceret illam.

Adde, quod, ut sequenti quæstione latius dicemus substantia non potest esse immediatè operatiua. At si aliqua virtus, siue illa esset substantialis, siue accidentalis deriuaretur à substantia in accidens, iam substantia esset immediatè operatiua respectu illius virtutis. Quia cum hæc virtus præsupponeretur actioni accidentium, nam datur ad hoc ut agant, non posset deriuari à substantia in accidentia media actione eorundem accidentium, ac per consequens immediatè fluere à substantia.

Confirmatur primò, calor ex vi sua, & ex propria natura habet quod sit virtus ignis quia hoc, quod est esse virtutem ignis, conuenit illi essentialiter nam competit illi quatenus est calor: atque ita virtute propria, sed ut virtus ignis producit ignem ut quæstione sequenti dicemus. Ergo ex vi sua, & virtute propria producit illum. Confirmatur secundò: calor ut octo virtute propria absque eo, quod ei aliquid superaddatur, producit calorem ut octo: ergo & ignem ac proinde ut causa principalis. Antecedens patet, si enim calor ut duo ex se habet producere virtute propria calorem ut duo, cur calor ut octo non erit ex se sufficiens ad calorem ut octo producendum? Consequentia verò probatur: quia calor ut octo est vltima dispositio ad formam ignis: at qui virtute propria attingit vltimam dispositionem ad aliquam formam, attingit etiam eandem formam: ergo, &c.

#### *Expenditur vera sententia.*

#### *§. II.*

11. **D**icendum tamen est, accidentia non esse causas principales respectu productionis substantiæ; sed formam substantialem in tali productione esse rationem agendi præcipuam. Hæc est Arist. 1. de Generat. text. 54. & 55. & in hoc lib. cap. 7. D. Thom. 1. p. quæst. 77. art. 1. ad 4. & adeo communis, ut omnes, vel ferè omnes Philosophi, & Theologi eandem contra Pereyram tueantur. Et probatur ratione; primò: actiones propriæ sunt suppositorum, seu subsistentium sed forma substantialis est id, quo suppositum est tale: ergo etiam ipsa sola erit primum principium quo eorundem operationum. Maior est Arist. 1. de Anima c. 4. & D. Thom. 1. p. quæst. 75. art. 2. & 2. 2. q. 58. art. 2. & 3. p. q. 19. art. 1. ad 3. Ratioque ipsa hoc coniungit quia operari præsupponit esse, & ex illo consequitur: ergo operari per se, & propriè solum est illius, cuius est esse per se: sed solum compositum, vel suppositum, seu subsistens substantiale habet per se esse: ergo illud solummodo est quod operatur ut *quod*. Ex quo consequentia primi syllogismi sic suadetur: quia ex eo quod suppositum est id, quod est; ideo est efficiens ut

*quod*, primum, & præcipuum; ergo quia sola forma substantialis est id quo ipsum suppositum primò est, seu ratio prima essendi; ideo etiam per se sola erit id, quo primò operatur suppositum, seu prima, & præcipua ratio operandi: & ita id accidentibus minimè conueniet.

12. Confirmatur si forma substantialis in composito non esset principium primum operandi: ergo frustra esset in illo quoad operari: quia, ut quæstione sequenti dicemus, non potest esse principium proximum operandi.

Respondet Pereyras non esse necessarium, quod ab eo, à quo prouenit esse, proueniat operari, & quod forma non est frustra in composito, et si non sit principium operandi, tum quia dat esse sistendo ibi: tum quia cum non ordinetur ad operationem, non erit frustra, & non det operari,

Sed contra tum quia cum vnumquodque agat, secundum quod est in actu, ut omnes Philosophi restantur, oportet, ut id, quod dat composito esse, primò in actu tribuat etiam quod sit primum principium operandi. Sicut quia vnumquodque recipit ratione suæ potentialitatis, necesse est, ut quod est prima potentia, qualis est materia prima, sit prima ratio recipiendi, & consequenter quod hoc ipso, quod sit in composito, tribuat illi esse materiale, sitque eidem prima ratio recipiendi cætera. Qua ratione vtitur D. Thom. 3. contra Gentes cap. 69. Tum etiam quia Aristot. 2. de anima definiens animam, quæ est forma quædam, ait quod anima est quæ non solum sumus, & viuimus, sed quæ primò sentimus loco mouemur, & intelligimus: ergo forma non sistit in hoc, quod est dare esse: sed vltius se extendit ad dandum composito, quod sit primum principium operandi.

13. Secunda ratio principalis est: nam accidentia sunt simpliciter imperfectiora, quàm substantia, ut ex se constat: ergo non possunt per modum causæ principalis attingere illius productionem: ergo sola forma substantialis erit prima præcipua ratio agendi. Hæc vltima consequentia est euidens: quia præter formam substantialem, & accidentia nihil restat, quod sit ratio agendi: nisi materia prima; quam tamen esse totius actiuitatis expertem satis ex supra dictis constat. Sed & prima consequentia etiam liquet: quia quod est imperfectius, non potest per modum causæ principalis attingere ad productionem perfectioris.

14. Respondet Pereyras quod accidens, & substantia dupliciter possunt considerari: vel in ratione entis vel in ratione productiui, & producibilis: licet ergo si priori modò sumantur, tunc accidens sit imperfectius, quàm substantia, secus tamen secundum posteriorem considerationem. At sufficit quod accidens ratione productiui vincat substantiam, ut possit illam propriis viribus producere.

Sed contrà: quia id, quod est perfectius aliquo in ratione productiui, debet perfectius vel saltem æquè perfectum cum illo in ratione entis producere. Tum quia vis producendi in entitate fundatur. Vnde, quod in esse entis non æquè perfectum est, aut perfectius alio, non potest habere hoc ipsum in ratione productiui. Tum etiam, quia necesse est ut contineat illud, vel formaliter, vel eminenter, quandoquidem in genere causæ efficientis nemo dat, quod non habet: ac per consequens si semel producit entitatuam perfectionem substantiæ; necesse est, ut contineat illam in esse entis.

Confirmatur: quia aliàs ex eo, quod Deus esset causa omnium creaturarum, non probaretur legitimè, quod esset perfectior in ratione entis, quàm omnes illæ. At hoc est contra omnium Doctorum sententiam; imò & contra Paulum ad Roman. 1. ubi inquit:

*Inuisibilia*



*Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas.* Vbi non solum dicitur quod sempiterna Dei virtus, quæ est ei, nostro modo intelligendi, principium agendi, deprehenditur à nobis effectibus; sed etiam ipsa Diuinitas, quæ est essentia Dei, & perfectio eius in esse entis: imò & ex opposito fieret, nullum posse dari argumentum efficax ad conuincendum eum qui dixerit, totum mundum potuisse fieri à quamdam formica: quia hîc etiam posset dicere, quod formica est perfectius quid in ratione productui omnibus aliis mentibus, sicque etsi ipsa in ratione entis sit satis imperfecta, potuisse totum hunc orbem efficere.

15. Secundò respondet idem author, dupliciter posse aliquid fieri; vel per se, & per propriam actionem; vel per accidens, & per resultantiam ex alio: etsi ergo illud prius non possit fieri ab eo, quod est imperfectius: quia necesse est ut per se, & directè contineat illud: secus tamen illud, quod tantum fit per accidens, & resultantiè: quia tunc satis est continere id, quod per se fit: quia hoc semel contento, & facto, statim aliud naturaliter resultat. Quare cum forma substantialis ignis fiat per resultantiam: quia posita vltimâ dispositione, verbi gratia calore ut octo. statim resultat: sit indè ut cum calor ut octo possit se solo producere hanc vltimam dispositionem, possit attingere ad productionem substantiæ: etiam si non habeat tantam perfectionem, quam substantia.

Sed contrà: quia etsi demus, substantiam fieri per naturalem resultantiam, esseque terminum secundarium ordine executionis (de quo infra in hac eadem disputatione, q. 6. dicemus) est tamen terminus primarius ordine intentionis. At virtus effectiua per se tributa à natura, habet commensurari cum termino per se primo intento. Vnde causa, quæ non continet hunc terminum, nec potest attingere terminum primarium executionis, ut est illatiuum termini, qui est primarius intentionis, & secundarius executionis.

Explicatur hoc: terminus primarius executionis, ut infert terminum primarium intentionis, assumitur à natura, ut medium ad illum: ergo ratio attingendi terminum primarium executionis secundum istam rationem desumenda est ex ipso termino primario intentionis: quia quæ sunt ad finem desumuntur, & regulantur ex ipso fine. Ergo qui non continet finem, ut finem, nec potest illum attingere: non valebit continere, aut attingere medium.

*Respondetur argumentis Peteyra.*

### S. III.

16. **A**D primum, solum velle Aristotelem in illo testimonio, ignem non nisi per calorem ut instrumentum vel saltem causam dispositiuam posse gignere ignem. Vnde si consideretur destitutus calore, non generabit illum.

17. Ad secundum responderetur: quod etiam si demus, calorem attingere effectiue productionem substantiæ, & non tantum dispositiue se habere ad illam, ut vult Scorus, & plures alij (de quo in quaestione sequenti dicemus) nihilominus non conuincit argumentum, quod calor sit causa principalis in tali productione: quia semel à generante deciso semine, vel eo, quod se habet veluti semen, & virtus illius, nihil refert, quod generans pereat, & non sit secundum suam substantiam præsens effectui: quia iam reliquit ibi suam virtutem. Vnde effectus postea ab illis vir-

tutibus causari & eisdem excedentes, non causantur principaliter ab illis; sed à generantibus relinquentibus eas quia agunt ut virtutes alterius, ac proinde tanquam causæ instrumentales. Quare cum accidentia vini consecrati (si semel verum est, quod accidentia attingunt productionem substantiæ effectiue) sint virtutes illius, in ordine ad conuersionem illius guttæ aquæ in vinum: ideo satis est manere talia accidentia, ut vinum absens, & conuersum in substantiam sanguinis Christi dicatur, & si causa principalis illius conuersionis, ut bene notauit Masius in hoc lib. cap. 3. sect. 3. quæst. 7. §. *Prima dubitationis*: citans pro se Caietan. Capreol. Agidius. Scotum, & plures alios non secus ac quando semel deciso semine ab homine, statim moritur homo ille, tunc non est dicendum, quod semen illud sit pater hominis geniti; sed homo, à quo deciso.

Per quod etiam patet ad exemplum illud de ferro candenti. Quamuis etiam addi posset semper in ferro illo esse aliquas partes porosas ignitas. Vnde non mirum, quod ratione harum partium possit comburere, & ignire supram. Quæ solutio non parum habet probabilitatis ex eo, quod postea in ferro illo apparent aliqui cineres. At hi numquam generantur, nisi ad definitionem formæ ignis: sicut nec forma cadaueris, nisi ad definitionem formæ viuientis. Vnde sicut ex eo, quod in aliqua materia sit forma cadaueris, colligimus fuisse ibidem formam viuientis: ita ex eo, quod in ferro apparent illi cineres, inferemus præfuisse ibidem formam ignis in prædicto casu.

18. Ad tertium patet ex dictis: nam ad hoc, ut aliquid operetur, ut causa principalis, desideratur quod non operetur ut virtus alterius in ordine ad effectum nobiliorem se. Vnde cum calor operetur hoc modo: consequens est, ut non sit causa principalis ignis, & ita nihil refert, quod postquam semel habet ut sic virtus ignis, iam non indigeat aliquo alio realiter superaddito ad attingendam productionem illam. Quare, cum in definitione causæ principalis dicitur esse illam, quæ operatur virtute propria, ly *virtute propria* excludit etiam, quod non operetur ut virtus alterius in ordine ad effectum iam dictum sed hæc omnia amplius patebunt ex dicendis infra quæst. 4. huius disp.

19. Ad primam confirmationem responderetur; negando calorem esse essentialiter virtutem ignis: quia si consideretur quatenus est accidens talis generis, & speciei, non est virtus ignis: quia calor secundum hanc rationem non importat hoc, quod est dimanasse ab aliqua determinata forma per modum virtutis eius; sed ab omni forma, siue vitali, siue non vitali, siue corporis simplici, siue mixti abstrahit. At quatenus virtus ignis petit, ut profluat à forma ignis per modum virtutis eius, illique coniungatur coniunctione, siue formali, siue virtuali: & ratione huius coniunctionis, & dimanationis manet ille calor virtuosior, & vigorosior eo modo, quem infra explicabimus: & ideo ex diuersa coniunctione ad diuersas formas substantiales; distinctos etiam effectus producit: nam coniunctus cum substantia animalis attingit productionem carnis, & sanguinis; & cum igne productionem ignis: sicut & vnitus cum fæmina producit lac, cuius productione non attingit coniunctus cum viro, etiam si calor in utroque sit eiudem speciei.

Quare esse virtutem substantiæ; aliquid addit non quidem realiter, siue formaliter, sed virtualiter distinctum ab eodem calore, ratione cuius habet hunc maiorem vigorem, quod quidem prouenit illi ab eadem substantia, cuius est virtus. Vnde optimè colligimus à priori habere prædictam vigorositatem

ad

ad producendum, verbi gratia, ignem ex eo quod à forma ignis fluat. Nec inde fit, substantiam esse immediate operatiuam; quia calor vna cum hoc vigore procedit ab ea per naturalem sequelam, quæ si formaliter consideretur, non est actio, ut iam dicemus quæst. 7. huius disp.

Adde, quod etiam si daremus, esse essenziale calori, quoddam sit virtus ignis, solum sequeretur, fore essenziale illi esse instrumentum eiusdem ad productionem alterius ignis quia operari, ut virtus alterius in ordine ad effectum nobiliorem, est operari ut instrumentum illius eo modo, quem infra dicemus.

20. Ad secundam confirmationem responderetur calorem ut octo non procedere, nisi à forma substantiali, ut à causa principali: quia cum produciatur ignis in stupa, non introduciatur ante formam ignis tantus calor; sed ille, qui sufficit ad destructionem dispositionum confirmatiuum formæ stupæ, & ad disponendam materiam pro forma ignis. At minor calor, quam calor ut octo est ad id sufficiens, ut constat: quare calor ut octo fit per naturalem resultantiam à forma ignis geniti: & ideo solus ille qui potest propria virtute attingere formam illam, potest & calorem ut octo producere; quia terminus secundarius, & resultans non attingitur à generante, nisi ex vi productionis termini, à quo resultat.

Vnde fit, quod vltima dispositio ad formam ignis, secundum hanc formalem rationem considerata, numquam possit effectiue procedere principaliter à calore: tum quia ut docet probabilior opinio D. Thom. & Thomistarum, hæc dispositio provenit à forma ignis denuò genita, ut alibi dicitur tum etiam, quia (ut ex dictis constat) qui non potest attingere propria virtute terminum primarium intentionis naturæ, qualis est forma substantialis, nec poterit producere terminum primarium executionis, qualis est vltima dispositio, dato quod sit omnino antecedens ad eandem formam substantialem.

#### QVÆSTIO IV.

*Verum forma substantialis non solum sit principale etiam immediatum principium, & ratio producendi aliam substantiam.*

*REFERATUR SENTENTIA Scoti, & aliorum.*

##### §. I.

21. **P**rima sententia asserit formam substantialem esse immediatum, imò & vnicum principium; seu rationem producendi aliam substantiam; accidentia verò nullo modo attingere effectiue ad talem productionem; sed tantum disponere ad illam. Ita Scotus in 1. dist. 37. quæst. vnica & in 4. dist. 12. quæst. 3. Durand. in 2. dist. 1. q. 4. & in 4. dist. 12. q. 2. Ocham. in 2. q. 23. Iandunus, 1 lib. de Anima, quæst. 8. Valles controuers. 3. ad Tirones, Villalpandus, Tartarret, & alij.

Probatur primò: forma substantialis est immediatum principium essendi respectu totius compositi: ergo etiam erit immediatum principium operandi. Patet consequentia: tum quia ad esse sequitur operari; ergo quod fuerit immediatum principium essendi, erit immediatum principium & ratio agendi; tum etiam, quia ideo materia prima se sola est immediatum principium recipiendi: quia se sola est prima

potentia: ergo cum forma se sola habeat rationem primi actus, etiam se sola erit immediatum principium operandi: nam sicut recipere provenit ex potentialitate: ita agere ex actualitate; maxime quia forma perfectius concurret ad proprios effectus, quam materia ad suos. Si ergo materia non eget superaddita virtute ad causandum, cur forma indigeat ea ad effectus; qui ab illa in genere causæ formalis vel efficientis procedunt?

Confirmatur: forma accidentalis, idè potest esse immediatum principium operandi effectus accidentales & habentes esse secundum quid: quia est actu accidentalis tribuens esse secundum quid. Ergo cum forma substantialis sit actus de genere substantiæ, & tribuat esse simpliciter, poterit utique se sola esse immediatum principium efficiendi aliam substantiam: quia maior nobilitas actualitatis quam habet, debet illi tribuere vim ad nobiliorem effectum immediate attingendum.

Secundò, si ob aliquam rationem substantia ageret aliqua alia potentia à se realiter distincta, ut effectus immediate operatiua, maxime ob rationem D. Thom. 1. parte quæst. 54. articulo tertio, quia nimirum effectus seu existentia, & operari in creaturis distinguuntur realiter, atque adeo potentia ad esse qualis est substantia & potentia ad operari, qualis est potentia immediate operatiua debent eodem modo distinguere: cum specificentur, & distinguantur per actus prædictos: at hæc ratio non conuincit intentum. ergo, &c. Minor probatur quia bene potest vna potentia ferri in duos actus distinctos realiter, si vnus sit primarius, & alter secundarius, ut in præsentis contingit: quia operari sequitur ad esse: ergo, &c.

Tertiò, accidentia sunt simpliciter imperfectiora, quam substantia: ergo non possunt illam producere: ac proinde solum disponere ad illam, & sola forma substantialis erit tota ratio producendi aliam substantiam. Hæc vltima consequentia satis patet: nam cum accidentia conducant ad productionem substantiæ, si semel non attingunt illam debent saltem disponere ad eam, ut ita vna substantia producat aliam. Prima verò consequentia satis liquet: quia productiuum alterius debet illud cominere, vel formaliter, vel eminenter. At accidentia hoc ipso, quod essentialiter sint imperfectiora, nec continent substantiam formaliter ut ex se constat, alioqui essent eiusdem essentia & speciei cum illa neque eminenter: quia quod sic continet aliud, excedit illud in perfectione: ergo nullo modo possunt substantiæ productionem attingere.

*Sententia D. Thomæ expenditur, & suadetur.*

##### §. II.

22. **D**icendum tamen est, implicare substantiam esse immediate operatiuam, & consequenter esse forma substantialis sit præcipuum, & radicale principium seu ratio agendi; non tamen immediatum. Hæc est D. Thom. pluribus in locis, præcipue verò 1. parte quæst. 54. art. 3. quæst. 77. art. 1. & 3. parte quæst. 77. art. 3. & in 4. dist. 12. q. 1. eamque tenet Caiet Bañez, & Zumel. 1. parte quæst. 54. art. 3. Capreol. in 4. dist. 12. quæst. 1. Hispanen. in eadem distinct. Maior ibidem quæst. 3. Ferr. 4. contra gent cap. 66. Herb. quodlib. 3. quæst. 12. Sor. in 4. dist. 10. q. 2. art. 3. & in hoc lib. q. 2. Astudillo in præsentis q. 5. Bruxellensis quæst. 1. art. 5. Toler. q. 2. huius cap. concl. 5. Fons. 5. Metaph. cap. 2. q. 6. sect. 3. Rub. tract. de causa efficiēte, q. 6. & alij plures, quos omnes sequitur Malin hoc l. c. f. sect. 3. q. 4.

Probatue

Probatūque ratione ex eodem S. Doctore locis citatis desumpta, quæ ad hanc formam potest reduci: In creaturis esse, & operari distinguuntur realiter, ut ex se constat, & idem est proprium Dei: quia est actus purus, quod sit sua operatio: ergo potentia, quæ ordinatur ad esse, seu existentiam, distinguitur realiter ab ea, quæ ordinatur ad operari: sed essentia substantiæ est potentia ad esse substantiale, & potentia operatiua est potentia ad operari: ergo substantia, & potentia operatiua realiter distinguuntur, & ex consequenti substantia seipsa sine aliquo alio superaddito, scilicet potentia operatiua, non erit immediatum principium operandi. Prima consequentia videtur certa quia potentia sicut per actus specificantur, sic inter se per istos distinguuntur: siquidem idem est specificatum, & distinctum rei. Minor verò, quæ statim subsumitur, quoad primam illius partem, scilicet quod essentia substantiæ sit potentia ad esse, satis constat ex suprà dictis disput. 3. libri præcedentis q. 5. nam essentia substantiæ, & esse substantiale inter se comparantur per modum actus, & potentia. Vnde sicut esse intrinsecè importat, quod sit actus, & terminus ultimus in ordine ad substantiam: ita & substantia, quod sit potentia, in qua recipiatur tale esse. Quoad secundam verò partem scilicet quod potentia operatiua sit potentia ad operari satis liquet: quandoquidem potentia operatiua, ut talis? nihil aliud affert præter vim quandam, seu potentiam ad operandum.

23. Varij variè huic rationi D. Thomæ respondent. Primò enim aliqui dicunt, actus realiter distinctos (si tamen inadæquati sint) non repugnare, quod oriantur ab eadem potentia. Vnde non mirum quod unica tantummodo potentia detur ad esse, & ad operari: quia neuter horum actuum est adæquatus suæ virtuti; sed solum inadæquatus.

Sed hæc solutio procedit ex defectu intelligentiæ rationis D. Thomæ. & idem solum oportebit sensum illius aperire; etenim, ut in eadem ratione inuenitur, essentia substantiæ non est utcumque potentia ad esse; sed per se primò ad illud ordinatur, non verò ad operationem, quæ est accidens; & similiter potentia immediatè operatiua, non utcumque ad operationem; sed per se primò ad illam tendit: ergo non possunt hi duo actus esse vnus, & idem actus adæquatus respectu eiusdem potentia, sed quilibet eorum propriam potentiam exigit.

Antecedens, quoad primam illius partem, scilicet de essentia substantiæ est manifestum. quoniam in hoc differunt ea, quæ in prædicamento substantiæ collocantur, ab illis quæ sunt in aliis prædicamentis, quod hæc per se primò respiciunt aliquid extra proprium prædicamentum, scilicet substantiam: quia essentialiter sunt entis entia, id est substantiæ entia. Ceterum illa priora nequeunt ad aliquid extra prædicamentum substantiæ per se primò tendere: quia intra proprium genus habent omne suum complementum (id quod ipsi etiam aduersarij passim tradunt.) Et similiter, quoad secundam partem, scilicet quod potentia immediatè operatiua per se primò respiciat operationem, satis ex se liquet: quandoquidem potentia hæc, ut talis, non nisi propter operationem est per se primò instituta à natura, idèque in ordine ad illam, ut ad primum suæ habitudinis terminum definitur.

Ex quo etiam consequentia primi entimematis, scilicet, quod non possint esse vnus, & idem actus adæquatus, apertè constat: nam solus actus adæquatus per se primò respicitur à potentia: nam ab eo, quod per se primò potentia respicit, specificatur. Vnde cum à solo actu adæquato specificetur, ad eum

Colleg. Compl. Physica.

solummodo per se primò respiciet. Ergo si quivis ex his actibus per se primò respicitur, iam quivis erit adæquatus suæ potentia, ac per consequens requireret diuersam realiter.

23. Confirmatur, nam actus inadæquati, & in ordine actuum inadæquatorum primarij, per se pertinent ad vnum, & idem genus, ac esse substantiale, & operari pertinent ad diuersa genera, imò, & ad diuersos ordines, scilicet ad genus, & ordinem substantiæ, & accidentis: ergo repugnat, quod sint actus primarij, licet inadæquati respectu vnus, & eiusdem potentia. Maior inductiue constat in omnibus potentiis: vnde omnes actus potentia intellectiue sunt intellectiones, & spectant ad idem prædicamentum, & omnes actus primi potentia receptiue verbi gratia materiæ primæ, sunt formæ substantiales, & pertinent ad idem genus substantiæ. Nam, ut benè notauit D. Thom. 1. parte quæst. 77. art. 1. & docet Aristot. 9. Metaph. text. 3. & 12. Metaph. text. 16. & 28. actus, & potentia sunt in eodem genere, scilicet, vel substantiæ, vel accidentis. Vnde sicut impossibile est, eandem potentiam pertinere per se ad genus substantiæ, & accidentis, ita quod illius actus spectent ad hæc duo genera.

Secundò respondent alij, concedendo quod esse & operari non sunt duo actus primarij, & inadæquati; sed quod esse est actus primarius, & operari secundarius, tum quia operari sequitur ad esse, tum etiam, quia intenditur propter esse, & eius perfectionem; & idem primariò intenditur ipsum esse. Ex quo colligunt; non esse multiplicandam aliam potentiam in ordine ad operationem: quia potentia non multiplicatur per ordinem ad actus secundarios, sed illam, quæ potest in actum primum, extenditur ad secundarium.

25. Sed neque hæc solutio vim rationis D. Thomæ tollit quia contra rationem actus secundarij est, vel quod tribuat speciem potentia, vel quod diuersa formaliter ratione respiciatur, ac inspicitur actus primarius. At si substantia est immediatè operatiua non potest non quatenus talis, capere speciem ab operatione: quia per se primò esset instituta à natura propter aliam & idem sine ea definiri, aut intelligi nequit. Et similiter non potest non sub diuersa formaliter ratione respicere illam, ac respicit esse: quia hoc respicit genere causæ materialis, vel ad summum formalis; ac operationem in genere causæ efficientis ergo repugnat: quod operatio habeat se, ut actus secundarius respectu substantiæ, ut immediatè operatiue.

Maior huius discursus, etsi sit cetera, nihilominus sic potest suaderi quoad primam illius partem; scilicet esse contra rationem actus secundarij, quod specificet. Quia sicut quod primò inuenitur in potentia, est propria essentia, & specificatio ita primò respicit, id quod talem specificationem eidem tribuit. Quoad secundam verò partem nimirum quod actus secundarius respiciendus est sub eadem ratione, ac primarius, etiam liquet: nam terminus, qui per se, & sub diuersa formaliter ratione inspicitur, non potest non diuersam speciem tribuere: at contra rationem actus secundarij est, quod tribuat speciem: ergo & quod sub diuersa formaliter ratione inspicatur, ac actus primarius, & idem videmus quod charitas, quia respicit amorem proximi, ut actum secundarium; idem terminatur ad alium sub eadem ratione, ac terminatur ad primum, scilicet sub ratione diuinæ bonitatis.

26. Sed neque illa duo, quæ pro se hæc solutio affert, illi profunt: non quidem primum, scilicet quod operari sequatur ad esse, atque ita erit actus secunda

condarijseiusdem potentiz, quia etiam volitio sequitur ad intellectiorem, & nihilominus exigit potentiam realiter distinctam. Sed neque secundum, scilicet quod substantia respicit operationem propriam perfectionem ipsius esse: nam etiam si hoc admittamus, nihil inde contra nos sequitur: quia non respicit illam per modum principij immediati: sed primi, & radicalis. Vnde eget superaddita alia potentia ad hoc, ut quatenus illam habet, propendat per modum principij immediati in operationem.

Tertio respondet Iunior quidam, quod et si esse, & operari subordinentur per modum actus primarij, & secundarij, non tamen ita ut esse, sit actus primarius, operari secundarius; sed è contra ita ut operatio habeat rationem actus primarij, & esse, secundarij: quia, ut inquit Philosophus, vnumquodque est propter suam operationem. Vnde sic videntur evanescere impugnationes contra præcedentem solutionem traditæ: quia cum operatio per se primo respiciatur, non mirum quod det speciem, imò & quod esse sub eadem formaliter ratione scilicet quatenus deseruit operationi inspicitur.

27 Sed hæc solutio ex impugnatione contra priorem solutionem facta satis corrumpit, quandoquidem ut ibi dicebamus, operatio est accidens: ac proinde non potest per se primo inspicere à substantia per modum principij proximi: & immediati illius propter rationes ibidem assignatas.

Et nihilominus adhuc contra illam est quod esse substantiale non potest non per se primo respici ab ipsa substantia. Tum quia est intra proprium prædicamentum ut ultimum & actualissimum completum illius. Tum etiam, quia natura non solum intendit substantias, ut mediis suis potentiis operariis operentur; sed etiam ut sint: nam sicut secundum hanc rationem afferunt maximam perfectionem universo: ita & secundum illam per se primo intenduntur. Ergo cum natura dederit eisdem substantiis potentiam ad esse: ita etiam dedit eisdem, ut secundum illam potentiam per se primo respiciant idem esse, quod natura intendebat. Tum denique quia esse ordinatur per se ad perfectionem rei quæ per illud actuatur; & ideo usque dum habeat esse, semper censetur esse in potentia. At operari ordinatur indiscriminatim ad perfectionem operantis, & aliorum. Ergo prius inspicitur à substantiis proprium esse, quam operatio. Patet consequentia: quia ea, quæ pertinent per se ad propriam perfectionem, sicut magis intima sunt rei ita prius, & ardentius appetuntur, & inspicuntur.

Nec refert id, quod pro hac solutione adducitur nimirum quod vnumquodque est propter suam operationem: quia id est verum de rebus, ut habent suas potencias immediate operativas, nam mediis illis ordinantur ad operationem.

*Conuelluntur argumenta Scoti.*

### S. III.

28. **A**D primum ergo pro prima sententia adductum respondetur negando consequentiam, quia et si id quod datur esse substantiale, det etiam operari radicaliter, & principaliter: operari sequitur ad habens esse simpliciter, tanquam ad principium primum radicale, & præcipuum; non tamen est necesse, imò est impossibile, quod forma creata dans esse substantiale, tribuat hoc, quod est operari immediate: quia ad hoc, ut vnum, & idem sit ratio essendi substantialiter, operandi immediate, requiritur virtus, & perfectio infinita in genere entis ex quo

ad illud de materia satis constat: nam in primis illam esse immediate receptivam formæ, provenit ex maxima eius imperfectione, scilicet ex pura potentialitate & ideo nihil refert, quod possit illi per se ipsam competere. Deinde, quia cum actus eius sit substantialis, non convenit, quod potentia per se primo respiciens illum, sit etiam substantialis. Similiter ad illud de formis accidentalibus patet ex dictis: quia esse principium proximum tantummodo, ita ut non sit simul prima radix operandi respectu effectus substantialis, est magnæ imperfectionis nota; & ideo potest convenire accidentibus non verò substantiis. Per quod patet ad confirmationem.

Sed obiicit Valentia 1. parte disput. 4. quæst. 5. puncto 3. hoc, quod est formam esse simul principium essendi substantialiter, & principaliter: ac immediate efficiendi aliam substantiam, non dicere perfectionem infinitam: quia ad summum importat esse substantiam creatam formaliter, & continere eminenter perfectionem cuiusdam accidentis, scilicet potentiz immediate operativæ: ergo ob defectum perfectionis infinitæ per essentiam non desinet substantia immediate operativa. Ex quo infert, quod licet de se, actus id non habeat, non tamen hoc implicat: quia quicquid non arguit infinitatem, potest creaturæ divinitus communicari.

Sed hæc obiectio optimè soluitur à Caietano 1. parte qu. 54. art. 1. quem sequitur Nazarius quæst. 54. art. 3. quod licet expressè non dicat totam illam perfectionem, attamen eam implicite arguit: quia quæ ex propriis rationibus, & naturis ita se habent, ut vnum sit formaliter, & realiter accidens, & aliud substantia, non possunt omnino realiter identificari, nisi in actu puro, & simpliciter infinito, ita ut puritas actus, cui necessariò annexa est infinitas, sit sola, & propria causa identitatis eorum. Adde quod si semel virtus agendi proxima identificatur cum substantia aliqua, oportet ut in eadem substantia proprium esse, & propria operatio non distinguantur realiter, alioqui ut sæpe dictum est, refundent similem distinctionem in substantiam, & in eius virtutem proximam operandi, atque adeò oportet talem substantiam esse infinitam per essentiam: quia in omni re creata distinguitur realiter esse substantiale existentiz ab operatione illius.

29 Ad ultimum patet ex dictis, quomodo operatio non potest esse actus secundarius substantiæ, si ipsa semel ponitur immediate operativa. Cæterum quia, ut ex dictis in præcedenti, & præsentij quæstione constat, substantia non potest non esse radicaliter operativa, quia per modum causæ principalis concurrat: ideo sic considerata habet pro actu secundario operationem: quia cum se extendat: tum ad esse, tum ad operari per modum primæ radici, nec possit in utrumque actum per se primo tendere, nec respicere esse, ut actum secundarium, ut ex dictis constat, oportet ut tendat in esse primariò, & in operationem secundariò.

Sed dices substantia sub diversa formaliter ratione respicit ut est radicaliter operativa ipsam operationem, ac respicit esse, seu (quod idem est) existentiam substantialem: quia illam respicit in genere causæ efficientis, hoc verò scilicet esse in genere causæ materialis: ergo sicut ob hanc rationem non potest substantia per modum potentiz immediate operativæ respicere operationem tanquam actum secundarium: ita neque per modum potentiz radicaliter effectivæ.

Confirmatur, nam sicut virtus operandi proxima non potest, non specificari ab operatione, & ideo nequit illam, ut actum secundarium respicere: ita etiam

etiam virtus agentis radicalis: quoniam hæc non minus quàm illa nequit definiri, aut intelligi sine operatione.

30 Respondetur, quod etsi substantia respiciat operationem secundariò, & in genere causæ effectiue radicalis, hoc tamen est materiale, & consequens respectu huius habitudinis secundum dici: quia cum esse sit actus primarius, ut probatum est, non potest respicere operationem; nisi sub eadem formalissimâ ratione, ac respicit esse, imò non potest non ipsum esse substantiale, esse formalissima ratio, ob quam respicitur operatio; siquidem operatio ipsa respicitur, quatenus suo modo perficit, aut declarat perfectionem ipsius esse, necnon substantiæ, ut habet illud. Vnde quia hæc perfectio non potest acquiri, nisi substantia sit prima radix operationis, ideo consequenter respicit illam in genere causæ efficientis.

Et explicari potest hoc ipsum exemplo satis accommodato: nam licet actus amoris, quo Deus amat se propter suam infinitam bonitatem tanquam obiectum primum, & quo diligit creaturas, ut obiectum secundarium & propter eandem diuinam bonitatem; habeat communicare effectiue creaturis proprium earum esse, propriamque bonitatem, maxime in sententia eorum, qui dicunt potentiam executiuam in Deo esse, aut includere ipsam voluntatem. Quod quidem probabile reputat D. Thom. 1. p. quæst. 25. art. 1. ad 4. Nihilominus, quia hæc ratio terminandi se ad creaturas effectiue, est materialis, & formalissima ratio est diuina bonitas: ideo, etsi amor ille non terminetur ad Deum in genere causæ efficientis; bene tamen ad creaturas: nihilominus conseruat hoc, quod est terminari per se primò ad Deum, ut ad obiectum primum, & ad creaturas, ut ad obiectum secundarium: ita ergo in presenti, proportionem seruata philosophandum est. Vnde sicut ille modus, ut sic dicamus respiciendi, quem habet amor Dei respectu creaturarum licet dicat pro materiali rationem effectiui; nihilominus hoc non tollit, quo minus verè sit effectiuius, & efficax: ita etsi ille respectus, quo substantia respicit operationem, dicat pro materiali; quod sit per modum efficientis: nihilominus id non oberit, quo minus substantia ipsa sit causa radicalis, & principalis prædictæ operationis.

31 Ad confirmationem responderetur, negando antecedens, quoad virtutem operatiuam radicalem; quia operatio est accidens: & ideo nequit specificare virtutem substantialem. Et ad probationem responderetur, hoc quod est, substantiam; ut radicaliter operatiuam, non posse intelligi sine operatione, non provenire ex eo, quod operatio specificet illam, sed quia, ut significatur nomine *virtutis radicalis*, denotatur, ut specialiter connotat: cum suum actum secundarium: cum etiam illud, quod materialiter, & ex consequenti habet se in tali respectu, & ideo non mirum, quod nequeat sine illis intelligi: sicut cum significamus amorem diuinum sub nomine, & conceptu amoris efficaciis, & executiui erga creaturas, denotamus illum, ut connotare easdem, & modum illum quasi respiciendi, qui materialiter; & ex consequenti se habet in tali amore secundum suam formalissimam rationem considerato, & ideo non inconuenit, quod sic significatus nequeat sine creaturis, aut sine prædicto modo respiciendi effectiue intelligi. At hoc non obstante, amor ille secundum se, neque specificatur, aut intelligitur per se primò respicere nostro modo intelligendi creaturas; nec terminari ad illas formalissimè sub illa ratione; sed ideo non potest intelligi sine illis; quia significatur, ut connotans easdem, tanquam obiectum

Colleg. Compl. Physica.

secundarium; ac proinde ut secundariò ad easdem terminatur.

32. Sed vrgebis, hoc eodem dicendi modo posse uti aduersarios, ut defendant posse substantiam; ut immediatè operatiuam respicere per se primò esse; & secundariò operationem; vel è contra, absque eo, quod obstat id; quod contra illos obieciamus de diuerso illo respiciendi modo, quem haberet respectu horum duorum actuum. Non inquam hoc refert: nam cum natura intendat per se primò, tum esse, tum etiam operationem: quia quiuis ex his actibus præstat illi maximum decorem; & pulchritudinem, nec apparet aliqua repugnantia in hoc; sed ut sit valde consonum naturis rerum: oportet, ut assignent potentiam; quæ per se primò, & in genere causæ efficientis, formalissimè loquendo, respiciat operationem, & rursus potentiam, quæ per se primò respiciat esse, quibus semel assignatis, potest vna earum per se primò respicere operationem ratione sui, & secundariò esse præcisè ratione operationis; & alia respicere esse ratione sui; & operationem præcisè ratione ipsius esse. At cum aduersarij non distinguant potentiam operatiuam proximam à substantia, sicut nos distinguimus, necesse est, ut ipsa substantia respiciat per se primò operationem, & quod hic modus respiciendi in genere causæ efficientis sit quid formalissimum in tali habitudine; & rursus quod respiciat per se primò esse, & formalissimè in genere causæ materialis, & consequenter tenentur implicantia admittere. Ad tertium patebit ex dicendis, quæ sequenti.

## Q V Æ S T I O V.

*Virtus accidentia non solum dispositiue, sed etiam instrumentaliter concurrant ad productionem substantia.*

Tertium, & vltimum argumentum exposcit; ut agitemus quæstionem illam: an accidentia non solum dispositiue, sed etiam instrumentaliter atque ita actiue concurrant ad productionem substantiæ. Nam etsi ex dictis, in hac quæstione, aperte colligatur pars affirmatiua; nihilominus, quia contra hanc partem plura, eaque difficilia solent obieci argumenta: ideo visum est præsentem quæstionem institueri.

*Adducitur opinio negans.*

### §. I.

33. ET quidem potior dubitandi ratio est illa, quam in tertio argumento præcedentis quæstionis tacta est; scilicet quod imperfectius nequeat producere; quod perfectius est. Propter quam rationem ita sentiunt Scotus, & alij, quos pro prima sententia ibidem retulimus. Nec refert, si dixeris, bene posse imperfectius; scilicet accidens; producere quod est perfectius, in virtute substantiæ; licet non in virtute propria. Nam contra hoc est: quoniam id, quod est de se impotens ad aliquem effectum, si nihil ei addatur, manet sicut antea; ac proinde ita impotens, sicut prius erat; si verò ei aliquid addatur, cum talis virtus non possit esse substantia, ut supra quæstione præcedenti dicebamus; quando quidem substantia non recipitur in accidenti, necesse erit, ut sit accidens: ergo per illam, quantumuis multiplicetur, non poterit vilo modo producere substantiam. Pateat hæc vltima consequentia: nam ideo calor,

I 2 verbis



verbi gratia, non poterat sine superaddita virtute producere etiam instrumentaliter substantiam: quia ipse est accidens: ergo cum illa virtus superaddita sit accidens, non poterit sine alia superaddita virtute id præstare, & sic in infinitum. Vnde cum nunquam possit deveniri ad virtutem substantialem eidem superadditam, ut probatum est, fiet inde, ut nunquam possit etiam in virtute substantiæ, producere substantiam.

34. Secundò, calor, verbi gratia, non potest naturaliter elevari ad hoc, ut producat instrumentaliter substantiam: ergo saltem naturaliter erit impossibile, quòd producat illam. Pater consequentia: quia instrumentum eget elevatione ad producendum effectum, ut infra disput. 12. num. 7. dicemus. Antecedens verò etiam constat: quia ex eo res corporea non potest naturaliter elevari ad producendam rem spiritualement: quia est diversus ordinis, & inter instrumentum, & effectum debet esse proportio, ita ut utrumque ad eundem ordinem pertineat; & idè ad hoc, ut Sacramenta producant gratiam, oportet, ut supernaturaliter à Deo eleventur. At substantia, & accidens pertinent ad diversum ordinem, ut constat: ergo accidens nequibit naturaliter elevari ad producendam illam; imò neque supernaturaliter: quia ut in præcedenti argumento dicebamus, nihil potest ei addi per quod præstet effectum istum, quem secundum se præstare nequit, licet Sacramentis possit aliquid superaddi, quod sit accommodatum ad hoc, ut gratiæ productionem attingant, ut docent Theologi 3. part. qu. 62.

*Defenditur sententia Doctoris Angelici.*

§. II.

33. **D**icendum tamen est, accidentia esse virtutes proximas immediatas, & instrumentarias, quibus mediis una substantia attingit productionem alterius. Hanc docet S. Thom. locis citatis, estque omnium Doctorum quos præcedenti quæstione ad nostram assertionem confirmandam attulimus. Et probatur manifestè: nam cum substantia nequeat esse immediatum operationis principium, ut quæstione præcedenti probatum est, oportet, ut dum aliam substantiam producit quod accidentia sint virtutes, & potentie immediate operationis, siquidem omnis ratio agendi debet esse vel substantia, vel accidens: ergo cum aliis talia accidentia nequeant esse causæ principales, ut quæstione secunda huius disputationis probatum est consequens erit, ut debeant saltem per modum formæ instrumentariæ attingere effectivè talem productionem. Pater consequentia, quia omnis virtus, & ratio agendi debet, vel per modum virtutis principalis, vel per modum virtutis instrumentalis concurrere.

36. Confirmatur: eisdem instrumentis expellitur una substantialis forma, & introducitur alia: quia corruptio unius est generatio alterius, & è contra: sed forma imperfectior mediis suis accidentibus operariis, ut virtutibus agendi proximis & instrumentariis, expellit formam perfectiorem: ergo mediis accidentibus eisdem, ut ratione agendi proxima, & immediata producit & introducit suam formam. Minor probatur, quia forma substantialis perfectior non resistit immediate & effectivè per seipsam introductioni alterius formæ imperfectioris in eandem materiam, alioqui nunquam posset corrumpi: quia cum perfectior sit alia, & hinc essentialis perfectionis excessus; non possit superari, fiet inde, ut maiorem præstaret resistantiam, quàm si illa vis & influxus, quem adhi-

bet forma imperfectior in ordine ad introductionem sui: ergo etiam forma imperfectior non ager per seipsam; sed mediis suis accidentibus, & virtutibus proximis, in quorum activitate potest multoties superare formam perfectiorem.

Sed obiicies, quòd si ratio supra quæstione præcedenti facta pro nostra assertionem aliquid probat, convincit utique, nec formam accidentalem posse esse immediatum principium, seu rationem agendi: quia etiam forma accidentalis est immediata potentia respectu sui esse inexistentiæ, sicut substantia respectu sui esse substantialis. Sed illud esse inexistentiæ distinguitur realiter ab operatione eiusdem: ergo talis forma nequibit per seipsam esse immediatum principium operandi: quia ut supra dicebamus, ubi distinguuntur actus potentiarum, debent etiam potentie distingui, imò, & hinc fiet, nullam creaturam posse esse operativam: quandoquidem, nec per formam substantialem, nec per accidentalem posset immediate operari.

37. Respondetur esse disparem rationem: nam accidentia, sicut entis, id est, substantiæ, entia: ita per se primò instituta sunt propter illam. Vnde cum substantia iam habeat ex se, & immediate esse simpliciter, non eget illis ut sit, atque adeò neque illa quatenus suo modo, & secundum quid sunt habent per se primò substantiæ deferuire, & consequenter nec secundum istam rationem sunt super se primò instituta à natura. At cum eadem substantia, etiam si intelligatur, habere suum esse simpliciter, nihilominus non sit adhuc immediate operativa, ut ostensum est: idè talia accidentia, adhuc debent eidem substantiæ per se primò deferuire, ut sic verificetur propter ipsam substantiam, & illius indigentiam fuisse per se primò instituta, & consequenter per se primò debent operationem respicere, siquidem nisi hoc habeant, non possunt esse principia immediata operandi nec substantia mediis illis operari. Quia tamen ad hoc ipsum requiritur ut habeant suum esse existentie: idè secundariò, & sequenter hoc esse recipiunt, & petunt.

37. Sed urgebis, quod sicut substantia non potest per se primò recipere operationem, & secundariò suum esse: ita neque accidentia: ergo vel utrobique negari; vel utrobique affirmari id debet. Antecedens probatur: quia in existentia accidentium respicitur ab eisdem in genere causæ materialis, vel ad summum, formalis, & operatio in genere causæ efficientis, ac per consequens sub diversis formalitè ratione, non minùs, quàm esse substantiale, & operatio ab essentia substantiæ respiceretur, si ipsa esset immediate operativa. Ergo sicut ob hoc non potest substantia respicere per unam, & eandem potentiam per se primò operationem, & secundariò esse: quia actus primarius, & secundarius respiciuntur sub una & eadem formaliter ratione: ita neque forma accidentalis.

Confirmatur primò: quia in accidentibus potentia ad esse accidentale per se primò respicit tale esse, & idè sine illo nequit sub ratione talis intelligi, & potentia ad operari per se primò respicit operationem ergo uterque actus est primarius respectu harum potentiarum, ergo vel ratio Div. Thomæ pro præcedenti assertionem facta nihil probat, vel convincit accidentia non minus quàm substantiam non posse per se primò respicere operationem, & secundariò suum esse existentie.

39. Confirmatur secundò quia si semel causa efficiens prius debet esse in actu, quàm agat, etiam potentie operariæ, & accidentales hoc ipsum habebunt

bebunt, atque ita prius erunt inexistentes, & in suo genere completæ: ergo sicut ob hanc rationem non potest existentia substantiæ esse actus secundarius illius: ita neque inexistencia respectu accidentis. Patet consequentia: quia actus secundarius non potest petere, quod per se loquendo, semper præcedat primarium: maxime quia operatio ad aliorum etiam vilitatem per se primò tendit secus verò inexistencia, & ideo est intimior in ipsis accidentibus; Vnde non minus, quàm ipsa substantia propendunt prius in proprium esse, quàm in propriam operationem.

40. Respondetur tamen negando antecedens Et ad primam probationem quod in inexistencia potentiarum aduinarum quatenus terminat habitudinem earundem potentiarum, est quid materiale; quod se habeat præcisè per modum actus & formæ respectu essentia illarum, & quod in genere causæ materialis, vel formalis ab eadem oriatur: quia propter rationem dictam non attingitur, nisi quatenus est simpliciter necessaria ad operationem eliciendam; & ideo ipsamet operatio est formalissima ratio terminandi talem habitudinem. At cum esse substantiæ intendatur propter se, & ut est vltima actualitas illius, non potest non sub diuersa formaliter ratione respici, ac respiceretur operatio, si substantia esset immediatè operatiua & consequenter *esse*, & *operari* non poterunt Per modum actus primarij, & secundarij inter se conferri.

41 Ad primam confirmationem respondetur; quod potentia operatiua, sumptæ prout dicunt potentiam ad *esse*, iam accipiuntur ut connotant specialiter actum secundarium scilicet suam inexistenciam: sicut si habitus charitatis sumatur, ut inclinatur ad dilectionem proximi; iam accipitur, ut peculiariter connotat suum actum secundarium. Vnde non obest, quod non possit intelligi sine illo. Neque inde fiet, quod respiciat illum primariò, aut tanquam specificatum quia potentia, aut habitus habens duos actus vnum primarium, & alium secundarium; debet etiam quatenus connotat secundarium, respicere illum; ut secundarium, ac proinde secundariò. At hoc nequit dici in substantia, quia, ut probatum est, *esse* respectu illius semper respicitur primariò.

42 Ad confirmationem secundam, nihil obesse; quod accidentia operatiua prius habent in executione inexistere, quàm operari: quia satis est, quod in intentione naturæ, secundum quam regulatur, quidam sit illud, quod per se primò respicitur contrarium contingat, à qua, sicut per se primò instituta sunt, ut agant: ita per se primò intenditur eorum operatio, nec refert id, quod in eadem probatione vltimo loco additur, scilicet quod inexistencia est intimior, atque ita prius debet respici, ut in substantiis accidit: quia est dispar ratio. Nam cum hæ potentia instituta sint (ut dicebamus) propter substantiam; ideo debet earum perfectio in hoc quod est perficere substantiam, & iuxta illius indigentiam sita esse. Vnde non propendunt maiori conatu ad inexistenciam; quàm ad operationem: quia substantia indiget ipsis per se primò, ut operatiua sunt, & ut per se primò tendunt in operationem Quare hic modus attemperandi se substantiis, non censetur respectu illarum quid alienum; sed ad easdem intrinsecè pertinet. Cæterum cum substantia non sit ens propter aliud, sed propter se: ideo id immediatius, seu proximius appetunt, quod sibi solis est primò necessarium, & magis intimum.

*Solutio fundamentorum opposita opinionis.*

### §. III.

43. **S**Vperest ergo ad argumenta pro prima sententia adducta respondere. Ad primum bene responderetur ibidem: quia instrumentum, ut tale, semper eleuatur ad producendum effectum perfectiorem se & ideo in omnibus instrumentis reperiemus, quod attingunt in virtute causæ principalis effectum nobiliorem, ac sic ille quem propria virtute possunt ut patet in instrumentis artis. Sed hæc iuxta ea, quæ infra quæstione penultima huius disputationis dicenda sunt, debent intelligi.

Et ad impugnationem contra hoc ibidem adductam respondetur, quod, ut quæstione præcedenti in solutione ad confirmationem tertij argumenti diximus, & explicuimus, hoc, quod, est calorem esse virtutem substantiæ, aliquid addi virtualiter distinctum ab eodem calore. Vnde per hanc formalitatem, quam ab instanti suæ productionis accepit, manet quasi habitualiter, & suo modo permanenter eleuatus ad productionem ignis, & ita ratione huius eleuationis agit in virtute ignis, seu quod idem est, agit ut virtus illius quod aliis verbis explicuit Caietanus dicens: calorem agere in virtute ignis, reddere constructionem intransitiuam.

44 Nec refert, quod illa formalitas virtutis substantiæ sit accidens, ad hoc ut egeat alia virtute, superaddita: nam cum illa formalitas sit formaliter ipsa eleuatio; non indiget alia ratione eleuante; sicut calor secundum se, & in præcisè sumptus ea indiget: quia non est eleuatio, neque includit illam; sed, tantum est eleuabilis.

Quod quidem explicari potest exemplo præmotionis, qua Deus promouet causas secundas ad operandum, ut in sequenti disputatione dicemus, quæ etiam si sit virtus secunda, & creata quia tamen est ipsa actualis subordinatio, applicatio, & dependentia causæ secundæ, ideo non indiget alia virtute &, præmotione secus verò ipsæ causæ secundæ, & virtutes: quia etsi sint à Deo præmouibiles, non tamen sunt ipsa actualis præmotio. Sic igitur in præsentem cum proportionem Philosophandum est; sed hæc amplius in quæstione sequenti dilucidabuntur, imò, & in q. 7. explicabitur id, quod in præsentem desiderari videbatur, scilicet quomodo, etsi ignis generans eleuet actiue calorem ignis geniti, nihilominus non subordinetur illi, neque tribuantur eidem actiones talis caloris; sed solum igni genito.

45 Ad secundum respondetur, quod ut bene notauit Nuncio 3. p. quæst. 77. art. 3. quod ipso, quod accidens consideretur, ut virtus substantiæ, tunc licet maneat in ratione accidentis, nihilominus maxime accedit ad propriam perfectionem; propriamque naturam talis substantiæ: sicut passio est maxime proxima essentia; & ideo aliquo modo pertinet ad ordinem substantiarum. Quare non mirum, quod maneat eleuata in ordine ad productionem substantiæ: nam sicut ait philosophus supremum infimi attingit infimum supremi. Vnde cum ista virtus sit supremum infimi in tali natura, quatenus est excellentissimum quoddam accidens illius respectu talis effectus, ad quem disponit idcirco attingit infimum supremi, & imperfectio modo scilicet instrumentaliter, producit effectum proprium substantiæ. Sed de his iterum infra sermo redibit.

## Q V Æ S T I O VI.

*Virum ad hoc, quòd accidens attingat instrumenta-  
liter productionem substantia, debeat sub-  
stantia, cuius est virtus, prestare aliquem im-  
mediatum, & proprium influxum, quo confortet  
concursum ipsius accidentis?*

46. **P**RO huius quæstionis intelligentia notandum est, bene posse aliquam causam principalem esse talis naturæ, ut nequeat attingere aliquem effectum immediatè, idest sine mediis instrumentis, & nihilominus agendi per illam, exhibere proprium aliquem concursum, per quem confortet eorundem influxum: ita ut sine illo, nequeat instrumentum attingere effectum principalis agentis. Nam pictor absque penicillo, vel alio instrumento nequit imaginem depingere: attamen præter illum concursum, quem adhibet penicillus, præstat ipse alium immediatum, quo illius concursum fulcit, & eleuat (ut aliqui loquuntur) ad illum effectum artificiosum.

47. Sic ergo licet substantia nequeat sine mediis accidentibus tanquam instrumentis producere aliam substantiam, ut volebat Scotus, ac per consequens non sit proximè operatiua, pro ut ly proximè excludit consortium alterius, ut instrumenti coadiuvantis ipsam: Nihilominus potest adhuc dubitari, an setel operando mediis his accidentibus, tanquam instrumentis, habeat aliquem proprium influxum immediatè, seu proximè ab ea prodeuntem, quo fulciat, & corroboret influxum accidentium, in ordine ad effectum substantialem, quem ex se non possunt attingere: an verò solum influat per illummet influxum, quem suæ virtutes exhibent, absque eo, quòd ipsa aliquem alium immediatè, & proximè præstet.

48. Diximus, quo corroboret influxum accidentis: quia in præsentia non inquirimus, an à substantia in accidens, seu virtutem eius instrumentariam prodeat aliqua virtus, quâ constituat in actu primo completo: quia hanc non dari iam ex dictis patet, & ex dicendis in hac eadem disputatione amplius constabit; sed an præstet aliquem influxum, qui immediatè coniungatur cum influxu accidentis, & sic coniunctus ita illum corroboret, ut possit producere substantiam, ac proinde substantia, etsi non sit immediatè operatiua solitariè, & exclusivè (ut ipsi loquuntur) sit tamen proximè operatiua socialiter, & cooperatiuè. Et quamvis quæstionis huius decisio ex dictis quæstione quarta huius disputationis colligatur: quia tamen plures ex Iunioribus plura congerunt solutione digna, & alia, quæ peculiarem impugnationem petunt, idèò placuit, pro maiori explicatione mentis D. Thomæ quæstionem hanc sigillatim exagitare.

*Recens quorundam opinio.*

## §. I.

49. **P**rima sententia affirmat. Hæc est Patris Suarez dif. 18. suæ Metaph. sect. 2. quem sequuntur plures ex Iunioribus. Et probant primò: autoritate Aristor. q. 2. de Generat. text. 54. & 55. reprehendens eos, qui propriam efficientiam formarum negabant, sic ait: Amplius autem, & potentias attribuunt corporibus propter quas, & generant ut valdè instrumentaliter, auferentes eam, quæ secundum formam, causam.

Nec sat erit, si dicas, quod etsi forma non præstet.

alium influxum, nihilominus non confunditur eius efficientia cum influxu accidentium; sed verè tribuitur, illi, quòd agat, non ut instrumentum, sed ut causa principalis: quia ab illa manantur qualitates, quæ sunt principia efficiendi.

50. Nam contra hoc est: tum quòd hæc emanatio qualitatum iam præterit: ergo si nihil aliud agit, cum producit novus effectus substantialis, sit inde, ut absolutè loquendo nihil agat: quia per diminutionem illam præteritam nihil modò influat. Tum etiam quia in prædictis verbis absolutè docet, non esse confundendum substantiæ influxum cum eo, quem præstant accidentia, ut instrumenta. At si nulum alium influxum præberet, apertè confunditur quippe nullo modo distinguitur ab illo. Tum denique, quia hoc, quod est concurrere præcisè ex eo, quod qualitates illæ à forma substantiali dimanarunt, non est propriè, & per se influere; sed solum remotè, radicaliter, & quasi per accidens, eo sanè modò, quo ignis generans unum ignem concurrat remotè ad generationem alterius ignis geniti ab eo, quem ipse generavit. Vnde substantia ipsa erit in perpetuo otio, quippe quæ totum negotium, & influendi munus suis virtutibus accidentalibus committit.

51. Et confirmatur ex D. Thoma 3. par. quæst. 77. art. 3. ad 2. ubi inquit: Ita actio forma accidentalis dependet ab actione forma substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantia, & idèò sicut divina virtute datur speciebus sacramentalibus, ut possint esse sine substantia: ita datur eis, ut possint agere sine forma substantiali virtute Dei, à quo sicut à primo agente dependet omnis actio forma, & substantialis, & accidentalis. Vbi; ut vides distinguit actionem, & influxum substantia ab actione sui instrumenti. Et quando accidens separatim operatur, actio & efficientia formæ suppletur à Deo tanquam, à primo agente, à quo inquit dependet omnis actio forma, & accidentalis, & substantialis. Quod si substantia nullum sibi proprium concursum haberet, quam quæso actionem, & influxum Deus ibi suppleret? cum ille, qui præstatur per accidentia, non suppletur; sed reuera ibi sit, sicut & reuera ibi adest, quòd accidentia illa conferunt, quòd sint virtutes substantiæ, & ab illa dimanarint?

Deinde probatur ratione: primò, anima præstat proprium concursum immediatum per seipsam ad producendos actus vitales, qui sunt mediis potentis vitalibus. Ergo multò magis præbebit hunc concursum ad generationem substantialem. Consequentia patet: quia actiones vitales habent pro termino aliquid accidentale, atque adeo potentia vitales sunt magis proportionatæ ad illum terminum, quàm ad producendam substantiam: ergo si ad hanc actionem, & terminum indigent influxu substantiæ confortante, quia talis actio est satis perfecta; quantò magis eo indigebunt in ordine ad productionem substantiæ?

52. Antecedens verò primi enthymematis sic ostenditur: quia experimur, quod si quis nimio conatu orationi vacet, tunc nec decoquit cibum, nec sensus percipiunt obiecta circumstantia, & ferè cæteræ illius potentia ab operando desistunt. At ibi non desit influxus radicalis, ut constat: quandoquidem omnes potentia sunt actu in anima radicaliter: ergo signum est, deesse ibi aliquem alium influxum formæ substantialis ad easdem operationes desideratum. Patet hæc ultima consequentia: nam quoties operationes aliquæ non sunt impossibiles in vno supposito nequit nimius conatus vnius potentia impedire moderationem alterius, nisi vel operatio huius potentia indigeat influxu alterius, vel utroque influxu communis principij, scilicet animæ, quæ, quia

quia limitata est, & nimium influit: in quam operationem, defuncti illi vires, ad hoc ut simul influat in aliam: sed operatio intellectus non dependet à decoctione cibi, aut à potentia decoctiva, & è contra: ergo ob id cessat decoctio cibi, quia anima totum influxum, quem simul, & semel præstare potest adhibuit ad intelligendum, & ideo nequit simul concurrere ad decoctionem.

§ 53. Confirmatur quia aliqui intellectus separatus ab anima, à qua prius dimanauit, posset intelligere, & videre Deum siquidem nullus alius influxus ex parte animæ desideratur, nisi quod intellectus ab ea demanauerit, & conseruet hoc quod est esse virtutem eiusdem. Ex quo etiam fieret, quod posset illa anima esse beata præcisè per hoc quod suis intellectus sic separatus videret Deum. At hæc satis falsitatis præ se ferunt, ut constat, quia posset Deus animam annihilare conseruando eius intellectum; at anima, quæ non, est, quam poterit beatitudinem habere.

Secundò, forma instrumentaria per se sola, & quasi destituta ab actuali influxu principalis agentis non potest esse sufficiens in ratione causæ proximæ ad efficiendam nobiliorem formam, quàm illa, Ergo accedens, quod est intrinsecum in substantiæ productione, non poterit proximè illius effectum attingere, nisi alterius influxu fulciatur. Antecedens probatur quia si illa instrumentalis forma tunc non iuuatur actu à superiori, tantum influit per id, quod in se actu habet: cum ergo illud cum sit quid imperfectum non poterit per se solum efficere aliquid perfectius.

§ 57. Explicatur hoc ipsum: vel solus influxus, qui immediatè procedit à calore, est per se sufficiens generare ignem vel non, Si primum dicatur ergo calor solus ignem generabit, & consequenter id, quod minus præcipuum est, aliud se nobilius, ut causa principalis generabit. Si verò secundum asseratur, iam ergo ut possit ignis generari, necesse est ut forma substantialis ignis, quæ illi calori coniuncta est, proprium, & immediatum eliciat influxum vnà cum illo, per quem in agendo eundem confortet, & fulciat.

Confirmatur tandem: calor verbi gratia ut est virtus ignis producit calorem, & ideo ad illam productionem concurrat forma substantialis, ut radix: ergo quando concurrat ad producendam substantiam elicit aliam altiore, & substantialem actionem: quandoquidem termini, producti, scilicet calor, & ignis, ita inter se distinguuntur, & se inuicem excedunt. Ergo ut hanc actionem eleuationem eliciat: oportet ut eius influxus confortetur ab influxu formæ ignis. Patet consequentia: quia cum producat calorem ut virtus substantia, tunc hic effectus est adequatus suæ virtuti secundum id, quod de se habet: quia est ita perfectus sicut ille. Ergo, ut attingat nobiliorem effectum, necesse est ut eleuetur, & confortetur talis influxus, aliqui ageret ultra id, quod potest.

*Veritas Thomistica enucleatur, & fundetur.*

## §. II.

§ 55. Dicendum tamen est substantiam, neque solâ, neque mediis accidentibus, & vnâ cum illis posse habere aliquem influxum, seu propriam actionem, quæ ab ea immediatè exeat, quæque influxus accidentium in ordine ad productionem formæ substantialis confortetur. Assertio hæc colligitur aperte ex D. Thoma locis citatis in quæstione quarta huius

disputationis, & tenentur eam tueri omnes Doctores, quos ibidem pro sententia D. Thomæ retulimus.

Et probatur in primis ex dictis suprâ, quæstione quarta huius disputationis: nam vel ratio Doctoris Angelici nihil probat, vel omnino destruit talem influxum: quia cum iste influxus, & actio immediatè procedens à substantia ad confortandam actionem accidentis, sic influxus accidentalis de prædicamento actionis, & realiter distinctus ab esse seu existentia substantiæ, quæ est actus illius; fiet inde, ut nequeat substantia esse immediata potentia respectu illius, si semel est immediata potentia respectu sui esse, ut ibidem probauimus.

§ 56. Confirmatur, & explicatur: vel hoc, quod accidentia simul cooperentur immediatè, tollitur, quod substantia ipsa immediatè, influat, vel non. Si hoc secundum, quod quidem ingenuè fateretur hæc sententia: ergo directè contra eam producit ratio D. Thomæ suprâ adducta. Si primum ergo substantia tantum concurrat per concursum suorum accidentium: nam causa quæ nihil immediatè influit; sed solum mediante alio, tantum influit per influxum alterius modo tamen statim magis explicando.

Secundò principaliter probatur nostra assertio, & simul explicatur quomodo influxus iste superadditus sit omnino superuacaneus. Eleuatio, virtus, aut confortatio addita, tum instrumentis rigorosis, tum etiam formis instrumentariis, non conceditur ad hoc ut quatenus eleuata sunt, habeant tantam perfectionem, quantam effectus, aut ad hoc, ut secundum istam rationem sint causæ principales; sed ad hoc, ut tam forma instrumentaria verbi gratia, quàm influxus eius ut eleuatur subordinentur, tanquam agenti principali causæ illi, cuius est talis virtus: atque adeo effectus verè, & principaliter attingatur ab ipso. At calor verbi gratia eo ipso quod operetur, ut virtus ignis in ordine ad productionem alterius ignis, subordinatur ei ut agenti principali: ergo ad hoc quod censeatur eleuatus ad prædictum effectum satis est, quod sit virtus illius, & consequenter hoc etiam satis erit, ad hoc ut ignis genitus attingatur, ut à causa principali ab igne generante, cuius ille calor est virtus, absque eo quod sit necessarius alius influxus immediatè procedens ab igne præter influxum eiusdem caloris non qualitercunque; sed ut est virtus ignis, & illi subordinatur.

§ 57. Maior quoad primam partem satis constat: quia sicut instrumentum semper producit effectum nobiliorem scilicet eleuatio, quæ ab intimis instrumenti petitur, quæque ob hanc rationem non potest illud extrahere à ratione instrumenti, nec tribuit illi æqualem perfectionem cum effectu atque adeo, neque extrahit ipsum ad ordinem causæ principalis. Quoad secundam partem scilicet eleuationem formæ instrumentariæ tribui ad hoc, ut tam ipsa, quàm eius influxus subordinentur ut agenti præcipuo ei, cuius est talis virtus, satis perspicua est: nam eleuatio, ut patet, non potest ad aliud tribui; & ideo hoc ipso, quod agens eleuet instrumentum, subordinat illud sibi in illa operatione, ac per consequens actio, & effectus eius subsequens tribuitur procedit, & ab eo, ut à principali causa.

Minor verò etiam patet: quia aliorum minimè effectus virtus illius neque ut talis operaretur: quia in intimis eius, quod est virtus alterius, intimè clauditur, quod subordinetur ei cuius est virtus. Ex quo prima consequentia adeo perspicua est, ut probatione non indigeat. Vltima verò ex modo dictis etiam liquet: quia semel eleuato instrumento, ac proinde, & simpliciter subordinato alicui causæ vnus ordinis, sicut

iam non potest subordinari alteri causæ eiusdem ordinis: ita nec requirit ulteriorem subordinationem, atque ita nec ulteriorem elevationem ab eadem causa, à qua eleuatum est quia prior illa subordinatio instrumenti ad aliud, ut ad id, quod adæquat modo dicto in perfectione effectum est satis ad hoc, ut effectus sequens simpliciter procedat ab illo, ut à causa principali.

58. Confirmatur quia illa eleuatio, confortatio, vel influxus, quo substantia immediatè & de nouo fulcitur actionem formæ instrumentariæ, est influxus quidam accidentalis quia pertinet ad prædicamentum actionis, quippe qui est ipsa emanatio effectus à sua causa principali, & totum eius esse consistit in hoc, quod sit fieri talis effectus id quod libenter admittit Suares dicens: solum ex parte termini esse substantialem: ergo virtutes accidentales potuerunt ab initio suæ productionis exire à suo generante ita confortatæ, & eleuatæ, ut possint absque noua confortatione producere illas actiones, ita vigorosas, & confortatas: quia elicere saltem instrumentaliter influxum accidentalem, & vigorosum non excedit vires, virtutis accidentalis; & in eodem gradu confortatæ: ergo cum formæ instrumentariæ, & accidentales datæ sint à natura ut sint virtutes: & facultates proximæ substantiæ credendum est, quod sic confortatæ ab ea exierint, seu dimanarint: nam cum oriuntur ab essentia naturaliter, oriuntur per se loquendum secundum vltimum confortationis, quod potest eis à natura illa communicari & consequenter non minùs confortatæ ac vigorosæ in suo ordine, ac influxus, seu vigor qui postea fingitur adiungi actioni caloris.

59. Terriò tandem probatur: quia multoties contingit, ut substantia, à qua hæ virtutes dimanarunt, nequeat exhibere immediatum illum concursum, & nihilominus quoddam generatio illa substantialis æquè benè fiat, ac fiunt aliæ substantiales generationes: ergo signum est, quod talis concursus confortans, non sit necessarius. Ergo & signum erit virtutes accidentales substantiæ ita exiisse à principio eleuatas, & confortatas, ut medijs illis absque noua confortatione, concurrat sufficienter substantia ad talem productionem. Antecedens est notum in generationibus viuientium, in quibus euident est, quod generans, à quo decifum est semen nullum immediatum, & nouum influxum exhibet in puncto generationis: tum quia non est præsens: tum quia sæpè non existit tum quia, etsi existat per accidens se habet, quod existat ad talem generationem: & ideo æquè benè generatus proles, siue pater uiuat, siue non.

60. Nec potest dici quod (ut uult Suar. 2) tunc suppletur à Deo concursus ille immediatus, & confortans, qui ad talem generationem est necessarius. Nam contra hoc est: tum quia nullum uiuens generaret, ut causa principalis aliud uiuens quia causa, quæ saltem per naturalem emanationem non eleuat: & conformat sufficienter instrumentum in ordine ad actionem requisitam ad effectum, non potest esse causa principalis illius tum etiam, quia nulla esset generatio uniuoca viuientium: siquidem genitum, & generans, scilicet Deus, non habent similitudinem uniuocam in natura: Tum denique, quia inde fieret tolli omnes relationes paternitatis, & filiationis: nam semel sublata ratione causæ principalis à viuentibus tollitur, & ratio patris ac proinde & correlatiuum, scilicet ratio filij.

Tum deinde quia perfectius concurrunt viuentia ad proprias generationes, quàm non viuentia ad suas: quia sicut sunt imperfectiora in sua essentia: ita & in uirtute operandi: ergo si non viuentia exhibent

totum concursum, qui est necessarius ad generationem, multò magis illum præstabunt viuentia: ergo si non exhibent immediatum illum influxum, erit euident signum, quod non sit necessarius.

61. Confirmatur nam etsi demus per accidens contingere aliquando, quod Deus suppleat concursum alicuius causæ non obstante quod verè detur inter causas secundas aliqua principalis, quæ possit illum producere: attamen si intra totum aliquem ordinem causarum secundarum, non datur naturaliter aliqua causa, quæ possit exhibere totum concursum necessarium; sed quod ex modo connaturali agendi causarum illius ordinis ab eo authore naturæ instituto provenit, ut alia causa præter illum concursum, qui est necessarius ad effectum bene sequitur, quod totus ordo illarum causarum non excedit ordinem instrumenti; sed ab intrinseco petit esse sub ordine isto. Ergo cum viuentia non possint unquam exhibere prædictum concursum, seu influxum, & hoc proueniat ex proprio modo, quo fit generatio ista, rectè colligetur, si talis influxus est necessarius, viuentia non esse causas principales aliorum viuentium.

*DILUVNTVR OMNIA FVNDAMENTA prima sententia præter ultimam confirmationem.*

### § III.

62. **A**D Argumenta initio quæstionis posita respondetur, & primò ad testimonium Aristotelis dicimus, non esse contra nos; sed solummodò contra eos, qui ita asseriebant accidentia agere, ut substantia medijs illis non esset quæ præcipue operatur. Vnde legitima est solutio ibidem adducta, rectè tamen intellecta: quia hoc ipso quod accidentia dimanarunt à substantia per modum virtutis, non sistit substantia in hoc, quod est esse id, à quo dimanarunt; sed medijs illis ipsa est, quæ per modum causæ principalis agit, non quia præter notum, & immediatum concursum; sed quia hoc ipso, quod conseruent esse virtutes substantiæ manent sufficienter eleuatæ: & subordinatæ eidem in ordine ad productionem alterius substantiæ: nam ita sunt confortatæ vigorosæ, ac si ignis generans immediatè per suam suam substantiam eliceret aliquam actionem, per quam illas confortaret, eleuaret in ordine ad productionem alterius ignis, ut in probationibus præ nostra assertionem dicebamus.

Vnde negandum est prædictum modum concurrendi esse remotum, & per accidens: quia etsi sit radicalis, est tamen per se, ac proinde negandum est, quod substantia ipsa sit in perpetuo otio; quandoquidem ratione prædictæ confortationis, ac per consequens ratione subordinationis accidentium ad illam, habet operari principaliter prædictas actiones illorum. Quare illud, quod in vltima probatione contra solutionem ibi datam adducitur, non est ad rem: quia ignis genitus non est virtus ignis generantis, neque ei per se subordinatur in ratione actiui.

62. Ad confirmationem ex D. Thoma respondetur, quod ut benè notauit Massius 1. Physicorum cap. 3. sect. 3. quæst. 7. & Caietan. 3. par. quæstio. 77. art. 1. §. vltimo, Capreolus, Agidius, Soto, & Zanardus 7. Metaphysic. quæst. 6. in solutione ad undecimum, accidentia illa vini consecrati conuerrentis guttam aquæ in vinum, agunt in uirtute vini, cuius sunt virtutes, non obstante, quod vinum deserit esse per conuersionem ipsius in sanguinem Christi, atque adeò causa principalis erit vinum quia etiam



iam defuerit in se manet tamen in sua virtute. Vnde, ut optime notauit idem Mafius, Deus non supplet virtutem agendi, sed modum agendi.

64. Explicatur hoc: accidentia tantum erant actiua ut *quo* ante consecrationem; & post illam, sicut diuina virtute sunt ut *quod*: ita eadem virtute agunt ut *quod*. Quare si esset substantia vini, ipsa esset, quæ ageret ut immediatum *quod*: non quia forma substantialis esset ei ratio eliciendi aliquem influxum immediatum; sed quia licet inter ipsam & actionem: quam præstat mediis suis virtutibus, mediet ipsa virtus quæ est principium *quo*; non tamen mediat aliquid, quod habet rationem principij *quod*. Ceterum, semel absente substantia, & Deo sustentante accidentia, danteque illis, quod sint per se, non tantum mediat id: quod elicitur influxus; sed etiam id, quod elicit illum, ut *quod* atque idem suppletur diuinitus ille modus influendi per modum principij immediati *quod* in sensu explicato, quamuis cum hoc stet ut hic modus concurrendi accidentium non tollat, ut diximus, quod etiam substantia ipsa vini sit principium radicale, & primum *quod*, etiam respectu illius actionis: quia manet ibi sua virtus, quæ est ratio agendi, & consequenter eius concursus virtualis. Illud autem quod in eadem confirmatione dicitur, scilicet D. Thomam meminisse actionis, tam formæ substantialis quam suæ virtutis, non est contra nos; quia illam actionem accidentis, ut subordinatur substantiæ, ut principio radicali, est actio illius: sicut ut subordinatur calori, est etiam effluxus illius.

65. Ad primum ex ratione petitur respondetur quod illa necessario a decoctione cibi, cum quis nimirum orationi vacat, non oritur ex eo, quod defuit aliquis concursus immediatus substantiæ: sed ex eo, quod ad decoctionem necessarij sunt spiritus vitales, qui sunt radij quidam sanguinej habentes suas potentias vitales à corde in stomachum missi, & hi defunt, si quis nimirum orationi, verbi gratia attendat. Erratio est: nam ad intellectionem requiruntur ex parte phantasie spiritus animales. Vnde quia per nimiam attentionem consumuntur plures ex his spiritibus animalibus, inde est quod etiam defuit copia spirituum vitalium sufficiens ad decoctionem: nam cum spiritus animales, qui sunt sanguis elaboratissimus, & multoties decoctus, suis etiam potentiis proximis, & operatiuis gaudens fiant ex spiritibus vitalibus, quia nihil sunt aliud, quam ille sanguis spirituum vitalium à corde decoctus, & non parum purificatus, & iterum à cerebro valde deputatus (sive hoc fiat per aliquam substantialem mutationem; sive non; de quo nihil modò) consequens erit: quod consumpta copia spirituum animalium, per nimiam attentionem, consumatur etiam copia spirituum vitalium: ac proinde non supersint necessarij ad decoctionem.

66. Ad confirmationem: quod hoc ipso, quod potentie vitales desinant esse in suo subiecto, non erunt vitales: quia de ratione vitæ, siue in actu primo, siue in actu secundo, est, quod sint coniunctæ cum primo principio radicali vitæ, vnde nisi actu emanent, & semper perseueret hæc actualis emanatio, amitterent vitalitatem: atque ita si per possibile, vel impossibile separentur, sicut non remanerent vitales: ita, neque elicerent actionem vitæ, ut bene docuit doct. Montefinus tomo 1. in primam secundæ. disputatio 3. quæst. 7. num. 86. Ex quo etiam fit, quod hic sit specialis concurrendi modus in actionibus vitalibus, quod in his actio indispensabiliter subordinatur agenti præcipuo, ut operanti immediate im-

maliter existenti, & consequenter, ut operanti radicaliter, non solum per concursum radicalem virtualem, quoniam reliquit suam virtutem; sed per influxum radicalem formalem, quatenus non potest exire à virtute proxima, nisi sit actu, & formaliter radicata in suo principio, & non solum virtualiter, quia nimirum ab ea exiit; imò hoc ipso, quod talis virtus non dimanet actu, & continuo à suo principio radicali, non est virtus illius: sed statim euanescit.

Ad secundam, & eius primam explicationem respondetur: quod hoc ipso quod forma sit sufficienter eleuata, & subordinata alicui ut agenti præcipuo, & ut talis operetur, non censetur operari destituta à principali agente. Vnde cum in explicatione huius argumenti dicitur: an se sola operetur, vel non, dicendum est, quod non operetur se sola: quia operatur ut subordinata, ac per consequens illud agens, cui subordinatur, elicit illam operationem simul cum illa ut causa principalis, & radicalis.

*Tangitur distinctio alterationis, & generationis substantialis in ratione actuum, & occurritur vltima confirmationi pro prima sententia adductæ.*

#### 5. IV.

67. Vltima confirmatio tangit non leuem difficultatem scilicet an generatio substantialis sit actio distincta à tota alteratione præcedenti, unde occurrendo illi, manebit & hæc difficultas soluta. Respondetur ergo ad prædictam confirmationem dupliciter: primò probabile esse, generationem substantialem esse actionem realiter distinctam à tota alteratione præcedenti, & per se primò ad substantiam terminari, propter quam rationem; licet ipsa sit entitativè accidentalis; appellatur actio substantialis: negandum tamen, hinc sequi, esse necessarium aliquem actuale, & immediatum influxum à substantiâ procedentem quod actualiter fulciat concursum accidentium, quoties instrumentaliter eliciunt prædictam actionem: nam sicut illa actio est entitativè accidentalis; ita, ut supra dicebamus potuerunt accidentia à principio suæ productionis dimanare cum tantâ vigorositatē, quanta necessaria est ad illam eliciendam. Vnde calor, verbi gratia, calefacit virtute propria, & ut causa principalis, & elicit actionem hanc posteriorem in virtute ignis, & instrumentaliter: quia operatur, ut virtus eiusdem ignis, & in ordine ad effectum nobiliorem se, & prior actio subiektatur in composito præcedenti & posterior in subsequenti: quia cum sit accidens, non potest immediatè subiektari in materia prima, de qua videanturea, quæ infra disp. 16. quæst. 3. dicemus.

68. Secundò & melius ac magis consonè menti D. Thomæ respondetur, generationem substantialem non esse actionem realiter distinctam à tota præcedenti alteratione; sed esse terminum eius ut optimè notauit Caiet 1. part. quæst. 54. art. 3. Zanardus 7. Metaphysic. quæst. 6. in solutio. ad tertium, Soto 3. Physicæ quæst. 1. conclusionē 3. Fonseca 5. Metaph. cap. 2. quæst. sect. 3. & 4. & communiter Iuniores Thomistæ. Et sequitur apertè ex dictis: nam id ipsum habet calefactio in actu secundo, quod habet calor in actu primo: ergo si calor, ut calor est, potest virtute propria producere calorem secundum suam speciem consideratum; & ut virtus ignis illæque subordinatus, est productiuus substantiæ ignis: cur calefactio secundum sibi propria non erit actualis productio caloris, & ut oritur ab eodem calore, ut

virtute ignis, & consequenter, ut subordinatur igni, utpote agenti primo, & radicali, non erit actualis productio substantiæ ignis geniti?

69. Maxime, quia hoc ipso, quod alteratio producat in virtute ignis calorem non utrumque, sed ut est dispositio sufficiens ad expellendam modo dictam dispositionem necessariam ad formam stupæ, oportet, ut ex vi illius actionis subsequatur per naturalem resultantiam expulsio formæ stupæ, & generatio formæ ignis: tum quia eadem est actio corruptiva unius formæ, & introductiva alterius: tum etiam quia posita dispositione sufficiens, & modo dicto ad expulsionem formæ; statim per naturalem resultantiam, absque noua actione subsequitur prædicta forma substantialis, & transit materia ad aliam.

Et hoc aded verum esse credimus, ut sentiamus implicare contradictionem, quod forma substantialis fiat ab agente creato per actionem, quæ directe, & immediate ad ipsam terminetur; sed solum posse fieri, quasi indirecte, & per naturalem resultantiam ratione nexus dispositiones introductivas, & prædictam formam, quia terminus immediatus, & per se primus alicuius actionis est actio ipsa, necnon potentia operatiua debent ad eundem ordinem, vel substantiæ, vel accidentis intrinsecè pertinere. Vnde sic implicat potentiam operatiuam in creaturis esse substantiam: ita quod terminus per se primus, & immediatus alicuius actionis sit substantia, sed necessariò debet esse accidens; sicut potentia operatiua eiusdem sunt accidentia.

70. Ex quo fit, ut illa realiter actio habeat pro termino primario executionis calorem secundum prædictam rationem, & deinde plures alios secundarios; scilicet tum sigillationem materiæ: tum mutationem illam substantialem, qua materia transit ab una in aliam formam: tum formam ipsam substantialem: tum compositum scilicet ignem genitum, ita ut hoc sit terminus, ut quod, illa verò duo, terminus, ut quo, tum denique accidentia resultantia ex igne. Quæ omnia ided dicuntur terminus secundarius, quia sunt post primarium: nam unius actionis bene possunt esse plures termini quando habeant inter se ordinem primarij, & secundarij; quamuis etiam cum his cohæreat, quod calor ille, qui à nobis terminus primarius executionis nuncupatur, multoties non dicatur terminus prædictæ alterationis propter rationem, quam lib. 6. tangemus, licet reuera per se primò ab illa producat.

71. Cæterum quia hæc secunda solutio aliquibus valde difficilis visa est, cum doctrina D. Thom. pugnant ided placuit duplici D. Thomæ testimonio eam elucidare. Nam in primis opusc. 32. multoties inquit: formam substantialem, & eius generationem esse terminum præcedentis alterationis atque aded debent attingi per illam. Vnde in fine capituli sic concludit. *Sciendum est ergo, quod in termino cuiuslibet motus nihil est in ipso de eo, quod per motum derelinquitur: sicut in termino motus localis nihil est de loco, à quo incipit motus localis, & in termino dealbationis nihil est de nigro, à quo incipit dealbatio. Cum ergo alteratio ab actu forma substantialis incipiat, & ipsum compositum alteretur alteratione materia ad denudandam ipsam ac omni actu, quem prius habebat) ut dictum est) in termino eius, necessariò denudabitur ad actum primo, quem habebat: primum enim in constitutione, est ultimum in resolutione, hoc autem est actus forma substantialis.*

72. Vbi ut vides, planè sentit terminos à quo, & ad quem alterationis præcedentis non esse tantummodò qualitates contrarias, quarum una expelli-

tur, & alia introducitur; sed etiam formas ipsas substantiales, quarum una expellitur, & altera de nouo fit, alioqui non dixisset, alterationem illam esse ab una in aliam substantialem formam; sed tantum esse ab una in aliam qualitatem: nec asseruisset, quod in termino illius adest non esse formæ substantialis, quæ antea erat in materia, ac proinde, & esse formæ de nouo genitæ, per quam præexistens expellitur: quia in termino motus tantum est id quodd, ex vi motus producit: siquidem quicquid habet terminus motus identificat cum actione, acquiritur, & fit per ipsum motum.

Deinde in quæstione vnicæ de Anima art. 12. loquens de generat. substantiæ dicit: *Agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam; quod quidem fit secundum quod materia primò disponitur ad formam, & tandem consequitur formam, secundum quod generatio est terminus alterationis.* Et tandem ibidem inquit: *Quod si est aliquod agens, cuius actio immediate, & directe terminetur ad substantiam, quod huiusmodi agens agit per suam essentiam, & sic non erit in eo aliud potentia actiua, & eius essentia.*

73. Ecce ergo quomodo ex hoc, quod actio alicuius agentis immediate, & directe terminetur in substantiam colligit D. Thom. quod in tali agentis non distinguitur principium immediate operatiuum ab eius essentia: quia ut supra dicebamus, effectus, qui immediate per actionem attingitur, & principium creatum ac immediatum illius, debent ad minus in ratione substantiæ, vel accidentis conuenire: ita ut si talis effectus sit substantia, etiam tale principium debeat esse substantia, Quare, cum in sententia D. Th. implicet substantiam creatam esse immediate operatiuam, etiam implicabit, quodd ab illa exeat illo modo actio aliqua, cuius terminus immediatus, & omninò directus sit substantia: quia eo ipso conuinceretur non distingui in ea essentiam, & potentiam immediate operatiuam.

74. Sed obiicit suarez, solutionem hanc esse doctrinæ Aristotelis, eiusque principij, necnon & euidenti ratione contrariam, & ided multis eam impugnare nititur. Primò ex Aristotele, qui toto primò libro huius operis, & 1. de Generat. hoc præcipue intendit, scilicet distinguere generationem substantialem ab alteratione. Et 5. Physic. cum dixisset, ad tria prædicamenta esse per se motum, addidit ad substantiam non esse motum, sed mutationem: quia non est ex subiecto in subiectum; sed ex ente in potentia in ens simpliciter. Vnde eisdem locis distinguit principia generationis à principijs aliorum motuum dicens: esse materiam, formam, & priuationem.

Et confirmatur ex D. Thom. 3. contra Gent. cap. 69. ubi sic habet: *Si forma accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus, habent aliquas actiones, magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem: non est autem huiusmodi actio disponere materiam: quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiens forma accidentales: igitur forma generantis est principium actionis, ut forma substantialis introducat. Quid clarius?*

75. Secundo, nam in sententia Thomistarum accidentia quæ præcesserunt in corrupto non manent in genito: ergo non possunt consequenter loqui, qui dicunt generationem substantialem resultare ex termino alterationis. Patet consequentia: nam aliqua forma non dicitur resultare ex actione, nisi quatenus resultat ex termino eius: quia cum quævis actio proximè sistat in suo termino, nihil ex illa resultabit mediare, nisi quatenus ex eius termino dimanauerit. Si ergo in instanti generationis, neque alteratio, neque terminus eius manet, quomodo poterit ex illa substantialis forma resultare?

76. Tertio,

76. Terriò, si ob aliquam rationem generatio non esset actio à præcedenti alteratione distincta; sed terminus eius, maxime, quia ad illam immediatè consequitur. At hæc ratio est nulla: quia etiam ad motum localem alicuius, qui in manu defert accensam lucernam illuminatio subsequitur: & ad creationem animæ in corpore statim consequitur unio illius: & ad actionem intellectus, quia in patria beati vident Deum, immediatè, & necessariò subsequitur actus dilectionis; & nihilominus illuminatio à motu locali: unio animæ à creatione illius: & amor Dei à visione beatifica tanquam actio, & actio realiter distinguuntur.

Et confirmatur, nam generatio substantialis est vera via, & fieri formæ substantialis: ergo est vera actio, ac proinde alteratio, & generatio substantialis per modum duarum actionum distinguuntur. Antecedens, & secunda consequentia per se patent. Prima verò etiam liquet quia actio, nihil aliud esse videtur, quàm via, & fieri alicuius rei.

Ad primum respondetur, Aristotelem solùm velle generationem, & alterationem esse distinctas, non quidem tanquam actio, & actio; sed tanquam actio, & mutatio quod nos fatemur, & Philosophus etiam in loco ex 3. Physic. facit, cum eam esse mutationem expressè dicat. Vnde ad hoc, ut ignis in rerum natura ab agente naturali ponatur, dabitur vna actio, & duplex mutatio; vna quidem identifica cum actione calefactiva; quæ motus rationem habebit, quæque in instanti introductionis formæ perit; alia verò, quæ in instanti illo est, & per eam transit immediatè materia ad formam ignis.

Quare cum Philosophus in illis locis docet, generationis, & alterationis principia esse distincta: non de generatione; ut actio; sed ut mutatio; imò ut est immediata mutatio ad formam substantialem, debet intelligi. Id, quod ex principiis, quæ ad illam currere dicit, satis constat, cum solam materiam primam, formam generandam, & priuationem, ut principia generationis enumeret, & hæc ad eandem, ut talis mutatio, non verò ut actio est sufficiens: quia actio, ut talis est, ad agens, ut ad principium, vnde fluit, intrinsecam dicit habitudinem: & ideo non apparet, quòd aliud melius testimonium Aristotelis poterat Suarez pro nobis, & contra se adducere.

77. Neque obstat si obiicias, quod si generatio substantialis non est nova actio, neque etiam erit nova mutatio: ex eo enim, in receptione frigiditatis ab aqua, non, datur nova mutatio: quia non est ibi nova actio; sed naturalis resultantia, ut quæst. seq. dicemus: ergo propter eandem rationem, neque in præsentī dabitur nova mutatio.

Non inquam hoc obstat: tum quia æquè probabile, & totum in via D. Thom. est dari in recuperatione frigiditatis ab aqua novum motum, sine nova tamen actione, ut loco citato dicemus: tum etiam quia adhuc est dispar ratio. Nam licet forma substantialis sit terminus secundarius executionis; est tamen terminus primarius intentionis naturæ: id autem, quòd natura primò intendit, fit ab agente creato per propriam actionem, & mutationem, si utrumque possibile sit, sin minus attingitur saltem per propriam mutationem at forma substantialis nequit attingi per propriam actionem ad ipsam immediatè terminatam, ut probatum est; & ita debet saltem attingi per propriam mutationem. Cæterum frigiditas ab aqua recuperata, est de secundaria intentione naturæ, & sic tantum fit ex vi actionis, & motus ad aliud per se primò terminati, & ad eandem frigiditatem secundariò extensi: quia hoc solummodo petitur à termino eminino secundariò. Quæ quoties frigiditas per se pri-

mò introducitur, toties fit per novam actionem, & mutationem.

78. Ad confirmationem, quòd intentum D. Thom. in illo loco est probare, quòd causæ secundæ habeant aliquam actionem, ita ut non sit solus Deus qui efficit generationes substantiales quod nos etiam concedimus. Nec ad hoc est necessarium: quòd generatio sit actio distincta ab alteratione: quia illam et alteratio, & est actio caloris, & actio formæ substantialis attingens productionem substantiæ nam quatenus subordinatur calori ad calefaciendum, ut ad virtutem cœqualem calori producendo, est actio illius propria, & vocatur alteratio, & actio dispositiva. At ut subordinatur formæ substantiæ, ut eminenter continenti effectum substantialem, & ut principio radicali, atque ita eidem calori, ut est virtus illius in ordine ad effectum nobiliore eodem calore, est actio attingens productionem substantiæ.

79. Ad secundum, satis esse, quòd tam actio præcedens, quàm terminus primarius maneat in virtute in sigillatione materiæ ad certam, & determinatam formam. Quæ quidem sigillatio paulatim, & successivè fit in materia per antecedentes dispositiones, & ratione illarum: & permanet adhuc in instanti generationis: nam cum materia de se sit indifferens ad plures: & diuersas formas, oportet ad hoc, ut hæc potius, quàm illam recipiat, quòd maneat sigillata, & determinata ad illam certam, & determinatam formam. Quod autem sit illa sigillatio, & quomodo successivè ratione dispositionum fiat, & an realiter modaliter distinguatur à materia tanquam modus substantialis eius: an verò solùm sit eadem materiæ entitas, ut dicens ordinem ad dispositiones immediatè præcedentes, & formam substantialem determinatam, ad quam dispositiones illæ tendebant, & quomodo sine reali additione intrinseca, & per positionem alicuius connotati possit materia habere dictam habitudinem secundum dici in libris de Generatione agentes de principio indiuiduationis, dicemus.

80. Secundò respondetur, quòd ut plures ex Thomistis docent, ad hoc ut ex termino primario sequatur secundarius, non est indispensabiliter necessarium, ut talis terminus, & eius actio sint in illo instanti, in quo sequitur terminus secundarius: quia cum vnus subsequatur post alium ob naturalem nexum, qui est ex natura rei inter vtrumque, tanquam inter terminos per se contentos in eodem agente, & per eandem actionem operante, & ex alia parte inter terminos secundarios, alij habeant nexum cum primario tanquam id, quod simul est cum illo, & alij tanquam id, quod est immediatè post illum in sequenti duratione: quia ordo, & subsecutio vnus post aliud sufficienter saluatur in hoc, quod vnum sit in vna duratione, & aliud in duratione immediatè sequenti: inde est, quòd sicut naturalis nexus, & modo dicto est ratio attingendi: ita diuersus nexus sit ratio attingendi diuerso modo, scilicet in sequenti duratione.

81. Ad vltimum respondetur: quòd ad naturalem emanationem non est satis, quòd vnum sit post aliud, yteumque; sed quòd hæc subsecutio sit per se, & consequenter, quòd actio illa per se ordinetur, ad id, quòd ex primario termino subsequitur. Per quòd patet ad illud de illuminatione. Vnde id, quòd post aliud sequitur, non debet esse extra sphaeram actiuitatis, seu extra obiectum principij productiui, ut tale est, & per talem actionem operatur: nam nunc actio illius non potest intelligi cum sufficienti vi ad illud attingendum. Per quòd patet ad illud de volitione, quæ est extra sphaeram actiuitatis intellectus: imò & ad illud de vnione animæ cum corpore,

pore, quando præsupponitur materia disposita ab agente naturali? quia talis unio, etsi non sit extra spheram Dei absolute: est tamen extra spheram illius, ut operantis per creationem, & præsupponens iam materiam dispositam. Cæterum actio calefactiva ignis per se & ex natura sua ut subordinata igni tendit ad productionem, tum caloris, tum etiam formæ, ut probatum est, & non utcumque; sed iuxta naturam utriusque; atque adeo quia hæc petit, ut calor prius producat in toto composito corrumpendo, & forma in sola materia, ac proinde in instanti illo in quo iam non est talis calor sicut neque subiectum, in quo recipitur, idem in tempore antecedenti producit calorem in composito corrumpendo, & in instanti generationis in quo compositum præexistens corrumpitur, introducit formam substantialem in materiam.

81. Ad confirmationem responderetur, mutationem illam, ut talem tantum esse transitum materiæ ab una forma in aliam; & ita non respicere formaliter loquendo agens ut ex D. Thom. disput. 2. num. 12. diximus: atque adeo, nec esse formaliter actionem: imò quia prædicta mutatio non minus dimanat ex vi præcedentis alterationis: quam forma substantialis: ac per consequens est terminus secundarius prædictæ actionis: ideo non est necessarium, ut identificetur cum aliqua alia noua actione ad hoc, ut una cum forma, & cum eadem, modo infra dicendo identificata respiciat agens, & in rerum natura ponatur; (ut ex Caiet. supra dicebamus) sed hæc amplius in quæst. seq. elucidabuntur: sicut etiam disp. 16. quæst. 2. explicabimus, quomodo cohereat cum illo communi pronuntiato, scilicet actionem, motum, vel mutationem identificari.

## Q V Æ S T I O VI.

*Verum passiones dimanent ab essentia tanquam à proprio efficiente per veram actionem mediam distinctam ab ea, per quam à generante procedunt?*

**P**ura sunt, quæ substantiam genitam in instanti generationis consequuntur, inter quæ primum locum vendicant propriæ passiones, & idem postquam de illa egimus, consequens est, ut istarum de emanatione & productione differamus. Vbi etiam de aliis accidentibus, quæ eandem substantiam indiuiduè comitantur, non nihil dicemus.

*explicatur status controuersie.*

### §. I.

83. **I**n hac quæstione quædam ut certa supponimus, & aliquid in dubium vocamus. Supponimus enim primò, passiones, seu proprietates produci à generante per veram actionem. Nam cum naturaliter, & necessariò substantiam genitam consequantur; sic inde, ut ad generantem etiam spectet vera productio eorum, iuxta illud, qui dat formam, dat etiam consequentia ad formam, ut D. Thom. sæpè repetit.

Imò si semel verum est, has proprietates non dimanare ab essentia per veram actionem mediam; necesse est, tum quod à solo generante per prædictam actionem fiant: quia ut ex se constat, produci solum possunt per veram actionem ab essentia, à qua dimanant, vel à generante vel ab utroque simul: Tum etiam quod saltem per se loquendo, fiant ab eo-

dem generante per solam illam actionem, per quam essentiam producit. Quia cum solum producantur ab illo ex eo quod consequuntur ad essentiam, non fiant per aliam distinctam actionem, sed per eandem, quatenus licet actio illa per se primò terminetur ad substantiam, seu essentiam: extenditur tamen secundariò, & consequenter ad proprietates, sicut & ipsæ sunt ad essentiam consequentes, & de secundaria intentione generantis.

89. Supponimus secundò, easdem proprietates dimanare aliquo modo effectiue à substantia, seu essentia, cuius sunt proprietates, ut docet D. Thom. 1. parte quæst. 77. art. 6. & Doctores communiter. Nam ut modò dicebamus, non fiant per se primò; sed coniuncte, ut complementum præcedentis facti esse scilicet substantiæ, & ob naturalem, ac necessarium nexum, quem cum illa habent, & ita resultant per naturalem sequelam ab illa. Nam hoc ipso, quod non fiant per se primò; sed ut complementum præcedentis facti esse sunt ut terminus secundarius, & consequenter ut quid subsequutum, seu resultans aliquo modo efficienter post primarium, ut infra in hac eadem quæstione expendemus.

Quare solum vocamus in dubium: an talis emanatio proprietatum ab essentia sit vera, & propria actio; ac per consequens dimanant ab illa per veram actionem mediam distinctam realiter ab actione generantis, per quam essentia producit.

*Refertur quorundam Recentiorum opinio.*

### §. II.

85. **S**varez disp. 18. suæ Metaphysic. sect. 3. quem sequuntur Rubio lib. 2. de Anima tractatu de potentia illius, & alij ex Societate sentiunt, passiones resultare ab essentia per veram actionem illius, atque adeo per actionem realiter distinctam ab actione generantis, per quam essentia genita est, quandoquidem nulla res potest elicere actionem generatiuam sui ipsius.

Probatur primò ex D. Thom. 1. part. quæst. 77. art. 6. his verbis: *Vnde actualis forma accidentalis causatur ab actualitate subiecti; ita quod subiectum in quantum est in potentia, est susceptivum forme accidentalis: in quantum autem est in actu, est eius productivum: & hoc dico de proprio, per se accidente.* Et infra: *Vnde manifestum est, quod omnes potentia animæ, siue subiectum earum sit anima sola, siue totum compositum, fluunt ab essentia animæ, sicut à principio: quia iam dictum est, quod accidens causatur à subiecto, secundum quod est actu, & reperitur in eo, in quantum est in potentia.* Vbi, ut vides, docet essentiam causare suas passiones, ut principium productivum, & quatenus est in actu: qui modus causandi est proprius causæ efficientis: ac proinde causat per veram actionem.

86. Secundò, quia aut hæc naturalis resultantia passionum ab essentia est vera efficientia, vel nulla; non enim potest dari medium. Si primum dicatur: iam ergo erit vera actio, & consequenter essentia erit vera causa passionum effectiua. Si verò secundum asseratur, iam illa resultantia non erit naturalis sequela causalis; sed illatiua tantum, consistens in hoc quod posito, uno & aliud propter naturale debitum ponatur sicut inter materiam, & formam cæli est naturalis illatio, non tamen naturalis, veraque emanatio, siue resultantia.

Confirmatur, quia aliàs dum passiones fluunt ab essentia, esset ipsa in pura quiete, & otio, quippe nihil agens, & ita repugnet prædictas proprietates ab ea naturaliter, & causaliter fluere: siquidem in pura

puta quiete, & omnimodo otio non datur dimanatio vera & causalis; sed omnia tunc quiescunt, & eodem modo, ac antea se habent.

87. Tertiò, quia si semel substantia non efficit aliquid in suas proprietates eleuando eas, fiet inde, ut potentia operatiua quæ sunt passionibus illius, non subordinarentur ei in suis operat. tanquam agenti principali; sed generanti, tam essentiam, quam passionibus. At hoc est satis falsum ergo, &c. Sequela videtur certa: quia illi agenti subordinatur instrumentum, quod actiue eleuat illud: ergo si substantia non eleuat actiue suas potentias non subordinabuntur illi in suis actionibus, ut agenti præcipuo. Atque adeo cum solum possit eleuare eas media emanatione, qua eadē dimanet, (ut ex supra dictis constare videtur) consequens est, ut talis emanatio sit vera actio, falsitas verò consequentis est euident: quia per calorem, qui est in genito, non operatur ignis generans sed ingenuus. Sicut per potentiam generatiuam quæ est in filio, non generat pater sed filius.

Quarto, quia alias passionibus non possent separari ab essentia, etiam supernaturaliter, neque earum resultantia impediri. At hoc est planè falsum, ut constat in Sacramento Eucharistia, ubi quantitas, quæ est passio substantia materialis, ab ea separatur. Patet sequela ideo actio nequit separari ab agente, quia seipsa immediatè ab illo fluit. Vnde, vel non debet in rerum natura inueniri, vel debet ab eo semper fluere. At si passionibus non dimanant ab essentia per veram actionem mediam, sed seipsis immediatè, tunc erunt ipse fluxus & emanatio sui ab essentia: ergo non poterunt ab ea separari, neque earum emanatio impediri.

88. Quinto, cum aqua calida ad pristinam reducit frigiditatem, reductio illa est resultantia quædam; quandoquidem frigiditas est propria passio aquæ: at emanatio illa veræ actionis rationem habet: ergo, &c. Minor probatur: quia ibi incipit aliquid esse in aqua, quod antea non erat & per se incipit absque noua alterius rei productione: ergo incipit per aliquam efficientem causam, & consequenter per propriam actionem, & mutationem.

Nec enervatur argumentum dicendo, solum procedere de emanatione passionum concomitantium essentiam in instanti generationis; non autem de aliis, quæ decursu temporis acquiruntur. Nam contra hoc est quod simultas in duratione non tollit, quod essentia; & eius passio sint duplex factum esse, & consequenter, neque quod duplex ibi interueniat actio: quia quoduis factum esse petit suam actionem.

Nec etiam vires argumenti minuuntur, si dicatur, frigiditatem illam verè habere causam efficientem, scilicet generans: non quia nouam eliciat actionem sed præcisè quia generauit aquam, & ideo non requiri nouam actionem; sed solum nouam resultantiam quæ non sit actio.

89. Nam contra hoc est quod licet verum sit, generantem tribuisse aquæ priorem illam frigiditatem, quam in instanti generationis habuit; dici tamen non potest quod ei sine noua actione deperditam frigiditatem communicauerit. Tum quia frigiditas multo tempore postquam iam omnino finita est generatio illa, recuperatur, & finito influxu agentis, nihil profus remanet, per quod possit in actu secundo effectus attingi nisi noua actio, nouusque influxus adsit. Tum etiam, quia frigiditatis recuperatio est productio ex contrario, & verus motus, generatio verò primæ frigiditatis aquæ hoc non habuit. Tum denique quia recuperata frigiditas, est numero distincta ab ea, quam habuit aqua in instanti generationis: id enim semel corruptum, nequit iterum per vires

*Colleg. Compl. Physic.*

naturæ redire; at per eandem actionem duplex accidens solum numero distinctum produci nequit: ergo, &c.

90. Confirmatur nam quando recuperatur frigiditas, non potest non ibi esse actualis influxus, & concursus Dei: sicut si Deus subtraheret concursum, quem præbiturus erat ad hoc, ut in instanti generationis humanæ resultaret visibilitas, non posset postea resultare, nisi concursum illum semel denegatū tribueret: ergo talis resultantia est vera actio. Antecedens patet: quia alioqui esset actu in rerum natura aliquis effectus sine actuali concursu Dei quod est absurdum. Consequentia verò ex se constat: quia ubi adest nouus, & actualis influxus ex parte Dei adest etiam noua, & vera actio, seu productio. Adde quod si semel ibi adest nouus influxus & actio ex parte Dei, non potest non esse noua actio ex parte creaturæ: quia illa frigiditas non fit à solo Deo; sed etiam ab ipsa aqua: & ita si Deus nequit eam attingere sine noua actione, multo minus id poterit creatura.

*Opposita sententia præfertur, & auctoritate D. Thomæ eiusque discipulorum probatur.*

### §. III.

91. **O**pposita tamen sententia asserens, passionibus non dimanare ab essentia per aliquam actionem mediam, & consequenter naturalem emanationem, seu resultantiam, per quam procedunt ab ea, non esse veram actionem distinctam ab actione, qua generans producit essentiam, semper nobis magis arctis: quia videmus eam docere D. Th. multis in locis; ex quibus aliquot in præsentia adducemus.

92. Et in primis hanc sententiam docuit Sanctus Doctor 1. parte quæst. 77. art. 6. in solutione ad secundum, ubi postquam in corpore articuli docuit, potentias animæ fluere ab illius essentia, statim in solutione ad secundum explicat, quomodo sint intelligenda ea, quæ in corpore dixerat, scilicet animam esse principium productionum suarum potentiarum & passionum, his verbis: *Subiectum est causa propriæ accidentis, & finalis, & quodammodo actiua, & etiam ut materialis.* Si ergo Sanctus Doctor sensisset, emanationem esse veram actionem, atque adeo animam esse verè efficientem causam per propriam actionem respectu earum; sicut est causa materialis, & finalis per propriam causalitatem, non addidisset illam particulam diminuentem, imò tollentem veram rationem principij actiui per propriam actionem, scilicet: *quodammodo actiua*: sicut illam non addidit duabus aliis causalitatibus, scilicet materiali & finali eiusdem animæ erga suas potentias nec statim aduertisset, quod per hunc modum debet intelligi, & animam esse productionum principium, &c.

93. Et confirmatur, nam statim in solutione ad tertium dixit: *Emanatio propriarum accidentium à subiecto non est per aliquam transmutationem: sed per quandam naturalem resultantiam: sicut ex uno naturaliter aliud resultat, ut ex luce calor.* Vbi, ut benè notauit Bafiz d. 3. super hunc articulum, cum dixit D. Th. ex luce resultare calorem, non est intelligendum de calore in esse coloris absolute, aut in esse qualitatis: nam hoc est euidenter falsum; sed de calore in esse visibili, iuxta illud, quod Aristoteles dicit 2. de Anima text. 69. c. 7. colorem non esse actu visibilem sine lumine, & quod lumen requiritur propter colores. At ut posito lumine reddantur colores visibiles, satis constat non esse necessariam nouam aliquam actionem: ergo cum ibi adsit naturalis hæc sequela, scilicet quod ex positione luminis, naturalis sequatur, quod colores reddantur visibiles: fiet inde, ut naturalis emanatio, seu sequela, de qua loquitur D. Thom. non sit vera actio.

K

94. Deinde



94. Deinde artic. 7. eiusdem quæstionis in corpore docet Sanctus Doctor: *Potentia anima, quæ sunt priores secundum ordinem perfectionis, & natura, esse principia aliarum per modum finis, & actui principij.* Et subdit exemplum dicens: *Videmus, enim quod sensus est propter intellectum, & non e converso; sensus etiam est quædam deficiens participatio intellectus.* Et mox in solutione ad primum eiusdem articuli exponens, quo pacto procedat effectivè una potentia ab alia, sic ait: *Sicut potentia anima ab essentia fuit, non per transmutationem; sed per naturalem quandam resultationem: ita est etiam de una potentia respectu alterius.* Quare cum in mentem Div. Thomæ non potuerit incidere, quod intellectus sit vera, & propria causa effectiva respectu sensus, ac proinde, quod per veram, & propriam actionem mediam producat illum, ut ex se constat: consequens est, quod iuxta S. Doctorem: nec proprietates ab essentia dimanantes oriuntur ab ea, ut à proprio efficiente per actionem mediam: cum expressè docet, eodem modo procedere potentias, seu proprietates ab anima, ac una potentia fuit ab alia. Et tandem hoc ipsum docuit S. Doct. opusc. 48. tract. 1. cap. 6.

95. Denique confirmari potest, hanc esse D. Thomæ sententiam ex unanimi discipulorum eius conspiratione. Nam in primis Capreolus in 1. distinct. q. 3. art. 2. in solutione ad 6. Scoti, contra primam conclusionem: non solum expressè docet, emanationem passionum ab essentia non esse veram actionem sed id ex solutione illa Div. Thomæ ad 3. supra citata, colligit concludens: quod idè passio dicitur fluere à subiecto: quia actio generantis prius natura terminatur ad subiectum, quam ad propria passionem.

Idem expressit Caiet. 1. p. q. 54. art. 3. §. *Ad secundam rationem Scoti ubi sic inquit: Nullum accidens causatur à substantia immediate per actionem mediam, cum hoc tamen fiat, quod multa accidentia consequantur substantiam in genere causa effectiva, & materialis per naturalem sequelam.* Et infra q. 77. art. 6 in solutione ad 3. quam supra extendimus, commendat doctrinam in ea contentam his verbis: *Responsionem ad tertiam diligentissime notatio: quoniam ea solvantur multa difficultates, &c. utendo hac distinctione de causa activa per mediam actionem, & sine aliqua media actione per solam naturalem resultationem.*

Ferrara etiam 4. cont. Gent. cap. 95. §. *Ad difficultatem tactam*, non solum hanc sententiam amplectitur, sed etiam asserit, esse valde peruiam in doctrina Th. his verbis: ubique tenet San. Thom. quod subiectum non est causa passionis per actionem mediam.

96. Idem sentiunt Iabellus 2. de Anima quæst. 12. in 2. part. illius Herbzus relatus à Iabello ibidem. Soncinas 6. Metaph. q. 8. ad 1. Conrad. 1. 2. q. 110. art. 1. §. sed dicitur Bergomensis author Tabulæ auct. D. Th. dub. 26. exponens solutionem illam ad 3. supra relata Soto in Logica c. de proprio q. 2. in solutione ad Bañez 1. part. q. 77. art. 6. & lib. 2. de Generat. c. 2. q. 3. in solutione ad 3. Et hoc ipsum docent Ioannes Vincentius de gratia Christi, q. 1. art. 2. in fine, Alvarez 3. part. disput. 37. & idè dicunt gratiam habitalem Christi, non resultare ex unione hypostatica, tanquam passionem per simplicem emanationem: quia per novam actionem fuit à Deo producta. Item Zumel. 1. par. q. 54. art. 3. in solut. ad 1. & 2. Nazarius 1. p. q. 54. art. 1. in solutionibus secundi & quarti argumenti Francisci Suarez contra secundam conclusionem, Azauxo. 5. Metaph. q. 7. art. 1. in solutione ad 3. confirmationem, Zanardus. 7. Metaph. lect. 13. q. 3. in solut. ad 4. immediate ante primam conclusionem, & in solutione ad 10. post quartam conclusionem. Medina 1. 2. quæst. 4. art. 2. dub. 3. quatenus docet: quod si humanitas Chri-

sti Domini dimitteretur à Verbo, tunc sine nova actione in propriam personalitatem se explicaret Hispal. in 1. dist. q. 6. notab. 4. Et tandem extra scholam D. Thomæ tenent plures, inter quos breuiter, & compendiosè docent, & exponunt hanc eandem sententiam Fonseca 5. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 5. Toletus 2. de Anima q. 9. conclus. 4. Conim. lib. 2. de Anima c. 3. q. 3. art. 3. in solut. ad 1.

*Eadem sententia D. Thomæ rationibus fulcitur.*

#### §. IV.

97. **D**Einde rationibus probatur assertio: primò ex supradictis in tribus precedentibus quæstionibus: nam si resultantia esset vera ratio, non potest non substantia comparari respectu illius, ut principium immediatè operarium, saltem respectu resultantiæ, qua prima passio emanat: quia cum illa sit prima, non potest substantia respectu illius operari mediante aliqua potentia accidentali. Ergo cum probatum sit locis citatis, quod substantia in via D. Thomæ non potest esse immediatè operativa, sit inde, ut talis resultantia nequeat esse vera actio. Quare cum semel dimanante prima passione per naturalem resultantiam absque media actione possint, & debeant ceteræ aliæ passiones sic dimanare: inde est, quod emanatio omnium illarum nullo modo sit actio.

98. Nec refert, si dicas cum aliquibus, substantiam non se habere respectu suarum passionum, ut causam principiam, sed ut instrumentalem; subordinatam tamen generanti illam: & ideo non mirum, quod verè agat, & immediatè agat: quia quod non possit agere immediatè, solum convenit illi respectu actionum, ad quas concurrat principaliter.

Non inquam hoc refert: quia instrumentum verum, & proprium, quale deberet esse forma substantialis, in eo euentu (quippe quæ non est virtus generantis petens aliquando radicationem, aut coniunctionem cum ipso) debet habere aliquam actionem praviam, & sibi propriam; respectu cuius sit causa præcipua, ut disp. 12. quæst. 2. dicemus; & idè in instrumentis artium licet scissio, ut artificiosa, fiat instrumentaliter ab instrumento; tamen ut scissio est, sit à terra v. g. ut à causa principali. Ergo si repugnat substantiam habere aliquam actionem immediatam correspondentem ei, ut causæ principali, etiam repugnabit, quod habeat aliam instrumentalem, respectu cuius immediatè influat. Adde, quod ratio ex Div. Thomæ supra facta, sicut, tollit à substantia actionem immediatam, & præcipuam: ita proportionè servata, aufert, quod immediatè per modum influentis influat.

99. Secundò probatur: si emanatio esset vera actio, sequeretur, quod nullius actionis naturalis posset dari duplex terminus, quorum alter primarius; alter verò secundarius esset, sed hoc est contra commune omnium Doctorum placitum; imò & contra apertam rationem: ergo, &c. Sequela probatur: nam inquirimus, an ille terminus, qui secundarius esse asseritur, emanet à primario, vel non? Si hoc secundum dicatur: ergo iam terminus ille non erit secundarius: quia terminus secundarius debet sequi, & resultare post primum. Primum verò dici non potest: quia quod terminat veram actionem ad ipsum solum terminatam est terminus primarius, atque ita non est terminus resultans ex alio termino. Falsitas verò consequentis satis constat: nam ut supra dictum est, forma ignis habet necessariam, & infallibilem connexionem cum dispositione introductiva

introducitur eiusdem : ergo actio illa , quæ modo supradicto hinc attingit dispositionem eademmet attingit saltem secundariò formam : iam ergo eiusdè naturalis actionis duplex terminus esse potest.

100. Nec refert si dicatur : ideo terminum aliquem dici secundarium : quia etsi per propriam actionem fiat illa tamen actio talis rationis est , ut necessariò aliam priorem exposcat, illaque posita hanc secundam actionem statim poni necesse sit. Nam inquirimus, num influxus prioris actionis attingat terminum illum , qui secundarius dicitur vel non : si attingit , superfluit ergo illa secunda actio ; quod si non attingit , quomodo eius terminus dici potest?

Confirmatur , quia posita visione beatifica , non potest non dilectio , & amor beatificus poni , & hæc posterior actio essentialiter pender à priori : sed hoc non obstante amor beatificus non potest dici terminus secundarius respectu prioris actionis ; quandoquidem actus voluntatis est omnino extra sphaeram intellectus. Malè ergo propter illam rationem dicitur , dari terminum aliquem secundarium : etiamsi emanatio sit vera actio.

*Exponitur qualiter essentia sit principium effectuum suarum passionum, & in quo naturalis emanatio, qua ab essentia fluunt, consistat.*

## §. V.

101. **D**Vo tamen possunt non immerito in præfenti inquiri. Primum si essentia veram non elicit actionem , dum ab eo proprietates fluunt : cur spectat ad ordinem principij activi respectu illarum ? Secundum verò , in quonam hæc naturalis emanatio consistat?

Ad horum verò primum respondetur : inde solum colligi , quòd non pertineat propriè & strictè ad talem ordinem : secus verò quòd aliquo modo ad illum non spectet, tãquam quid deficienter participans aliquid eius , & reductivè ad eundem pertinens?

102. Cuius rationem tetigit optimè D. Thom. opusc. citato his ferè verbis : quia nimirum licet in propriis passionibus inveniatur tam esse illarum , quàm necessitas conveniendi semper subiecto , & utrumque per veram actionem sit à generante : nihilominus generans non attingit simul has duas rationes , nisi medio ipso subiecto : quoniam si subiectum nullam haberet habitudinem necessariam ad tale proprium , quantumcumque generans produceret subiectum cum propria passione , non imponeret passioni necessitatem prædictam ; siquidem sublata ista habitudine , illud quod dicitur propria passio , per accidens , & contingenter , se haberet ad subiectum. Quare ex quo capite subiectum , seu essentia non elicit tunc veram , & propriam actionem mediam non est verè , & propriè activa ; & ex quo capite est aliquo modo ratio respectu efficientis , ob quam prædicta duo per veram actionem attingat , non se habet purè passivè respectu suarum passionum ; sed dicit aliquo modo ad illas habitudinem causæ efficientis , siquidem illud , quòd est receptivum tantum alicuius formæ ; non imponit ei necessitatem essendi , & conveniendi semper subiecto.

103. Quod adhuc magis explicuit , Doctor Angelicus 1. p. quæst. 77. art. 6. ( de quo optimè ibidem Caiet. ) nam quando plura ordine quodam ab una causa procedunt , tunc id , quod prius procedit , est aliquo modo causa cæterorum in eodem genere causæ , quoniam aliquo modo quasi defert causalitatem

talis causæ ad reliquos effectus : non quidem quæ novam aliquam , & veram actionem eliciat ; sed quia causa illa nequit attingere per suam causalitatem posteriorem effectum , nisi prius attingat priorem. Quare cum actualitas subiecti , seu essentia , & proprietates eius procedant efficienter ab eodem generante , & in ordine quodam ut ex se constat , consequens est , ut actualitas subiecti , quæ inter has actualitates est prima in hoc processu sit aliquo modo causa in eodem ordine respectu suarum proprietatum : quia aliquo modo quasi defert actionem generantis ad suas passiones , quatenus non potest actio agentis attingere passiones , nisi prius attingat essentiam , & consequenter nisi eadem essentia mediante inter illas , & generans tanquam termino priori quo semel posito statim alij subsequantur.

104. Maximè quia ut optimè innuit idem Angelicus Doctor locis citatis : proprietates non possunt attingi à generante , nisi mediet essentia , ut est ens in actu. Vnde dependentia illa , & resultantia , quæ passiones ab ea pendent tanquam à termino priori , cum quo habent necessarium nexum , pertinet aliquo modo ad ordinem efficientis : quoniam proprium est efficientis agere quatenus est in actu per suam naturalem actualitatem ; & ita id , à quo aliquid pender ut ab ente in actu , & quasi à deferente actionem agentis ad aliud modo suprà explicato , pertinet aliquo modo ad ordinem efficientis respectu alterius.

105. Declaratur tandem radiciter hoc ipsum ; quia ut eleganter expendit D. Thom. opusc. citato , sicut in genere causæ materialis passivæ dupliciter potest dici , quòd aliquid patitur , vel quia recipit aliud , vel quia disponit ad receptionem illius ; & ideo ( ut exemplo S. Doctoris utamur ) non solum certa recipiens figuram dicitur passivè se habere ad illam , sed etiam mollires : quia licet in ea non recipiatur , est tamen aliquo modo ratio recipiendi , quatenus disponit ad illam. Et eodem modo licet forma substantialis non recipiatur in quâritate ; sed potius è contrà : nihilominus quantitas dicitur passivè se habere , quia disponit ad talem receptionem.

Ita similiter ( debita tamen proportionè servata ) dupliciter potest aliquid in ordine principij produci ad illud pertinere , vel quia propriè , ac proinde per veram actionem mediam concurrat : vel quia aliquo modo est ratio respectu agentis , ob quam attingat effectum , quatenus non potest producere effectum posteriorem , nisi cum aliquali dependentia eiusdè effectus ab illo , ut ab effectu , & termino priori : ita ut hic modus dependendi aequaliter participet modum dependendi ordinis efficientis : quia est dependentia ab alio ut ab ente in actu , & mododictò ; ut explicatum est.

106. Ex quibus omnibus satis perspicuè colligitur responsio ad id , quòd secundo loco inquirebatur , scilicet in quonam hæc naturalis emanatio consistat : dicimus enim , quòd cum generans attingat per unam solummodò actionem , scilicet per generationem tam essentiam , quàm omnia ad eandem spectantia ( ut probatum est ) & nequeat per illam producere primam passionem , nisi prius producat essentiam : sicut neque secundam , nisi prius attingat primam ; consequens est , quòd naturalis emanatio passionum ab essentia ( si semel non est actio media inter essentiam , & passiones , ut ostensum est ) consistat in illo ordine exeundi passionum per essentiam ex vi unius , & eiusdè actionis præcisæ ; taliter quòd passiones aliquo modo exeant dependentes ab essentia , quatenus ipsa , ut est ens in actu , imponit ratione nexus iam explicati necessitatè agenti , ad hoc ut ea posita , &

non aliter, debeat statim per se loquendo producere passiones, ex vi eiusdem actionis.

107. Vnde si hæc naturalis emanatio passionum ab essentia, quasi actiue sumatur, & secundum ea, quæ solum in recto, & formalissimè importat, non est aliquid distinctum ab ipsa essentia, connotat tamen actionem agentis determinatam illam, ut ad terminum priorem, & ad passiones ut ad effectum posteriorem, verè, & propriè per illam actionem productum, nec non, & remotionem omnium impedimentorum occurrentium: quia essentia præcisè ratione suæ actualitatis, & exigentiæ, qua postulat suas proprietates, necessitat, & determinat agens, ut illas statim producat, habetque quasi deferre actionem eius ad ipsas. Si verò talis emanatio quasi passivè accipitur, non est distincta ab eisdem passionibus; sed illa dicit; connotandotamen, tum essentiam ut exigentem illas; tum etiam reliqua prædicta. Non secus proportionè tamen servata) ac creatio passiva formaliter, & in recto sumpta non distinguitur in sententia probabili multorum ab ipsa creatura, nec creatio activa in opinione communi Thomistarum ab actibus internis Dei: quia nec Deus creat, nec creatura creatur per actionem mediam, & interiectam se ipsa inter utrumque. Et ita licet passiones fiant à generante per actionem mediam: quia ab illo non resultant per modum proprietatum ipsius; sed verè, & propriè, licet secundariò ab eo efficiuntur non tamen resultant ab essentia per resultantiam, quasi activam, aut quasi passivam mediam inter utramque: quia talis resultantia formalissimè sumpta esset vera actio, & consequenter non esset naturalis sequela, emanatio.

108. Quæ omnia virtualiter continentur in brevibus illis, & compendiosis verbis Capreoli loco citato dicendis: quod potentia animæ idè dicuntur fluere ab anima vel produci, aut causari ab ea: *Quia eadem productio, qua primò terminatur ad esse animæ, terminatur ad esse potentiarum secundariò.* Quo etiam loquendi modo utuntur Caiet. & Bañez locis supra relatis, & communiter Thomistæ. Diximus virtualiter contineri: quia licet hæc naturalis emanatio passionum ab essentia, non consistat formaliter, & in recto in prædicta actione, nihilominus trahit suo modo originem ex eo quod actio agentis per prius terminetur ad essentiam, ut ad ens in actu, & deinde ad passiones, ut ad complementum necessarium præcedentis facti esse, & hoc ipso quod secundum hunc ordinem ad prædicta terminentur, involuntur ibi conditiones iam explicatæ, ad naturalem resultantiam petitiæ.

*Solvuntur omnia fundamenta Recentiorum præter ultimum.*

#### §. VI.

109. **A**D primum ergo ex testimoniis D. Thomæ adsumptum satis liquet ex dictis.

Ad secundum constat etiam ex his, quæ supra asseruimus, quomodo forma cæli non possit per hanc naturalem dimanationem ab eius materia dimanare: cum materia sit secundum se pura potentia, & in ordine causæ efficientis nihil dimanet ab alio, nisi tanquam abente in actu.

110. Ad confirmationem etiam patet ex dictis quomodo in dimanatione passionum detur ex parte essentia, à qua passiones dimanant, prædicta dimanatio ad ordinem efficientis suo modo spectans, & ex parte generantis actio generativa, quæ sicut prius terminatur ad essentiam: ita statim terminatur ad

passiones. Vnde nullo modo adest ibi purum, & nudum otium, vel ex parte generantis, vel ex parte essentia generis: quia prædictum otium excludit omnem modum concurrendi ad ordinem causæ efficientis quo quomodò spectantem. Quod adeo verum est, ut licet passiones impedirentur in instanti generationis & postea per naturalem dimanationem sine nova actione pullulent, non esset cōcedendum: quod tunc omnia quiescerent, & essent in puro otio propter rationem modo tractam, & in solutione ad confirmationem ultimi magis explicandam.

111. Ad tertium responderetur, quod sicut dato per impossibile aliquo vero, & rigoroso instrumento artificiali, v. g. serra quod ex sua natura subordinaretur huic artificio potius quàm illi, tunc licet produceretur ab alio, semper subordinaretur illi priori, ut instrumentum suæ causæ principali: ita quia calor ignis geniti ex natura sua subordinatur ei, ut virtus instrumentaria eius, idè à quocumque produceretur, sepe subordinabitur illi: quia semper ab eo dimanat.

Quare in prædicta virtute instrumentaria duplex subordinationis genus distinguendum est, aliud, quo subordinatur alteri, ut purus effectus suæ causæ, à qua verè, & propriè efficitur, aliud quo subordinatur alteri ut effectus dimanans, & ut virtus instrumentaria suæ radici, & causæ principali per illam operanti: & hoc posteriori modo subordinatur essentia à qua fluit, & illo priori subordinatur generanti, à quo fit nec generans satisfaceret suo muneri, nisi ex vi suæ actionis relinqueret calorem cum subordinacione sufficienti ad ignem genitum per modum virtutis instrumentariae illius: quia qui dat formam, debet dare consequentia ad formam.

Ad quartum responderetur quod convinceret intentum, si passiones non solum non resultant ab essentia per mediam aliquam actionem ipsius, ut reuera non resultant verum etiam neque fierent à generante media actione generativa tanquam terminus secundarius eius. Vnde ea impedita quoad extensionem ad effectum secundarium, nequeunt passiones dimanare; nam licet nequeat actio impediri, quin producat terminum primum; bene tamen ne attingat, secundarium. Sicut licet forma unita suo subiecto non possit non tribuere suum effectum formalem; primum: potest tamen impediri, ne tribuat secundarium,

*Occurritur ultimo argumento Iuniorum, & eius confirmationi.*

#### §. VII.

112. **A**D quintum responderetur primò; probabile esse dari ibidem novam actionem identificatam cum novo illo motu, & procedentem à sola effectiva: hæc tamen actio non invenitur ibidem per se; sed per accidens, ratione circumstantiarum tunc occurrentium: quia non nisi expellendo calorem per accidens ibi existentem introducitur frigiditas: & ita nisi adesset hoc impedimentum, resisteret sine novo motu, & actione. Cæterum quia actio illa, & terminus eius sunt complementum procedentis facti esse, scilicet aquæ quandoquidem ordinatur adtribuendam dispositionem debitam in instanti generationis, & per accidens impeditam, vel deperditam: ideo utrumque emanat per naturalem sequelam ex vi actionis generativæ aquæ virtualiter manentis in termino primario intentionis, scilicet in ipsa aqua: quia utrumque (ordine tamen quodam) est quasi corollarium eiusdem actionis: ita tamen ut emanatio nō consistat in novo illo motu, & actione: nā hæc

hæc etiam dimanat, sed in natura illa sequela iam explicata; quæ ex vi generationis aquæ, statim post ipsam formam substantialem, subsequitur quam primum potest motus ille in frigidationis, & post eum frigiditas recuperata, quæ licet non sit passio illius, habet tamen suum modo nexum cum illa.

113. Potest autem hoc explicari exemplo vibrationis corporis levis in suo loco naturali; quæ per se loquendo non petit novum motum, & actionem; & idem si in instanti generationis nullum adesset impedimentum, ut contingit in instanti primæ productionis totius elementi ignis, resisteret sine motu, & nova actione prædicta vibratio: attamen quando leve generatur distans à suo loco naturali, tunc per accidens ratione distantie, & impedimentorum occurrentium, adest novus motus; novæque actio: & nihilominus est valde probabile (ut infra lib. 7. dicemus) omnia illa emanare per naturalem emanationem ex vi actionis generatiuæ gravis, ratione cuius generans dicitur movens illius ita ut non detur aliqua alia causa particularis, quæ per veram actionem concutrat, nisi solus genitor.

Nec refert si obicias, quod ad actionem non datur actio, ac proinde actio generatiua gravis non poterit ad novam illam actionem; & descensum lapidis terminari. Non inquam hoc refert: quia licet actio non possit terminare aliam actionem, ut terminus per se primus eius, ut constabit ex dicendis lib. 5. non tamen inconuenit, quod resultet ex illa modo explicato, quando ordinantur ad dandam effectui dispositionem debitam in instanti generationis, quæ per accidens impedita est, & tales circumstantiæ tunc per accidens occurrunt, ut non possit aliter prædictæ indigentia subueniri. Et ita si tales circumstantiæ non occurrerent: ut si Deus decreuisset, quod risibilitas non resultaret in homine usque ad annum transactum, tunc eo elapso sine noua aliqua actione resultaret.

114. Secundo respondetur cum Caietano loco citato ex 1. p. q. 54. Bonz ibidem, Zanardo, & aliis Thomistis optimam esse solutionem secundo loco ibidem traditam: quoniam noua illa frigiditatis intensio, etsi de nouo incipiat esse in aqua, incipit tamen ut complementum præcedentis facti esse, & termini prioris ut talis est, & idem ex vi sua, & ab intrinseco non habet rationem facti esse per se nouam exigendis actionem; sed per puram emanationem naturalem sine aliqua noua actione resultat: quia hoc ipso quod maneat ipsa aqua, quæ est terminus prior quam passiones respectu generationis ipsius aquæ consecutur ibi virtualiter manere generatio præterita: quia manet imposta sufficiens necessitas, & determinatio; ad hoc, ut semotis impedimentis statim resultet talis frigiditas.

Vnde existentia generationis aquæ in seipsa tantum desideratur, ad ponendum terminum simpliciter primarium executionis, scilicet vltimam dispositionem ad formam aquæ, ut quæstione præcedenti ostendimus quia cum cætera alia habeant connexionem cum illa, consequens est, ut hac posita, statim cætera ordine quodam ex vi talis positionis resultent.

115. Quare ad primam probationem contra eandem solutionem patet ex dictis. Ad secundam: quod etsi frigiditas illa paulatim radicetur in aqua, & calor paulatim ibidem desinat in formare illam; non tamen idem adest ibi novus motus: quia non intercedit inter illam radicationem frigiditatis, & ipsam aquam, aliquid medium, &iale; sed sit ex vi solius influxus, quo aqua genita est, & per resultantiam naturalem iam explicatam. Non enim minus potest consistere in noua informatione, aut radicatione,

Colleg. Compl. Physica

etiam si ibidem sit non esse caloris, sed in aliquo viali: & fluenti tam ab aqua, quam à frigiditate distincto, & inter utrumque medio, ut lib. 3. ostendimus. Vnde propriè, & strictè loquendo nec ibi adest noua mutatio; se solum largè, propterea noua informatio de se permanens potest largè dici mutatio.

Ad tertiam probationem responderetur, ibi solum acquiri maiorem intensiorem præexistentis frigiditatis: quia frigiditas illa non perit totaliter, sed solum quoad intensiorem; si tamen omnino perisset, & aqua illa à Deo conseruaretur, tunc resultaret noua frigiditas. Vnde ex vi eiusdem actionis generatiuæ quandoque resultaret sola intensio frigiditatis, quandoque ipsa frigiditas: & quandoque cum expulsionem contrarij, quandoque verò sine illa: ut si non introducto calore Deus auferret frigiditatem, & postea resultaret.

Adde, quod licet daremus, reperiri ibidem novum motum (quod quidem æque probabile, & tutum in schola D. Thom. est) non idem iuxta hanc solutionem, admittenda esset noua actio; sed ex vi actionis generatiuæ, una cum noua illa intensione frigiditatis resultaret, ut contingeret in graui acquirente per naturalem resultantiam vibrationem in suo loco naturali, & motum ad illum si semel grauitas non est principium propriæ actionis talis motus, ut lib. 7. ex mente S. Thom. tangemus. Cur autem peculiari-ter in resultantia prædictæ vibrationis sit novus motus localis, & quomodo hæc cohzreant cum comuni illo pronuntiato scilicet actionem, passionem, & motum identificari inter se supra tetigimus, & infra explicabimus.

116. Ad confirmationem responderetur: quod hoc ipso quod Deus præstiterit omnem influxum necessarium ad productionem esseptiæ, & eam conseruet, præstiterit etiam omnem influxum requisitum saltem ex parte sua ad passiones, & accidentia ab ea dimanantia: nam quod actu non dimanent, non prouenit ex effectu influxus, & concursus diuini, sed ex impedimentis concurrentibus: quia ut supra dicebamus, licet dari nequeat actio, & influxus Dei absque termino primario ipsius, bene tamè absque secundo, quando adest aliquod impedimentum à quo efficaciter vult Deus impedi suum influxum quoad effectum secundarium. Vnde semoto impedimento, statim ille influxus extenditur ad attingendum; effectum secundarium, ita ablato calore statim illamet actio ad essentiam aquæ terminata extenditur ad acquirendam frigiditatem deperditam: sicut Deo decernente, quod suus influxus productiuus essentia hominis non extēdatur ad risibilitatem usque ad annum transactum, tunc semoto hoc extrinseco impedimento, seu transacto anno, protinus eius influxus extēditur ad illam.

117. Maxime: quia tota formalitas realis, actionis diuinæ, qua concurrat ad generationem, manet adhuc formaliter in seipsa: quia Deus tantum agit etiam ad extra per actiones immanentes sui intellectus, & voluntatis. Vnde illamet actio, & non aliqua alia ex parte Dei, quæ sit à præcedenti virtualiter distincta; extenditur actu ad effectum secundarium, & cum infert non minus quam se extenderet in instanti generationis aquæ. Sicut quia volitio diuina terminatur ad diuinam bonitatem ut ad obiectum primarium, & ad creaturas, ut ad secundarium, potest eadem absque additione alicuius formalitatis extendi: & non extendi ad illas: & per hoc quod extendatur, aut non extendatur, nihil reale acquirit, aut deperdit. Et similiter relatio paternitatis potest (ut in Logica disp. 14. num. 83. diximus) extendi, & non extendi ad plures filios, & per hoc quod semel terminata ad unum extendatur ad alium, nihil reale ei additur; sed

K 3

facis

# 114 Disp.X. de Causa efficiente, Quæst. VIII.

satis est intrinseca connotatio filij denatæ geniti quia terminus primarius eius tantum est communis ratio filij à se geniti, non verò hic, aut ille filius in particulari acceptus.

118. Ex quo etiam, ad id, quod ultimo loco in eadem confirmatione additur satis constat; nam sicut ex parte Dei non requiritur noua actio ita neque ex parte creaturæ; sed sufficit illam actio generatiua aquæ, virtualiter ibidem manens, & quod adsit prædictum connotatum, scilicet remotio impedimentorum occurrentium: quamuis etiam cum his cohæreat, quod ex vi prædictarum actionum multoties vincantur impedimenta iuxta naturam, & ordinem rebus ipsis debitum, ut patet in aqua calida, & ad pristinam frigiditatem redacta.

119. Et hæc adeo vera esse censemus, ut licet diceremus, Deum agere ad extra per actionem formaliter transeuntem; tunc esset idem (proportione tamen seruata) dicendum: quia illam actio, licet in se transferit, manet tamen in virtute in essentia, aut forma aquæ: sicut de actione creaturarum dicebamus & ita non erit necessaria noua actio, sed sufficiet resultantia iam explicata, ut aperte colligitur ex D. Th. 5. Physic. lect. 3. Quia, ut optime explicat Ferrara quæst. 3. idem docet non esse necessariam nouam actionem erga aliquod subiectum, ad hoc ut habeat nouam relationem verbi gratia, qualitatis: quia illa relatio erat in radice in ipso fundamento (sicut passionis præexistunt in essentia) & sit per naturalem resultantiam.

120. Ex quibus omnibus facile erit colligere, quid dicendum sit de his accidentibus, quæ rem generatam indiuiduè comitantur, & in instanti generationis ex vi eiusdem actionis producantur: dicimus enim idem esse quoad illa ferendum iudicium) debita tamen proportione seruata ac de accidentibus, quæ rationem propriè passionis verè, & strictè habent; quia etiam per naturalem resultantiam fiunt.

## QVÆSTIO VIII.

*An unum accidens respectu alterius sibi similis possit esse causa principalis.*

**M**erito hucusque quæstionem hanc distulimus: quoniam nisi semel explicaretur virtus, seu ratio agendi per quam vna substantia producit aliam, nequibat exactè percipi, quænam sit virtus per quam unum accidens actuè attingit aliud.

PLACITVM FONSECÆ

### §. I.

121. **P**artem negatiuam tuentur Fonseca 5. Metaph. cap. 2. q. 6. lect. 6. Conimbric. 2. Physic. cap. 7. q. 18. art. 3. ad finem assertio. 5. Et probatur primo: calor calefacit, ut virtus ignis ergo in virtute illius, ac proinde ut causa instrumentalis. Vtraque consequentia patet. Antecedens verò suadetur: quia totum esse accidentis in ratione entis considerari est, esse entis; id est substantiæ, ens. Ergo totum esse illius, ut operatiui, & ut habet virtutem ad agendum est, esse virtutem substantiæ: quia ratio virtutis operatiuæ sequitur ad esse, & in eo fundatur: ergo quando calor calefacit, tunc præstat hunc influxum, ut est virtus substantiæ: atque adeo calefacit, ut instrumentum illius.

122. Secundò, impossibile est, quod respectu vnus, & eiusdem effectus detur multiplex causa

totalis eiusdem ordinis, & præcipua; quia etsi plures causæ diuorsorum ordinum possunt desiderari ad illud non tamen in vno, & eodem ordine quoniam quævis causa totalis vnus ordinis præstat omnem influxum, qui in illo ordine desideratur. At in productione caloris substantia ignis est causa totalis, & in ordine causarum particularium, principalis: ergo repugnat, quod calor, qui solum, ut causa particularis influit, concurrat per modum causæ præcipuæ.

Minor patet, nam ignis non solum ignire; sed etiam calefacere potest. quia forma, quæ attingit vltimum effectum, ad quod dispositiones aliquæ ordinantur, non potest non habere vim ad producendas tales dispositiones, ac per consequens ignis, qui potest ignire, poterit etiam calefacere, quod se habet ut dispositio ad igniendum. Confirmatur vtrumque argumentum: ignis continet eminenter calorem, atque ita potest illum per modum causæ principalis producere: ergo superfluit alia causa particularis, & præcipua. Ergo si semel calor concurrat ad calefaciendum, solum influit per modum virtutis, & instrumenti eiusdem ignis.

*Adstruitur vera Angelici Doctoris sententia.*

### §. II.

123. **N**ihilominus dicendum est accidens ad productionem alterius accidentis sibi similis secundum suam speciem considerati, concurrere per modum virtutis, & rationis agendi principalis. Hæc est Diu. Thom. 3. p. q. 62. art. 1. quem sequuntur Magius lib. 2. Physic. cap. 3. lect. 3. assertio 1. qui refert Caietan. 1. p. q. 55. art. 3. Durand. in 1. distinct. 2. n. 16. & 17. Scotus in 4. dist. 12. q. 3. Astudillo 2. Physic. q. 6. & dicit esse sententiam ferè omnium. Quam etiam tenet Rubio in hoc l. tractatu de causa efficiente, qu. 5. & dicit hoc iam sentire ferè omnes Iuniores.

124. Ratio fundamentalis est: causa instrumentalis eleuatur ad producendum effectum per sectiorem se, seu (quod idem est quoad præsens) excedentem eius virtutem; quia cum agat ut causa deficiens, & non accedens ad ordinem causarum agentium virtute propria, semper influit in ordine ad virtutem excedentem talem virtutem: at calor, verbi gratia in productione alterius caloris modo dicto considerati, non operatur, ut eleuatus in ordine ad effectum excedentem propriam virtutem: quia vterque est eiusdem speciei, & calor productus non excedit intentionem producentis, (ut supponitur) ac proinde nec virtutem eius; ergo non influit per modum causæ instrumentalis.

125. Nec refert si dixeris: calorem productum excedere virtutem caloris producentis, quantum ad modum operandi: quia cum sit virtus substantiæ, operatur dependenter ab ea, atque adeo, & in virtute eiusdem nam licet demus, quod aliquando causa eiusdem speciei cum effectum non possit propria virtute producere illum, quia est valde imperfecta in modo operandi, ac proinde excedit virtutem eius nihilominus in presenti nulla ratione hoc dici potest; tum quia si per impossibile non esset habilis substantia, si tamen esset possibilis calor; nihilominus esset productiuius caloris & consequenter neque quoad effectum, neque quoad modum operandi subordinaretur alteri, ut causæ præcipuæ & particulari, ut ex se constat: & ita influeret per modum causæ principalis; ergo etiam quando coniunctus est cum igne, aut cum alia substantia, cuius est virtus, operabitur saltem ut ratio agendi proxima, & præcipua.

Patet consequentia: quia inde colligimus, calorem coniunctum



coniunctum cum substantia solis verbi gratia, non operari virtute propria ad productionem ignis: quia si semel esset impossibilis substantia solis, non posset illa lux, & calor virtualis residens in sole producere substantiam ignis. Ergo à contrario; si calor produceret calorem, etiam si per impossibile non esset substantia bene colligeretur cum producere aliquem calorem per modum rationis agendi principalis modo iam explicato.

126. Confirmatur primò: quia etsi forma substantialis concurrat per modum virtutis radicalis ignis in ordine ad productionem ignis: ut quæstione 4. huius disputationis fuisse ostendimus: quia tamen concurrat per modum virtutis adæquantis in perfectione specifica effectum, & non subordinatæ alteri virtuti eiusdem ordinis, & rationis; idèò nequè quoad substantiam, nequè quoad modum ita exceditur ab illo ut non concurrat per modum rationis agendi præcipuè: ergo similiter quamvis calor influat per modum virtutis proximæ: quia tamen concurrat tanquam quid adæquans effectum secundum suam speciem consideratum, & solummodò subordinatur alteri, ut virtuti, & radicali principio: idèò nullo modo nequè quoad substantiam nequè quoad modum ita excluditur ab illo, ut nequeat per modum causæ principalis, licet proximæ, influere.

127. Confirmatur secundò: quia illa virtus, cui maximè assimilatur effectus, nequit concurrere instrumentariè, ut bene notavit D. Thom. loco citato: quia agens intendit assimilare passum in aliqua ratione principali agendi, ac proinde nequè effectus excedet illam, quoad modum operandi: ac cum calor producat calorem, tunc calor productus maximè assimilatur calori producenti: ergo, &c.

*Respondetur Argumentis Fonseca.*

## §. III.

128. **E**X quo ad ea, quæ pro contraria sententia adducuntur, facilis est responsio. Ad primum respondetur, quòd ad rationem formæ instrumentariæ non sufficit operari; ut virtus alterius, vicumque; sed ut virtus alterius in ordine ad effectum excedentem talem virtutem modo dicto: quia quando effectus ut explicuimus, non excedit illam; idèò dicitur virtus alterius: quia non est quæ agit ut *quo*, sed ut *quod*: & quia ratione illius constituitur suppositum illud, cuius est illud accidens in ratione operantis ut *quod* præcipui. Vnde ignis, ut calidus calefacit per modum causæ principalis ut *quod*; licet ut calidus, non sit causa principalis igniendi; sed id habeat à sola forma ignis, & ita alia ratione est virtus ignis ad igniendum, & alia ad calefaciendum.

129. Ad secundum respondetur: causam, & eius virtutem agendi proximam, & talem, qualis à nobis explicata est, non censeri duas causas; sed unam, & ad eundem ordinem pertinentem. Vnde et ignis habeat concurrere ad calefaciendum principaliter radicaliter per formam ignis, & principaliter proximè per calorem; nihilominus censetur una, & eadem causa ut constitutus per utramque. Sicut, etsi Deus respectu suæ volitionis habeat se per modum principalis volentis nostro modo intelligendi: tum ratione suæ naturæ, tum ratione suæ voluntatis, nihilominus hoc non inconuenit: quia natura concurrat nostro modo intelligendi per modum virtutis radicalis, & voluntas per modum principij proximi. Quæ solutio desumitur ex Caiet. ex loco citato.

130. Per quod etiam patet, tum ad confirmationem tum etiam ad id quod supra ad hanc quæstionem remisimus, scilicet quomodo calor productus adæquet vim caloris producentis: nam id est verum de vi agendi per modum causæ præcipuè: nam uterque potest hoc modo calefacere; non verò de modo agendi per modum formæ instrumentariæ: nam hæc extenditur vsque ad productionem substantiæ, (ut dictum est) & calor, ut est coniunctus cum sua substantia potest producere instrumentaliter aliquem effectum substantialem, quem coniunctus cum alia attingere non potest.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Quæ sit causalitas causæ efficientis iam constituta in actum primo per omnes suas virtutes.*

**C**ausalitas agentis subsequitur ad ipsum, postquam iam habet, tum virtutem agendi radicalem, tum etiam virtutem operandi proximam, & non antea; & idèò de illa non poterat sermo institui, vsque dum de illius virtutibus, & rationibus agendi sermonem texeremus, semel autem his explicatis, statim de ipsa causalitate agere oportebit.

*Proponuntur Variæ sententiæ.*

### §. I.

131. **P**rima sententia est, actionem esse causalitatem agentis. Ita Suarez disp. 18. suæ Metaph. sect. 10. num. 5. Conimbr. in præsentia quæst. 6. artic. 2. Rubio tractat. de causa efficiente quæst. 1. in 3. part. illius tractatur primò: nam illud est causalitas agentis, quod illud denominat agens, & actu constituit in esse talis: sed huiusmodi est actio, nihilque aliud esse potest ergo, &c. Maior cum consequentia sunt notæ, Et minor probatur: quia per illud constituitur causa actu agens, quod immediatè intelligitur adiungi illi ultra potentiam agendi nam causa dum intelligitur habere tantum potentiam agendi; non intelligitur actu agens; sed nihil ultra hanc potentiam immediatè vnitur agenti, quàm actio: ergo ipsa est, quæ illud constituit actu agens.

132. Secundò, quia id est agentis causalitas, quo proximè, per se, intrinsecè attingit effectum: quia causalitas est quasi via, aut tendentia ad effectum: sed actio est id, quo proximè agens attingit effectum: ergo ipsa est causalitas agentis.

Tertiò, quia si aliquid præter actionem est causalitas agentis vel id est præuium ad actionem, vel subsequens vel concomitans illam. Primum dici non potest: quia ante actionem non potest poni causalitas, cum saltem actio sit quid requisitum ad illam. Tum etiam, quia quidquid est præuium ad actionem, non pertinet ad actu causandum; sed potius ad rationem, & virtutem causandi ut *quo*, vel ut *quod*. Secundum etiam dici non potest quia quod subsequitur actionem, vel est effectus, vel aliquid posterius illo, quod non potest esse causalitas, quæ est prior effectui. Si autem dicatur tertium, tunc per accidens se haberet ad actionem, & per consequens ad causalitatem, quæ necessariò exigit actionem.

133. Secunda verò sententia asserit, causalitatem agentis non esse actionem; sed agere, seu efficere effectum. Ita Fonseca 5. Metaphysic. quæst. 13. sect. 3. Maius in præsentia, quæst. 5. sect. 3. quæst. 1. & alij ex

K 4

Iunioribus

junioribus. Ex antiquis verò Soncin. 5. Metaphysic. quæst. 4. label. ibidem inquit, hanc esse sententiam Thomistarum. Probatur primò : quia id est causalitas efficientis qua posita statim intelligitur efficiens condistinctum in modo causandi actualiter ab aliis generibus causarum quandoquidem idem est principium constitutum, & distinctum. Sed efficiens per agere, seu efficere rem, distinguitur ab omnibus aliis causis. A materia quidem, & forma : quia hæc formaliter, illa materialiter concurrunt ad esse, nulla tamen agendo : à fine verò : quia finis non est, qui efficit rem, sed cuius gratia res efficitur : ergo in agere, seu efficere rem, consistit causalitas agentis, seu efficientis.

Confirmatur : quia illud, quod ultimo ponit in actu causandi causam, debet esse eius causalitas. Sed exercere actionem est ultimum, quod ponit in actu causam nam ultra id non potest excogitari aliud : ergo id est causalitas efficientis. Consequentia probatur : quia causalitas est, secundum quam causa ponitur in actu causandi.

134. Secundò quia causa ipsa est, quæ agit media actione : sed hæc non censetur agere, nisi in quantum habet, seu exercet illam seu per illam attingit effectum, ergo causalitas agentis præcisè non consistit in ipsa actione, sed potius in habere, seu exercere illam. Minorem probat Soncin. ubi supra, quia si per impossibile, vel per intellectum separaretur actio ab omni subiecto, ibi daretur actio ; non tamen causalitas agentis : quia nihil fieret per illam, quandoquidem non esset subiectum, in quo factum reciperetur. Ergo agens non censetur agere, seu efficere media actione, nisi in quantum habet seu exercet ipsam actionem ab ipso egredientem in passum, seu quatenus per actionem se communicat.

*Fertur Iudicium de utraque opinione.*

### §. II.

135. **P**RO huius tamen quæstionis decisione notandum est, quod actio, & agere, seu efficere, se habent ut concretum, seu quasi concretum & abstractum, proindeque quantum ad modum significandi differunt. Vnde actio significat formam quandam quæ suo modo, & ut quo oritur ab agente in terminum : agere autem concernit ipsum agens significando actionem quasi coniunctam, quasi habitam, seu exercitam per ipsum agens. Vnde agere significat hoc, quod est agens habere actionem ; modo tamen infra dicendo : efficere autem hoc, quod est habere, seu exercere efficientiam super aliquam rem, ut docet D. Thom. de verit. quæst. 5. art. 5. ad 4. ubi inquit : *Quod agere secundum propriam rationem importat hoc, quod est habere actionem, seu actionem aliquam exercere* Et de potentia quæst. 2. art. 1. inquit : *Agere nihil aliud esse, quam communicare illud, per quod agens est actu.*

Dicunt ergo Thomistæ, causalitatem efficientis non in ipsa actione ut sic consistere, sed potius in ipso agere, id est in ipso influere, siue communicare, aut educere effectivè rem de non esse ad esse, seu ipsam actionem exercere, quatenus in hoc inuoluitur ipsum agens, ut coniunctum actioni, & ut illam exercendo attingit effectum.

136. His ergo suppositis dicendum est, quod si de causalitate agentis quoad rem ipsam loquamur, tunc non potest esse dissensio inter Suarezem, & Thomistam : attamen melius loquuntur Thomistæ, quippe qui propriè, & in rigore causalitatem

efficientis explicant. Assertio hæc quoad primam partem negari non potest : quia dum Suarez ait, actionem esse causalitatem, non loquitur de ea, nisi ut exercita ab agente, & suo modo coniuncta illi : quia instruit sermonem de eadem, ut actu attingente effectum, seu ut agens per illam reducitur ad actum attingendi illum. At idem est actio sic sumpta & agere quamvis non sit explicanda nomine actionis, & in abstracto, ut ipse tam explicat ; sed per ly *agere*.

137. Ex quo etiam secunda assertionis pars satis constat : quia agens non est in actu secundo, nisi quatenus exercet suam actionem, & suo modo cum ea coniungitur, & per illam cum effectu. Ergo cum hoc propriè explicetur per ly *agere*, seu efficere, dicendum est, quod melius loquuntur Thomistæ, quippe quia propriè, & adæquate ex vi locutionis rem explicant. Vnde D. Thomas, ut explicaret causalitatem agentis, potius videtur hoc modo loquendi, & ab eo Thomistæ illum desumpserunt ; & idem 3. Physic. lect. 4. inquit : *Motuum dici secundum potentiam, in quantum potest movere : movens autem in ipso agere : id est, in quantum agit actu.* Et idem colligitur ex eodem 5. Physic. lect. 2. ubi inquit : efficiens esse causam, in quantum agit.

Nec refert si dicas : quæstionem hanc excitari de causalitate efficientis ; at causalitas potius sonat formam in abstracto, quam in concreto, aut quasi concreto : ergo melius explicabitur causalitas agentis per ly *actio*, quam per ly *agere*. Non inquam hoc refert : quia hic non loquimur de causalitate, nisi ut exercita si autem necessariò inuoluit agens, & sumitur in concreto, aut quasi concreto.

*Solutio rationum Suarez.*

### §. III.

138. **A**D fundamenta igitur pro prima sententiâ quatenus aliquo modo pugnant contra nos responderetur. Ad primum : illud quod in actu exercito tribuit denominationem in genere causæ efficientis, esse actionem exercitam, & concernentem agens, ut per illam attingit effectum : ac proinde inuoluit idem agens. Per quod patet ad secundum.

Ad ultimum responderetur : ipsam quidem actionem ad causalitatem pertinere ; non tamen absolute, sed ut quasi habitam seu exercitam : per agens : ut sic autem nostro modo intelligendi potest dici esse subsequens actionem absolute sumptam : non quidem tanquam effectus, ad quem terminatur actio, sed secundum quandam posterioritatem rationis : nam sicut nostro modo intelligendi, prius concipitur forma, quam intelligatur coniungi per inherentiâ actualem subiecto ita etiam prius intelligitur actionem oriri ab agente, quam intelligatur agens quasi coniungi illi, habendo, & exercendo illam. Vnde completè, non dicitur actu causans per solam actionem absolute sumptam, sed potius per quasi habere, seu exercere ipsam actionem, seu coniungi illi : quia in ipso quasi habere, seu attingere per illam effectum, completur formalitè ipsa ratio causalitatis.

\*\*\*



## DISPUTATIO XI.

DE DEPENDENTIA CAUSÆ  
secundæ & necessaria à prima: & de mo-  
do, quo causa prima cum illa  
concurrit.

**S**E MEL explicatis virtutibus, seu ratio-  
nibus agendi permanentibus, quibus cau-  
sa secunda, & necessaria constituitur per-  
manenter in actu primo ad operandum: est  
tunc occurrit inquirere, an ultra eas indigeat influ-  
xu ex parte Dei, & qualiter; loquimur autem de  
causis necessariis, & non qualitercumque; sed in or-  
dine ad suas operationes ordinis naturalis: quia de  
causis liberis, aut de aliis operationibus agere, præ-  
sens superat institutum.

### QVÆSTIO. I.

VTRUM CAUSA SECUNDA NE-  
cessaria in actu per suas virtutes activas  
constituta possit propriam operationem  
elicere absque actuali concursu  
causa prima.

1. **P**artem affirmatiuam tenet Durand. in 2. dist.  
7. quæst. 5. & distinct. 37. quæst. 1. con-  
tendens mundum cum omnibus suis causis fuisse  
proximè, & immediatè à Deo productum: at post-  
quam creaturæ tunc esse, & vim operandi pro-  
portionatam effectibus producendis acceperunt, ip-  
sæ per eam quousvis effectus attingunt, ut Deus nihil  
actu, & proximè agat, nisi solum eam esse, & vim  
operandi conseruare.

Probatur primò plures ex causis secundis neces-  
sariis sunt causæ principales respectu suorum effe-  
ctuum: at causa principalis est illa quæ virtute pro-  
pria sine alterius ope suum attingit effectum: non  
ergo causæ secundæ necessariæ indigebunt ope alte-  
rius causæ etiam primæ nisi solum mediata quadam  
ratione, secundum quod illis esse & virtutem operan-  
di conseruat.

Secundò, non est necessarius concursus duorum  
agentium ad eundem effectum, nisi vtrumque sit  
partiale, vel alterum tantæ sit imperfectionis; ut non  
nisi alterius ope fulciatur possit attingere effectum:  
sed Deus non potest esse agens partiale, ut ex infra  
dicendis constabit; neque creatum, cum totus effe-  
ctus ab ea procedat, nec etiam imperfectio illa in  
eandem creatura est: cum inter causas secundas  
necessarias, multæ sint, quæ eiusdem perfectionis  
sunt cum suo effectui; quædam verò quæ illum in  
perfectione longè excellunt: ex nullo ergo capite  
desideratur concursus causæ primæ ad agen-  
dum.

2. Tertio, quia si prima causa vnà cum secundis,  
& necessariis ad suas operationes immediatè con-  
currit, inquirimus; an vna, an duplici actione  
agant: non primum: nam quod plura per eandem  
actionem aliquid producant, prouenit ex eo, quod

eandem agendi vim habeant: ut patet in personis di-  
uinis per eandemmet actionem producentibus mun-  
dum, quod in prima, & secunda causa necessaria non  
inuenitur; secundum autem dici non potest: tum  
quia actiones diuersificantur per terminos: at idem  
esset terminus productus ab vtraque causa: ergo  
produci non posset per distinctas actiones. Tum  
etiam quia actio Dei, si esset distincta, deberet esse  
prior; cum sit independens ab actione prædictæ  
causæ, & consequenter prius quàm actio il-  
lius accideret, iam Deus totum produxisset effe-  
ctum, proindeque nihil restaret eidem produ-  
cendum.

3. Nihilominus dicendum est: Deum actu,  
& immediatè ad omnes, & singulas prædi-  
ctarum creaturarum actiones concurrere. Hæc  
est communis inter Philosophos, & Theolo-  
gos, & idè ab eis referendis abstinemus.

Probatur assertio ratione fundamentali. Deum  
esse ens per essentiam, & has creaturas esse entia per  
participationem, est totum fundamentum dependen-  
tiæ actualis earum à Deo tanquam à causa; sed sine  
respectu ad causas secundas necessarias interpositas  
in causando inter Deum, & prædictas creaturas; est  
Deus ens per essentiam, & creaturæ istæ immediatè,  
& per se entia per participationem: ergo sine huius-  
modi respectu, & meditatione hæ creaturæ habent  
per seipsas, & omnino immediatè dependentiam à  
Deo, tanquam à causa, & consequenter quousvis actio  
creata illarum, quæ etiam est ens per participa-  
tionem, pendeat à Deo tanquam à vera, & æqua-  
li causa.

4. Confirmatur, & explicatur: quoniam Deus,  
consideratus quatenus nostro modo intelligendi præ-  
supponebatur decreto, quo instituit, ut hæc creaturæ  
haberent vim productiuam suorum effectuum, ha-  
beret tale esse, ut ex ipso tanquam ex causa imme-  
diata, haberet dependentiam necessariam quousvis ens  
ab illis producibile; at per huiusmodi decretum,  
non est mutatus modus essendi in Deo: ergo etiam  
si illud ponatur, nihilominus omne ens ab eis  
factibile, necessarium, & per se dependentiam  
habebit ab illo, non vtrumque, sed ita ut in-  
terpositio harum causarum secundarum non tol-  
lat hanc immediatam dependentiam effectus ab  
eo.

Maiores certa est: quia Deus secundum illam ra-  
tionem æqualiter respiciebat omne illud ens facti-  
bile, ut causa simpliciter, & necessariè requisita ad  
illius productionem: & non magis respiciebat vnum  
effectum ut causa immediata, quàm alium: aliàs  
necessitaretur Deus ad instituendum ordinem harum  
causarum secundarum respectu aliquorum effe-  
ctuum: supposito, quod veller eis esse commu-  
nicare. Minor verò patet: quoniam ex vi decreti  
liberi nihil pertinet ad naturalem modum essendi  
Dei, potest immutari.

5. Ad primum ergo, pro sententia Durandi,  
distinguenda est minor: & si sensus sit, quod  
causa principalis sit illa, quæ ita operatur propria  
virtute, ut non indigeat ope, & concursu cau-  
sæ alterius ordinis, neganda est; nam illa defini-  
tio, sic intellecta nequit conuenire causæ prin-  
cipali secundæ & necessariæ: sed primæ. Si verò  
sit sensus, quod ita operatur virtute propria, ut non  
dependeat ab alia causa particulari, & eiusdem or-  
dinis, conducenda est.

6. Et eodem modo soluendum est secundum ar-  
gumentum, distinguendo scilicet maiorem: & si in  
ea sermo sit de causis eiusdem ordinis & non subor-  
dinatis

dinatis concedenda est: si verò de causis diuersi ordinis, inter se essentiali subordinationem habentibus, negari debet.

Ratio autem disparatis inter vtrasque causas hæc est: quia causa particularis, si modo dicto eiusdem perfectionis sit cum effectu, præstat omnem concursum, quem petit effectus producendus, ut à tali causa præstetur: & quem causa ipsa præstari postulat; & idè si alia causa particularis concurrat, signum, est vel causam illam priorem partialem esse, vel tantæ imperfectionis, ut ex vi sua effectum attingere non possit. At in causis subordinatis, & diuersi ordinis: etiam si earum quælibet sit totalis non excluditur consortium alterius causæ: quia eius totalitas solum petit, ut in suo ordine totalitatem habeat.

7. Imò & hoc ipso, quod causa aliqua sit alteri subordinata, modo alibi dicendo, petit alterius concursum: & quòd, illa actio ab vtraque procedat. Vnde illud, quod in tertio argumento dicitur (ut sic hoc argumentum maneat solutum) quòd tantum operantur eandem actionem, quæ eandem operandi vim habent, solummodò est verum in illis causis, siue suppositis, quæ eiusdem ordinis sunt in ratione agendi.

## Q V Æ S T I O II.

*An iuxta principia Aristotelis, Deus non solum simul concurrat cum causis secundis necessariis, sed eas etiam ad agendum promoueat.*

*EXPLICATUR TITVLVS ET refertur recens opinio.*

### §. I.

8. **E**X dictis quæstione præcedenti constat, actionem causæ necessariæ debere procedere, tam ab illa, quàm à prima: & idè vtramque simul influere concursu, quem vocant concomitantem, & simultaneum. Quare explicandum restat, an præter hunc concursum habebat Deus alium, quo influat in prædictam causam, & moueat eam ad agendum, ac proinde talis concursus non solum sit motio; sed præmotio, seu præuius ad agendum, quandoquidem talis motio hoc ipso quod detur prædictæ causæ secundæ ad agendum, debet necessariò præcedere actionem illius, & consequenter non solum erit motio; sed præmotio, & influxus præuius: imò & necessariò erit prædeterminatio Physica: quia ex qua parte non datur ad agendum, vel non agendum; sed ad hoc, ut determinatè agat; est determinatio causæ, & ex qua parte est, influxus Physicus erit determinatio realis, & Physica: & tandem ex quo capite procedit determinationem, seu actionem huius causæ secundæ, debet esse non solum determinatio, sed prædeterminatio illius.

Mouemus autem hanc quæstionem, non absolutè, sed stando in principiis Aristot. ut ex professo constat, quantum doctrina hæc de præmotionibus diuinis, quibus causæ hæc præmouentur sit censura cum principiis Aristotelis: ac proinde cum vera Philosophia.

9. Pro parte negatiua stant plures ex Iunioribus.

Probatum primò ex Aristotele 3. Phæsic. text. 18. vbi loquens de prædictis causis docet, agens, ut agens non mutari: ergo potest prædicta causa esse actus agens, quin mutetur: ergo non requiritur illa præuia motio in illam ut agat: quia si illam requirit, impossibile est tale agens non mutari: quandoquidem recipit aliquid intrinsecum, quod antea non habebat.

Secundò quia in doctrina Aristotelis causæ naturales sunt ex se omnino determinatæ ad operandum: ergo non indigent aliquo superaddito, quo prædeterminentur. Patet consequentia: quia illa præmotio solum datur ad determinandum: ergo si sunt determinatæ, vltiori prædeterminatione non indigent.

*Aperitur mens Aristotelis, & non proponuntur euasiones quorundam Iuniorum.*

### §. II.

10. **O**ppositam tamen sententiam plures tenent ex discipulis D. Thom. Pro cuius explicatione dicendum est primò, certum est in via, & doctrina Aristotelis, dari aliquem influxum causæ primæ in secundam, & necessariam, per quem moueatur ad operandum. Ita desumitur ex eodem Aristotele 8. Phæsic. text. 33. vbi agens de causa prima, & secunda, & necessaria, & de earum subordinatione inquit *Vtramque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium: sed magis primum: illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum; & sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem, sine hoc, ut baculus non mouebit, non mouens hominem.*

Ecce ergo quomodo philosophus apertum ponit discrimen inter primam, secundam causam necessariam, quòd licet vtraque moueat id est actiue producat effectum; attamen prima mouet secundam ad talem operationem, non tamen è contrà. Et hoc ipsum docet idem Aristoteles 7. Phæsic. c. 1: & 8. Phæsic. cap. 5. quem præter relatos sequuntur plures ex Iunioribus Philosophis.

11. Sed plures ex aduersariis triplicem huic testimonio adhibent solutionem. Prima est, quòd Aristoteles nec verbum vllum de huiusmodi præmotione alicubi scripsit, præsertim in lib. Phæsic. vbi tantum agit de naturalibus motibus, qui sensu percipi possunt, & de corporibus mouentibus, & mobilibus. Secunda est, intelligendum esse Philosophum de motione communiter dicta, quæ causæ secundæ necessariæ producuntur in esse, & conseruantur à prima causa. Tertia est, deò dici Deum mouere has causas secundas ad operandum; quia agit vnà cum illis per simultaneum concursum.

Imò aliqui addunt, quòd et si Deus solum influat per prædictum concursum, attamen ille influxus, & actio huius creaturæ prius est à Deo, quàm à prædicta causa secunda, & per illam actionem, ut est à Deo, mouetur, & determinatur ad eliciendam eandem actionem,

proptèr est  
ab illa.

\* \*

*Confutatur*

*Confutantur euasiones Iuniorum.*

§. III.

12. **S**ed omnes hæ solutiones sunt insufficientes. Prima quidem: quia Aristor. in 8. Physic. ex prædictis causis secundis mouentibus inuestigat primum motorem qui sit omnino mobilis, æternus, infinitus, &c. ut patet ex ultimis capitibus, & ultimis verbis illius libri: ergo non agit tantum de corporibus mouentibus & mobilibus; sed etiam de subordinatione harum causarum ad primum motorem, nempe Deum, de quo statuit mouere hæc inferiora mouentia, ad hoc ut operentur suos motus. Vnde mirum est viros aliàs doctissimos præfatam doctrinam ab Aristotele in hoc capite adeò expressant, non vidisse,

13. Ex quo etiam secunda solutio corrumpitur: quia Aristoteles ibi sermonem texuit de his causis secundis quatenus in operando dependent à prima; & idè non quia sunt talia entia per participationem: sed quia sunt agentia mota (in quo etiam priorem illam dependentiam inclusit) ac proinde ab hoc, quod est agere à primo motore, intulit dari vnum primum mouens omnino immotum, & consequenter non habens ab alio hoc, quod est agere quia in his essentialiter subordinatis implicat dari processum in infinitum.

Quod etiam non parum confirmatur exemplo de baculo ab eodem Philosopho allato, ait enim: Baculus non mouebit nisi moueatur à manu: ergo sicut illa dependentia baculi à manu non est in essendo, sed in operando: ita etiam dependentia prædictarum causarum à prima, de qua ibi expressè loquitur, tantum erit dependentia, & motus quoad operari, & non quoad esse: licet ex hac ultima, quæ in his causis est, oriatur illa.

Sed neque tertia solutio sufficiens est quia quotiescumque actio, & passio in vna & eadem entitate identificantur; oportet, quod actio quatenus talis formaliter sumpta sit prior ordine saltem rationis quàm passio: nam inquit Philosophus 3. Physic. text. 18. Motus mouentis antecedit motum mobilis: at prius causa secunda, & necessaria intelligitur mota à Deo, quàm agat quia mouetur ad agendum: ergo illa passio, & motus non est eadem realiter actio, per quam prædicta causa secunda agit: sed inferretur ex vi alterius actionis prioris, qua Deus præuie agit in illam.

14. Deindè, quia si semel ponitur Deum solummodo concurrere per concursum simultaneum: nequit saluari, quod moueat per illum has causas ad agendum: ergo non concurrat per solum prædictum concursum; se influit per influxum præuium. Antecedens patet: tum quia nihil mouet aliud, nisi agendo in illud, sicut nullus posset trahere nauim, nisi in illam ageret: at concursus concomitans non est influxus in causam; sed in effectum: quia totum esse illius est esse fieri effectus, & ad illum tendere: ergo per illum nequit prædicta causa secunda moueri ad agendum. Tum etiam, quia moueri denuò, est mutari, ac per consequens erit recipere aliquid, per quod habebat se aliter nunc, quàm prius. At per actionem transcurentem, quæ etiam prout est à Deo non recipitur, in sententia horum Iuniorum, in agente, sed in passio nihil prorsus recipit agens; ergo per illam non saluatur, quod mouetur ad agendum.

Adde pro maiori probatione eiusdem antecedentis, quod moueri ad agendum, denotat quod talis motio habeat, ut sic dicamus, pro termino, &

effectu ut quo ipsam actionem rei motæ: sicut impelli & moueri lapidem sursum: hoc modo habet pro termino ipsum ascensum lapidis: at actio prout à Deo non habet pro termino, & effectum actionem eandem prout à causa secunda, si semel concurrat per solum concursum simultaneum: quia in eorum sententia est omnimoda simultas inter hos concursus, ac proinde vnus est ab alio: maximè quia tales concursus non distinguuntur inter se, & etiam eo modo quo animal, & rationale distinguuntur: nam in quavis formalitate illius actionis intimè imbibitur, quod sit ab vtraque causa.

15. Confirmatur primò: quia alioqui non posset saluari dignitas primi motoris in mouendo, quam præcipuè intendit Aristoteles locis citatis saluare. Quod sic ostenditur; nam ad hanc saluandam oportet, ut non sit mutua dependentia in influxu, quem prima, & hæ causæ secundæ præstant; at si Deus concurrat per solum concursum simultaneum, tunc erit mutua dependentia: ergo non saluatur prædicta dignitas. Maior patet; quia si mutuo dependent, non erit maior ratio, quare vna potius moueat aliã, quàm è contra: & ita vel vtraque, vel nulla mouebitur ab altera, & consequenter nulla earum erit excellentior in modo concurrenti; quia causam mouere immotam, denotat, quod ita pendeat aliquid ab illa, ut simul ipsa non pendeat in tali motione ab alio.

Minor verò etiam constat; nam sicut actio illius causæ secundæ non potest esse sine concursu Deijta neque iste concursus in sententia horum Doctorum sine influxu eiusdem creaturæ; alioquin non esset concursus simultaneus, & idè si Deus posset per concursum alterius rationis illuminare sine sole: attamen illuminationem solis nequit efficere sine sole; imò in actionibus virtualibus animæ vegetatiuæ, ut in nutritione implicat, quod Deus efficiat illam sine concursu causæ secundæ viuientis: quia eorum esse consistit in hoc, quod procedant à principio illo viuente coniuncto: ergo si Deus agit per solum concursum simultaneum, erit mutua inter vtrumque dependentia.

16. Confirmatur secundò; quia alioquin non reatè intulisset Aristoteles deueniendum esse ad vnum primum motorem, ex eo quod hæ causæ secundæ non agunt nisi motæ. Quod sic probatur; nam idè deueniri deberet ad vnum primum motorem, quia ut ibidem Aristoteles ait, in his causis essentialiter subordinatis, non est abire in infinitum; sed hæc ratio non vrget si Deus solum concurrat influxu simultaneo: ergo ultra hunc dandus est alius.

Miror probatur; quia in agentibus partialibus non conuenit ut in infinitum syncategorematicè abeat; id quod in pluribus trahentibus nauim videre licet; nam si pondus nauis crescat, sicut possibile est crescere in infinitum syncategorematicè; oportet ut etiam numerus illam trahentium eodem modo in infinitum augeatur: imò ex hoc exemplo constat concursum illum simultaneum, nec mouere aliam causam simul concurrentem, neque dare excellentiam in modo concurrenti. Quare etsi Deus remotè concurrat modo excellenti quatenus dedit virtutem, & esse his creaturis, verbi gratia igni, attamen ut formaliter, & proximè influit, non concurreret tunc independenti modo neque ut mouens cæteras illas causas, ac proinde neque ut causa prima.

17. Ex quibus etiam facile corrumpitur id quod in hac tertia solutione addebatur, ad saluandum prædictam causam secundam præmoueri à Deo per concursum simultaneum, scilicet illam actionem prius esse à Deo, sic promouere causam secundam, & necessariam ad eandem actionem. Nam præterquam



quem quoddam actio illa quando est transiens non recipitur in agente, ac per consequens non potest moveri per illam ad agendum, ut nuper dicebamus; nihilominus etiam si subiectaretur in illo non posset per hoc salvari id, quod Aristoteles docet de motu causæ secundæ & necessariæ à primâ. Quia hæc prioritas non est in re, sed solum in intellectu considerante: ergo hæc non sufficit, ut salvetur quod Deus per suum concursum moveat has causas secundas ad agendum: nam cum motio Dei sit causa actionis earum, debet esse inter utramque vera distinctio, veraque, & realis prioritas.

Maximè quia cum hæc motio ponatur ad salvandam dependentiam prædictæ creaturæ, ut mouentis à motione Dei in ipsam, quia non movet, nisi mota à primâ, oportet, ut sicut hæc dependentia est maxima, quæ excogitari potest; quia oritur ex intima, & intrinseca subordinatione, quæ ibidem inuenitur, ita sit vera, & realis, ac proinde à parte rei inuenta.

18. Accedit etiam: tum quod alioqui istæ causæ secundæ nihil agerent siquidem prioritate naturæ præsupponeretur actio Dei in effectum, & idem præsupponeretur iam factus, & consequenter esset incapax, ut ab illis reproduceretur. Tum etiam, & maximè: quia alioqui esset in illa actione aliqua formalitas, respectu cuius prædicta causa secundæ se haberet more passivæ, scilicet illa per quam moueretur ad agendum. At hoc satis constat esse falsum: maximè, in actionibus vitalibus necessariis, partis vegetatiuæ, quarum formalitates, hoc ipso, quod non intelligentur exire à sua causa proxima, neque intelligentur vitales. Sequela satis constat: nam cum hæc formalitas moueat eam ad actionem; oportet esse prius, quàm ipsa agat: si esset effectivè ab eadem causa secundâ, non posset præintelligi influxui illius: ergo, &c.

*Satisfit argumentis prioris sententiæ.*

#### S. IV.

19. **A**D primum primæ sententiæ respondetur, tantum velle ibidem Aristotelem, quod agens ut tale non mutetur per actionem suam, id est, à seipso procedentem; non verò quod agens necessarium non agat, ut prius motum à primâ; imò ex illo loco maior sumitur confirmatio pro nostra sententiâ: nam cum ipse Aristoteles asserat, quod causa secundâ necessaria agit mota à primâ, & aliàs dicat, quod non est mota per suam actionem: superest, ut dicatur mota à primâ per aliquid distinctum ab actione ipsius causæ secundæ: & cum huiusmodi distinctum ab actione non sit posterius illa: quia aliàs prius ageret illa causa secundâ, quàm moueretur, à primâ, restat ut sit quid præuium ad illius actionem.

Ad secundum respondetur: quod hæc causæ secundæ habent virtutem determinatam, & complectam in suo ordine; sed non per respectum ad causas superiores; in quarum virtute debent agere, & determinari.

\* \*

### Q V Æ S T I O III.

*An ratione naturali convincatur, omnes causas secundas necessarias indigere ad agendum non solum concursu Dei simultaneo, sed etiam motione præuia.*

*Refertur sententia negans.*

#### S. I.

20. **P**artem negativam tuerentur quam plurimi ex luminibus, qui omnes constanter tuerentur præter concursum simultaneum, quo Deus una cum causa secundâ, & necessaria efficit actionem illius non convinci, quod desideretur aliud, quo eam ad operandum moveat.

Probatur primò. Per concursum simultaneum salvatur omnis dependentia essentialis, tum huius causæ secundæ à primâ in causando, tum actionis eius, tum etiam effectus per illam causari: ergo superfluit alius quivis concursus. Consequentia est evidens: quia prædictus concursus præuius solum potest addi ad salvandum aliquam ex his dependentiis essentialibus.

Antecedens videtur perspicuum: nam ex qua parte causa prima potest operari sine concursu simultaneo causæ necessariæ: non verò è contra hæc causa secundâ sine concursu concomitante Dei, salvatur dependentia essentialis in agendo huius causæ secundæ à primâ; & ex qua parte ipsa actio prædictæ causæ secundæ est immediatè à Deo, per illum concursum, manet illæsa dependentia ipsius actionis à causa prima, & tandem ex quo capite, id quod in his causis est causa actionis, causat etiam immediatè effectum, qui sequitur ad actionem: salvatur dependentia ipsius effectus à Deo. Ad quid ergo desiderabitur influxus illæ superadditus, & realiter distinctus à concursu simultaneo.

21. Confirmatur. Quivis concursus præuius est separabilis ab actione prædictæ causæ secundæ: quia cum sit prior natura, quàm illa, ac per consequens independentens ab eadem, nequit reddi sufficiens ratio, cur saltem supernaturaliter non possit ab ipsa separari maximè, quia omne principium agendi creatum potest Deus suspendere ab actuali actione: ergo concursus Dei nequit consistere in aliquo præuios, sed in solo concursu simultaneo. Patet consequentia: quia debet consistere in aliquo, quod sit inseparabile ab actione prædictæ causæ secundæ. Vnde, quando non sequitur talis actio, tunc etsi Deus fuerit paratus ad concurrendum; non tamen actu concurret: ac proinde consistet in prædicto concursu simultaneo, qui hoc ipso quod essentialiter simultaneus est, nequit separari à suo consortio, scilicet ab influxu causæ secundæ.

Secundò solis instrumentis est proprium, ut indigeant præuia motione, & applicatione à superiore agente: quia sola ipsa habent virtutem incompletam, & inferiorem in ordine ad productionem effectus principalis agentis: sed in productione ignis, verbi gratia, concurret ignis generans, ut causa principalis: quia habet virtutem eiusdem perfectionis cum effectu producto: ergo non indiget præuia aliqua motione, aut applicatione: maximè, quia loquimur de illo, ut est sufficienter approximatus passio.

22. Tertiò, quia non apparet, quid sit ista motio, aut ad quod prædicamentum pertineat: quoniam neque potest spectare ad prædicamentum qualitatis, actionis,

consequentia: quia quod non spectet ad aliquod ex quatuor ultimis prædicamentis, aut ad genus substantiæ quantitatis, aut relationis, est per se manifestum, & ideo ad hæc solummodo tria iam enumerata potest pertinere.

Antecedens verò quoad primam partem, scilicet quod non sit qualitas, videtur certum: quia qualitas illa, quippe virtus actiua non minus esset potentia operatiua secunda quàm calor ignis aut quævis alia potentia permanens, & ex consequenti indigebit etiam Dei præmotione ad operandum, & sic in infinitum: cum quævis virtus operatiua non possit non pendere ab illo in esse, fieri, & operari maxime, quia hoc ipso quod sit naturalis potentia, est indifferens ad plures & diuersos actus, & tantum dat posse: ergo indiget determinatione, & applicatione huius posse: sicut & ipsa causa secunda, cui concessa est.

23. Ex quo etiam antecedens idem quoad alias duas partes constat: quia ubi est actio, ibidem debet esse terminus: sicut & ubi est passio: quin passio identificatur cum actione; sed non apparet, quem alium terminum habeat hæc motio, nisi qualitatem actiuiam ut patet maxime, quia actio causæ secundæ non potest esse immediatus terminus illius: siquidem, ut docet Aristot. ad actionem non datur actio, ne cogamus procedere in infinitum: ergo, &c.

*Statuitur vera sententia, & prima eius ratio expenditur.*

§. II.

24. Dicendum est tamen non posse non stando in ratione naturali, admiti, Deum præmovere causas secundas necessarias ad suos actus, influendo in illis aliquid reale physicum, & præuium, quo præmoueantur, & prædeterminentur physice ad operandum ac proinde non sufficere concursum merè simultaneum. Hanc passim docet D. Thom. estque communis inter antiquos Philosophos, & inter Thomistas tam antiquos quàm recentiores; & ita superuacaneum esset singulos recensere.

Sed ut prima ratio, qua eam suadebimus radicè intelligatur aduertendum est, esse valde distincta hæc duo nimirum: operari cum aliquo ex vna parte, & operari in illo, aut per illud, seu mouere ipsum ad operandum ex alia: nam primum solummodo denotat simultatem, quam vocant concomitantiam concursus, & ideo si duo portent vnum & eundem lapidem quilibet operatur cum alio: quia simultaneè cum illo concurrir. Et in sententia eorum, qui dicunt foeminam concurrere actiue ad generationem proles, tunc foemina ob rationem dictam operatur vnà cum viro, & è contrà. At verò ad secundum requiritur ut agens, quod operatur per alium, aut in alio, non solum concurrat simultaneè cum altero; sed quod per suum concursum faciat ut alterum agat, & operetur: quia mouendo illud ad operandum facit, ut faciat, & ideo nec foemina operatur per virum, nec vir per foeminam nec vnus ex portantibus lapidem portat illum per alium: quia nec foemina facit, quod vir faciat, nec vnus, qui portat lapidem, actiue facit ut alius illum portet: quia nullus eorum promouet nec applicat alium ad effectum.

25. Hinc ergo conficitur ratio ex D. Thoma desumpta; nam licet prima causa & causa secunda necessaria concurrant ad actionem eiusdem causæ secundæ; at tamen cum hoc discrimine, quod Deus non solum est causa illius actionis propterea est ab ipso: sed etiam per suum concursum, est causa eiusdem actionis, propterea est ab illa causa secunda: at verò causa secunda, &

*Colleg. Compl. Physica*

necessaria, licet sit causa suæ actionis, propterea est ab ipsa, non tamen potest esse causa illius, propterea est à Deo: ergo Deus non solum causat realiter illam actionem; sed etiam per suum concursum facit actu, quod causa secunda, & necessaria agat, & ex consequenti non solum eoncurrat per concursum simultaneum; sed etiam per aliquid præuium & intrinsecum, per quod physice moueat illam ad operandum.

Antecedens patet, quia cum actio illa necessaria, propterea ab illa creatura, sit aliquid creatum in rerum natura existens, oportet, quod ut sic sit à Deo tanquam à prima causa efficiente: sicut quia eadem actio, propterea à Deo; est ab illo, ut à prima causa, idè propterea sic ab illo, procedit, nequit procedere ab alia causa alioquin non influeret per modum primæ causæ: quia causa quæ influit, non solum in actionem vtrunque; sed propterea est ab aliqua causa, facit ut talis causa faciat, ac proinde est prior illa in causando: ergo si causa secunda, & necessaria esset causa illius actionis, non vtrunque; sed propterea est à Deo, atque ita faceret, ut ipse faceret, iam esset prior in causando, quàm Deus, & ex consequenti, eo ipso Deus rationem primæ causæ amitteret.

26. Prima verò consequentia ex antecedenti constat, quia idem est actionem necessariam prædictæ causæ secundæ, etiam propterea est ab illa, esse actu à Deo: & quod Deus faciat actu, quod talis creatura faciat: alioqui, licet actio illa esset à Deo, non tamen quatenus sit ab illa creatura, fieret ab illo.

Ultima verò consequentia, præter quam quod videtur nota ex dictis qu. 2. huius disputationis, & etiam ex notabili nuper posito, nihilominus ex probatione antecedentis & primæ consequentiæ sic suadet, tum quia si Deus mouet actu prædictam causam ad operandum, datque illi ut agat oportet, ut ponat in ea aliquid, quo faciat, ut faciat, & quo sit actu causa illius actionis propterea ab illa: quia quod est causa physica actionis alicuius causæ necessariæ, propterea ab ipsa, ac proinde est illi efficaciter ratio agendi actualiter, debet esse quid physicum, & inherens ipsi, præuiumque ad actionem: sicut quod dat illi habitualiter, & sufficienter esse operatiuam, non potest non esse inherenter in eadem causa secunda. Tum etiam, quia alioquin Deus solum concurreret remotè ad illam actionem, propterea est ab illa creatura, quatenus nimirum dedit esse, & potentias operatiuas permanentes, & illas conseruat, quod est incidere, saltem quoad hanc formalitatem, in sententiam Durandi: quandoquidem licet ex vi concursus simultanei illa actio sit absolute à Deo, non tamen secundum quod est ab illa causa necessaria, ex vi prædicti concursus ab illo.

27. Confirmatur, & explicatur: sicut ratio entis increati, & à se, transcendit omnes rationes, quæ in Deo sunt: ita ratio entis creati, & entis ab alio transcendit omnes rationes, quæ in his creaturis sunt: ergo sicut propter rationem entis increati, & à se habet Deus à se, & non ab alio, non solum esse, & virtutem operatiuam; sed etiam esse saltem nostro modo intelligendi principium actuale operationis: ita ob hanc rationem entis creati, & ab alio ut in prædictis causis imbibitum non solum habebit ipsa actio causæ secundæ esse à Deo; sed etiam ipsa causa secunda, & necessaria habebit ab alio, tum esse, tum virtutem operatiuam permanentem; tum etiam esse principium actuale operandi.

28. Antecedens ex se patet. Consequentia autem manifesta est: quia non solum ipsa actio, & esse prædictæ causæ secundæ, necnon & virtutes operandi in ea permanentes sunt aliquid reale creatum; sed etiam esse actuale principium operandi, seu esse principii

## 122 Disp. XI. dep. Causæ secund. à pri. Quæst. III.

Principium actualiter applicatum, & determinatum ad agendum, est aliquid reale, tum quia actio non pendet actu, & in exercitio à principio habitualiter operatio præcisè sumpto: nam potest esse principium habituale operandi absque eo, quod sit actio; sed dependet ab illo, ut est actuale, & determinatum principium illius, seu ut est actualiter applicatum ad operandum. Tum etiam, quia si esse operatum habitualiter, & in potentia, est aliquid reale: ergo multo magis esse actuale principium modo dicto operandi, quod sit talis conditionis, & naturæ, ut operatio non sit ab illo saltem in sensu composito separabilis; sed debeat ab illo actu, & in exercitio pendere: quia hoc denotat principium magis actuale magisque completum: ergo totum hoc debet causa secunda & necessaria habere actu à Deo.

29 Non refugiant Authores oppositæ sententiæ respondere, quod licet illa actio realiter sit à Deo; non tamen *propterea est à causa secunda necessaria*: quia etsi una actio possit esse ab utraque causa: attamen propterea est ab una, non potest esse ab alia: & idem satis esse concursus simultaneus: quia ad dependentiam prædictæ causæ secundæ à prima in agendo, sufficit, quod non possit agere, quin simul illa actio sit realiter à prima.

Et ad confirmationem respondent, causam secundam, & necessariam agere, seu esse principium determinatum, & actuale actionis, nihil aliud esse, quam eandem causam secundam & ipsam actionem esse à Deo, etiam si non detur prædictus concursus prauus: quia actio ipsa pendet ab illo per concursus simultaneum; causa autem secunda per concursus conseruantem esse, & virtutes operatiuas permanentes eiusdem causæ.

30 Sed nulla ex his solutionibus satisfacit; non quidem prima, quia ut in ratione nostra dicebamus, dependentia illa formaliter sumpta actionis à causa secunda necessaria, non est purum ens rationis; sed est aliquid verum & reale in rerum natura exercitum: ergo debet esse participatum actu, & immediatè ab ente per essentiam: alioqui enim Deus non influeret in illam actionem, ut habet rationem entis, quandoquidem non procedit ab illo secundum omnem modum, & formalitatem, quam habet: at hoc esse falsum satis constat: siquidem terminus, qui per se correspondet vniuersalissimæ causæ, qualis est Deus, est ratio vniuersalissima omnium, quæ in rebus inveniuntur, scilicet ratio entis. Quare, sicut alie rationes inueniuntur in actione, quia sunt aliquid reale, refunduntur actu in Deum, ut in causam, à qua actu, & immediatè pendent: ita & hæc formalitas actionis, cum sit ens, debet etiam esse actu, & immediatè ab ipso.

Quare, etsi facta collatione inter duas causas eiusdem ordinis, repugnat actionem, propterea est ab una, esse ab alia: non tamen si fiat inter causas diuersi ordinis, & essentialiter subordinatas.

31 Confirmatur, quia actiones vitales partis vegetatiuæ secundum rationem suæ vitalitatis debet pendere à Deo actu, & immediatè: quia cum hæc ratio sit valde perfecta, non possunt non in illa esse dependentes à Deo, qui est ipsa vita per essentiam: at actio illa vitalis, ut habet suam vitalitatem intrinsecè importat dependentiam à suo intrinseco principio vitæ: imò & in hac dependentia eius vitalitas consistit; ergo si semel, ut habet hanc vitalitatem pendet à Deo, non potest non pendere ab ipso, ut pendet ab illa causa creata, seu ab illo principio creatæ vitæ.

Neque solutio, quæ ad confirmationem adhibita est, satisfacit; quia ignem, v.g. calefacere, seu esse

actuale principium calefactionis, non est sola ~~causa~~ ignis, & calefactionis; nam posset Deus ~~conferre~~ tam calefactionem illam, quam ipsum ignem, absque eo, quod ignis calefaceret; quia in hoc distinguuntur hæ actiones creatæ vitales, & non vitales, quod illæ non possunt esse, aut permanere absque eo; quod actu exeant à principio creato vitæ, secus verò istæ, quia possunt permanere per solum influxum Dei, ergo hoc quod est ignem esse actuale principium calefactionis, aliquid aliud est præter ipsam entitatem ignis, & calefactionis, scilicet esse id à quo actu necessario actu necessario, & inseparabiliter oritur in exercitio ipsa calefactio.

32 Adde, probationem illam pro vltima consequentia nostræ confirmationis adductam adhuc manere in suo robore quæ sic potest vrgeri. Quia esse principium actuale operationis, & determinatum ad ipsam est esse id, à quo operatio pendet per indissolubilem nexum, alibi explicandum, inter vtrumque: ergo esse tale principium non importat solummodo esse causæ secundæ necessariæ, & suarum virtutum operatiuarum ex vna parte, & operationis ex alia; sed vltra hoc addit aliquid medium inter vtrumque, quod sit causa huius egressionis, & dependentiæ actualis, & indissolubilis. Patet consequentia: quia esse principium habituale, seu potentiale, non importat talem nexum, & ipsa actio non potest esse id, à quo ipsa pendet per indissolubilem nexum cum se ipsa; alioqui idem penderet realiter à se: ergo vltra hæc duo addendum est aliquid aliud, ratione cuius prædicta causa secunda sit id, à quo operatio pendet in actu exercito per indissolubilem connexionem inter vtrumque: ut sic de ea verificetur, quod est principium, non solum habituale: sed etiam actuale operationis, & determinatum ad illam, & hæc de prima ratione D. Thomæ.

*Expromitur vis, & efficacia secunda rationis D. Thomæ.*

### §. III.

33. Secunda ratio principalis pro nostra assertionem, & ex eodem S. Doctore desumpta, sic se habet. Quia si Deus non præmoueret causam secundam necessariam ad operandum, sequeretur quod prædicta causa esset primum se mouens, & primum se determinans ad illam operationem, quod est esse primum principium simpliciter. At hoc est euidenter falsum: quia alioqui iam darentur plura prima principia in ordine operatio, & ita incideremus in errorem Manichæorum. Sequela videtur aperta: quia causa secunda, & necessaria, quæ non mouetur ab alio ad operandum, est primum mouens, & primum se determinans.

Confirmatur: quia ignem esse principium actuale operationis, & determinatum ad eam est aliquid reale distinctum, tum ab operatione; tum etiam à principio habituali, & potenciali operandi: quod quandoque est in actu, quandoque verò cessat ab actu, ut in ratione præcedenti diximus: vel ergo ignis habet à Deo esse tale principium actuale, vel à se; si primum: ergo mouetur ab illo ad operandum: si secundum: ergo est primum principium actuale operandi: si quidem à se hoc habet. Ex quo vltius fieret esse primum ens: quia si tale ens esset ens secundum, deberet habere omnia sua, participata à primo.

14 Respondent aduersarij dupliciter: primum ad rationem primi mouentis, & primi se determinantis requiri, ut habeat esse à se, quod non competit causæ secundæ necessariæ. Secundo respondent, satis esse ut illa causa secunda non esset primum mouens se ipsam quod

quod nequeat operari sine concursu simultaneo primæ causæ.

Cæterum prima solutio impugnari potest dupliciter: primum quidem quia causa necessaria, quæ à se non habet esse, nequit habere à se quod sit actuale principium operandi modo dicto: quia tale principium debet commensurari cum esse: ergo si semel datur quod actu operetur à se, debet dari quod sit ens à se. Vnde, hæc solutio contradictoria inuoluit, scilicet quoddam causa secunda necessaria esset, & non esset ens à se: primum quidem, quia ut nunc dicebamus, causa necessaria, quæ à se non est, non habet à se quod modo dicto operetur. Secundum verò, quia ut supponitur, habet esse creatum.

35 Deinde; quia etsi demus, quoddam per hanc solutionem euerteretur, quod ignis non sit primum ens simpliciter, non tamen quoddam non sit primum operans respectu suarum operationum, si semel operatio illa, etiam prout est ab ipso, non pendet ab alio, ac proinde, si semel non moueatur ab alio ad illam eliciendam. Adde confirmationem adductam manere in suo robore scilicet quoddam esse actuale principium operandi iam dictum, est ens reale, quod non haberet ignis à Deo, ac per consequens non esset ens secundum, propter rationem dictam.

Neque secunda solutio satisfacit quia eorum sententia, licet possit Deus calefacere sine igne per concursum alterius rationis, ac sit ille, quo concurrat cum ipso; non tamē id potest facere per concursum simultaneum quo concurrat cum igne: quia ille concursus ab intrinseco petit simultatem concursus ignis: & tamen tunc Deus concurrat ut prima causa; ac per consequens modo non derogante rationi primi se mouentis, primi que operantis: ergo ex hoc præciso capite, quoddam ignis egeat concursu simultaneo, non amittet rationem primi principij.

Confirmatur: tūm quia respectu actionis vitalis nutriendi non potest Deus concurrere ad illam efficiendam, nisi simul concurrat potentia vitalis creata, ut supra diximus, & nihilominus concurrat modo proprio causæ primæ: ergo quod desideretur concursus simultaneus alterius causæ, non derogat modo causandi causæ primæ, ut primæ.

*Enucleatur vltima ratio D. Thomæ.*

#### §. IV.

36 Tertia ratio principalis pro sententia D. Thomæ. (per quam etiam rationes, & impugnationes præcedentes, non parum confirmabuntur) sic se habet. Causa secunda, & necessaria nequit agere, quin Deus simultaneè cum illa influat: ergo etiam debet præmoueri ab illo ad agendum. Pater consequentia: nam cum ad illam actionem indispensabiliter desideretur concursus simultaneus duarum causarum; oportet ut vel vna moueat aliam, vel utraque ab alia tertia moueatur; aliàs enim omnino à casu, sequeretur illa simultas concursuum; etiam si illæ causæ sint per se subordinatæ: ergo cum nequeat illa causa secunda applicare causam primam, neque aliqua alia tertia sit excogitabilis, quæ utraque præmoueat, necesse erit, ut Deus efficaciter præmoueat causam secundam necessariam; aliàs ipse cæco modo, & ignorantia influeret; quia nesciret quando illa inciperet operari, & an exhibitura sit suum concursum simultaneum necne: ac proinde an ille concursus Dei obtineatur sit finem pro quo exhibetur, vel non.

37 Confirmatur: hoc ipso quoddam Deus concurrat cum igne simultaneè, oportet, ut prius ordine nature intelligatur paratus concurrere cum illo qualiter  
*Colleg. Compl. Physic.*

non intelligeretur; si decreuisset non concurrere cum eodem etiam si abessent omnia impedimenta: quia prius quàm intelligantur hæc duæ causæ in actu secundo vnitæ per suos concursus, oportet, ut præintelligantur suo modo vnitæ in actu primo in ordine ad concurrendum in ratione vnus principij totalis, & adequati; sed non potest intelligi hæc quasi vnio, assistentia; & præparatio primæ causæ ad concurrendum cum causa secunda, & necessaria; nisi ei imprimat aliquid præuium ad actionem: ergo &c.

Minor probatur quia hæc vnio & assistentia specialis virtutis dininæ cum illa causa secunda est habitudo quædam specialis inter illas, quæ potuit non esse; si Deus decreuisset non concurrere cum illa: ergo necesse est ad hoc quoddam sit talis habitudo, quod addit aliqua mutatio, ex parte alicuius extremi quia habitudo, quæ potest non esse manentibus extremis nequit consurgere sine mutatione saltem alicuius ex illis: ergo cum hæc mutatio nequeat esse in Deo, erit in illa creatura per receptionem alicuius inherens in ipsa; quia; id solum, quod est intrinsecum seu inherens, potest formaliter immutari: ergo cum hæc vnio antecedit concursum simultaneum vtriusque causæ, quandoquidem vniuntur ad agendum, fiet inde, ut immutatio ad extra ad illam requisita, præcedat etiam prioritate vera & reali, saltem nature, ad illum concursum, ac proinde, quod præhabeat illa causa secunda aliquid præuium, & nouum à causa prima, antequam intelligatur agere.

38. Respondent Authores oppositæ sententiæ; tūm ad rationem hanc, tūm ad eius confirmationem. Ad rationem quidam dicunt quoddam ut Deus non procedat cæco modo satis erit quod per seam scientiam, quam appellant Theologi, simplicis intelligentiæ, cognoscat, quoad causas naturales quod quoties non fuerit aliquod impedimentum, necessario operabuntur, ac per consequens poterit scire quando, & quomodo præbiturus sit suum concursum simultaneum, &c.

Ad confirmationem verò respondent, sufficere mutationem in aliquo extrinseco, scilicet in tempore quia hoc ipso quod adueniat tempus quo operaturus est ignis, sequitur influxus simultaneus, & prius natura est aduentus illius temporis, quod est connotatum illius habitudinis, inter causam primam, & ignem, quàm quod Deus simultaneè concurrat cum illo.

39 Cæterum hæc non enervant rationem, & confirmationem nostram: nam licet causæ naturales ex se sint in suo ordine determinatæ ad operandum, exclusis impedimentis: attamen possunt pro quolibet instanti impediri, vel ab ipso Deo supernaturaliter operante, vel ab aliis causis secundis efficacioribus; & liberis: atque adeo, nisi Deus efficaciter causas necessarias præmoueat ad agendum concurreret cæco modo, nesciens an prædictæ causæ secundæ simul influxuræ sint, necne.

Nec refert si cum eisdem dicas Deum per aliam scientiam, quam ipsi appellant mediam, præcognoscere, an ipse, vel causæ liberæ impedituræ sint causas necessarias, & modo sine præmotione harum causarum posse scientificè scire, an præbituræ sint suum concursum. Non inquam hoc refert: quia quidquid sit de modo, quo Deus concurrat cum causis liberis, à quo, pro nunc abstinemus, de prædicta scientia media, quàm multis, & grauib. testimoniis, & rationibus possemus probare esse impossibilem, quod etiam consulto omittimus: quia superat præsens institutum: attamen gravis admissa; sed non concessa talis scientia, adhuc ratio nostra in sua vi manet.

40 Hoc autem sic ostenditur: nam cum scientia hæc

hæc non sit practica, aut factiva rerum; sed pure speculativa: ac proinde præsupponat suum obiectum ut ipsi iungunt, oportet ut præsupponat omnes dependentias essentielles requisitas ad existentiam actionis causæ necessariæ creatæ: ergo si semel hæc actio penderet à Deo, ut concurrente solummodo concursu constanti, & non efficaciter, & infallibiliter applicante causam necessariam ad operationem, præsupponeret Deum, ut præcisè concurrentem per hunc concursum: ergo præsupponeret illum ut operantem sine providentia, sapientia, & consilio: quia ex vi huiusmodi concurrendi, ut præsuppositi ad istam scientiam, non potest scire an causa secunda necessaria exhibitura sit infallibiliter suum concursum; cum illi concursus possit impediri vel ab ipso Deo, vel ab aliis causis efficientioribus, & liberis.

41 Confirmatur, & explicatur quia in sententia admittentium hæc scientiam, id quod præsupponit illam, non est necessario requisitum ad existentiam actionum causarum secundarum, quandoquidem scientia hæc, ut dicebamus, præsupponit suum obiectum, & omnes essentielles dependentias ad illius existentiam requisitas: ergo cum per illos modos concurrendi primæ causæ per consilium, & prudentiam, & ex intentione effectus particularis, ita ut effectus infallibiliter sequatur, scientiam mediam præsupponat, non erit hic modus concurrendi necessarius ad existentiam aliorum actionum: ac proinde debent distinguere duplicem modum concurrendi in prima causa: alium fortuito sine consilio, & deliberatione, & cæco modo, & hunc requisitum essentialiter ad existentiam effectus, alium verò cum consilio, & deliberatione: & hunc non desideratum essentialiter ad talem existentiam; quo quid absurdius;

Nec solutio adhibita primæ nostræ confirmationi satisfacit; quia semel dato (ut reuera dari debet ex communi Theologorum sententia) quod unio illa in actu primo, seu specialis illa assistentia Dei cum causa necessaria, in ordine ad concurrendum, debet habere aliquod connotatum ex parte rerum creaturarum antecedens ad concursum simultaneum, ut ita intelligatur nova illa habitudo rationis in Deo; oportet, ut illud non se habeat per accidens; sed ad voluntatem qua Deus est paratus concurrere; sed si quid indispensabiliter illatum ex illa. At aduentus temporis non est indispensabiliter desideratus ad illam voluntatem: quia etsi nullum esset tempus primi mobilis; sed unicum tantummodo cælum in rerum natura existeret: tunc esset Deus paratus concurrere cum illo: ergo sicut tunc non esset recurrendum ad tempus, sed præmotionem illam iam dictam: ita & nunc.

*Diluantur argumenta contraria sententia.*

§. V.

42. **A**D primum ergo pro contraria sententia initio quæstionis adductum respondetur, per concursum simultaneum solum pendere directè à Deo ipsam actionem causæ secundæ necessariæ, non verò prædictam causam secundam; sed solum indirectè, quatenus sua actio penderet, eo modo quo scemina, in sententia dicentium illā concurrere activè, penderet à concursu viri & è contra. Cæterum, cum ipsa causa secunda & necessaria debeat pendere directè à Deo in agendo, quatenus ab ipso accipit immediatè, non solum, ut sit operativa; sed etiam quod agat, seu quod sit principium actuale actionis, determinatum ad illam: & hoc non debeat præcisè per concursum simultaneum, ut diximus, idèò oportet ut applicetur,

& præmouetur à Deo; ac per consequens quod accipiat prædictam motionem.

Adde, id, quod etiam ex præcedentibus sequitur quod actio causæ secundæ necessariæ, non solum dicitur actionem; sed etiam actionem cum modo dependentiæ ab eadem causa secunda, secundum quam rationem debet etiam procedere à Deo, ut suprà dicebamus: ut licet Deus per concursum simultaneum concurrat ad actionem, non tamen potest ad illam, proptèr est ab illa causa secunda, concurrere: nisi præmouendo eam ad agendum. Et ideo eleganter dixit Caietanus 1. 2. qu. 8. art. 1. Si Deus non moueret solem ad illuminandum, non esset causa illuminationis solis, quamvis posset esse causa illius illuminationis, quæ esset à sole.

43 Ad confirmationem negatur antecedens. Et ad primam probationem, quod illud quod ita est prius alio, ut simul habeat necessariam, vel infallibilem connexionem cum posteriori, nequit per diuinam potentiam separari in ipso, saltem in sensu composito, at præmotio efficax concessa causæ secundæ necessariæ ad operandum, habet in ea nexum necessarium cum tali operatione: quia cum procedat ex voluntate efficaci, qua Deus decernit, quod talis causa secunda operetur: fieret inde, quod si prædicta operatio non esset, quod illa voluntas Dei esset & non esset efficax.

Et ad secundam probationem, scilicet quod omne principium agendi creatum potest Deus suspendere ab actuali actione: respondetur, id esse ad summum verum de principio creato, ut nondum præmoto à Deo efficaciter ad agendum: secus tamen si intelligatur de principio creato ut efficaciter præmoto, & in sensu composito.

44 Ad secundum respondetur dupliciter. Primò non esse de ratione instrumenti præmoveri utcumque; sed præmoveri ad effectum altioris speciei, vel excedentem propriam virtutem. At ignis verbi gratia, respectu productionis alterius ignis non eleuatur per motionem in ordine ad effectum altioris speciei aut excedentem eius virtutem, & idèò etiam præmotus à Deo, retinet rationem causæ principalis secundæ tamen, idèò habet non nihil similitudinis cum instrumento.

Secundò respondetur cum pluribus aliis ex Thomistis, omnem causam secundam necessariam, quatenus attingit rationem entis & tribuit esse, habere rationem instrumenti respectu Dei. Nam cum ratio entis sit proprius effectus Dei: quia vniuersalissimæ causæ debet correspondere vniuersalissimus effectus; ut proprius effectus illius: idèò non attingit prædicta causa secunda hanc rationem, nisi in virtute Dei sicut quia existentia est perfectissima actualitas, idèò eadem causa secunda non habet sufficientem actualitatem ad illam, virtute propria, producendam: quoniam existentia illius, quæ sola est eiusdem actualitatis cum existentia sui effectus, non est ex se operativa.

Quare, actio causæ secundæ necessariæ potest considerari, & secundum suam speciem, & secundum suam ultimam actualitatem existentiam; & quamvis illa causa secunda propria virtute attingat illam summam secundum priorem rationem; non tamen secundum posteriorem: & idèò concurrat ad eam, ut instrumentum virtute diuinæ motionis, & ita speculati ratione indiget illa.

45 Ad tertium respondetur cum aliquibus ex grauissimis Thomistis, motionem hæc esse quandam qualitatem fluentem, & habentem modum motus: ac proinde non pertinere ad speciem naturalis potentie quæ de se est permanens; sed ad speciem dispositionis,



frionis, vel ad eam reduci: quia essentialiter habere esse principium actuale operationis seu facere quoddam causam secundam, de qua loquimur, faciat: & ita non datur per modum permanentis; sed ex natura sua transit, una cum operatione. Unde non eget alia qualitate, ad hoc ut faciat, quod causa illa creata faciat: quia cum sit ipsa actualis subordinatio, & præmotio prædictæ causæ secundæ ad agendum, non eget alia præmotione: bene tamen hæc causæ secundæ quia non sunt ipsa præmotio, licet sint præmobiles à Deo. Quod etiam explicari potest, ex eo quod qualitas hæc est participatio actualitatis, & efficaciz diuinæ voluntatis; & ideo per eam defertur (ut aiunt) efficacia imperij diuini ad hanc causam creatam, & necessarium iuxta naturam eius. Unde seipsa est efficax ad promouendam illam.

46 Ex quo fit, quod sicut ad quamlibet operationem causæ necessariæ datur peculiare imperium in Deo, & quælibet operatio petit peculiarem applicationem causæ ad illam: ita quia per hanc qualitatem defertur diuinum imperium ad prædictam creaturam, estque participatio efficaciz illius voluntatis præficientis illam operationem, & non aliam; & tandem est applicatio talis causæ ad operandum: ideo tantum se extendit ad unicam operationem.

Vel Secundò respondeti potest cum aliis ex Thomistis, hanc præmotionem non esse qualitatem, sed esse motionem quandam virtuosam, & applicationem efficacem causæ secundæ necessariæ ad hanc numero operationem, & habere esse fluens,uale, & incompletum: & ideo ad nullum prædicamentum per se, & directè pertinere; sed reduci ad prædicamentum sui termini. Quamuis cum hoc stet, ut peculiariter pertineat ad post prædicamentum motus, ob quam rationem sæpè à D. Thoma motus appellatur: nam post prædicamentum hoc non solum ambit motum qui definitur ab Aristot. 3. Physicor. quique non est principium actuale agendi: sed etiam id, cuius esse sit fluens, incompletum, & uale in ordine ad acquisitionem & productionem alicuius: quamuis sit motus vigorosus actiue eliciens actionem per quam talis effectus fit.

47. Ad id autem quod ibidem dicitur, scilicet hanc motionem, quia est aliquid creatum, indigere alia motione, & sic in infinitum: constat ex his, quæ in prima solutione dicebamus. Ad illud autem, quod ibidem inquiritur de termino, & effectu huius motionis, dicimus habere pro termino illummet, quem habet illa causa secunda quia sicut causa per suam actionem attingit immediatè suum effectum: ita quia eadem actio, etiam prout est à causa secunda necessaria, procedit ab hac motione ideo effectus illius causæ secundæ est etiam effectus huius motionis.

Unde sicut effectus prædictæ causæ secundæ fit ut quod ab ipsa, ita & actio eiusdem causæ fit ut quo ab eadem promotione, quia causando actionem illam ut quo, attingit immediatè effectum prædictæ causæ: non secus ac causa secunda eliciendo suam actionem attingit immediatè proprium effectum: quoniam quod aliquis effectus non attingatur, nisi per actionem elicita à causa, non tollit quoddam immediatè ab illa fiat quandoquidem actio illa non est facta ut quo; sed ut id quod aliud attingitur.

Ex quibus omnibus aliud in fine huius disputationis aduertere non omitteremus, nimirum quod dum in præcedentibus diximus, aut in subsequenti- bus dixerimus omnes causas secundas præmoueri à Deo: loquimur pro nunc de causis necessariis, & in ordine ad operationes ordinis naturalis. Quid autem

Colleg. Compl. Physic.

de causis liberis sentiendum sit: ex professo discutemus ut iam diximus, nisi id ad Theologum porius quàm ad Philosophum spectaret. Videatur tamen D. Thom. 1. parte quæst. 105. artic. 5. 1. 2. quæstione 9. artic. 4. & 6. & quæst. 109. artic. 2. ad 3. quæst. 3. de potentia artic. 7. & in 2. distinct. 37. qu. 2. artic. ad 2.



## DISPUTATIO XII.

### DE INSTRUMENTIS.

**I**nstrumenta ad genus causæ efficientis reducuntur, quoniam etiam instrumentali- ter, nihilominus efficienter attingunt effectum. Unde pro completa noticia eorum, quæ ad causam efficientem spectant, placuit præsentem disputationem de instrumentis adiungere.

### QVÆSTIO. I.

*An sit de ratione instrumenti agere ut motum à causa principali.*

**P**RO tituli explicatione notandum est, instru- menta esse in triplici differentia: nam alia sunt naturalia, illa scilicet quæ à natura ipsa instituta sunt in ordine ad aliquem effectum naturalem excedentem facultatem, & virtutem eorumdem, ut semina animalis. Alia verò sunt supernaturalia, quæ quidem super naturaliter à Deo assumuntur in ordine ad aliquem effectum superantem vires naturæ. Alia denique sunt artificialia, quæ ad opera artis perficienda deferuntur. Titulus ergo quæstionis peculiariter procedit de naturalibus instrumentis: quia hæc sunt, quæ ad physicam considerationem spectant. Cæterum ob connexionem doctrinæ, & quia quoad hanc partem eodem modo (proportionem tamen seruata) in instrumentis supernaturalibus & artificialibus philosophandum est: ideo aliqua de illis obiter attingemus.

Nomine autem *motus* in titulo positi intelligitur, quæcumque receptio alicuius intrinseci, seu inherrentis deriuati ab agente principali in ipsum instrumentum quæ est generalis, & quædam lata motus acceptio, ut alibi dicitur.

*Proponitur sententia negativa.*

#### §. I.

**P**artem negativam tuetur Suarez primo tom. suæ Metaphysic disputatione 17. sectione secunda: quoad verum generaliter esse censet in omnibus instrumentis, ut Tomo 1. in 3. partem disputatione 31. sect. 5. dicat, etiam instrumenta diuinæ virtutis in ordine ad effectus supernaturales, non eleuari per aliquid intrinsecum, & superadditum ipsis; sed sufficere quandam potentiam obedientialem actiuam quam in omnibus rebus congenitam esse sentit ad cooperandū Deo in ordine ad omne id, quod non implicat contradictionem dummodo præbeat ab ipso influxus supernaturalis non in in-

L 3.

strumen

strumentum; sed in effectum. Quem sequuntur aliqui iuniores, qui scripta sua prælo non mandarunt, & huc etiam spectare videtur motus dicendi aliorum, qui dicunt, instrumenta eleuari per subordinationem ad principale agens absque eo, quod aliquid intrinsecum eis superadditur.

3 Probatur primò: nam agere ut motum ab alio, conuenit aliis quæ reuera non sunt instrumenta: ergo non potest esse de essentia, & vltima ratione instrumenti. Consequentia patet. Et antecedens probatur: quia pipet non calefacit nisi prius calefiat, & consequenter calefacit ut motum ab alio, & tamen non ob id est instrumentum: quandoquidem agit per propriam, & innatam virtutem, & æqualis perfectionis cum effectu: item causæ secundæ principales agunt ut motæ à prima ut ex dictis disputatione præcedenti satis constat & nihilominus non amittunt rationem causarum principalium: ergo, &c.

Secundò, vel instrumentum cum virtute intrinseca, quæ ei superadditur, est omninò proportionatum cum effectu, vel adhuc improporionatum, & inferior illo. Si primum, iam erit causa principalis; id enim quod habet virtutem omninò proportionatam, & æqualem, cum effectu, est agens principale respectu illius: etiam si talem virtutem ab alio habeat. Sicut intellectus, ut perfusus lumine gloriæ, est causa principalis respectu visionis beatificæ, licet habeat hoc lumen à Deo, qui ut est affectus tali lumine; est omnino proportionatus ad visionem prædictam. Si verò secundum asseratur: ergo indigebit ulteriori eleuatione, & virtute, ut attingat effectum & sic in infinitum, quia quod est improporionatum respectu effectus; non attingit illum, vique dum ei proportionetur.

4 Et confirmatur: quia si semel prædicta virtus, quæ ei additur, non est omninò proportionata cum effectu sed inferior illo, oportet, ut si attingit effectum sine additione nouæ virtutis, quod hoc proueniat ex eo, quod subordinatur agenti præcipuo, quod est omnino proportionatum cum effectu: ergo etiam si illa prior virtus, & motio non adderetur instrumento, posset manere eleuatum ad attingendum effectum. Patet consequentia: quia sicut cum superaddita virtute subordinatur agenti; ita per propriam virtutem siue naturalem, siue obedientialem actiuam posset subordinari illi: ut contingit in calore, qui per propriam entitatem subordinatur animali in quo est, ad producendam carnem. Et in caloribus, qui ex subordinatione, & coniunctione ad lucem eis assistentem manent absque aliquo alio eleuari ad immittendas species intentionales, quæ sunt immaterialiores, quàm ipsi.

Tertio, semen est instrumentum generantis, ut ex se constat. Item phantasma est instrumentum intellectus agentis in ordine ad productionem speciei intelligibilis. Et similiter sacramenta in ordine ad causandam gratiam, ut docet D. Thomas & cum eo Thomist. 3. p. quæ. 62. & tamen nullum ex his agit, ut motum: ergo, &c.

Minor quoad primam partem, scilicet quoad semen, satis videtur patere: quia cum attingit prolem, scilicet non est generans: ut contingit in animalibus, ac proinde non poterit ab eo moueri.

Quoad secundam verò partem, seu quoad phantasma, & sacramenta sic eadem minor ostenditur: quia illa motio vel esset spiritalis, vel corporea: non primum, tum quia non posset recipi in subiecto corporeo nam res corporea est incapax accidentis incorporati, sicut & res incorporea, v. g. Angelus nequit recipere accidens corporeum. Tum etiam, quia quod

uis accidens pendet in esse, fieri, & conservari à subiecto, & contra rationem accidentis spiritalis est, quod sic pendeat à corpore: nam hic modus pendendi est proprius accidentis corporei. Nec secundum dici potest: quia sicut phantasma, & Sacramentum ex eo, quod sunt quid corporeum, non possunt attingere rem spiritualementem (qualis est species intelligibilis, & gratia sanctificans) absque eo, quod superaddatur illis noua virtus: ita neque cum habent nouam illam virtutem superadditam; si semel ponitur esse corporea.

5 Quarta omnia instrumenta diuinæ virtutis, & quæ ad opera miraculosa, aut supernaturalia assumuntur non indigent motione aliqua intrinseca: ergo multo minus instrumenta naturalia, aut artificialia Patet consequentia, quia quod effectus est altioris ordinis, eo indiget maiori eleuatione, & agendi virtute.

Antecedens probatur: nam ut docet D. Tho. in 4. dist. 8. quæst. 2. *Sicut creatura inest obedientia potentia, ut in ea fiat, quidquid creator disposuerit: ita etiam, ut ea media fiat, quod est ratio instrumenti*: ergo sicut quævis creatura per potentiam obedientialem passiuam potest absque additione alicuius intrinseci, & per subordinationem ad Deum authorem supernaturalem concurrere ad receptionem cuiusvis effectus supernaturalis & non implicantis contradictionem: ita etiam per potentiam obedientialem actiuam, quam in prædictis verbis admittit sanctus Doctor, poterit absque superadditione intrinsecæ virtutis, & cum subordinatione dicta concurrere actiuè ad eisdem: quandoquidem non est minoris virtutis potentia obedientialis actiua, & instrumentalis in suo ordine, quàm passiuam in suo.

Confirmatur, quia plures & graues Doctores admittunt hanc potentiam obedientialem proximè actiuam: at si hæc datur, superuacanea est prædicta motio, quia alioqui illa potentia non esset proximè actiua: ergo, &c. Minor probatur quia eam docent, inquit aduersarij, Bona. in 4. dist. 10. art. 2. qu. 2. ad 2. Alen. 4. p. qu. 34. memb. 5. art. 5. Caiet. 3. p. qu. 78. art. 4. & qu. 15. art. 2. vbi ait; ex hoc quod Deus virtutis instrumento, res illa reducit de potentia obedientiali ad actum, cum de non instrumento sit instrumentum: quod fiet ex hoc solùm, quod Deus virtutis illa instrumentaliter ad opus miraculosum.

6 Confirmatur secundò: in cæteris generibus causarum reperitur, quod per solas suas potentias obedientiales, & subordinationem ad Deum supernaturaliter operantem possunt in suo genere causare plures effectus, quos per sua naturalia, ut talia causare non poterant: ergo cum genus causæ efficientis non minus subordinetur Deo, quàm alia causarum genera; fiet inde, ut sicut creaturæ per solam potentiam obedientialem ipsis innatam, & prædictam subordinationem concurrunt in aliis generibus causarum ad effectus miraculosos, quos Deus vult, ita & in genere causæ efficientis instrumentalis.

Antecedens patet in materia cæli, quæ habet potentiam obedientialem ad recipiendam formam corruptibilem: & in forma cælesti, cui inest prædicta potentia ad informandam materiam sublunarem; & in causa finali, v. g. in pabulo aliquo, quod etsi de se non habeat virtutem naturalem ad mouendum appetitum bruti, nihilominus habet ad hoc obedientialem potentiam. Et idem hæc potentia potest in omnibus his causarum agentibus absque additione alicuius intrinsecæ virtutis, reduci ad actum, Deo supernaturaliter operante.

*præfertur sententia D. Thomæ.*

§. II.

7 **S**ed nihilominus dicendum est esse de ratione instrumenti, quod agat, ut motum ab alio. Ita D. Thom. 3. p. q. 1. 63. art. 1. & art. 4. in corpore ubi sic ait; *Instrumentum non operatur, nisi in quantum est motum à principali agente.* Idem docet 1. p. quæst. 118. in corpore & ad primum: & de veritate quæst. 27. art. 4. dicens. *Est ratio instrumenti in quantum est instrumentum, ut moueat motum: unde sicut se habet forma completa ad per se agentem: ita se habet motus, quod mouetur à principali agente, ad instrumentum: sicut ferra operatur ad scannum.* Quod eleganter reperit, & explicat ad 5. 6. & 7. idem sanctum Doctorem sequuntur Caiet. in loco citato ex 3. p. Capreolus in 4. dist. 1. q. 1. Nazarius 1. p. qu. 45. art. 3. Medi. 3. p. q. 13. art. 2. & communiter Thomistæ.

8. Ratio fundamentalis est, quia in instrumento non inest sufficiens vis ad producendum effectum; nisi in quantum per virtutem principalis agentis ad illum eleuatur, ut ex dictis, & ex se constat: sed eleuari non potest, nisi aliquid in se recipiat: alioqui cum de se sit impotens, si nihil ei superaddatur, cum eadem impotentia remanebit: ergo debet agere, ut motum, seu ut recipiens in se aliquam virtutem, aut virtuosam motionem, per quam confortetur, & eleuetur.

Variè occurrunt huic rationi aduersarij: nam in primis respondent aliqui virtutem eleuantem instrumentum esse coniunctionem ipsam & subordinationem ad causam principalem, quæ præsupponitur per modum actus primi, & antecedenter ad actum secundum. Cæterum hanc coniunctionem, aut subordinationem nihl reale intrinsecum ponere in ipso instrumento secundum se spectato, & idem non est necesse ad hoc ut eleuetur, quod per prædictam motionem à causa principali præmouetur.

9. Sed contra hoc est quod hæc duo non possunt inter se coherere, scilicet quod instrumentum maneat omnino immutatum, & nihilominus habeat se aliter, quam prius: ergo si addita coniunctione ad principale agens non mutatur, manebit omnino sicut antea, ergo sicut sine illa eleuatum non erat, ita & cum illa omnino ineleuatum manebit.

Confirmatur primo: quia instrumentum ex vi eleuationis constituitur in ratione potentis ad attingendum effectum principalis agentis: alioqui superflueret talis eleuatio; imò concurreret, ut causa principalis, si semel ex se & sine eleuatione erat potens: ergo talis eleuatio debet esse per aliquid intrinsecum, seu inherens in ipso instrumento. Patet consequentia: nam quævis causa debet in sui ordine intrinsecè præcontinere effectum: quia si illum intrinsecè non continet saltem in suo ordine, non posset illum producere, seu extra secundum emittere: at per id quod est extrinsecum causæ, nequit intrinsecè contineri effectus in ipsa: ergo, &c.

Confirmatur secundò: quia alioqui instrumentum non attingeret reuera effectum causæ principalis; sed ipsa sola ad præsentiam illius influeret in ipsum, quod sane destruit naturam instrumenti ad genus causæ efficientis spectantis. Patet sequela quia ferra verbi gratia, et si habeat ex se vim ad scindendum, non tamen ad artificium scindendi; sed hoc prouenit illi à causa principali; vel ergo sola virtus causæ principalis, & in ea existens, est ratio agendi artificium illud, seu scissionem formaliter, ut artificiosam: vel si semel instrumentum influit in illam, se-

condum hanc rationem; debet esse per virtutem distinctam à virtute principalis agentis; & in suo ordine continentem effectum; quia ad hoc; ut duo agentia concurrant, ut duo licet subordinata inter se & non ut vnicum & indiuisibile agens, oportet, ut influant per diuersas virtutes. Et idem quia tota Trinitas concurret ad extra per vnā; & indiuisibilem virtutem, non censentur, aut sunt plura, sed vnicum; & indiuisibile agens.

11. Confirmatur tandem: quia hæc subordinatione in instrumentis, verbi gratia diuinæ virtutis, seu quod idem est, assistentia illa qua Deus assistit illis per assistentiam causæ principalis ad suum instrumentum, non est assistentia generalis, qua assistit omnibus rebus: quia non assistit omnibus illis, ut ratio agendi earum constituens ipsas per seipsum in ratione proximi principij operatiui, verbi gratia, gratiæ sanctificantis; sed potius per hanc generalem assistentiam est assistens eisdem, ut causa suo effectui, ut docet D. Thom. 1. p. quæst. 8. art. 1. & 2. ergo est peculiaris assistentia, seu peculiaris applicatio eiusdem diuinæ virtutis ad illas: ergo ratione aliquius virtutis intrinsecæ eisdem superadditæ antecedenter ad eorundem operationem.

Patet hæc consequentia: quia ex quo capite adest noua illa applicatio diuinæ virtutis ad instrumenta, debet adesse noua habitudo, seu relatio inter illa; atque ita mutatio intrinsecæ, non quidem ex parte Dei, qui est omnino immutabilis; sed ex parte creaturæ: quia si extrema eodem modo manent non est possibilis noua habitudo inter illa. Et ex quo capite illa habitudo noua præintelligitur ante actionem creaturæ: quia assistit illi Deus peculiari illo modo: ad hoc, ut agat, oportet ut hæc mutatio intrinsecæ præcedat talem ad actionem, ac per consequens sit per aliquid intrinsecum distinctum ab eadem actione.

12. Secundò respondent alij: quod virtus eleuans instrumenta non est aliquid in ipsis existens præuium ad actionem principalis agentis per modum actus primi: quia non eleuantur ad esse; sed ad operari: sed est ipsamet actio instrumenti, ut procedit ab agente principali, ex cuius concursu actio illa virtuosior redditur quam esset ex natura sua; & idem necesse non est, ut instrumentum ipsum in se mutetur. Imò addunt, hoc esse aded verum, ut etiam in instrumentis diuinæ virtutis ad opera supernaturalia, & miraculosa satis sit illis potentia obediēcialis actiua, & innata, quam habent in ordine ad cooperandum Deo in omni eo, quod non implicat contradictionem, vna cum concursu supernaturali ipsius Dei in ipsum effectum præcisè, per quem virtuosior redditur concursus talis instrumenti.

Sed contra: nam in primis, id quod in hac solutione primo loco dicitur, scilicet quod instrumenta non eleuantur ad esse; sed ad operari: & ded non debet illis aliquid imprimi, nihil obest, nam ut ex impugnatione facta contra præcedentem solutionem constat, hoc ipso, quod eleuantur ad operari eleuantur ad hoc, ut contineant saltem in suo ordine, effectum prius naturæ, quam illum attingant, ac proinde ad hoc ut prius constituantur in actu 1. operatiuo; quam in actu secundo. Ergo & debet illis imprimi aliquid pertinens etiam ad ordinem essendi per quod contineant effectum principalis agentis, quem ante eleuationem non continebant. Maxime, quia, ut ibidem dictum est, per solam subordinationem extrinsecam ad principale agens non possunt constitui in actu primo.

13. Deinde id, quod in eadem solutione secundò dicitur, scilicet eleuari per actionem causæ principalis, qua cooperatur, cum instrumento in effectum

& non ipsum instrumentum, facile falsitatis convincitur: nam id, in ordine ad quod instrumentum indiget elevatione, non potest esse ipsa virtus, & elevatio. Sicut id, in ordine ad quod datur vis productiva, non potest esse ipsa productiva vis, ut ex terminis ipsis constat sed ad eliciendum actionem instrumentalem ut talem, v. g. scissionem ut artificiosam, indiget terra elevatione artificis. Ergo elevatio non potest esse prædicta actio, ut artificiosa, per quam cooperatur artifex cum instrumento: ergo cum probatum sit, non posse instrumentum elevari per subordinationem illam intrinsecam: restat ut per aliquid aliud intrinsecum præcedens prioritate naturæ dictam cooperationem eleuetur.

Confirmatur: tum quia hic specialiter vrgit id, quod supra in hac eadem quæstione in secunda confirmatione impugnationis contra primam solutionem adduximus: tum etiam quia alioqui instrumentum, verbi gratia, terra, non attingeret realiter totum effectum; sed partem illius, & aliam produceret agens principale, quod, ut constat, est falsum. Patet sequela: quia quoties duæ causæ ita se coadiuvant ut quævis solum influat immediate in effectum, & neutra imprimat alteri intrinsecas vires ad hoc, ut reddatur potens in ordine ad effectum, quem ex se poterat attingere, tunc quævis tantum attingit partem effectus. Ut patet exemplo duorum portantium simul lapidem excedentem vires cuiuscumque: ubi licet concursus utriusque simul sumptus fiat vigorosior ad portandum illum: nihilominus, quia neutrum operatur in aliud, sed utrumque in effectum: ideo neutrum portat totum pondus; sed partem: & ita non subordinatur inter se per modum causæ principalis, instrumentariæ; sed per modum causarum partialium, & principalium.

14. Ex quo id, quod ultimo loco additur, scilicet sufficere obedientialem potentiam activam cum cooperatione Dei ut authoris supernaturalis in effectum, ad hoc ut instrumenta diuinæ virtutis attingant effectus supernaturales; manet obiter impugnatum. Quia repugnat actum secundum alicuius causæ etiam instrumentalis, non contineri in ipsa causa, ut in actu primo: quia cum actus secundus in quovis ordine essentialiter præsupponat actum primum, repugnat hanc prodixisse in actum secundum, nisi prius talis actus contineatur in actu primo. Ergo dicendum est (quod absit) quamlibet creaturam ex innata virtute continere in suo ordine, scilicet causæ instrumentalis opus miraculosum, & supernaturale in actu primo proximo, & proportionato, & consequenter ex propria emittente habere exigentiam supernaturalis concursus Dei: (siquidem exigentia concursus proportionati ad actum secundum nulla est alia in quavis causa secunda, nisi illam ita esse in actu primo, ut ex parte actus primi proximi nihil desit illi: ) vel dicendum, quod præcisè per concursum concomitantem Dei, qui non pertinet ad ordinem actus primi nequit elevari, ac proinde requireretur virtus aliqua prius recepta in ipsa respectu cuius talis causa se habeat passivè.

15. Ex quo tandem fit, non dari in rebus innatam potentiam obedientialem, quæ sit proximè activa respectu effectuum supernaturalium: quia ut modò dicebamus, esset illi, titulo connaturalitatis debitus concursus supernaturalis ad actum secundum supernaturalem, quod omnes Theologi constanter renuunt. Id quod etiam confirmari potest ex D. Thom. 2.2. quæst. 178. art. 1. ad 1. & quæst. 6. de veritate art. 4. ubi negat, posse creaturam elevari ad omnia opera supernaturalia instrumentaliter producenda per aliquid habituale, & permanens; cum tamen po-

tentia hæc obedientialis proximè activa sit quid permanentis; & in adversariorum sententia solum haberet indigentiam concursus concomitantis: sicut & illa qualitas supernaturalis, & permanens solum indigeret hoc concursu.

Adde primò, quòd alioqui prædicta potentia esset infinita secundum virtutem continendi: nam effectus miraculosi, & supernaturales se excidunt in infinitum in perfectione saltem accidentali, & omnis hæc perfectio oportet etiam in instrumento Physico, saltem in suo ordine, simul, & semel præcontineri: ita ut licet non sit æqualis perfectionis cum effectu, atramen ex eo, quòd in suo ordine contineat illum, colligatur, habere in se aliquam perfectionem: & ita si continet infinita se invicem in perfectione excedentia, non poterit non esse infinite perfectum.

Adde secundo, plura ex illis, quæ supra disputatione præcedenti ferè per totam illam adduximus ad probandum hoc ipso, quòd causæ secundæ principales applicentur à Deo ad operandum, debere aliquid intrinsecum, & prævium ad operationem eis imprimi: probant hoc ipsum in instrumentis in ordine ad suas causas principales: quia de ratione instrumenti est, applicari à causa principali ad agendum: quandoquidem eo utitur agens principale in ordine ad suum effectum.

*Occurritur duobus primis fundamentis  
opposita sententia.*

### S. III.

16. **A**D primum ergo pro prima sententia responderetur; negando antecedens, Et ad primam probationem; quod per illam calefactionem passivam disponitur piper ad eam, qua calefacit suo proprio, & virtuali calore. Unde per eam non constituitur in esse instrumenti: quia non calefacit virtute caloris recepti ab animali; sed virtute caloris virtuosius in ipso continenti: at instrumentum non utcumque movetur ad actionem; sed ita ut virtute ipsius motionis eleuetur, & agat.

Ad secundam probationem patet ex dictis supra disputatione præcedenti: & enim motio instrumenti, ut talis elevari in ordine ad effectum præcipuè intentum ab agente in principali datque vires in ordine ad illum, non verò supponit illas: maxime si fuerint æqualis perfectionis cum illo. At dum Deus præmouet ignem, v. g. ad comburendum, tunc id, quod præcipuè intendit, est ipsa combustio, seu novus ignis denuò genitus: imò non utcumque, sed eo modo, quem loco citato inuenimus. Quare cum ignis generans præsupponatur cum sufficienti virtute in ordine ad ignem secundum hanc rationem considerata: fiet inde, ut non præmoueat à Deo in ordine ad hanc rationem eo modo, quo instrumentum petit moveri; sed eo, quo causa principalis secunda exigit præmoveri à prima ob generalem subordinationem, & dependentiam ab ipsa: diximus in ordine ad hanc rationem, propter ea quæ loco citato dicta sunt.

17. Ad secundum: quod ut benè notavit D. Thom. de veritate qu. 27. art. 4. ad 6. etsi causa principalis debeat habere virtutem omnino proportionatam seu eiusdem perfectionis cum effectu, non tamen est necesse id inveniri in instrumentis: nam hæc possunt esse imperfectiora, & nihilominus instrumentaliter attingere effectum, sicut via ad illum in esse perfecto.

Vnde sicut motus, imperfectior est suo termino, & tamen est productio illius per modum viæ, & tendentiæ:

denariæ: sic etiam instrumentum in ratione virtutis actiue attingentis effectum causæ principalis habet rationem viæ: quia constituitur vltimatè per aliquid viale, & fluens; & idèd potest esse imperfectius, quàm effectus qui habet esse permanens, & nihilominus attingere illum.

Et ad probationem contra hoc dicendum est: quod cum illa virtus denud addita, sit ipsa eleuatio instrumenti; oportet quòd hæc duo illi inueniant, scilicet quod non sit necessarium esse eiusdem perfectionis cum effectu; & quod non indigeat vltiori eleuatione, ac per consequens non procedatur in infinitum. Cæterum cum instrumentum ante hanc virtutem, seu motionem non sit eleuatum, sed eleuabile, debet superaddi eleuatio.

18 Ex quo ad confirmationem responderetur: quòd vt instrumentum attingat effectum secundum aliquam rationem consideratum, oportet ita esse subordinatum ad causam præcipuam, vt insit ei intrinseca virtus, per quam in suo ordine illum intrinsecè contineat, vt ex iam dictis satis constet.

At verbi gratia serra, etsi contineat ratione propriæ formæ in ea existentis scissionem, vt scissio est; attamen nisi ei superaddatur illa intrinseca motio artificiosa, nihil habet intrinsecum, per quod in suo ordine contineat scissionem, vt artificiosa est, quæ principaliter ab agente principali intenditur. Et idèd sine hac motione nequit etiam ea subordinatione intrinseca ad agens præcipuum scindere artificiosè: attamen illa posita, potest influere in effectum & actionem vt pertinent ad ordinem artificij; licet semper agat cum subordinatione ad agens præcipuum quia imperfectè, & deficienter continet effectum seu agit in virtute eius, vt iam ostensum est.

19 Neque instantiæ in confirmatione hac adductæ conuincunt oppositum: nam ad primam illam de calore, patet ex dictis supra disput. 10. quæst. 4. & 6. quomodo calorem esse virtutem substantiæ, addat supra illum aliquam formalitatem ab illo secundum suam speciem considerato formaliter distinctam, quæ quidem, licet per se loquendo, sit quid fluens, attamen habet modum virtutis permanentis, per quam quasi habitualiter manet eleuatus.

Ad illud verò de coloribus dicendum est: quòd lux non est forma omninò extrinseca respectu coloris: quia colores formaliter, & intrinsecè participant lucem. Quamuis non desint qui asserant, vel colorem ex se habere virtutem partialem, & principalem ad producendas species visibiles: & hanc adiuuari per assistentiam luminis, quatenus etiam lumen simul cum colore partialiter concurrat: quia etsi instrumentum non possit adiuuari per solam cooperationem alterius causæ assistentis, bene tamen causa partialis. Vel tandem lumen non concurrere effectiue ad productionem specierum, sed formaliter dispositiue disponendo medium.

#### SATISFIT TERTIO FUNDAMENTO prioris sententiæ.

#### §. IV.

10 AD tertium, quod ex plurimis instantiis coalescit, responderetur, & primò ad primam de semine dicendum est, cum Diuo Thoma de potentia, quæst. 3. art. 11. ad 5. *Quod instrumentum tandiu à principali agente moueri intelligitur, quamdiu retinet virtutem ab illo impressam. Vnde sagitta tandiu mouetur à proiciente, quamdiu manet vis impulsus proicientis: sicut etiam generatum tandiu mouetur a generante in granibus, & leuibus, quamdiu resi-*

*net formam sibi traditam a generante. Vnde, & semen tandiu intelligitur moueri ab anima generantis, quamdiu remanet ibi virtus impressa ab anima, licet corporaliter sit diuisum.*

Aduertendum tamen, quòd etsi illa virtus seminis sit ex se fluens, vt indicat D. Th. 1. p. qu. 11. 8. art. 1. ad 3. & de malo qu. 4. art. 1. ad 6. habet tamen modum permanentis: quia diuturnam habet durationem; licet per accidens hoc ei conueniat, quatenus est instrumentalis vis, eo quod non nisi præuiis dispositionibus, quas nequit efficere in instanti, attingit effectum principalis agentis. Et idèd talis virtus per se, & essentialiter non est permanens, sed verè transiens: vt benè notauit Nazarius 3. p. quæst. 13. art. 2. controu. 3.

21 Ad secundam instantiam dicendum est: vel phantasma non concurrere actiue ad producendam speciem intelligibilem; sed solum in genere causæ materialis, vt volunt aliqui inter quos est Nazarius 1. p. quæst. 45. art. 5. vel non esse rigorosè instrumentum; sed solum virtutem instrumentariam, eo modo quo calor dicitur instrumentalis virtus ignis; & ita sufficet phantasmati: quòd sit radicatum in eadem anima spiritali, vñ cum intellectu agente, ad hoc, vt possit esse virtus instrumentaria illius necnon & animæ in ordine ad talem productionem. Vel tandem etsi daremus, esse verum instrumentum, dicendum esset, non eleuari per solam extrinsecam assistentiam luminis intellectus agentis; sed per aliquam participationem huius luminis per modum transientis: eo proportionali modo, quo in responsione ad vltimam instantiam iam explicamus.

22 Ad vltimam instantiam de Sacramentis responderetur: eleuari per motionem quandam intrinsecam, & spiritualem. Et ad primam probationem, quòd etsi accidens spirituale, quod habet esse per modum formæ completæ, & permanentis, non posset recipi in subiecto corporeo; benè tamen quod recipitur per modum intentionis: & per modum transientis, ac fluenter, qualiter recipitur prædicta motio in Sacramentis.

Quæ solutio desumitur ex D. Thom. in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 4. qu. 2. ad 4. vbi sic ait: *in re corporeâ non potest esse virtus spiritalis secundum esse completum, potest tamen ibi esse per modum intentionis: sicut in instrumentis motus ab artifice est virtus artis: & sermo audibilis existens causa disciplina, vt dicitur de sensu, & sensato, continet intentione anima quodammodo & etiam in motu est virtus substantia superata moueri secundum Philosophos, & semè agi in virtute anima.*

Quod etiam repetitur cum quæst. 27. de veritate art. 4. ad 4. cum etiam 3. par. quæst. 62. art. 4. ad 1. in hæc verba: *Virtus spiritalis non potest esse in re corporeâ per modum virtutis permanentis, & completæ; nihil tamen prohibet, in corpore esse virtutem spiritualem, in quantum corpus moueri potest ab aliqua substantia spiritali ad aliquem effectum spirituale inducendum: Sicut & in ipsa voce sensibili est quadam vis spiritalis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis.*

23. Aduertendum tamen (vt plenius mens D. Thom. quoad præsens capitatur, & vt fiat satis aliquibus obiectionibus, quæ contra eam, & ex defectu intelligentiæ eiusdem solent obui) diuersitatem formæ permanentis, & transientis à Doctore Angelico assignatam, non consistere in maiori, vel minori duratione actuali: nam spirituale accidens completum, & permanens nequit etiam per minutissimum tempus recipi, in subiecto corporeo; sed in hoc, quod per se, & ab intrinseco sit accidens spirituale completum, & permanens. Nam si semel hoc non



non habeat; sed per se, & ex intrinseca natura sua sit accidens incompletum de numero eorum, quæ sunt per modum intentionis, seu essentialiter sunt, ut via quædam, & medium ad formam ultimam: nihil obest, quod si ordinetur, & sit via ad formam spirituales, quod sit spiritualis; & nihilominus recipitur in subiecto corporeo, modo spirituali. Nam tunc non debet commensurari, nisi cum forma illa, ad quam est ab intrinseco via, & medium, & cum agente, à quo producit: quia hoc est essentialiter via, & medio prædicto.

Vnde licet ex qua parte mouet rem corpoream subordinando illa in agenti spirituali, ut tali: (nam res corporea mobilis est ab agente spirituali) debeat esse in illa in transitu, & fluenter; attamen ex qua parte mouet illam ad rem spirituales attingendam ex subordinatione ad agens spirituales, oportet ut sit quid spirituales.

24. Ex quo ad ultimam probationem (quæ in fine huius instantiæ adducitur; scilicet esse contra rationem accidentis spiritualis, quod dependeat in esse, fieri, & conseruari à subiecto corporeo) responderetur: id esse verum de dependentia ab illo per modum formæ completæ, & permanentis; non verò de dependentia, quæ ab intrinseco est per modum fluentis, nam hæc in prædictis accidentibus vialibus composibilis est cum spiritualitate illius rei, quæ sic dependet: nam quando forma accidentalis est completa, & permanens, debet ex qua parte est accidentalis, pendere à subiecto: at ex qua parte recipitur secundum esse ratum, permanens, & firmum, recipitur ad modum recipientis, & per commensurationem cum illo. At quando est fluens, & via licet ex quo capite est accidens inherens corpori pendeat ab illo; at ex quo capite est via ad formam ultimam, & spirituales, non debet, nisi illi commensurari.

25. Explicatur hoc sicut in substantiis spiritualibus sua assignatur latitudo: ita ut aliæ sint aliis spiritualiores: & idem, quia Angelus est substantia spiritualis, & completa, neque pedit à corpore, neque recipi potest in illo; secus verò anima nostra quæ quia est completa, potest recipi in subiecto corporeo; licet sine dependentia ab illo in esse. Ita in accidentibus spiritualibus sua debet assignari latitudo, taliter ut alia sint aliis spiritualiora: & ideo si fuerint completa, & permanentia, nequeunt villo modo pendere à corpore, & consequenter, nec recipi in illo: quia accidens intrinsecè pendet in esse à subiecto, in quo recipitur; at si fuerint accidentia incompleta, & habentia esse diminutum, & vialia, possunt quidem, non obstante spiritualitate sua, pendere à subiecto corporeo, attamen recipiuntur modo indiuisibili, & dependent in transitu, & fluenter, & solum tangunt illud, ut ipsum promoueat ad altiorum ordinem, Sicut species intentionales receptæ in medio: quia sunt in illo secundum diminutum, & per modum transitus, suntque essentialiter ordinatæ ad formam ultimam: idem possunt esse immaterialiores, quam medium ipsum secus verò species, quæ permanentes actuant aliquod subiectum, seu potentiam.

Quare hæc accidentia vialia, & diminuta, licet reuera insint; nihilominus potius respiciunt subiectum ut mobile, quam ut subiectum. quia attingunt illud ut moueant ad attingendam vltiorem formam altiorum. Et idem commensurantur cum termino, & agente; non verò cum subiecto in quo recipiuntur.

16 Adde quod licet hæc motio recepta in Sacramento, recipiatur in subiecto corporeo; non tamen

qua ratione corporeum est, & distinctum à re spirituali, sed qua ratione habet esse ens creatum assumptibile à Deo ad prædictum effectum: quia recipitur in illis secundum potentiam obedientialem quam habent respectu Creatoris, quæ quidem licet intemè includatur in quouis corpore, non tamen eam habent, quia corporea sunt, sed quia sunt entia creata: at non inconuenit, quod aliquid spirituales, habens infimum spiritualitatis gradum, recipiatur in subiecto corporeo, non qua corporeum est; sed qua ens creatum est: quia sit est ad hanc diminutam spiritualitatem, quod non pendeat à corpore, ut corpus est: sed ut habeat prædictam potentiam obedientialem quæ respectu motionis iam dictæ est eiusdem rationis, formaliter loquendo, tam in re corporea, quam in spirituali.

#### SOLVITVR VLTIMUM FVNDAMENTVM aduersariorum.

##### §. V,

27. AD quartum negandum est antecedens. Ad probationem: dupliciter posse inesse alicui rei potentiam obedientiæ, ut ea media fiat quidquid creator disposuerit, vel quia ex se habet potentiam actiuam continentem proximè saltem per modum instrumenti omnes effectus supernaturales: vel quia habet potentiam obedientialem ad recipiendam formam, seu motionem supernaturalem actiuam illius effectus supernaturalis, quem Deus vult, & ratione illius constituitur in actu primo proximo ad illum attingendum, saltem tanquam instrumentum.

Cum ergo inquit Thom. *Quod sicut creatura inest obedientia potentia, ut in ea fiat quidquid creator disposuerit: ita etiam, ut ea media fiat quod est ratio instrumenti*, non intelligitur de potentia obedientiali primo modo explicata. Nam ipse expressè negat, dari virtutem habitualement permanentem, patratuam omnium miraculorum, ut constat ex 2. 2. quæstione 178. art. 1. ad 1. At potentia obedientialis, & innata rebus quam Authores oppositæ sententiæ admittunt, est de se quid permanens: quare solum potest intelligi S. Doctor de obedientiali potentia in secundo sensu explicata.

28 Et congruit valde expositio hæc contextui, nam post quam dixit quod sicut creatura inest obedientiæ potentia ut in ea fiat quidquid creator disposuerit (per quæ verba in omnium sententiis intelligitur potentia obedientialis passiuæ) statim addidit: *ita etiam, ut ea media fiat, &c.* Vbi illud relationum est relationum identitatis, & refert suum antecedens scilicet potentiam obedientialem passiuam quæ est in creatura, ut in ea fiat quod Deus disposuerit.

Vnde sensus D. Thomæ est, quod licet potentia obedientialis creaturæ immediatè solum sit ad recipiendam formam, vel motionem, quam Deus illi communicare voluerit: attamen immediatè etiam deseruit, ut creatura possit producere effectus supernaturales. Nam quia mediante illa potest recipere formas, seu accidentia supernaturalia quorum aliqua sunt actiua, & reddunt subiectum constitutum in actu primo in ordine ad effectus supernaturales: idem verè dicitur in creaturis esse potentiam obedientiæ immediatè ad formas supernaturales; & mediatè ad eliciendas actiones supernaturales per formas, seu accidentia ordinis diuini quæ prius recipiunt. Sicut aqua mediante potentia congenita, quam habet ad recipiendum calorem potest calefacere: quia per illam potest recipere calorem, quo actio calefactiua eliciatur.

19. Ex

29. Ex quo ad primam confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem respondetur, Bonaventuram loqui de potentia obedientiali passiva. Alensem docere ibidem oppositum inquit: Sacramenta elevari per aliquid intrinsecum. Eodem modo exponendus est Caietanus, qui ibidem in primo loco admittit virtutem instrumentalem ad faciendum miracula, esse fluentem, ac proinde non potest sentire, quod consistat in prædicta potentia obedientiali activa & innata. Et in secundo loco impugnat prædictam potentiam obedientialem activam, & innatam rebus: ait enim, virtutem, quam habent verba consecrationis ad transsubstantiandum panem, esse quid adventitium illis.

Præterea, quia reduci de potentia obedientiali ad actum, cum de instrumento sit instrumentum, est reduci de potentia obedientiali passiva potente recipere vim instrumentalem, ad actum recipiendi illam, per quam actu fieri instrumentum. Quare ex hoc, quod Caietanus asserat, illam potentiam obedientialem reduci ad actum, ut de non instrumento fiat instrumentum, non sequitur, illum sentire, quod talis potentia sit activa. & ideo ibidem tantum vult, quod virtus ei superaddita tantum est motio intrinseca, qua ab agente principali movetur, ratione cuius prædictum agens eo virtutem ad productionem effectus, quem intendit.

30. Ex quo satis constat, quam immerito doctores his fuerint à Suarez pro sua sententia adducti: atque adeo potentiam hanc obedientialem proximè activam ab ipso solo esse excogitaram: quia ante illum nullus ex Doctoribus eam docuit: imò, & ipsam satis impugnat, atque ita tanquam rem in materia satis gravi novam esse reiiciendam. Diximus, proximè activam; quia admittere in creaturis, verbi gratia in intellectu potentiam obedientialem activam radicaliter visionis beatificæ: ita tamen ut tota ratio agendi proxima, & elevans sit entitas superaddita, & supernaturalis, non inconuenit.

Ad confirmationem: quod nec forma cælestis potest recipi in materia sublunari, neque forma sublunaris in materia cælesti: quia nulla virtus potest extrahi extra suum obiectum adæquatum. Et similiter nulla bonitas potest mouere appetitum alicuius, quem ex se non poterat, nisi noua bonitas ei superaddatur in re, vel apprehensione.

Ad id autem, quod ibidem iuenitur, scilicet genus causæ efficientis non minus subordinari Deo, quam genus causæ materialis: atque adeo sicut genus causæ materialis importat potentiam passivam obedientialem: ita & genus causæ efficientis inuoluet potentiam obedientialem activam: dicendum est, esse disparatam rationem: quia ratio potentie obedientialis activæ in ordine ad omnes effectus supernaturales, est perfectior ratio, quam ratio potentie passivæ: & ideo licet ista sit innata; secus verò illa. Maxime quia est adeo perfecta ratio ut implicet dari in creatura.

31. Adde, quod ex negatione potentie passivæ sequeretur creaturam non esse plenè subiectam Creatori in ordine ad esse supernaturale: quia esset incapax recipiendi formas supernaturales, at ex negatione potentie obedientialis activæ, nec sequitur non esse plenè subditam quoad receptionem prædictarum formarum, neque quoad hoc; quod est posse concurrere ad illas producendas qui ratione potentie obedientialis passivæ potest recipere virtutem ad agendum, vel præter, vel supra naturam, & ita est plenè subdita, Deo tam in agendo, quam in patiendo.

## Q V Æ S T I O II.

*An sit de ratione instrumenti habere aliquam propriam sibi virtutem, propriamque actionem prauam.*

32. Pro tituli intelligentia notandum est, quod licet ad Philosophum naturalem per se, & directe tantummodo spectet agere de instrumentis naturalibus, & de eorum actionibus præiis necessariè requisitis ad actionem principalis agentis: quia tamen hoc non potest exactè declarari, nisi simul explicetur: an hoc sit de ratione instrumenti Physici generaliter sumpti, siue concurrat ad opera naturalia, siue ad supernaturalia: qui necessitas huius actionis in instrumentis naturalibus non provenit ex peculiari ratione eorum; sed ex generali natura instrumenti Physici, seu quod idem, est instrumenti verè, & realiter immediatè attingentis effectum. Idè quæstionem hanc sic in generali, prout comprehendit omnia instrumenta discutiemus, ac proinde necessarium erit aliqua pertinentia ad instrumenta diuinæ virtutis in ordine ad opera supernaturalia, & miraculosa, breuiter attingere.

Sed ut plenius titulus quæstionis intelligatur, adhuc notandum est: quod nomine propriæ virtutis non intelligimus propriam virtutem, prout est idem, quod innata; sed virtutem intrinsecam, seu inherentem; siue sit innata, siue ab extrinseco agente communicata, dummodo sit distincta à motione, qua agens principale eleuat instrumentum, Quo pacto, licet ferrum ex se non habeat acutiem aut figuram illam dentium, quæ ei ab arte communicatur; nihilominus per illam habet aliquo modo vim scindendi distinctam à motione, qua artificiosè scinditur, & consequenter si correspondet propria actio, scilicet scissio distincta aliquo modo ab actione artificiosa; & facta collatione inter has duas actiones, prior est scissio, quam eademmet, ut artificiosa.

*Adducitur opinio negans.*

### §. I.

33. In quo prima sententia asserit, non necessarium, & indispensabiliter requisitum ad hoc, ut aliquid assumatur, ut instrumentum, & ut tale concurrat, quod habeat propriam virtutem, seu rationem agendi, ac per consequens, neque quod habeat sibi propriam actionem distinctam aliquo modo ab actione principalis agentis, & prauam ad illam. Ita Molina parte qu. 45. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 31. sc. 8. Scotus in 4. dist. 1. qu. 1. Durand. in 2. dist. 1. qu. 4. & plures alij ex Iunioribus Et probatur ratione, primò sic: omnis actio instrumenti conuenit illi in virtute agentis principalis: ergo male conceditur instrumentis actio aliqua praua ad eam, qua concurrunt in virtute illius. Consequentia videtur manifesta. Et antecedens etiam constat, tum quia alioqui illam elicerent in virtute propria; & consequenter, ut causæ principales: tum etiam, quia quando artifex, v. g. per ferram scindit lignum ut illud modo aliquo artificiosa figuret, tunc non solum formam, seu modum ille artificiosus, ut talis; sed etiam scissio, est effectus eiusdem artificis. Undè nisi ferram ab illo applicaretur, non scinderet: ergo &c.

Confirmatur: nam vel illa actio praua ferræ, v. g. est eadem realiter cum actione principalis agentis, vel distincta: si primum: ergo non est praua ad

ad actionem prædicti agentis : idem enim non potest esse ante se, aut sibi præuium. Si verò secundum, præterquam quod est falsum : cum actio scilicet, quæ præuia esse poterat, procedat ab artifice, & consequenter sit actio illius ; nihilominus contra hoc est id, quod modo innuebamur scilicet hinc fieri prædictam actionem, ut sic distinctam, non esse ab artifice, & consequenter, nec esse instrumenti actionem : quia actio instrumenti semper debet esse à principale agente.

Nec refert si dixeris: quod etsi illa operatio sit una, & eadem realiter : nihilominus est multiplex virtualiter, & quod ut elicitor ab instrumento, est prior seipsa, prout est ab agente principali. Nam contra hoc est, quod hoc non potest coherere cum his, quæ pro nostra sententia quæst. præced. diximus : quia si instrumentum non mouet, nisi ut motum, & applicatum à principali agente ; ergo prior est actio causæ principalis quam actio instrumenti, quandoquidem conuenit illi agere ratione causæ præcipuæ, & influxus ab illa exhibiti.

35. Secundò, ex eisdem instrumentis artificialibus hoc desumitur argumentum : nam in serra v. g. non est proprium principium, aut virtus aliqua agendi : ergo neque propria actio. Consequentia patet. Et antecedens probatur : nam vel hæc virtus esset quantitas serræ & hæc non : quia quantitas non est forma actiua ; sed passiuæ : vel grauitas, & hæc non : quia solummodo est principium motus deorsum, serra autem non scindit ex eo, quod deorsum moueatur ; alioqui si sursum moueretur non scinderet. Vel esset durities : sed neque hæc quia durities non est qualitas actiua ; sed resistitiua. Vnde licet quod magis aliquod corpus fuerit durum, eo plus resistat ; nihilominus non ob id maioris est actiuitatis. Sed nec figura esse potest : quia hæc non est forma actiua, aliàs non de quarta ; sed de secunda specie qualitatis esset : at nihil aliud ibidem inueniri potest, quod sit virtus agendi : ergo, &c.

Confirmatur ex pluribus instrumentis ordinis naturalis, in quibus nulla videtur assignabilis actio præuia. Nam aer illuminatus instrumentaliter illuminat parietem. Aqua calida instrumentaliter calefacit. Sogillum habet rationem instrumenti, in ordine ad imprimendam in cera figuram illam artificiosam. Phantasma per modum instrumenti attingit productionem speciei intelligibilis : & tamen in his omnibus, & in aliis pluribus, & naturalibus instrumentis nequit excogitari actio præuia : maxime in aqua calida, & in aëre illuminato in quibus nequit assignari virtus propria conducent ad effectum principalis agentis, distincta ab ea, quam habent ab eo, ac proinde nec propria, & præuia actio ergo, &c.

36. Tertio, nam si altius ascendamus ad instrumenta diuinæ virtutis ad opera supernaturalia, reperiemus, non requirere essentialiter actionem præuiam : atque ita prædictam actionem non esse de ratione instrumenti, ut talis : quandoquidem quod conuenit alicui ut tali, conuenit omni tali.

Antecedens probatur : tum quia Deus non utitur eis, quia indigeat actione propria illorum, imò potius ex infinita sua virtute, & omnipotentia eleuat ea ad consortium suæ propriæ actionis, præstando eis virtutem ad illam. Et ideo indifferenter uti potest quacumque creatura ad producendum mediante illa eundem effectum : quod quidem non ita contingeret si desideratur propria instrumenti actio, quæ propriæ illius virtuti corresponderet. Tum etiam, quia sæpe assumitur à Deo creatura corporalis, ut instrumentum ad producendum in subiecto spirituali ali-

quod accidens spirituales & diuini ordinis ; ut patet in Sacramentis : at res corporea nihil potest operari propria virtute circa rem incorpoream quia non subditur illi. Imò eius actio corporea, & ita inferior, nihil potest conducere, aut disponere in ordine ad effectum adeo eleuatum : qualis est accidens spirituale, & supernaturale ; & ita talis actio perinde se habebit in ordine ad illum effectum, ac si non eliceretur.

37. Confirmatur primò : nam si semel actio præuia in instrumento desideratur erit utique, ut contingat passum, circa quod. agens principale operatur, producendo ibidem præuium illum effectum : alioqui quomodo posset dispositiue concurrere in ordine ad altiorum effectum causæ præcipuæ ? at multoties reperitur oppositum : ut patet in verbis consecrationis, quæ sæpe non contingunt panem aliquantulum distantem : ergo tunc talis actio præuia, perinde se habet, ac si non adhiberetur, & per consequens non erit necessaria.

Adde, Thomistas communiter dicere, quod instrumentum hoc defert diuinum imperium ad subiectum operis miraculosi, & applicat illi diuinam virtutem, ac tandem contingit ipsum per contactum virtutis : at si est distans ab illo non videtur quomodo possit hæc præstare : ergo, &c.

38. Confirmatur tandem : quia multa sunt instrumenta diuinæ virtutis, in quibus difficile est inuenire actionem præuiam nam humanitas Christi Domini concurrebat physice, ut instrumentum coniunctum diuinitatis ad productionem gratiæ quæ nobis datur per Sacramenta, & ad conuersionem substantiæ panis in corpus Christi ; & tamen non apparet, quam operationem præuiam, & dispositiuam ad hunc effectum habeat.

Item in Sacramentis, quæ consistunt in usu, qualis est Baptismus, ipsa actio seu absolutio aquæ assumitur ut instrumentum ; & tamen non habet aliquam aliam actionem præuiam ab ipsa causatam, quandoquidem actio non est ex se actiua alterius actionis. Et obeandem rationem actus interni Christi Domini, qui modò assumuntur ut instrumenta ad causandum gratiam, non habebunt actionem præuiam. Imò neque actus alij externi eiusdem, v. g. passio illius, quæ ut docet D. Th. 3. p. qu. 48. art. 6. & qu. 50. art. 6. & alibi, ut instrumentum effectuum supernaturalium. Et tandem ossa Elisei iam mortui suscitauerunt latrunculum qui iuxta illa positus fuit & tamen ossa hæc sacra nihil præuium operata sunt ( ut ex se constat. )

Et sanè ab omnibus his instrumentis petere, ut habeant propriam virtutem, & actionem, ita ut sine illa non sint capaces attingendi effectum supernaturalem, aut miraculosum, videtur superfluum : quia reuera non apparet repugnantia in hoc, quod Deus creaturam non habentem ex se propriam operationem, assumat, ut instrumentum : nam potest ei communicare motionem illam virtuosam, & eleuantem in ordine ad productionem gratiæ, v. g. quam communicat aquæ Baptismi. Maxime quia creatura illa poterat modificare talem actionem Dei, & virtutem iuxta illud : *unumquodque recipitur ad modum recipientis*. Quod quidem petitur ad rationem instrumenti, atque adeo per illam produceret eandem gratiam ; non quidem ut causa præcipua quia motio prædicta, est quid inferius ad gratiam : ergo ut causa instrumentalis.

*Vera sententia Dini Thoma, & primum illius fundamentum.*

§. II.

39 **N**ihilominus dicendum est, esse de ratione instrumenti habere actionem, quæ sit aliquo modo præuia ad actionem principalis agentis. Hæc est D. Thomæ 1. p. q. 45. art. 5. ubi sic inquit: *Causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis.* Et 2. contra Gentes, c. 11. art. 6. *Omne agens instrumentale exequitur actionem principalis agentis, per aliquam actionem propriam, & naturalem sibi: & ex eo, quod non potest dari hæc actio in instrumento respectu creationis: quia creatura non potest operari circa nihil, infert esse impossibile, quod creatura assumatur, vt instrumentum ad creandum.*

Et 3. p. q. 67. art. 1. ad 2. *Instrumentum habet duas actiones, unam instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria; sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam: sicut securus sciendens fucis lectum.* Et hoc ipsum docet q. 78. art. 4. ad 2. & de veritate, q. 27. art. 4. & in 4. distinct. 1. quæst. 3. art. 4. quæst. 1. Quem sequuntur eius discipuli, Caiet. 1. parte, quæst. 45. art. 5. Bañez, & Nazarius ibidem, Ferrara 2. contra Gentes c. 21. Medina 3. parte, quæst. 13. art. 2. Soto in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1. & 4. Alvarez 3. p. disp. 66. Maius in hoc libro c. 3. sect. 3. quæst. 9. Capreolus, & plures alij tam ex Thomistis quam ex extaneis.

40 Sed vt nostræ assertionis legitimus sensus, & mens D. Thomæ intelligatur, præsupponendum est primò id quod suprâ quæstione præcedenti innuimus, & probauimus, scilicet esse impossibilem potentiam obedientialem actiuam, & innatam, quæ sine aliquo alio superaddito sit proximè, & immediatè operativa, etiam instrumentaliter miraculorum, vel effectuum supernaturalium, vt Suar. ibidem citatus volebat. Nam si hæc potentia actiua implicat, necesse est, vt si semel instrumento correspondeat propria actio distincta aliquo modo ab actione principalis agentis, quod non sit talis iuxta talitatem, vt sic dicamus, huius potentie; sed iuxta conditionem propriæ, & peculiaris virtutis proximæ, quæ illi conuenit; ita vt sic calor, v. g. eleuetur, tunc actio illi correspondens, sapiat naturam eius, & consequenter sit calefactio. Id, quod manifestè intendit D. Thomæ, dum ab instrumento propriam petis actionem, vt ex contextu litterarum, & ex iam dicendis magis constabit.

41 Secundò, ne eadem multoties repetamus, & melius percipiatur quanto iure Sanctus Doctor, non solum petat ab instrumento actionem, propriam illius verum etiam, quod sit præuia, & dispositiua ad actionem, & effectum principalis agentis: est secundò præsupponendum; quod si semel instrumento correspondet propria actio: non solum debet esse talis iuxta conditionem suæ virtutis proximæ, sed etiam oportet esse præuiam ad actionem causæ principalis: quia non potest ob aliam rationem desiderari instrumentum, & eius actio, nisi vt medio eo, & illius actione, attingat agens principale effectum, quem intendit, ac proinde oportebit, quod eius actio sit prior actione agentis principalis: imò & aliquo modo dispositiua ad ipsam: siquidem quod præcedit aliud per se primò intentum, & necessario requiritur ad ipsum, comparatur per modum alicuius dispositiui in ordine ad illud.

*Colleg. Compl. Physica*

42 His ergo suppositis, suaderetur assertio nostra ratione desumpta ex Diuo Thoma, quæ ad hanc formam potest reduci. Causa instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalem illius: ergo repugnat esse instrumentum, & non habere actionem propriam, & præuiam. Patet consequentia: quia repugnat, esse instrumentum & vt tale influere, & non participare actionem principalis agentis: alioquin non attingeret effectum principalem, & consequenter non esset instrumentum respectu illius. Antecedens, in quo est difficultas, probatur: quia eisdem verbis asseritur à Diuo Thoma in dicta quæst. 45. 1. part. ort. 5. illudque multoties repetit, supponens hunc esse proprium instrumenti conceptum.

Confirmatur, & explicatur primò: nam vt instrumentum fiat particeps actionis principalis agentis: seu in virtute illius attingat effectum principalem; idè eget eleuatione, quia est instrumentum, a quo adeo agens inferius, & improporcionatum ad illum attingendum; ergo prius est, quod habeat in se hanc virtutem agendi propriam, & improporcionatam, quam quod eleuetur, & media eleuatione fiat particeps actionis agentis principalis: ergo etiam prius erit, quod habeat propriam actionem, quæ sit iuxta conditionem huius virtutis proximæ, sapiatque naturam eius, quam quod fiat particeps illius alterius actionis agentis præcipui.

Antecedens patet: quia instrumentum, vt tale, & consequenter; vt petens eleuationem, pertinet ad ordinem causæ efficientis, non principalis: ergo inferioris, & improporcionatæ ad effectum principalem. Vnde sicut semel sublata hac improporcionatione in ratione agentis, iam non indiget aliqua alia eleuatione; ita idè indigebat illa, quia erat causa efficiens, sed improporcionata.

43 Prima verò, & secunda consequentia, quia longiori egent probatione, seorsim probandæ sunt. Prima igitur sic ostenditur: tum quia est expressa D. Th. 3. p. q. 19. art. 1. & quæst. 72. art. 3. ad 2. ubi inquit: *Quod instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, & quando mouetur à principali agente ad effectum:* tum etiam, quia sicut hoc ipso, quod causa principalis secunda subordinatur primæ per modum causæ effectiue, licet principalis in suo ordine, implicat esse in ea talem subordinationem, nisi antequam præmoueatur à prima, habeat in se propriam virtutem in suo ordine præcipuam respectu effectus: quia hæc subordinatio est in ratione causæ efficientis secundæ; ita quia instrumentum comparatur cum causa principali, & eleuatione eius, vt agens inferius ad superius: & eleuatur, quia est causa actiua inferior, & instrumentalis, oportet habere aliquam propriam virtutem, licet inferiorem, & improporcionatam: alioquin non erit capax eleuationis: quandoquidem subiectum proprium illius est (vt dicebamus) agens inferius, vt tale.

44 Ex quo patet etiam secunda consequentia, scilicet non posse media eleuatione participare altiore illam actionem agentis principalis, nisi eliciat suam propriam: tum quia si semel desideratur, vt instrumentum eleuetur, & fiat particeps prædictæ actionis, quod habeat propriam vim actiuam, fiet indè, vt non requiratur talis virtus, vt sit otiosa; sed vt agat: alioquin non desideraretur formaliter in ratione virtutis actiue; sed in ratione entis, & consequenter instrumentum non egeret eleuatione formaliter loquendo: quia est causa actiua inferior. Et idè Diuus Thomas 3. parte, quæst. 19. artic. 1. in-

**M**

quid

quit: *Vicinusque motus, & motum habent diuersas formas; seu virtutes operativas, ibi oportet, quod sit alia operatio motus, & alia operatio propria moti.*

Tum etiam quia hoc ipso, quod instrumentum esse eleuatum, includat virtutem propriam, & virtutem altiore communicatam ab agente principali: oportet, ut sicut ex qua parte inuoluit virtutem illam altiore, elicit actionem excellentiorem; ita ex qua parte importat propriam virtutem, necesse sit; ut ei correspondeat propria actio, & non qualiscumque, sed quæ sit talis iuxta conditionem virtutis propriæ, ut in primo notabili dicebamus: quia cuiusque virtuti proximæ debet propria actio correspondere, quæ sapiat naturam eius: quandoquidem vel ab illa sola, vel saltem etiam ab illa desumit suam speciem.

45. Confirmatur, & explicatur: quia aliud est esse subiectum, per quod diffundatur virtus principalis agentis, sicut species coloris diffunduntur per aërem: aliud vero esse instrumentum principalis agentis, quod ut tale indiget eleuatione. Licet ergo res, cui non inest propria virtus actiua, neque habet propriam actionem, possit esse subiectum, per quod diffundatur virtus principalis agentis: quia ratio puri, & nudi subiecti id non petit: ceterum ut habeat rationem instrumenti, non sufficit esse purum, & nudum subiectum, sed requiritur, ut habeat vim actiuam: quia alias eleuaretur, ut subiectum, & non ut instrumentum, quod pertinet ad ordinem actiuorum, hoc ipso quod concipiatur, ut instrumentum ac proinde est eleuabilis in ratione actiui; & ex consequenti supponitur in eo propria vis actiua.

*Expenduntur alia duo fundamenta pro vera Diui Thoma sententia.*

### §. III.

46. Secundo principaliter suaderetur assertio, & ratio præcedens cum suis confirmationibus elucidatur. Ceterum, ut huius rationis vis plenius capiatur, notandum est primò, dupliciter posse, duo concurrere ad aliquem effectum: vno modo, ita ut licet in effectu sint duo; attamen in ratione, & virtute agendi ita sint vnum, ut nullo modo sint duo: quia præcisè constituunt vnicum, & idem indiuisibile agens: quo pacto intellectus, & lumen gloriæ in via Diui Thomæ concurrunt ad visionem beatificam: quia ut communiter docent Thomistæ, intellectus tantum est principium radicale, & remotum: at verò lumen gloriæ est tota ratio proxima videndi Deum, & ex utroque integratur vnicum principium visionis, quod in ratione agendi est omnino indiuisibile, & vnicum. Quia vnicum agens includit tam virtutem agendi radicalem, quam proximam. Alio modo possunt duo concurrere ad eundem effectum, ita ut non solum in ratione entis; sed etiam in ratione agendi sint duo; quia vtrumque habet suam vim agendi tam remotam, quam proximam.

47. Secundo notandum est, inter hos duos concurrentes modos hanc esse diuersitatem, quod ea, quæ in ratione entis sunt duo; sed in virtute agendi vnum, non opetatur, nisi per vnicam, & indiuisibilem prorsus actionem: quia vni, & indiuisibili agendi vnica & indiuisibilis actio debet correspondere. Ceterum ea, quæ in ratione agendi sunt prorsus duo, vel licet secundum aliquam considerationem constituant vnicum, & indiuisibile agens: attamen simpliciter, & adæquatè loquendo sunt duo in hoc ordine, & ita habent distinctas virtutes agendi proximas, debent operari per actiones aliquo modo

distinctas: quia quævis virtus agendi proxima, quæ constituit vnicum agens distinctum ab alio, petit suam propriam actionem, & talis actio debet sapere naturam ipsius virtutis agendi proximæ, ut supra in ratione prima dicebamus; quamuis si talia agentia inter se subordinentur, & vnum eleuetur ab alio, possit agens inferius, & ut eleuatum elicere altiore actionem; ita tamen ut præter hanc habeat etiam eam, quæ est sibi propria: quia ut in ratione prima dicebamus, ex qua parte tale agens eleuatur, debet ei correspondere alia altior operatio, & ex qua parte eleuatur, ut agens distinctum ac proinde ut habens, & retinens suam virtutem agendi proximam, quia alioqui non eleuaretur, ut agens distinctum non potest non illi propter rationem modo dictam correspondere sua operatio.

48. Hinc ergo secunda ratio pro nostra assertionem sic deducitur: instrumentum, & causa principalis pertinent ad ordinem causæ efficientis: (ut ex se constat) at instrumentum non pertinet ad hunc ordinem, nec influit præcisè, ut constituit vnicum, & indiuisibile agens cum agente principali: ergo vtrumque pertinet ad ordinem efficiendi, & influit ut sunt simpliciter duo in ratione agentis, habentque distinctas virtutes agendi proximas, quamuis virtus instrumenti proxima subordinetur, & eleuetur à virtute agentis principalis in ordine ad actionem principalem: ergo solum cuiuslibet debet correspondere sua propria actio, & quæ sit talis iuxta conditionem suæ virtutis; sed etiam actio instrumenti debet esse præuia ad eam, ad quam eleuatur, quæ est eadem indiuisibilis actio agentis præcipui.

Minor probatur: nam licet instrumentum, ut eleuatum eliciat eandem prorsus actionem, quam agens principale, ac proinde secundum istam rationem comparantur ut vnum, & indiuisibile agens, ut etiam docet D. Thomas 3. p. quæst. 19. art. 1. ad 2. attamen quia absolute loquendo constituunt duos ordines causæ efficientis, scilicet instrumenti, & causæ principalis; ideo non comparantur præcisè, ut faciunt vnum, & indiuisibile agens; sed ut absolute sunt duo agentia. Ex quo etiam vltima consequentia quoad postremam eius partem probatur (quoad primam enim satis ex dictis in notabilibus constat: ) quia talis actio correspondens virtuti propriæ instrumenti est necessariò prærequisita ad actionem præcipui agentis, seu ad actionem illam, quæ eidem instrumento conuenit in virtute illius: quia agens principale vtens instrumento attingit effectum medio illo, ut agente distincto: ergo attingit illum medio instrumento, non solum operante; sed ut aliquo modo prius operante.

49. Vltimo probatur ex inconuenientibus, quæ loco citato quæstionis 45. statim inferat sanctus Thomas, scilicet, quod si posset instrumentum participare actionem causæ principalis etiam si ex se nullam haberet virtutem agendi, nullamque actionem, fieret inde, tum quod etiam in causis naturalibus instrumentum frustra adhiberetur ad agendum, tum etiam, quod non deberent esse à natura destinata certa, & determinata instrumenta connaturalia in ordine ad determinatos effectus.

Patet sequela quoad primam partem: nam virtus principalis causæ perfectius est in ipsa, quam in instrumento: ergo si instrumentum tantum ageret per hanc virtutem, vel motionem deriuatam ab ipsa, & non per aliam virtutem proximam, per aliamque actionem, quæ sit talis iuxta conditionem huius virtutis, fieret inde, ut agens principale melius ageret sine illo, quam cum illo, ac per con



consequens frustra videretur eo. Quoad secundam verò partem, scilicet, quod non essent à natura destinata certa, & determinata instrumenta ad determinatos effectus, & ita non magis penicillum, sumendum esset ad pingendum, quàm ad scindendum sic ostenditur: nam motio instrumenti, vel subordinatio ad causam principalem potest esse eadem in eorum quolibet, si agens sicut vult mouere vnum, veller mouere aliud.

50 Nec satis erit, si dixeris hinc solum probari, quòd instrumenta agentium finitorum debeant habere actionem præuiam: quia assumuntur ob indigentiam causæ principalis creatæ: non verò quòd sit essentialiter requisita ad rationem instrumenti: & ideo instrumenta diuinæ virtutis, quia non assumuntur ob indigentiam Dei, non petunt necessariò actionem præuiam. Nam contra est: quia plures ex causis efficientibus creatis continent satis perfectè, & eminenter effectum, vt patet in causis æquiuocis: ergo non est necessarium, vt semper vtantur illo propter indigentiam: ergo si requiritur talis actio præuia, est ob rationem instrumenti: quia non aliter est capax recipiendi actionem principalis agentis. Vnde discrimen, quod est inter instrumenta Dei, & causarum creatarum, non est quòd hæc habent actionem præuiam; secus verò illa, sed quòd Deus potest vti qualibet re habente actionem præuiam, non verò creaturæ.

*Diluuntur duo priora argumenta opposita sententia.*

§. IV.

51. **A**D primum ergo pro prima sententia respondetur instrumentum posse ad duplicem effectum comparari, scilicet, vel ad proprium, & præuium effectui agentis principalis vel ad effectum eiusdem agentis præcipui. Si comparatur ad primum, tunc agit virtute propria: licet aliquando egeat motione agentis præcipui, non tanquam dante rationem agendi commensuratam cum effectui; sed tanquam applicante virtutem hanc, & agendi rationem, quam supponit: vt contingit in ferra, quæ licet habeat sufficientem virtutem ad scindendum, oportet, vt ab alio ad hunc effectum applicetur. Si verò comparatur ad secundum, ratione cuius peculiariter insignitur nomine instrumenti, tunc influit in virtute, & per virtutem agentis principalis, scilicet per motionem illam virtuosam ab illo participatam, modificatam tamen ab instrumento.

Neque ex hoc, quòd instrumentum, verbi gratia, ferra, influat in proprium effectum virtute propria, sequitur esse causam principalem respectu illius, si de causa principali in omni rigore loquamur: quia satis est, quòd subordinetur alteri propter effectum altiore ab illo intentum: nam cum sit de ratione instrumenti, & quod habeat actionem præuiam dispositiuam, & quod exequendo hanc eliciat etiam actionem aliam principalis agentis, & ab illo per se primò tunc solum intentam, oportet, vt non extrahatur à ratione instrumenti, si in omni rigore loquamur, quatenus habet actionem propriam, & propriæ virtuti correspondentem.

Diximus si de causa præcipua in omni rigore loquamur: quia si non ita rigorosè fiat sermo, non inconuenit asserere, quòd instrumentum solum dicitur tale respectu actionis, qua attingit effectum principalis agentis, quamuis ad hoc, vt sit capax participan-

*Colleg. Compl. Physica.*

di hanc ab illo, desideratur, quòd habeat aliam propria virtute, & vt causa principalis, quæ sit præuia ad actionem causæ præcipuæ.

52 Ad confirmationem respondetur cum Caietan. loco citato, non esse necessarium, actionem præuiam instrumenti esse realiter distinctam ab actione causæ principalis; sed aliquando esse idem cum illa, aliquando verò distingui ab ipsa: Vnde quando sunt distinctæ, nihil refert ad hoc, quòd non detur actio præuia quòd talis actio multoties procedat etiam à causa præcipua: quia saltem dicitur præuia respectu alterius actionis quam elicit instrumentum; & causa principalis in ordine ad attingendum effectum illum altiore, qui per se primò tunc intenditur, sicut etiam non destruit naturam instrumenti id, quod contra hanc partem ibidem obiicitur; scilicet quòd habeat aliquam actionem, quæ non sit ab agente præcipuo: nam licet indispensabiliter desideretur, quòd actio instrumentaria illius formaliter sumpta, id est, illa, per quam attingit effectum principalis, agentis, sit ab utroque, non tamen oportet id vniuersaliter reperiri in omni actione præuia, vt patebit ex statim dicendis in solutione ad confirmationem secundi argumenti.

Et ad id, quòd obiicitur contra eam partem, quæ asseritur, posse identificari vtramque actionem, bene respondetur ibidem: & ad probationem in contrarium, quòd ex hoc quòd instrumentum moueat vt motum, solum sequitur esse prius motionem, quàm quòd agat: non tamen quòd semel posita motione, prius attingat agens principale suum effectum, quàm instrumentum producat suum: quia nec agens præcipuum attingit suum effectum, nisi medio instrumento; neque instrumentum efficit effectum causæ principalis, nisi exequendo proprium.

52 Ad secundum respondetur, figuram illam dentium esse ad minus virtutem actiuam propriam ferræ, figura autem, etsi non sit actiua, producendo vi sua, & per se primo sibi simile; est tamen actiua respectu diuisionis & resolutionis continui, ex hoc enim dixit D. Thom. quòd principium scindendi in gladio est acuties. Ex quo non licet inferre, figuram esse de secunda specie qualitaris: quia ad hoc desiderabatur, vt esset perfectiori modo actiua, & non solum diuidendo, & dissoluendo continuum.

Addit Nazarius loco citato, quòd omnia, quæ in argumento referuntur, concurrunt ad actionem propriam ferræ, dando illi vim ad illam, nam durities agit frangendo & expellendo, acuties, seu figura illa penetrando, ac diuidendo, grauitas, siue deorsum, siue sursum mota duritiei, & acumini coniuncta vim tribuit instrumento efficacem ad penetrandum, scindendum, & expellendum; quamuis hæc efficiat facilius in descensu, quàm in ascensu, cui ex propria sui ratione repugnat; sed ab agente mota etiam scindit, sicut ferreus, aut lapideus globus vi tormenti bellici in parietem immissus habet sua duritie, simul ac grauitate citissimè penetrare, diuidere, ac diruere, etiam si eidem ad motum illum satis resistat grauitas.

54 Ad confirmationem negandum est antecedens. Ad primam, & secundam instantiam respondetur, neque aërem, neque aquam esse propriè instrumentum in ordine ad effectus ibidem dictos; quamuis non nihil sapiant naturam instrumenti. Addendum est tamen, quòd etiam si admitteremus aquam esse propriè instrumentum ignis; non deesset illi sua actio præuia, quia per virtutem ab igne circumstanti susceptam calefacit, aut ignis, præuia humectatione, vt propria eius operatione, quæ dispositio quæ-

M 2 dam

dam est saltem per accidens ad efficiendum in subiecto calorem, cuius quasi vehiculum est humiditas ad partes corporis porositas intrinsecè penetrandas.

Ad tertiam instantiam responderetur ex Ferrara 2. cont. Gent. cap. 22. sigillatorem, vel monetarium inducere imaginem ex aliqua dispositione, quam moneta, & sigillum propria virtute inducunt, putà ex diuisione materiæ, &c.

55 Ad quartam, & vltimam instantiam: quòd etiam si admittatur phantasma esse instrumentum in ordine ad productionem speciei intelligibilis: adhuc responderi potest, quòd sicut cum visio, volitio, aut intellectio assumitur vt instrumentum ad aliquem effectum miraculosum, tunc (vt benè notauit Nazarius) quia istæ sunt operationes vitales, quæ ex sui ratione dicunt ordinem ad principium intrinsecum, non assumuntur ad istos effectus secundum se præcisè sumptæ; sed vt actiones instrumentorum, quorum est agere: hæc autem instrumenta erunt videns, volens, &c. quia hoc ipso, quod assumitur ad prædictum effectum volitio Petri, assumitur Petrus, vt volens: nam volitio Petri est actio Petri: ac proinde, si volitio assumitur, vt volitio est actio Petri, iam assumitur Petrus vt volens. Ita phantasma est terminus intrinsecus actionis phantasæ, & saltem connaturaliter inseparabilis ab illa, ita vt nequeat, nisi per prædictam actionem fieri, esse, aut conseruari, ideo hoc ipso, quod assumatur connaturaliter phantasma vt instrumentum, assumitur etiam phantasia, & actio illius, per quam producit phantasma: quare instrumentum ibidem assumptum erit phantasia produciens suum phantasma. Vnde non est necesse ibidem inueniri aliam actionem realiter distinctam ad productionem speciei intelligibilis, & præuiam ad illam: quia (vt benè notauit idem Nazarius) cum dicitur instrumentum habere actionem præuiam, sensus est, vel quòd sit ipsa actio præuia, aut eam inuoluat, vel quòd etsi id, quod est instrumentum, nec sit talis actio, nec eam inuoluat, ita vt ipsa actio sit instrumentum; attamen eliciat illam vt puram causalitatem instrumentalem.

*Soluitur vltimum argumentum contrarie  
sententia.*

**S. V.**

56. **A**D tertium principale negandum est antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd etsi Deus non indigeat instrumentis ad producendos effectus supernaturales; vt gratiam & alios similes, quia se solo potest illos efficere: si tamen velit eos producere medio instrumento, non poterit id præstare aliter, nisi media actione præuia illius: sicut etsi possit se solo conseruare accidens; attamen si velit illud conseruare mediante subiecto, non potest id facere, nisi tale subiectum exhibeat suam propriam causalitatem materiale.

Cuius ratio est ea, quam iam innuimus, scilicet instrumentum non posse attingere effectum principalis agentis, nisi participando eius actionem, quam nequit participare, nisi eliciendo propriam: quare, vt supra innuebamus, discrimen, quod versatur inter Deum & agentia creata, non consistit in hoc, quòd instrumenta Dei non requirant actionem præuiam, quæ aliquid conducat ad effectum principalem; sed in hoc, quòd cum agentia creata sint limitatæ virtutis, inde est vt hoc ipso quod indigeant instrumentis,

indigent determinatis instrumentis propter actiones præuias eorum, accommodatas ad effectum principalem. Cæterum Deus quacumque creatura & quacumque actione eius potest vri, vt voluerit, ad effectum à se intentum, & non affectentem specialem rationem contradictionis, ob quam nequeat fieri, nisi à certa, & determinata causa, vt contingit in actibus vitalibus, quia per ordinem ad eius omnipotentiam & potentiam obedientialem creaturæ: quælibet est accommodata ex diuina ordinatione, & motione ad deferendum actui in ordine ad illum.

57 Ad secundam probationem responderetur, quòd etsi creatura corporea non possit ex se agere immediate in rem spiritualement: neque eius actio ex sua natura, & ex solis suis meritis conducere dispositiue ad effectum supernaturalem qualis est gratia: benè tamen ex diuina ordinatione, motione, & eleuatione & per ordinem ad increatam Dei virtutem: quia hoc ipso, quod Deus non vult attingere effectum immediate per solam suam virtutem increatam; sed mediante instrumento vt tali, ac proinde vt habente, tum virtutem inferiorem, tum etiam virtutem eleuantem & excellentiorem, fit inde, vt ipse sibi necessitatem imposuerit ad non operandum, nisi tale instrumentum agat, tam vt agens inferius, & per propriam actionem, quam etiam vt agens eleuatum: imò nisi prius agat vt agens inferius: quandoquidem (vt dicebamus,) nequit participare actionem illam excellentiorem, nisi eliciendo propriam.

Vnde per se primò, & directe potius hæc actio præuia se habet dispositiue ad hoc, vt agens inferius participet actionem superioris, ac proinde ad hoc, vt agens superius agat; quam ad hoc vt producat aliquam præuiam in passo, quod sapiat naturam illius virtutis inferioris, & propriæ; quamuis cum hoc fieri, imò, & hinc fiat, quòd disponat ad effectum: quatenus disponit ad participandam actionem principalis agentis, & vt statim explicabimus, defert, & applicat virtutem eius ad passum.

58 Ex quo ad primam confirmationem dicendum est, quòd licet actio præuia instrumenti causæ principalis creatæ, non posset immediate conducere ad effectum dispositiue, nisi contineretur contactu quantitatio subiectum, in quo est talis effectus, seu nisi esset indistans ab illo: benè tamen actio præuia instrumenti diuinæ virtutis (vt aperte colligitur ex D. Thom. 2.2. quæst. 178. art. 1. ad 1.) & ita operando circa vnum subiectum per solam propriam virtutem, potest dispositiue concurrere ad effectum causæ principalis circa aliud.

Et ratio huius est: quia vt modo dicebamus, non est indispensable necesse alius modus concurrendi dispositiue ad effectum præter illum, quo præuiæ, & dispositiue concurrunt ad hoc, vt Deus eliciat suam actionem principalem, communicetque illam instrumento. Vnde sicut eliciendo propriam actionem fit vltimatè capax participandi actionem Dei, seu (quod in idem redit) eliciendi actionem illam instrumentariam, & excellentiorem in virtute Dei, & ita per illam quantumuis loco distantem disponit ad effectum prædicti effectus principalis.

Nec obstat, si dixeris, quòd si instrumentum agendo circa vnum subiectum, posset disponere ad effectum causa principalis alibi producendum, non repugnabit assumi creaturam, vt instrumentum ad creandum, propter rationem à D. Thoma 1. p. q. 45. adductam scilicet, quòd creatura non potest operari circa nihil; sed actio præuia illius semper debet esse circa aliquid: nam posset dici, non esse necessarium, creaturam assumptam, vt instrumentum operari circa nihil; quia operando circa vnum subiectum per suam actio

actionem præuiam; posset disponere ad creationem alterius rei.

59 Nam ad hoc responderetur, instrumentum etiam per actionem præuiam, quam elicit circa unum subiectum attingere per contactum virtutis effectum causæ principalis; eo modo, quem statim explicabimus: at hoc ipso quod alicubi talis actio præsupponat subiectum, non potest deferre ad producendum ens in quantum ens: quia sicut ab intrinseco supponit ens creatum, ita ab intrinseco est determinata ad productionem determinati entis; & ideo nequit deferre ad creationem, quæ tendit ad ens in quantum ens.

Ex quo ad id, quod additur in eadem prima confirmatione, addendum etiam est, quod ut modo inuebamus, ex eo quod subiectum, in quo producendus est effectus principaliter intentus, sit valde distans secundum locum ab instrumento, non sequitur, non posse, si fuerit instrumentum diuinæ virtutis contingere passum contactu virtutis: quia passum contactu non distat à diuina virtute, quæ est intimè præsens omnibus rebus, & instrumentum illud subordinatur huic virtuti: ut enim optimè notauit Zumel. 1. partitio. quæst. 45. artic. 5. indistantia, & approximatio secundum locum tantum requiritur in instrumentis, saltem indispensabiliter propter distantiam causæ principalis à passo, ut nimirum coniungat illam cum passo.

Et ideo videmus, quod in probabili sententia eorum, qui dicunt in brutis potentiam loco motiuam actiue sumptam non distingui ab æstimatoria, & appetitu sensitivo eorundem, sicut neque in Angelis ab intellectu, & voluntate eorum possunt causare motum localem pedis per prædictam potentiam loco motiuam, etiam si pes distet ab illa: quia anima in cuius virtute agunt, est præsens illi: ita ergo similiter in præsentia instrumenta diuinæ virtutis quantumvis loco distantia à passo, possunt per contactum virtutis contingere illud, & effectum principalem.

60. Explicatur magis hoc: tum quia prædicta instrumenta quantumvis loco distent, nihilominus per actionem instrumentariam formaliter, seu participatam ab agente, verè producant effectum, ac proinde contingit illum, & passum contactu virtutis: tum etiam, quia non attingunt eum utcumque per hanc actionem, nisi ut modificatam, seu determinatam per actionem propriam instrumenti, ut iam explicuimus. Quod quidem, ut benè notauit Bañez loco citato, satis est, ut ipsa etiam instrumenta dicantur producere effectum, ac proinde contingere illum contactu virtutis.

Et explicari potest exemplo animæ rationalis, quæ licet sola, ut multi probabiliter volunt per intellectum producat intellectionem, non vtendo organo corporeo; nihilominus non sola anima dicitur intelligere; sed totus homo, eo quod intellectus dum est in corpore, non elicit intellectionem, nisi determinatus à phantasmate. Ita ergo non solum operatio communicata instrumento ab agente principali media motione dicitur concurrere ad productionem gratiæ; sed totum instrumentum corporeum, etiam secundum actionem sibi propriam, eo quod actio communicata ab agente principali non attingit productionem gratiæ, nisi quasi determinata per actionem propriam instrumenti.

Quare in hoc sensu intelligitur id, quod communiter dicunt Thomistæ, scilicet: instrumentum deferre, & applicata per suam propriam actionem virtutem principalis agentis ad subiectum effectus miraculosi, seu quod idem est imperium practicum Dei ad

Colleg. Compl. Physic.

opus miraculosum: neque in hoc, est aliquid aliud maius mysterium.

61 Ad vltimam confirmationem negandum est antecedens. Et ad instantiam de humanitate Christi Domini quoad illos duos effectus ibidem enumeratos, scilicet productionem gratiæ mediis sacramentis, & transubstantiationem panis in Corpus Christi Domini, responderetur, satis esse ad id actus inter nos animæ ipsius: quia hi ex diuina eleuatione possunt, etiam si maneant in Christo, deferre ad prædictum effectum.

Et addi potest, non esse necessarium prædictos actus imperij Christi esse in se formaliter; sed sufficere reperiri quoad executionem ipsius imperij: quæ executio consistit in ipsamet applicatione Sacramenti facta à ministris ex imperio; & ordinatione eius: nam hæc executio est quædam continuatio illius imperij: sicut actus exterior continuatur cum interiori; ita ut sint vna actio completa, & consummata. Et hac ratione non solum minister baptizat, vel absoluit; sed etiam ipsemet Christus in quantum homo: quia illa est eius actio exterior continuata cum actione interiori, quæ vult, & imperat ablutionem vel absolutionem, de quo vide D. Thom. 3. part. q. 64. art. 4.

Et ad secundam instantiam responderetur, quod etiam si admittatur non ipsam aquam; sed ablutionem assumi, ut instrumentum, adhuc nihil contra nos, ut patet ex his, quæ diximus in solutione ad instantiam adductam in confirmationem secundi argumenti per quod etiam patet ad illas instantias de actibus internis Christi Domini, necnon de actione, seu passione externa.

62. Nec refert, quod hæc sacra passio iam præcesserit, & non habeat existentiam in se: quia satis est, quod maneat in facto esse, seu in sua virtute, & termino, quam reliquit, scilicet in sacris vulneribus, & stigmatibus, quæ in Christo Domino modò perseuerant: sicut in sententia D. Thom. & Thomistarum non desideratur alia actio ad resultantiam proprietatum, etiam si diuinitus impedirentur per aliquod tempus; ne resultarent: quia actio præterita generatiua manet in sua virtute, scilicet in termino primario.

Neque hinc licet inferre, quamuis creaturam posse assumi, ut instrumentum, sine hoc quod eliciat nouam actionem præuiam. Quia ante illam necessariò præcessit actio, qua producta est talis creatura, & hæc semper manet in suo termino, & facto esse. Non, inquam, hoc licet inferre: quia aliud est assumi aliquam rem per se, & ratione sui ut instrumentum, & aliud ut est virtus alterius: quia quando deferuit, ut alterius virtus, tunc illud, cuius est virtus, est quod præcipue assumitur; secus verò quando per se, & ratione sui, & non ut alterius virtus deferuit: etsi ergo quando terminus relictus ex actione, vel passione aliqua est instrumentum per se, & ratione sui, debeat necessariò, habere actionem præuiam; secus quando assumitur, ut est virtus alterius, scilicet actionis præcedentis: quia tunc ipsa actio est, quæ præcipue assumitur: unde non eget altera actione præuia.

63. Ad vltimam instantiam responderetur ex D. Thom. 2. 2. q. 8. art. 1. ad 1. Vbi sic ait: *Deus principaliter operatur, qui vtitur instrumentaliter, vel interiori hominis motu, vel eius locutione; vel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali corporis, etiam mortui.* Quod ut benè notauit Nazarius 3. part. q. 13. art. 2. controu. 2. ) suppositis his, quæ diximus, intelligendum est de contactu, non quocumque, sed de eo qui terminus est motus localis alterius

M 2

rius

rius corporis contingens aliud, ut contingit in caduere proiecto in sepulchrum Elisei, quod ad tantum ossium prophetæ fuit illico vitæ restitutum; & de muliere, quæ contactu simbriæ Domini fuit à fluxu sanguinis liberata.

Et ratio huius est: quia tunc ille contactus habet modum actionis, & reuera est passio quædam fluens, & ita satis est, ut deferuiat per modum actionis præviæ, quia licet nomen actionis præviæ à S. Thoma petita non sit ita latè accipiendum, ut denotet quamcumque entitatem: & (ut non ita benè explicat Nuño 3. p. q. 62. art. 4. communiter reiectus à Thomistis) non tamen adeò strictè, ut solum significet actionem omninò rigorosam; sed ita ut denoter, vel rigorosam omninò actionem, vel realem passionem habentem modum actionis: nam hoc est satis in ordine ad diuinam virtutem, ut instrumentum deferat imperium practicum Dei, seu virtutem executiuam illius, & consequentem ad hoc, ut res illa assumatur tanquam aliquid, quod saltem habeat modum agentis.

Maximè, quia cum passio sit realis, & actualis subiectio passi ad agens, ad hoc, ut ei imprimat effectum; & aliàs habeat modum actionis: ideo est ex in genere suo accommodata ad instrumentaliter deferuendum diuinæ virtuti in ordine ad effectum non implicantem, quem ipse voluerit.

64. Secundò respondetur, cum eodem Nazario 1. p. q. 45. art. controuers. 2. in responsione ad argumenta Zumelis contra primam conclusionem: contactum vnà cum alia actione, ibidem inuoluta, habuisse rationem actionis præviæ in ordine ad illud miraculum, & quia sacra illa ossa habebant suas qualitates actiuas, puta caliditatem, & frigiditatem, ita media in frigidatione v. g. & contactu, ut applicatione, & conditione inuolvente talem actionem, potuerunt deferuire, ut instrumentum physicum in ordine ad illud miraculum, ad quod non possent villo modo deferuire, nisi prius hanc vel aliam actionem præuiam elicerent.

Vnde quando D. Thom. loco citato ex 2. 2. qu. 178. dixit: quod potest Deus uti tanquam instrumento, vel interiori hominis motu, vel exteriori actu ipsius, vel etiam corporali contactu corporis, etiam mortui, non sumpsit contactum ut passionem sed secundum ea, quæ inuoluit; (ut explicatum est,) sicut etiam dum dixit passionem Christi Domini assumptam esse, ut instrumentum ad causandum physicè gratiam, non intelligitur, nisi de ipsa passione, ut facit vnum, & eundem actum consummatum cum voluntate interna patiendi eiusdem Christi: ita ut totum hoc per modum vnius actus instrumentum assumatur.

Ex quibus omnibus patet ad id quod vltimo loco in eadem confirmatione additur: nam impossibile est communicari, recipi motionem illam instrumentariam, & actu attingentem effectum, nisi in re aliquo modo operantem per propriam actionem, ut ex D. Thoma vidimus, in prima nostra ratione ex ipso expendimus. Vnde modificatio illa in

generæ causæ materialis non sufficit, nisi etiam modifiet, & determinet actionem Dei per propriam virtutem & actionem iam explicatam.

\*\*\*



## DISPUTATIO XIII.

### DE CASU FORTUNA ET FATO.

**P**ostquam egimus de causis per se efficientibus, restat ut de causis per accidens, effectibus non nihil dicamus. Quare cum casus, & fortuna sint causæ per accidens huius generis, merito de illis in hac vltima disputatione vnà cum Aristot. sermonem instituiamus; quibus etiam aliquid de fato adiungemus, tùm quia continetur intra ordinem causarum: tùm etiam, quia quodammodo casui, & fortunæ opponitur, sicut id, quod est per se ei, quod est per accidens.

### QVÆSTIO. I.

*AN SIT FORTUNA ET CASVS:  
vbi etiam, an reperiantur in Angelis, & orbibus, & celestibus respectu horum inferiorum*

**P**artem negantem, tam quoad casum, quàm quoad fortunam tenuerunt Stioici, ut refert Arist. in 4. c. huius lib. Fundamentum tunc illorum fuit, quod si casus, & fortuna aliquid essent, maximè causæ per accidens, sed nullus est effectus, qui non habeat causam per se, & determinatam: ergo nulla dabitur causa per accidens, ac proinde nec casus, & fortuna. Minor probatur: quia si aliquis effectus non haberet causam per se, maximè inuentio thesauri ab eo, qui fodit terram, sed hic habet causam per se, scilicet fossionem in illa parte terre, in qua thesaurus reconditus erat: nā semel data fossionem in ea parte, vbi latebat thesaurus, necessariò consequitur inuentio eius.

Confirmatur primò: quia omnis effectus quantumuis sit per accidens respectu nostri, nihilominus respectu Dei non est per accidens, sed per se intentus atque præuius: quia omnia fiunt sicut Deus vult, & præiudic ac proinde nullus erit effectus à fortuna, & casu. Cōfirmatur secundò ex D. August. primò retractationum. c. vbi se corrigit ex eo quod vltus fuerit his nominibus casus & fortuna, quibus vtuntur Gentiles. Sentit ergo talia nomina significare veram aliquam rem: nam si tam significerent, non se correxisset S. Doct., eò quod illis vltus fuerit.

2. Nihilominus dicendum est, verè dari casum, & fortunam: ita Aristot. in hoc lib. c. 4. D. Thom. ibid. & communiter Doct.: & ideo superuacaneum esset aliquem sigillatim referre assertionem hanc probat Arist. ex communi modo loquendi, quo omnes concedunt multos esse effectus fortuitos, & casuales. Et deinde: quia effectus fortuitus dicitur ex eo, quod sit per accidens ab aliqua causa, quæ aliud intendebat, atque adeò præter eius intentionem: at multi effectus huius generis dantur: ergo etiam multi dabuntur effectus fortuiti, & consequenter fortuna, & casus quæ sunt causæ illorum. Minor probatur, in eo, qui fodiebat terram, & inuenit thesaurum præter inuentionem suam cuius quidem inuentionis nulla (ut constat) datur causa particularis per se illum intendens.

3. Ad primum ergo pro sententia Stoicorum resp. negando, quod omnes effectus per accidens habeant aliquam causam particularem per se, ut docet D. Tho. 1. p. q. 115. art. 9. & 3. Cont. Gen. c. 86. ut patet in

in exemplo ibidem proposito inuentionis thesauri: nam licet posita fossione terræ, ubi latebat thesaurus, necessario sequatur inuentio eius: tamen hoc quod est terram fodi, & esse ibidem thesaurum absconditum, per accidens coniunguntur: tum inter se, tum etiam respectu alterius intendentis alium finem, scilicet constructionem domus, ad quam, & ad terræ fossionem per accidens coniungitur inuentio thesauri; & ita nulla datur particularis, & per se causa illius.

Nec refert id, quod communiter dici solet, scilicet: omne quod est tale per accidens, reduci ad aliquam causam per se talem: nam (vt bene notauit Tolerus) hoc axioma, etiam si intelligitur de causis per se, & particularibus, duplicem, quoad præsens atinet, habet sensum verum, scilicet: omne id, quod alicui conuenit per accidens, conuenire alteri per se, sicut disgregarij visus conuenit per accidens corpori: at verò albo conuenit per se. Secundus est, quod omnis causa, quæ est per accidens respectu vnius effectus, est per se respectu alterius, sicut & omnis effectus per accidens productus reducitur ad alium, qui productus est per se ab eadem causa: non tamen, quod ipsemet effectus fuerit per se ab alia causa productus: & ita saluatur, quod detur fortuna, & casus, causa scilicet illa, quæ præter effectum per se productum habet alium per accidens, raro contingentem, & cum conditionibus infra explicandis: nam respectu huius dicitur esse fortuna, vel casus.

4 Ad primam confirm. resp. nos non asserere esse aliquos effectus fortuitos, & casuales respectu primæ causæ: sed respectu aliarum causarum maxime particularium; quia omnia eueniunt, sicut ipse præuidet, & vult, ideòque nihil est à casu respectu Dei.

Neque ex hoc sequitur idem esse dicendum respectu nostri, vt optime probat D. Thom. 3. contra Gent. cap. 74. multis exemplis, & prima parte, quæst. 116. art. 1. explicat Angelicus Doctor exemplo Domini mittentis duos seruos ad aliquem locum, ita vt vnus ex illis nesciret, quod alius seruus fuerit ad eundem locum missus; & tamen dominus ob hunc finem illos misit, scilicet, vt sibi ipsis obuiarent: tunc enim hæc obuiatio esset à casu respectu seruorum, non tamen respectu Domini, qui sciebat, & volebat, quod serui illi sibi inuicem obuiarent.

Ad secundam confirmationem resp. Augustinum tantum velle, non esse vtendum Christianis hoc nomen fortunæ, si sub illo intelligatur nomen aliquod diuinum, vt falsè opinati sunt multi ex Gentilibus, non attamen negat, quod sint causæ aliquæ particulares, à quibus eueniant effectus casu, & fortuito.

5 Sed inquires: vtrum non solum in his inferioribus; sed etiam in Angelis, & orbibus cælestibus respectu actionum, & effectuum sublunarium detur casus, & fortuna.

Respondetur, quod quantum attinet ad Angelos dubitari nequit, quin plures effectus possint esse fortuiti respectu illorum. Et ratio est aperta: nam si Deus mitteret Angelum ad destruendam Ciuitatem, in qua est discordia inter Principes; ita tamen vt Deus per hoc intenderet eos ad concordiam reducere, & hanc suam intentionem illi non manifestaret, non est dubium, quin Angelo illam Ciuitatem destruenti esset fortuitus ille alius effectus, scilicet concordia Principum; sicut est fortuita inuentio thesauri homini fodienti sepulchrum, & nescienti illum ibidem latitare.

Et similiter dicendum est, quod etiam respectu orbium cælestium dantur aliqui effectus casuales in istis inferioribus, vt docet D. Thom. 3. contra Gent. cap. 86.

in fine: quia multi sint à casu, & præter intentionem, seu quod idem est, præter naturalem eorundem inclinationem.

Et id probat ex Aristot. 2. de somno, & vigilia versus finem, & ex Ptolemæo Astrologorum Principe. Et ratio est aperta: quia aliquid per accidens fieri nihil est aliud, quàm fieri præter intentionem, seu (quod idem est in agentibus naturalibus) præter inclinationem; potest autem contingere, quod intendente vna causa, seu virtute cælesti vnum effectum, aërem humectet, cui alia exsiccando obuiet: indeque sequatur alius effectus præter intentionem humectantis, & consequenter respectu illius effectus erit causa per accidens dicenda.

6 Sed obiicies: ad concursum vtriusque virtutis, necnon, & ad influxum, cuiusque causæ particularis impediens, per se concurrere motum primi mobilis, & virtutem eius: ergo saltem respectu illius non erit casuale.

Respondetur, quod etsi concederemus in omnes effectus corporeos horum inferiorum aliquam vnam virtutem cælestem influere; & ita mouere ad omnes illos, nihilominus argumentum non conuinceret: quia illa virtute magis inclinante, & fortius influente in vnum effectum, quàm in alium, impeditur ratione materiæ, & peculiaris conditionis illius. Nam, vt expressis verbis docet D. Th. 1. p. q. 115. art. 6. ad 2. *Virtus corporis cælestis non est infinita, unde requirit determinatam dispositionem in materia ad inducendum suum effectum, & quantum ad distantiam loci, & quantum ad alias condiciones: & ideo sicut distantia loci impedit effectum cælestis corporis: (non enim Sol eundem caloris effectum habet in Asia, quem habet in Aethiopia) ita & grossitas materia, vel frigiditas, aut caliditas, vel alia huiusmodi dispositio illius impeditur potest effectum corporum cælestium.*

Omnem autem hanc dispositionem materiæ non posse reduci in virtutem eorundem corporum cælestium ex eo constat; quia cum elementa, quæ sunt materia, ex qua operantur (propter quod pertinent ad substantialem integritatem vniuersi, teste Aristot. 2. de cælo, text. 17.) fuerint creata cū suis qualitatibus, habuerunt consequenter dispositionem, quam non produxerunt in illo corpora cælestia, & per consequens repugnat, quod tota resolutio effectuum vltimò fiat in solam virtutem cælestem; sed etiam debet fieri in dispositionem, vel indispositionem materiæ, à qua consequenter effectus redduntur contingentes, & multoties impediuntur. Videatur D. Thom. 6. Metaph. lect. 3.

Adde quod illa virtus cælestis etiam dum propenderet magis in effectum aliquem particularem, quàm in impeditionem illius, posset impediti, tum ab agentibus liberis, vt docet D. Th. 1. p. q. 115. art. 4. tum etiam ab aliis agentibus particularibus, quæ ab intrinseco petunt habere virtutem ita debilem, vt aliquando, saltem vt in paucioribus deficient: & ideo repugnat, manere hanc causam particularem, & non deficere aliquando, etiam si tunc cælum fortius influat in illam.

## Q V Æ S T I O II.

*Quid sint Fortuna, & Casus.*

7 **N**on possumus meliori alia via titulo quæstionis propositiæ satisfacere, quàm si definitionem fortunæ, ex qua tota hæc res pendet, proposuerimus, & illam pro viribus explicare conemur. Dicendum ergo est, quod fortuna, vt colligitur ex Arist. in hoc lib. c. 5. est, *Causa efficiens per accidens ex ele-  
fione, in his, quæ raro contingunt.* Dicitur ergo primò, quod est causa, vt per hoc denotetur, quod aliter Phi-



Philosophi accipiunt fortunam, & aliter vulgus: hic enim putat fortunam esse illum effectum, qui per accidens sequitur, qualis est inuentio thesauri. Vnde fortunatum, vel infortunatum appellant aliquem ratione illius: at Aristot. & Philosophi fortunam nuncupant causam ipsam, quæ est per accidens respectu talium effectuum.

Additur deinde *ly efficiens*: quia fortuna non reducitur ad aliam causam, præterquam ad efficientem, ut bene notauit Diuus Thomas 4. & 5. capite huius libri, omnesque eiusdem Diui Thomæ Interpretes. Et merito, tum quia proprium est solius causæ efficientis agere, & mouere se in finem: at fortuna debet esse causa agens aliquid propter finem, mouensque se in illum, cui accidit aliquis effectus præter intentionem, respectu cuius dicitur fortuna: tum etiam quia fortuna: nequit esse materia, cum ex ea nihil fiat; nec forma, cum non informet; nec finis, cum sit præter ipsum, ac proinde solum potest esse causa efficiens.

8 subloquitur vterius alia particula, scilicet, *ly per accidens*, per quam denotatur, quod fortuna non est utcumque causa, sed causa per accidens. Cæterum, ut hæc particula melius intelligatur, notandum est, causam per accidens esse duplicem: nam primo modo dicitur talis respectu alicuius accidentis conuenientis causæ, sicut esse album in artifice est causa per accidens statuæ: quia accidit statuario, qui est causa per se statuæ, esse album. Alio modo dicitur causa per accidens; propter accidens quod coniungitur effectui productio, & per se intento: fortuna ergo non dicitur esse causa per accidens priori illo modo; sed hoc posteriori: vnde solum dicitur fortuna causa illa, quæ est per se respectu vnius effectus, ad quem tamen alius ex accidenti sequitur.

Sed dicet: Effectus fortuitus à nulla alia causa esse potest, quàm à fortuna, neque fortuna vllum alium effectum præter fortuitum potest producere: sed ubi causa, & effectus ita se mutuo respiciunt, ut neque effectus sine ipsa consistat, nec causa ad aliud, quàm ad effectum dicat habitudinem, tunc huiusmodi causa non contingenter, & per accidens; sed per se fertur in huiusmodi effectum: ergo fortuna respectu effectus fortuiti non est dicenda causa per accidens; sed per se.

9 Et confirmatur: ars magica (ut sentit Beatus Albertus) docet modum, quo inueniantur effectus fortuiti. Vnde potest quis per eam directus inuenire thesaurum: ergo talis effectus habet causas, & per se causas: alioqui sub illa arte non posset cadere: ergo cum præcipua causa effectus fortuiti sit fortuna, iam non erit causa per accidens; sed per se.

10 Respondetur, quod sicut corruptibile, & variabile, per se, & inuitabiliter habet esse corruptibile, & variabile; & id, quod est indifferens, & liberum, necessarium habet esse liberum; & id, quod est per accidens, per se habet esse per accidens: ita id, quod est fortuitum, & ut tale habet causam per accidens, per se habet esse fortuitum, & habet prædictam causam, & non aliam. Vnde sicut ex hoc, quod aliquid sit inuariabiliter variabile, non sequitur, esse inuariabile: nec ex hoc quod aliquid sit necessarium liberum, sequitur, quod sit necessarium: ita neque ex hoc quod fortuna per se habeat esse causam per accidens respectu effectus fortuiti, & hic effectus per se habeat necesse per accidens cum illa, colligetur, quod talis causa sit causa per se respectu illius: quia *ly per se* non cadit absolute, & simpliciter supra rationem causæ: sed supra rationem causæ per accidens.

Ad confirmationem respondetur, quod ad hoc gratis dato antecedenti, nihil inde contra nos: quia tunc effectus ille non esset fortuitus respectu Magi, vt talis.

Additur in eadem definitione *ly Ex electione in his, quæ sunt propter finem*, ut denotetur causam, quæ fuerit fortuna, debere agere liberè, & vt mouens se in finem, ac proinde tanquam ex proposito. Quod aded est verum, vt si aliquando sic non egerit, iam pro tunc nequiverit habere rationem fortunæ. Et ponitur satis consultò hæc particula ad excludendum casum à definitione, seu quasi definitione fortunæ: nam et si illi conueniant omnes particule illius præter hanc: quia tamen agens casuale non agit mouendo se in finem, seu ex electione, ided non est fortuna.

Cæterum, ut sæpe inuimus non desideratur ad hoc, vt fortuna agat ex electione, quod intendat, & eligat effectum fortuitum; sed quod intendat alium effectum, cui per accidens effectus fortuitus præter intentionem nestatur: nam si effectus ille non esset præter intentionem, iam non haberet rationem fortuiti.

Vltima tandem definitionis particula est *ly, In his, quæ raro contingunt*: quia vt ex se constat respectu eorum effectuum, qui semper, vel ferè semper eueniunt, nequit dari fortuna.

Ex quibus omnibus satis constat, tum quid sit fortuna, tum etiam quid sit casus: quia, vt diximus in nullo alio differt à fortuna, nisi quia non operatur ex electione.

### Q V Æ S T I O III.

*An sit fatum.*

11 **D**E fato multi, tam Philosophi quàm Theologi luculenta satis, & copiosa disputatione disseruerunt. Nempè Alexander Aphrodisæus ad Scuerum, & Antoninum Imperatores, Plautinus, Plutarchus in suis Opusculis de hac re, Barthol. Sybila c. 9. decade 1. q. 3. quæstioncula 3. Qui inter cæteros abundantius de hoc disputauit Picus Mirandulanus libro quarto, aduersus Astrologos D. Greg. Nissen. in libello de hac re inscripto, D. Aug. lib. 5. de ciuit. Dei: à c. 1. vsque ad 11. D. Th. 1. p. q. 116. per totam illam, libro contra Gent. cap. 90. 91. & 92. & in opusculo à se de hoc argumento edito ubi multa naturalia, & diuina nobis de fato offert. At verò nos non omnia, quæ ab illis tradita sunt, sed quæ Philosophum decent in præsentia, breuiter tamen, & nimis succinctè differemus.

Pro ergo tituli intelligentia prænotanda est etymologia huius nominis *fatum*, necnon & propria eius significatio. Fatum igitur, ut inquit August. lib. 5. de ciuit. cap. 9. & 2. lib. contra Fautum Manichæum, cap. 5. D. Thom. in opusc. de fato; & 1. p. q. 116. artic. 1. in corpore dicitur à *fando*, seu à loquendo: ita vt ea fato fieri dicamus, quæ ab aliquo præloquente fuerint antea prælocuta.

12 Hoc ergo supposito, quo ad existentiam fati non deest sua dubitandi ratio: nam Gregorius in homil. de Epiphani. inquit: absit à fidelium cordibus, vt fatum est aliquid dicant.

Item: quia alioqui tolleretur casus, & fortuna. Patet sequela: quia ea, quæ fato aguntur non sunt omnino improuisa: quia vt ex Augustino retulimus, fatum à *fando* dictum esse intelligimus, vt ea à *fato*: dicantur, quæ ab aliquo sunt ante prælocuta: at quæ sunt præuisa, non sunt fortuita nec casualia: ergo si datur fatum, à quo res agantur tollitur casus, & fortuna.

13 Ni

# Disp. XIII. de casu, fortuna, & fato, Quæst. IV. 141

13. Nihilominus dicendum est, fatum sincere, & debitò intellectum dari in rebus. Hæc est omnium Philosophorum, & Theologorum: & probatur breuiter fatum significat connexionem causarum ad effectus producendos taliter dispositam à Deo, ut sequatur ab illis effectus: at certum est dari hanc causarum connexionem ita dispositam à Deo, ut patet ex his quæ communiter docent Theologi: ergo & certum erit dari fatum.

14. Ad primum ergo respondetur, ex D. Thom. quæst. citata 116. articuli in corpore, reuera sanctos Doctores fatum, in prædicta, quam explicuimus significatione, admisisse: quauis noluerint tunc uti hoc nomine: quia usurpabatur à pluribus in alia significatione intolerabilem errorem continente, quatenus ad vim positionis syderum hoc nomen retorquebant.

Ad secundum respondetur, quod nihil prohibet aliqua esse fortuita, vel casualia per comparisonem ad causas proximas: non tamen per comparisonem ad diuinam prouidentiam, & easdem causas ut sub illa cadunt.

## Q V A E S T I O IV.

*Quid, & quotplex sit fatum.*

15. **I**N natura fati explicatione innumeræ admodum Antiquorum fuerunt sententiæ. Nam Posidonius, Stoicus, ut refert Pontanus libro 1. de fortuna cap. 19. tria principia rerum omnium ponebat, Deum, naturam, & fatum. Ex quibus primas partes Deo, secundas naturæ, & tandem tertias fato applicabat. Ab illis tamen omnia ita emanare censebat, ut sine illis res ipsæ persistere nequirent. Quare, fatum causam necessariam, inuitabilemque arbitrabatur.

Alij, fatum appellandum censent ordinem, seriemque causatum, cum causa causæ connexa rem ex se gignit; ita tamen ut hanc seriem, & ordinem in cælestibus orbibus collocarent, statuentes certas cæli, & astrorum imagines, ac figuras, sub quibus vnusquisque natus est, quarum talis sit vis, & potestas, ut nihil ipsas mutare possit: ita Ptolomæus, Firmicus, Apuleius, ut Albertus Magnus 2. Physic. tract. 1. c. 19. est author, quam etiam inter hæreticos Bardesanes, & Priscilianistæ, tenuere, ut affirmat Castro lib. 7. aduersus hæres verbo *fatum*. Qui quidem humana corporis membra duodecim partes, iuxta totidem Zodiaci signa distribuiebant; ita tamen ut quælibet Zodiaci pars alicui parti, & membro dominaretur, tantaque vi & necessitate, ut nequaquam quippiam in corpore humano accidere possit quod in huiusmodi astris, syderibus non fuerit præordinatum.

16. Cæterum omnia hæc satis patet esse omninò reiicienda: tum quia hæc necessitas, quam fatum sic explicatum inducere dicitur, diuinæ prouidentiae repugnat, dum nihil posse alio modo produci quam fuerit ab his syderibus præordinatum, inquiunt. Tum etiam, quia iam tolleretur omnis libertas humana: etenim si omnia ita in syderibus determinata sunt, ut nullatenus possint alio modo contingere: quis locus libertati relinquitur, si ipsa fato isto subiecta sint? Tum denique, quia omnia futura contingentia tollerentur, siquidem cum ista inuitabili necessitate coherere nullatenus possunt: hoc autem satis falsum esse experimur: nam sensu percipimus, aliquando pluere, & non pluere, arbores fructus suos germinare, & non germinare, quæ certè contingenter, & non

necessariò sunt. Adde, quod istæ virtutes cælorum, & influxus possunt impediri, ut supra diximus: cælorum enim est finitæ ac limitatæ virtutis, & ita illius causalitas erit ab aliis causis impedibilis: ergo non omnia subiecta erunt prædicto fato.

17. Pro vera ergo fati explicatione notandum est ex Diuo Thoma prima part. qu. 116. art. 2. in corpore, quod cum prouidentia diuina per causas intermedias suos effectus exequatur, potest ipsa ordinatio effectuum dupliciter considerari: vno modo secundum quod est in ipso Deo, & tunc hæc ordinatio secundum hanc considerationem vocatur prouidentia: alio modo secundum quod eadem ordinatio consideratur in causis mediis à Deo dispositis ad aliquos effectus producendos; quatenus nimirum ex vi dispositionis in mente diuina existentis, disponuntur causæ secundæ requisitæ in ordine ad executionem ordinis stabiliti à Deo; & secundum istam rationem habet rationem fati. Quare fatum est in ipsis rebus creatis, ut ordinatis seu dispositis à Deo ad talem effectum.

18. Sed inquires: num fatum, suppositis his, quæ diximus, sit aliquid omninò absolutum, vel relatiuum? Respondetur, includere vtrumque; licet formalissimum illius sit relatio; & ordo. Pro cuius intelligentia recolendum est ad fatum duo requiri: primò propriam entitatem causarum, & hæc habet se ut materiale: & secundò ordinationem, seu dispositionem passiuam, quæ ex parte illarum se tenet; & hæc habet se ut formale. Cæterum, hæc dispositio in vnaquaque causa considerata non habet rationem fati, nisi in quantum intelligitur cum habitudine; & ordine ad alias, cum quibus connexa est: sicut in prædicamento vnumquodque genus non habet rationem prædicamenti, nisi quatenus intelligitur habere cum aliis seriem, & ordinationem. Quare sicut in prædicamento formalissimum est ordo, seu relatio: ita & in fato. Id quod colligitur ex D. Thom. prima parte quæst. 116. citata, art. 2. ad 3. his verbis: *Fatum dicitur dispositio, non quæ est in genere qualitatis, sed secundum quod dispositio designat ordinem, qui non est substantia; sed relatio.*

19. Ex quo etiam duo colliguntur: primum est an fatum sit dicendum vnum, vel multiplex: quia ut loco proximè citato docet S. Doctor, hic ordo, & dispositio, si consideretur per comparisonem ad suum principium, est vnus, & sic dicitur fatum vnum: quia est à diuina prouidentia, quæ est realiter vna. Si autem consideretur per relationem ad effectus, vel ipsas causas intermedias, est multiplex, iuxta quod Poëta dicit *Te tua fata trahunt*. Secundum, est etiam decisio alterius quæstionis, an nimirum omnia subdantur fato. Ad quod dicendum est cum Diuo Thoma quæst. citata, articulo vltimo: ex effectibus, qui à Deo fluunt, quosdam esse à Deo solo productos, & alios mediis causis secundis. Primi generis sunt creatio, iustificatio, glorificatio, & alia huiusmodi: at verò productio grandinis, pluuiæ, & niuis; & in plantis generatio frondium, florum, & fructuum non sunt à Deo solo; sed mediis causis secundis: non pluuiæ media irradiatione Solis in media regione aëris concrefcit; & flores ac frondes à Deo media virtute plantæ germinatur; cum itaque hi duo effectus à Deo dimanent, qui subsunt fato sunt qui mediis causis secundis oriuntur: nam alij, qui à solo proueniunt, nullo modo possunt fato subesse: ita D. Thom. & alij.

20. Et ratio est aperta: nam cum fatum sit dispositio causarum secundarum iam explicata, solum possunt illi subdi effectus, qui sunt à causis creatis: non verò, qui producuntur à solo Deo.

Nec

Nec obstat sobrietas ex Augustino 5. de Ciuitate Dei, dicente quod factum aliquid est secundum quod ad voluntatem, & potestatem Dei refertur: sed voluntas Dei est causa omnium, quæ fiunt etiam à Deo, vt docet idem Augustinus 3. de Trinit. ergo in omnibus effectibus, etiam si à solo Deo fiant, reperitur subiecto ad factum. Respondetur enim cum Diuo Thoma articulo 4. quæstionis citatæ, in solutione ad 2. factum referri ad voluntatem, & potestatem Dei, sicut ad primum principium facti. Vnde nullo modo sequitur, quod quicquid diuinæ subditur voluntati, subdatur facti formaliter sumpto, nisi etiam subdatur dispositioni, & ordinationi causarum secundarum, modo dicto.



## DISPVATIO XIV.

### DE CAUSA FINALI.

**E**T si causa finalis prior sit in sua causalitate: nihilominus vltimo loco de ea agimus: tum quia eius causalitas cæteris obscurior, & difficilior est: & idè ex illius ignorantia Antiqui Philosophi in plures errores inciderunt: at iuxta Philosophum ea quæ sunt difficilliora, vltimo loco tradi debent: tum etiam, quia finis in executione est vltimus, atque adèd non incongruo ordine tractatum de causis executioni mandabimus, si vltimo loco explicationem finis tradamus.

## QVÆSTIO. I.

### QVID ET QVOTVPLEX SIT Finis.

1. **A** Prima quæstionis parte breuiter nos expediemus: quoniam de definitione finis nulla apud Authores controuersia est: omnes enim cum Arist. hic c. 3. text. 31. sentiunt, finem esse, *Cuius gratia aliquid fit.*: cum enim finis bonitate sua alliciat agens ad operandum, necesse est cætera quæ fiunt & assumuntur vt media; gratia illius fieri, vt patet in ægrotò sanitatem appetente, mediâque explicante: tunc enim gratiâ sanitatis omnia illa media executioni mandat, & ad illam obtinenda dirigit. Sed dices, finem cui habere veram rationem finis, vt ex se constat: at hæc definitio illi non competit: ergo, &c. Minor probatur quia finis cui non est id, cuius gratiâ aliquid fit sed illud cui finis, *cuius gratia*, desideratur: & idè sanitas est finis, *cuius gratia*, respectu curationis; non verò homo, qui est finis cui illius.

2. Respondetur participationem finis in finem cui, & *cuius gratia*, tantum esse diuisionem illius in duas rationes, vnum totalem finem componentes. Quemadmodum cum obiectum alicuius scientiæ diuiditur in obiectum materiale, & formale, vel in obiectum quo, & quod; non tam est obiectorum diuisio, quàm diuersarum rationum, ex quibus vnum adæquatum obiectum coalescit. Non enim in fine cui separato à fine cuius, sistit intentio agentis: secundum quod afficitur; & actatur tali ratione: quandoquidem non fit v. g. curatio propter hominem;

nisi vt capax, & imperfectibilis esse sanitate. Et similiter finis finis cuius non terminat amorem, nisi in quantum est aliquid eius, cui diligitur in eiusque eodem modum cedit. Vnde definitio ab Arist. tradita solum conuenit composito ex vtriusque ratione scilicet *cuius gratia* & *cui*.

3. Nec refert si dicas, plures esse fines *cuius gratia*, qui maximam præ se ferunt bonitatem: atque adèd seipsis expetibiles erunt, & consequenter se ipsis rationem finis habebunt non inquam hoc refert: quia dupliciter potest aliquid amari vel simplici quodam amore qui non trahit voluntatem ad executionem mediorum, quibus bonum illud obtinendum est; vel amore efficaci qui quantum est ex se voluntatem inlicitat ad adhibenda media necessaria ad illud acquirendum. Quamvis ergo primo amore finis ille *cuius gratia* possit per se amari, quia vt terminat hunc amorem non habet propriissimè loquendo rationem finis: sed obiecti amari, secus tamen amore posteriori: quia sic tantum potest diligi, vt est alicui conueniens.

Quoad secundam verò quæstionis partem, scilicet quoad multipliciter finium, solum adducemus vnam vel alteram finis diuisionem ad plures difficultates theologicas enodandas necessariam, vt sic breuitati consulamus.

4. Diuidatur ergo finis in formalem, & obiectiuum, seu vt aliis verbis vtamur, in finem quo, & in finem qui, quam diuisionem desumpsimus ex D. Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 8. Finis, quo, seu formalis, est operatio, per quam aliquam rem assequimur. Finis verò qui, seu obiectiuus, est res obtenta, in qua ipsa ratio boni, quod appetitur inuenitur, & in hoc sensu distinguunt Theologi visionem, & Deum visum & visionem dicunt esse finem formalem quem etiam appellant finem quo, & ademptionem finis; Deum autem vocant finem obiectiuum, seu finem qui, vt potè qui per finem formalem comparatur.

Denique aliis vulgaribus diuisionibus relictis, diuidimus finem, in vltimum, & proximum. Primus est, qui in alium non ordinatur.

5. Dices de ratione finis est vt propter se sit appetibilis; non propter alterum; sed omnis finis ad alium ordinatus propter illum appetitur: ergo repugnat esse finem, & in alium ordinari, & consequenter habere rationem finis, & non finis vltimi. Confirmatur primò: in hoc differt bonitas absoluta à relativa, quod ista est ornabilis in aliam; secus verò illa: at bonitas mediorum est relativa, & bonitas finis est absoluta: ergo licet bonitas mediorum sit ordinabilis ad illud; & ita in tantum sint bona, in quantum sunt vtilia ad finem; non tamen bonitas finis. Confirmatur secundò: finis, vt finis, est terminus, sed terminus, vt terminus, non ordinatur ad aliud: quia vt ordinatur potius est medium, & via, quàm terminus: ergo finis vt finis, non ordinabitur: ac proinde si ordinatur, iam tunc secundum istam rationem erit medium, & non finis.

6. Respondetur, quod sicut de ratione causæ efficientis tantum est habere virtutem actiuam; non verò quod habeat hanc virtutem siue subordinationem ad aliam causam efficientem: quia hoc non est de ratione efficientis vt sic, sed de ratione primi efficientis; & idèd causa secunda est vera causa efficientis, licet habeat vim actiuam cum subordinatione ad Deum; & similiter de ratione principij conclusionis tantum est habere vim, vt ex illo inferatur conclusio; non verò quod illud non sit illarum ex alio principio, in cuius virtute inferat conclusionem: quia hoc tantum est de conceptu primi principij: ita de ratione finis tantum est, esse propter se appeti

appetibilem, id est, quodd habeat aliquam bonitatem, quæ ratione sui sit appetibilis; licet hoc ipsum habeat cum subordinatione ad alium finem, ad aliamve bonitatem: quia esse propter se appetibile, & sine subordinatione ad ulteriorem finem & bonitatem, tantum est proprium ultimi finis.

7. Vnde cum in maiori propositione obiectionis factæ dicitur de ratione finis esse, quodd sit appetibilis propter se, non propter alterum, sily *non propter alterum*, denotet, quod ita sit appetibilis ratione propriæ bonitatis, vt appetatur, sine subordinatione ad alterum, negandum est si verò velit quodd tota, & adæquata ratio appetendi non sit bonitas alterius, concedi debet. Cæterum finis proximus dum ordinatur ad alium finem, licet appetatur cum subordinatione ad illum; non tamen ita vt tota ratio appetendi sit sola bonitas finis ultimi. Vnde solet dici de ratione finis tantum esse appeti propter se positiue, id est propter bonitatem propriam, non verò negatiue, id est quod appetatur ita propter propriam bonitatem, vt nullo modo appetatur etiam propter bonitatem alterius.

8. Ad primam confirmationem respondetur, bonitatem mediæ esse omnino relatiuam seu quod idem est totum suum esse habere: quia conducit ad finem, & bonitatem finis ultimi esse omnino absolutam, & nullo modo subordinatam alteri fini. Cæterum bonitas finis proximi, seu intermediæ non est tota relatiua, neque tota absoluta; sed est absoluta, habet tamen in se aliquid subordinationis, & relationis ad ulteriorem finem: sicut virtus primæ causæ efficientis est omnino absoluta, & insubordinabilis ad aliam causam; at verò virtus causæ secundæ non consistit solum in dependentia, & subordinatione ad primam: quia ab ipsa etiam pendet effectus; sed importat aliquid absolutum, cum subordinatione tamen, & relatione ad primum efficiens.

9. Ad secundam confirmationem, quod licet finis vt finis sit terminus, non tamen est necesse, quodd sit terminus ultimus: quia potest esse intermedius: & quamuis terminus ultimus non sit ordinabilis in alium, at terminus intermedius, vt talis intrinsecè inuoluit, quodd terminet, sed cum subordinatione ad ulteriorem terminum. Vnde aliter ordinatur medium ad finem, ac terminus, & finis intermedius ad ulteriorem finem, & terminum: quia medium ita ordinatur ad finem, vt non habeat aliud esse, quam ordinari transcendentaliter; secus verò finis intermedius. Et ideo licet ordinetur ad ulteriorem finem noti est secundum istam rationem medium: quia eius esse est sic terminare, & appeti, vt simul subordinetur ulteriori fini, ita vt hæc duo sint inseparabilia ab hoc fine proximo, vt talis est.

Potest autem hoc explicari sequenti exemplo, nam ratio effectus causæ efficientis est ratio puræ dependentiæ ab illa, ratio tamen causæ efficientis secundæ non est ratio puræ dependentiæ, & subordinationis, sed ratio independentiæ vna cum dependentia, & subordinatione: quia ita effectus pendet ab illa, vt ipsa pendeat à prima causa efficiente. Vnde nisi

concipiatur vtrumque, non concipitur causa efficiens secunda, vt talis est: ita

ergo in fine proximo cum portione philosophandum est.

\* \*

## Q V Æ S T I O II.

*Sitne finis vera causa realis?*

10. **P**rima dubitandi ratio est: quia finis non influit realiter in effectum: ergo neque realiter est causa. Consequentia patet: Antecedens probatur: nam in primis non causat realiter dum non est quandoquidem causam habere esse requiritur saltem concomitantè ad hoc vt aliquid causet: alioqui id quod causaret, esset nihil, & consequenter nihil causaret; neque postquam est, potest realiter causare: quia semel obtento fine, iam cessat causalitas agentis; & consequenter nec necessaria erit finis causalitas. Confirmatur: causalitas finis tantum est mouere metaphoricè, teste Aristot. 1. de Generat. text. 35. ergo non est vera, & realis motio: ergo neque vera causa: qui vera causa debet verè, & realiter causare.

Tandem, nam causa realis debet realiter referri ad suum effectum; at finis hoc non habet, cum non sit existens, dum causat: ergo neque erit causa realis.

11. Nihilominus dicendum est: finem esse veram; & realem causam Physicam. Hæc est Aristot. 2. Physic. cap. 3. text. 29. & 2. Metaph. cap. 3. text. 8. D. Thom. 5. Metaph. cap. 1. & opusc. 31. omniumque Peripater. Scholæ: Probatum primò finis est ille, cuius gratia aliquid fit: at vnusquodque pendet per se ab illo; cuius gratia fieri dicitur: (maximè ea, quæ sunt ab his agentibus, quæ non casu, & temere sed gratia cuius finis intenti perunt agere) ergo cum omne illud, à quo verè, & per se pendet effectus, dicatur vera, & realis causa; illius etiam finis rationem realis causæ habebit.

Secundò, bonum mouet ad sui amorem, & dum absens est, allicit ad sui desiderium: sicut si possideatur, causat gaudium & quietem: at isti sunt effectus reales: ergo finis vera causa realis erit. Confirmatur: nam motio est causalitas finis: at hæc vera, & realis est: quandoquidem non fictè aut imaginariè; sed verè, & realiter à fine mouemur: ergo finis inter veras, & reales causas enumerandus est.

12. Ad primum igitur respondetur: finem aliquando mouere, dum est existens, quo pacto Deus est finis nostrarum actionum: aliquando verò dum non existit, tunc tamen satis est, quodd in apprehensione existentiam habeat: quia ex proprio modo causandi non petit necessariò aliam existentiam, cum causet vt desideratus: rei autem vt desiderata non repugnat, non esse à parte rei. Vnde finis non est omnino nihil: quia verè est aliquid apprehensum, veram & realem habens essentiam, vt infra fusius dicemus.

Ad confirmationem respondetur ex Aristot. 1. de Generat. cap. 7. text. 35. iuxta translationem antiquam: motionem finis non dici metaphoricam, quia non sit vera & realis; sed quia non est effectiua; sed intentionalis, & animalis: quatenus per eam finis mouet excitando, & alliciendo appetitum ad sui amorem. Vnde dicitur metaphoricè in collatione ad causalitatem efficientis: quia mouere efficiendo est omnino rigorosè, & strictissimè mouere: & ita non minus, quodd motio finis, licet sit vera, & realis, dicatur metaphoricè in comparatione ad eam sed de hoc iterum infra quæst. vltima huius disputationis redibit sermo, vbi id magis, & radicatus explicabitur.

13 Ad

13. Ad secundum dicendum est, causam realem non dicere ordinem prædicamentalem ad effectum, nisi cum utrumque extremorum est existens per realem, & naturalem existentiam, adsuntque cæteræ cōditiones: ut patet in Deo, qui est vera causa efficiens creaturarum ad eas tamen realiter prædicamentaliter non refertur. Vnde non mirum quod finis, sic non existens nequeat non referri realiter prædicamentaliter ad suum effectum.

Adde, quod etiam si finis sit actus & modo dicto existens, potest adhuc sustineri, non dicere relationem prædicamentalem ad effectum: quia in suo modo causandi est superioris cuiusdam rationis: quia causat ut omnino immotus, & non ordinatus ad suum effectum. Vnde etsi ex parte effectus possit esse relatio ad ipsum; non tamen econtrā.

### Q V Æ S T I O III.

*Quænam sit in fine formalis ratio, per quam constituitur in actu primo ad formalizandum.*

14. **S**upponimus esse in fine virtutem sufficientem ad causandum: quandoquidem est vera causa, & aded solum vocamus in dubium, quænam sit hæc virtus an scilicet sola ratio boni, an aliquid aliud latius patens quam bonum. Quam quæstionem claritatis gratia disputabimus, comparando finem ad voluntatem humanam: quia modus quem circa illam finis habet in suis causalitatibus, notior nobis est, eoque cognito, cætera faciliè cognoscemus.

15. Prima sententia est, non solum bonum, sed etiam malum sub ratione mali posse habere rationem finis, proindeque non solum bonitatem; sed rationem quandam superiorem respectu utriusque esse virtutem per, quam finis finalizat. Hæc videtur amplecti communiter tum à nominalibus; tum etiam ab Scoto in 1. dist. 1. quæst. 4. circa finem, & in secundo dist. 4. quæst. 2. & Oham in 3. q. 1. dub. 3. quos refert Rubio hic tr. 5. q. 2. Probatur primò; damnati, & qui se occidunt, appetunt non esse, & media ad illud obtinendum; sed non esse non potest habere rationem boni, neque in se neque respectu appetentis: cum bonitas ut potè, quæ entis passio est, in entitate fundetur non ergo sola ratio boni est virtus ad finaliter causandum.

16. Secundò, actus fugæ, & odij, est actus verus voluntatis; sed non prosequitur odio bonum, ut bonum, sed malum, ut malum est, ut docuit S. Th. 1. 2. quæst. 19. art. 1. ergo ad hunc actum exercendum mouemur à malo sub ratione mali, & consequenter malum habebit rationem finis.

Tertio, sicut scientia, ita etiam & potentia ad contraria terminatur, ideoque potentia intellectiua, quæ est circa verum versatur etiam circa falsum: sed bonum, & malum contraria seu opposita sunt ergo voluntas quæ in bonum tendit versabitur etiam circa malum: atque adeo sicut in actibus tendentibus in bonum, id, quod mouet, est bonum; ita in actibus versantibus circa malum, ut tale est, mouebit malum sub ratione mali.

17. Dicendum tamen est solam bonitatem esse virtutem per quam causa finalis causat, atque adeo solummodò bonum posse habere rationem finis. Hæc est Aristot. in hoc lib. cap. 3. text. 3. affirmantis, idem

esse finem, & bonum: & 1. Ethicor. cap. 3. inquit. *Idem esse unicuique bonum cuius gratia operatur creatura*, & ibidem D. Thom. & alibi sæpè, & 1. 2. quæst. 1. art. 1. & latius 3. contra Gent. cap. 2. & 3. ubi probat idem esse operari propter finem, quod operari propter bonum. Idem etiam tenent D. Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus, August. 2. lib. Confess. cap. 6. & 8. Gregor. Nissenus lib. de opificio hominis cap. 20. & lib. 2. orthodoxæ Fidei, D. Damascenus cap. 22. & denique omnes ferè scholastici qui vnanimitè in 2. d. 46. id ipsum tenent.

18. Ratio fundamentalis est: quia voluntas non potest versari circa malum, ut malum, amando illud: quandoquidem secundum istam considerationem non potest proponi, ut conueniens, & nihil amatur, nisi id, quod ut conueniens proponitur: ergo solum potest versari circa illud, odiendo, & fugiendo ipsum: at hoc ipso, quod sic circa malum versatur, iam ratio versandi circa illud, est bonum: ergo malum ut tale, numquam potest finalizare, aut mouere voluntatem. Prima consequentia ex se constat. Minor verò statim subsumpta, etiam liquet: quoniam ideo displicet, & odio habetur malum, verbi gratia infirmitas: quia est opposita bono quod placet, & amatur, scilicet sanari; & ita bonitas, quæ est in sanitate, est ratio obediendi ægritudinem, & accessus voluntatis ad illam, est ratio recessus eiusdem voluntatis ab ægritudine.

19. Ad primum initio quæstionis positum posset negari maior: adhuc tamen ea concessa respondetur, negando minorem; malo enim potest esse adiuncta ablatio alicuius miseriæ, ratione cuius habet rationem boni, & appetibilis; nam ratio boni duplex est: prima quæ importat rationem alicuius bonitatis conuenientis, & positiuæ. Secunda, quæ dicit carentiam mali disconuenientis, quæ aliàs bonum priuatiuum dici solet, est enim quali quædam species boni carentia mali, imò perfecta ratio boni, & ipsa beatitudo ex utraque ratione suo modo integratur: cum hæc, possessionem bonorum & carentiam malorum includat. Prima ergo ratio boni fundatur in esse: secunda verò sæpè in non esse, scilicet quando non aliter potest vitari malum, quam, non essendo, ac proinde non esse, ut hanc bonitatem includit, appeti potest.

20. Dices ipsum non esse assert carentiam beatitudinis, quæ fundatur in esse: ergo malum, quod assert secum, est maius, quam illud, quod tollit, & consequenter non potest appeti: quia ut sic simpliciter est malum.

Respondetur, non appeti non esse, ut est coniunctum carentiæ beatitudinis; sed ut coniunctum carentiæ miseriæ, quam cupit damnatus fugere. Vnde sicut vult non esse: quia non potest aliter fugere miseriæ, quam ut maius malum, quam ipsum non esse, apprehendit: ita non esset inconueniens dicere, quod potest velle non esse beatus: quia non potest aliter fugere miseriæ, & quia videt beatitudinem non esse illi possibilem, qui modus volendi potius est indirectus quam per se & directus. Quibus omnibus fauent illa Christi verba, dum de Iuda proditore dixit: *Melius erat ei, si natus non fuisset*: scilicet ex suppositione, quod non aliter fugiturus erat perpetuum damnationis statum.

Ad secundum patet ex ratione pro nostra assertionem facta, quia malum non mouet ad actum fugæ; nisi in virtute boni amati, recessusque à malo non est motus in finem; sed est electio, vel quasi electio mediæ ad obtinendum finem, scilicet bonum, cui opponitur.

21. Ad tertium responderetur: verum esse eandem potentiam aliquo modo circa contraria versari; non tamen



tamen eodem modo circa utraque; sed circa unum per se primò, & directè, & tanquam circa proprium obiectum; circa aliud verò secundariò, & indirectè, nec tanquam circa obiectum: sed ut suo obiecto oppositum. Et ita se habet voluntas in ordine ad malum, circa quod non versatur directè, aut tanquam circa obiectum; sed quia est proprio, & adæquato obiecto, scilicet bono, oppositum: quod idem in intellectu, ut comparatur ad verum; & falsum, videre licet.

## QVÆSTIO IV.

*UTRUM FINIS MOVEAT VOLUNTATEM secundum suum esse reale, an verò secundum esse apprehensum.*

22 **C**um motio metaphorica, ut in superiori- bus innuimus, & in quæstione sequen- ti amplius explicabimus, sit causalitas finis, & hæc sine prævia intellectus cognitione esse nequeat: fit indè, ut duplex esse in fine distinguendum sit. Aliud reale, ad quod per media consequendum ex- citatur appetitus. Aliud intelligibile, vel intentionale, illud scilicet, quod habet in mente eius: qui illum voluntati proponit. Quo supposito, du- bitamus, an finis moveat secundum suum esse, & bonitatem realem: an secundum esse intentionale, & consequenter, an sola bonitas realis, an verò esse apprehensum, ut tale, ratio, per quam formalissime constituitur in esse appetibilis.

*Proponitur prima sententia.*

### §. I.

23 **P**rima sententia affirmat apprehensio- nem esse in fine rationem formalem finalizandi. Ita Avicenna 6. Metaphysic. cap. 5. Me- dina 1. 2. quæst. 1. attic. 1. Soncinas 5. Metaphysic. quæst. 3. & alij plures, quos refert Rubio in præsen- ti tractatu 5. quæst. 5. Probatur primò: finis est cau- sa secundum quod est prior; sed tantum est prior pro- ut in intentione: ergo tantum, prout in illa, finali- zat. Minor probatur: quia secundum suum esse reale potius est quid posterius, quandoquidem hoc habet in executione per media.

Secundò diversitas specifica actus proveniens à fine debet oriri ab eo, quod est in illo formalissima ratio finalizandi; sed apprehensio sola variat speciem actuum appetitus; qui sunt circa finem: ergo ap- prehensio in illo est formalis ratio finalizandi. Mi- nor suadetur: quia licet finis sit in se honestus, si ta- men quis apprehendat illum, ut inhonestum, eo ipso actus, qui circa talem finem versatur, erit inhonestus, è contrà verò, si finis honestate careat, & ut hone- stus inuincibiliter apprehendatur, tunc actus erit mo- raliter honestus: ergo, &c.

24 Confirmatur: idem malum apprehensum, ut præsens, causat tristitiam, & ut futurum ti- morem: & idem bonum si apprehendatur ut ab- sens, causat sui desiderium; si ut præsens delecta- tionem: ergo apprehensio, quæ est causa huius diversitatis essentialis, est ratio formalissima obie- cti, & finis talium actuum. Quæ omnia docuit Di- cas Thomas 1. parte, quæst. 80. artic. 1. in corpo-

*Collég. Compl. Physica.*

re, præsertim in solutione ad primum his verbis: *Appetibili non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum; sed per se ei convenit. Nam appetibile non movet appetitum, nisi in quantum est apprehensum. Unde differentia apprehensum sunt differentia appeti- biles. Unde potentia appetitiva distinguuntur secun- dum differentiam apprehensum, sicut secundum pro- pria obiecta.* Huc usque Sanctus Doctor: quibus verbis hæc sententiæ suffragari videtur.

Textiò, sæpè res, quæ nullam habet bonitatem, solet nos mouere ad agendum: ut cum quis existi- mans aliquid esse delectabile, inquit illud: imò sæ- pè id, quod est ens rationis, ut mons aureus, solet nos ad amorem excitare: ergo tunc non movet bo- nitas rei: quippè quæ ibidem non est, sed solum vana illa existimatio, talis bonitatis.

*Resolvitur quæstio ex mente Dni Thomæ.*

### §. II.

25 **N**ihilominus dicendum est primò: appre- hensionem nullo modo esse rationem for- malem motum appetitus, sed hoc solum convenire reali bonitati, quæ apprehenditur. Hanc docet Di- cas Thomas primo contra Gentes, cap. 75. & 1. parte, quæst. 80. art. 1. ad 2. dicens: *Id, quod apprehenditur, & appetitur, est idem subiecto, sed differt ratione: apprehenditur enim, ut ens sensibile, vel intelligibile: appetitur verò ut est conveniens, aut bonum.* Sanctum Thomam sequitur Caiet. 1. 2. quæst. 1. art. 1. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 44. label. 5. Metaph. quæst. 15. Suar. disp. 23. Metaph. 5. sect. 8. & alij.

Probatur primò: illa est ratio formalis finalizan- di, per quam finis allicit voluntatem: sed hæc est bonitas ipsius finis; non verò cognitio: aut appren- sio: ergo, &c. Minor probatur: nam voluntatem infirmi ipsa sanitas allicit; non verò cognitio eius, neque enim propter sanitatem, ut cognitam, sumit potionem amarā; sed propter illam secundum suum esse reale. Confirmatur: nam aliàs frustra adhibe- rentur externa media ad sanitatem, v.g. consequen- dam: cum enim iam possideatur, ut cognita, non egebit, qui eam intendit, aliis mediis ad aliam ac- quirendam.

26. Secundò, per illud finis tanquam per ratio- nem formalem finalizat, per quod cum obtinetur, satiat: quia causat ut desideratus, id autem, quod de- sideratur, si semel adeptum fuerit, appetitum quietat, at hoc non convenit ei secundum esse intentionale: quia potius secundum illud acuit desiderium quàm compleat; ergo solum secundum esse reale consti- tuitur formaliter in ratione causæ finalis. Confirma- tur sæpè agens non consequitur finem, quem inten- debat, at semper consequitur finem, ut appren- sum: ergo id, quod illud excitabat, non potest esse finis, ut apprehensum.

His argumentis respondent adversarij, duplicem esse assignandam formalem rationem finis, eo sanè modo, quo in qualibet potentia, quovisque actu du- plicem assignamus rationem, aliam *qua*, aliam *sub qua*. Prima est illa, quam potentia attingit, & hanc in fine certum est, esse ipsam bonitatem rei, hæc enim est, quæ à voluntate attingitur, & appetitur, quæque eam movet, & satiat. Secunda verò, est ratio *sub qua* attingitur à potentia, quæque in ratione ob- iecti illam constituit. Apprehensio igitur, etsi non habeat esse rationem formalem moventem, aut sa- nitatem: est tamen ratio *sub qua* bonitas realis appe- titur.

N

ita,

ita, appetitur, & consequenter est ratio formalissima mouendi.

27. Sed hæc solutio est contra Diuum Thom. de veritate, quæst. 22. artic. 4. ad 1. ubi aperte docet, diuersitatem apprehensionum, non directe; sed quasi ex consequenti, indicare distinctionem virium appetituarum, & quæstione vigesima quinta, articulo primo ad sextum, ait: *Quia diuersitas apprehensionum per accidens se habet ad appetitum vires distinguendas, nisi diuersitas apprehensionum diuersitas appetitorum coniungeretur.* Si verò apprehensio esset ratio sub qua obiectum virium appetituarum, non ex consequenti; sed potius directe, conduceret diuersitas apprehensionum; ad hoc, vt tales vires distinguantur, vt expressus id ipsum testatur Diuus Thomas 1. 2. quæst. 67. artic. 6. ad 2. ubi inquit: *Charitatem non habere pro obiecto ipsam cognitionem: sic enim non esset eadem in via, & in Patria.* quia in via niritur cognitioni obscuræ, in patria autem claræ; sed habet pro obiecto ipsam rem cognitam, quæ est eadem in via, & in patria.

Quod testimonium, & ratio in eodem imbibita non parum efficaciter destruit prædictam solutionem. Maxime, si ei addatur illud Pauli dicentis: charitatem semper manere, quod saluari non posset, si vera esset prædicta solutio.

28. Nec satisfacit id, quod respondet Medina dicens diuersitatem apprehensionum tunc solum sufficere diuersificare actus, & potentias; quando est coniuncta cum diuersitate appetitorum.

Non inquam satisfacit: nam præterquam quod ex ea manifestè colligitur, quod potius diuersa bona apprehensa, quam diuersæ apprehensiones sunt formalissima ratio mouendi; & finalizandi; adhuc potest efficaciter impugnari ex eo, quod quotiescumque formalis ratio sub qua vel diuersa, etiam diuersificatur ab ea ratio formalis quæ, in quantum conuenit ad specificationem actus & potentie: ergo vel apprehensio non est ratio formalis sub qua: vel si talis est, necessariò dicendum erit, diuersitatem apprehensionum indicare, quod res ipsa, quæ apprehenditur, necessariò sub diuersa ratione boni apprehendatur.

Et confirmari possunt hæc omnia ex communi illo Philosophorum proloquio, quod Diuus Thomas de veritate, quæstione vigesima secunda, articulo decimo approbat, scilicet hanc esse differentiam inter voluntatem & intellectum, quod hic trahit ad se suum obiectum, & non percipit illud, nisi vt est intelligibiliter in anima; illa verò fertur ad res, prout sunt in seipsis: ergo ratio formalissima, sub qua res appetuntur, non est apprehensio: sed bonitas realis, quæ est in rebus. Ob quam rationem dicebamus, charitatem viæ, & patriæ esse eandem: quia bonum, in quod in vtroque statu tendit, est vnum, & idem.

29. Dicendum est secundò. Necessarium omnino est, ad hoc vt finis causet, quod sit præcognitus & consequenter cognito bonitatis illius saltem requiritur, vt conditio omnino necessaria ad talem causalitatem. Hæc est Aristoteles 3. de anima, cap. 10. ubi docet appetibile non mouere, nisi niente, aut imaginatione perceptum. Vbi etiam Diuus Thomas 1. 1. part. quæst. 82. artic. 4. & 1. 2. quæst. 3. artic. 4. ad quartum, Diuus Augustinus lib. 10. de Trinitate, cap. 1. & 2. ubi inquit: *Rem prorsus ignotam mouere omnino nullus potest.* Gregorius lib. 5. Moralium, c. 23. & lib. 23. cap. 12. & 32. cap. 12. Bernardus lib. de interiori domo, cap. 18. & 19. Anselmus in Monologio, cap. 48. estque ferè omnium Doctorum.

Probatum primò: quia voluntas, cum sit appetitus quidam rationalis, nihil est aliud, quam inclinatio in bonum sibi conuenientem; sed ipsa non est potentia cognoscitiva boni sibi conuenientis; ideoque merito dicitur potentia cæca: ergo vt tale bonum prosequi possit, debet esse propositum ab aliqua potentia cognoscitiva, quæ per talem propositionem prædictum bonum ei ostendat.

30. Secundò, quia vt realis causa causet, aliquo esse indiget; sed causa finalis non necessariò habet in se proprium esse existentie realis: ergo saltem requirit, vt habeat esse in cognitione, seu vt habeat existentiam intentionalem.

*Occurritur argumentis prima sententia.*

### S. III.

31. **A**D primum ergo pro prima sententia concedenda est maior, si illius sensus sit, finem esse causam secundum quod est prius natura suo effectu: neganda tamen est, si velit habere prioritatem hanc formaliter à cognitione: non tantum vt à conditione, vt iam diximus. Etenim licet secundum suum esse reale exercitum sit quid posterius, quam media, præsupponitur tamen ad illa, secundum esse reale iam dictum.

Ad secundum: concessa maiori, distinguenda est minor: etsi sensus sit, quod apprehensio præter per se primò talem distinctionem specificam, neganda est; si verò sit sensus, quod tantum requiritur, vt applicans diuersum obiectum formale, concedenda est: quia ad hoc satis est, habere rationem conditionis.

32. Explicatur hoc: quamuis cognitio bonitatis obiecti tantum sit conditio necessariò requisita ad hoc, vt finis moueat appetitum: quia tantum concurrat per modum applicantis, & proponentis voluntati bonitatem obiecti; nihilominus talis est natura, vt mediante illa possit variari ratio, seu principium formale finalizandi: non quidem quia ipsa sit ratio formalis motiua, & specificans; sed quia applicat diuersam rationem formalem mouendi, eo sanè modo (proportionem tamen seruata) quo qui applicat causam per se efficientem, etsi solum rationem causæ per accidens, & applicantis habeat, si tamen diuersas causas efficientes, quibus diuersa formaliter agendi principia insint, applicare valeat, poterit ex ea parte variatè rationem formalem agendi, & consequenter esse prædicto modo causa diuersitatis effectus.

Vnde cum quis inuincibiliter ignorat, aliquem actum esse peccaminosum, & illum ob honestum finem exercet; tunc talis actus erit bonus, non formalissimè ratione apprehensionis; sed quia mediante illa proponitur operanti diuersa ratio boni, quæ formaliter actum illum specificat; sicut etiam bonum absens, vel præsens, non variant speciem actuum (si verum est tales actus essentialiter distingui) propter solas apprehensiones; sed quia ipsa res, & conditio eius per illam apprehensionem applicata, nata est diuersum motum causare in appetitu.

33. Et eodem modo exponendus est locus D. Th. solum enim vult, diuersitatem apprehensionis conuenire ad diuersitatem obiecti, non formaliter; sed applicatiue, quando nimirum talis est apprehensio, vt redundet in applicationem obiecti sub diuersa ratione bonitatis, vel conuenientie: vt patet ex locis citatis in impugnatione solutionis aduersariorum.

Qua

Quapropter loquendo de huiusmodi apprehensionibus, optimè ab Angelico Doctore distinguuntur appetitus sensitivus, & intellectivus, quia ad distinctas apprehensiones, vel sensus, vel intellectus consequuntur: quoniam eo ipso, quod cognitiones sunt ita diversæ, applicatur obiectum sub diversa ratione convenientiæ ad naturam sensitivam, vel rationalem.

Ad quartam respondetur: negati non posse, quod res, quæ verè non est bona, valeat excitare appetitum ad sui amorem, ut ex se patet, & faretur D. Thom. 1. 2. quæst. 8. art. 1. Nam causalitas finis ita est realis, ut patet fieri intellectuall, & quasi morali quodam modo per naturalem sympathiam, quæ inter intellectum, & voluntatem invenitur, non enim aliter voluntas nata est tendere in suum obiectum, nisi directa ab intellectu per propositionem convenientiæ, aut disconvenientiæ obiecti. Et ideo ad hanc causalitatem finis non debemus aliud esse reale in illo desiderare, præter illud, quod sufficit ad motionem inter has potentias per naturalem consensionem earum, ad quod non est necesse, ut id, quod repræsentatur ab intellectu, sit verè, & realiter bonum; seu sufficiat, quod sit bonum apparens.

Nec inde fiet, quod tunc voluntas moveatur ab apprehensione, aut falsa illa existimatione: quia reuera movetur à vera, & reali bonitate. Nam deceptio, quæ ibidem est, non interuenit in propria, & formalissima ratione mouendi: non enim ideo bonum illud est apparens, & non verum: quia vera bonitas ei non applicatur: sed quia vera bonitas falsè ei ab intellectu applicata est. Vnde deceptio solum consistit in applicatione huius rationis formalis ad hanc, vel illam rem: sicut cum quis amat furtum, ut ex pecunia illa eleemosynam largiatur: tunc movet existimatum bonum, non tamen existimatum, sed vera bonitas eleemosynæ, quæ existimatur esse in tali actu largitionis pecuniæ.

34. Nec refert si dixeris, quod hæc bonitas non movet, nisi ut applicata, & unita rei, quæ bona dicitur: quia non movet, nisi ut constituit bonum: ergo si realiter non est unita rei, quæ verè non est bona, non erit realiter ratio finalis movens.

Non inquam hoc refert: quia ex modo dictis manet solum: quoniam etsi ad hoc, ut bonitas re ipsa constituat bonum in esse boni, sit necessarium, ut re ipsa sit in eo; tamen ad hoc ut sit ratio formalis mouendi appetitum, satis erit, quod intelligibiliter saltem sit unita: quia sicut modus hic, quo causa finalis est aliquo modo animalis, seu intellectus: sic plura ad ipsius causalitatem requisita, satis est, si intelligibiliter talia sint. Vnde in fine sufficit existentia intentionalis, quæ tamen non sufficeret in causa efficiente propter diversum modum causandi illius.

## Q V Æ S T I O V.

*Quidnam sit causalitas finis.*

35. **V**T cetta ab incertis separemus, & ita clariùs procedatur, notandum est, esse iam ferè per modum axiomatis inter authores receptum, causalitatem finis esse motionem quandam metaphoricam: id quod aperte docet Aristot. 1. de Generatione cap. 7. text. 55. ubi iuxta translationem antiquam sic Colleg. Compl. Physica

ait: *Est enim fallivum causa, ut unde principium motus: cuius autem gratia non ultimum: nam sanitas non fallivum est, nisi iuxta metaphoram.* Vnde hæc motio vocatur metaphorica, ut suprà innuimus non quidem quia non sit vera causalitas; sed quia finis per illam non movet efficiendo; sed attrahendo, & invitando per ostensionem suæ bonitatis. Quod sic potest explicari, quia propriè mouere, est aliquid efficere, siue illud, quod fit, sit motus, siue forma aliqua; & ideo quia causa efficiens efficiendo causat, definitur 5. Metaph. cap. 2. quod sit id, unde est primum principium motus. Quare merito id, quod alliciendo movet, dicitur metaphoricè mouere: quia quodammodo imitatur motionem effectivam: nam ita trahit ad se voluntatem agentis, ac si verè, & realiter moveret illam efficiendo propriè aliquid in ipsam, cum tamen non concurrat efficiendo, sed solum invitando.

Hoc supposito, tota controversia est: in quonam consistat hæc metaphorica motio, qua finis movet causam efficientem, scilicet voluntatem: nam agere propter finem propriè, & rigorosè loquendo solummodo convenit voluntati; ut communiter docent Doctores 1. 2. quæstione 1.

*Referantur varia sententia cum suis fundamentis.*

### §. I.

36. **P**rima sententia asserit, motionem hanc metaphoricam præcisè consistere in aliquo antecedente actu voluntatis, scilicet in hoc, quod finis exhibeat se præsentem voluntati, & invitet illam ad sui amorem. Ita Conimbricenses in hoc libro cap. 7. quæst. 21.

Probat: nam bonitas finis, hoc ipso, quod sit sufficienter cognita, statim excitat ad sui amorem, & hæc invitatio est realiter præcedens actum voluntatis: ergo causalitas eius consistet in hac excitatione, & consequenter in aliquo realiter præcedente prædictum actum. Consequentia patet; quia hoc ipso, quod finis intelligatur excitare, iam intelligitur causare. Vnde si hæc excitatio est realiter antecedens actum voluntatis, fiet inde, ut causalitas finis consistat in ea tanquam in aliqua re ipsa antecedente prædictum actum.

Antecedens verò quoad priorem illius partem satis patet experientia: & id etiam convincit naturalis sympathia, & consensio, quæ est inter bonum, & potentiam appetitivam. Quoad secundam verò, nimirum esse realiter antecedentem ad actum voluntatis, inde liquet: nam licet bonitas finis sufficienter cognita excitet, quantum est ex se, voluntatem ad sui amorem; nihilominus quia voluntas ex eo, quod est potentia libera, potest suspendere suum actum, ideo excitatio illa potest antecedere, non solum natura: sed etiam tempore volitionem.

37. Secunda verò sententia convenit cum præcedenti, motionem, hanc consistere in aliquo realiter antecedenti actu voluntatis, realiterque distincto ab illo: addit tamen hoc esse etiam realiter diversum à bonitate finis, etiam ut proposita: quia finis imprimit voluntati aliquid reale, & realiter distinctum à volitione, ratione cuius trahit illam ad se; hoc autem, quod ei imprimit, est aliquid intentionale. & ideo hæc impressio, & motio dicitur metaphorica.

Et probatur quoad priorem partem, scilicet motionem istam esse quid impressum voluntati antecedenti ad actum ipsius: quia voluntas movetur à fine, ut illum amet: ergo antecederet ad hunc amorem

N 2 rem

sem imprimatur ei aliquid à fine alioqui voluntas ante talem actum maneret, sicut antea: & consequenter sicut antea mota non fuerat, ut finem amaret: sic etiam modo, & ita numquam verum esset quod finis moueret voluntatem, ut illum amet, & intendat.

Quoad secundam verò partem, scilicet hoc, quod ei imprimatur, esse quid intentionale, atque adeo mouens, metaphoricè probatur: nam sicut finis mouet secundum esse intentionale, quod habet: ita si quid imprimitur, debet esse intentionale, quod quidem sicut est esse diminutum: ita diminuto, & metaphoricè modo mouebitur per illud res, cui tale esse imprimitur.

*Eligitur, & probatur vera sententia.*

## §. II.

**N**ihilominus dicendum est primò: motionem metaphoricam, quæ est causalitas finis, non posse consistere in illa ostensione, seu excitatione, quam ponit prima sententia, & multo minus in aliquo realiter impresso à fine in voluntate, & distincto à volitione. Hæc est communis inter Doctores, ut patebit, ex his, quæ in sequenti assertionem dicemus.

Probatur quoad primam partem, quia hæc excitatio nihil imprimit voluntati realiter distinctum ab actu illius, ut statim dicemus, & insuper potest dari sine tali actu: ergo, nihil ex vi illius causatur; sed tantum pertinet ad actum primum, quatenus bonitas sufficienter cognita est attractiua voluntatis. Patet consequentia, quia sicut impossibile est dari virtutem causatiuam, & quod non sit aliquid causabile: ita dari causalitatem, & non esse aliquid causatum: ergo cum ultra illa duo enumerata, scilicet vel actum voluntatis, vel aliquid ab illo distinctum, non sint alia, quæ causentur in voluntate à fine: sit inde, ut si hæc non causantur ex vi excitationis, quod nihil ab illa causetur.

39 Confirmatur, quia in aliis causis causalitas earum est aliquid in passo, vel in causa distinctum à vi causatiua; at hæc ostensio, & excitatio nihil in passo, scilicet in voluntate ponit: quia potest dari, et si voluntas nullum habeat actum, vel aliquid aliud superadditum, ut volunt aduersarij: neque etiam in causa: quia nihil addit supra ipsam bonitatem præter ostensionem factam per intellectum, atque ad id neque supra ipsam rationem finalizandi; ut sufficienter, & completè constitutam in actu primo. Nam sicut causa efficiens requirit ad hoc, quod sit completè, & omni ex parte, tam quoad rationes, quam quoad conditiones agendi constituta in actu primò, quod sit præsens passo: ita & finis, quod sit præsens voluntati per ostensionem suæ bonitatis.

40 Quoad secundam verò partem, scilicet motionem hanc metaphoricam, quæ est causalitas finis, non consistere in aliqua virtute impressa in voluntate à fine antecedenter ad actum illius, sic suadetur. Nam cum hoc, quod imprimi dicitur, sit realitas quædam, non potest non habere aliquam causam efficientem, quia quidquid est creatum, debet esse ab aliqua causa efficiente, etiam si habeat esse intentionale, & diminutum, ut contingit in speciebus intentionalibus: ergo si hoc esse intentionale imprimitur in voluntate à fine antecedenter ad suum actum: ac proinde ipsa passiuè se habente, non erit alia causa, quæ effectiuè concurrat ad productionem huius virtutis nisi solus finis, ac per consequens iam si-

nis ut finis causabit efficiendo, & ita non influet ut finis.

41 Dicendum est secundò: motionem hanc metaphoricam, quæ est causalitas finis, nihil esse aliud, quam eandem actionem voluntatis, prout est à fine. Itaque eadem actio, & est à fine, & à voluntate, & prout exit dependenter ab ipso fine, quia suo modo sit propter illum, est causalitas finis, & ut illi correspondet, vocatur propter rationem supradictam motio metaphorica.

Assertio hæc est D. Thom. de veritate quæst. 22. vbi explicans hanc motionem docet: sicut influere causæ efficientis est agere: ita & finalis appetit, seu desiderari. Vbi (ut vides) idemmet actus appetitus, qui est agere respectu potentie appetitiuæ, dicitur causalitas finis. Et primo contra Gent. capit. 75. ait: *Causalitas autem finis in hoc consistit: quod propter ipsum alia desiderantur.* Quem sequitur Massius in hoc libro cap. 3. sect. 4. quæst. 2. referens pro ea Scotum in 1. distinct. 4. in fine Auic. lib. 6. Metaph. tractatur 5. cap. 5. Soncinatem lib. 5. Metaph. quæst. 2. Iabellum q. 5. & plures alios. Et hoc etiam defendunt Suarez 1. tomo Metaphys. disput. 23. sect. 4. num. 12. Rubio in hoc libro tractatu 5. de causa finali quæst. 3. qui refert etiam alios, præter relatos à Massio.

42 Probatur primò: nam causalitas finis debet esse aliquid reale, & nouum ab ipso fine distinctum: quandoquidem finis non est semper actu causans, & idè ut reddatur actu finalizans, debet addi aliquid aliud distinctum aliquo modo ab ipso: sed hoc non potest consistere in aliquo antecedenti omnem actum voluntatis, ut iam probauimus: neque in aliquo, quod ad actum ipsius subsequatur: quia finis ante hoc, quod subsequatur actum voluntatis, est actu causans eandem volitionem: quia ipsa est propter ipsummet finem: neque in aliquo realiter simultaneo, distincto tamen ab actu voluntatis. Nam, ut modò innuebamus, sicut ipsa actio per se, & ex vi sua est actu propter finem: ita & ipsamet est actualis dependentia sui à fine: ergo solum potest consistere in eadem volitione, prout est à fine, seu gratia finis.

Confirmatur: eadem substantialis vnio, ut est à materia, seu ut est actualis dependentia formæ à materia, est causalitas illius: & eademmet, prout est à forma, est causalitas formæ: ergo similiter eademmet actio, prout seipsa est à fine, poterit esse causalitas illius, quamuis prout est ab efficiente, sit propria illius causalitas. Maxime, quia sicut causa materialis, & formalis mutuo sibi correspondent in ratione causarum intrinsecarum, & idè vnica realiter entitatiue habent causalitatem, licet diuersam formaliter: ita quia causa finalis, & efficiens mutuo sibi correspondent in ratione causæ extrinsecæ, pertinentque ambæ ad hunc ordinem, poterunt habere eandem realiter causalitatem, licet distinctam virtualiter, prout diuersimodè est ab vna & ab alia.

43 Secundò, & principaliter probatur assertio ex discrimine, quod supra diximus, versari inter intellectum, & voluntatem in modo operandi circa sua obiecta: intellectus enim intelligendo attrahit ad se res intellectas, voluntas verò fertur in res volitas. Vnde obiectum intellectus, dum intelligitur, quasi mouetur ab ipso intellectu: è contra verò obiectum voluntatis, dum amatur, quasi mouet ipsam voluntatem. Et idè proprium est finis, qui quidem est voluntatis obiectum, mouere, & attrahere ad se voluntatem.

Hinc ergo sequens deducitur ratio; in operatione intellectus per eandem entitatem, nempe per intellectum,

lectionem, mouet intellectus ad se res, & ipsæ res mouentur ab intellectu, & moueri rerum nihil est aliud, quàm mouere intellectus: ergo in voluntate per eandem entitatem, scilicet per eandem volitionem obiectum ipsius, scilicet finis, mouebit ad se voluntatem, & voluntas mouebitur à fine, & mouere finis nihil aliud erit realiter loquendo, quàm moueri voluntatis: ergo cum voluntas per suam volitionem moueatur ad finem, per eandem mouebit illam ipse finis. Et quod est quod supra ex D. Th. regulimus scilicet quod licet influere causæ efficientis est agere: ita influere causæ finalis est appeti, seu desiderari.

44 Sed obijcies, actio voluntatis est effectus finis, ergo non causalitas. Consequentia patet, quia causalitas causæ, & effectus illius dedent distinguere: siquidem effectus præsupponit causam actu causantem, & consequenter causalitatem illius. Antecedens verò probatur: tum quia est propter finem ut quod: tum etiam quia prius est, quod finis actu attrahat voluntatem ad amandum, quàm quod amet. Ac proinde, si amor præsupponit finem actu attrahentem, & causantem, & procedit ab illo, non poterit procedere ab eodem per modum causalitatis eius; sed per modum effectus: ergo prædicta actio non potest esse causalitas finis.

Respondetur non esse necessarium, causalitatem, & effectum finis realiter distinguere: sed sufficere virtualem distinctionem. Vnde eademmet actio voluntatis habet rationem effectus finalis & simul causalitatis; causalitatis quidem secundum quod est à fine: effectus verò finalis, secundum quod est ab efficiente. Nam secundum hanc posteriorem rationem est quodammodo pendens à seipsa secundum priorem, non enim amor potest esse ab efficiente, nisi sit, prius à fine, & ita hæc causalis est vera: quia amor est à fine, idcirco est ab efficiente: nam ex eo quod voluntas mouetur à fine ad amandum, & amor ipse est gratia finis, idcirco procedit effectiue à voluntate; alioqui ipsa temere, & non intendendo aliquem finem ageret.

Quare sicut amor, prout est ab efficiente, præsupponit finem, ut actu causantem mediante illa formalitate eiusdem amoris prout primò est à fine: ita & idem amor prout est ab efficiente, iterum comparatur cum fine per modum effectus; quia est pendens ab illo, non immediatè ratione huius formalitatis; sed mediante illa priori, qua posita iam censetur finis esse in actu causandi. Sed hæc prioritas finis in causantem respectu efficientis amplius disp. seq. declarabitur.

45 Neque hinc sequitur causam finalem, in actu causantem non esse realiter priorem prioritate naturæ, quam suum effectum ex defectu distinctionis realis ab illo. Non inquam hoc refert: quia licet ratione causalitatis præcisè, & secundum se sumptæ non distinguatur, realiter ab eo; bene tamen ratione virtutis causalitatis, quæ inuoluitur in causa actu causante; & ita distinguuntur, dist. reali includentis, & inclusi.

Sed inquires: an finis habeat aliquam aliam causalitatem præter hanc, quàm explicuimus. Respondetur affirmatiue: quia ultra prædictam causalitatem exercet aliam quasi partialem respectu mediorum, ratione cuius bonitatem, & amabilitatem eis tribuit: ita ut media, quæ aliā secundum se considerata respuerentur, attamen quatenus ad finem consequendum conducuntur, reddantur amabilia ut contingit in portione amara, quæ secundum se respuetur; & nihilominus ut conducit ad sanitatem, eligitur, & amatur. Cæterum utrum finis præstet hoc addendo mediis aliquid reale intrinsecum: an verò præcisè, per hoc, quod bonitas repræsentetur voluntati, ut consequibilis per illa media; longiotem

Colleg. Compl. Physica.

petebat disputationem, quæ magis ad alium, quàm ad hunc locum spectat.

Ad fundamentum ergo pro prima sententia patet ex dictis.

46 Ad fundamentum secundæ sententiæ: satis esse motionem explicatam ad hoc, ut finis non censeatur esse solummodo in actu primo; sed sit actu causans, & mouens voluntatem: quia prius est actus voluntatis, prout à fine, quàm prout ab ipsa voluntate; quatenus, ut infra disputatione sequenti explicabimus, finis dat voluntati, quod amet trahendo illam ad se: at verò voluntas non tribuit fini, quod moueat.

Nec refert si dixeris, quod etsi eadem actio sit à Deo, & à causa secunda necessaria, & prius sit ab illo, quàm ab ista: nihilominus hoc non sufficit ad hoc ut per illammet actionem prout est prius à Deo, moueatur causa secunda ab ipso ad agendum; sed insuper desideratur, ut ei imprimatur prius prioritate reali motionem distinctam ab actu ut supra diximus: ergo ad hoc ut voluntas moueatur à fine, non erit satis quod idem actus volitionis sit prius ab illo, quàm à voluntate, sed insuper desiderabitur, quod aliquid aliud præuium ei imprimatur.

47 Non inquam hoc refert: quia est dispar ratio: nam causa efficiens est, quæ re ipsa producit & communicat esse, ut supra dictum est: at causa finalis non producit esse, sed mouet causam efficientem ad hoc, ut det, & efficiat illud. Et idcirco efficiens si sit primum, & independens, potest imprimere aliquid in secundo efficiente per quod moueat illud ad agendum, quodque sit realiter distinctum ab actione causæ secundæ iam dictæ. Imò nisi hanc motionem illi impresserit, non potest ob rationes supradictas facere, ut causa secunda faciat; secus verò causa finalis quia cum non concurrat producendo sed mouendo causam efficientem ad hoc ut ipsa producat, & efficiat esse; non potest illam mouere per aliquid realiter distinctum ab actu ipsius: alioqui respectu huius entitatis, seu motionis, quàm illi imprimeret, esset finis vera causa efficiens immediatè per seipsam, solummodo producens illam; ut iam diximus: ac proinde causa efficiens, & finalis confunderetur.



## DISPUTATIO XV.

DE CAUSIS INTER SE, ET AD INVICEM COMPARATIS.

**E**xplicatis absolute singulis causis, superest de eisdem comparando eas ad inuicem, præsentem disputationem instituere, ut sic earum natura exactè, & vndeque teneatur.

### QVÆSTIO I.

An causa inter se collatè habeat aliquam prioritatem quoad perfectionem, & existentiam.

Exponitur prioritas omnium causarum quoad existentiam & intrinsecarum quoad perfectionem

§. I.

**I**condum est primò Causis ad inuicem quoad existentiam comparatis, tunc causa efficiens est

N 3



est prior, deinde finis totalis, scilicet compositum, post quem succedit forma, & tandem materia ultimum locum habet. Hæc est communis inter Thomistas: & idè necesse non est singulos referre: sequiturque apertè ex his, quæ ex mente D. Thom. disputatione 3. diximus: quia causa efficiens in hoc distinguitur à cæteris causis, quod hæc non requirunt in illo priori, in quo causant, esse omninò extra causas: atque ita non causant, quatenus realiter existunt; secus verò causa efficiens: quia agit, quatenus est in actu, & ex eo, quod ipsa sic causet, ponit in actu cæteras causas, dando illis realem existentiam: ergo efficiens prior erit quoad existentiam omnibus illis.

Rursus finis totalis, scilicet compositum existit per se: & ratione sui: partes verò (excepta saltem pronunc animæ rationali) existunt ratione totius, & facta collatione inter materiam, & formam, materia, existit ratione formæ, ut supra dictum est: ergo omnia prædicta servant eum ordinem in existendo, quem in assertionè diximus.

2 Deindè, si hæc causæ compatentur in perfectione; tunc sperando certiora ab his, quæ non sunt ita certa, dicendum est secundò. Si hæc collatio fiat inter causas intrinsecas, scilicet, materiam, & formam, forma erit nobilior. Assertio hæc communior est inter Doctores, quàm præcedens: quia eam amplectuntur non solum Thomistæ sed etiam omnes alij in præsentia. Probatur facillè ex dictis: quia cum materia sit pura potentia, & ut talis causet, forma autem sit actus, & per modum actus exerceat suam causalitatem, sit inde, ut sicut actus superat in perfectione puram potentiam, sic modus causandi per modum actus est perfectior, & nobilior illo, qui est per modum puræ potentiæ.

Sed dices: forma materialis habet suam essentiam actualem à materia: quia pender ab illa in toto suo esse: at materia non habet suam essentiam à forma; sed solum vel determinationem propriæ entitatis ad certam speciem, vel actum existentiam, ut ex dictis supra constat: ergo magis pender forma à materia, quàm è contra: quia pender in eo, quod est primum, & potissimum in ipsa: atque adeò materia perfectius causalit formam, quàm forma materiam. Patet hæc ultima consequentia: quia cum causa sit id, à qua pender effectus, consequens est, ut si facta collatione inter duo ad inuicem dependentia, vnum pendeat magis ab alio, quàm è contra, tunc id, à quo magis aliud pender, sit perfectius in ratione causæ.

3 Respondetur: quod etiam concessio antecedenti, intellectu tamen iuxta doctrinam supra traditam disputatione 9. adhuc argumentum non convincit: quia inde ad summum potest colligi, materiam extensivam, seu quasi materiali perfectione excedere formam: non verò intensivam: quia modus ille, quo materia pender à forma longè excellentior est: cum forma per modum actus præstet materiæ, quod si certæ, & determinatæ speciei, communicetque ei existentiam, per quæ, ut Aristot. supra lib. 1. dixit, materia redditur ex informi pulchra. Adde, quod si præcisè attendamus ad ea, quæ formæ competunt, non absolutè, sed ex præcisâ ratione, qua est effectus materiæ: tunc inveniuntur non esse ita perfectæ ac illa, quæ à forma in materiam derivantur.

*Explicatur excessus perfectionis, quo causa finalis excedit efficientem.*

## §. II.

4 Dicendum est tertio. Si hæc comparatio, quoad perfectionem fiat inter causas extrinsecas, scilicet inter finem, & efficientem, tunc finis erit nobilior, quàm efficiens. Hæc est Arist. in hoc 2. lib. textu 30. & 5. Metaph. cap. 2. & ubicumque causas inter se comparat. Quam etiam docet D. August. 5. de civitate Dei, cap. 21. vbi ait: finali causa non dari causam meliorem. Et Diuo Thoma in præsentia lectione 5. in fine: vbi sentit finem esse potissimum inter alias causas: quod etiam tenet opusculo 31. §. 2. ob quam rationem inquit ibidem: *Quod finis est causa causarum: quia est causa causalitatis in omnibus causis.* Quos sequuntur ferè omnes interpretes Arist. ut testatur Rubio in præsentia tractatu. 8. q. 1.

Probatur ratione desumpta ex D. Thom. locis citatis: omnis causa, in quantum huiusmodi, est nobilior suo causato; sed finis in ratione causæ consideratus, est causa efficiens, seu huius, quod est efficientem causare: ergo, &c. Minorem probat D. Th. 5. Metaph. lect. 2. & opusculo citato: quia efficiens non est causa, nisi in quantum agit; sed non agit nisi propter finem, & motum ab ipso: ergo efficiens à fine habet causare, & agere: atque adeò finis in ratione causæ erit efficiente nobilior. Sicut quia causa prima efficiens collata cum secunda habet mouere illam ad efficiendum, & secunda non efficit, nisi mota à prima; & idè in ratione causæ, & causæ efficientis superatur secunda à prima.

5 Confirmatur, & explicatur; finis in modo causandi nullam aliam præsupponit causam: ergo causæ immotus, & tanquam causa inter has secundas simpliciter prima: efficiens verò influit, ut causa secunda, collocatum cum fine: quia causat, ut motum ab illo: ergo cum hoc, quod est causare immotum, sit maximæ perfectionis: fiet inde, ut finis excedat in perfectione causam efficientem. Maxime, quia non solum excedit illam ex parte, ut sic dicamus, principij, quatenus finis est primum mouens: sed etiam ex parte termini; quatenus est ultimum, quod agens intendit per suam operationem, & ad quod cætera alia diriguntur.

Sed obiicies primò; causa efficiens influit per realem, & naturalem influxum, & idè ipsa est, quæ dat esse, finis autem per metaphoricam motionem; & ita finis non est, qui dat esse; sed qui mouet, & quasi rogat, ut sic dicamus, efficiens, ad hoc ut illud communicet: ergo modus causandi efficientis longè nobilior est modo causandi finis, ergo efficiens in ratione causæ superabit finem. Patet consequentia, quia perfectio causæ ex perfectiori modo causandi desumitur.

6 Confirmatur primò, modus causandi fundatur in modo essendi; sed efficiens semper habet veram, & realem entitatem, finis autem sæpè non est aliquid verum, sed habens esse solum in apprehensione, & existimatione: ergo modus causandi efficientis est ex se perfectior, quippe petens indispensabiliter nobilius esse in causa. Imò hinc videtur sequi, modum causandi causæ materialis, & formalis esse perfectiorem modo causandi finis: quia etiam hæc causæ intrinsecè supponunt, & petunt veram, & realem entitatem.

Confirmatur secundò, quia etiam dum finis habet veram, & realem essentiam, non petit modum existendi

existendi realem, & naturalem sed solum intentionalem, & in apprehensione: secus verò efficiens, quod re ipsa debet existere ad hoc, ut causet, quia ut est in actu, causat, ergo efficiens nobiliorem habet modum causandi. Patet consequentia: quia quod causat, quatenus est in actu, & nobiliori modo est in actu, non potest non nobiliori modo causare.

7 Secundò obijciens: quod forma materialis habet à materia suam causalitatem; non verò materia à forma, & tamen non ob id est materia nobilior simpliciter in ratione causæ quàm forma: ergo licet efficiens habeat à fine, quod agat, non ob id, erit perfectior simpliciter ipse finis: quia exceditur in aliis iam dictis, quæ satis compensant, imò superant prædictum excessum. Antecedens patet: nam sicut forma naturalis habet à materia suam essentiam, & entitatem, ex eo quod est materialis, ita etiam causalitas eiusdem formæ erit à materia, & ipsa in genere causæ materialis communicabit eam formæ, quia talis causalitatis non minus est materialis, quàm forma cuius est causalitas.

Confirmatur: non minus pendet finis, ab efficiente quàm à contrà: ergo non excedetur ab illo in ratione causæ. Consequentia patet. Antecedens verò probatur: quia sicut efficiens non causabit, nisi finis moueat, ita neque mouebit finis, nisi efficiens agat.

8 Ad primum respondetur: quod ut ex suprà dictis disputatione præcedenti constat, causalitas finis non dicitur motio metaphorica: quia non sit vera, & realis: sed quia non mouet producendo, sed alliciendo. Et licet modus mouendi producendo, & efficiendo, excedat aliquantulum & secundum quid, modum mouendi alliciendo, & finalizando; non tamen simpliciter & ratio est ea, quam iam tetigimus, nimirum quia ratio causæ, & perfectio ipsius, potius debet attendi ex modo causandi magis independenter, quàm ex aliis capitibus: at (ut iam diximus) licet causa efficiens det immediatè esse, dat tamen illud mota à fine: contra verò finis causat immotus.

Nec verum est id, quod in hac obiectione innuitur, scilicet finem mouere, quasi rogando: quia potius debet eius motio explicari per modum cuiusdam imperij, licet suauissimi. Quare efficiens quodammodo deseruit fini, quatenus eo medio causat. Sicut etiam in Deo secundum nostrum modum intelligendi perfectius est quod sit finis, quàm quod sit efficiens & quodammodo possumus dicere Deum ut efficientem sibi ipsi, ut fini, deseruire, & quasi ministrare, dum gratia suæ bonitatis omnia operatur, & ab ipsa tanquam à ratione finali; licet non tanquam à causa agitur, & mouetur.

9 Ad primam confirmationem respondetur: quod sicut in causis ipsis alia est consideratio causæ in esse entis: alia in esse causæ; & idè id quod est perfectius in esse entis, potest esse imperfectius sub consideratione causæ: ut contingit in accidentibus, quæ collata cum materia prima in esse entis, vincuntur ab illa in perfectione: attamen in esse causæ excedunt eam (ut docet D. Thom. 1. p. q. 16. art. 6. ad 1. & 3. p. qu. 11. art. 5. ad 3.) ita in modo causandi debet distinguui, & modus ipse formaliter in ratione talis consideratus, & in esse entis sumptus, ut in exemplo posito contingit.

Quamuis ergo daremus, quod reliquæ causæ, & modi causandi illarum possint esse perfectius quid in esse entis, quàm finis: Attamen finis consideratus in esse causæ, & modus eius causandi in esse talis formaliter inspectus, vincit cæteras alias causas: quia secundum hanc considerationem tantum attenditur secundum modum se habendi ad effectum: modus autem se habendi ad illum, ita ut influat omnino immotus,

non potest non esse nobilior in ratione modi causandi, & consequenter arguit nobiliorem causam. Vnde perfectio causæ non fundatur in modo essendi, utcumque; sed in modo essendi, secundum modum fundamentalem se habendi ad effectum, & potest esse, ut id; quod in esse entis materialiter est perfectius: nihilominus, ut fundat modum se habendi ad effectum, sit imperfectius, ut hic contingit: quia ex diuersis capitibus sumitur perfectio in vno, in alio ordine.

10 Ex quo ad secundam confirmationem dicendum est: quod licet existere existentia reali, & naturali sit in esse entis perfectius, quàm existere intentionaliter, & in apprehensione: attamen, qui ex diuerso capite sumitur perfectio in ratione causæ, & in esse entis; idè potest existentia intentionalis suo modo fundare nobiliorem modum causandi: quia fundat modum causandi primum, & immotum. Vnde et si causa efficiens causet, ut est in actu nobiliori in esse entis; causat tamen ut secundum hanc causalitatem subordinatur actualitati finis, ut illi, qui est primò in actu, à quo cætera sunt in actu.

Ad secundum respondetur; probare formam, & eius causalitatem esse effectuum materiæ non verò quod forma habeat ab ipsa materia, quod formalizet; ut efficiens habeat à fine; quod agat & idè est di parratio.

11 Ad confirmationem respondetur convincere non posse esse causalitatem finis, sine causalitate efficientis, & e contra; non verò quod sicut finis dat efficienti, quod agat quatenus mouet illum ad agendum, ita efficiens det fini quod finalizet. Vnde habent se sicut causa prima, & secunda: nam licet concursus causæ primæ, quo concurrat cum creatura, non possit dari sine concursu eiusdem creaturæ; & e contra, ut multi volunt de quo alibi) attamen causa prima dat secundæ, quod concurrat; non tamen è contra.

Quæ solutio desumitur ex Diuo Thoma opusculo citato ubi constituens differentiam inter causam efficientem, & finalem; sic inquit: *efficientis non facit finem esse finem, & idè non est causa causalitatis finis id est, non facit finem esse causam finalem; finis verò est causa causalitatis efficientis: quia facit efficientem esse efficientem.*

*Declaratur prioritas perfectionis efficientis, & finis respectu causa materialis, & formalis.*

### §. III.

12 Dicendum est quartò. Si hæc comparatio fiat inter causas extrinsecas in vna parte, scilicet finem, & efficientem, & intrinsecas ex alia, nimirum formam, & materiam: tunc non potest negari quin causæ intrinsecæ superent intrinsecas imperfectiores. Probatur primo quia illud genus aut quasi genus est nobilius, cuius suprema quasi species est excellentior, quàm suprema quasi species alterius: sed supremum efficiens, & finis, scilicet Deus, est longè nobilior quauis causa materiali, & formali: ergo genus causæ efficientis, & finalis superat genus causæ materialis, & formalis.

Confirmatur: quia modus causandi materiæ, & formæ est incompletus quia causant per modum partium componentis intrinsecè totum, & idè ab intrinseco inuoluit imperfectionem. Ob quam rationem nequit Deo immediatè per se ipsum competere: sed modus causandi finis, & efficientis non petit oriri ab ente incompleto ut tali; & idè causæ istæ non causant componendo, potestque hic modus causandi

Deo conuenire: ergo erit melior modo causandi materia, & formæ prædictis imperfectionibus inuoluto. Confirmatur tandem: quia materia, & forma materialis indigent suo effectu ad hoc, ut sint; secus verò finis, & efficiens totale: quia finis secundum esse intentionale est independens, & efficiens præsupponitur in actu: ergo, &c.

13 Sed obiicies, magis pendet compositum naturale à materia, & à forma, quàm ab efficiente, vel fine: siquidem illæ sunt causæ intrinsecæ, respectu totius: & hæ sunt intrinsecæ, & res magis pendet ab eo, quod est illi intrinsecum: ergo materia, & forma, erunt nobiliores causæ. Patet consequentia: quia cum causa reipsa sit à qua pendet effectus: fiet inde, ut illa debeat censeretur perfectior causa, à qua magis pendet effectus.

Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicendum est: tunc effectum magis pendere ab eo, quod est intrinsecum, quàm ab illo, quod est extrinsecum, quando extrinsecum non causat prædictum effectum, & quid est intrinsecum in illo, at finis, & efficiens sunt causa, tam totius rei, quàm ipsius materiae, & formæ, quæ sunt ipsi intrinsecæ. Et ratio huius doctrinæ est: quia maior dependentia attenditur ex maiori influxu, & ex modo influendi magis independenti: at modus influendi tam in rem, quàm in intrinseca rei est magis independens, & magis completus, ac proinde maior.

14 Adde totum dupliciter posse considerari, vel in esse entis, vel in esse effectus: et si ergo demus, totum in esse entis magis pendere à causis intrinsecis; non tamen in esse effectus: quia secundum istam rationem habet intrinsecam, & essentialem dependentiam ab omnibus suis causis. Vnde si cuiusvis influxus desit, etiam deerit totum in ratione effectus: quare finis, & efficiens non dicuntur causæ extrinsecæ: quia non sit intrinseca dependentia effectus ab ipsis; sed quia terminus huius habitudinis est extrinsecus; secus verò terminus habitudinis totius ad causam materiale, & formalem: propter quod hæ duæ causæ intrinsecæ secundum quid excedunt intrinsecas.

## Q V Æ S T I O II.

*Verum inter causas una sit prior alia in causando.*

**S**emel explicata prioritate causarum tam respectu effectuum, quàm inter se quoad existentiam, & perfectionem, restat inuestigandum, utrum adhuc inter se comparatæ in ratione causarum habeant aliquam prioritatem in causando: quia prioritas in causando est potissima quæ in causis debet attendi.

*Adstruitur sententia Doctoris Angelici.*

### §. I.

15 **D**icendum ergo est, licet causæ sibi inuicem sint causæ, ac proinde quævis in suo genere sit prior in causando: attamen simpliciter loquendo prima, quæ influit, est causa finalis, secunda efficiens: tertia materialis: quarta tandem, & vltima formalis. Assertio hæc quoad primam illius partem, scilicet causas sibi inuicem esse causas, non quidem in eodem genere: sed in diuerso, & consequenter quamlibet in suo genere esse priorem: est commune Philosophorum proloquium, desumptum ex Aristot. tum in hoc lib. text. 31. vbi D. Thomas lect. 5. in fine, tum etiam

ex 5. Metaph. & ibidem S. Doctor lect. 2. & potius indiget explicatione, quàm probatione.

16 Explicatur ergo sic: nam si loquamur de causis quoad esse reale, & naturale earum, tunc quamvis non sit mutua causalitas inter omnes causas, quia licet efficiens communicet aliis esse; non tamen è contra: quandoquidem causat quatenus est in actu, attamen inter materiam, formam, & finem potest esse hæc mutua causalitas.

Et ratio est: nam materia dat formæ materiali esse sustentatam in ipsa: quia ex eius potentia educitur; forma verò communicat materiæ esse existentiam, nec non, & determinationem ad certam speciem: & similiter finis potest esse causa entitatis, & existentie ambaram: quia agens tribuens illis quidquid in se habent, mouetur à fine ad hoc præstandum: & rursus tam materia, quàm forma; quælibet in suo genere dant esse composito, qui est finis proximus earumdem. Vnde quævis in suo genere est prior alia: quia quatenus consideratur in suo genere, oportet, ut sola ipsa consideretur ut causa: nam alia et si sunt causæ; non tamen in illo genere: & ideo si solum consideratur, v. g. genus causæ materialis, tunc alia considerantur ut præcisè sunt effectus materiæ, & sola materia ut causa, ac proinde ipsa sola ut prior in hoc genere, & alia ut posteriores.

17 Deinde si loquamur de omnibus his causis quoad dependentiam earum ad inuicem, non quidem quoad esse; sed quoad causalitatem, tunc erit mutua inter omnes dependentia: nam in generatione substantiali, v. g. non moueret finis, nisi agens ageret; nec agens ageret, nisi materia reciperet, & forma informaret; & è contra. Vnde eadem substantialis generatio est propter finem: exit ab efficiente, educitur ex potentia materiæ, & specificatur à forma. Et ita si consideretur hæc dependentia in aliquo determinato genere, v. g. in genere causæ finalis, tunc sicut solum consideratur independentia in hoc genere, & quidquid ei conuenit ab aliis generibus non concipitur, secundum quod est ab illis; sed secundum dependentiam, quam secundum illas rationes habet à fine: ideo in hoc genere solus finis est prior, & omnes alia formalitates sunt in hoc eodem genere posteriores: & idem est de aliis generibus, cum proportionem tamen consideratis.

18 Diximus cum proportionem consideratis: quia, ut supra inuenimus, licet materia pendeat à forma, & ab efficiente: non tamen forma dat illi, quod recipiat, sicut finis dat efficienti, quod efficiat, & formæ quod formalizet, & materiæ, quod recipiat: quia omnes hæ causalitates sunt propter finem: Vnde si omnino propriè, & rigorosè loquamur, causa materialis, & formalis solum sunt sibi inuicem causæ quoad esse, modo tamen, quem disput. 9. explicuimus & statim magis elucidabimus; non tamen quoad causalitatem.

Quod etiam innuit D. Thom. 5. Metaph. lect. 2. vbi postquam explicuit modum causandi finis respectu efficientis quoad causalitatem: quia dat illi agere: descendens ad formam & materiam, tantum dixit esse causas ad inuicem quoad esse, nullam faciens mentionem quoad causalitatem: quod etiam indicat opusculo 31. §. citato.

19 Quoad secundam verò partem, scilicet quod simpliciter loquendo finis sit prima causa, quæ influit, deinde efficiens, statim verò materia, ac tandem forma sic suadetur assertio: nam in primis est D. Thom. 1. p. q. 5. art. 2. ad 1. & art. 4. in corpore, & 1. 2. quæst. 1. art. 2. in corpore.

Deinde ratione probatur: nam cum finis (ut sæpè dictum est) sit causa, quæ immota mouet agens, ac pro

proinde & cæteras causas debet eius causalitas præcedere etiam simpliciter loquendo, causalitates aliarum causarum, & deinde cum materia non possit se vnire formæ nec è contra forma materiæ, debet præsupponi causa efficiens, & eius causalitas, quæ agendo illas vniat, detque illis propriam entitatem, per quam extrahantur extra nihil, & reddantur idoneæ ad causandum in suo genere. Deinde cum agens creatum non possit formam producere, nisi ex præsupposita materia, prærequiritur, quod materia, & eius causalitas antecedit formam. Et denique cum sine forma non possit compositum resultare, necesse erit ut eius influxus; quo per modum causæ omnino intrinsecæ influit, tandem subsequatur.

*Obiectiones contra assertionem, & solutio  
vniuersum.*

§. II.

20 **S**ed obieci s primò contra primam assertionem partem, ex ea sequi, idem respectu eiusdem esse notius, & ignotius. at hoc est falsum: ergo, &c. Sequela patet; quia causa notior est suo effectui: ergo si simul respectu eiusdem sunt causa, & effectus: erunt simul quid notius & ignotius in ordine ad idem, falsitas verò consequentis etiam patet: quia aliàs committeretur vitiosus circulus in demonstratione; nam demonstratio est per causam rei: vnde si materia est causa formæ, & è contra poterit vna demonstrari, per aliam, & è conuerso. Confirmatur: quia alias idem esset causa sui ipsius: nam quidquid est causa causæ, est etiam causa causati: à tali causa, ut in lib. de causis dicitur: sed finis v. g. est causa efficientis ergo erit causa causati ab eodem efficiente; ac proinde cum ipse finis sit causatus ab illo, erit etiam causa sui ipsius.

Secundò contra secundam assertionis partem obieci, quod hic non loquimur de causis, ut vnà comparatur per modum effectus respectu alterius: quia secundum istam rationem quælibet est prior alia in suo genere tantummodo ut in prima parte huius assertionis dicebamus; sed loquimur de illis secundum quod quælibet earum consideratur ut causa: ergo repugnat quod habeant ordinem prioris, & posterioris secundum istam rationem. Patet consequentia: quia quod consideratur ut posterius, consideratur ut pendens: at repugnat considerari aliquid ut causa, & ut pendens: nam ratio causæ dicit prioritatem, & independentiam: & implicat id quod est independentens, quatenus tale, esse dependens: ergo repugnabit considerari ut causam, & ut quid posterius.

21 Ad primum resp. ex D. Thom. 1. 2. quæst. 33. artic. 4. ad 2. nihil obesse, quod idem sit prius, & posterius, notius, & ignotius secundum diuersas rationes, sicut neque quod aliquid sit ratio cognoscendi aliud in vno genere; & per illudmet cognoscatur in alio genere; imò hoc est necessarium, sicut & quod sint plura, & diuersa genera causarum.

Ad confirm. negatur antecedens. Ad probationem dicimus illud axioma: *Quidquid est causa causæ, est causa causati*: esse verum, quando quod semel causatum est, causat aliud in eodem genere causæ, in quo ipsummet causatum fuit si calor ignis est causa caloris in aqua in genere causæ efficientis, & calor aquæ in eodem genere causat calorem in manu, fiet inde ut etiam calor ignis causet in manu prædictum calorem, siue illum efficiat, ut causa remota,

siue ut causa principalis, ita ut aqua solum instrumentaliter influat; de quo alibi. Cæterum prædictum axioma non est verum, quando id quod causatur, rursus causat in alio genere causæ diuerso ab illo, in quo causatum est.

22 Et si inquiras: cur prædictum axioma sit verum, quando causalitas in eodem genere causæ, non verò in diuerso exercetur; Respondetur ex D. Thom. 1. 2. q. 79. artic. 1. ad 3. & de malo quæst. 3. art. 1. ad 4. sensum illius legitimum tantum esse, ut id quod est causa causæ, sit etiam causa causati quando causatum causat secundum illud esse, secundum quod fuit prius causatum, at quando aliquid causatur, & causat in eodem genere causæ, tunc secundum illud esse secundum quod causat, causatur: (ut in exemplo adducto patet;) & idè non mirum, ut quod est causa illius, sit etiam causa alterius ab ipso causati: at quando hæc causalitas est in diuerso genere causæ, tunc id quod causatur, non causat secundum illud esse secundum quod causatum est; sed secundum diuersum.

Potest autem hoc ipsum explicari discurrendo per vniuersa genera causarum: nam finis causat respectu efficientis, & rursus causatur in diuerso genere causæ; sed non secundum idem esse: nam causatur secundum esse reale, & naturale, existentia, & causat secundum propriam bonitatem intentionaliter tamen existentem; & similiter materia causat formam, ut sustentatam, necnon & fieri eiusdem eo modo quo supra disput. 6. diximus: qui quidem effectus cum præcisione sumptus est eadem materia, ut data per modum basis, & fundamenti respectu forme, & fieri, ut in ea suo modo innitatur (ut ibidem explicatum est,) at forma secundum sua essentialia considerata rursus causat materiam, dat ipsi, non quidem illud esse essentialia, & puræ potentialitatis secundum quod materia fuit causa materialis, sed illam per se primò trahit ad propriam positiuam speciem totius imò & consequenter ad existendum per eandem existentiam per quam totum existit.

23 Ad secundam obiectionem responderetur, probare intentum; si causæ considerentur præcisè, ut causæ sunt, & quoad esse quod eisdem ut talibus conuenit, non verò si consideratur in ordine ad aliquod tertium, scilicet in ordine ad effectum, quem omnes causant nam sicut effectus pendet ab omnibus, & prius est in illo dependentia ab vna, quàm ab alia: ita & ipsæ causæ in ordine ad talem effectum, & ratione dependentia ipsius effectus ab eisdem causis, possunt inter se in sua causalitate habere ordinem prioris & posterioris.

24 Adde causam efficientem, imò & materialem, aut formalem etiam ut causas subordinati fini, ut sæpe dictum est: & idè non conuenit esse priorem illis in causando, quia etsi contra rationem causæ, ut talis, sit, quod habeat rationem puri effectus, & dependentis, non tamen quod inuoluit aliquid dependentia, & subordinationis ad aliam causam, ut patet in causa secunda efficiente comparata ad primam, & in fine proximo collato cum ultimo. Et similiter licet causa efficiens non det materiæ, aut formæ suas causalitates eo rigoroso modo, quo finis dat efficienti, quod agat; attamen prius tribuit illis propriam entitatem, quæ debet supponi ad earum causalitatem. Et quando materia præcessit iam producta in alio toto, prius debet forma exire ab efficiente quàm recipi in illa: & ita prius est, in eadem forma esse saltem entitativè effectum efficientis, quàm materiæ. Sicut licet eadem materia non tribuat formæ, quod formalizet: attamen educitur ex eius potentia

potentia, & prius est educi ex illa, quam informare ipsam. Vnde licet demus, quod causæ istæ, quæ ratione sunt causæ, non pendeant inter se, attamen ratione alicuius præsuppositi in ipsis ad rationem causæ, secundum quod sunt suo modo effectus, possunt pendere: quia cum sint causæ creatæ, prius est in ipsis esse effectus, quam esse causæ: & prius præsupponunt aliquas condiciones necessarias ad causandum, quam actu causant.

### QVÆSTIO III.

*Utrum dua causæ totales & eiusdem ordinis possint simul producere unum, & eundem effectum.*

25 **N**Otante in titulo dictum est, *Dua causæ totales, & eiusdem ordinis*: nam à duabus partialibus, sicut & à duabus totalibus diversi ordinis, & inter se subordinatis, certum est posse unum, & eundem effectum produci. Et licet titulus quæstionis vniuersaliter inquirat de duabus causis totalibus, siue sint duæ causæ materiales, siue duæ formales, vel efficientes: quia tamen quoad causas materiales, & formales iam constat pars negatiua ex his, quæ supra disp. 4. q. ult. diximus, & de causa finali idem prorsus est dicendum, quod de causa efficiente dicitur: ideo quæstionem hanc solum quoad causas efficientes ex professo discutimus, & semel circa eas quæstione decisa, etiam circa causas finales soluta manebit: quamuis etiam cum hoc stabit, quod nonnihil etiam de finibus expressè attingemus.

*Referuntur varia sententia.*

#### §. I.

26 **P**Rima sententia asserit, hoc naturaliter esse possibile. Quæ solet tribui Ochamo in 3. d. 3. quæst. 2. & cæteris Nominalibus, ut refert hic Mas. 3. sect. 5. quæst. 2. Probatur primò; nam si eidem medio duplex luminosum, ut quatuor, applicetur, tunc in medietate illius spatij producet lumen v. g. ut duo: cum enim eorum quodlibet sit potens ad illud producendum, multò melius utrumque simul id præstabit: vel ergo in medietate illa datur duplex lumen ut duo, & hoc non: quia duo accidentia, solum numero distincta in eodem subiecto naturaliter esse non possunt: erit ergo vnicum tantum lumen intensum ut duo; cumque non sit maior ratio ob quam ab vno, quam ab alio producat: consequens est, ut ab utroque simul ille numero effectus causetur.

Nec satis est dicere, in illo casu lumen ut duo, quod est in medietate illius spatij, produci à duplici illo luminoso; partialiter tamen à quolibet: nam secundum primum gradum producit ab vno, & secundum posteriolem ab alio.

27 Nec contra hoc est: quia agens naturale agit secundum totum, quod potest, si non impediatur; sed nullum adest impedimentum: ergo, quodlibet ex his luminosis totum effectum producet. Minor probatur: nam actio vnius luminosi (quoad præsens attinet,) solum potest impediri ex duplici capite, scilicet vel ex dispositione subiecti ad recipiendum terminum productum, quod hic non contingit (ut patet) vel actione alterius: & neque hoc accidit in præsentis: quia vnum luminosum ideo posset alterius actionem impedire: quia prius produceret in subiecto lumen,

quod alterum erat producturum: ac hoc non contingit in casu dato: quia (ut supponimus) vno, & eodem tempore utrumque luminosum eidem medio applicatur: ergo, &c.

Confirmatur: nam duo gradus habent inter se subordinationem; alius enim est primarius: alius secundarius: ergo cum æqualiter, & simul illa corpora luminosa applicentur, non est cur primus gradus sit ab vno, magis quam ab alio, atque adeo vel ab utroque, aut à nullo illorum produceretur.

28 Secundò principaliter pro hac sententia sic arguitur: quia vnus, & idem actus potest habere duplicem finem totalem: ergo vnus, & idem effectus duplex agens. Antecedens patet: nam potest quis deambulare gratia sanitatis, & inuisendi amicum, ita ut propter quemlibet horum finium opus illud exerceatur, etiam si alter decesset. Consequentia verò probatur: nam si finis totaliter mouens non excludit alium finem mouentem, cur vnum agens ut tale excludet aliud?

29 Secunda sententia fatetur, naturaliter est impossibile, eundem effectum à duplici causa totali procedere: non tamen supernaturaliter. Sic P. Suar. 1. tom. Metaph. disp. 26. sect. 4. Fons. 5. Metaph. c. 2. quæst. 15. sect. 1. Rubio hic tractat de comparat. causarum cum suis effectibus, quæst. 1. Et plures ex Societate Iesu.

Probatur primò; nam teste D. Thom. 3. parte, quæst. 67. articulo 6. plures Sacerdotes simul proficientes verba baptismi possunt baptizare vnum numero hominem, & consequenter vnum numero baptismum conficere. Et similiter omnes illi, qui ordinem presbyteratus suscipiunt, vnam numero hostiam simul cum Episcopo consecrant; ut etiam docet idem Sanctus Doctor quæstione 82. articulo 2. Sed omnes hi sunt totales causæ horum effectuum, cum neque vnus Sacerdos vnam partem pueri, & alius aliam baptizet; neque aliquid illius hostiæ vnus, & alius aliam partem consecret: ergo iam per diuinam potentiam potest vnus, & idem effectus esse à duplici causa totali.

30 Secundò: quia hic fortius argumentum supra factum de duplici luminoso procedit; nam si Deus utriusque penetraret, tunc ex illa penetratione virtus illorum non minueretur; quandoquidem per illam tantummodo fit, ut utrique corpori vnius tantum locus correspondeat; ergo quocumque virtus vnius accedit, virtus etiam alterius peringeret; ergo in eadem parte spatij idem lumen ab utroque produceretur.

Confirmatur; nam posset Deus præbere utrique eam solummodo quantitatem concursus, quam cuiuslibet eorum sigillatim præbiturus erat, si separatim ab alio produceret illud, lumen: ergo tunc vnicum tantum lumen producerent; non enim amplius potest se extendere influxus creaturæ, quam concursus, quem illi Deus præbet ad operandum: ergo si Deus tantum præbeat utrique illam quantitatem concursus, quam præberet vni seorsum, & non maiorem: fiet inde, quod non amplius producat ab utroque quam ab vno solum produceretur.

### EXPENDITVR SENTENTIA

*Dini Thoma & primum eius fundamentum.*

#### §. II.

31 **S**ed nihilominus dicendum est, implicite contradictionem, quod idem numero effectus producat simul à duabus causis totalibus, & eiusdem



eiusdem ordinis. Hæc aperit colligitur ex D. Thom. 1. p. quæst. 52. art. 1. quatenus absolute docet, esse impossibile dari duas causas totales eiusdem ordinis respectu eiusdem effectus. Et ratio quia ibidem hoc ipsum probat nimirum, quod hoc ipsum in cæteris aliis causis scilicet formalibus, & materialibus reperitur: conuincit, non solum naturaliter, sed etiam Logicaliter Metaphysicam repugnantiam, vt lib. 1. disp. 4. quæst. vlt. vidimus.

Idem etiam tenet in 1. dist. 37. quæst. 3. art. 3. in corpore, & ad 1. potent. quæst. 3. art. 7. art. 1. & art. 19. ad 1. in quibus etiam locis non solum docet, id repugnare, sed etiam id probat ratione ducente ad impossibile, & implicationem contradictionis, vt statim expendemus: & sic illum intelligunt, & sequuntur eius discipuli, Capr. in 2. di. 20. quæst. vnic. art. 3. ad argumenta Scoti contra 2. Concl. & in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad arg. eiusdem Scoti contra 2. concl. Caiet. 3. p. quæst. 67. artic. 6. (quantis oppositum doceat 1. p. quæst. 52. artic. 3. Ferrara 3. contra Gent. cap. 68. Tabellus 5. Metaph. quæst. 7. Sonc. quæst. 6. & plures alij ex Thomistis.

32. Probatur primò ratione desumpta ex D. Thoma. Implicat aliquem effectum pendere per se ab aliqua causa, & non pendere per se ab illa: at si idem effectus procederet à duplici causa totali, & eiusdem ordinis, tunc ipse penderet per se à qualibet earum, & non penderet per se: ergo implicat, quod fiat ab vtraque. Minor probatur: nam in primis à quavis earum per se penderet quia quælibet est causa totalis totaliter illum producentis: (vt supponimus,) ergo effectus per se penderet ab illa; nam ab ea per se penderet, à qua habet totum suum esse. Deinde à nulla earum per se penderet; quia effectus qui potest sine aliqua causa produci, non habet dependentiam per se ab illa: at sine quavis determinata causa ex illis duabus posset effectus ille prodire: (vt constat) ergo à nulla earum per se penderet.

Imo etiam sequeretur, aliquem effectum prodire totaliter & adæquate ab vna causa; non prodire sic ab illa. Prodire quidem ab ea totaliter, iam constat; quandoquidem habet ab ea totum suum esse: non prodire verò, quia cum etiam sit ab alia, non procedet totaliter, & adæquate ab illa.

33. Respondet P. Sual. esse æquiuocationem in illa particula *per se*: nam causa per se non est illa, à qua non potest non procedere effectus; sed ea, in cuius actiua virtute continetur; & ad illum producendum per se ordinatur, siue possit ab alia procedere, siue non. Vnde cum in quavis illarum causarum effectus ille contineatur, ab vtraque, tanquam à causa per se pependit. Similiterque vt respondeat vltimæ parti rationis propositæ dicit ad causam totalem, & adæquate solum requiri, vt totaliter, & adæquate producat effectum, si per illas particulas *totaliter*, & *adæquate* solum intelligatur, quod attingat totum effectum, & omnem illius modum; non verò si sensus sit, quod ita illum attingat, vt non possit aliarum causarum consortium admittere.

Sed contra, nam in primis non satis percipi potest definitio illa dependentiæ per se, quæ ab hoc Authore excogitata est, quia dependere vnum per se ab alio nihil aliud est, quam in eo à quo pendet, non posse saltem connaturaliter dari sine illo, & idcirco anima rationalis non pendet per se à materia; secus verò formæ materiales: quia anima potest sine corpore esse: non verò cæteræ formæ: at effectus ille qui à duplici illa causa totali fieret, posset omnino & connaturaliter in rerum natura poni sine qua-

uis ex his causis in particulari sumptis: vt ipsi etiam Aduersarij admittunt. Quomodo ergo penderet per se ab vtraque?

34. Deinde: quia effectui, vt tali, est essentialis dependentia ab alio: nam sicut causa reipsa est id, à quo aliud pendet: ita effectus vt talis intrinsece dicit dependentiam ab alio: ergo hæc, vt sic dicamus, essentialitate contracta, executi, & existenti, penderet essentialiter ab aliqua, vel ab aliquibus causis: ergo ita penderet, & procedet ab illis, vt non possit non esse ab eisdem, ac proinde male dicitur ad dependentiam per se effectus à sua, vel suis causis tantummodo requiri; quod in eius actiua virtute continetur, siue procedat indispensabiliter ab illa, siue non.

Ex quo etiam fit, rationem nostram manere omnino in sua vi: nam si dependentia per se contracta, & executi, quam habet effectus, est dependentia essentialis ab aliqua, vel aliquibus causis: consequens erit, quod si effectus fieret à duplici illa causa, tunc penderet, & non penderet per se, & indispensabiliter ab aliqua, vel ab aliquibus causis: at hæc, & constat, apertam innoluit contradictionem: ergo, &c. Sequela quoad priorem partem, scilicet quod sic penderet effectus, satis constat ex his, quæ modò dicebamus.

35. Quoad secundam partem, scilicet quod non penderet per se, indispensabiliter, scorsim probanda, seu explicanda est: quia longiori eget explanatione: etenim solum potest sic pendere, vel ab vtraque ex illis causis simul sumptis, vel à quavis in particulari determinatè, & insolidam; vel ab vna; vel ab altera indistinctè, eo modo quo visio pendet ab oculo, siue ille sit dexter, siue sinister: at non penderet per se & indispensabiliter ab vtraque simul; vel ab aliqua determinatè, & insolidam propter rationem factam: quia nimirum potest fieri sine quavis in particulari, & determinatè sumpta: imo connaturalius sic fieret. Et insuper: quia si ab vtraque simul penderet essentialiter, iam quævis esset partialis, & insufficiens: quandoquidem nunquam desideratur necessariò concursus duarum causarum eiusdem ordinis, nisi quælibet sit insufficiens: & similiter nec potest pendere per se ab vna, vel ab altera indistinctè, & indeterminatè: quia effectus cætenus pendet à causa vt essentialiter, & in executione ponitur, quatenus accipit ab ea esse: at non accipit illud ab vna, vel ab altera, sed vtraque: ergo nonquit ab vna vel ab altera distinctè, & indeterminatè sumpta, hæc, vt sic dicamus, executi essentialitate, pendere.

36. Confirmatur exemplo visionis adducto: quia etsi daremus, quod considerata in actu signato possit ab vno vel ab altero oculo pendere, at si de eadem vt executi, & existente fiat sermo, vt in presenti contingit, non potest non ab aliquo oculorum determinatè, & in particulari pendere.

Respondet adhuc idem auctor, effectum in fieri collatum cum suis causis non esse considerandum, nisi prout exit ab illis: at hoc ipso; quod exeat à duplici causa totali, sit per duplicem actionem totalem, atque ita prout exit, & sit ab vna non sit ab altera; & prout sit ab vna per vnam actionem, ita pendet per se, & indispensabiliter ab illa; vt nequeat pendere ab alia: quia etsi ab altera etiam pendeat, non tamen per illam, sed per aliam actionem.

37. Sed contra solutionem hanc non minus procedit argumentum factum, quàm contra præcedentem. Quod vt melius intelligatur, notandum est: quod si semel duæ causæ totales, & eiusdem ordinis efficiant per diuersas actiones eundem effectum, tunc tamen causæ

causæ, quam earum causalitates totales respicerent totum effectum, & sub eadem ratione formali: nam qua ratione sunt totales, attingerent, & terminarentur ad totum effectum; qua verò ratione sunt eiusdem ordinis, non solum respicerent totum effectum; sed sub eadem ratione: quia hoc est de ratione causæ eiusdem ordinis; & ideo si vna earum terminaretur ad illum sub aliqua ratione magis communi, & eleuatiore, iam illa non esset eiusdem; sed superioris ordinis.

Ex quo etiam fit, quod effectus per vnicam, & eandem indiuisibilem habitudinem iterato respectu respiceret vtrumque agens, & actiones illorum: quia ita respiceret, sicut terminat: nam ideo respicit transcendentaliter: quia terminauit dependentiam sui ab illis. Vnde sicut vnam, & eandem indiuisibilem rationem terminandi habet: ita & vnum, & eundem indiuisibilem respectum, & respiciendi modum: quare non patebit ibidem aditus ad distinguendum respectum, & habitudinem illam prout est ad vnum agens & ad vnam actionem: & prout est ad aliud, & ad aliam actionem: alioqui effectus ille in ratione respicientis non esset vnicus, & indiuisibilis, sicut si ratione terminandi esset assignabilis duplex terminandi ratio, non terminaret sub vna & eadem indiuisibili ratione.

Hoc ergo supposito, non obscure constabit, quomodo ratio à nobis supra facta non minus contra hanc, quam contra præcedentem solutionem procedat: nam cuilibet respectui, & habitudini transcendentali exequitur, & existenti debet assignari aliquis indiuisibilis terminus: quandoquidem ab eo specificatur: at illi respectui, quo effectus respiceret tam agentia illa, quam eorum actiones, non esset assignabilis talis terminus: ergo non est possibile illum respectum actu, & in exercitio in aliquo effectui dari ac proinde nec erit possibilis effectus, qui per illas fiat: nam si fieret per eas, daretur talis respectus.

Major cum prima consequentia satis constat. Minor verò etiam liquet: quia terminus iste nec potest esse vtrumque agens, & actiones illorum simul sumptæ, nec vnum, vel aliud cum vna; vel alia actione indeterminate accepta, nec tandem quodlibet cum sua actione in particulari in solidum, & determinate sumptum, vt ex discursu facto, & hic proportionabiliter applicato patet: ergo, &c.

Confirmatur, & explicatur: nam vel effectus ille, vt in fieri terminaret illas duas actiones, & respiceret causas illas totales sub eadem, vel sub diuersa ratione: si sub diuersa, ergo non fieret ab illis causis vt à totalibus, & eiusdem ordinis vt modo dicebamus; si sub eadem ratione respiceret vtramque actionem, ergo nulla ex his actionibus respiceretur vt totalis, & adæquata: sicut quia duæ visiones respiciuntur à visu sub vna communi ratione vtrique neutra respicitur vt adæquata.

Adde primò, quod hoc ipso, quod vna causa per vnam actionem totalem producat effectum, repugnat vt alia eiusdem ordinis terminetur ad illum per aliam: quia, vt infra in questione sequenti dicemus, hoc ipso, quod vna causa contineat vt causa totalis vnum effectum, implicat aliam vniuocam, & eiusdem ordinis continere illum, & ideo sola actio, quæ sit ab illa causa potest attingere inter omnes causas illius ordinis prædictum effectum.

Adde secundò, quod vt statim ex Diuo Thoma expendemus, implicat duas actiones totales, esse duas, & eiusdem ordinis, & terminari ad eundem effectum.

*Elucidatur secundum fundamentum  
Diui Thome.*

### §. III.

40 **S**ecunda ergo ratio principalis desumitur ex Di. Th. locis citatis, scilicet ex primo sent. dist. 37 & quæst. 3. de Potentia, nam si darentur duæ causæ totales eiusdem ordinis respectu eiusdem effectus: ita illarum actiones confunderentur vt essent duæ, & non essent duæ: ac proinde virtutes, necnon, & essentia illarum causarum ita confunderentur, vt simpliciter essent duæ, & non essent duæ quod aperte implicat.

Major quoad secundam partem scilicet, quod si actiones illæ modo dicto confunderentur deberent etiam confundi eodem modo virtutes, & causæ earum, est satis manifesta: & insuper probatur à Di. Th. in dicta dist. quia confusio actionum in causis eiusdem ordinis quodammodo refunditur in confusione virtutis, & essentia, quatenus quæ operantur per diuersas actiones, habent necessario distinctas virtutes; sicut quæ per vnam, & eandem actionem, si sint eiusdem ordinis, oportet vt habeant eademmet operandi virtutem, vt patet in diuinis personis respectu operationum ad extra, vt docet idem S. Doctor 1. part. quæst. 45. art. 6.

41 Quoad primam verò partem nimirum, quod actiones aliam causarum confunderentur, ita vt essent duæ, & non essent duæ inde liquet: nam in primis essent duæ: tum quia id asseritur ab aduersariis, ex eo quod correspondent diuersis virtutibus, & rationibus agendi eiusdem ordinis: tum etiam quia debiciente concursu, & actione vnius causa ex illis, posset effectus æquè fieri per concursum alterius, quod quidem in his causis satis indicat distinctionem concursus, & actionum ab illis emanantium: tum denique: quia si tantum sit vna actio, cum sit determinata, & existens, inquiremus à quanam causæ determinate pendeat, & idem conficiemus argumentum de actione, quod de effectui in prima nostra ratione formauimus.

Et deinde non essent duæ: tum, quia si vnus effectus illis agentibus correspondet, oportet, quod fieri illius sit in vno, & eodem subiecto, atque adeo, quod sit vna numero actio: quia accidentia indiuiduantur à subiecto, vt ex Diuo Thoma in lib. de gener. dicemus.

Accedit, quod non stat produci eundem numero effectum ab illis causis, & quod producat per diuersas actiones totales: quia illæ actiones, si essent duæ non se impedirent, vt supponitur; & mutuo se impedirent: nam quævis actio totalis, & eiusdem ordinis ideo non amittit consortium alterius, quæ sit eiusdem ordinis: quia vtrique est totalis, & illius ordinis, ita vt totum hoc sit actuale exercitium mutuo se impediendi, sicut esse virtutem totalem & eiusdem ordinis, est virtus impeditiua in actu primo: ergo repugnat manere prædictam actionem totalem, & non manere ipsam actualem, vt sic dicamus impeditiorem: non secus ac repugnat, manere vim, & virtutem totalem sine vi, & facultate ad impediendum: quia est ipsa virtus impeditiua.

*Disiungitur*

*Diluantur Argumenta utriusque sententia.*

§. IV.

42 **A**D primum primæ sententiæ (quod quidem aliquibus satis difficile visum est) ut respondeamus, prænotandum est, tum quod Aristot. sect. 25. problemate 9. docet proprium esse luminis, rendere per viam rectam; tum etiam, quod tanto amplior lux resplendet in aliquo corpore, quanto partes eius magis perpolitæ, & æquales sunt. Et ideo idem Philosophus in alio problemate inquit: *Quomodo etiam lux amplior resplendet in lenibus: an quod nihil impedimenti interuenit, quo interpolatur!* Tum denique quod impossibile est naturaliter loquendo, idem corpus secundum eandem partem æquè distare à duobus aliis corporibus: verbi gratia, luminosis in diuersis locis existentibus: quia eum unaquæque pars sit diuisibilis in alias plures, iam secundum aliquas earum erit proximius vni; & secundum alias alteri.

Hoc ergo supposito ad argumentum respondetur, quod sicut semel applicatis duobus luminosis vni, & eidem medio, tunc vna pars illius mediæ erit minus distans ab vno; & alia ab alio: ita tota intentio luminis, quæ ibidem est, producit ab vno luminoso in partibus mediæ, quæ minus ab illo, quàm ab alio distat. Sicut è contra tota intentio inuenta in aliis partibus propinquieribus alteri luminoso producit ab illo: quia cum respectu earum partium sit agens fortius, impedit, ne aliud intendat prædictum lumen.

Cæterum licet lumen in illa parte mediæ non sit magis intensum, attamen est magis extensum: quia cum illa luminosa agant per lineam rectam, necessarium est, quod à luminosis in diuersis locis existentibus respiciantur diuersæ partes corporis illuminati: quia respiciuntur per diuersas lineas. Vnde tantò plures respiciuntur, quantò corpus fuerit minus leue; & perpolitum: (numquam enim naturaliter loquendo dabitur corpus omnino leue) quia tunc particula illæ, quæ præminent in corpore aspero, impediunt illuminationem, & causant aliquas umbras in aliis particulis: & ita ab vno luminoso non possunt omnes, partes adæquatè illuminari; sed vnum illuminat versus vnā partem, & aliud versus aliam & per consequens se iuuant quantum ad extensionem, & sunt in illa ratione causæ partiales: secus verò quoad intensiōem, quia hæc producit à luminoso propiniori (intellige) in partibus non impeditis modo dicto respectu illius, in impeditis verò respectu eius & non alterius sit lux, tam quoad intensiōem, quàm quoad extensionem in illis ab alio luminoso; & ita non se iuuant quoad intensiōem: quia intensio est respectu eiusdem partis; benè tamen quoad extensionem: nam ad hoc satis est; ut quodlibet diuersas partes mediæ illuminet.

43 Nec refert, si dixeris, hoc esse contra manifestam experientiam: tum quia duobus illis luminosis simul applicatis, apparet medium magis illuminatum; & videtur esse intensius lumen in omnibus partibus illius, quàm si vnum tantum luminosum ibidem abesset.

Non inquam hoc refert: quia ratio illius deceptionis non est, nisi quod plures partes mediæ magis distantes à luminoso, B illuminantur, quàm solummodo esset luminosum, A quod minus distat ab eisdem partibus; sicut hinc etiam oritur, quod semel applicatis duabus lucenis, ita ut mutuo se respiciant, tunc causatur quædam umbra à qualibet; non quidem quia

*Colleg. Compl. Physic.*

ibi sit lumen minus intensum, ac esset si aliud luminosum magis distans abesset; sed quia tunc cum quavis ex illis lucenis sit corpus opacum, impedit ne lux alterius pertingat ad plures illius particulas mediæ, in quo apparet illa umbra, ad quas pertingeret, nisi impediretur ratione opacitatis interpositæ alterius lucernæ; & maior lux extensivè, quæ est in aliis partibus, non impeditis, facit, ut lux, quæ est in parte illa mediæ impedita, appareat adumbrata, & minus intensa, quàm lux aliarum partium magis distantium ab utroque luminoso, cum reuera non habeant magis de intensiōe, sed potius minus.

44 Ad secundum respondetur; quod tunc tantum appetuntur illi duo fines ut partiales, & integrantes vnum totalem vnde ex vi illius volitionis, qua hæc, & nunc appetuntur, non sequeretur actus deambulationis, si alter deesset: quod si non obstante, quod vnus postea desit, adhuc sequitur actus ille exterior, non est ex vi volitionis præcedentis, sed ex vi alterius, quæ de nouo est.

Ad primum pro secunda sententia respondetur ex D. Thoma 3. part. quæst. 82. art. 2. ad 2. nihil refert, quod instrumentaliter simul concurrant: quia vniuntur in vnica virtute eiusdem agentis principalis, cui subordinantur.

45 Ad secundum, quod in illo casu vel duo illa luminosa non illuminarent propter rationes factas: quia etsi penetratio ex propriis meritis tantum afferat quod duo illa corpora vni, & eidem loco corresponsdeant; attamen semel posita hac penetratione, potest ex aliis capitibus repugnare, quod sequatur illuminatio illa: vel si Deus veller, ut non obstante penetratione, nihilominus sequeretur illuminatio, tunc teneretur, vel solum concurrere cum vno ex illis luminosis, quod ipse designaret; vel si veller concurrere cum ambobus, deberet applicate illa ad illuminandum partialiter, & modo supra explicato. Ex quo etiam patet ad confirmationem, quia in eo euentu concurrerent partialiter: quoniam non stat aliquam causam concurrere ut totalem, & quod non habeat explicationem, & concursum totalem ex parte primæ causæ.

Q V Æ S T I O IV.

*Utrum idem effectus possit esse à pluribus causis totalibus diuisim.*

**S**ensus tituli est: an v.g. calor, qui hinc & nunc producit ab hoc igne, qui in hoc loco, tempore, aliisque circumstantiis requisitis applicatur, produceretur idem numero ab alio igne: si eidem passio, & sub eisdem circumstantiis applicatus fuisset.

*Proponitur sententia affirmans.*

§. I.

46 **P**rima sententia asserit, non solum supernaturaliter; sed etiam naturaliter id fieri posse. Hanc tenet Scotus in 1. distinct. 20. quæst. 2. quam totis viribus conatur tueri P. Suarez tom. 1. suæ Metaphysicæ disputat. 26. sect. 5. Rub. tractat. 7. quæst. 2. & reliqui omnes Societatis Iesu, Suaderuntque primò sic: in specie leonis est generalis vis ad productionem cuiuslibet leonis, at in quolibet leone est tota vis suæ speciei, sicut & tota natura, & essentia: ergo quilibet leo poterit quodlibet indiuiduum suæ speciei producere.

O

Contra

Confirmatur: quia quilibet leo est ad minus æqualis perfectionis essentialis cum alio: ergo æqualis virtutis: ergo quidquid vnus potest producere, poterit & alter.

47 Secundò: idem effectus, qui fit à causa vniuoca, potest per se, & connaturaliter fieri à causa prima: ergo comparatione facta inter illas duas causas vniuocam, & æqui-uocam, ille effectus singularis non magis determinat sibi ex natura sua emanationem ab vna, quàm ab alia: ergo etiam comparatione facta inter causas vniuocas, non est cur effectus ille determinet sibi ex natura sua dimanare ab vna tantum.

Patet consequentia: tum quia si naturale esset diuini effectui determinare simpliciter vnā siue vni-uocam, siue æqui-uocam, saltem inter causas creatas: tum etiam, quia ratio quæ mouet ad dicendum effectum singularem dependere à causa singulari, ita vt per se, & non per accidens videatur ab illa produci, æquè potest applicari ad causam vni-uocam, & æqui-uocam: quia etiam dici poterat per accidens tantum ab altera produci, cum æquè benè posset ab illa fieri, si applicata fuisset.

48 Confirmatur: quia idem numero calor, qui fit ab hoc igne, posset produci non solum à Deo; sed etiam à sole: quia sol continet eminenter totam speciem caloris: nam licet causa vni-uoca non possit ferri in totam speciem, vt notauit Dñs Thomas 1.ª part. quæst. 45. artic. 5. ad primum, alioqui posset producere seipsam: benè tamen causa æqui-uoca, qualis est sol: quia inde non fieret, posse seipsam producere.

49 Tertiò: quia experientia constat eundem numero effectum, qui fieret ab vna causa, si applicaretur, fieri sæpè ab alia, quæ tunc applicetur: ergo, &c. Antecedens probatur: tum quia quacumque ratione bos intereat, siue à ingulante, siue suffocatus, &c. semper cadauer genitum ex illo est idem. Quid enim dicet, quod caro bouis interfecta à Petro sit alia numero distincta ab ea, quæ esset si à Ioanne necaretur? Tum etiam: quia eandem numero existentiam localem, quam hoc mobile habet in loco, posset & aliud habere, cum diuersi motus diuersorum animalium possint ad eundem locum terminari. Tum denique: quia idem numero lumen, quod ab vno agente produci-tur, experimur intendi ab alio: ergo iam lumen illud vt insensum produci-tur ab alia causa; sed idem numero est vt remissum, & vt intensum: ergo, &c.

Quartò: maior virtus requiritur in causa efficien-ti ad conseruandum, quàm ad producendum suum effectum: quandoquidem plurimæ causæ vni-uocæ possunt producere res quas conseruare nequeunt: at idem effectus potest à pluribus causis indifferenter conseruari: ergo & produci. Minor probatur: quia calor aquæ productus ab vno igne, potest postea ab alio igne conseruari.

*Præfertur sententia Dñi Thomæ.*

## § II.

30 **N**ihilominus dicendum est, implicare contradictionem, quod idem numero effectus fiat diuisim à duplici causa totali eiusdem ordinis. Hæc assertio aperte colligitur ex Diuo Thoma locis suprā citatis in quæstione præcedenti, & insuper ex quodlibeto 3. art. 8. vbi ita ait: *Impossibile est eundem filium nasci, siue sit alius pater, siue alia mater; sicut etiam non est idem numero sigillum, siue sit alia cera: siue sit aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur.* Quare sicut in sententia D. Thom. implicat esse

eandem figuram sigilli, si sit alia cera: quia figura illa indiuiduatur ab illo subiecto: ita implicabit esse eundem filium, siue sit alius pater, siue alia mater. Et ideo hanc sententiam sequuntur Thomistæ, Capreolus, Soncinas, Iabellus, Soto, & plures alij, quos refert, & sequitur Massius cap. 3. sect. 5. quæst. 3.

51 Probat in primis rationibus pro nostra sententia quæstione præcedenti factis: quandoquidem non minus hinc sequeretur, quod ille effectus, penderet, & non penderet per se à quavis ex illis causis. Et rursus, quod actiones illarum confunderentur, ita vt essent duæ, & non essent duæ, vt ex his, quæ ibidem diximus, proportionaliter tamen quoad præsens applicatis, & ex statim dicendis constabit.

Cæterum: quia assertio nostra peculiariter, & maxime procedit de causis totalibus eiusdem ordinis proximis, & vni-uocis, vt in explicatione tituli inuimus: ideo postquam eam, quoad omnes causas totales, & eiusdem ordinis confirmaram reliquimus, placuit peculiariter, quoad causas vni-uocas evertendo præcipuum fundamentum aduersariorum, illam suadere.

Probat ergo quoad prædictas causas sic: per hoc quod duo indiuidua sint eiusdem speciei fundamentaliter, non habent realiter vnā, & eandem indiuisam essentiam; sed solum quod essentia vnus sit realiter similis essentia alterius, vt patet ex his, quæ in Logica disputat. 3. diximus, & ideo proprium est solius naturæ diuinæ, vt eademmet omnino indiuisa reperiat in tribus personis: ergo per hoc quod eadem fundamentaliter natura, vel potentia actiua radicalis in vtroque indiuiduo resideat, solum habebunt esse similia in agendo, ita vt tales effectus inter se similes, tam in quantitate, (vt sic dicamus,) quàm in qualitate.

Confirmatur, & explicatur primò: licet in quavis re conceptus essentia; & conceptus naturæ aliquo modo distinguantur, attamen differentia indiuidualis non minus limitat rem, v. g. animam rationalem in ratione naturæ, quàm in ratione essentia: quia secundum vtramque rationem contrahit illam; sed per hoc quod anima limitetur in ratione essentia; per hanc differentiam indiuidualem, habet, quod non possit tribuere eundem effectum formalem, quem alia tribuit, ac proinde nec constituere eandem numero essentiam eiusdem compositi, quam alia constituit; sed aliam similem: ergo per hoc quod limitetur in ratione naturæ, vel potentia actiua radicalis, habebit, quod non possit producere eundem numero effectum; quem alia producit, sed alium similem.

52 Confirmatur, & explicatur secundò formalissima ratio potentia; operatiua radicalis, & humanæ abstracta à cunctis similibus potentiis aliquid amplius includit, quàm quævis singularis potentia: quandoquidem in ea continetur omnis vis actiua talis speciei, cum tamen in hoc, vel illo inferiori non inueniatur, nisi partita, & indiuisa: ergo sicut in illa ratione solummodo continetur vis, & facultas ad efficienda omnia, & singula indiuidua speciei humanæ, ita in peculiaribus, & singularibus potentiis indiuidualiter contractis, & partitis iam solum continetur peculiaris virtus ad peculiaria, & æqualia causando.

Patet consequentia: tum ex paritate rationis: tum etiam, quia ex quo capite descendit partita, non potest esse in eis virtus ita generalis, & extensa, sicut est in ratione illa formalissima, & abstracta, in qua omnes particulares potentia; operatiua continentur: & ex qua parte ratio talis potentia; descendit æqualiter partita, oportet, vt quodlibet in

individuum possit producere æqualia individua, tam in quantitate quam in qualitate, quantum cum natura diversorum individuum compatibile est.

*Obiectiones contra nostram rationem & solutio earum.*

## §. III.

53 **S**ed contra rationem hanc obiicit Pater Suarez: quod individuatione sola ipsius causæ non est sufficiens ratio, etiam ex parte ipsius, ut determinetur ad hæc peculiariter individua producenda, potius quam aliatur quia alioqui eadem facultate posset quis dicere, quod causam individua determinatur ex vi suæ individuationis ad vnum tantummodo individuum producendum, præsertim ex eodem subiecto; non secus ac causa vniuersa determinatur per differentiam specificam, ad efficienda sola individua illius speciei: tum etiam, quia alias inter individua vnius speciei esset essentialis subordinatio: quandoquidem quodlibet solum posset fieri ab aliquo determinato individuo illius speciei, & non ab alio: quod quidem pugnat cum natura in diuideri in intra eandem speciem, quæ sunt in infinitum multiplicabilia; cum tamen in causis essentialiter subordinatis non sit abire in infinitum, ut docet Aristot. 8. lib. huius operis.

54 Secundo obiicit Iunior quidam, discursum à nobis factum procedere secundum considerationem Metaphysicam non verò secundum philosophicam; in qua crassiori; & materialiori modo; & non cum his præcisionibus rationum superiorum; & inferiorum philosophandum est, nam sicut quodlibet individuum in suis actionibus physicis tantum intendit conseruationem speciei; & ad hanc conseruationem est per accidens, quod producat hoc vel illud individuum: per se autem quod fiat quodlibet aliud præter ipsum: ita obiectum; & terminus per se suæ potentie generatiuæ est quodlibet individuum præter ipsum, & consequenter tota latitudo speciei, se solo excepto.

Respondetur tamen ad primum: negando antecedens. Et ad probationem priorem: quod eadem facilitate, qua inferitur sequela; potest; & debent negari: sed cum firmiori fundamento: nam differentiam individualemente limitare naturam specificam; & vni eius radicaliter operatiuam satis patet ex dictis: & ex se constat; sicut & quod differentia specifica coarctat amplitudinem rationis generatiuæ: & quod hæc limitatio à differentia individuali proueniens non sit tanta, ut restringat virtutem operatiuam ad vnum tantummodo individuum; ex experientia ipsa liquet, & ratio suadet: quia sicut vnum individuum non amittit suam naturam & operandi virtutem, per hoc quod produxit aliud: & ita eo semel producto; per aliud; & aliud generare.

55 Ex quo fit singularia, quæ à quolibet individuo produci possunt, non esse numero finita; sed infinita in potentia, & syncategorematicè: quia ut dicebamus, quævis virtus actiua quantum est de se, nisi corrumpatur, vel labefactetur, non tot producit; quin plura possit producere: ut patet in intellectibus damnatorum respectu actuum, quos per totam æternitatem possunt elicere.

56 Cæterum cum hoc stat, ut hæc infinita individuum species correspondens virtuti actiuæ vnius individui; solum contineat peculiarem congeriem individuum dicentium ex se habitudinem ad talem causam: quia intra vnam speciem non solum possunt esse infinita individua; sed etiam infinites;

*Colleg. Compl. Physicæ*

infinita, & infinitæ individuum series, quarum quælibet distincta, & infinita contineat individua; ut in exemplo posito constat. Et ita sicut per differentiam specificam limitatur natura ad non producendum extra illam speciem: ita per individualemente ad non efficiendum extra illam seriem.

57 Et ad secundam probationem respondetur: quod ad essentialem subordinationem requirebatur influxus actualis omnium individuum quoties aliquod particulare individuum producendum erat; quod tamen in præsentem non inuenitur. Quare vnum individuum solum perit, ut si semel efficiendum est ab aliqua causa proxima creata, quod fiat ab hac, & non ab illa.

Ad secundam obiectionem: quod rationes Metaphysicæ verè fundantur in rebus ipsis Physicis; & ideo quævis limitatio in ipsis inuenta oritur ex limitatione Physica; & fundamentali earundem rerum. Vnde bene colligimus; quod tres personæ diuinæ habent à parte rei indiuisum omnino operandi modum ad extra: quia natura diuina in eisdem inuenta non est in illis partita partitione Metaphysica per diuersas differentias individuales: nam si semel eadem natura contraheretur in illis per distinctas differentias, tunc sicut bene colligeretur, non esse eundem numero Deum; ita neque habere omnino vnam & indiuisibilem operationem ad extra.

58 Et ad rationem, quæ in hac obiectione fit dicendum est, quod in homine verbi gratia, aliud est, loqui de intentione huius peculiaris virtutis operatiuæ; aliud verò de intentione potentie generatiuæ humanæ; si de prima fiat sermo, tunc non intenditur per se immediatè qualiscumque conseruatio speciei: sed ea, quæ per individua illius collectionis correspondens tali virtuti actiuæ potest fieri quamuis totum hoc ordinetur vltimatè ad absolutam speciei conseruationem: quia hæc peculiaris potentia generatiua; siue radicalis, siue proxima, est, ut sic dicamus quædam veluti pars potentie generatiuæ humanæ; & ideo ordinat ea quæ sunt sibi propria in conseruationem speciei humanæ absolute.

At si de intentione humanæ naturæ loquamur tunc sicut natura ipsa, & illius Author non per hanc determinatam potentiam actiuam; sed per omnes illius speciei operatur: ita potest per illam intentionem intendi conseruatio naturæ, siue sit in illis, siue in aliis individuis, ex his, quæ super sunt facienda. Et in hoc sensu potest ab illa prædicta conseruatio absolute intendi.

*Satisfit argumentis prima sententia.*

## §. IV.

**A**d primum, & eius confirmationem, patet ex modo dictis.

Ad secundum respondetur: quod à causa prima bene potest fieri idem numero effectus; qui sit à secunda, & vniuersa. At si Deus produceret illum per creationem, tunc operaretur: ut causa altissimi, & supremi ordinis; & respiceret illum effectum sub diuersa formaliter ratione: & ita non sequeretur, quod effectus penderet à duplici causa eiusdem ordinis, & sub eadem formali ratione: si verò Deus efficeret prædictum effectum per reductionem: tunc satis probabiliter dici posset, quod produceret illum, non ut causa particularis, sed ut vniuersalis.

59 Etenim, ut bene notauit Ledesma lib. de auxiliis q. illa vnica art. 15. in solutione ad 3. dicens: hanc esse mentem omnium Thomistarum; causa 1. etiam dum concurrat cum causis secundis addit ad eos effectus;

O 2



effectus, qui non implicant à causa prima sola fieri, præstet concursus ex se sufficientem ad illos, ut ita concurrat omnino independenti modo, & quali primam causam decet, quæ non ex necessitate, sed ex dignatione, (ut sic dicamus) admittit secum consortium alterius causæ inferioris in prædictis effectibus: quia admodum concurrendi causæ vniuersalis satis est, ut ex vi modi concurrendi attingat per se primo in effectum aliquam aliam rationem magis generalem, quam eam, quæ à causa particulari attingitur: nam eo ipso, & ex vi illius modi concurrendi admittere potest secum illam particularem causam, quæ simul, & semel efficiat effectum sub ratione aliqua magis inferiori, quatenus nimirum in sua illa speciali indiuiduorum serie continetur: & ita non sequitur, quod ille effectus fiat à duplici causa eiusdem ordinis.

60 Secundo responderetur: quod etsi demus Deum producere illum effectum ut causa particularis, nihil inde sequitur: quia solus Deus continet omnem determinationem, quæ est in illa causa particulari vniuersali, potente illum producere: & ideo concurrere ut eminenter continet illam determinationem, causæ secundæ ad talem numero effectum: & ita per se, & formaliter loquendo ab una solummodo causa penderet: quia terminus formalis illius dependentiæ est illa numero vis actiua cum his numero circumstantiis, siue habeat modum essendi eminentem, ut in Deo, siue modum essendi formalem, ut in creatura.

Ex quo etiam ad confirmationem quoad causas creatas, & æquiuocas patet. Vnde cum sol, verbi gratia, se solo producit calorem, non efficit illum numero, quem efficeret concurrendo cum igne: quia non continet eminenter, sicut Deus, omnem determinationem causæ particularis, & ita producit alium ex his, quæ in collectione illa, & serie indiuiduorum sibi correspondentium continetur: quæ quidem collectio sicut correspondet perfectiori virtuti, ita latior, & extensior est, quam ea, quæ huic igni v. g. correspondet.

Vnde licet non sit contra rationem causæ æquiuocæ ut sic, continere totam speciem: potest tamen continentia causæ æquiuocæ non se extendere ad totam speciem, ut in præsentis contingit: quia cum sol sit numero multiplicabilis, non potest cuius indiuiduo solis conuenire, ut contineat eminenter totam speciem, caloris: quia hic modus continendi, si dabilis esset non conueniret nisi toti speciei solis. Diximus, si dabilis esset, propter ea, quæ nuper tetigimus in discrimine posito inter Deum, & causas creatas quoad modum continendi alias.

61 Ad tertium negandum est antecedens. Ad primam probationem dicendum est, neque iugulantem, neque suffocantem bouem esse causam principalem formæ cadaueris; sed corum, vel elementum prædominans, vel Deum: & ideo pro identitate: vel diuersitate verbi gratia elementi prædominantis, erit identitas, vel diuersitas cadauerum.

Ad secundam negandum est antecedens: quia ad unitatem ubi, seu existentiam localem; non tam requiritur identitas loci, quam rei locatæ, non solum ut efficiens; sed ut causa materialis illius est. Vnde licet à Deo duo corpora penetrarentur; non ideo ex vi talis positionis haberent idem numero ubi, aut eandem existentiam in loco. Nec refert, quod duo motus ad

eundem terminentur locum intrinsecum: quia motus illi non sunt productiui talis loci saltem per se primo.

62 Ad tertiam probationem responderetur: quod cum intentio luminis dicat nouam communicationem eiusdem formæ, non mirum, quod sicut lumen illud sub ista ratione distinguitur aliquo modo à se ipso secundum suam speciem consideratum; ita possit à diuersa causa, ut sic sumptus, fieri; tunc tamen illa intentio ab illo agente producta, esset suo modo numero distincta ab ea, quam produceret aliud agens, quod primo prædictum lumen generauit.

Ad quartum dicendum est: quod aliquibus causis æquè facile est rem producere; & conseruare: ut patet in Deo, & in sole producente lumen: aliquibus vero æquè difficile, seu potius impossibile, ut patet in his, quæ actionis expertes sunt, aliis vero rebus partim facilius est producere, partim vero conseruare: homo enim producit hominem, quem conseruare non potest, & vestis illum conseruat, sed producere non valet.

63 Sed quomodocumque maior propositio intelligatur, distinguenda est minor: & si in ea fiat sermo de conseruatione, quæ distinguitur realiter à prima productione continuata; vera est; sed tunc negari debet consequentia: si vero de conseruatione; quæ idem est cum prima rei productione, tunc falsa est: quia una causa creata nequit effectum alterius conseruare, nisi conseruatione per accidens, & ut remouens contrarium, vel ut inducens qualitates rei conseruandæ congruas. Ad hanc vero conseruationem per accidens, nihil refert, quod concurrere possint multæ causæ per accidens, quarum quælibet introducat proprias, & congruas qualitates, si illas habuerit, & hæc de hac quæst. & disput. necnon de toto 2. libro Physicorum.



## LIBER TERTIUS

*Physicorum.*

### PROOEMIUM.

**I**N O s tractatum de natura, & causis entis naturalis: merito de motu in hoc libro sermo instituitur, quia cum motus sit prima, & præcipua passio inter omnes alias: quæ à natura oriuntur, ideo post traditam naturam notitiam oportebat, ut de motu prius, quam de aliis proprietatibus, sermo haberetur. Imò quia natura realiter sumpta etiam est principium actionis in aliud: ideo de actione, ac per consequens de passione, quæ eidem correspondet, disputabimus: ut sic vndeque ratio, & essentia naturæ etiam secundum ea, quæ eandem realiter comitantur, explicata maneat. Tandem quia motus est de genere continuorum, quibus conuenit, quod sint finita, vel infinita; ideo de infinito, & de pluribus ad id spectantibus ex professo disputationem texemus.

SUMMA

S V M M A T E X T V S  
totius Libri.

Q V Æ S T I O I.

*Verum definitio, quam Aristoteles de motu tradidit, scilicet, Quod est actus entis in potentia, secundum quod in potentia, sit legitima.*

**M**otum esse, res est sensibus etiam manifesta; licet non defuerit quidam Zenon Aristotele antiquior, qui existentiam motus negauerit. Ceterum ut quidam alius Philosophus dixit: sententia hæc potius ambulando, quam rationibus agendo, debet impugnari, & ideo quæstione *an est scilicet*, à quæstione *quid est* exordium sumimus inquirens: an prædicta definitio sit legitima.

*Rationes dubitandi proponuntur.*

§. I.

**P**artem negativam videntur suadere hæc argumenta. Primam est, quod motus intrinsicam importat habitudinem ad terminum, à quo, & ad quem; cum essentialiter habeat esse viam, & tendentiam inter illos; sed huiusmodi habitudo tradita motu definitione non explicatur; sed solum ordo ad obiectum, ut ex verbis eius patet: ergo nec quidditas motus.

Secundò: forma substantialis est actus entis in potentia, secundum quod in potentia; & tamen non est motus: ergo hæc definitio convenit aliis à definito. Minor probatur: nam est actus materię primæ, quæ est ens in potentia ad recipiendam talem formam; & secundum quod in potentia: quia non pro ut in actu; sed pro ut in potentia, est subiectum capax illius. Quod argumentum magis adhuc urget in formis, quæ ex se sunt viæ ad alias, ut forma seminis, & embryonis.

Confirmatur, calor remissus iam acquisitus, & manens in aqua, transacta calefactione, est actus entis existentis in potentia: nempe aque, & pro ut in potentia, siquidem adhuc habet in potentia ad recipiendum intensiorem calorem. At ibi non est motus, cum aqua tunc quiescat in illo calore acquisito: ergo prædicta definitio convenit aliis à definito.

2. Tertiò, quia non videtur particula illa *actus* fuisse recte posita in definitione motus; quoniam actus quicumque non relinquit subiectum in potentia; sed in actu: & ideo quia albedo est actus, reddit subiectum actu album; sed motus est actus entis in potentia, ac proinde relinquit illum in potentia: ergo non est actus.

*Explicatur, & defenditur definitio motus ab Aristotele tradita.*

§. II.

3. **S**ed nihilominus dicendum est, legitimam esse definitionem prædictam, quam admittit Divus Thomas in præsent, & prima parte, quæstione nona, articulo primo, in corpore, & ad primum & in distinct. 8. quæst. 3. artic. 1. & 2. contra Gent. capite 17. necnon & omnes Philosophi, atque Theologi; & ideo non oportet singulos referre

Q 2

Ceterum

**I**N primo ergo capite postquam Aristoteles rationem reddidit cur post tractatum de natura agit de motu, ne scilicet natura per motum definita lateat, latente motu: præmittit aliquas divisiones ad notitiam motus necessarias: ut divisionem entis in actum, & potentiam, necnon & in decem genera. Concluditque motum non constituisse speciale prædicamentum; sed ad sui termini genus reduci. Et statim in capite secundo tradidit definitionem motus, & singulas eius particulas explicat, & confirmat. Et tandem docet, motum non esse actum mouentis, sed mobilis: & ita in capite tercio statuit, motum non esse in mouente, sed in mobili; proponitque quæstionem illam: an idem sit actus mouentis, & mobilis seu agentis, & patientis, seu, ut alij inquireunt; an actio, & passio sint idem motus: adducitque argumenta pro utraque parte, eligit affirmatiuam, & respondet argumentis pro negativa.

In quarto agit de infinito, & probat ad Philosophum spectare discussionem illius: quia motus est de genere continuorum, ut patebit in sexto libro. At infinitum aliquando ingreditur definitionem continui, ut cum continuum definitur per resolutionem: tunc enim dicimus continuum esse diuisibile in infinitum. Deinde mouet quæstionem, an in rerum natura sit infinitum, adducitque argumenta in utramque partem. Et tandem aliquas definiti acceptiones explicat.

In quinto affert alia argumenta ad probandum, non dari infinitum, siue in substantia, siue in quantitate.

In sexto dissolvit quæstionem dicens, quodammodo dari infinitum, & quodammodo non dari: quia revera admittendum est infinitum in potentia; non verò infinitum in actu.

In septimo adducit definitionem infiniti ab antiquis traditam, & propriam profert. Et tandem in capite octavo respondet argumentis, quibus in quarto capite probauerat, dari infinitum: & ideo nos totam hanc materiam tribus disputationibus complectentes, eam ordine iam supradicto merito discutimus.

DISPUTATIO XVI.

DE ESSENTIA, ET QUIDDITATE  
motus in communi.

**E**rit de quidditate motus in communi disputatio præsens inscribitur: tum quia ab universaliioribus incipiendum est: tum quia mens Aristotelis in hoc libro tantum est agere de motu in communi: nam de motuum distinctione, & eorum specificis rationibus non discuit, usque ad quintum librum. Sic enim, ut infra dicemus, melius natura motus patebit.

Colleg. Compl. Physica.

Cæterum, vt eius sufficientia magis pateat, & simul natura motus amplius innotescat, curabimus eam, tam in generali, quam in particulari, vnà cum Aristotele confirmare, & idè duplex probationum genus adducemus: primum, quo generaliter; secundum verò quo specialiter, & discurrendo per singulas particulas ostendatur.

Probat ergo primò, & explicatur in generali tradita definitio, prænotando tamen prius ex Diuo Thoma in præsentī sectione secunda, quod aliqua res sub triplici statu potest considerari: nam aliquando est in actu tantum: aliquandò verò in potentia tantum: & tandem aliquando medio modo se habet, inter potentiam puram, & actum perfectum. Quando igitur est in potentia tantum, nondum mouetur: quando autem est in actu perfecto, iam non mouetur; sed mota est: tunc igitur mouetur, quando medio modo se habet inter potentiam, & actum, quando nimirum partim est in actu, & partim in potentia.

Hinc ergo facillè ostenditur, quomodo motus sit essentialiter actus entis in potentia secundum quod in potentia: nam hoc ipso, quòd relinquit subiectum partim in actu, partim in potentia, oportet, vt non sit potentia existentis in potentia; alioquin non relinqueret partim in actu. Neque sit actus existentis in actu; alias, non sineret subiectum esse partim in potentia; sed ex qua parte relinquit in actu, sit actus entis in potentia, seu mobilis actuati per ipsum: & ex qua parte relinquit illum in potentia, necesse est vt sit actus entis, prout in potentia quatenus ita actuatur, vt ex proprio actuandi modo, quia est via ad terminum, relinquat subiectum in potentia ad illum.

4. Secundò, bonitas, & sufficientia eiusdem definitionis non aliter melius ostendetur, quam discurrendo, vnà cum Aristotele per singulas particulas, & ostendendo, quàm benè cum natura motus cohercant. Ponitur ergo primo loco, & vice generis particula illa *actus* quæ vt melius intelligatur, notandum est, actum esse duplicem, alium perfectum, & est ille, qui sic subiectum actuatur, vt ex proprio actuandi modo non relinquat illud in potentia, & fluxu ad alium actum; qui sit illius terminus: vt calor, & albedo in esse quieto, & perfecto. Alium verò imperfectum, qui est talis conditionis, vt ex proprio actuandi modo, relinquat subiectum & potentialitatem eius inexpleram, & in fluxu, & consequenter ordinatam ad vltiorem, & perfectiorem actum tanquam ad terminum, & complementum talis actus imperfecti.

Cum ergo dicitur in definitione motus, esse actum, sumitur actus, prout abstrahit ab actu, siue perfecto, siue imperfecto; vt sic ratio actus possit loco generis poni, & motus cum aliis actibus aliqualem habeat conuenientiam. Et meritò sanè motus dicitur esse actus: & optimè probat Aristoteles in præsentī, & D. Thom. lect. 2. vbi sic ait: *Id, quo aliquid fit actu prius in potentia existens, est actus; sed aliquid fit actu, dum mouetur prius adhuc in potentia existens: ergo motus est actus.*

5. Additur deinde *entis in potentia*, quia vt optimè explicat, & probat Diu. Thomas ex Aristot. in præsentī: omnis actus eius est proprius actus, in quo semper inuenitur: sicut lumen, quia nunquam inuenitur, nisi in diaphano, est proprius actus eius; at motus semper inuenitur in ente, quod est in potentia: quia licet res agat, quatenus est in actu, non tamen mouetur ad aliqua, nisi quia est in potentia ad illud; & per consequens motus erit actus entis in potentia. Ex quo fit, per hanc particulam significari; tum quòd motus sit actus mobilis, qua mobile est: quia mobile,

vt tale, est ens in potentia ad motum, & idè idem est dicere, motum esse actum entis in potentia; & esse actum mobilis, vt explicat Diu. Thomas lect. 4.

Additur tandem vltima particula, scilicet, *secundum quod in potentia*; id est, quod motus est actus mobilis, secundum quod mobile intelligitur esse in potentia ad formam, & actum perfectum, seu terminum motus, & consequenter intelligitur esse aliquo modo sub priuatione illius, vt in questione sequenti dicemus: quia vt optimè expendit Angelicus Doctor loco citato: motus essentialiter dicitur fluxum, & tendentiam à termino à quo ad terminum ad quem. Ergo motus actuatur mobile secundum quod habet potentiam ad terminum, & aliquo modo intelligitur esse priuatum illo, atque adeò motus erit actus entis in potentia secundum quod in potentia, ly *secundum* sumpto specificatiuè, & reduplicatiuè: & idè hoc ipso, quod mobile non sit iam in potentia ad vltiorem perfectionem, vel terminum, requirit amplius moueri: tamdiu enim calefactio verbi gratia durat in aqua, quamdiu ipsa intelligitur esse in potentia ad perfectiorem caloris gradum adipiscendum.

6. Et Meritò sanè hoc per prædictam particulam denotatur: quia etsi hæc duo inter se cohercant, & quòd aliquid habeat potentiam receptiuam alieius formæ, & quòd nihilominus potentia illa sit expleta, & consequenter perfectè actuata: quia potentia ad formam per illius aduentum non destruitur, sed potius completur, & perficitur: at non potest stare, vt aliquid habens potentiam ad aliquam formam intelligatur esse in potentia ad illam; & quòd habeat prædictam potentialitatem omninò completam, & actuatam, siquidem adhuc intelligitur in potentia.

Quare vt denotetur, quomodo mobile, vt actuatum per motum, adhuc habeat potentiam ad terminum, & aliquo modo intelligatur esse sub priuatione illius: idè consulto in definitione dictum est: *Quod est actus entis in potentia*, seu mobilis, & non vtcumque, sed *secundum quod in potentia*. Et verè res sic se habet: quia quandiu intelligitur motus, nondum intelligitur omninò acquisitus actus, & perfectio motus: quia post motum, & fieri superest, vt intelligatur factum esse, & terminus motus, per quod vltimè perficitur mobile, & intelligitur habere expletam, & satiatam suam potentialitatem.

Ex quo fit, quòd per eandem particulam innuatur, motum esse essentialiter actum imperfectum per modum viæ, & fluxus: siquidem prædictus actuandi modus est proprius actus essentialiter vialis. Quod etiam docet S. Thom. in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. in corpore; sed de his iterum redibit sermo, questione sequenti: vbi etiam eorundem exactior intelligentia constabit.

*Satisfit rationibus dubitandi.*

### S. III.

7. AD argumenta igitur initio quæstionis posita, responderetur. Ad primum quod iuxta doctrinam Diu. Thom. lectione citata; saltè implicite in hac definitione continetur habitudo, illa quam motus ad vtrumque terminum dicit; nam ex eo quod dicitur esse actus entis, secundum quod, in potentia, innuitur ordo ad vltiorem actum, ad quem præmouet, & ordinat subiectum, ac proinde, & terminus ad quem: imò & per hoc etiam denotatur terminus à quo, quia denotatur ratio actus vialis ad nouum

nouum terminum, & per consequens transitus ab vno in alium terminum.

Ad secundum: quod forma substantialis perfecta illa scilicet, quæ ex se non ordinatur ad introductionem alterius, non actuatur materiam secundum quod in potentia, vel in ordine ad eandem formam: quandoquidem forma illa quatenus actuatur materiam primam, tollit omnino priuationem sui, vel in ordine ad alias: siquidem non ordinatur ad illas; & ita ex vi modi actuandi non actuatur, vt præmouens; & actus ordinans ad illas; secus verò motus, qui cum essentialiter sit via, & fluxus ad terminum habet ex vi modi actuandi actuare mobile, vt est in potentia ad eundem terminum.

8. Ad illud autem de formis substantialibus ex se ordinatis ad alias formas vt forma seminis, dicimus non esse actum entis in potentia secundum quod in potentia proxima: quod quidem petitur ad motum, & innuitur per ly *in potentia*. Nam cum motus sit ipse actus imperfectus, seu ipsa actualis via, & fluxus ad terminum ad quem, oportet, vt immediatè post ipsum sequatur ipse terminus: ac per consequens etiam necessarium erit, quod motus actuatur mobile, vt est in potentia omnino proxima ad terminum, quatenus nihil illi deest ad hoc, vt per ipsum actuatur. Vnde, & ipse motus suo modo complet hanc potentiam ex vi actuationis, & modi actuandi, quo est in mobili: quia est ipsa via ad terminum. Cæterum quantumuis ponatur in materia forma illa seminis, & licet suo modo, promoueat, & ordinet ad formam hominis: attamen sicut promouet, & ordinat remotè, ita actuatur materiam, vt est in potentia remota.

Et idem dicendum est de forma embrionis, aut alla quauis forma substantiali ordinata ad aliam; quia inter ipsam & formam illam ultimam mediat promotio illa, & ordinatio actualis, quæ fit per motum, seu mutationem, qua forma vltima acquiritur: & idèd solus iste motus, seu mutatio actuatur subiectum, prout est in potentia proxima.

Adde, quod motus, vt dicit ordinem ad vltiorem actum, ita dicit hunc ordinem, vt eius actuatione sit composibilis, siue secundum se totam, si fuerit mutatio instantanea, siue secundum aliquid sui, si fuerit successiua cum actualitate termini saltem primarij, ita vt possint esse in vno, & eodem instanti: quia sicut complet potentiam omnino proximam ad terminum: ita est composibilis cum illo: at cæteræ aliæ formæ, vt dicunt ordinem ad vltiorem actum, promouent ad illum per sui desitionem, vt optimè notauit D. Thom. loquens de alijs actibus imperfectis lect. citata his verbis: *Si actus imperfectus consideretur tantum vt in ordine ad vltiorem actum, secundum quod habet rationem potentie, non habet rationem motus, sed principij motus*: potest enim incipere calefactio, sicut à frigido ita & à tepido.

Ad confirmationem respondetur: quod etsi calor vt duo, actuatur aquam, quæ aliàs est in potentia ad vltiorem gradum; non tamen prout in potentia: quia etsi implicaret, aquam actuari vltiori gradu, posset recipere calorem vt duo: at si implicaret terminum actuare mobile, etiam implicaret, quod actuaretur per motum: quia est via, & transitus ad terminum. Sed hæc omnia statim amplius elucidabuntur.

9. Ad tertium respondetur ex Diuo Thom. in præsentī lect. 1. his verbis: *Considerandum est, quod antequam aliquid moueatur, est in potentia ad duos actus, scilicet ad actum perfectum, qui est terminus motus, & ad actum imperfectum, qui est motus. Sicut aqua antequam incipiat calefieri, est in potentia ad calefieri, & ad solidam esse: cum autem calefit, reducitur in*

*actum imperfectum, qui est motus, nondum in actum perfectum, qui est terminus motus, sed adhuc respectu ipsius remanet in potentia.* Vnde ad argumentum in forma distinguenda est illa maior, scilicet actus non relinquit subiectum in potentia, etsi intelligatur, quod non relinquit illud in potentia respectu eiusdem actus, concedenda est: secus verò si velit, quod non relinquit in potentia respectu alterius actus, ad quem ordinat, & promouet, quando prior actus est essentialiter imperfectus; & est essentialiter ipsa via.

## Q V A E S T I O II.

*Verum per hanc definitionem solus motus successiuis: an verò mutatio, prout abstrahit à successiua, & instantanea, definiatur.*

Semel explicata natura, & definitione motus oportet exponere, quod sit illius definitum; & idèd meritò quæstionem hanc statim post præcedentem excitamus.

*Explicatur titulus, & prior sententia refertur.*

### 5. I.

10 **M**utatio (vt sic quæstionis titulus maneat explicatus) multipliciter sumitur. Primò latissime, vt ambit quamcumque actionem spiritualem omnino independentem à materia secundum quam rationem intellectiones & volitiones Angelicæ nuncupantur motus, imò in hoc sensu D. Thom. 1. p. q. 9. art. 1. ad primum intellectiones; & volitiones diuinas appellauit motus. Secundò non ita amplè, sed prout mutationes etiam instantaneas à materia tamen dependentes comprehendit, siue illæ fuerint positivæ, siue priuativæ; vt corruptio substantialis: & siue illæ pendeant secundum suam substantiam, vt generatio substantialis, v. g. hominis: siue tantum secundum modum, & ex parte obiecti, vt intellectiones nostræ pro hoc statu consideratæ.

Tertiò tandem strictius, & proprius sumitur, prout solum stat pro motu successiuo. Qui hoc ipso, quod talis est, habet partes priores, & posteriores. Eo modo quo Aristoteles in 5. lib. huius operis illum sumpsit, dum dixit: ad tria tantum prædicamenta, scilicet quantitatem, qualitatem; & vbi, dari per se motum. In præsentī igitur non vocamus in dubium, an mutationes, vel motus omnino independentes à materia comprehendantur sub hac definitione ab Aristotele tradita, tanquam propria eius definita: siquidem motus isti non ad Philosophum naturalem; sed ad Metaphysicum, vel Theologum spectant, cum Philosophus ad ea solum, quæ materiam sensibilem concernunt per se primò attendat. Quare tantum inquirimus: an definitum huius definitionis sit solum motus successiuus; an verò motus, seu mutatio, prout abstrahit ab omni mutatione, siue successiua, siue instantanea; à materia tamen, siue quoad substantiam, siue quoad modum dependenti.

11 Magister Soto in præsentī q. 1. sentit, definitum huius definitionis solum esse motum successiuum, quem sequuti sunt Massius in hoc libro cap. 2. quæst. 2. dubitatione 5. Pereyra lib. 13. cap. 5. Conimb in præsentī c. 1. q. 1. art. 2. quos refert Rubio in hoc libro tract. 1.

Probatur

Probatum primò; quia motus hac definitione definitus importat, ut sit actus imperfectus relinquens subiectum partim in potentia, & partim in actu, ut iam diximus. Ergo debet habere diuersas partes, ut secundum aliquas earum actus subiectum, relinquens illud in potentia ad alias, quæ supersint: sed in mutatione instantanea, hoc ipso, quod instantanea est, huiusmodi partes signari nequeunt: non ergo sub hac definitione, ut proprium illius definitum comprehenditur.

Confirmatur primò: nam instantanea mutatio in eo instanti, in quo est, subito totam formam in subiectum inducit; subito ergo illud constituet in actu perfecto, & ex consequenti nunquam verum est, quod subiectum ex vi illius sit in actu imperfecto: ergo, &c.

12. Confirmatur secundò, motus qui hic definitur, relinquit mobile in potentia ad terminum, & consequenter priuatum illo: at mutatio instantanea, verbi gratia generatio substantialis, non potest villo modo relinquere mobile cum priuatione termini: ergo nec poterit illi prædicta definitio conuenire. Minor probatur: quia in eodem instanti reali non potest esse realiter forma, & priuatio illius; aliàs materia simul esset informata, & non informata, per talem formam; sed in instanti generationis introducit forma in materia. Ergo in illo nullo modo potest esse priuatio formæ, atque adeò neque pro aliquo priori naturæ poterit materia esse cum priuatione eiusdem formæ: quidquid enim pro aliqua prioritate naturæ ibi inuenitur, necesse est instanti illo temporis exerceri.

Secundò: nam ex opposito sequitur, creationem fuisse hic definitam ab Aristotele; sed eam sub hac definitione non comprehendendi, docet D. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 2. ad 2. & 4. ergo, &c. Sequela probatur: quia est instantanea mutatio de non esse ad esse, siquidem per eam res creata transit de non esse ad esse.

*Ex mente D. Thomæ quæstio deciditur.*

## §. II.

13. **N**ihilominus dicendum est primò. Mutationes instantaneæ, quæ sunt actus rei perfectæ quales sunt intellectiones, volitiones, & sensationes, non comprehenduntur sub hac definitione motus. Hæc est Aristot. 3. de Anima text. 22. vbi loquens de sensationibus sensuum, & volens motus hos distinguere ab aliis motibus, & mutationibus imperfectis, illis nimirum, quæ in præsentī definitæ sunt, sic ait: *Quapropter alia quedam est hæc (id est sensatio) species motus: nam motus est actus imperfecti, at actus simpliciter, qui quidem est rei perfectæ, alius est omnino diuersus ab illo.*

Quem locum expendens D. Thom. ibidem lect. 12. inquit: *Manifestum est, quod sentire si dicatur motus, est alia species ab ea, de qua determinatum est in libris Physicorum: ille enim motus est actus existens in potentia; sed iste motus est actus perfecti. Et 1. part. q. 18. art. 1. sic ait: Illa præcipue sunt viuientia, quæ seipsa secundum aliquam speciem motus mouent, siue accipiatur motus proprie: sicut dicitur actus imperfecti, id est existens in potentia: siue motus accipiatur communiter, prout motus dicitur actus perfecti: prout intelligere, & sentire, dicitur moueri, ut dicitur in 3. de Anima. Et hoc ipsum fatetur S. Doctor in eadem 1. part. q. 9. art. 1. ad 3. quem sequuntur Caietanus ibidem q. 18. Maius in hoc lib. cap. 3. q. 2. Conimbr. c. 1. huius operis q. 1. art. 2.*

licet alio fundamento ducti, necnon & plures ex discipulis D. Thomæ.

14. Probatum assertio ratione desumpta ex Aristotele, loco citato, & ex D. Thom. lect. 12. iam relata. Nam motus, qui hic definitur, est actus imperfectus, seu existens in potentia; sed intellectiones, & sensationes sunt actus existens in actu, & consequenter sunt actus perfecti: ergo definitio illa motus non conuenit illis. Minor probatur à Diuo Thoma, quia sunt operationes sensus, vel intellectus iam facti in actu per suam speciem: non enim sentire conuenit sensui, nisi actu existenti per illam, & prout in illo priori continet perfectionem sensationis specificam, & consequenter, prout præintelligitur perfectus, & secundus; cum tamen alij motus, quibus conuenit hæc definitio, non conueniant mobili, nisi prout in illo ordine censetur imperfectum, & in potentia.

Confirmatur, & explicatur ex eodem Angelico Doctore ibidem: nam motus, de quo in præsentī definitione fit sermo, petit terminum à quo: quia est actus entis in potentia: & idèd mobile debet aliquando esse sub priuatione, tam motus, quàm termini, ut disp. 4. num. 29. & deinceps dicebamus: at motus isti, sicut sunt actus rei perfectæ, & in actu existentissimæ licet requirant capacitatem ad motum: non tamen petunt, quod mobile sit in potentia; ac proinde nec per se loquendo, exigunt priuationem, tam motus, quàm termini: & idèd Adamus in eodem instanti, in quo productus est à Deo, habuit actum sensationis, & intellectus: ergo motus hi valde distinguuntur ab illis, qui in præsentī definitione definiti sunt.

15. Sed obiciet, motus, qui hic definitur, est omnis, & solus ille, qui positus est in definitione naturæ: at ille comprehendit sensationes, & intellectiones dependentes saltem, quoad modum à materia: & idèd anima, etiam prout rationalis, est natura: quia est principium horum motuum, ut disp. 7. num. 37. diximus: ergo, & motus hic definitus comprehendet etiam hos motus. Maior patet ex Aristot. in hoc libro cap. 1. vbi ait: se idèd de motu agere: quia positus est in definitione naturæ. Ergo eum solummodo motum definiuit, qui in eadem definitione collocatus est.

Respondetur, quod licet Aristoteles occasionem sumplerit ad agendum de motu, ex eo quod positus est in definitione naturæ; non tamen definiuit ipsum secundum istam rationem; ita ut omnes, & solos motus comprehenderet, quorum natura est principium: quia aliud est vnde sumitur occasio ad agendum de aliqua re, aliud verò id, de quo agitur.

Quare definiuit motum partim ut latius patebat, quàm secundum quod in definitione naturæ positus fuerat: quia definitio motus, quam tradidit, comprehendit etiam omnes motus artificiales, imò & violentos: ut calefactionem aquæ, quæ est eiusdem speciei cum calefactione aeris usque ad gradum sibi debitum: partim verò ut non ambit omnem motum naturalem, qualis est motus, qui est actus perfecti, de quo loquimur, quia solum definiuit motum imperfectiorem, qui est actus imperfecti, quod quidem satis illi erat, ut non maneret omnino latens definitio naturæ: quod ipse intendebat. Maxime, quia suis locis egit de aliis motibus, quorum natura non ita perspicua, & cognita facilis est, sicut natura motus, qui est actus imperfecti; ut ita quidditas naturæ maneret vndeque patens, & motus facilius cognitu præcederet doctrinæ ordine illum, qui difficilius cognoscitur.

Et colligitur solutio hæc ex Aristotele in præsentī cap. 2. & D. Thoma lect. 2. quatenus solum definiunt motum per hoc, quod sit actus imperfecti, id est, existens



existentis in potentia. Et insuper posita definitione motus statim exemplificanti in motu artificiali, & in alteratione imò ex motu artificiali confirmant rectam, & legitimam esse definitionem motus. Quare reiicienda est sententia Pereyraz loco supra citato dub. 8. & Masij in præsent. quæst. relata dub. 3. assertentium, motum violentum; artificialem non fuisse hîc definitos, quorum fundamenta iam ex dictis soluta manent.

16 Dicendum est secundò: generationem substantialem, & instantaneam, & quamlibet aliam momentaneam mutationem, quæ sit actus imperfecti, verè comprehendi sub hac definitione, siue illa sit positiua, siue priuatiua. Assertio hæc est Aristotelis, & D. Thomæ ut iam dicemus, quos sequuntur Ferrar. Toletus, Oña, Rubio & alij plures. Probat in primis ex Aristotele, qui post traditam definitionem statim exemplificauit in generatione substantiali, necnon & incorruptione: ergo sensit eam, & per consequens alias mutationes instantaneas similes ei, quæ sunt actus imperfecti, comprehendi sub hac definitione.

Nec refert prima solutio, quam adducunt aduersarij, quod Aristot. non posuit exemplum in generatione, & mutatione illa instantanea, quæ propriè generatio substantialis dicitur; sed in generatione largo modo sumpta, prout est idem, quod alteratio, & dispositiue saltem dicitur generatio. Nam contra hoc est quod Philosophus proposuerat exemplum in alteratione: ergo non proposuit illud postea in generatione prout est idem, quod alteratio; alioqui committeret nugationem, exemplificando bis in eadem re.

17 Similiter non obest secunda solutio, quam adducit Sot. q. 1. iam citata conc. 3. quod Aristot. non posuit exemplum in generatione tanquam in motu; sed tanquam in termino motus, quia generatio est terminus præcedentis alterationis. Nam contra hoc est, quia vel per hoc, quod sit terminus præcedenti alterationis, tollitur ab ea, quod sit motus, vel non. Si non tollitur habemus intentum; si tollitur: ergo Aristot. definiendo motum, & intendendo nobis per exemplum ostendere rem definitam, committeret maximum vitium, ostendendo aliquid, quod non clauditur sub definito, & cum exempla ad maiorem claritatem adducenda sint, fieret inde, ut hoc exemplum reiiciendum esset, ut potè patiens obscuritatem & confusionem.

Adde, quod alioqui eadem ratione potuisset exemplificare, in qualitate quæ est terminus alterationis, imò potiori titulo, quia est terminus proximior, & primarius illius: quare cum non exemplificauerit in termino aliorum motuum; bene tamen in termino alterationis, scilicet generatione substantiali, quæ ut disp. 10. n. m. 68. dictum est, habet esse: modo ibidem dicto terminum alterationis: sit inde, ut generatio ita sit terminus illius alterationis; quod sit etiam instantanea mutatio & motus quidam sub hac definitione comprehensus.

Et confirmatur ex D. Thoma in præsent. lect. 1. ubi explicans definitionem motus inquit: *Accipit enim hic motum communiter pro mutatione* (intelligit, quæ est actus existentis in potentia) *non autem strictè, secundum quod diuiditur contra generationem, & corruptionem*, quod etiam repetit lib. 5. lect. 2.

18 Deindè probatur assertio ratione desumpta ex eodem D. Thom. Nam motus (ut explicat S. Doctor) dicitur: *Actus entis in potentia, ut per hoc, quod dicitur actus, designetur ordo eius ad præcedentem potentiam: & per id, quod dicitur in potentia, existens, &c. designetur ordo eius ad ulteriorem actum*, sed totum hoc conuenit generationi substantiali, necnon, &

aliis mutationibus instantaneis iam dictis: ergo, & definitio motus.

Probat minor: quia quando generatio, v. g. ignis intelligitur *in fieri*: intelligitur subiectum in actu per generationem, ut ex se patet, & in potentia respectu termini *ad quem*: nam in illo priori non intelligitur subiectum sub forma genitralioqui non conciperetur generatio in illo priori solum *in fieri*, sed *in facto esse*, cum tamen licet simul sint ibidem *fieri*, & *factum esse*: nihilominus prius debeamus intelligere *fieri*, quàm *factum*; quia *factum esse* attingitur per ipsum *fieri*: ergo in illo priori intelligitur subiectum esse aliquo modo in potentia ad terminum *ad quem*.

19 Confirmatur, & explicatur, quia sicut lignum, ut diximus ex D. Thoma quæstione præcedenti, antequam calefiat, est in potentia ad duo, scilicet ad calorem, & calefactionem, ita subiectum generationis, antequam adueniat forma substantialis, est in potentia ad alia duo, scilicet ad ipsam formam, & ad fieri, seu transitum ad illam: quia sicut calefactio distinguitur à calore: ita & generatio substantialis à forma quæ generatur: at generatio substantialis, prout distincta à forma, non est actus perfectus; sed vialis: quia totum eius esse consistit in hoc, quod sit via ad illam ordinans, & promouens subiectum ad eandem: ergo erit actus entis in potentia, secundum quod tale subiectum est in via, & consequenter in potentia ad terminum. Ergo cum rationes hæc eodem modo procedant (seruata tamen proportione) in aliis motibus instantaneis, quæ sunt rei imperfectæ, siue sint negatiuæ, siue priuatiuæ, ut intenti patebit fiet inde, omnes illas sub hac definitione comprehendi.

*Occurritur fundamentis prima sententia.*

### S. III.

20 **A**D primum ergo pro sententiâ opposita dicendum est: quod ad hoc ut mutatio aliqua sit ex motibus, quos hîc definiuit Aristot. non est necesse, ut in ea distinctæ partes assignentur: hoc enim solum desideratur pro motibus successiuis: neque quod secundum aliquas informent mobile, relinquens illud in potentia ad vteriores; sed satis erit, si prout est saltem aliquantulum prior natura, quàm terminus (quam prioritatem debemus ei concedere) constituat seipsa subiectum partim in actu, relinquendo illud in potentia ad formam, quæ etsi in alio signo naturæ mobile informandum sit, nihilominus pro illo signo naturæ intelligitur aliquo modo eâ priuatum.

Et eodem modo ad primam confirmationem respondetur: quod etsi in eodem instanti subito indicatur tota forma, adhuc est prius prioritate naturæ fieri formæ, quàm factum esse illius, & ita prima natura est sub statu imperfecto, quàm sub perfecto.

21 Ad secundam confirmationem respondetur: quod licet mobile quod nunquam habuit veram, & realem priuationem, pro aliqua reali temporis duratione, non possit cum fundamento in se intelligi habere illam; in instanti generationis pro aliquo priori naturæ, ut ex dictis supra disp. 4. n. 28. & deinceps constat; si tamen in aliqua reali duratione illam habuerit, ut contingit in generationibus substantialibus quæ omnino connaturaliter fiunt: qui ratione dispositionum ad hanc numero formam introducendam præest materia potentia proxima ad illam potius quàm ad aliam: ac proinde, & priuatio huius, potius quàm alterius; tunc poterit cum fundamento in re intelligi in illo instanti generationis, quod pro aliquo priori naturæ sit aliquo modo materia priuata tali forma.

yc

Vt autem hoc melius intelligatur, notandum est, quod sicut forma quælibet potest dupliciter considerari, scilicet *in fieri*, & *in facto esse*: ita priuatio suo modo duplicem quasi statum habet; scilicet *in corrupti*, & *in corrupto*; ita tamen ut duo hi status hoc ordine illi contineantur, ut nimirum cum forma est *in generari*, seu *introducitur*, tunc priuatio sit *in corrupti*; cum vero forma est *in facto esse*, tunc priuatio talis formæ sit *in corrupto esse* & ita licet intelligatur *fieri* formæ; nihilominus usque dum intelligatur forma *in facto esse*, non intelligitur priuatio in corrupto esse; sed tantum intelligitur *in corrupti*, sicut & ipsa forma *in fieri* & ideo mobile pro illo priori concipitur esse aliquo modo sub priuatione illius.

Vnde per hoc satis patet ad illud, quod ultimo loco in argumento dicitur; nam licet illud instans reale sit instans mensurans non esse priuationis; nihilominus hoc non obstante, intelligitur cum aliquo fundamento in re, quod aliquo modo sit; quatenus quantumvis momentaneè desinat, & absolute, ac simpliciter loquendo in eo instanti non sit adhuc tamen prius est quod intelligatur corrupti, quam corrupta esse, & eatenus intelligitur aliquo modo esse, quatenus intelligitur nondum quasi *in facto esse* corrupta.

22 Ad secundum responderetur ex D. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 3 & 3. contra Gent. cap. 10. & q. 3. de potentia art. 3. quod creatio à ratione veræ mutationis deficit: quia non habet subiectum reale manens sub utroque termino, scilicet *sub non esse*, & *esse*. Vnde creatio non est actio, qua accidens creatum sit petens subiectum; quod prius natura fuerit *sub non esse* talis accidentis, & postmodum *sub illo*; sed est ipsa æterna intellectio, & volitio Dei connotans effectum in tempore, ut docet idem Sanctus Doctor in solutione ad 1.

Nec refert, si dixeris, quod ipsa creatura est effectus in fieri, ut ab hoc, scilicet à Deo, & consequenter extra Deum est fieri talis creaturæ, quod non potest non esse aliqua actio transiens proindeque accidens petens subiectum sub utroque termino: non inquam hoc refert: nam distinguendum est primum antecedens, et si sensus eius sit, quod extra Deum est aliquis effectus *in fieri*, ita ut illud fieri sit aliquid absolutum in creatura, & ab ipsa distinctum, negandum est: si verò sensus sit, quod addit ad summum nouam relationem prædicamentalem in effectu nouiter producto, concedendum est; & consequenter debet negari consequentia: quia ad hoc, ut consequens in ea contentum esset verum, requirebatur, ut antecedens in priori sensu non esset falsum.

### QVÆSTIO III.

*Verum motus realiter distinguatur à termino ad quem.*

23 **M**erito intitulo distinctionem illam *ad quem* addidimus: nam motum distinguere à termino à quo est ita perspicuum, ut discussionem non indigeat: nam cum motus, & terminus à quo ita inter se comparentur, ut ac inceptionem vnius desinat alter, vel simpliciter, vel quia à mobili necessario deseritur: ideo communiter consentiunt Doctores in hoc, quod re ipsa seu secluso intellectu distinguantur. Vnde quæstionis titulus de sola distinctione motus à termino *ad quem* procedit.

*Proponuntur duæ extrema sententia.*

§ I.

24 **P**rima sententia affirmat, motum, & terminum *ad quem* distinguere sola ratione ratiocinata. Ita Massius in præfati sect. 1. cap. 3. quæst. 4: qui refert pro ea Capreolus, Soncin, Ferrar, Iabellum, & quam plures alios. Probatur primò, forma in fieri est formaliter ipse motus: quia cum sit in statu viali, est actus entis in potentia secundum quod in potentia; sed forma in fieri non distinguitur re ipsa à seipsa in facto esse: ergo nec motus distinguitur re ipsa à termino, siue in fieri siue in facto esse, Minor Probatur; quia ad ipsum, quod modo fit, est postea *in facto esse*.

25 Secundò: si motus, & terminus distinguerentur realiter, fieret inde, quod quando aqua calefit ab igne moueretur duplici motu, vel mutatione, quod est falsum: nam sicut non est ibidem, nisi vnica tantum actio, & passio; ita etiam vnicus tantum motus. Probatur sequela: quia acquireret duplicem realitatem, quam antea non habebat scilicet terminum, & motum: & per earum quamlibet aliter se haberet tunc, quam prius: ergo & per quamlibet mutabitur, & ex consequenti duplici mutatione.

Tertiò; quia eo ipso, quod receptio, v. g. caloris in aqua, intelligatur, etiam si receptionem alicuius alterius realitatis realiter distinctæ non concipias; intelliges ad esse ibi veram aliquam mutationem: cum ex vi illius receptionis transeat aqua ab vno termino ad alium, ac per consequens habeat se aliter nunc, quam prius, ergo frustra additur ad hoc, ut ibidem adit mutatio, aliqua realitas distincta ab ipso calore recepto.

26 Secunda sententia ex diametro huic opposita tenet, motum, & terminum distinguere realiter, sicut res à re. Refertur pro hac à Conimbric. Aureolus, apud Capreol. in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. Argen. in 2. dist. 19. q. 1. Benetus ad cap. 3. huius libri & plures alij. Et probari potest ratione sic. Motus potest esse sine termino, & e contra: ergo distinguuntur sicut res à re. Consequentia patet; & antecedens quoad primam partem scilicet terminum posse esse sine motu; satis e iam constare: quia finito motu manet terminus. Quoad priorem verò partem etiam videtur manifestum: quia antequam acquiratur terminus factus per motum successiuum, v. g. calor ut sex, iam est ipse motus cum talis calor in fine motus acquiratur: ergo, &c.

*Expediuntur difficultates.*

§ II.

27 **N**ihilominus dicendum est primò: motum, & terminum non sola ratione ratiocinata; sed reali, formali, aut modali distinctione, & secluso intellectu distinguere. Assertionem hanc communiter docent Thomistæ.

28 Probatur primò: motus re ipsa, & ante omnem intellectus operationem est via ad terminum, & fieri illius, & si de motu strictius sumpto loquamur, est quid successiuum; terminus vero est quid permanens, & per talem motum acquisitus: ergo seclusa intellectus operatione inter se distinguuntur. Antecedens quoad secundam partem satis patet. Quoad primam verò etiam constat nam terminus reuera sit, seu acquiratur: ergo per aliquam viam, sed non est alia nisi motus: ergo, &c. Ex quo etiam consequentia satis liquet: nam eadem omnino res nequit sine vlla reali distinctione esse re ipsa quid permanens, & quid

quid successuum, & via realis ad seipsam.

Confirmatur, hoc ipso quod motus sit via, & fluxus ad terminum, comparatur cum illo terminus, non utcumque; sed tanquam aliquid; quod reipsa ab eo potest separari: siquidem finito motu, & via, manet terminus: at quæ sic inter se conferuntur, necessarium est, ut seclusa intellectus operatione inter se distinguantur; alias enim idem maneret, & non maneret, & à seipso realiter separaretur: ergo, &c.

Respondet cum authoribus oppositæ sententiæ: quod in entitate termini, sunt duæ formalitates: vnde etsi secundum vnam, & eandem formalitatem non possit entitas illa ea, quæ in argumento referuntur habere; bene tamen secundum diuersas, diuersitate rationis habent in re fundamentum: nam sicut hæc distinctio sat est, ad hoc ut ens quatenus verum, sit reipsa obiectum intellectus; non verò ut bonum: ad hoc ut actio sit complementum virtutis actiue; non verò passio: sic sufficit, ad hoc quod motus sit quid successuum, & via ad terminum; terminus verò quid permanens; & acquisitum, per motum.

Ad confirmationem verò dicunt, perire motum secundum formalitatem, manere verò secundum realitatem, seu entitatem. Vnde non distinguitur reipsa, seu secluso intellectu à termino: quia ad id necessarium erat, ut periret secundum realitatem, & entitatem.

29. Sed contra priorem solutionem obest, quod ad minus in præsentī distinctio hæc non potest sufficere ad hoc, ut motus sit reuera quid successuum, & realis via; terminus verò quid permanens per motum productum: nam realis vir realiter, & secluso intellectu est prior natura ex eo, quod per eam acquiritur, scilicet termino. Ergo realiter ab ea terminus pendet, atque adeo, & realiter seu secluso intellectu ab illa distinguitur: non enim potest aliquid realiter, & actualiter ab alio pendere, quin sic ab illo distinctum sit.

Deinde realitas successiva talis naturæ est, ut tantum sit præsens in aliquo nunc, & in omni opinione non habet omnes partes simul; sed ad summum est præsens per aliquam minimam, & imperceptibilem partem fluenter transeuntem; sed de ratione realitatis permanentis est, quod omnes suas partes habeat simul: quomodo ergo stabit eandem omnino realitatem partes suas reales habere, & non habere?

30 Similiter contra solutionem confirmationis obstat: quod vel illa formalitas motus, quæ perit, manente termino, est aliquid reale, vel non: hoc secundum dici nequit, inde lenim sequetur, quod purum nihil erat realiter identificatum cum realitate termini: imò etiam quod terminus dependebat à puto nihilo, tanquam à vera via, seu fieri sui.

Quod si primum dixeris: ergo cum motus definit, corrumpitur aliquid reale, & positium, ac proinde eo corrupto, non potest tertius identificari per omnimodam identitatem realem cum illo: quomodo enim cum illa realitate, quæ tunc non est, potest aliquid à parte rei existens ita esse idem; ut ab eo, secluso intellectu; non distinguatur? Ex quo ulterius colligitur id, quod intendimus, scilicet quod antequam motus defineret, non erat ita idem cum termino, ut aliquo genere distinctionis realis non distinguerentur: non enim ex separatione oritur distinctio; sed è contra, ex præsupposita distinctione, separatio. Sicuti non ex inseparabilitate identitas; alias materia, & forma vnum, & idem essent; sed ex identitate omnimoda inseparabilitas ortum ducit, sed de his latius in Logica diximus.

Secundò principaliter probatur assertio: quia ex

opposita sententia sequeretur, actionem generatiuam Lazari, & suscitatiuam eiusdem, & à Christo Domino elicitam, esse omnino idem, ita ut sola ratione ratiocinata distinguerentur; sed hoc satis constat esse falsum: quia sunt actiones duarum causarum particulatum, & distinctis temporibus elicite: ergo, &c. Pater sequela ex illo communi axioma: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: sed si actio non distinguitur à termino vlla reali distinctione, fieret inde, ut quælibet ex his actionibus esset omnino indistincta, secluso intellectu, à termino: ergo & eandem indistinctionem haberent inter se.

31. Dicendum est secundò, motum non distingui à termino distinctione rei ad rem. Hæc est D. Thom. lib. 5. huius operis ad text. 9. Alex. Auerois, Themistij, Soncin. 5. Metaph. q. 36. & communis inter Thomistas. Item Conimb. lib. 3. c. 1. q. 3. Sicut in sua Metaph. disp. 49. sect. 2. num. 5. Rub. in præsentī, & alij. Probatur facile: nam ut ex Diuo Thom. q. 1. diximus: motus, de quo in præsentī est sermo, est actus imperfectissimus inter omnes actus, quippe qui est essentialiter vialis, atque ita non pertingit ad hoc, ut sit ens per modum rei, & entitatis; sed solum ob suam imperfectionem est quædam formalitas, aut quidam modus ipsius termini: ergo non distinguitur ab illo, ut res à re.

*Occurritur argumentis utriusque sententiæ.*

### S. III.

32. **A**D primum ergo pro prima sententia: motum non esse formaliter formam, quæ est in fieri; sed ipsum fieri, & fluxum ad illam, ut innuit D. Th. 11. Metaphysicæ lectio 9. Vnde prædicta forma non est actus entis in potentia, secundum quod in potentia; sed solum id conuenit fluxu ad illam, qui ab ea secluso intellectu distinguitur.

33 Ad secundum principale respondetur ex D. Th. in præsentī lect. 2. negando sequelam: quia etsi dum aqua calefit, recipiat ibi duplicem realitatem, & actum; attamen vnus eorum est vialis; secus verò alius. Et ideo tantum hic vialis erit motus, quate actus perfectus immutabit aquam *ut quod*, & imperfectus, *ut quo*: atque adeo ibi tantum erit vnus motus: quia ad vnicum motum requiritur tam actus imperfectus, quam alius perfectus; quandoquidem quiuus motus est transitus, ecce actum imperfectum: ab vno in alium terminum, ecce actum perfectum: & ita definitur, quod sit actus entis in potentia, secundum quod in potentia; scilicet ad actum perfectum.

Ad tertium respondetur: hoc ipso quod intelligatur de nouo aduenire receptionem termini saltem primarij intelligi ibi viam, per quam de nouo talis terminus est acquisitus, nec potest intelligi mobile per talem terminum aliter se habere nunc, quam prius; nisi intelligatur tunc de nouo recipi, seu acquiri ab illo: Quod si non intelligitur tunc de nouo aduenire, non mutabitur mobile tunc; sed præsupponitur iam antea mutatum.

Ad fundamentum secundæ sententiæ facile constat: nam etsi terminus vltimatus motus successiui non sit, dum incipit motus; semper tamen est simul cum eo aliquis terminus intermedius, & ita nequit à termino separatus consistere, ac proinde neque distingui, ut res à re ab illo.

QVÆST

## QVÆSTIO IV.

*Verum omnis motus subieciatur in mobili?*

34. **C**onsulto in titulo addidimus illam particulam *omnis*: quia de motu alterationis, & augmentationis certum est esse in mobili, quod augetur; & alteratur: nam cum formæ acquiratur per hunc motum sine in mobili, non possunt non motus ad eandem terminari subiectari in illo. Quid autem de generatione substantiali dicendum sit, iam supra innuimus, & amplius, alibi Deo dante, dicemus. Quare totahuius questionis controversia ad motum localem devolvitur: an nimirum in mobili ipso, an verò in corpore locante, utrum subiecto recipiatur.

*Refertur sententia negativa.*

## §. I.

35. **P**artem negativam tumentur Soncin. 3. Metaph. quæst. 40. ad 1. Gregor. in 2. d. 1. q. 4. art. 1. Hæruus quodlib. 1. q. 9. Fons. 5. Metaphys. c. 15. quæst. 10. sect. 5. ad 3. & sect. 3. Et probatur primò testimonio Arist. 8. lib. huius operis text. 59. asserentis: motum localem esse omnium perfectissimum: quia mobile ex vi illius nullam formam sibi inhærentem acquirit, & ideo minus in potentia esse censetur, dum localiter, quam dum alio motu movetur. Ergo motus iste subieciabitur in alio præterquam in mobili: nam si in eo reciperetur, etiam esset in illo terminus per illum productus, & consequenter ex vi illius acquireret formam inhærentem.

Et confirmatur ex D. Thom. 3. contra Gent. c. 82. ratione 6. & in 4. d. 44. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 2. ad primum, & quartum, & 1. part. q. 10. art. 3. in corpore, ubi sic ait: *Inter omnes motus corporeos perfectior est motus localis, ut probatur 8. Physic. cuius ratio est: quia mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum, in quantum huiusmodi, sed solum ad aliquid extrinsecum, scilicet locum.*

Secundò: nam terminus motus localis est locus; sed solus est in corpore locante, cum sit ultima superficies corporis continentis: ergo & motus: ne via, & fieri sit in vno subiecto, & factum esse in alio. Maior sic ostenditur: tum quia id: quod acquiritur per motum, est eius terminus; at per motum localem acquiritur locus: ergo, &c. tum etiam, quia motus denominatur à termino *ad quem*, ut docet Philosoph. 5. Physic. cap. 4. D. Thom. 3. part. quæst. 35. art. 1. ad 2. at motus localis denominatur à loco, cum ly *localis* sit denominativum loci. Tum denique quia acquisitio loci est actus entis in potentia, secundum quod in potentia: nam dum mobile acquirit locum est in fluxu, & tendentia ita ut aliqua pars loci sit acquisita, & alia restet acquirenda: ergo cum illa acquisitio non possit esse alius motus, nisi localis consequens est, ut motus localis sit acquisitio loci, ac proinde habeat pro termino locum.

Adde, quod per motum localem non solum acquiritur, sed prodicitur locus: quia per illum scinditur corpus locans, & ex consequenti producitur superficies ambiens locatum, quæ est locus, sed ibi est productio, ubi fuerit id, quod per eam producitur: ergo, &c.

## §. II.

36. **N**ihilominus dicendum est: motum localem; ac per consequens, & omnem motum esse subiectivè in mobili. Hæc est Aristot. & D. Thom. vti iam diximus, quos sequuntur Ferrar. 4. contra Gen. cap. 81. Masius, Rubio, & Soto in præsentis Confut. 4. cap. huius libri, quæst. 2. art. 1. qui plures alios referunt. Et probatur in primis ex Aristot. in hoc lib. cap. 2. ubi definiens iterum motum (ut D. Thom. ibidem lect. 4. explicat.) ait: *Motus est actus mobilis, prout mobile est.* Et eodem cap. docet. *Eundem motum esse actum motui, & mobilis: motui quidem, ut à quo; mobilis verò, ut in quo.*

Et confirmatur ex D. Thom. qui in præsentis lect. 4. sic ait: *Quia enim motus est actus existentis in potentia, in quantum huiusmodi: existens autem in potentia, in quantum huiusmodi, est mobile, sequitur quod motus est actus mobilis, in quantum huiusmodi.* Et hoc ipsum docet in 2. dist. 12. art. 1. ad 5.

37. Probatur ratione desumpta ex Aristotele locis citatis. Omnis forma, seu actus ibi est, ut in subiecto, ubi suus formalis effectus invenitur: sicut ibi erit albedo, ubi fuerit album, quod est effectus formalis illius; sed moveri localiter, quod est formalis effectus motus localis, non in corpore locante ut tali, sed in ipso mobili reperitur: ergo motus localis non in illo; sed in hoc, ut in subiecto erit. Minor quoad posteriorem partem patet satis; quoad primam verò etiam constat: quia corpus locans, ut tale involuit locum, & locus est immobilis, ut ex definitione ipsius constat. Imò corpus ipsum locans materialiter sumptum non est necesse, ut moveatur, dum mobile per illud transit: ergo, &c.

Quam rationem compendiosè tetigit Divus Thom. aliis verbis in præsentis lect. 4. dicens: *Manifestum est quod actus cuiuslibet est in eo cuius est actus: & si manifestum est, quod actus motus est in mobili, cum sic actus mobilis.*

Secundo, ibi est subiectivè motus, ubi est terminus eius primarius; sed ubi, quod est terminus primarius motus localis, ut in Logica diximus, est in mobili: ergo & ipse motus. Maior patet: quia cum motus sit via, & transitus subiecti ad terminum, necesse est, ut ibidem sit, ubi est terminus: quomodo enim posset aliquid transire ad terminum nisi per viam, quæ in ipso sit? Minor verò etiam constat: quia ubi nihil est aliud, quam præsentia locati ad locum, seu ad superficiem ambientem, quam præsentiam certum est esse intrinsecam, seu in hærentem mobili.

*Diluuntur argumenta prima sententia.*

## §. III.

38. **A**d primum ergo oppositæ sententiæ respondetur: intentum Aristotelis non esse per motum localem nullam prorsus formam mobili intrinsecam acquiri, sed formam illam, etsi inhæreat in mobili; non tamen esse ita absolutam, sicut illa, quæ per alterationem, seu augmentationem comparatur. Unde statim subdit: *Ut cum quid alteratur, qualitas: dum quid augetur, & decrescit, quantitas*: quod idem est, ac si diceret, ubi, seu terminum per se primum per motum localem acquisitum non esse formam, ita absolutam, aut conferentem esse eo modo, quo quantitas, & qualitas illud conferunt, sed

sed tantum tribuere specialem modum se habendi, qui longe minoris entitatis est. Ex quo etiam fit, subiectum minorem habere potentiam passiuam in ordine ad prædictum terminum, & motum ad eum tendentem in minori potentialiter subiectum relinquere, quod satis est, ad hoc ut motus localis ceteros motus in perfectione excedat: siue hic excessus accidentalis sit, siue essentialis, specieque motum localem à cæteris distinguens, de quo modo non disputamus.

Ex quo ad confirmationem ex D. Thom. desumptam respondetur: S. Doctorem eodem modo esse intelligendum, ac intelligitur Philosophus. Vnde dixit: mobile esse solum in potentia ad aliquid extrinsecum, id est, ad aliquid resultans ex aliquo extrinseco: modo tamen in Logica dicto, & in quarto libro amplius explicando. Et desumitur hæc solutio ex aliis verbis eiusdem D. Thom. quæ habentur de 1. Cælo lect. 6. ubi docet: motum secundum locum causare minimam variationem in mobili. Ex quo sequitur, ut non omnino nullam, sed aliquam, etsi minimam causet, proindeque, & quod aliqua forma mobili intrinseca, quæ valde diminuat entitatis sit, & quæ hanc variationem causandam sufficiat, in illo reperiatur. Quare cum S. Doct. in locis præ notata conclusione citatis motum esse actum mobilis, dicat, & ex testimonio, quod pro se aduersarij adducunt nisi iuxta hanc autoritatem ex libro de Cælo desumptam explicetur, manifestè oppositum sequatur: inde fit, ut vel sic necessariò intelligendum sit, vel dicendum, sanctum Doctorem sibi ipsi contradicere, modoque vnum, modoque aliud (quod absit) affirmare.

39 Ad secundum neganda est maior: nam terminus per se primò intentus non est nisi prædicta vbicatio, quia motus eo tendit, ut mobile habeat præsentiam ad locum, quæ quidem præsentia est illi intrinseca, seu inherens. Per quod patet ad primam probationem maioris. Et ad secundam responderetur: non esse inconueniens motum denominari ab aliquo, quod sit per se coniunctum cum termino per se primò intento, quando illud est notius: neque inde aliud sequitur inconueniens; at locus notior, & sensibilior est, quàm vbicatio, præter quàm quod motus dicitur etiam localis: quia terminatur ad præsentiam localem.

Ad tertiam probationem respondetur: acquisitionem loci esse motum, non quidem qua ratione est acquisitio illius extrinsecæ denominationis prouenientis à loco; sed qua ratione est acquisitio alicuius inherens, scilicet vbicationis passivæ: licet hæc sit talis naturæ, ut non acquiratur, nisi ex adiacentia loci circa locatum, eo modo, quem infra libro quarto, disputatione prima dicemus. Et ratio est: nam cum terminus motus conducat ad mutationem mobilis vnà cum motu tanquam id, quod immutat, ut quod, nequirit hoc munus præstare, nisi simul esset aliquid inherens in eo subiecto, in quo est motus immutans ut quo: & ita externa denominatio nequit esse terminus per se primus motus.

40 Ad id, quod additur, dicendum est: quod etsi dum localiter corpus mouetur, sæpè producat ambientem superficiem: non tamen id præstat per motum localem, ut talis est; sed per actionem aliam accidentaliter cum motu coniunctam: & ita motus à potentia loco motiua, vel à grauitate, aut leuitate tanquam à principio per se procedit, scissio verò illa à quantitate potest prouenire. Vnde cum principia actionum illarum sint adeo distincta, & actiones ipsas inter se distingui necesse erit.

Colleg. Compl. Physica

Quibus etiam accedit, quod sæpè solet esse scissio illa sine aliquo locali motu ipsius corporis, quod actiue scindit: ut patet in saxo in medio fluminis posito, quod satis conuincit esse realem distinctionem inter actionem scissiuam, & motum localem. Quapropter actio scissiuæ, quæ accidentaliter motui illi coniuncta est, recipitur in locante, ubi proprius adest terminus; motus verò localis vnà cum vbicatione per illum producta in mobili tanquam in subiecto erit.



## DISPUTATIO XVII.

DE ACTIONE, ET PASIONE,  
tam inter se, quàm cum motu collatis.



Via actio, & passio, & motus habent inter se nexum & in vnâ, & eandem entitatem saltem modalem coincidunt: idè de eis vnà cum Aristotele in disputatione sermonem instituemus.

### QUESTIO I.

AN FORMALITAS ACTIONIS,  
& motus coordinetur essentialiter inter se  
per modum rationis superioris,  
& inferioris.

Notitia motus non parum ex decisione huius quæstionis pendet, & idè eam primò loco excitamus.

Referuntur varia sententia.

#### § I.

PRIMA sententia affirmat motum esse essentialiter superiorem ad actionem, & passionem. Ita Soto in præsentis quæstione secunda, conclusione tertia, §: *Quæritur*, & alij, quos refert Oña hîc: Probatur primò: per actionem & passionem, ut tales sunt, tam agens, quàm passum se habent aliter nunc, quàm prius; ergo actio, & passio sunt essentialiter motus, siue mutationes. Patet consequentia: quia mutari nihil aliud est, quàm habere se aliter nunc, quàm prius; ac proinde id, quo aliquid se habet aliter nunc, quàm prius, erit mutatio. Antecedens verò patet: nam aqua, verbi gratia, per passionem redditur ex calefactibili calefacta, & ex passiuâ fit patiens: similiterque ignis per actionem calefaciendi transit ex calefactiuo in calefacientem: ergo, & cætera.

Confirmatur: nam tam actio, quàm passio sunt essentialiter actus entis in potentia: ergo motus erit illis essentialiter superior. Consequentia patet: & antecedens etiam liquet: tum quia vtraque est fluxus quidam, & fieri effectus, & idè tamdiu durant: quamdiu effectus est in fluxu, & in fieri: ergo vtraque constituit subiectum partim in actu, & partim in potentia, atque adeo erit actus entis in potentia, secundum quod in potentia: tum etiam, quia actio ordinat, & promouet subiectum ad terminum, & efficit

P

efficit



effectum, cum sit fieri illius, & ita finit illud in potentia: similiter passio, quia est passiva rei productio recepta in subiecto, relinquit illud in potentia ad effectum.

Secundò, motus dicitur de actione, & passione, ut constat ex Aristotele capite tertio huius libri, & ex Diuo Thoma ibidem, & idè sæpè repetunt, quòd actio est motus, proptèr ab agente: & passio est motus, proptèr in passio, sed non dicitur de illis accidentaliter: ergo essentialiter: ac per consequens erit essentialiter superior. Minor probatur: quia actio, & passio habent per se nexum cum motu, & e contra, & ita implicat intelligi actionem, & passionem physicam sine motu: sicut implicat eas concipi sine aliquo termino, qui recipiatur, & immutetur subiectum: ergo non comparatur motus cum illis velut accidens commune, aut ut proprium: quia necque accidens commune per se necitur cum re, neque proprium habet tantum nexum, ut neque res sine illo intelligi.

2. Secunda sententia est aliorum contra dissentium, actionem esse essentialiter superiorem ad passionem, & motum. Et probatur in primis quoad passionem: quia passio semper infertur ex actione, ut docet Diuus Thomas opuscul. 48. capite primo de actione, & cap. de passione: ergo includit essentialiter habitudinem ad agens, ut id à quo: ergo etiam rationem actionis in hac habitudine consistentem.

Et deinde quoad motum sic hoc ipsum ostenditur: nam mouere essentialiter, & in sensu formali est agere: ergo motus essentialiter, & in sensu formali est actio: quia sicut se habent concreta inter se collata: & ita abstracta eorum si inter se comparentur: ergo si mouere est essentialiter inferius ad agere, fiet inde ut motus sit essentialiter inferior ad actionem.

*Explicatur vera sententia aliquibus conclusionibus.*

## S. II.

**N**ihilominus dicendum est primò, motum non esse essentialiter superiorem ad actionem, & passionem. Ita Aristoteles & Diuus Thomas in præfati cap. 3. extr. 22. quem sequuntur antiquiores Interpretes Thomistius, Simplicius, Philoponus, Alexander, Auerroës. Necnon & recentiores, ut Toletus, Oña, Rubio, & communiter omnes. Probatur primò: actio, & passio, teste Aristotele hic cap. 2. & 3. sunt vnus numero motus: non ergo motus ad actionem, & passionem superior est. Pater consequentia: nam multiplicatis inferioribus, debent etiam gradus superiores multiplicati: etenim nec homo, & leo possunt esse idem numero animal; nec Petrus, & Ioannes idem numero homo.

Respondent aliqui: quòd quando ad definitionem vnus speciei fit altera sub eodem genere, non oportet, ut specifica ratione variata, etiam gradus genericus varietur: verbi gratia, quando ex circulo fit semicirculus, aut e contra, ratio specifica figuræ multiplicatur, & non generica: quia idem gradus genericus figuræ, qui contractus erat per figuram circuli, contrahitur postea, per figuram semicirculi. Vnde quia post actionem includentem motum, ut quid essentialiter, & superius, subsequitur in eadem realiter passio, quæ motum etiam includit; idè potest esse, ut vtrique sit essentialiter

motus, & quod ratio hæc superior in illis non multiplicetur.

4 Sed contra primò: quia teste Aristot. cap. de substantia, corruptis indiuiduis impossibile est aliquid illorum permanere: ergo indiuiduo illo circuli corrupto, omnes etiam gradus superiores, qui erant in illo, corrumpuntur, aliisque denuo in ea figura generabuntur.

Secundò, quia omnes gradus essentialiter ab eadem numero forma dimanant: etenim eadem numero anima rationalis, quæ est in homine, tribuit ei rationem substantiæ, corporis, viuentis, &c. Ergo ea separata, vel multiplicata, omnes hi gradus corrumpuntur, vel multiplicantur: ac proinde corrupta, vel multiplicata forma circuli, tunc omnes gradus in eo imbibiti desinunt esse, vel multiplicantur.

Alij denique vim præcedentis argumenti insipientes aliter respondent dicentes actionem, & passionem, etsi entitatiuè sint idem motus, esse tamen formaliter duos motus: & ita ratio superior saltem formaliter in inferioribus multiplicatur. Sed contra: quia inde sequeretur, mobile duobus modis ad eundem numero terminum moueri, quod esse inconueniens probauit Aristoteles in hoc libro textu decimo nono. Sequela satis est nota: cum actio, & passio sint in eodem mobili pro eiusdem termini productione.

5 Dicendum est secundò. Actio non potest esse essentialiter superior ad motum & passionem. Probatur: quia neque passio, nec motus si formaliter sumantur, important ordinem ad agens tanquam ad id à quo, ut suprà disputatione secunda, numero duodecimo innuimus: ergo neque actionem, quæ in tali habitudine consistit, intrinsecè possunt includere.

*Occurritur argumentis vtriusque sententiæ.*

## S. III.

6 **A**D primum ergo pro prima sententia respondetur: probare quidem, quod quoties subiectum præsupponitur ad passionem, datur ibidem simul cum passione aliqua species motus saltem communiter dicti; non tamen, quòd per passionem fiat formaliter illa mutatio; sed solum identicè, quatenus, tam actio, quàm passio cum motu identificatur; ut infrà explicabimus. Sicut quoties forma substantialis aduenit de nouo materiæ, oportet ut subiectum aliter se habeat tunc, quàm prius, non tamen formaliter per ipsam formam tanquam per transitum, & motum; sed per motum, seu mutationem saltem formaliter, & secluso intellectu ab ipsa distinctam.

Ad illud verò de actione dicimus: eam non subieci in agente, quando est transiens, ut infrà explicabimus: & ideo per illam non se habet aliter agens tunc, quàm prius. Si verò compareretur cum proprio subiecto, tunc eodem modo respondendum est, sicut de passione dicebamus.

7 Ad confirmationem ut respondeamus, aduertendum est, corpus, quod mouetur, posse sumi dupliciter. Primò ut mobile: secundò ut passum. Quæ duæ rationes, etsi vnum, & idem esse videantur, nihilominus intra se sunt formaliter distinctæ. Ratio enim mobilis solum importat corpus, quod mouetur, proptèr est in potentia ad terminum, ut terminus est; vel proptèr ab vno in alium terminum transit. Vnde nihil in hac ratione exprimitur pertinens ad agens,

agens, aut ad passum, prout talia sunt. Ratio autem passi denotat potentiam eiusdem corporis, non secundum quod per illam tendit in terminum, ut terminus est, sed secundum quod per eam agenti subditur, ut ei actionem imprimat, ac per eam effectum producat. Unde diuersa est etiam ratio termini respectu motus, & actionis: nam sub pura ratione termini motus non importat formaliter dependentiam, emanationemve ab agente, sed tantum esse actum completum, in quem tendit mobile, & quo ultimè acquisito, quiescit: è contrà verò sub ratione termini actionis, ut actio est, imò ut terminus est passionis formalissimæ sumptæ, dicit rationem effectus.

8 Hoc ergo supposito, dicendum est, rationem motus in eo sitam esse, ut respiciat corpus, quod mouetur sub ratione mobilis, & sic ei insit: quapropter non est adus eius, nisi prout in potentia ad terminum sub pura (ut sic dicamus) ratione termini. Passio verò respicit corpus, quod mouetur sub ratione passi: quare licet ei insit, inest tamen, ut subditum est agèti in ordine ad impressionem effectus circa ipsum producendi: quare terminum, ut actum completum subiecti, aut mobilis nequaquam respicit; sed solum, ut effectum dependentem ab agente, ab eoque illi impressum. Sicut etiam actio, etsi qua ratione accidens est, subiectum debeat habere; attamen illud solummodo petit tanquam quid sustentans actum secundum pro. productionem effectus egressum ab agente, & non tanquam id, cui, ut subdito imprimatur.

Ad secundum responderetur, negando, motum prædicari prædicatione formali de actione, & passione, sed solum materiali, & identica modo iam dicendo: quia motus comparatur veluti per modum subiecti respectu harum formalitatum. Et licet gratis daremus actionem, & passionem non posse concipi sine motu; non tamen inde aliquid inferretur contra nos quia etiam figura nequit intelligi sine quantitate, & tamen quantitas comparatur per modum subiecti respectu illius.

9 Ad primum pro secunda sententia responderetur: quod etsi concedatur passionem semper causari ex actione, non tamen ob id passio esset essentialiter actio; sed aliquid habens nexum cum actione: quia non est formaliter ipsa actualis egressio effectus ab agente. Ad secundum dicimus: quod concretum motus formaliter sumpti, non est mouere, sed moueri: at impucri non est, agere.

## Q V A E S T I O II.

*Quomodo actio, & passio inter se, & à motu distinguantur.*

NVlla alia via poterit compendiosius explicari, quid actio, & passio importent secundum suas rationes formales, quam earum inter se, & à motu distinctionem exponendo: & ideo vnica (ut aiunt) via duplex negotium peragemus: quia nec poterit eorumdem distinctio declarari, nisi propriæ illarum rationes assignentur, & his semel designatis, statim diuersitas inter ipsas intercedens elucescet.

*Adducitur multiplex sententia.*

§. I.

10 **P**rima sententia asserit actionem, passionem, & motum realiter inter se distingui, & nullo Colleg. Compl. Physica.

modo identificari. Ita plures Doctores infra referendi ex his, qui actionem transeuntem in agente esse docent: quorum quoad tales actiones, fundamentum est, quod actio transeuntem in agente subiectatur, passio verò in passio: ergo nullo modo possunt esse idem realiter.

Deinde de quavis actione, siue in agente, siue in passio recipiatur, hoc ipsum alij eandem sententiam sectantes suadent sic: quia actio, seclusa omni operatione intellectus est actualis egressio effectus ab agente: sicut & passio est actualis illius receptio in passio, egredi autem ex propria natura non est recipi, sed quid ab eo realiter condistinctum, ita ut nullo modo identifcentur: ergo actio, & passio simili distinctione inter se distinguuntur. Quod argumentum si efficax est, conuincit motum ab utraque distinguui: quia etiam actualis transitus subiecti ad terminum ad quem non videtur esse actualis egressio, aut receptio effectus, idèque qui actionem, & passionem distinguunt, etiam motum ab utraque diuersum esse concedere debent.

Confirmatur: nam ut supra lib. 1. diximus generatio substantialis est instantaneus motus, seu mutatio, & tamen non est actio; sed pura mutatio: quia cum subiectetur in materia prima ante omnem formam substantialem, non potest esse accidens, & consequenter neque vera actio creata, alioqui materia prima prius haberet esse secundum quid, quam esse simpliciter, & substantiale: ergo iam motus realiter distinguitur ab actione, & passione; quando quidem ab utraque separatur.

Secundò, quia passio nihil aliud est, quam receptio termini, seu vnio illius ad præexistens subiectum: nam præcisè per hoc quod adsit talis vnio, & receptio patitur subiectum, sed talis receptio, seu vnio distinguitur realiter tam à motu, quam ab actione ut constat, & idè manet pereuntibus motu, & actione: ergo & passio ab illis distinguitur.

11 Secunda sententia asserit, motum, actionem, & passionem sola ratione ratiocinata distingui. Ita Rubio in præfati tract. 1. q. 7. Massius c. 3. huius libri sect. 2. q. 1. & videtur esse Arist. in hoc libro c. 3. necnon & D. Th. ibidem. Suadetur ratione ex eisdem desumpta sic motus est actus actiui, ut ab hoc, & passio, ut in hoc sed idem est actus realis, qui egreditur à principio efficiente, & recipitur in subiecto: ergo idè erit motus egressus à principio, & receptus in passio, aut subiecto: sed ut egreditur à principio, est actio, & ut recipitur in subiecto, passio, ergo actio, & passio sunt idem realiter cum motu atque adèd & inter se; quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

Secundò, quia si motus, actio & passio re ipsa distinguerentur, sequeretur, quod quoties mobile mouetur, debeat moueri tribus moribus respectu eiusdem termini: quod quidem esse falsum ostendit Arist. c. 3. huius libri. Sequela verò suadetur: quia recipit tres realitates re ipsa distinctas.

12 Tertia sententia conuenit cum præcedenti in hoc, quod actio, & passio ratione ratiocinata distinguantur, dissentit tamen ab illa quoad motum collatum cum passione: quia credit, quod motus secundum suam rationem formalem propriè sumptam non differt ratione ratiocinata à passione; sed sola nominis appellatione. Ita Suar. 2. tomo Metaph. disp. 49. sect. 2. num. 13. & quoad hoc vltimum, in quo à præcedenti sententia differt; sic suam sententiam probat. Quia Arist. hic text. 16. definit motum, esse actum mobilis, ut mobile est, & statim text. 22. & 23. definit passionem, esse actum patientis, ut patiens est: at ex parte subiecti esse mobile, seu mutabile, & esse receptum, seu passibile (si hæc duo

P 2

propos

proportionatè, sumantur in ordine ad positivam receptionem vel mutationem) non sunt duæ potentia, vel capacitates passivæ, etiam ratione distinctæ, ut per se notum videtur: ergo neque actus ipsi sunt inter se distincti.

Confirmatur, & explicatur: calefactio ut passio, & motus calefactionis prout sunt in aqua, actuant illam secundum capacitatem, quam habet ad recipiendum calorem; & quatenus secundum illam supponitur esse in potentia, id est carens calore, & reducitur de tali potentia in actum: ergo passio, & motus respiciunt eandem potentiam passivam formaliter, ac per consequens sunt idem actus formalissimè. Pater consequentia: quia actus ratione ratiocinata distincti respiciunt potentias eodem modo distinctas.

*Statuitur vera sententia:*

### §. II.

13 **D**icendum tamen est: has tres formalitates actionis, passionis, & motus distinguere inter se formaliter, secluso intellectu, licet in una entitate saltem modali identificentur. Ita Caiet. Banez, Ferrara, Gonzal. Capreol. Flandria, Zanard. Soto, Sanch. locis citatis in Logica disp. 14. n. 49. Nazarius 1. part. q. 25. art. 1. Arauxo 5. Metaph. quæst. 1. art. 4. qui addit sic sentire omnes veros discipulos D. Thom.

Et videtur esse quoad utramque partem assertio nostra expressa Aristot. in hoc lib. c. 3. ubi loquens de actione, & passione inquit *Hæc enim unum quidem sunt, ratio tamen non una est, similiter, & in mouente, & motu*, & text. 22. addit, *Omnino verò dicere est, quod nec distinctio cum disciplina, nec actio cum passione idem proprie est, sed cui insunt hæc, motus: nam huius in hoc actu esse, & huius ab hac ratione diversum est*. Vnde D. Thom. lect. 4. loquens de actione, passione, & motu docet; quod idem actus secundum rem, scilicet motus, est duorum, diversa tamen ratione: agentis quidem secundum quod est ab eo, patientis autem secundum quod est in ipso. Vbi ut vides, ponit distinctionem secundum diversam rationem formalem, ac proinde distinctionem formalem ex natura rei, ut magis modò expendemus.

14 Cæterum, quia assertio nostra duas partes habet, idè sigillatim probanda est. Et in primis quoad priorem, scilicet has formalitates distinguere inter se formaliter, & secluso intellectu, est D. Thom. quæst. 8. de potentia art. 2. ad 1. (ut loco citato vidimus) ubi querens: utrum relatio in Deo distinguatur à substantia, reddensque rationem, quare in illo non distinguatur; secus verò in nobis, sic ait: *Ad primum ergo dicendum, quod nulla substantia, quæ est in genere, potest esse relatio: quia est definita ad unum genus, & per consequens excluditur ab alio genere: sed essentia divina non est in genere substantia; sed est supra omne genus*.

Ex quibus verbis aperte constat, quod ea, quæ sunt definita ad unum genus distinguuntur ab illis, quæ ad aliud genus, seu prædicamentum definiuntur: sed actio, & passio constituunt diversa prædicamenta: ergo ex natura rei ad invicem distinguuntur.

15 Ratione etiam ex his, quæ in Logica disput. citata diximus ad breviorē tamen formam deductis, sic potest assertio suaderi. Distinctio realis duorum, secluso intellectu, supponit in unoquoque unitatem transcendentalem, & proportionatam, per quam quodlibet, secluso intellectu, sit unum. Vnde tunc aliqua à parte rei sunt distincta, quando à parte rei unumquodque est in se unum: nam eo ipso erit secluso intellectu realiter indivisum in se, & divisum à quolibet alio: at à parte rei unumquodque est unum per

suam realitatē, seu essentiam realē, cum unitas sit passio entis: ergo illud à parte rei erit distinctum ab alio, quod à parte rei habuerit in se unicam essentiam: ergo cum ea, quæ constituunt diversa prædicamenta, ita inter se comparentur: ut eorum quodlibet, secluso intellectu, habeat suam essentiam, atque adèd & suam unitatem, fiet inde, ut etiam secluso intellectu, debeant distinguere. Quæ probationes possunt (servata proportionē) applicari ad convincendam formalem distinctionem inter motum, & alias duas formalitates.

Confirmatur: quia difficilè capitur, quod duo pertineant distinctas definitiones adequatas, & quod non differant essentialiter, & consequenter ex se, & ex propriis meritis absque ullo beneficio intellectus: quia distinctio, quæ est ex vi propriæ essentia, est sine ullo beneficio intellectus.

Diximus *adequatas*: quia quæ afferunt definitiones, vel essentias, non adequatas; sed inadæquatas, & permixtas saltem in ordine ad constituendam unam, & eandem essentiam integram, non est necessarium, ut secluso intellectu, distinguantur: ut patet in animali, & rationali, quæ ad invicem permiscuntur, seu (quod idem est) nostro modo intelligendi uniantur ad constituendam unicam speciem totalem; & idè non sunt reipsa, & secluso intellectu distincta: sed si illa formalitas secundum id, quod in ratione unius formalitatis adæquatè importat, definienda esset, deberet per utramque illam rationem definiti.

Et ratio est aperta: quia idem est una realiter formalitas, & una essentia realiter. Vnde quia minimum extremum distinctionis actualis est una essentia, & una formalitas; indè est quod sicut ea, quæ non dicunt ullo modo essentiam totalem; sed constituunt illam, non dicunt ex se unam essentiam simpliciter: ita neque unam formalitatem; ac per consequens, hoc quod est comparari inter se per modum formalitatis, & formalitatis, habent ab intellectu.

16 Secunda verò assertionis nostræ pars scilicet, quod etsi hæc formalitates ex natura rei, secluso intellectu, distinguantur, nihilominus identificantur in una, & eadem reali entitate saltem modali; ac proinde non distinguuntur ut res, & res, & ut entitas, & entitas: convincitur planè ex ratione prima pro secunda sententia adducta, quæ desumitur ex Aristotele in præsentī capite 3. & D. Thom. lect. 4.

Quæ etiam potest confirmari, & explicari sic: quia idem debet esse actus motui, mobilis, & passivus: quia per eundem motum, quo movens movet, movetur mobile, & passum patitur: sicut per eundem impulsus, quo proiciens lapidem impellit illum, movetur ipse: ergo idem motus erit actus motui, ut ab illo egreditur, & consequenter actio eiusdem, & similiter erit passio passivus, prout in illo recipitur.

*Satisfit fundamentis utriusque sententia.*

### §. III.

17 **A**d primum pro prima sententia responderetur, negando antecedens, ut suo loco dicitur. Ad secundum dicendum est: rationem illam tantum probare distinctionem ex natura rei inter actionem, passionem, & motum. Ad confirmationem responderetur: satis esse, quod quando inveniuntur actio, & passio in illa entitate, tunc identificentur cum ea: sicut ad hoc, ut verum sit animal, & rationale identificari identitate anteriori, & perfectæ, non considerantur non dari animal, quod non sit rationale; sed satis est, quod quoties sunt simul in uno, & eodem, tunc sint idem inter se.

18 Ad secundum responderetur ex D. Thom. 1. p. quæst.

quæst. 41. art. 1. ad 1. & ex Aristot. cap. 3. citato, negando antecedens: quia passio formaliter loquendo dicit motum, prout est in passio ab aliquo, seu ab agente, modo tamen in hac eadem disputatione num. 7. explicato. Vnde per hoc distinguitur, tum ab accidente, ut sic, tum etiam à motu: quia accidens dicit inhærentiam abstrahentem ab hac egressione, & ab hoc quod est respicere passum, ut passum: quia solum respicit subiectum, ut sustentatum, & similiter motus dicit motum receptum in mobili, ut tali, secundum quod solummodo est via ad terminum; & non ut aliquid receptum ab alio.

Ad probationem contra hoc factam dicendum est: quodd, vniò, & forma, ut vnita, est terminus passionis: non verò passio ipsa: sicut & eadem forma vnita est terminus motus, & actionis: non verò motus, aut actio ipsa. Vnde finita actione, manet vniò, & forma; non tamen passio: quia hæc tamdiu durat, quamdiu motus, & fieri rei, quamvis etiam possit dici, quodd passio est receptio termini in fieri; sed hoc in idem redit: quia sicut motus, ut ab agente est fieri rei, & idem motus secundum se est via ad terminum: ita ut est passio, & recipitur, est ipsum recipi viale termini, & effectus, qui tunc producit.

19 Nec refert si dicas: quodd si receptio motus constituit prædicamentum passionis, etiam receptio actionis, & ipsius passionis constituet aliud prædicamentum: ergo cum hoc nequeat admitti, fiet inde, ut neque illud prius possit affirmari.

Non inquam refert hoc: quia passio non recipitur per receptionem à se distinctam: tum quia sicut ad actionem non datur actio: ita neque ad passionem passio: tum etiam, quia aliàs daretur in infinitum processus, & licet actio recipiatur in subiecto: non tamen per receptionem distinctam ab inhærentia: quia tantum conuenit illi esse in subiecto secundum rationem accidentis, eo modo, quem docet D. Thom. in 1. distinct. 32. Quare solum potest constituere prædicamentum passionis alia formalitas identificata cum motu, & ab eo formaliter distincta, per quam respicit subiectum, ut passum, & subditum agenti.

20 Ad primum verò pro secunda sententia patet ex dictis, quomodo, dum D. Thom. cum Aristot. dixit, has formalitates differre ratione, intelligitur de diuersa ratione formali; quæ diuersitas infert distinctionem secluso intellectu, alioquin non dixisset, quodd ratio eorum non est vna: nam si omnino identificaretur absque vlla distinctione reali, ratio eorum esset vna secluso intellectu. Sicut neque etiam asseruisset, quodd actio, & passio non sunt propriè idem inter se, ut in secunda ratione pro nostra sententia expendimus: quia quæ re ipsa non distinguuntur vlla distinctione actuali, sunt propriè vnum, & idem, etiam si virtualiter distinguantur, ut patet in essentia diuina, & relatione. Ex quo etiam patet ad primam rationem pro hac sententia: quia motus, prout ab agente, est formaliter diuersus à seipso, ut recepto.

Ad secundum respondetur, negando sequelam: quia omnes illæ formalitates requiruntur, ut re ipsa deretur vnicus motus; quoties in vnam, & eandem entitatem coincidunt.

Ad primum pro vltima sententia, & eius confirmatione iam constat; quomodo sit distincta potentia, quam dicit mobile, ut mobile est; & ut passum; & quomodo mobile; ut est tale; respicit motum, ut viam, & transitum ad terminum, ut actum perfectum; ita ut non respiciat motum, prout est ab alia, scilicet ab agente: at mobile, ut passum habet potentiam ad motum, prout est receptum in mobili;

Colleg. Compl. Physica.

sed ab alio, & ideo respicit agens, ut id, cui subditur, & terminum, ut habet rationem effectus.

### Q V Æ S T I O III.

*Verum motus comparetur per modum subiecti quo respectu actionis, & passionis.*

UT hæc formalitates eo modo, quo in titulo, inquiritur, comparentur, oportet, ut nec sint subordinatæ per modum inferioris; & superioris essentialis; nec sint omnino idem à parte rei: & ideo hæc duo debebant ordine doctrinæ præsentem questionem præire.

21 Partem ergo negatiuam tuerentur Murcia in præsentem, & alij plures: & probari potest primò. Subiectum nunquam prædicatur de accidenti in abstracto, & ideo hæc est falsa: albedo est quantitas, sed motus prædicatur in recto de actione, & passione. Vnde ut vidimus ex Aristot. cap. 3. huius libri, & ex D. Thom. ibidem, actio est motus, prout ab agente, & passio idem motus, prout in passio: ergo motus non comparatur per modum subiecti respectu actionis, & passionis.

Confirmatur, quoduis accidens debet in concreto de suo subiecto prædicari: sed actio, & passio in concreto sumptæ nequeunt de motu enuntiari: quia concretum actionis est agens, & passionis passum, & hæc sunt falsæ: motus est agens: motus est passum: ergo actio, & passio non subiectantur in motu.

Secundò, subiectum quo prius natura debet fieri, quam id quod ei inest, ut in quantitate respectu figuræ cernere licet: sed motus nullo modo ad actionem, & passionem supponitur, sed potius è contra: ergo motus non potest esse subiectum harum formalitatum. Minor patet: nam quia agens agit, ideo passum patitur: & quia passum patitur, ideo subiectum transit ab vno termino in alium, non verò è conuerso: ergo tam actio, quam passio ad motum præsupponuntur.

Confirmatur, & explicatur: entitas illa, in qua tres hæc formalitates vnum, & idem sunt, prius egreditur ab agente, quam in subiecto recipiatur, siquidem non recipitur in illo, nisi id quod ab agente egressum est, prius ergo in illa entitate erit actualis egressio, & consequenter formalitas actionis; quæ in hoc consistit. Rursus, prius entitas illa recipitur, quam per illam ab vno in alium terminum transeat mobile; quia entitas illa non immutat ut quo ipsum mobile, nisi ut est in illo recepta, ergo prius est actualis receptio, & consequenter passio in hac formalissima ratione receptionis consistens; non ergo motus respectu vtriusque vel alicuius ex his formalitatibus habebit rationem subiecti.

22 Nihilominus dicendum est, motum se habere per modum subiecti quo respectu actionis, & passionis, & ita quoties hæc tria in vnam, & eandem entitatem coinciderint, tunc actio, & passio non inhærent substantiæ, nisi mediante motu. Ita Aristot. in hoc lib. c. 3. D. Thom. ibidem, lect. 4. & 5. de Anima lect. 2. quos sequuntur Oñia hinc q. 1. art. 3. & alij plures. Suar. 2. tom. Metaph. disputat. 49. sect. 2. num. 3. & alij plures ex Thomistis Probatur in primis ex illo testimonio Arist. cap. 3. quod in præsentem questione adduximus, scilicet: *Omnino autem dicere est, quod nec actio cum passione, nec doctio cum disciplina idem proprie est; sed cui insunt hæc, motus.*

23 Et deinde probatur ratione desumpta ex D. Thomæ lect. 4. iam citata, & in 1. dist. 40. art. 4. ad 1.

P 3 nam

nam licet idem motus secundum unam rationem formalem sit actio, & secundum aliam passio, tamen motus secundum se abstrahit ab utraque ratione: quia in suo formalissimo conceptu nec dicit ordinem ad agens, neque ad passum, ut passum; sed solum est actus quidam imperfectus tendens ad actum perfectum, ergo hoc, quod est esse in passio, ut tali, & exire ab agente, sunt affectiones eius; atque adeo comparabitur ut subiectum respectu illarum: ergo cum per hoc quod sit in passio, habeat formalitatem passionis, & per hoc quod sit ab agente conveniat illi formalitas actionis, fiet inde, ut hæc duæ formalitates comparentur cum eo, ut duæ affectiones cum suo subiecto. Sicut quia natura humana, verbi gratia, secundum se abstrahit ab hoc quod est esse in intellectu, vel à parte rei; idè hæc sunt duæ affectiones accidentales illius, & respectu earum habet suo modo rationem subiecti.

Confirmatur, quia quotiescumque actio, passio, & motus in unam, & eandem entitatem coincidunt, tunc idè ibi adest dependentia ab agente, & passio, ut tali: quia motus ille est adè imperfectus, quod non possit consistere, nisi ultra dependentiam, quam habet à subiecto, ut puro subiecto, dependeat etiam ab eodem, ut passio: & tandem ab agente, ut ab eo, à quo actu exit: ergo hæc duæ formalitates actionis & passionis conveniunt motui, ut ei quod per illas suo modo dependet; ac proinde cum non possint ei convenire per modum rationis superioris, fiet inde, ut insint illi eo modo, quo accidens inest suo subiecto.

Pater hæc ultima consequentia: quia ut ex iam dictis constet, non potest excogitari alius modus, quo conveniant motui dependentiæ prædictæ, nisi vel per modum rationis essentialiter superioris, aut inferioris, quod supra impugnatum est, vel per modum rationis accidentalis.

24 Ad primum ergo initio quæstionis positum respondetur ex D. Th. 1. p. q. 28. art. 3. ad 1. & q. 41. art. 7. ad 2. & q. 45. art. 2. ad 2. hanc propositionem: actio est motus, tantum esse veram in sensu identico.

Ad confirmationem respondetur, has duas formalitates actionis, & passionis constituere quatuor concreta, ex quibus duo sunt *agens*, & *passum*; alia verò duo sunt *procedens ut quo ab agente*, & *receptum ut quo in passio, qua passum est*, ut satis colligitur ex D. Th. lect. 4. iam citata: priora concreta desumpta sunt ex denominatione, quam tribuunt substantiæ: posteriora verò ex speciali denominatione, quam subiecto *quo* tribuunt.

Concreta ergo priora actionis, & passionis non prædicantur de motu, secus verò concreta posteriora. Vnde hæc est vera: motus est procedens *ut quo* ab agente, & receptus in passio: quia ut subest prædictis formalitatibus, habet ab illis prædictam denominationem. Neque est inconueniens, quod alicuius accidentalis formæ plura dentur concreta subordinata: generatio enim substantialis denominat materiam mutatam, & toti composito tribuit denominationem geniti.

25 Ad secundum respondetur; quod etsi multoties subiectum *quod*, imò & subiectum *quo* prius fiat, quàm accidens, quod illi inhæret, atque ita in ordine causæ efficientis habeat aliquam prioritatem respectu illius: quatenus facta collatione inter effectus huius causæ, prius attingitur unus, quàm alius, attamen ad rationem subiecti solum desideratur, indispensabiliter, quod habeat prioritatem sibi omnino debitam, scilicet in genere causæ materialis.

Vnde in opinione probabili (de qua supra disput. 10. num. 67.) eorum, qui dicunt, generationem substantialem esse actionem distinctam à præcedenti

alteratione, & simul subiectari in toto composito denuò genito: quia talis actio est entitativè accidens; oportet ut generatio sit prior in genere causæ efficientis, quàm totum genitum, & nihilominus quod totum sit subiectum illius: quia est prius in genere causæ materialis. Et similiter transsubstantiatio subiectatur in corpore Christi, ut est id in quod conversus est panis; & tamen secundum istam rationem est posterior transsubstantiatio in genere causæ efficientis, & habet prioritatem in genere causæ materialis.

Quare licet in his actionibus, quæ necessariò sunt coniunctæ cum motu, & è contra, prius sit, quod agens agat, quàm quod passum patiatur: quia passio causatur ex actione, ut vult Div. Thom. loco quæst. 1. iam citato. Attamen nec agens ageret, neque passum pateretur, nisi ibidem adesset motus tanquam subiectum *quo* de materiali importatum. Quare si ly *quia* dicat causalitatem materiale, semper est verum, quod idè patitur passum, quia mobile movetur, & prius est recipi motum in mobili, ut mobili, & ut distinguitur à passio, ut passio, quàm quod passio recipiatur in eodem, non ut mobile: sed ut passum est: sicut quia actio non exit ab agente, nisi de materiali dicens motum, ut subiectum *quo*; idè prius est quod recipiatur motus in mobili, ut mobili, quàm actio insit eidem, non ut mobile, sed ut purum subiectum est. Quæ omnia exactius intelligentur recolendo ea, quæ supra in hac disputatione num. 7. diximus.

26 Ad confirmationem responderetur: quod quamvis entitas illa, in qua omnes hæc formalitates modo dicto adunantur, prius exeat ab agente, quàm in subiecto recipiatur: attamen non exiret ab illo, nisi importaret de materiali fluxum, & motum, tanquam subiectum *quo*. Vnde hoc eodem modo recipiuntur, scilicet dependenter ab illo, ut à subiecto *quo*, & ita negandum est, quod prius entitas illa recipiatur, ut dicit formalitatem actionis, aut passionis, quam ut dicit formalitatem motus quæ est ratio, ob quam cæteræ formalitates insunt substantiæ.

Quare non est prius, quod illa entitas secundum aliquam aliam sui formalitatem recipiatur, quàm quod mobile moveatur, ut inrendebat argumentum; sed illa receptio est mutatio, ex eo quod est receptio formalitatis motus, ut motus est, & hoc ipso quod intelligatur motus in subiecto, intelligitur mobile moveri, quamvis cum hoc stet, ut in genere causæ efficientis prius sit actio, quàm motus: quatenus nimirum formalitas motus habet suo modo egredi ab agente ratione actionis: quia sicut actio est ipsa essentialis egressio ab agente: ita motus, ut ea affectus, habet denominationem ab ea hoc quod est suo modo egredi.

#### Q V Æ S T I O I V.

*Utrum iuxta mentem Arist. & D. Thomæ actio transiens subiectetur in agente, vel in passio.*

27 SUpponimus actiones immanentes subiectari in suis agentibus; hoc enim ex terminis ipsis constat, & idè de sola actione transeunte quæstionem movemus propter varia testimonia Aristotelis, & Div. Thom. quæ utrinque ab eius discipulis adduci solent, ex quorum vera intelligentia non parum natura actionis transeuntis innotescet, & quàm sit illi consonum subiectari in passio, & idè placuit sigillatim inquirere; quid quoad hoc tam Aristoteles, quàm Div. Thomas senserint: tum propter dicta;



dicta : tum etiam quia vtriusque, maxime verò D. Thom. mens quoad hanc partem non facile capi potest.

*Ponitur prima sententia.*

§. I.

28 **C**Aietan. 1. part. quæst. 25. artic. 1. Nazarius ibidem controuersia vnica, Zumel super art. 1. quæst. 11. iam citat. disp. vnica. Ripa in præsentī Torres 1. p. q. 17. dub. 4. p. 2. & alij tenent, quod iuxta Arist. & D. Thom. mentem actio transiens non subiectatur in passio; sed in agente. Probat in primis hanc esse Aristotelis sententiam; nam ipse secundo de Anima text. 26. asserit actum esse in eo, cuius est actus; sed tertio libro huius operis text. 18. & 20. docet, actionem esse actum agentis: ergo ex vtroque testimonio simul sumpto sequitur Aristotelem sentire actionem esse in agente.

Confirmatur, nam ipse Arist. 8. lib. Physic. text. 9. probat, mundum fuisse ab æterno: quia si Deus produxisset illum in tempore, mutaretur: ergo sentit actionem illam ad extra, qua productus est mundus, subiectari in agente, alioquin malè colligeretur mutatio eius ex vi talis actionis: ergo cum hæc actio debeat esse transiens, siquidem illi correspondet effectus ad extra, & non manens in ipso agente; cuius oppositum petit actio immanens, fiet inde, vt iuxta Aristotelis sententiam actio transiens in agente subiectetur.

29 Secundo, hanc esse expressam sententiam Diui Thomæ sic ostenditur: nam in 2. dist. 40. q. 1. art. 4. ad 1. sic ait: *Cum actio sit in agente & passio in patiente, non potest esse idem numero accidens, quod est actio, & quod est passio, cum unum accidens non possit esse in diuersis subiectis*: Et loquitur expressè de actione transeunte, qua Iudæi crucifixerunt Christum.

Confirmatur, nā q. 7. de Potentia, art. 10. ad 1. docet actionem esse perfectionē propriam agentis, & 2. contra Gent. c. 9. ait: *Actio, qua non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto, & ideo inter nouem genera computatur*. Ergo sentit omnem actionem prædicamentalem, ac per consequens etiam transeuntem subiectari in agente.

30 Tertiò, nam q. cit. de potentia, art. 9. ad 7. vt ostenderet, quod etsi actio secundum modum significandi, & concipiendi significetur, vt ab agente, non in agente: attamen ex parte rei conceptæ semper est in agente: quia est accidens illius: sicut etsi relatio significetur vt ad terminum; attamen reuera est in relato, non verò in termino, concludit in his verbis: *Actio ex hoc quod est actio, consideratur vt ab agente; in quantum verò est accidens, consideratur in subiecto agentis*. Quod etiam prosequitur q. 8. sequenti, art. 2. & tandem ibidem concludit sic: *Nihil prohibet aliquid esse inherens quod tamen non significetur vt inherens: sicut etiam actio non significatur, vt in agente, sed vt ab agente, tamen constat actionem esse in agente*.

*Mens Aristotelis aperitur.*

§. II.

**N**ihilominus dicendum est primò: quod iuxta Aristotelis mentem actio transiens non subiectatur in agente, sed in passio. Ita vetustiores eius interpretes Alexand. Themist. Simplicius, Philosophonus, quos sequuntur Ferrara in præsentī q. 4. & Capre. in 2. dist. 1. q. 2. art. 3. Herbæus quodlib. 4. q. 4. Masius in præsentī, q. 3. referens Sonc. label. Sotum, Tolet. & alios Suar. 2. tom. Metaph. disp. 48. sect. 4. Rubio in hoc lib. q. 6.

qui etiam addit, oppositum in sententia Aristotelis non esse probabile.

Probat in primis: nam Arist. in hoc lib. text. 20. postquam dixit: quod idem actus sit mouentis, & mobilis, & obiecit sibi, quod si actus mouentis scilicet actio, esset in mobili, seu passio sequeretur inde, quod actus vnus esset in altero, respondet: *Aus neque actum aliorum in altero esse inconueniens est, est enim doctio actus docentis in quodam enim, & non decisus, sed huius in hoc*. Quem locum explicat D. Thom. ibidem sic: *Dicit ergo primò quod non est inconueniens actum vnus esse in altero: quia doctio est actus docentis, ab eo tamen in alterum tendens continue, & sine aliqua interruptione. Vnde idem actus est huiusmodi, id est agentis, vt à quo, & tamen est in patiente, vt receptus in eo, esset tamen inconueniens si actus vnus eo modo, quo est actus eius, esset in alio*.

31 Confirmatur primò ex eodem Philosopho: tom. 9. Metaph. text. 16. vbi ait: *Edificatio namque in edificato simul & fit, & est cum domo*: tum etiam 3. de anima text. 138 vbi sic inquit: *Quod si motus, & actio, atque passio in eo est, quod patitur, atque mouetur, necesse est, & sonus, & auditum actum in auditu, qui est potentia, esse. Agentis namque mouentis operatio in ipso patiente suscipitur, atque inest, atque vt actio, passioque non in agente est, sed in eo, quod patitur, sic & ipsius sensibilis actio in ipso est sensitivo*.

Quem locum sic explicat D. Th. ibid. *Probat, quod supponerat ex his, qua sunt ostensa in 3. Physicorum: ibi enim ostensum est, quod tam motus, quam actio vel passio, sunt in eo, quod agitur, id est in mobili, & patiente. Manifestum est autem, quod auditus patitur à sono. Vnde necesse est quod tam sonus secundum actum, qui dicitur sonatio, quam auditus secundum actum qui dicitur auditio, sit in eo, quod est secundum patientiam, scilicet in organo auditus; & ideo qui actus actiui, & motui sic in patiente*.

Confirmatur secundo: nam vt ex Arist. in hoc lib. lect. 4. apud D. Th. vidimus, actio, passio, & motus in vna, & eadem entitate identificantur: imò vt vterque docet ibidem, motus est subiectum quo actionis, & passionis: sed certum est, & indubitatum in sententia Arist. passionem esse in patiente, & similiter motum, qui est subiectum quo actionis: ergo etiam debet esse certum, in sententia illius, quod actio subiectetur in passio.

32 Respondebis primò cum aduersariis, quod omnia hæc testimonia intelliguntur de actione subsequenter, seu concomitanter, non verò de actione essentialiter sumpta.

Sed contra est: tum quia actio subsequenter, aut concomitanter sumpta non est necesse, vt distinguatur formaliter à motu: quia ipse motus formaliter sumptus concomitatur, & subsequitur ad actionem. Vnde non bene diceret Arist. quod identificatur cum motu; & ex ratione formali distincta ab illo: sicut malè dixisset ibidem, quod actio, & passio sunt vnus motus: quia ad veritatem huius copulatiuæ requiritur, quod actio, & passio distinguantur: at actio concomitanter est etiam, ipsamet passio: ergo, &c. Tum etiam quia Arist. loquitur de actione denominante agens, vt tale, atque adeò de actione formaliter sumpta.

Adde, quod, vt ex contextu constat, insinuat sermonem de his formalitatibus secundum eas rationes, secundum quas essentialiter distinguuntur: quia loquitur de actione, vt est ab agente, de passione prout est receptio motus ab eodem agente: ergo loquitur de eisdem essentialiter, & secundum proprietatem sermonis consideratis; ac proinde non de actione concomitanter quæ neque est actio formaliter, nec talis nuncupari potest.

33 Secundo respondebis cum Nazario, quod

quoties agens agit actione transeunte, & cum motu, sunt ibi duæ actiones, alia quæ est actualitas agentis & in ipso manet, ut reducat illud de potentia in actum, quam appellat actionem Metaphysicam: alia verò Physica, quæ transit ad passum, seu mobile, & in ipso est. Vnde quando Aristot. ait: actionem esse in passo, non loquitur de illa priori actione; sed de hac posteriori: sicut de hac ultima intelligendum est identificari cum motu: nam prior illa, sicut manet in subiecto distincto, scilicet agente: ita & realiter à motu distinguitur.

Sed contra: quia Aristot. quoties agit de agente, & eius actione, nunquam meminit huius actionis realiter distinctæ à motu, nec unquam protulit, quod in his, quæ operantur per motum datur actio realiter distincta ab illo, & à passione; sed potius fuit perpetuus in assignanda identificatione inter has formalitates: at si ipse hanc actionem distinctam realiter à motu agnouisset, non posset non aliquando mentionem eius facere: alioqui satis diminutè processisset.

34 Maxime, quia Philosophus non solum non meminit huius actualitatis distinctæ entitatiuè à motu, & actu mobilis, verum etiam illam negauit. Vnde in hoc lib. tex. 19. ait: *Motui autem actus alius non est, oportet enim esse actum veriusque, motuum quidem est in ipso posse moueri autem in ipso operari, vel agere: quare similiter unus veriusque actus.* Quem locum sic explicat D. Tho. *Ostendit quomodo se habeat motus ad mouens, & primo proponit quod intendit dicens: quod actus motui non est alius ab actu mobilis. Vnde cum motus sit actus mobilis, est etiam quodammodo actus motui.* At si Arist. agnouisset aliam actionem præter eam, quæ est in passo, non posset dicere, quod motui non est alius actus præter actum mobilis quia potissima actualitas actui, seu motui esset illa actio, & actualitas, eius quæ est illi intrinseca.

Confirmatur ex ratione; quam Aristoteles ibidem format, quæ sic se habet *Quemadmodum mobile prius est potentia mobile, & postea actu mouetur ita agens prius est potentia motuum, deinde actu mouens ergo: quemadmodum est actus, per quem id quod prius erat mobile mouetur actu; ita oportet esse actum per quem id, quod prius erat in potentia motuum, postea sit actu mouens: sed motuum, & mobile dicuntur correlatiuè: quandoquidem quia motuum mouet mobile, idè mobile, mouetur à motuo: ergo idem actus & non alius requiritur, & sufficit ad hoc ut motuum moueat mobile, & mobile moueatur à motuo. Sicut quia visio est actus visui, & visibilis; idè non est necessarius duplex actus ad hoc ut visus videat, & visibile videatur, sed illemet & non alius, quo visus videt, videtur & visibile.*

35 Adde quod Arist. in hoc lib. text. citato, ex eo quod actio est in passo, intulit quod agens in quantum huiusmodi non mouetur scilicet ut ibidem explicat. D. Thom. per illam actionem formaliter, per quam mouet, quod etiam repetit Philof. 3. de ani. text. citato dicens: *Agens namque, mouensque operatio in ipso patiente suscipitur, atque inest: quocirca necesse non est id, quod motum mouet moueri, at si esset in agente illa altera actio non posset non mouens in quantum huiusmodi moueri modo prædicto. Vnde D. Th. explicans hunc locum, postquam dixit, quod actio non est in agente, sed in passo, sic inquit: *Et ista est ratio, quare non est necessarium, quod omne mouens moueatur.**

Adde secundò, quod Arist. 5. lib. Phys. vbi etiam D. Thom. aperte docet, ad actionem non dari actionem: si ergo admititur hæc duplex actio, ut om-

nino necessaria in agentibus transeunter, iam ad actionem, & motum dabitur actio, imò & actio Physica: quia hæc actio, & actualitas agentis necessario concernit, & connotat motum, & consequenter immeritò à Nazario actio Metaphysica vocatur.

*Mens D. Thomæ ex variis eius testimoniis colligitur.*

### S. III.

36 **D**icendum est secundò: stando in doctrina Dini Thomæ, actionem transeuntem non subiectari in agente; sed in passo. Assertionem hanc tenent omnes authores pro præcedenti conclusionem relati, qui post D. Thom. scripserunt, & licet satis ex testimoniis pro præcedenti assertionem allatis constet (semper enim D. Thom. in doctrinis Philosophicis secutus est Arist.) nihilominus, quiaquo ad Doctorem Anglicum inter eius discipulos maior est controversia, idè peculiariter, sigillatim ex mente eius suadenda est assertio attamen quamuis plura ipsius testimonia possemus expendere: nam illam docet 9. Metaph. lect. 9. 1. 2. q. 3. art. 2. q. 2. 1. art. 5. 1. contra Gent. c. 100. de veritate q. 14. art. 3. de potentia qu. 10. art. 1. & 1. p. quæst. 54. artic. 1. in corpore, & alibi: nihilominus vnicum tantum ipsius testimonium expendemus.

37 Hoc autem desumitur ex 1. p. q. 18. art. 3. ad 1. vbi sic inquit: *Quod sicut dicitur in 9. Metaph. duplex est actio, una qua transit in exteriorem materiam, ut calefacere, & secare: alia, qua manet in agente: ut intelligere, sentire, & velle. Quarum hæc est differentia: quia prima actio non est perfectio agentis, quod mouet, sed ipsius moti; secunda autem actio est perfectio agentis. Ergo sentit, quod actio transiens non est in agente, alioqui non dixisset, quod non est perfectio illius.*

Respondetur cum aduersariis, actionem transeuntem idè dici perfectionem moti quia tota ordinatur ad perficiendum mobile, licet sit in agente. Sed contra: quia si semel ponitur in agente, ut ultima actualitas eius, potius habebit per se primò perficere intrinsecè agens, quàm mobile: ergo potius debuisset D. Thom. dicere, quod est perfectio agentis, quàm mobilis.

Adde, quod etsi ratio facta esset sufficiens ad verificandam illam propositionem affirmatiuam, scilicet talem actionem esse perfectionem moti, non tamen illam negatiuam, numerum esse perfectionem agentis. Sicut etsi potentia operatiua per actionem transeuntem, totæ ordinatur ad perficiendum mobile; non tamen ob id negati, potest quod sunt in agente, ut perfectiones eius. Quare hæc propositio esset absolute reiicienda: potentia operatiua agentis sunt in patiente, aut in moto: ergo similiter, &c.

*Satisfit fundamentis pro prima sententia allatis.*

### S. IV.

38 **A**d primum ergo patet ex dictis, quomodo iuxta explicationem D. Thom. ibidem datam, intelligatur, actionem transeuntem esse actum agentis, & quomodo actio transiens solum extrinsecè denominet illud.

Ad confirmationem dicunt aliqui, eam probationem, non esse Arist. sed à commentatore adiectam. Dato autem, quod fuisset ab Arist. Adducta dicendum est: quod ipse absque dubio errore deceptus existimauit impossibile esse, quod Deus deum mundum producat, quin habeat nouum actum voluntatis.

voluntatis, & intellectus, & hoc supposito errore, quem S. August. 12. de ciuitate, cap. 13. confutauit, optimè sequitur, Deum fore mutandum, si denuò mundum produceret. Neque etiam si verum esset id, quod Aristoteles existimauit, sequeretur aliquid contra nos: quia intellectio, & volitio sunt actus Dei immanentes.

Nec mirum, quòd Philosophus lumine fidei destitutus non potuerit comprehendere, quo pacto fieri posset, vt sine noua actione nouus effectus in tempore, & per se primò producat: quia modus hic denuò rem producendi, solo lumine naturæ difficillimè, vel nullo modo potest assequi.

39 Ad secundum ex testimonio D. Thom. peti- tum respondetur: quòd loquitur ibidem de actione secundum esse morale considerata, vt ex litera patet; scilicet de peccato crucifigentium Christum Domi- num: at quævis actio secundum esse morale est in agente: quia tale esse bonitatis, & malitiæ moralis fundatur, & desumitur ex actu libero voluntatis, qui in agente manet.

Ad confirmationem respondetur cum Ferrara, quòd in quæstione illa sexta de Potentia, articulo de- cimo ad primum; idè docet, actionem esse perfectio- nem propriam agentis, licet non insit illi; sed ab eo progrediatur: quia vt ex contextu constat, prouenit illi aliquod commodum, scilicet conseruatio suæ spe- ciei, &c.

Ad secundum locum ex 2. contra Gentes dicimus, quòd sensus est omnem actionem, quæ similitudi- nariè, & quoad efficaciam est transiens, si non est de substantia agentis, inesse ei, sicut accidens, & loquitur Sanctus Thomas de actione in hac restri- ctione: quia hoc erat illi satis ad suum intentum: quia actio ad extra Dei, de qua ibi tantum similitudinariè est transiens.

40 Ad tertium respondetur quòd in tribus illis locis loquitur Diuus Thomas de actione immanen- te, enim optimè notauit Ferra. 2. contra Gentes, ca- pite primo, actio absolutè accepta habet, quòd sit actio ex se: quod sit accidens, conuenit ei ratione ali- cuius specie: inherere autem subiecto non conue- nit sibi vniuersaliter, neque per communissimam ra- tionem actionis: alioqui diuinæ actiones essent ac- cidentia, & inherentes. Vnde si actio immanens in- heret agenti, conuenit illi, non quia actio; sed quia accidens, non quidem quia accidens vt sic: quoniam secundum communem rationem acciden- tis nullum accidens determinat sibi magis hoc sub- iectum, quàm illud, sed per hoc specificatur species accidentis: ita vt si sensus; actioni immanenti, quæ est in agente, conuenit esse in illo, non quia con- tineatur sub communi ratione actionis, vt spe- cies eius; sed vt est species accidentis: in quantum enim est accidens procedens ab agente non præci- sè vt est id, quo aliquod operatum producit; sed vt quid per se primò intentum habet, quod in agen- te maneat.

## Q V Æ S T I O V.

*Vtrum ratione naturali conuincatur actionem transcurrentem subiectari in agente.*

**Q**uia Philosophus naturalis, ratione naturali innigi debet; idè explicata mente D. Thom. & Aristot. circa subiectum actionis transcurrentis, pla- cuit inquirere, quid in hoc ratione naturali con- uincatur.

*Refertur opinio affirmans.*

S. I.

41 **P**artem affirmatiuam tuentur omnes Docto- res quæstione præcedenti sentientes hanc esse Aristot. & D. Thom. mentem. Probatur ratio- ne primò: forma, seu actus in eo est, vt in subie- cto, cui tribuit suam denominationem realem, quia inherendo tribuit illam; sed actio non denominat passum; sed agens, vt ex se constat: ergo non est in passio; sed in agente.

Nec satis erit, si dixeris actionem esse formam de- nominantem extrinsecè agens; & ideo non esse ne- cessarium, quòd sit in illo: quia dexteritas denominat extrinsecè parietem dexterum, ideo non debet esse in pariete, sed in animali, quòd denominatur intrinsecè dexterum.

Nam contra hoc est: quòd omnis forma denomi- nans extrinsecè aliquod subiectum, debet aliud in- trinsecè denominare: vt patet in dexteritate, & vi- sione, quæ etsi exterum subiectum denominet ex- trinsecè dextrum, vel visum: at denominat animal intrinsecè videns: vel dextrum; sed actio non deno- minat passum intrinsecè: aliàs calefactione, verbi gra- tia, passum esset agens, & ita lignum seipsum cale- faceret: nec tandem alicui alij subiecto, nisi ipsi agen- ti, potest denominationem intrinsecam agentis tri- buere, vt ex se constat: ergo, &c.

42 Confirmatur primò: agens vt agens est con- cretum quoddam per se pertinens ad prædicamen- tum actionis: ergo non denominatur tale, nisi à for- ma reali, & inherente; alioqui in sola denomi- natione extrinseca esset ratio prædicamentalis con- stituenda:

Confirmatur secundò, & explicatur tota hæc ra- tio: nam actio, vt actio, est accidens, cum ratio ac- cidentis per modum transcendentis imbibatur in om- nibus prædicamentis: ergo dicit essentialiter in; sed vt actio est, non est in passio: quia vt sic non est actio, sed passio, nam actio, & motus, vt recipiuntur in passio, habent rationem passionis: ergo inheret in agente; at- que ita denominabit illud intrinsecè, & non per so- lam extrinsecam denominationem.

43 Secundò, nam actu agere est maxima agen- tis perfectio: ergo dicit aliquid intrinsecum, seu in- herens illi, & consequenter actio, à qua habet age- re non erit in passio. Consequentia patet: quia per- fectio inest ei, cuius est perfectio. Antecedens verò probatur, tum quia extrahit potentiam actiuam de potentia ad actum, & constituit illam in vltima actualitate, quam potest habere: tum etiam, quia quod agens se aliis communicet, pertinet ad maxi- mam eius perfectionem.

Nec satis erit si dixeris, hoc pertinere ad perfectio- nem extrinsecam agentis; non verò intrinsecam: quia illa eadem perfectione, qua perficitur extrinsecè, per- ficitur passum intrinsecè. Nam contra hoc arguit Nazarius intendens implicare, quòd aliquid sit ex- trinseca perfectio alterius; quia vt ait D. Thom. i. p. q. 5. art. 1. *In tantum unumquodque est perfectum in quantum est actu: & rursum, unumquodque est appeti- bile, & bonum in quantum est perfectum, cum omnia ap- petant suam perfectionem.* Sed implicat aliquid esse, ens & bonum formaliter entitate, & bonitate extrin- seca: ergo implicabit, aliquid esse perfectum perfe- ctione extrinseca, & non inherente.

44 Confirmatur primò: quia si actio tantum ex- trinsecè perficit agens, non aliter illud perficiet, quàm per modum signi extrinseci denotantis perfectionem, seu virtutem agentis: sed hoc est impossibile: ergo, &c.

Confo

Consequentia cum maiori videtur patere. Minor verò constat: quia teste Arist. vnumquodque est propter suam operationem, ut propter finem; at nihil agit propter signum perfectionis, præsertim loquendo de agente naturali, vel irrationali; sed propter veram, & realem perfectionem significatam. Vnde sicuti hæc perfectio non augetur, ex hoc quod significetur, ita hoc quod est significari non habet rationem boni, & consequenter neque finis.

Confirmatur secundò: quia actio non qualemcumque potentiam scilicet extrinsecam; sed intrinsecam potentiam agentis extrahit de potentialitate in actu ultimum; at potentia intrinseca non est proximè, nisi in ordine ad actum, & perfectionem intrinsecam. Vnde esse visum, quia est denominatio extrinseca non cadit proximè, nisi suprà esse visibile, quod etiam est denominatio extrinseca desumpta à potentia visiva; & idè significatur per modum potentiae. Tum etiam, quia nihil potest transire de contradictorio in contradictorium, nisi per aliquid intrinsecum, alioqui habebit se sicut antea, atque ita non transibit ab vno in aliud contradictorium; sed agens per actionem transit de non agente in agens; ergo actio est perfectio illius intrinseca.

45 Tertiò, nam relatio agentis in actu ad passum, quæ in agente residet, non potest non fundari in actione, siquidem hac posita, vel ablata, relatio ponitur, vel aufertur, & hoc proprium est fundamenti, ut ad eius positionem ponatur relatio: sicut & ad eius remotionem tollatur: ergo actio in agente debet recipi. Patet consequentia: quia ubi est relatio, ibi & fundamentum esse debet.

Quòd si aliteris, relationem hanc in activa potentia, non verò in actione fundari. Contra hoc est: tum quòd potentia activa rationem actiui ad passum fundat: ergo nequit habitudinem agentis in actu fundare; tum etiam quia aliàs relatio hæc agentis in actu maneret transacta actione. Sicut relatio paternitatis, quia in activa potentia fundatur, potest etiam transacta actione manere. Tum denique, quia sicut id, per quod aliquid est actu album, fundat relationem similitudinis in albedine; sic per id, quod aliquid in esse agentis absolute constituitur, debet habitudinem agentis in actu fundare.

*Præfertur sententia negativa.*

## §. II.

46 Nihilominus dicendum est; etiam innitendo rationi naturali, actionem transeuntem non subiectari in agente; sed in passo. Hanc docent omnes auctores præcedenti quæst. in fauorem nostræ sententiæ adducti: omnes enim ratione naturali ducti collocant actionem transeuntem in passo.

Et probatur ratione desumpta ex D. Thom. prima parte, quæstione 18. art. tertio, ad primum; nam actio transiens, & immanens adæquatè, & immediate diuidunt actionem, ut sic ergo constituuntur per modos immediate oppositos: nam ea, quæ sic diuidunt rationem aliquam superiorem, debent constitui per prædictos modos; & idè quia rationale, & irrationale diuidunt hoc modo animal, oportet ut per differentias immediate oppositas constituantur; sed actio immanens hoc ipso quòd sit immanens, est perfectio intrinseca agentis, & in illo manet: ergo actio transiens, hoc ipso quòd sit transiens, non est perfectio intrinseca eiusdem agentis: ac proinde non manebit in illo; sed in passo.

Respondebis cum authoribus oppositæ sententiæ, differentiam, quæ est inter actionem transeuntem,

& immanentem, non esse, quòd hæc maneat in agente; non verò illa: sed quòd immanens ita maneat, ut non producat aliquid in externa materia; at verò transiens ita manet, ut aliquid producat in illa. Item transiens per se primò ordinatur ad perficiendum aliud suppositum, vel aliam partem eiusdem suppositi: secus verò immanens: & tandem quòd transacta actione immanenti, non manet saltem terminus per se primò productus: secus transacta transeunti.

47 Sed contra: nam actio, quæ formaliter, est immanens, & tantum virtualiter, seu quoad efficaciam est transiens producit aliquid in extrema materia, & relinquit effectum per se primò productum, & creatum: ergo discrimen, quod versatur inter actum immanentem, & formaliter transeuntem, non est penes hoc quod immanens, vel nihil producat ad extra, vel quòd illud non est permanens, secus verò in actione transeunte, contingat. Antecedens patet in actionibus immanentibus diuini intellectus, & voluntatis, quæ ut ex D. Thom. 1. p. q. 25. constat, habent efficaciam non obstante, quòd sint immanentes ad producendas creaturas: quia cum sint infinitæ perfectionis in genere actus, habent infinitam efficaciam ad attingendum quicquid Deo placuerit pro ea duratione, quam ipse præfixerit.

Adde primò, quod quicquid actus per se primò ordinatur ad perficiendum proprium subiectum: quia comparantur per modum perfectionis, & proprii perfectibilis; ergo si semel actio transiens est actualitas intrinseca agentis per se primò ordinabitur ad perficiendum illud, atque adèd secunda differentia inter actionem immanentem, & transeuntem ab aduersariis assignata corrumpit. Adde secundò, quòd etiam tertium discrimen euanesceat; nam multæ sunt actiones transeuntes, quæ nihil post se transacta actione relinquunt, ut citharizatio &c.

48 Secundò principaliter suaderetur assertio; nam motus est in mobili, & passo, ut supra vidimus: quia est actus mobilis, & per illum transit v. g. aqua à non esse sub forma, & actu perfectio caloris, ad esse sub illo; sed talis motus habet veram rationem actionis realiter, & identifice loquendo: ergo iam actio transiens subiectabitur in passo. Minor patet ex dictis in hac disput. quia cum motus non egrediatur ab agente ut quod; sed ut quod, & ut ipsa egressio effectus, non potest non esse realiter identifice actio, quæ saltem in creatis est ipsa egressio effectus.

Confirmatur: nam præcisè per hoc quod intelligamus calorem, aquæ exire ab igne medio motu, ut ab agente, intelligimus calorem illum esse effectum ignis: & non alterius causæ: ergo & intelligimus, ignem efficere prædictum calorem, ac per consequens esse actu agens absque aliquo alio superaddito.

Respondebis cum aduersariis, non posse intelligi calorem ut exeuntem ab igne medio motu in aqua recepto, nisi priùs intelligatur actio, ut actualitas agentis intrinseca educens illud de potentia in actum atque adèd motus non erit ipsa prima, & essentialis egressio, quod requiritur ad rationem actionis.

49 Sed contra est: quia cum potentia calefactiua, si secundum se consideretur, respiciat calorem, ut effectum adæquatum; oportet, ut motus calefactionis sit eius actus adæquatus: sicut quia visus, ut talis, respicit, ut obiectum adæquatum, visibile, idè visio est eius actus adæquatus: ergo motus calefactionis est prima & essentialis egressio caloris ab alio calore: sicut visio est id, quo primò, & essentialiter attingit visus ipsum visibile; ergo superflue quæritur alia actio realiter distincta: quia ad vnicum agens, & respectu vnius omnino effectus sufficit, quòd vnicam eliciat actionem.

Confirma

Confirmatur: nam potentia operatur transiuntur sunt per se primo ordinata ad perficiendum passum: ergo hoc ipso quod perficiatur illud, extrahuntur extra potentialitatem, quam habebant: sed præcisè per hoc quod datur actio, quæ subiectetur in passu, & ab eisdem potentiis exeat, perficitur passum, & perficitur ab agente: ergo superfluit alia actualitas, ad extrahendum illud de potentia ad actum.

*Satisfit fundamentis sententia affirmativa.*

Ad primam ergo pro opposita sententia bene respondetur ibidem, & desumitur solutio ex D. Thoma in præfati lect. 4. idem enim dicitur quod

motus est quodammodo actus actui, quia solum extrinsecè illud denominat, & congruit hoc cum natura actionis: quia cum sit motus, provt ab agente, non est necesse, ut denominet agens, ut tale: quia est in illo, sed satis erit, quod sit ab illo.

Ad primam impugnationem contra solutionem ibi datam responderetur: quod etsi forma extrinsecè denominans unum subiectum debeat intrinsecè aliud denominare, non tamen est necesse, ut utrumque eodem modo denominet: Divisio enim dat pariter extrinsecam visum denominationem, non tamen requiritur, ut aliud quiddam intrinsecè visum denominet, sed satis erit, quod intrinsecam denominationem, etsi ab hac diversam, scilicet denominationem videntis, tribuat. Sic similiter actio transiens extrinsecè denominat agens: intrinsecè vero passum hac denominatione, nempe, affectum actione: non enim huiusque impositum est aliquod nomen simplex ad hoc concretum significandum.

Ad primam confirmationem responderetur: quod ut constat ex his, quæ in Logica disp. 5. & disp. 11. nu. 60. vidimus, in prædicamentis accidentium solum ponuntur abstracta; concreta vero ad illud reducuntur, & ideo actio secundum suam intrinsecam realitatem constituit prædicamentum actionis, & agens quia realiter, licet extrinsecè, denominatur ab illa, reducitur ad prædicamentum. Nec refert, quod ratione alicuius realis extrinseci pertineat aliquid reductivè ad prædicamentum, ut per se patet.

Ad secundam confirmationem respondent aliqui, de quorum numero est Pater Suarez, actionem, ut talem, non includere in, sed a, seu esse ab agente: & idem etsi non sit in passu, non bene inferri, quod debeat esse in agente, ut, in subiecto. Sed hæc solutio non placet, nam etsi verum esset, actionem, ut talem non exprimere in, ut multi volunt (de quo alibi tractatur) negari tamen minimè potest, quod illud intrinsecè non includat: nam cum actio non possit non in suo ultimo conceptu includere rationem entis, alias esset purum nihil: consequens est, ut debeat includere aliquem ex modis entis, scilicet vel esse per se, vel in alio, & cum primum non possit includere, ut ex se constat, non potest non secundum, scilicet in intrinsecè includere.

Respondetur ergo aliter, concedendo primum enthymema. Et ad minorem statim subsumptam dicendum est: quod licet formalissima ratio actionis non desumatur penes hoc quod insit subiecto, nam hæc penes ordinem ad agens pensanda est; atque ratio sua formalissima penes ordinem ad agens, desumpta, debet inesse passu. Sicut licet verum sit, quod potentia visiva non habet propriam specificationem a subiecto, sed ab obiecto: est tamen falsum, quod propria ratio talis potentie ab

obiecto extrinsecè specificata non insit homini. Neque admittendum est, actionem præcisè, quia insit antitèrè rationem actionis, & esse passionem, non enim idem passio (ut iam diximus) habet rationem passionis, quia utrumque inest, sed quia subiectum per modum specificatiui, & modo dicto respicit.

Ad secundum bene responsum est ibidem, & desumitur solutio ex D. Thoma in 2. 2. contra Gent. cap. 1. & 23. & 9. Metaph. lect. 8. Et ad primam probationem responderetur: non esse inconspicuum, quod aliquid denominetur ens, & bonum; ac perfectum extrinsecè, per entitatem, bonitatem, & perfectionem in alio existentem, & ideo quando ens, seu bonum dicitur analogicè de Deo, & creaturis analogia attributionis, tunc minus præcipua analogia analogantur hac analogia, tantum dicuntur extrinsecè ab entitate Dei ut D. Th. docet cum 1. 2. Ethicorum sect. 7. 1. part. quæst. 6. art. 4. & nos in Logica disp. 1. num. 14. diximus.

Ex quo etiam fit, ut agens dicatur extrinsecè perfici per actionem: quia hoc ipso quod ab eo existit actio, ut perficiens passum, ostenditur intrinseca perfectio quæ præstat in agente quæque tanta est; ut aliis perfectionem communicaverit, quod quidem inter bona extrinseca agentis connumerandum est: sicut ad extrinsecum honorem Dei pertinet, quod se in alios diffundat, sicut per hoc non perficitur intrinsecè.

Ad primam confirmationem responderetur: quod etsi unumquodque propter suam operationem sit, non ob id operatio debet esse intrinseca agenti, quia potest aliquid esse propter aliud ut propter finem extrinsecum ut in præfati contingit: & idem non oportet ut intrinsecè per illud perficiatur. Et ad id quod ibidem dicitur scilicet quod propria perfectio non crescit per hoc, quod ostendatur, dicendum est, non crescere incremento intrinseco; bene tamen extrinseco quia talis ostensio pertinet ad bona extrinseca agentis, ut in Deo cernere licet: Adde quod etiam si daremus, agens non agere formaliter ad ostendendam suam perfectionem; satis esset ad hoc ut intenderet agere quod per illam actionem perficeretur passum.

Ad secundam confirmationem dicimus: nihil referre, quod actui extrinseco correspondeat potentia intrinseca: & ideo denominatio visibilis formaliter cadit supra ipsam entitatem taloris. Adde quod potentia intrinseca agentis per actionem transiunt non est ad recipere illam, sed ad hoc ut actio exeat ab ea, seu ad hoc ut perficiat passum: & ideo sufficienter illa potentia extra suam extrahitur potentialitatem; per hoc quod actio ab illa egreditur, & perficiat passum, denominetque extrinsecè agens, ut in assertionem nostram dicebamus.

Et ad secundam probationem eiusdem confirmationis responderetur: quod licet nihil possit transire de vna contradictoria dicente negationem entitatis intrinsecæ; seu denominationis intrinsecæ in aliam dicentem intrinsecam entitatem seu denominationem intrinsecam absque receptione alicuius intrinseci; secus verò est, quando transit de vna contradictoria, dicente negationem denominationis extrinsecæ, in aliam exprimentem eandem intrinsecam denominationem. Unde ibidem intercedit sua, ut sic dicamus, mutatio extrinseca proveniens ex mutatione non intrinseca alterius extremi.

Ad quartum dicendum actionem illam transire non esse fundamentum prædictæ relationis; sed solum relationem fundandi ut constat ex dictis in Logica disp. 14. numero 36. Nec hinc fit actio nem transiuntem subiectari in agente: quia ut ibidem



ibidem num. 37. exposuimus, rationes fundandi secundum generis secum afferunt aliquem motum, aut transitum; inde non est contra naturam harum relationum, quod ratio fundandi fluat ab agente in passum, secus tamen contingit in aliis relationibus mutis ob orationes ibidem assignatas.



## DISPUTATIO XVIII.

## DE INFINITO.



**Q**UÆSTIO I. **Q**UOD INFINITUM IN ACTU NATURALITER DARI POSSIT.

VIA motus est de genere continuorum, ut ex dicendis 6. lib. patebit, & ut supra in proœmio huius libri ex Aristotele asseruimus, infinitum aliquando cadit in definitione continui: idem semel explicatis aliis ad motum spectantibus, statim de infinito una cum Aristotele sermonem instituiamus.

## QUÆSTIO I.

## QUOD INFINITUM IN ACTU NATURALITER DARI POSSIT.

**P**RO tituli explicatione notandum est primo: quod in presenti non agimus de infinito in omni genere, seu in genere entis: quia evidens est dari hoc infinitum, cum lumine, naturali sit notum, Deum habere infinitatem in genere entis, quippe qui omnem excogitabilem perfectionem continet, nec ullis terminis clauditur, ut D. Thom. 1. part. quæst. 7. ostendit; sed loquimur de infinito in genere entis creati.

Ceterum, quia hoc potest esse multiplex, scilicet vel in genere substantiæ, vel in genere quantitatis, siue continuæ, siue discretæ, siue successivæ, siue permanentis, vel in genere qualitatis, &c. Idem in presenti non loquimur præcipue de omnibus his infinitis, sed de infinito in genere quantitatis; imò non qualiscumque, sed permanentis: quia Arist. hic de infinito secundum quantitatem permanentem ex professo disputat, & de infinito secundum quantitatem successivam in 8. lib. agit.

Diximus, præcipue, quia ob connexionem doctrinæ, & ut melius, & radicatus capiantur ea, quæ Philosophus circa infinitum in genere quantitatis asserit, non poterimus non de aliis infinitis, & in aliis generibus entis creati contentis disputationem texere. Vnde quæstionis titulus. licet potissime de infinito in genere quantitatis saltem permanentis intelligatur, non tamen excludit omnia alia infinitorum permanentium genera sub latitudine entis creati contenta.

2. Secundo notandum est ex Aristotele in hoc lib. c. 6. & D. Thom. ibidem, & de veritate quæst. 2. art. 10. & prima par. quæst. 7. art. 4. iuncta solutione ad 1. infinitum esse duplex, aliud infinitum in actu, aliud verò in potentia. Infinitum in actu, ut ipsum nomen sonat, est illud, quod secundum id, quod actu includit, nullis terminis includitur: nam ut D. Thom. quodlibet, & 3. art. 3. p. quæst. 10. art. 3. ad 1. docet; infinitum dicitur, tale, quia non finitur, seu quia caret terminis. Vnde infinitum in actu illud erit,

quod secundum id, quod actu habet, non habet finem. Quare si fuerit infinitum v. g. in genere quantitatis, quantumvis magis, ac magis accipiamus ex partibus aliquotis, quas actu habet semper restabit ulterius, & ulterius pars accipienda.

Et ideo Arist. in hoc lib. 17. & D. Thom. ibidem definiunt infinitum in actu secundum quantitatem sic: *Infinitum est, cuius semper est aliquid extra.* Ceterum infinitum in potentia dicitur illud, quod secundum id, quod actu habet, est quidem finitum, sed secundum id, quod potest habere, nullum habet terminum; & ideo merito appellatur infinitum in potentia: quia hoc quod est carere terminis, secundum quod attenditur ratio infiniti, præcedit conceptui illi secundum id, quod potest habere: & hoc modo dicitur quomodo quantitas divisibilis in infinitum: quia quacumque divisione facta, potest ulterius & ulterius fieri.

3. Ex quibus duobus infinitorum generibus primum scilicet infinitum in actu, solet nuncupari infinitum *cathogorematicum*, sicut & secundum appellatur infinitum *syncathogorematicum*: forte quidem, quia sicut terminus cathogorematicus per seipsum est terminus, ita infinitum in actu per seipsum, & secundum ea quæ actu includit est infinitum: & sicut terminus syncathogorematicus per se solus, non est terminus, sed in alio alteri & ita infinitum in potentia per seipsum, & secundum id quod actu includit, non est infinitum quatenus iungitur cum illo, quod potest habere. In presenti ergo non loquimur de infinito in potentia: hoc enim certum est, posse dari ut ex supra dictis constat, sed de infinito in actu, & modo dicto.

*Refertur opinio affirmans.*

## S. I.

**4** **P**ARTem igitur affirmantem tenuere Anaximander, Anaxagoras & alij antiqui Philosophi, quos citat Arist. in hoc libro, qui non solum id esse possibile asserunt sed etiam actu in rerum natura dari. Et potest probari primo: sic in natura datur infinitum in potentia, ut iam diximus: ergo & poterit dari infinitum in actu: quia frustra est potentia, quæ non reducitur, vel saltem reduci potest in actum.

Confirmatur: Deus ut agens naturale habet virtutem infinitam: ergo poterit mediis causis naturalibus reducere illam in actum; atque adeo & naturaliter: Antecedens est notum. Et consequentia probatur, quia Deus ut Author naturæ, operatur una cum natura à se creata, & si semel una cum eadem natura non posset reducere suam virtutem actuam in actum, frustra haberet illam.

Secundo ut libro sexto dicimus, in quovis continuo dantur infinitæ partes, cum enim sit in semper divisibilia divisibile, si partes, ex quibus constat, essent finitæ, posset ita dividi in illas, ut non restarent alie partes, in quas insuper divideretur: ergo datur in quovis continuo infinitum in actu secundum nomen: quia reuera omnes illæ partes actu sunt ibi, & non solum in potentia.

5. Nec satis erit si dixerit cum aliquibus ex Thomistis, quod partes illæ non sunt actu plura entia; sed tantum in potentia; & ideo non sequitur dari infinitum in actu.

Nam contra hoc est: quod actu sint partes, & non utcumque; sed actu distinctæ, quandoquidem nulla

nulla pars est ibidem, quæ non possit superari à cæteris: ergo sunt actu plura entia: nam multiplicatis inferioribus, necesse est, & superiora multiplicari.

Confirmatur: quia si ob aliquam rationem non essent actu plura entia, & sufficientia ad constituentiam multitudinem; seu pluralitatem infinitam; maxime quia non existunt actu per propriam existentiam; sed per vnam, & eandem existentiam totius; at hæc ratio est nulla, quia si daretur quantitas habens infinitas partes æquales; esset simpliciter infinitas, & eius partes essent infinitæ secundum multitudinem, & tamen nulla earum haberet propriam existentiam, sed existerent per existentiam totius, ut patet ex supradictis libro primo: ergo quod partes continui non habeant propriam existentiam, nihil obest quominus non sint actu plura entia. Maior probatur: quia cum reuera quælibet habeat suam propriam essentiam actualem, solum deesse potest illis actualitas propriæ existentia, ad hoc ut sint simpliciter in actu.

6. Terriò tandem, nam ut modo dicebamus, ad hoc ut detur linea infinita, tantum desideratur, ut actu habeat plures, & plures partes aliquotas: id est, quæ sint sine termino, & talis conditionis ut signata vna certa v. g. quæ sit vnus palmi, tunc reliquæ omnes sint eiusdem magnitudinis: at certum est dari in continuo hanc lineam, ergo & infinitum secundum magnitudinem.

Minor probatur, nam data columna, cuius rotunditas, & longitudo sit vnus palmi, tunc necessariò concedenda est linea ab extremo ad extremum columnæ descendens, & omnes illius partes gyrans, & continuas, cumque partes illius lineæ sint infinitæ, ut ex dictis constat, & omnes sint vnus palmi, quando quidem omnes gyant, & continuant rotunditatem illam vnus palmi, quæ est columna, consequens est, ut habeat linea illa à summo vsque deorsum infinitos palmos longitudinis & inter se non communicantes, ergo iam dabitur infinitum in actu.

#### *Stabilitur vera sententia.*

#### **§. II.**

7. **N**ihilominus dicendum est: non posse dari naturaliter infinitum in actu. Hanc sententiam late tueretur Aristot. hic d. 5. & 6. eamque validissimis confirmat rationibus, quem sequuntur omnes eius interpretes in commentariis horum capitum; necnon & Scholastici antiquiores in 1. dist. 32. Modernique cum S. Thom. 1. p. quæst. 7. art. 2. 3. & 4. qui omnes vnicum tantum infinitum, Deum scilicet agnoscunt, cætera omnia creata esse finita, & limitata ingenuè fatentur. Habetque sententia hæc maximum in sacra Scriptura fundamentum: nam Sapientia 12. dicitur: *Omnia fecisti in numero, pondere, & mensura*, quæ omnia repugnant infinito.

8. Ratio fundamentalis desumitur ex D. Thom. 1. p. quæst. 7. citata: quia quævis res creata finitam habet essentiam: quia non potest tanta esse eius perfectio, & actualis, ut cateat genere, & differentia, per quæ ad certam, & finitam naturam trahatur. Rursus, essentia finita, & limitata, connaturaliter saltem loquendo, terminatas habet proprietates, determinataque accidentia cum omnia hæc naturæ illius rei, cuius sunt, affectio-

*Colleg. Compl. Physica.*

nes, debeant esse commensurata: ergo naturaliter non poterit dari aliqua res, quæ secundum suam essentiam, aut secundum aliquod accidens habeat infinitatem, & consequenter neque in genere substantiæ, aut aliorum accidentium generibus infinitas inueniri poterit.

Nec necesse erit hanc sententiam aliis rationibus nunc confirmare: nam sequentibus quæstionibus hoc etiam de potentia Dei absoluta repugnare probandum est, ideoque rationes illæ hanc sententiam à fortiori roborabunt.

Sed obiciet; eundem D. Thom. quæst. 7. primæ partis art. citato dicentem: dato quod esset aliquod corpus infinitum secundum magnitudinem, non ideo fore infinitum secundum essentiam: quia essentia sua esset nihilominus terminata ad aliquam speciem per formam, & ad aliquod indiuiduum per materiam: ergo cum essentia finita potest optimè compati quantitas, & alia accidentia infinita, & consequenter non rectè colligit D. Thom. non posse esse infinitum secundum quantitatem, qualitatem, &c: ex eo quod essentia substantiæ est finita, & limitata.

9. Confirmatur, & explicatur: quia ex finitate essentiæ substantiæ solum potest inferri similis infinitas in accidentibus, scilicet quoad essentiam; ergo cum quantitas, v. g. vel qualitas maneret eiusdem essentiæ, siue illa esset infinita secundum extensionem, siue secundum intensiōnem: quia hæc infinitas accideret essentiæ; fiet indè, ut ex finitate substantiæ non benè inferatur finitas omnimoda accidentium: non enim ex vi causæ potest inferri in effectu, nisi id, quod est in eadem causa.

Respondetur: quod etiam admissio absolute testimonio D. Thomæ, adhuc nihil indè contra nos: quia saltem illa essentia petit accidentia finita, & ideo saltem naturaliter hæc, & non alia debent illi tribui.

Ad confirmationem respondetur: quod substantia essentialiter finita tantum est radix accidentium finitorum; imò & accidentia, hoc ipso quod sunt finita secundum essentiam, debent habere saltem naturaliter modum essendi finitum, v. g. finitam intensiōnem, &c. ut sic sit debita proportio inter rem, & suum modum, & inter essentiam, & affectiones eius: in præsentia autem tantum loquimur de possibilitate naturali infiniti in actu.

#### *Soluantur argumenta prima sententia:*

#### **§. III.**

10. **A**D primum ergo pro prima sententia respondetur, ex Aristot. cap. 6. huius lib. & ex D. Thom. ibidem lect. 9. dupliciter aliquid esse in potentia; vno modo, quia potest totum reduci ad actum: quemadmodum æs est in potentia ad statuam; quia hæc potentia potest reduci completè ad actum, & hoc modo non est possibile dari infinitum in potentia: quia numquam potest reduci completè ad actum. Alio modo dicitur aliquid esse in potentia, quia successiue potest reduci ad actum, qui nunquam completè habeatur, quoniam est in ordine ad actum admixtum potentialitati; ac proinde quævis talis potentia sit in *satiari*, numquam tamen est in *satiato esse*, & hoc modo dicitur aliquid esse infinitum in potentia: ut patet in diuisionibus continui, quæ sunt infinitæ in potentia: quia non possunt simul dari omnes;

omnes; sed paulatim, & successiue fiunt, & quavis data, adhuc potest dari alia, & alia: & consequenter potentia, quam habet continuum, ut diuidatur in infinitum, etsi sit in *compleri*, nunquam tamen in *completo* esse, quia est in ordine ad actum admixtum potentialitati. Vnde quod est in potentia ad prædictum actum repugnat ut aliquando sit in *satiatione* esse; alioqui esset in ordine ad actum perfectum, & completum.

Ex quo ad confirmationem respondetur: quod licet Deus ut author naturæ habeat virtutem infinitam: tamen quia res dicuntur infinitæ in potentia modo explicato: ideo non potest illas, ut author naturæ, reducere ad actum completum, & consequenter nec poterit dari infinitum in actu.

11 Ad secundum bene respondetur ibidem (si tamen solutio illa rectè intelligatur,) quæ quidem desumitur ex Diuo Thoma in 4. distinctione 10. quæstione 1. articulo 3. quæstiuncula 2. ad primum, ubi sic inquit: *Vnitatis rei consequitur esse ipsum, partes autem alicuius homogenei continui ante diuisionem non habent esse actu; sed potentia tantum; & ideo nulla illarum habet unitatem propriè in actu. Vnde actu non est ipsum numerum accipere, sed potentia tantum.* Diximus, si rectè intelligatur: quia mens D. Thom. non est, quod re ipsa non detur ibi tanta multitudo partium, ut non habeat primam, neque ultimam, ut ex dicendis 6. lib. constabit, & ex contextu eiusdem S. Doctoris admittentis ibidem pluralitatem partium patet: sed quod si propriè loquamur, non dentur ibi plura entia actu, ac proinde neque propriè sint ibi plures unitates in actu.

Et ratio est: nam ut docet D. Thom. primo contra Gentes, cap. 25. in fine, & in 1. dist. 8. quæst. 1. art. 1. de veritate, quæst. 1. art. 1. quia ens dicitur *ab actu essendi*, seu existendi; ideo quod non habet proprium esse actu, non dicitur ens actu, & consequenter quia partes continui non habent in illo proprium esse, seu existentiam, licet, possint illam habere, ideo non dicuntur propriè plura entia actu. Et ob id non dixit Angelicus Doctor absolutè, quod non habent unitatem in actu; sed quod propriè non habent illam. Vnde neque ibi adest numerus actu, sed potentia: quia numerus propriè importat multitudinem actu diuisam. Quæ solutio, & explicatio desumitur ex Aristotele 7. Metaph. textu 56. & ex D. Thom. ibid. lect. 14. circa medium.

12 Vnde ad probationem dicendum est: quod etsi re ipsa sunt ibi infinitæ partes modo infra dicendo, non tamen sunt infinita entia in actu. Quare licet ens sit superius ad partes, si sumatur in tota sua latitudine, & sic sumptum prædicetur de partibus illis infinitis; non tamen si sumatur, prout dicit ens in actu: quia sic dicit principium essendi; qua ratione ducti Theologi dicunt, quod licet in Deo sint concedendæ tres res, non tamen tria entia substantiue, ut docet D. Thom. in 3. dist. 25. q. 2. art. 4. in corpore, & ad primum. Et colligitur ex Florent. sess. ultima in literis sanctæ unionis & ex Hilar. lib. 3. de Trinit. Cyrillo lib. 1. in Ioannem, cap. 4. Isidoro lib. de summo bono, cap. 15. Vnde, ad hoc ut sint infinita entia, requiritur, quod sint infinitæ res cum distinctis, & infinitis principiis essendi, seu existendi: atque ita hoc ipsum desiderabitur, ad hoc ut sit ibidem propriè infinitum in actu, quod tamen non requiritur, ad hoc ut sint infinitæ partes: quia in unico ente cum unico principio essendi possunt esse plures partes.

13 Ad confirmationem respondetur: esse disparem rationem: quia etsi omnes partes illius quantitatis infinitæ non existent per se de facto, haberent tamen potentiam proximam ad sic existendum: quia

omnes illæ possent esse separatæ, cum sint aliquotæ, & æquales vni signatæ: at verò partes proportionales infinitæ, quæ sunt in continuo finito, nullo modo possunt simul esse separatæ, ut suo loco dicitur. Quare si daretur quantitas in continuo habens infinitas partes æquales vni certæ, esset ibidem simpliciter infinitum in actu; non quia haberet infinitas partes, quæ essent entia actu, sed quia haberet illas potentes proximè, per se existere simul & esse entia in actu simul quia non aliter aliquod totum, atque adeo nec ipsum infinitum; potest constare partibus, ut docet D. Th. in 3. d. 6. q. 2. art. 3.

Adde, quod partes illæ æquales lineæ infinitæ existerent per existentiam totius compositi distinctè, signatæ, & actualiter, & ideo sufficerent ad constituendum infinitum actu: quia is modus existendi, licet sit per existentiam totius, tribuit partibus, quod sint simpliciter, & omnino propriè partes actuales: partes verò proportionales solum existunt per existentiam totius in confuso, & indistinctè: quia non sunt signabiles, ex eo quod non sunt æquales vni parti certæ, & signatæ; & ideo non sunt in actu, nisi tantum secundum quid, atque ita non habent sufficientem actualitatem intra latitudinem partium ad constituendum infinitum in actu simpliciter; sed secundum quid propter rationem dictam: atque ideo talis multitudo potest dici infinita in potentia, prout ly in *potentia* excludit esse simpliciter in actu.

14 Ex quo ad tertium respondetur: non esse inconueniens, imò necessarium admittere lineam illam habentem infinitos palmos; cæterum indè nihil contra nos: tum quia tota illa longitudo *entis* terminis clauditur: cum sit sub eisdem terminis, sub quibus est tota columna. Tum etiam, quia tota illa linea non est actu ens, prout ens dicit principium essendi: quia nequit per se separatà consistere, & ideo non habent sufficientem actualitatem illæ partes etiam intra latitudinem partium aliquotarum continui, ad hoc ut constituent infinitum in actu. Maxime, quia suo modo existit ratione partium proportionalium: quoniam communicatur illis à toto existentia, quia neunt partes proportionales superficiei: vnde sicut hæ sunt in actu confusæ, & in potentia modo explicato; ita aliquid huiusmodi potentialitatis ad partes lineæ quodammodo deriuatur.

## Q V Æ S T I O II.

*An per absolutam Dei potentiam possit dari aliqua creatura, quæ sit infinita secundum essentiam.*

**Q**uia essentia est prior in qualibet re, ita infinitas in ratione essentiae, si semel esset possibilis, deberet præcedere alia infinitarum genera, & ideo prius de hac quàm de aliis infinitatibus agimus.

*Adducuntur rationes dubitandi.*

### § I.

15 **P**ars affirmatiua probatur primò: quia potentia Dei ad extra est infinita simpliciter, & categorematicè: ergo poterit producere effectum infinitè perfectum. Patet consequentia: quia potentia finita potest attingere finitum effectum, & quod perfectior, est, eò perfectiorem producit: ergo quæ infinitæ virtutis

virtutis fuerit; infinitam perfectionem effectui communicare poterit.

Secundo: non implicat Deum habere hoc imperium: *Fiat perfectissimus effectus ex his, quæ à me possunt produci*: at talis effectus infinitam perfectionem haberet: ergo, &c. Minor probatur; nam aliàs daretur creatura finitè perfecta; ultra quam non posset aliam Deus essentialiter perfectiorem producere: quod, ut infra videbimus, omnino repugnat.

Tertio: nam si Deus ex necessitate naturæ ageret, tunc operaretur secundum ultimum suæ potentiae: quippe cum hoc sit proprium agentium naturalium: ergo effectus, quem tunc produceret, esset infinitæ perfectionis aliàs sequeretur, quod divina potentia finitæ perfectionis esset, cum virtus potentiae non sit maior quàm eius effectus adequatus: ergo & nunc cum liberè operatur, poterit effectum infinitè perfectum producere. Patet consequentia: quoniam non est minoris virtutis Deus liberè operans, quàm esset tunc, si ex necessitate naturæ operaretur.

16 Quarto: Deus cognoscit infinitas creaturas possibiles se inuicem in gradu perfectionis essentialis excedentes, sed inter illas necessarid datur una infinitè perfecta: illa ergo erit producibilis à Deo: aliàs non esset possibilis. Maior patebit infra quæstione sequenti.

Minor verò suaderetur: tum quia si de facto daretur in rerum natura infinitæ species Angelorum, se inuicem in essentiali perfectione excedentes, necessarid admittendus esset inter illos quidam Angelus, cui infinita, & actualis inesset perfectio: ergo si verè sunt possibiles; verè sub esse possibili datur vnus habens infinitam perfectionem: ac proinde illum vnicum Angelum posset Deus actu producere. Tum etiam, quia si inter illas creaturas non deuenitur ad aliquam infinitè perfectam, consequens est, ut nec concipiatur tota collectio creaturarum, quia data quacumque creatura finitæ perfectionis, potest rursus alia, & alia dari: si quidem Deus non potest ita participari finito modo, ut non sit amplius, & amplius participabilis.

*Desinitur quæstio.*

## S. II.

17 **N**ihilominus dicendum est, implicare contradictionem, quod datur aliqua creatura, quæ sit infinita secundum essentiam: Assertio hæc colligitur ex Aristotele locis citatis pro præcedenti quæstione, & est expressa D. Thom. 1. part. quæst. 7. art. 4. vbi loquens de essentia creata sic concludit; *Quia habet esse, & non est suum esse necesse est, quod ipsum eius esse sit receptum, & contractum terminatum natura. Unde non potest esse infinitum simpliciter.* Et hoc ipsum docet qu. 50. art. 1. ad 3. & 2. ad 4. & in distinct. 43. qu. 1. art. 2. & alibi, sæpè, quem sequuntur omnes Thomistæ, & communiter cæteri Philosophi, & Theologi; & ideo consulto illos omittimus.

Probatur ratione desumpta ex eodem S. Doctore primo contra gentes cap. 41: Omnis natura creata, & completa constat genere, & differentia: ergo nequit esse infinita secundum essentiam; & consequenter nec vlla alia creatura: quia tanta perfectio; scilicet infinitas secundum essentiam non posset conuenire; nisi naturæ completæ: Antecedens satis constat, quia quæuis natura completa, & creata v. g. substantialis; conuenit vniuocè cum aliis substantialis in ratione substantiæ; & differt ab illis per specialem differentiam: quia ratio substantiæ completa;

*Collog. Compl. Physic.*

& creata est omnino abstrahibilis ab omnibus substantiis creatis, & completis.

Ex quo prima consequentia; scilicet prædictam substantiam non fore infinitam; satis constat; tum quia sicut implicat dari lineam infinitam, si sit terminata terminis propriis lineæ scilicet punctis; ita repugnat esse infinitum secundum essentiam id, quod est terminatum terminis essentiae, scilicet genere, & differentia. Tum etiam, quia inde colligit D. Thom. loco citato ex primo contra Gentes, & D. Dionysius cap. 1. de diuinis nominibus, Deum esse infinitum secundum essentiam: quia non est sub genere aliquo, & consequenter non constat genere, & differentia: ergo è contrariò quod constiterit genere, & differentia, erit infinitum secundum essentiam: quia si negatio est causa negationis; etiam affirmatio erit affirmationis causa.

18 Et confirmatur ratione desumpta ex eodem Sancto Doctore locis citatis. Nulla creatura potest esse suum esse existentiae per se subsistens & irreceptum: ergo habet illud receptum: ergo & habebit illud finitum, & limitatum; ac proinde, & quæuis creatura erit finita secundum essentiam: quia si semel posset habere infinitatem secundum essentiam, posset vique habere illam secundum suum esse, seu existentiam.

Antecedens patet: quoniam alioqui creatura haberet omnem plenitudinem essendi; atque ita esset Deus: quoniam ipsum esse purum ab omni potentialitate per seipsum essentialiter subsistens, & irreceptum amabit, & includet omnem essendi plenitudinem: Sicut si daretur albedo per se subsistens, & irreceptibilis, haberet omnem plenitudinem albedinis: quia non esset unde limitaretur. Et similiter omnes Stoici, & Peripatetici conueniunt, si daretur humanitas separata, quam posuit Plato, illa contineret omnem perfectionem reperibilem in ipsa natura humana.

19 Ex quo etiam prima consequentia, scilicet quod creatura debeat habere esse receptum, est euidens quandoquidem habere esse receptum, & irreceptum immediatè opponuntur: Unde si semel non habet illud irreceptum, habebit necessario esse receptum. Et ex hoc tandem secunda consequentia, scilicet eo ipso tale esse debet esse finitum, patet: tum quia forma limitatur per materiam, ut secundo huius operis diximus: tum etiam quia etsi demus, quod forma, quæ est passio alicuius naturæ, non minuat in perfectione, ex eo quod sumatur in concreto, & ut est in tali natura; & ideo lux solis in sole habeat omnem plenitudinem modo tamen alibi explicando: attamen forma, quæ participatur per modum accidentis prædicabilis, qualis est existentia, hoc ipso quod intelligatur recepta in tali subiecto, est ibi finita, & diminutè participata, ut patet in calore participato ab aqua.

Respondebis ex Vasquez 1. part. dist. 22. & 25. (cui hæc ratio D. Thomæ displicet) ex vi huius discursus non probari finitatem secundum essentiam: quia etiam in Deo non conuincitur esse infinitum secundum essentiam ex eo quod careat genere, & differentia non enim obest infinitati illius, quod collocetur sub genere: quia hæc compositio tantum est per rationem nostram.

20 Et similiter ad confirmationem respondebis cum Iuniore quodam: ex vi illius tantum probari non posse dari creaturam, quæ sit infinita in omni genere, sicut Deus, & consequenter quæ contineat omnem perfectionem excogitabilem; non tamen, quod non habeat perfectionem sufficientem, ad hoc ut sit infinita: quia essentia receptiva illius existentiae erit

*Q. 2*

*capaz*

capax esse infiniti: sicut si daretur duplex linea infinita, tunc quævis haberet quiddam requiritur ad infinitudinem: quia in nulla earum esset assignabilis ultima pars; attamen neutra congereret omnem excogitabilem longitudinem.

Secundum contra primam solutionem obstat, derogare infinitati Dei secundum essentiam, quod sit compositus ex genere, & differentia: ergo si creatura componitur hac compositione, erit simpliciter finita secundum essentiam. Consequentia patet ex paritate rationis, ut ex statim dicendis amplius constabit.

Antecedens verò probatur: tum quia id docent D. Dionys. cap. 1. de diuinis Nominibus, August. lib. 1. de Trinitate cap. 1. & 4. lib. 7. cap. 5. Anselmus in Monologio cap. 27. & communiter omnes Theologi cum Magistro in 1. distinct. 8. Tum etiam: quia hoc ipso quod Deus constaret genere, & differentia, tunc differentia contrahens, quippe quæ est determinatio generis, limitaret, & determinaret Deum, & rationem illam genericam ad certam speciem, diuidendo nimirum prædictam rationem communem, ut innuit D. Thom. in 2. distinct. 3. qu. 1. art. 6. ad 1. & de spiritualibus creaturis art. 1. ad 9. & 10. Metaph. lect. 11. atque adeo implicaret, quod in Deo per illam constituto clauderetur tota perfectio illius generis & consequenter quod esset infinitus simpliciter in ratione entis.

21. Confirmatur primo: (per quod fundamentum Vasque evanescit) quia etsi compositio hæc sit formaliter per rationem; attamen necessitè requirit in se saltem tanquam conditionem: tum quod sit in illa aliqua compositio ad minus ex esse, & essentia, ut docet D. Thom. cap. 6. de ente, & essentia, ubi ait: *Omne quod est in genere, oportet, quod habeat quidditatem præter esse suum.* Tum etiam, quod ratio differentialis possit cum fundamento in re præcindi omnino à ratione generica, ut vult idem S. Doctor. de potentia q. 3. art. 16 ad 4. & 3. Metaph. lect. 8. immèdiate, & nos in Logica diximus. At quod in Deo sit compositio ex essentia, & esse, vel quod sit in eo ratio differentialis omnino præcisa ab aliis rationibus ipsi essentialibus, tollit ab eo infinitatem: ergo, &c.

Minor probatur: quia si in Deo esset compositio ex essentia, & esse, iam sua existentia, seu esse esset receptum in essentia; & ita non esset essentialiter suum esse per se subsistens, neque haberet omnimodam simplicitatem. Et similiter si ratio ultima Dei non imbiberet omnem perfectionem, non esset infinita per essentiam: quippe non includeret ens per essentiam, quod ex vi sua importat omnem plenitudinem essendi, ergo etiam talis compositio ex genere & differentia tollit infinitudinem Dei ratione fundamenti, quod requirit.

22. Confirmatur secundò: quia essentia non habet aliud, per quod per se primò, & essentialiter finiatur præter genus; & differentiam: nam cum non possit sic finiri ratione finitæ extensionis, aut intensiōis, & cætera quia hæc non intelliguntur esse intra essentiam, nec ex habitudine ad causam, scilicet ad potentiam Dei infinitam: quoniam ideo causa producit rem finitam: quia ipsa est propriis essentialibus terminis terminata, non vero è contrà: siquidem ex habitudine ad potentiam infinitam, ut talem nequit res finiri, ut constat: fiet indè, ut ex compositione creaturæ ex genere, & differentia optimè cum D. Thoma colligamus finitatem eius secundum essentiam.

Ex quo etiam solutio ad confirmationem nostræ rationis adducta evanescit: quia hoc ipso quod natura illa creata, & completa non sit suum esse purum, & per se subsistens, habebit illud receptum in

alio, scilicet in essentia vel supposito ab eodem esse existentia distincto, & consequenter, non erit necessarium, quod quævis ratio in tali creatura inuenta imbibat per modum transcendentis quamvis aliam rationem communem: ergo datur sufficiens fundamentum, ad hoc ut sit composita ex genere, & differentia atque idèd erit simpliciter finita, ut ex dictis patet. Vnde sicut implicaret esse lineam terminatam terminis propriis lineæ, & esse infinitam: ita implicat dari essentiam terminatam terminis propriis essentia, scilicet genere & differentia, & manere infinitum.

*Satisfit rationibus dubitandi initio propositis.*

### S. III.

23. **A**D primam ergo rationem dubitandi respondetur: quod ut potentia Dei habeat suam infinitudinem non desideratur, ut possit actu producere unum effectum, qui sit actu infinitus, sed quod eademmet potentia immutata permanens possit producere infinitum in potentia, id est, quod non tot possit producere species, quin possit alias, & alias: & non solum in uno, aut in altero genere; sed in omnibus generibus. Ita ut etsi quæ fuerint actu, sint semper finitæ, attamen quæ supersunt producendæ, sint alia, & alia sese inuicem excedentes usque in infinitum. Nam hoc ipso quod diuina potentia absque aliqua additione, aut variatione ex parte sui habeat vim ad hæc omnia attingenda, oportet, ut actu contineat totam hanc perfectionem omnium creaturarum sese inuicem in essentiali perfectione excedentium, & consequenter quod sit infinita per essentiam.

Secundò responderetur ex eodem D. Thom. 1. p. quæst. 25. art. 2. ad 2. quod etsi virtus agentis uniuocæ debeat tota manifestari in unico effectu; secus verò virtus agentis æquiuocæ. Et idèd ad hoc ut potentia Dei quæ est potentia; & agens æquiuocum, sit infinita non oportet, ut producat unum aliquem effectum infinitum, in quo tota hæc virtus splendeat. Quare fac erit, si saltem quoad modum producendi tota illius efficacia, & infinitas manifestetur: ut contingit in creatione, seu productione ex nihilo. Nam ut docet idem S. Doctor. 1. p. qu. 31. art. 1. ad 2. q. 45. art. 5. ad 3. ad producendam quamvis rem hoc modo, requiritur virtus infinita, cuius rationem ibidem reddit Sanctus Doctor. & eam bene explicant Caietan. & Nazarius eodem loco.

24. Ad secundum responderetur: repugnare Deum habere tale imperium, ut ex dictis, & in sequenti quæstione dicendis, patebit. Vnde non esset aliquid, quod obediret illi imperio: sicut si Deus, diceret, fiat prima, aut ultima pars continui non esset pars aliqua, quæ tali obediret imperio: quia nec adest prima, aut ultima continui pars, neque à Deo cognosci potest.

Ad tertium responderetur: in primis, quod si Deus ageret ex necessitate naturæ, nec esset Deus, nec agens infinitum: quia operari ex necessitate naturæ, arguit imperfectionem, nempe defectum libertatis, & sapientia in operando, cum quo coherere non potest virtus infinita: quia hæc requirit essentiam infinitam, quæ esse nequit cum defectu prædictarum perfectionum. Deindè dicimus, quod dato hoc impossibili utrumque sequeretur, scilicet producturum effectum infinitum secundum essentiam, ut argumentum conuincit, & non producturum: quia implicat, ut ostendamus. Ad ultimum parebit ex dicendis quæstione sequenti.



## Q V Æ S T I O III.

*AN DATA QVACVMQVE CRE-  
atura possit Deus aliam & aliam perfectio-  
nem secundum speciem producere.*

**L**icet Deus nequeat producere vnam creaturam infinitam secundum essentiam, ut nuper dicebamus adhuc potest dubitari, an quacumque creatura data, possit aliam, & aliam perfectiorem, & sic in infinitum producere; licet quæ de facto fuerint productæ semper sint finitæ. Et idèd ut hoc explicemus, quod sanè non parum difficultatis præ se fert, hanc peculiarem quæstionem excitamus.

*Placitum Henrici, & aliorum.*

## §. I.

**24** **P**artem negantem tuentur Henricus, quodlibeto 8. quæst. 8. Durandus in 1. distinct. 44. qu. 2. ut refert Rubio in præfenti, tractatu 2. de infinito quæst. 5. quos etiam sequuntur plures alij. Et probatur primò, quia alioqui possibilis esset aliqua creatura infinitæ perfectionis secundum essentiam; at hoc esse impossibile diximus quæstione præcedenti; ergo, &c. Probatur sequela: tum quia ut in vltima ratione dubitandi præcedenti quæstione adducta dicebamus, si de facto in rerum natura darentur infinitæ species Angelorum, quæ proinde se inuicem in perfectione essentiali excederent non posset non dari inter illos Angelus qui esset infinitæ perfectionis essentialis: ergo si verè sunt possibiles, dabitur sub esse possibili, vnus qui habeat talem perfectionem; ac proinde & illum vniuocum Angelum posset Deus de facto producere.

Confirmatur: quia species superior continens eminenter perfectiones inferiorum: & idèd homo continet eminenter esse vegetatiuum, & sensitivum, quod est in brutis: ergo inter illas infinitas species se inuicem in perfectione essentiali excedentes dabitur vna continens perfectiones aliarum, & per consequens infinita: maximè, quia etiam necesse erit, dari infinitam distantiam in perfectione inter vnicam speciem v. g. inter hominem, & aliquam ex illis infinitis possibilibus, & ita dabitur ibidem aliqua, quæcumque illa sit quæ infinitè extendat illum.

**26** Confirmatur secundò: quia ex opposito saltem sequeretur, totam collectionem creaturarum possibilem esse infinitè perfectam secundum essentiam: quippè quæ non habet in hoc ordine terminum; at hoc implicat, quia cum tota hæc latitudo & collectio sit ens creatum, necessariò debet esse quid finitum, & limitatum.

Secundò, in rerum natura datur substantia quædam ita inferior, scilicet materia prima sublunaris, qua non potest etiam per Dei potentiam dari alia entitas substantialis ignobilior: ergo similiter aliqua poterit esse saltem in mente diuina ita perfecta, ut non possit dari alia, quæ eam in perfectione excedat.

Consequencia videtur legitima ex parietate rationis. Et antecedens videtur esse D. August. 12. Confess. cap. 7. Et insuper suadet: nam vel illa substantia esset forma, & tunc non posset non esse perfectior, quàm materia, quippè quæ esset actus substantialis illius: vel esset compositum; at hoc cum materiam includat, & super eam addat formam, non potest non esse perfectius illud: vel tandem esset materia, & sic non esset ea imperfectior: cum non posset actum

*Colleg. Compl. Physica.*

substantialem imperfectiorem, quàm illum; qui est amissibilis, ad quem materia sublunaris tendit, respicere, & consequenter esset vel eadem specie cum hac, quæ modò est, vel illam in nobilitate superaret.

**27** Tertio, nam testibus Sanctis Patribus, Augustino nimirum cap. 10. Enchir. Gregor. Nazian. homil. de Natiuitate, & Theodoro to lib. 6. Græcanic. affectionum non potest à Deo aliud vniuersum perfectius, ac pulchrius, quàm hoc, quod conditum est, produci; sed perfectio eius coalescit ex hisce, quibus constat, corporibus, ac speciebus: ergo non potest in eis in infinitum procedi, imò nec plures esse, quàm de facto sunt.

*Sententia D. Thomæ magis horrida.*

## §. II.

**28** **N**ihilominus dicendum est: data quacumque creatura possibili, posse Deum aliam, & aliam essentialiter perfectiorem, vsque in infinitum producere: atque adèd numerum creaturarum possibilem se inuicem in perfectione essentiali excedentium esse infinitum in potentia. Ita Diuus Thomas 2. contra Gent. cap. 26. 1. par. quæst. 25. art. 6. in 1. dist. 44. q. 1. art. 1. ad 3. & alibi quem sequuntur Caiet. & Zúmel loco citato ex 1. p. Capreol. in 1. d. 43. q. vnica, art. 2. Herbeus quodlibeto 7. q. 2. Soncin. 12. metaph. q. 5. Masius, & Rubio in præfenti, & plures alij.

Probatur ratione desumpta ex D. Thom. 2. contra Gent. cap. citato. Nam creatura est quædam participatio, & passiva diuinæ perfectionis communicatio: non est assignabilis aliqua adèd perfecta, quin possit perfectior alia, & alia, dari. Patet consequentia nam esse diuinum, quod participatur; est omnibus modis infinitum; ac proinde infinitis modis imitabile & participabile: ergo non potest ita perfectè ab vna creatura participari, quin possit magis, ac magis ab alia participari.

**29** Confirmatur; explicatur primò: nam imitatio hæc nihil ex parte ipsarum creaturarum præsupponit; sed quidquid in eis est imitationis, ac similitudinis repertum prouenit illis ex infinita ipsius causæ eminentia, quam imitantur: ergo quantum imitabilitas (si sic licet loqui) in ipsamet causa inuenitur, tantum poterit creaturis communicari, ab ipsisque participari; sed ex parte ipsius Dei, infiniti sunt modi; quibus participalis, ac imitabilis est: ita ut quocumque dato, semper illius, & alius perfectior supersit: quippè cum hoc maximè ad ens omnibus modis infinitum, & perfectum pertineat: ergo pari ratione, data qualibet imitatione ex parte creaturarum dables sunt etiam aliæ in infinitum perfectiores: cum ex parte earum nihil præsupponatur, à quo imitatio limitationem possit accipere.

**30** Confirmatur, & explicatur secundò exemplo imaginum, quarum exemplar per eas repræsentabile esse: infinitum imperfectione; nam tunc si semel non potest dari vna imago infinitè perfecta, oportet, ut data quacumque imagine, & repræsentatione, quantumuis perfecta, supersit tanquam possibilis alius, & alius repræsentationis modus, alia, & alia imago in infinitum, quæ exempla perfectiori modo repræsentet, quemadmodum ex parte ipsius semper restat maior, & maior repræsentabilitas, aliàs non esset in esse repræsentabili, & consequenter in perfectione infinitum: ergo cum imitabilitas Dei, ex parte Dei sit amplior; & amplior, quia est infinitus nec possit dari ut quæstione præcedenti diximus aliqua vna creatura infinita secundum essentiam consequens est, ut quacumque creatura data,

Q 3

qua

quæ illius perfectionem imitetur, restet semper alia, & alia in infinitum.

*Occurritur Argumentis prima sententia.*

S. II.

31 **A**D primum ergo pro prima sententia respondetur, negando sequelam: quia species rerum possibilium non se excedunt excessu perfectionis, qui sit certæ, & determinatæ quantitatis; ita ut si quantitas perfectionis unius speciei sit ut unum; tunc species illi immediata habeat perfectionem ut duo, vel ut unum, & dimidium; sed habebit perfectionem, ut unum, & aliquid amplius: ita tamen ut illud amplius, non sit necesse, ut sit alicuius certæ, & determinatæ magnitudinis, seu perfectionis; sed incertæ, & indeterminatæ, minoris scilicet, ac minoris quacumque determinata perfectione signabili, & hoc modo potest fieri additio in infinitum in infinitis creaturis possibilibus.

Ex quo tamen non sequitur, esse dabilem aliquam, quæ sit infinitæ perfectionis essentialis: sicuti neque ex additione proportionali, & per partes minoris, ac minoris quacumque certæ, & determinatæ parte, quæ est in digito, ascendendo à medietate illius usque ad totum illum, non sequitur resultare ibidem magnitudinem aliquam actu infinitam: quia ad hanc inter alia requiritur additio per partes certæ, & determinatæ magnitudinis.

32. Ex quo ad probationem sequelæ facillè respondetur, quod etiam si per impossibile admitteremus, quod omnes creaturæ possibiles ponerentur actu in rerum natura, non inde fieret fore aliquam creaturam infinitæ perfectionis essentialis: quia nulla esset ibidem, quæ excederet cæteras excessu infinito per infinitas partes, seu gradus (ut sic loquamur) certæ, & determinatæ perfectionis. Vnde omnes illæ habent terminum extrinsecum, scilicet: quod non essent infinitæ per essentiam quia tota illa collectio huc non pertingeret: sicut et si species gradus vegetatiui possent multiplicari in infinitum, adhuc tamen non pertingerent ad perfectionem gradus sensitiui: quia et si inter unum, & alium gradum non sit distantia infinita positiuè, est tamen distantia infinita negatiuè, id est, nunquam pertransibilis: quia omnes illæ semper sunt infra gradum sentiendi, quippe non excedentes gradum vegetandi: & ideo licet non habeant terminum intrinsecum, terminantur tamen extrinsecè per prædictum gradum sentiendi.

Ex quo etiam ad primam confirmationem, imò & ad secundam satis patet: quia etiam si admitteremus, speciem superiorem continere omnem perfectionem inferioris, adhuc non sequeretur speciem aliquam, vel totam collectionem esse in actu infinitè perfectam, ut ex exemplo adducto quantitaris, & magnitudinis finitæ secundum extensionem constat, ubi ex additione illa partium proportionalium non sequitur magnitudo infinita, & cætera.

33 Notanter diximus: *Etiam si admitteremus speciem superiorem continere perfectiones inferiorum*: quia reuera nulla datur species creata superior, quæ contineat omnes perfectiones inferiorum, ut eleganter docuit D. Thom. 1. par. qu. 84. art. 2. ad 3. Vbi, ut redderet rationem, quare anima non posset per suam essentiam cognoscere omnes species inferiores: quia videtur in ea, ut in superiori essentia inferiores alias contineri, sicut ait: *Qualibet creatura habet esse finitum, & determinatum. Vnde essentia superioris creatura et si habent quandam similitudinem inferioris creatura, pro-*

*ut communicati in aliquo genere; non tamen completè habet similitudinem illius: quia determinatur ad aliquam speciem, præterquam est species inferioris creatura: sed essentia Dei est perfecta similitudo omnium quantum ad omnia, quæ in rebus inueniuntur: sicut universale principium omnium.*

Quod etiam docet 1. p. qu. 55. ad 3. & qu. 84. citata in corpore, ut ibi acutè explicat Caiet. Vnde ex hac parte scilicet ex continentia prædicta earum perfectionem, quæ sunt in speciebus inferioribus manifestè constat, non posse dari creaturam aliquam possibilem infinitè perfectam, etiam si sint infinitæ in potentia secundum multitudinem specificam: cæterum hæc amplius in sequenti solutione elucidabuntur.

34 Secundò respondetur: quod etiam si gratis admitteremus excessum prædictum per partes, aut quasi partes certæ, & determinatæ perfectionis, adhuc argumentum non conuinceret. Vnde neganda est sequela: quia si semel attentè inspiciatur, quod cum dicitur, posse Deum data vna creatura perfectissima producere aliam, & aliam perfectiorem in infinitum: processus iste in infinitum non est in infinitum in actu; sed in infinitum potentia: id est, nunquam in ultimum; sed semper actu in aliquid, quod sit actu finitum, taliter tamen quod extra illud restet in potentia aliud, & aliud sine termino: tunc manifestè constabit, quomodo ex hoc processu in infinitum potius sequatur in tota illa collectione creaturarum, non posse dari aliquam summæ, & infinitè perfectam, quacumque illa sit; nam aliàs in ea sisteret processus, quod est contra rationem ipsius processus in infinitum, de cuius conceptu est quod nulla creatura, quacumque illa sit, siue determinata, siue indeterminata sit ibidem, quæ sit ultima, & in qua vltimo modo sistatur.

35 Vnde ad probationem respondetur: quod sicut non valet, si digitus diuideretur actu per infinitas actu diuisiones in partes minores, & minores: tunc sequeretur aliud impossibile, scilicet deueniendum actu esse ad partem infinitè minimam in actu: quandoquidem per quamlibet diuisionem deuenitur ad minorem partem atque ita per infinitas ad infinitè minimam: ergo si talis digitus potest diuidi infinitis diuisionibus in potentia, poterit dari possibiliter pars infinitè minima: sicut ergo hic discursus nihil valet, quandoquidem est contra essentiam partis quantitatis, cuius medietas est minor, quàm illa: ita quamuis admittamus, quod sit actu darentur productæ omnes creaturæ possibiles, sequeretur aliud impossibile, scilicet esse ibidem aliquam, quæ sit infinitæ perfectionis non tamen inde colligeretur, quod si sunt possibiles infinitæ creaturæ possibiles, tunc detur in eis possibiliter aliqua quæ sit infinitæ perfectionis essentialis.

Ex ratio est: quia in utroque casu arguitur ab infinito in actu ad infinitum in potentia; de cuius ratione, quod non sit in eo aliquid, siue determinatum, siue indeterminatum, quod habeat possibiliter, & simul, omne illud augmentum, vel decrementum infinitum: quia est in ordine ad actum permixtum potentia, ut in prima qu. huius disputationis explicuimus.

36 Ex quo ad utramque confirmationem, & in primis ad primam dicimus: negandum esse antecedens. Gratis tamen illo admissio, neganda est consequentia: quia illa infinitas multitudinis, & processus specierum non est infinitas in actu; sed in potentia, contra cuius rationem est quod deueniatur ad talem creaturam. Vnde distantia illa, quæ in hac confirmatione innuitur non est infinita in actu; sed

*solum*

solum in potentia : & ideo nihil inde contra nos. Et similiter ad secundam confirmationem dicendum est, quod inde solum sequeretur, in tota illa collectione esse infinitudinem secundum essentiam secundum quid; non tamen simpliciter, quia tota illa collectio non esset infinita in actu, sed solum in potentia : ac proinde secundum quid. Et desumitur tota hæc solutio ex Arist. & D. Thom. in præsentī, lect. 9. & in 1. dist. 43. q. 1. art. 1. ad 5.

37 Ad secundum principale respondetur, negando consequentiam. Disparitas est : nam creaturæ eò crescunt in perfectione, quod magis ad diuinum esse accedunt. Vnde sicut dato quocumque accessu, adhuc alius maior restat, ita data quacumque creatura, adhuc est possibilis alia, & alia perfectior : at creaturæ eò in perfectione decrescunt, quod magis à diuino esse recedunt : quare sicut possibilis est omnimodus recessus : qualis ipsi nihilitati conuenit, quæ nec minimum accessum ad Deum habet : sic potest dari minimus accessus, altem intra latitudinem entitatis substantialis creaturæ.

Ad tertium dicendum ex D. Th. 1. p. q. 25. art. 6. ad 3, quod vniuersum hoc potest considerari vel secundum res, in eo contentas, vel secundum ordinem earundem. Prius modo vniuersum hoc potuit esse perfectius, quam modò est; si Deus in eo condidisset species nobiliores : si verò secundo modo sumatur, tunc in his speciebus, quæ productæ sunt, non potuit perfectior ordo, & dispositio esse : & consequenter, nec maior pulchritudo ea, quæ ex ordine hoc confurgit.

#### QVÆSTIO IV.

*Verum possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundum magnitudinem.*

**Q**uantitas molis posterior est quantitate perfectionis, & ideo explicato an possit dari infinitum secundum priorem quantitatem, merito dubitamus; an possit dari secundum posteriorem.

*Adducitur prior opinio.*

##### §. I.

38 **P**attem affirmantem tenent Gregor. in 1. dist. 48. q. 4. Ocham quodlibeto 2. q. 5. & in 2. q. 8. Argent. disput. 1. q. 2. art. 4. Maior. & Almay. in 3. dist. 3. q. vnica, Gabr. in 2. dist. 1. Vafq. disp. 26. primæ partis, & alij.

Probatum primò : nam produci infinitam molem, non repugnat ex parte diuinæ omnipotentiae, neque ex parte ipsius magnitudinis : ergo ex nullo capite. Antecedens quoad primam partem patet : quia diuina omnipotentia est infinita actu; quoad secundam verò solum videtur indigere explanatione : tum quia magnitudo si secundum ea, quæ ex vi sua importat consideretur, non petit certum, & determinatum terminum : tum etiam, quia est ab omnibus receptum, quod si daretur linea infinita, esset in prædicamento quantitatis, non minùs quam linea finita : quia utraque esset eiusdem prorsus rationis, & essentiae finitæ : solum autem distinguerentur penes maiorem, & minorem extensionem, quæ quodammodò est accidens, respectu quantitatis; sicut maior, vel minor intensio respectu aliarum qualitatem : ergo manebit integra, & illæsa essentia magnitudinis, etiamsi actu crescat infinitè : ergo non repugnabit ex parte quantitatis molis.


*Vera sententia Diui Thomæ, & primum eius fundamentum.*

##### §. II.

36 **N**ihilominus dicendum est, implicare contradictionem, quod Deus efficiat infinitam magnitudinem actu. Sic D. Thom. 1. p. q. 7. art. 3. quodlibeto 12. art. 1. necnon & quodlibeto 12. art. 2. Bonau. in 1. dist. 43. quæst. 3. Ricard. ibid. q. 5. & 6. Durandus q. 2. Scotus in 2. dist. 1. quæst. 3. Marsil. in 1. dist. 42. Caiet. 1. p. q. 7. art. 3. & 1. Ferrara 1. contra Gentes, c. 8. Sotus, Toletus, Conimbr. & innumeri alij.

Probatum ratione, quam innuit Aristot. in præsentī, & D. Thom. ibidem, & q. 7. primæ partis iam citata : nam si dari posset infinita magnitudo, sequeretur possibilem esse distantiam simpliciter infinitam inter duos terminos clausam, & ita talis distantia esset finita, & infinita, quod quidem manifestam inuoluit contradictionem : ergo, &c.

Sequela fiet manifesta, si supponamus illud principium Geometriæ, nimirum quod duæ lineæ ab eodem puncto ductæ, quo plus à centro protrahuntur, eo plus distant inter se, ut patet in figura hic posita. Vnde si protraherentur in infinitum, à tali



puncto infinitè distarent inter se : tunc ergo sic data magnitudine infinita, possent ab eodem illius puncto protrahi duæ lineæ in infinitum, siquidem extensio illius magnitudinis in infinitum procederet : ergo lineæ distarent infinitè inter se, at talis distantia clauditur inter illas duas lineas, cum neutram earum excedat : ergo dabitur distantia actu, & simpliciter infinita inter duos terminos clausa, quod est esse finitam, & infinitam.

40 Quod argumentum non solum conuincit, non posse dari corpus Physicum habens infinitam magnitudinem; verum neque corpus mathematicum, aut superficiem (ut per se patet) imò neque lineam infinitæ longitudinis : quia si vnica linea infinitè longa versus orientem daretur, quid obesset, quod Deus produceret aliam versus meridiem, ex vna tamen parte infinitam, & tangentem ex ea parte, qua est finita, punctum alterius lineæ infinitæ; at si hoc daretur, manifestè fieret ex dato principio, & quod illæ lineæ infinitè distarent, & quod talis distantia terminis clauderetur : ergo, &c.

Respondet Pater Vafquez propè finem cap. disput. citatæ, ex hoc argumento non rectè colligi, esse aliquam magnitudinem, aut distantiam infinitam inter illas duas lineas : quia non est aliqua suprema pars in qua assignetur distantia actu infinita; sed signata quacumque distantia, quæ finita erit si poterit alia maior assignari in infinitum, ita ut quæ actu assignatur, iam sit finita.

41 Sed contrà : quia in primis non apparet, quam probabilitatis speciem habeat hæc solutio : nam sicut ad hoc ut aliqua magnitudo sit actu infinita;

Q 4

minimè

minimè requiritur; imò cum infinitudine coherere non potest, quod in ea detur aliqua suprema pars, sed satis est, ut quacumque data sint actu ibi plures aliæ æquales in infinitum: sic ad hoc ut detur aliqua infinita distantia, necesse non est, ut in aliqua suprema parte illius magnitudinis sit assignabilis infinita distantia; sed satis erit, quod quacumque distantia signata, restet actu alia, & alia in infinitum: at hoc ipso, quod lineæ illæ in infinitum protrahantur, hoc inuenietur cum tantum crescat distantia, quantum & lineæ illæ quæ infinitè crescunt ergo, &c.

Explicatur hoc: nam cum dicitur quod signata quacumque distantia, potest alia & alia signatio fieri: vel est sensus, quod non est ibi actu maior, & maior distantia in infinitum, neque designatio illius; sed tantum in potentia: vel quod est ibi actu maior, & maior distantia in infinitum, non tamen designatio illius. Primum dici non potest: quia distantia, quæ actu ibidem est inter illas lineas crescit quantum lineæ illæ, quæ in tali magnitudine infinita reuera essent ergo cum hæ sint actu infinitæ, consequens est, ut etiam distantia sit actu infinita. Si verò secundum dicatur, habemus intentum: quia satis nobis est dari ibidem distantiam actu infinitam, & quod hæc eadem claudatur prædictis terminis, quod, ut constat, est planè falsum.

*Expenditur secundum fundamentum D. Thomæ.*

### §. III.

42 **S**ecunda ratio principalis desumpta ex Arist. in hoc lib. text. 48. vsque ad 51. & ex diuo Thomæ loco citato primæ partis, est hæc. Si daretur corpus naturale actu infinitum, sequeretur simul esse mobile, & immobile secundum locum, quod manifestè implicat: ergo, & cætera sequela quoad priorem satis patet: nam corpus illud naturale intrinsecè constat natura, & consequenter principio motus localis.

Quoad secundam verò partem sic suaderetur: nam vel esset mobile motu recto, & hoc non: quia quod mouetur motu recto, semper acquirit aliquam partem spatij, quam antea non occupabat: at corpus illud sicut esset infinitum in magnitudine, longitudine, & profunditate: sic omnem locum, & versus omnem positionem, occuparet: vel esset mobile motu circulari, & hoc non potest dici quia ut aliquod corpus hoc motu moueatur, opus est ut vna pars talis corporis perueniat ad locum vel situm, ubi fuit alia pars; at hoc non potest reperiri in corpore illo infinito: nam cum (ut modo dicebamus) duæ lineæ protrahantur à centro, quantum longius protrahuntur, seu distant à centro tanto magis distent inter se, oportet, quod cum lineæ in infinitum protrahantur, quod infinitè distent inter se, tam ipsæ quàm partes, quas continuant & sic vna pars illius corporis non posset peruenire ad locum, ubi alia fuit: quia infinita distantia est impertransibilis: ergo nec corpus illud posset moueri circulari motu: igitur simul esset mobile & immobile.

43. Quod argumentum si rectè expendatur, non minùs probat, quàm præcedens esse impossibilem quamuis quantitatem infinitam, siue sit reipso coniuncta cum corpore naturali, siue separatim existat nam cum quantitas separata possit etiam moueri localiter: ut patet in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, si ex alia parte non posset moueri, esset simul mobile, & immobile.

Varie solent huic argumento solutiones adhiberi: Prima est quod ex vi illius solum conuincitur, non

posse dari corpus, quod secundum omnem dimensionem sit infinitæ magnitudinis: secùs tamen dicendum, si versus vnam partem, ut versus oriens, esset infinitè longum: quia tunc si esset graue, posset ad centrum descendere.

44 Sed contrà: quia longitudo infinita linearum ex se ordinatur (modo tamen in Logica dicto) ad continuandam superficiem infinitam: nam sicut longitudo digitalis lineæ ordinatur ad continuandam superficiem digitalem: ita longitudo infinita erit propter continuandam superficiem infinitam. Et rursus superficies infinita ex se tendit ad continuandam infinitam profunditatem corporis: ergo de primo ad vltimum si potest dari corpus infinitum v. g. versus oriens poterit etiam esse infinitum versus omnes partes; & si repugnat, quod habeat infinitatem secundum omnes simul, etiam repugnabit, quod habeat infinitatem secundum vnam.

Secundò respondetur, quod ad rationem entis naturalis, & mobilis satis est, quod possit moueri alio motu præter localem: at corpus illius infinitæ magnitudinis posset alterari, vel secundum se totum, ut vel saltem secundum suas partes, quod sufficit.

45 Sed contrà: nam si semel non repugnat, dari corpus infinitæ magnitudinis, posset contingere, corpus illud esset aliquod ex corporibus, quæ modo sunt: v. g. cælum stellatum, ut de se constat; ergo esset mobile secundum locum: quia per hoc quod infinitè cresceret, non amitteret propriam naturam secundum quam potest localiter moueri: ergo tunc ratio Aristotelis, & D. Thomæ in sua vi, & robore manebit; & ita corpus illud simul esset, & non esset mobile secundum locum.

Hinc ergo sequens deducitur confirmatio: illud corpus naturale, vel non est tale, vel habet aliquo modo principium radicale motus localis. at si sit magnitudinis infinitæ, nequit villo modo localiter moueri, ut probatum est: ergo repugnat habere prædictam magnitudinem.

46 Tertio tandem, & vltimò respondet Vasquez, ex argumento proposito rectè colligi, quod corpus illud naturale nullo modo moueretur actu, negat tamen inde sequi, non fore mobile: quia non definit moueri ex defectu radicalis, & intrinseci principij motus; sed quia mole infinita impeditum est, ne suos motus executioni mandet. Vnde addunt Conimbrienses, corpus illud & esse mobile, & immobile, non quidem secundum eandem rationem, sed mobile secundum se, immobile verò, ut est affectum quantitate infinita.

Et rationem reddit Vasquez: nam si quævis pars illius corporis separatur à suo toto, posset moueri, ut constat: ergo cum pars illa, & totum sint eiusdem naturæ, ut puta si corpus illud esset homogeneous, consequens est, ut totum ipsum sit radicaliter mobile.

47 Sed contrà: quia hæc duo coherere non possunt, & quod corpus illud habeat in se naturale principium motus, & quod mole illa infinita sit impeditum, ne moueatur. Quod quidem sic ostendimus: nam quantitas illa infinita oriretur ratione materiæ ex natura illius, corpori: nam cum esset accidens entitatiuè naturale, non posset non esse connaturale alicui corpori, & ex principiis eius aliquo modo dimanare. Ergo si semel hæc infinita quantitas est impeditum prædicto corpori, à quo oritur, ne moueatur; fiet inde, ut corpus illud naturale, & mobile haberet ex suis intrinsecis principiis impeditum ad suum motum naturalem: ergo esset, & non esset mobile.

Prima consequentia ex se patet. Secunda verò quoad primam illius partem supponitur ut certa: quia  
tale

tale corpus supponitur esse mobile. Quoad secundam verò etiam contrarietatem: quoniam ex enti mobili, si verè est mobile, debet prout quantitas, quæ reddat ipsum dispositum, & aptum ad motum; non verò impediatur, & impossibile reddat exercitium talis motus: quandoquidem motus est naturalis perfectio corporis mobilis, & nulla res ponit ab intrinseco impedimentum suæ naturali, & debite perfectioni; aliàs natura sibi ipsi aduersaretur, & in opposita tenderet; ergo si semel quantitas illa infinita, & à corpore illo aliquo modo dimanans impedit motum, consequens est, ut non sit ab intrinseco mobile.

48 Deinde, quia ex hac solutione aperte sequitur, non esse proprium quantitatis tribuere substantiæ materiali, quod sit mobilis localiter, quod omnino falsum est: cum enim ex ea proueniat, ut sit in loco circumscriptiue, & perfecte, non potest non aliquo modo conducere, ad hoc ut substantia localiter moueatur.

Sequelam verò sic probamus: nullum accidens natura sua constitutum ad præstandum aliquem effectum, potest ex eo quod infinite in perfectione sibi connaturali crescat, reddi ineptum ad illum præstandum: imò quo magis in perfectione crescit, eo perfectius talem præstabit effectum: id quod in calore cæterisque aliis accidentibus cernere liquet. Sed quantitas, si infinite crescat, non solum non dat subiecto ut sit perfectius mobile ad locum, verum etiam impedit talem motum: ergo signum esset, quod cum sub terminis finitis, & non ita perfecta erat, non dabit substantiæ illi esse localiter mobilem. Ergo ut vitemus hoc inconueniens, necessarium dicendum est, impossibile esse quantitatem infinitam, quæ proinde hoc ipso quod talis impedit, imò & ipse corpus illud non esse mobile.

49 Nec ratio quæ vititur Vasquez ad suam solutionem confirmandam est efficax: nam dato illo impossibili; scilicet esse aliquod corpus homogeneum & infinitum, statim sequeretur aliud, nimirum quamlibet illius partem separatam esse, & non esse mobilem; esse quidem: quia nunc quævis pars ignis aliqua est mobilis, & hæc esset eiusdem speciei cum alia parte certa, & determinata illius ignis infiniti: non verò esse mobile: quia esset eiusdem naturæ cum toto illo igne, quem non fore mobilem, satis probatum est. Nec mirum quod dato vno impossibili, sequatur aliud: quia, ut aiunt Dialectici, ex impossibili sequitur quodlibet: imò & hinc fit, non esse possibile corpus illud infinitum: nam ex possibili nunquam sequitur aliquod impossibile:

*Diluuntur fundamenta prima sententia.*

S. IV.

50 **A**D argumenta initio posita respondetur. Ad primum: quod etsi demus, non implicare infinitum secundum magnitudinem ratione essentia quantitatis, satis est ad hoc ut non possit dari, quod repugnet ratione aliarum implicationum, quæ inseparabiliter sequuntur ex positione talis infiniti, quæ nos latè prosequuti fuimus.

Adde, quod manente essentia quantitatis, sicut modo manet, non ponetur linea illa in prædicamento: quia quantitas, quæ modo possibilis est, etsi secundum se non petat, neque sit radix certi, & determinati termini, perit tamen hunc, vel illum vagè: neque potest ei repugnare, ut sit terminis clausa: sicut neque figura, quæ ex terminatione quantitatis resultat, quæque eius proprietas est: at lineæ illi quoduis istorum repugnare satis patet; ideoque non erit eiusdem essentia cum quantitate prædicamentali, quæ modo est. Dicitur au-

tem communiter, lineam infinitam in prædicamento quantitatis fore collocandam: quia dato hoc impossibili, non esset tunc de essentia quantitatis petere certum terminum; sed tantum habere partem extra partem.

QVÆSTIO V.

*Positne supernaturaliter dari infinitum in actu secundum multitudinem.*

*Referitur sententia affirmatiua.*

S. I.

51 **P**ARTem affirmatiuam tuentur omnes auctores præ contraria sententia quæstione præcedenti relati: quibus subscribit Oñia in præsentia quæst. 2. art. 3. conclus. 2.

Probatum primò: in continuo sunt infinitæ partes proportionales: (ut supra diximus): at potest Deus eas separatim seruire: ergo tunc dabitur infinitus numerus quantitatum. Minor probatur: nam quod Deus conseruat interuentu causæ secundæ, quæ non est de essentia rei, potest se solo conseruare: at Deus conseruat in continuo partes illas interuentu vnionis earum inter se; & vnio ista non est de essentia illarum: cum nulla sit ibi pars; quæ non sit diuisibilis, & separabilis ab alia; nam aliàs non esset quanta: ergo poterit Deus illam conseruare sine interuentu vnionis.

52 Secundò, in quolibet instanti vnus horæ potest Deus creare vnum Angelum, aut hominem: siquidem in quolibet instanti in Deo est virtus infinita: sed in illa hora sunt actu infinita instantia: ergo infiniti Angeli, aut homines manebunt in fine horæ creati.

Et confirmatur: quia ut ex dicendis infra octauo libro satis constabit, Deus potuit optimè mundum hunc producere ab æternò: ergo & posset singulis annis creare vnā animam rationalem: ergo cum præcessissent infiniti anni, & animæ sint immortales, consequens esset, ut modo existerent infinitæ animæ.

Vltimo, quidquid Deus agnoscit extra se, præsertim per scientiam practicam, potest extra se producere: cum scientia practica illius sit factiua rerum, teste D. Thom. 1. parte quæstione 14. art. 8. sed Deus cognoscit cogitationes hominum, & Angelorum in infinitum per totam æternitatem multiplicandas, & sibi simul repræsentatas in obiecto suæ cognitionis: ergo poterit infinitam illam multitudinem simul producere, vel nullius virtutis erit illam cognoscere.

53 Et confirmatur: nam infinitæ cogitationes, quas per totam æternitatem habituri sunt Beati, realiter coexistunt nunc, & de facto ipsi æternitati, ut constat ex his, quæ docet D. Th. prima parte q. 10. & q. 14. art. 13. & cum eo communiter Thomistæ: ergo saltem respectu eiusdem æternitatis dabitur infinitum in actu secundum multitudinem: ergo etiam omnes hæc cogitationes infinitæ poterunt simul dari in tempore saltem per diuinam potentiam. Patet consequentia: tum ex paritate rationis: tum etiam quia ut statim videbimus, ratio præcipua quæ obstare poterat, est quod illa multitudo esset in aliqua specie, vel quasi specie multitudinis; ac proinde esset finita: at etiam respectu æternitatis habet esse in eadem specie, aut quasi specie multitudinis, & nihilominus est infinita: quia non potest in ea signari vltima: ergo, &c.

Adde, totam collectionem creaturarum possibilium contineri sub aliqua specie multitudinis, & nihilominus nullis certis terminis clauditur, ut supra q. 3. num. 83. probatum est: ergo, &c.

*Et*



*Ex mente D. Thomæ quæstio deciditur.*

§. I I.

54. **N**ihilominus dicendum est, implicare contradictionem, quod datur infinitum in actu secundum numerum. Hæc est D. Thom. prima parte quæst. 7. art. 4. & alibi sæpè Et eandem tueretur Caiet. Banez. Nazzius, Nauarrete ibidem, & omnes authores quæstione præcedenti pro nostra sententia relati. Ad eam autem probandam prænotare oportebit, quod nos præcipuè de infinito secundum quantitatem discretam sermonem instituimus: nam Aristot. in hoc lib. de hoc solummodo egit: quapropter in illius explicatione, præcipuè immorabimur, licet ex his, quæ adducemus etiam de quouis infinito secundum multitudinem (si tamen simpliciter tale sit) probatum etiam manebit, implicare contradictionem à Deo produci.

55. Hæc ergo supposito; probatur assertio primò: implicat dari actu infinitam magnitudinem, ut quæstione præcedenti probatum est: ergo etiam repugnabit fieri infinitam actu multitudinem corporum. Patet consequentia: nam sicut infinita illa corpora possent à Deo produci separata, possent etiam produci coniuncta, vel per continuationem, vel ita ut omnia essent contigua, & ita sequeretur incommodum illud, quod aduersus infinitam magnitudinem inuolimus, scilicet dari distantiam actu infinitam simpliciter, terminis clauam, quod est eam esse infinitam, & finitam.

Nec satisfacies huic argumento, si dixeris, ex hoc solum sequi, quod non possit à Deo produci infinitus numerus corporum, si producerentur cum sua actuali extensione, & in ordine ad locum; non tamen si vnum cum alio penetraretur, tunc enim non efficerent illa omnia maiorem magnitudinem, quam quodlibet eorum, neque poterit ab aliquo puncto linea in infinitum protrahi.

56. Nam contra est primò quod si Deus potest infinitam hanc multitudinem, penetrando corpora inter se, efficere, eandem etiam poterit absque tali penetratione producere, eamque ad inuicem vnire, vel contiguare: sed hoc posterius non potest, ut ex dictis constat: ergo neque illud prius. Maior probatur: tum quia non adest ratio cogens ad oppositum: tum etiam, quia etsi passio possit dimoueri à subiecto per diuinam potentiam; non tamen potest fieri, ut ei repugnet: ergo cum actualis extensio in ordine ad locum sit quantitatis passio, non poterit quantitibus illis repugnare. Imò etiam omnia illa corpora poterunt inter se vniri, vel contiguari, cum hoc ipso quod quantitatiuam extensionem habent, intrinsece petant, ut possint inuicem vniri.

Adde, hoc quod est numerum illum corporum homogeneorum esse infinitum, non posse impedire, quo minus aptitudo quam habent ad vnionem, & extensionem localem, ad actum reduceretur: nam cum per hoc quod infinitè crescat numerus corporum, nihil habeant, quod non pertineat ad prædicamentum quantitatis, si ex vi huius tale impedimentum adesset, iam ex natura ipsorum oriretur, & consequenter ab intrinseco vnibili non essent, neque extensionem actualem in ordine ad locum ab intrinseco peterent, atque adeò essent, & non essent quanta.

57. Secundò probatur ratio desumpta ex D. Thom. 1. part. quæst. 7. artic. 4. quæ potest ad hanc formam reduci. Omnis multitudo in actu entium totalium, & quantitatiuorum debet esse secundum ali-

quam speciem numeri: sed nulla species numeri est; aut esse potest actu infinita: ergo nulla multitudo talium entium poterit esse actu infinita. Maior, eff. Vasquez sentiat nullo modo posse probari; idèoque insufficientem esse rationem hanc Dini Thomæ: nihilominus satis efficaciter suadetur, ex eo quod implicat dari à parte rei aliquid sub certo genere, quod non sit sub certa aliqua, & determinata specie: sicut implicat dari re ipsa animal, quod non sit rationale, vel irrationale: sed quæuis multitudo quantitatiua, de qua loquimur, à parte rei indeterata, est sub multitudine, ut sit tanquam sub ratione generica: ergo debet etiam esse sub aliqua specie multitudinis, seu numeri.

Minor verò probatur ex eodem D. Thom. quia quilibet numerus est multitudo facta, vel mensurata per vnum: et contra. rationem infiniti est esse mensuratum: ergo repugnabit, dari speciem aliquam numeri, & quod nihilominus sit infinita.

58. Respondebis cum Conimbricensibus falsam esse minorem, si de numero prout abstrahit à finito, & infinito intelligatur: quia licet quæuis species numeri finiti sit multitudo facta, & mensurata per vnum, non tamen numerus infinitus. Vnde hic esset in specie determinata. numeri infiniti, licet non esset mensurabilis per vnitatem.

Sed contra: quia de ratione numeri est, quod vnitates habeant inter se aliquem ordinem, ut constat, tum ex se, tum ex dictis in Logica disputatione 13. numero 76. quia numerus debet esse aliquo modo vnus, & nullus alius modus vnitatis conuenit illi, nisi vnitatis ordinis: at hæc vnitatis solam potest consistere in mensurabilitate, seu numerabilitate; & idè hæc sublata, nulla ordinis vnitatis in eis superest, ut constat: ergo de ratione numeri est hæc numerabilitas, ac per consequens, quod sit multitudo facta, seu mensurata per vnum.

Secundò respondebis ex Vasquez, quod tertio multitudo, quatenus est à parte rei, non habet rationem formalem, & specificam numeri; sed hanc accipit ab intellectu considerante, & diuidente: nam antequam intellectus numeret, cur dices hanc numero vnitatem ad ternarium potius quam ad quaternarium pertinere? Ex quo videtur colligi, posse esse à parte rei infinitam multitudinem, licet ad determinatam speciem non pertineat.

59. Sed contra: numerus est vera & realis species quantitatis, ut constat ex his, quæ in Logica disputat. 13. num. 75. dicta sunt: ergo verè, & realiter datur à parte rei ratio formalissima, & specifica numeri. Item: quia etsi daremus rationem formalem numeri deriuari ab intellectu in ipsam multitudinem, haberet sufficientem vim ratio S. Thomæ: quia tunc licet multitudo prædicta non esset realiter numerus, deberet tamen esse capax, ad hoc quod intellectus rationem specificam numeri ei tribueret: at habere talem capacitatem repugnat prorsus infinitæ illi multitudini, cum omnino innumerabilis sit: ergo, &c.

Aduertendum tamen, quod hæc ratio Diui Thomæ conuincit etiam (proportionem seruata) implicare quamuis alium numerum transcendentem infinitum: quia licet talis numerus non constituat vnum per se, ut in Logica disp. 13. num. 73. diximus; nihilominus debet esse talis proportionatè ad numerum quantitatiuum. Et ita habebit suam qualitatemque vnitatem ordinis, quam tamen non posse coherere cum prædicta infinitate, constat ex nostra ratione proportionabiliter ad præsens applicata.

*Solutio*

*Solutio argumentorum prima sententia.*

§. III.

60 **A**D primum respondetur: quod licet vni non sit de essentia quarumque partium, ita ut quævis pars sigillatim accepta petat vni alteri determinatæ parti, est tamen de essentia partium continui: quia hæc necessariò petunt, quod quantumvis vna ab alia separetur, semper tamen habeant alias partes continuas, & unitas. Vnde si continuum diuideretur in omnem sui partem, sequerentur manifestè hæc duæ contradictoriæ, scilicet partes illas esse indiuisibiles: quia (ut supponitur) iam omnis earum partitio circa illas esset exhausta; & esse simul diuisibiles: quia partes continui non minùs sunt diuisibiles in alias partes, quàm ipsum continuum, ut ex definitione quantitatis continuæ ab Aristot. tradita constar.

61 Ad secundum respondetur: quod etsi demus, in quolibet instanti diuisiuè sumpto posse Deum producere vnum Angelum; non tamen in omnibus collectiue. Et ratio est: tum quia cum instantia infinita vnius horæ confusa quadam, & perturbata ratione pertranseant, non potest in singulis, & in omnibus suis determinatus effectus produci, alioquin instantia illa pertransirent confusè, & indeterminatè, & non sic pertransirent. Tum etiam: quia licet instantia illa etiam collectiue sumpta sint infinita tantum in potentia iuxta ea, quæ supra quæst. I. huius disputationis diximus, & insuper ratione horæ, in qua includuntur, sint terminata; certis terminis: nihilominus in iisdem instantibus vniuersibus partes proportionales prædictæ horæ secundum se sumptis, non datur primum, neque vltimum: ac proinde implicat, quod successiue percurrantur: alioquin secundum istam considerationem esset, & non esset ibidem assignabile primum, & vltimum: & consequenter implicat, quod in quodlibet ex illis collectiue sumptis vnus Angelus producat. Ad confirmationem patebit ex dicendis infra lib. 8. disputatio. vltima quæstio 5.

62 Ad vltimum dicendum est: quod quidquid Deus per scientiam practicam cognoscit, potest etiam efficere, eo tamen modo, quo illud factibile cognoscit: non tamen necesse est, ut secundum eundem modum, quem habent in esse obiectiuo, in re ponantur. Vnde, quia etsi Deus cognoscat infinitas cogitationes futuras, non tamen cognoscit illas, ut simul factibiles, licet simul ex parte sua cognoscat illas, ideo neque potest omnes illas efficere.

Ad confirmationem concessio antecedenti, & prima consequentia, neganda est secunda. Et ad primam partem negari debet paritas rationis: nam ea quæ coexistunt nostro tempori, sunt simpliciter simul, & in actu, & ita implicat infinitam multitudinem nostro tempori coexistere. Cæterum ea, quæ coexistunt in nunc æternitatis, non oportet esse simpliciter simul; sed cum addito, scilicet simultate in nunc æternitatis: quia res quantumvis essentialiter successiue, atque adeo quæ simpliciter loquendo nequeunt esse simul: nihilominus possunt coexistere simul in æternitate: nam cum sit mensura superior indiuisibilis, & tota simul, ambit ratione suæ infinitæ perfectionis tam præterita, quàm præsentia, & futura; & ideo possunt aliqua simpliciter manere infinita infinitate in potentia, & simul esse præsentia in æternitate, in quo neque ex parte infiniti in potentia, neque ex parte æternitatis, (ut quæstione decima citata primæ partis docent Thomistæ cum Sancto

Doctore,) vlla ostenditur repugnantia.

63 Vnde ad secundam partem dicendum est: quod iuxta ea, quæ modo asseruimus, prædicta multitudo cogitationum non amittit simpliciter rationem infinitatis in potentia, per hoc quod sit præsens, & coexistens simul in nunc æternitatis: sicut neque futura deperdunt rationem futurorum secundum se, per hoc quod sint præsentia in eadem æternitate. Vnde ex hoc solum sequitur, quod illæ cogitationes, prout habent prædictam infinitatem, sint tantum in potentia in aliqua specie numeri. Cæterum si essent actu, & simul in nunc nostri temporis, tunc sicut simpliciter essent simul in actu: ita similiter, & in actu conthererentur in specie numeri: at infinitum in actu esse actu in aliqua specie numeri implicat, ut dictum est: secus verò quod infinitum in potentia, sit in potentia in aliqua specie illius.

64 Et fiet hoc vltimum manifestius, si recolatur id, quod supra innuimus, scilicet quod cum dicitur prædictam multitudinem esse in potentia in aliqua specie numeri, non est sensus, quod hæc potentia sit, ad hoc ut illa multitudo secundum se totam sit simul, & in actum aliqua vnâ specie numeri; sed tantum ad hoc ut secundum aliquas ex illis cogitationibus sit actu in aliqua, vel in aliquibus speciebus numeri; ita tamen, ut semper illæ, ad quas actu pertinuerit, sint finitæ; licet reliquæ, quæ tantum in potentia sunt species, quæque fient actu tales per hoc quod sint multitudines mensuratæ per vnum, sint talis conditionis, ut quauis data, posset alia, & alia in infinitum dari. Ex quo, ut patet, nullum sequitur inconueniens; sed tantum quod possit dari infinitum in potentia, ut constat ex supra dictis.

Ex quo etiam ad confirmationem constat: nam illa multitudo creaturarum possibile est tantum in potentia infinita, ac per consequens tantum in potentia est in specie, aut speciebus numerorum, vel multitudinis.

Q V Æ S T I O VI.

*Utrum possit supernaturaliter dari infinitum in actu secundum intensionem.*

*Proponitur prior opinio.*

§. I.

65 **P**ARTem affirmatiuam tuentur Doctores supra in quæstione 4. & 5. pro contraria sententia relati. Probat primum: ea, quæ non opponuntur, non impediunt se inuicem: sed gradus intensionis qualitatis non opponuntur inter se, ut constat: ergo posita quauis intensione finita, potest illa qualitas infinitè in actu intendi. Patet consequentia; quia quauis intensione data, potest amplior, & amplior in infinitum dari, & cum illi gradus non opponantur, non solum erunt infiniti in potentia; sed etiam non repugnabit, quod sint simul in actu.

Secundò, gratia neque ex parte agentis, neque ex parte formæ, neque ex parte subiecti habet terminum suæ perfectionis, & intensionis: ergo potest esse infinita secundum intensionem; ergo idem dicendum est de aliis qualitatibus. Hæc vltima consequentia patet ex paritate rationis. Prima verò ex antecedenti: quia in eo referuntur præcipua capita, vnde posset illi prouenire limitatio.

66 Antecedens autem quoad primam partem, scilicet quoad agens satis liquet: quandoquidem Deus gratiam infundens habet infinitam virtu-

tem. Quoad secundam verò etiam constat: quia gratia est forma ordinis infiniti, & participatio infinitæ naturæ Dei, quæ proinde est infinitè participabilis. Et denique quoad tertiam partem, scilicet non posse sumi eius determinationem ex parte subiecti, seu potentiae obedientialis, in qua recipitur, satis liquet: quia determinatio potentiae passivæ non potest sumi, nisi vel ex parte potentiae activæ, cui correspondet, vel ex actu, & forma, ad quam suscipiendam ordinatur; sed ex neutro horum limitatur, vt probatum est: ergo, &c.

Confirmatur, quia gratia Christi Domini fuit infinita secundum intensionem: ergo idem dicendum est de aliis qualitatibus per ordinem ad divinam potentiam. Consequentia patet ex paritate rationis.

Antecedens verò probatur: tum quia dicitur immensa iuxta illud Ioan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum filio*: at omne immensum est infinitum. Tum etiam: quia se extendit ad iustificandos infinitos homines, si essent, vt docet D. Th. 3. part. q. 7. art. 1. at quod se extendit ad effectum infinitum, non potest non esse infinitum. Tum denique quia alioquin posset tantum crescere gratia alicuius creaturæ, vt pertingeret ad intensionem gratiæ Christi Domini: quia ad id, quod est finitum in latitudine intensionis, potest per continuam intensionem perungi: sed hoc est contra id, quod dicitur Iob. 28. *Non aquabitur ei aurum, vel vitrum*, secundum quod D. Gregor. ibidem exponit: ergo &c.

*Praefertur sententia Angelici Doctoris.*

### §. II.

67 **N**ihilominus dicendum est: implicare contradictionem dari infinitum in actu, secundum intensionem. Assertio hæc satis colligitur ex D. Th. locis citatis in hac disp. & 3. p. q. 7. art. 1. & alibi sæpè: estque communis inter Doctores pro nostra sententia in quæstionibus præcedentibus relatis.

Probatur ratione desumpta ex D. Th. loco citato ex 3. p. Intensio convenit qualitatibus in ordine ad subiectum, siue talis intensio fiat per maiorem radiationem qualitatum in illo, vt vult Doctor Angelicus, & nos cum eo in libris de Generatione dicemus: siue per additionem gradus, ad gradum, vt aliqui volunt: quia tunc eatenus qualitas aliqua esset intensa, quatenus plures gradus illius sunt, vel esse possunt in eadem parte subiecti: ergo implicat dari qualitatem infinitè intensam.

Patet consequentia; tum quia forma limitatur per solum subiectum, vt docet D. Th. 1. p. q. 7. art. 1. & 2. Tum etiam, quia subiectum illius qualitatis non potest esse aliud præter substantiam creatam: at quævis substantia creata, cum sit finita, vt supra diximus, tantum habet capacitatem finitam: ergo cum esse illius qualitatis, & perfectio propriæ latitudinis non excedat, nec possit excedere suum subiectum, non potest esse infinitas etiam secundum intensionem. Patet hæc consequentia: quia alioqui potentia receptiva non esset tanta in ratione receptivæ, & capacitatis, ad hoc vt actuatur, quanta est forma in ratione formæ, & actus actuantis illam, quod est contra essentialem proportionem requisitam inter utrumque.

68 Confirmatur, & explicatur: quia aliàs illa qualitas esset, & non esset accidens; esset quidem, vt supponitur; non esset verò, quia cuilibet accidenti debet correspondere suum proportionatum subiectum, eum eius esse sit inesse: at illi accidenti infinito

nullum subiectum proportionatum corresponderet: ergo, &c. Minor probatur, quia vt dicebamus, quævis substantia creata est finita secundum capacitatem in recipiendo, ac per consequens non potest correspondere per modum subiecti accidenti infinito; alioqui haberet infinitam in actu capacitatem.

Confirmatur tandem: nam ex eo, quod substantia in ratione subiecti est capacitatis infinitæ in potentia, oritur quod possit correspondere illi accidens, quod sit infinitum in potentia secundum intensionem: ergo & è contra: quia non potest esse infinita in actu, nequit illi correspondere accidens infinitum in actu secundum intensionem, & è conuerso.

Quæ ratio cum suis confirmationibus, etsi respectu omnium accidentium habeat sufficientem vim; nihilominus respectu accidentium ordinis naturalis, qualis esset calor, verbi gratia, infinitè intensus, magis urget; quia omne accidens ordinis naturalis debet respicere aliquam substantiam sibi proportionatam, vt subiectum connaturale.

69 Secundò probatur assertio alia ratione desumpta ex D. Th. 8. Physicor. lect. 21. & de potentia quæst. 1. art. 2. in secundo argumento. Quia si semel non repugnat, dari qualitatem infinitè intensam, nihil obest quominus Deus communicet alicui creaturæ virtutem locomotivam, quæ sit infinitæ intensionis: at hoc implicat: ergo & illud. Consequentia est aperta. Minor verò probatur: quia alioqui habens illam virtutem posset localiter mouere aliquid quod corpus in non tempore, seu in instanti: quandoquidem quæ virtus motiua est maior, eò mouet in minori duratione; ac proinde si est infinitè intensæ, mouebit in duratione infinitè, minima, scilicet in instanti, quod est contra rationem motus localis, quæ vt ex dicendis infra constabit, non potest non esse in tempore.

Respondebis cum Conimbr. motum illum non fore in instanti: quia Deus non concurret concursu infinito; sed finito ad illum motum.

70 Sed contra, quia non est necessarium, vt agens naturale semper sit impeditum, & dum impeditum non est, agit secundum vltimum sui posse. Ergo si habet vim agendi infinitam in actu secundum intensionem, petit concursum infinitum secundum intensionem: quia si semel non repugnat infinita virtus secundum intensionem, nec repugnabit concursus Dei eodem modo infinitus: ergo poterit Deus infinitè cum illo concurrere, atque ita iam agens infinitæ virtutis motiue mouebit corpus in instanti.

Confirmatur: vel repugnat ille concursus infinitus, & actus ille correspondens virtuti motiue, vel non: si primum: ergo repugnat talis virtus infinita secundum intensionem: quia vbi repugnat actus, repugnat potentia: si secundum, ergo iam dabitur motus localis in instanti, quod vt diximus, & infra latius dicemus, aperte repugnat.

Sed dices, etiam si in Deo detur virtus motiua infinitas nihilominus non potest facere, vt aliquod corpus moueatur localiter in non tempore: ergo ex eo quod daretur virtus creata infinita secundum intensionem, non inde fieret, posse causare motum in non tempore, seu in instanti. Patet consequentia: quia maior est infinitas virtutis diuinæ, quam creatæ.

71 Respondetur negando consequentiam, & ratio disparitatis est: quia ad infinitatem virtutis diuinæ satis est, quod modus mouendi, quo moueret, scilicet independentem ab alio, vt à primo motore, petat quod talis virtus sit infinita per essentiam: at in creatura, si non moueret in instanti, nihil esset in illo

illo motu, in quo splendet vis infinite motiua, quam habet causa.

Adde, quod ex hoc quod demus virtutem motiuam in Deo, infinitam per essentiam, non colligitur, dandum esse aliquid in rebus creatis, quod habeat infinitatem in actu: si semel non repugnat virtus motiua creata, quæ sit infinita secundum intensionem, nec repugnabit motus infinite velox, ac proinde qui fieret in instanti. Vnde tam illa virtus creata, quam diuina possent mouere corpus in non tempore, & ex consequenti sequeretur implicatio contradictionis iam tacta, scilicet motum localem fieri in instanti.

*Satisfit argumentis prima sententia.*

§. III.

72 **A**D primum initio quæstionis positum patet ex dictis, quomodo infinitas secundum intensionem opponitur qualitati: tum quia tollit ab ea rationem accidentis: tum etiam, quia est contra proportionem essentialem, quæ debet esse inter formam, seu qualitatem, & suum subiectum. Vnde etsi gratis daremus, quod intensio fieret per additionem gradus ad gradum, essent impossibiles inter se infiniti gradus eiusdem qualitaris, quamuis concederemus eosdem quando sunt finiti, & determinati, posse simul esse in eodem subiecto.

Ad secundum respondetur, repugnare ex parte ipsius gratiæ, quod sit infinita in actu secundum intensionem. Et ad probationem, quod tantum conuincit intensionem gratiæ esse infinitam in potentia: quia non potest ita à Deo intendi, quin amplius & amplius sit intensibilis, sicut ex eo quod collectio creaturarum sit participatio esse infiniti Dei, non sequitur dari creaturam infinite perfectam; sed quod quauis data, quæ semper erit finita, potest alia, & alia perfectior dari. Adde, quod etiam repugnat ex parte subiecti: quia subiectum & forma mutuo se in diuerso genere causæ limitant: nam etsi potentia obedientialis respiciat agens infinitum: quia tamen est in ordine ad formam finitam secundum essentiam, & intensionem, ideo est finita.

73 Ad confirmationem respondetur ex D. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 11. citato, gratiam Christi esse finitam in genere entis, qualitatis, atque adeo secundum intensionem; licet habeat infinitatem in esse gratiæ, quatenus nimirum est gratia capitis, & quantum est de se potest influere ad gratificandos infinitos homines, si essent, haberque alia, quæ optimè explicant Thomistæ 3. part. quæst. citata. Et ad primam partem respondetur ex eodem S. Doctore in solutione ad primum, quod illud testimonium potest intelligi, vel de dono, quod Deus ab æterno dedit Filio, scilicet diuinam naturam, quæ est donum infinitum: vel de dono, quod in tempore fuit concessum humanæ naturæ, scilicet, vniionem ad diuinam Personam, quæ est donum infinitum ratione Personæ vnitæ. Vel tandem potest referri ad gratiam habitualem, in quantum gratia Christi se extendit ad omnia, quæ sunt gratiæ, vt optimè Thomistæ ibidem explicant.

74 Ad secundam partem responderetur ex eodem D. Thom. in solutione ad 2. satis esse, quod gratia Christi sit gratia capitis; & humanitas eius sit unita Verbo, ad hoc, vt possit influere in infinitos homines, si essent: quamuis non sit infinita secundum intensionem.

Ad tertium patet ex his, quæ docet idem Doctor. Angelicus in solutione ad vltimum: quod gratia cur  
*Colleg. Compl. Physica.*

iustus alterius hominis comparatur ad gratiam, sicut quædam virtus particularis ad vniuersalem: at licet id; quod est minus, possit peruenire per argumentum ad quantitatem maioris in his, quæ habent quantitatem vnius rationis: secus verò in aliis, & ideo non mirum quod gratia cuiusuis alterius hominis semper maneat inferior ad gratiam Christi, etiam si tantam intensionem haberet quanta; gratia Christi Domini.

QVÆSTIO VII.

*Virum vnum infinitum possit esse maius alio.*

75 **P**ostquam egimus de quouis infinitorum genere sigillatim, & secundum se sumptis, merito nunc accedimus ad inquirendum de eisdem, vt ad inuicem collatis; an scilicet datis per impossibile duobus infinitis in actu, tunc vnum possit esse maius alio. Verumtamen, vt hæc comparatio recte fiat, debent inter se conferri duo infinita inter se similia, vt potè numeros cum numero, & infinita quædam linea, aut superficies cum alia linea, aut superficie infinita. Vnde non loquimur in præsentia de infinito in genere entis: quia hoc non habet aliud simile, cum quo compareretur, cum de ratione eius sit, quod sit vnicum, quippe quod habet omnem perfectionem excogitabilem in genere entis.

*Refertur opinio negans.*

§. I.

76 **P**artem negantem tueitur Alexander, Aphrodisi. libro tertio quæstionum naturalium cap. 12. & plures alij: eamque reputant probabilem Conimbricen. in hoc libro capite 8. quæst. 2. art. 4. ad 2. Probari potest primò: quia quoduis infinitum, hoc ipso quod tale, petit vt à nullo alio excedatur: ergo repugnat vnum infinitum esse maius altero. Consequentia patet. Antecedens verò etiam liquet: quia alioqui ex qua parte ab alio superatur, iam habebit finem, & terminum, cum vltius non progrediatur; & ita erit; & non erit infinitum: ergo, &c.

Confirmatur, & explicatur: nam demus lineam quandam infinitam, aut corpus infinite magnitudinis; tunc si illud ab alio corpore infinito excederetur, iam corpus maius occuparet maius spatium, quam aliud corpus minoris magnitudinis. Ergo hoc vltimum ibi sistit, vbi aliud incipit vltius tendere, maioremque locum occupare, & per consequens erit infinitum, vt supponitur; & simul finitum: quandoquidem habet terminum suæ extensionis.

77 Secundò, vnum infinitum non potest excedere aliud, nisi per excessum finitum, vel infinitum: at neutro modo; ergo nullo. Maior cum consequentia est euidentis. Minor verò quoad primam partem constat: quia infinitum, vt tale importat infinitudinem: ergo si, vt tale est, excedit aliud, iam hic excessus erit per infinitudinem ipsam, atque adeo infinitus. Quoad secundam verò partem etiam patet: quia si excessus est infinitus, & consequenter per infinitatem, fieret inde, vt infinitum illud, quod exceditur, non sit infinitum: quia deest illi id, in quo, & per quod exceditur, quod est ipsa infinitas.

Tertiò, quia de ratione cuiusuis numeri infiniti est, quod includat omnes species excogitabiles numerorum: ergo & quod non excedatur ab alio numero.

R. Patet.

Paret consequentia: quia nihil erit per quod excedatur si semel prior ille numerus continet omnes species numerorum. Antecedens verò probatur: quia de ratione cuiusvis numeri infiniti est, quod omnes binarij in illo contenti sint infiniti, & similiter omnes ternarij, & sic de reliquis speciebus numerorum in infinitum; alioqui si ternarij verbi gratia, non essent infiniti, diuiso illo numero in diuersos ternarios finitos, nihil illius superesset ad conficiendos alios, & alios ternarios, ac proinde esset finitus, ergo de ratione eiusdem numeri erit, quod contineat omnes species excogitabiles numerorum: quia non videtur posse excogitari aliquid amplius intra latitudinem infinitam numeri, præter infinitas species, & has infinities multiplicatas.

*Explicatur verà sententia D. Thoma.*

### §. II.

78 **P**RO huius quæstionis delatione notandum est, infinitum posse duobus modis accipi: primò materialiter pro materia, vel rebus ex quibus componitur, puta pro quantitate, & dimensionibus eius si sit continuum: vel pro vnitatibus, si sit discretum. Secundò formaliter, id est pro ipsa ratione formalis infinitudinis consistente in hoc, quod non habeat terminos; sed in infinitum protendatur.

79 Dicendum ergo est primò. Si duo infinita sumantur secundum rationem formalem infinitatis, tunc nullum est maius altero. Hanc damus auctoribus primæ sententiæ, & tenent eam Masius, Rubio, & alij: nec potest quoad assertionem hanc esse vlla inter Doctores dissensio, si rectè intelligatur. Probatur ergo, & declaratur sic: quia infinitum formaliter acceptum explicamus per negationem terminorum at in hoc, quod est terminus carete, nullus excessus esse potest inter illa: quia quoduis infinitum, hoc ipso quod tale, debet omnino carere terminis intrinsecis finientibus, & limitantibus illud: ergo neque in ratione formali infinitudinis potest vnum excedere aliud.

Confirmatur: nam infinitum sub ratione formali infiniti præcisè consideratum, consistit in indiuisibili, & consequenter non suscipit magis, aut minus: ergo nequit vnum infinitum secundum hanc rationem esse maius alio. Consequentia patet: & antecedens etiam constat: quia hoc ipso quod infinitum explicetur secundum prædictam rationem, per hoc quod careat omni termino proprii ordinis: oportet, vt hæc ratio in indiuisibili consistat: quia si vel minimum tempini intrinseci habeat, iam secundum illam rationem non erit infinitum.

80 Dicendum est secundò. Si loquamur de infinito secundum multitudinem, & secundum rationem materialem considerato, tunc vnum infinitum potest esse maius altero, quatenus potest contingere, vt plus materiæ habeat. Ita D. Thom. 3. p. q. 10. art. 3. ad 3. vbi non solum assertionem nostram docet, sed eam exemplificat in numeris dicens: *Et hoc etiam videtur in numeris accedere: nam species numerorum parium sunt infinita: & similiter species numerorum imparium, & tamen numeri pares, & impares sunt puri, quam pares.* Et paulo inferius. *Per hanc igitur modum infinita sunt in potentia creatura, & tamen plura sunt in potentia Dei, quam in potentia creaturæ.* Et similiter anima Christi hæc infinita scientia simplicis intelligentie, plura tamen scit Deus, secundum hanc modum sciendi. Et ideo S. Doctorem sequuntur Caietan. ibidem, Ferrara 2. contra Gent.

cap. 38. §. ultimo ad 1. Masius loco citato, Rubio in præfati tractatu de infinito q. 4. qui refert. Synchron. 12. Metaphysic. quæst. 3. 1. Gregor. in 2. dist. 42. q. 4. Gabr. ibidem dist. 2. q. 3. ad 1. & est communis inter Thomistas.

81. Probatur ratione, quam innuit D. Th. loco citato: si daretur actus numerus infinitus constans ex infinitis numeris paribus, & imparibus, tunc compararetur per modum totius respectu prædictorum numerorum parium, & imparium; & è contra, hi conferrentur cum illo per modum partis: ergo talis numerus totalis esset maior ex parte materiæ, quam infiniti illi numeri pares, vel impares. Paret consequentia: quia euident est lumine naturali, omne totum debere esse maius sua parte: ergo cum numeri illi impares, & infiniti habeant se vt pares respectu illius numeri totalis; fiet inde, vt numerus totalis sit maior ex parte materiæ, quam prædicti numeri impares, & infiniti.

Confirmatur, si daretur actus infinitus numerus hominum, tunc plures forent digiti, quam homines, longèque plures ambobus essent capilli, quos haberent, licet tam homines, quam digiti, & capilli essent infiniti: ergo &c. Antecedens est euident, quandoquidem quiuis homo haberet dicem digitos, & multo plures capillos.

82 Respondent Conimbricens. principium illud, omne totum est maius sua parte, esse verum in rebus finitis; non autem in infinitis.

Sed contra omne, quod includit quidquid aliud includit, & insuper aliquid aliud, debet esse maius illo, vt ex se patet; sed omne totum, siue finitum, siue infinitum continet quamlibet sui partem, & insuper aliquid plus: sicut numerus coalescens ex infinitis numeris paribus, & imparibus continet infinitos numeros impares: rursus addit infinitos numeros pares: ergo omne totum siue finitum, siue infinitum est, maius sua parte.

83 Confirmatur: illud, quod potest esse minus, potest esse & maius: sed numerus ille constans ex infinitis numeris paribus, & imparibus, potest, non obstante infinitate sua, esse quid minus, ergo, & maius. Maior patet: quia contraria nata sunt esse circa idem subiectum: at maius vel minus sunt contraria: ergo cui conuenit vnum, potest & aliud conuenire.

Minor verò probatur: quoniam data infinita multitudine Angelorum, & inde sublati, seu annihilati à Deo centum Angelis, adhuc maneret infinita illa multitudo, alioqui solum constaret ex illa finita multitudine, quæ remanet, & ex alia finita, quæ ablata est, quod est contra naturam infiniti: at in eo euentu illa multitudo, non obstante infinitate sua, esset minor, quam antea erat: quandoquidem desunt illi centum Angeli: ergo etiam non obstante infinitate sua, erat antea ratione illorum centum Angelorum, maior seipso, vt habebat præcisè illam infinitam multitudinem Angelorum.

84 Dicendum est tertio. Si loquamur de quantitate continua, tunc etsi vna linea, vel superficies infinita possit ratione materiæ esse maior, quam alia simpliciter infinita, nullum tamen corpus infinitum potest excedi ab alio. Assertio hæc est expressa D. Th. loco citato ex 3. part. eamque docent Thomistæ. Probatur, & explicatur quoad priorem partem: nam licet vtrique linea, versus orientem, & occidentem in infinitum protenderetur, posset etiam adhuc vna eorum progredi versus meridiem: si versus illum plures partes ei adderentur, atque adeo illa, quæ versus meridiem protenderetur, plus materiæ haberet, quam alia.

Quoad secundam verò partem, scilicet quoad corpus



corpus, suadet etiam assertio ex eodem, D. Thom. loco citato ex 3. part. Quia quodvis corpus infinitum, debet in infinitum protendi versus omnem positionem, arque adeo debet quasi occupare omne excogitabile spatium: ergo impossibile erit dari aliud corpus, quod sit maius: imò & hinc fit, ut infert D. Thom. semel dato vno corpore, infinito non esse possibile aliud: quia si cut illud prius quasi repletur omne imaginabile spatium: ita haberet omnem imaginabilem quantitatem.

*Diluantur argumenta pro prima sententia adducta.*

§. III.

85 **A**D primum initio quæstionis positum respondetur negando antecedens. Ad probationem dicimus: ex hoc quod vnum infinitum secundum numerum superetur ab alio, non sequi habere terminum intrinsecum, id est, posse signari in eo primam, aut ultimam unitatem; sed tantum habere terminum extrinsecum, quatenus non pertingit ad habendam tantam materiam, quantam numerus maior. Vnde licet secundum suas partes procedat simpliciter loquendo ulterius, & ulterius in infinitum: attamen secundum quid dicitur non progredi ulterius; quatenus non obstante, quod non sit in eo prima, & ultima unitas; non tamen habet tantam materiam: quantam alius: at hic modus ulterius non progrediendi, & habendi secundum quid terminum, non quidem intrinsecum; sed extrinsecum; satis constat non obesse infinitati simpliciter, quæ solum petit, quod actu non sit in ea signabile primum, & ultimum.

86 Explicatur hoc: si per impossibile daretur aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis intra latitudinem entis creati, tunc etsi non haberet terminum intrinsecum in sua perfectione, haberet tamen pro termino extrinseco infinitam perfectionem Dei: quia quantumvis esset perfecta, nunquam pertingeret ad perfectionem Dei, & nihilominus talis creatura non ob id admitteret infinitatem in ratione creaturæ: ita ergo similiter, si simul darentur omnes cogitationes, quæ per totam æternitatem sunt habituri D. Petrus, & Paulus; tunc tam cogitationes vnius, quam alterius essent infinitæ; & tamen multitudo cogitationum D. Petri haberet terminum hunc extrinsecum, quatenus non pertingeret ad habendam tantam materiam, quantam multitudo coalescens ex cogitationibus vtriusque. Ad confirmationem patet ex tertia nostra assertionem.

87 Ad secundum respondetur: vnum infinitum non excedere aliud ex parte formæ, id est, in ipsa infinitudine formaliter sumpta: sed ex parte materiæ. Et idem hunc excessum posse esse aliquando in materia aliâ infinita: ut contingit in exemplo pro solutione primæ argumenti adducto, vel in materia finita; ut si darentur duo æquales numeri infiniti Angelorum, & Deus destrueret centum Angelos in vno, non verò in altero. Neque contra hoc obest vtraque probatio ibidem adducta: quia cum infinitum includat tam materiam, seu res, ex quibus constat, quam infinitudinem, non sequitur, quod hoc ipso quod excedat aliud, debet excedere illud per ipsam infinitatem.

*Colleg. Compl. Physic.*

tudinem formaliter sumptam: quia potest esse excessus in materia.

88 Ad tertium negandum est antecedens. Et ad probationem concessio antecedenti neganda est consequentia: quia plures sunt cogitabiles unitates, & numeri, quam illi, qui ibidem referuntur. Vnde etsi daretur numerus infinitus Angelorum continens infinitos binarios, & infinitos ternarios, &c. posset dari alius infinitus numerus hominum continens tot ternarios, & binarios infinitos. Sicut etsi immediatate continui sint infinitæ, imò infinities infinitæ partes proportionales, nihilominus in alia medietate sunt etiam aliæ infinities infinitæ. Et hæc de hac quæstione, & disputatione, nec non & de toto hoc libro tertio Physicorum.



LIBER QVARTVS

*Physicorum.*

PROOEMIUM.

**P**OST QVAM Aristoteles egit de principiis entis naturalis, & generatione eius, ac proinde de ipso ente naturali, explicuitque potissimam illius passionem, scilicet motum, necnon infinitatem, quæ eidem motui, secundum quod est de genere continuorum suo modo debet convenire: accedit; nunc ad alia, quæ mobile, & motum concomitantur; scilicet locum, & tempus; sed quia locus concomitatur ipsum ens naturale tanquam extrinseca mensura eius, & tempus ad motum per modum etiam mensuræ illius consequitur: quia mobile ratione sui est in loco, & ratione motus mensuratur tempore: idem prius de loco disputat, & huic disputationi necesse disputationem de vacuo. Tum quia vacuum etiam est locus, licet non repletus corpore, aptus tamen repleri. Tum etiam, ut ostendat illud non debere; imò nec posse concomitari ipsum mobile. Et tandem de tempore, quod ad motum consequitur; sermonem instituit.

SVMMA TEXTVS  
*ratius Libri.*

**L**iber iste quatuordecim capitibus constat. In primo ostendit locum ad Physicam considerationem spectare. Deinde inquit, an sit locus, & in utramque partem quæstionem hanc discutit, & eam in aliis capitibus soluendam relinquit. In capite secundo querit, in quo natura loci sita sit, & prædictam quæstionem in utramque etiam partem controuertit. Cuius etiam quæstionis decisionem vsque ad caput quartum distulit. In capite tertio explicatis octo modis, quibus vnum potest esse in aliquo (quos in Logica tetigimus) & quæ ratione possit aliquid dici esse in seipso, occurrit cuidam obiectioni Zenonis contra existentiam.

In capite quarto præmissis aliquibus proprietatibus loci, de quibus infra: necnon & aliis ad illum cognoscendum necessariis, definit locum his verbis:

*R. i. Quare*

*Quare terminus continentis immobilis primi, locus est. Et paulò infra: Ex propterea locus superficies quadam & quasi vas, continensque esse videtur. Ex quibus verbis definitio illa, quæ communiter circumfertur, desumpta est, scilicet locus est, superficies ultima corporis continentis immobilis primi. In quinto verò capite ostendit quo pacto ultimæ, sphaeræ conueniat esse in loco, & argumentis, quæ in primo, & secundo capite adduxerat contra existentiam, & quidditatem loci, occurrit, & quasdam alias loci affectiones explicat.*

In sexto probat, disputationem de vacuo non esse extra Physicam considerationem, & excitans quæstionem illam, an detur vacuum in natura, refert diuersa Philosophorum placita, necnon & fundamenta quibus innitebantur. In capite septimo proponit, quid vacuum apud antiquos Philosophos significet; & ex propria mente illud definiens inquit: *Vacuum (si est) est locus priuatus corpore.* Docetque non dari vacuum: & argumentis aduersariorum occurrit. In capite verò octauo, & nono pluribus rationibus probat, id quod statuerat, scilicet vacuum in rerum natura non dari: & hoc tam contra illos, qui vacuum à corporibus separatum, quàm contra eos qui illud corporibus coniunctum constituebant.

In capite verò decimo incipit agere de tempore, & tres ibidem excitat, & controuertit quæstiones. Prima, an sit tempus. Secunda, utrum idem numero *nunc*, seu instans fluat per totum tempus; an verò diuersa sibi succedant. Tertia tandem, in quonam essentia temporis sita sit. In capite vndecimo prædictas quæstiones soluit, definitque ex propria sententia tempus sic: *Est numerus motus secundum prius, & posterius.* In capite duodecimo aliquibus temporis proprietatibus declaratis, docet quòd ratio, ob quam tempus conueniat rebus, quæ in illo esse dicuntur, si motus. In capite decimotertio explicat aliqua aduerbia temporis, scilicet *nunc, aliquando, iam, nuper, olim, subito*: statuitque tempus potius esse causam interitus quàm ortus, & renouationis rerum. Tandem in capite decimoquarto aliquas excitat quæstiones, potissimè verò de temporis vnitatem sermonem instituit docens, vnicum esse tempus, tam vnitatem specificam, quàm numericam, quo omnes motus mensurantur, scilicet tempus, seu numerum motus primi mobilis.



## DISPUTATIO XIX.

### De loco.

**T**am quoad res ipsas, quàm quoad ordinem doctrinæ Philosophum sequamur; idè in hoc libro non solum de eis, de quibus ipse egit; sed etiam eodem ordine de illis differetur: quapropter hanc priorem disputationem loco damus, ubi essentia eius, & proprietates, plurique alia ad illum spectantia explicabuntur.

## QVÆSTIO I.

*An detur locus, & an sit ultima superficies corporis continentis, vel aliquid aliud.*

**Q**uia de quauis re primò inquirendum est, an, & quid est illius: idè de loco utrumque inquiremus, ut ita eius natura clarior maneat.

*Ostenditur breuiter existentia loci.*

### §. I.

**A** Prima huius quæstionis pars facilè nos expeditur. Omnes enim (experientia ipsa attestante) fatentur, dari locum. Id, quod Aristot. in hoc lib. cap. 4. & D. Thom. ibidem lect. 5. & opusc. 52. colligunt ex ipsa transmutatione corporum, quæ secundum locum mouentur. Nam sicut ex transmutatione, quæ est secundum formas substantiales deducitur, esse in rebus quoddam primum subiectum, quod omnibus illis subest, & in quo prædictæ formæ sibi inuicem succedant, ut ex eodem Aristotele, & D. Thom. disput. 3. diximus: ita ex transmutatione corporum secundum locum, qua videmus, quòd *ibi* prius erat vnum corpus, ibi succedit aliud, & rursus aliud, manifestè colligitur, dari in rebus aliquod commune receptaculum, in quo sibi inuicem succedant, & non qualecumque, sed tale, ut sit extrinsecum ipsis corporibus, & ab eis separatum. Quia corpus completum nequit vniri intrinsecè; sed solum extrinsecè alteri, ut receptaculo, ut ex se patet. Ergo cum præter hoc receptaculum, nomine loci nihil aliud intelligamus, ut ex statim dicendis constabit, consequens est, locum in rerum natura inueniri.

Confirmatur, nam experimur, corpora diuersis motibus localibus moueri: ergo danda sunt diuersa loca, in quibus prædicta corpora recipiantur, & ad quæ suo modo motus isti terminentur. Patet consequentia: nam corpora mouentur ad sua loca naturalia, ut in eis recipiantur, & foueantur, & diuersi motus locales diuersa loca postulant.

*Referuntur varij modi circa loci quidditatem.*

### §. II.

**Q**uoad secundam verò quæstionis partem plures apud antiquos fuere dicendi modi, quos omnes recensere longum, & superuacaneum est, idèque pluribus suppressis, tres tantum referemus, qui aliquod probabilitatis specimen habere videntur.

Primus ergo asserit, locum idem esse quòd *ubi*, & ita non esse superficiem corporis continentis, aut aliquid aliud. Fundamentum est: nam vocationi conueniunt loci proprietates: ergo & essentia. Consequentia satis patet: antecedens verò probatur, quia ei competit esse terminum localis motus

motus ( vt ex infra dicendis patebit ) & esse id , à quo vt à fundamento proximo oritur , tum relatio distantie , vel propinquitatis : tum etiam differentie positionum . Nam ex eo quod Petrus sit hic vbicatus , prouenit , vt distet à Paulo , vel sit ei approximatus , sicut & quod sit sursum , vel deorsum : item est omnino immobilis ( vt infra dicemus ) necnon & æqualis locato , illudque intra se continet , cum *ubi* per totum illud diffusum sit : ergo , & cætera .

Confirmatur , locus est forma , à qua locatum denominatur esse in loco : sicut albedo est id , à quo corpus denominatur album , sed ab *ubi* denominatur locatum esse in loco : ergo *ubi* , & locus sunt prorsus idem . Maior constat : nam locus aliquam denominationem tribuit locato : at non aliam , nisi quod ratione illius sit in loco ergo , &c . Minor verò etiam liquet : quia esse : in loco , idem est , ac esse alicubi . Sed hoc prouenit ab *ubi* ( constat ) & ideo implicat aliquid esse vbicatum , & non esse alicubi : ergo , &c .

3 Secundus modus dicendi est aliorum asserentium , locum non esse *ubi* ; sed spatium illud imaginarium , in quo quasi penetratiue est locatum : verbi gratia locus terræ nihil est aliud , quam interuallum illud , quod intercedit inter latera aquæ continentis illam , quodque idem maneret omnino , etiamsi tam terra , quam aqua , & cuncta alia perirent . Hanc asserentem defendunt nonnulli , quos refert Auicena libro 2. sufficient. cap. 6. & probabilem reputat Toletan. in præsentis quæst. 3. conclus. 4. & Conimbr. in hoc lib. cap. 5. quæst. 1. art. 2. censent , eam à nullo hæcenus rationibus satis firmis esse impugnatam .

Prior eius pars , scilicet locum non esse *ubi* , probatur primò . Nam locus est id , in quo aliquid est : at res non est in vbicatione ; sed vbicatio potius in re vbicata ; cum sit accidens illius : ergo , &c . Confirmatur , quia vbicatio est ratio formalis , quæ mobile est in loco : ergo vbicatio non est ipse locus .

Secundò , nam locus non est aliquid locati , non solum quia distinguitur necessariò ab illo , sed etiam , vt omnes Aristotelis Interpretes explicant , quia est omnino extra illud : at vbicatio , etsi re ipsa ab vbicato distincta sit , non tamen omnino est extra illud ; cum ipsum intrinsecè afficiat : ergo , &c .

4 Secunda verò eiusdem sententiæ pars , scilicet locum esse prædictum spatium imaginarium , probatur primò . Nam spatium imaginario à corpore repleto potissimè conueniunt affectiones loci : continet enim locatum , & illi est æquale , habetque omnimodam immobilitatem ; ita vt etiam de potentia absoluta nequeat moueri , vt constat . Imò si quæ immobilitas superficiei realiter ambienti locatum conuenit : hæc per ordinem ad spatium imaginarium desumitur , ac denique cæteræ aliæ proprietates , quæ locum indiuiduè concomitantur , spatium imaginario conueniunt : ergo tale spatium est locus .

Secundò si daretur vacuum : posset in eo dari motus localis ; ergo esset ibi transitus à loco in locum : at ibi non esset alius locus præter spatium imaginarium : ergo tantum hoc spatium erit locus .

Tertiò , si omnis aqua ambiens terram periret , maneret nihilominus terra in suo loco naturali :

Compl. Colleg. Physica.

at non alia de causa , nisi quia maneret in illo spatio in quo nunc est : ergo tale spatium est locus eius .

Confirmatur , si supremum cælum , & terra perseverarent , & Deus annihilaret corpora intermedia , tunc eodem modo distarent localiter cælum , & terra , ac nunc : sed tunc distantia localis consisteret in loco medio inter corpora , quæ distant : ergo cum tunc non esset alius locus medius , præter spatium imaginarium , manifestè colligitur tale spatium esse locum .

5 Tertius dicendi modus est aliorum asserentium locum non esse hoc spatium imaginarium ; sed spatium verum , & reale . Inquiunt enim locum , verbi gratia , terræ esse interuallum illud , quod inter latera aquæ continentis intercedit , & hoc esse verum , & reale : quia est quoddam corpus constans tribus dimensionibus , longitudine scilicet , latitudine , & profunditate , licet sit immateriale : quia caret materia , & forma , vt sic cum omnibus locatis penetraretur , atque ita sit etiam indiuisibile , quatenus nihil ab eo demì potest . Ita Stoici & permulti Platonici , Proclus Licius , Strato Lamsæcenus , Syrianus , Galenus , vt Simplicius in digressionem de loco docet . Quibus satis fauent ex Interpretibus Aristotelis , Philoponus in digressionem de loco , Vallesius , in commentariis cap. 4. & controuersia 23. ad Tirones , Mafius in præsentis , cap. 4. sect. 1. quæstio. 3. dicens : se libenter manibus , pedibusque ligatis in hanc sententiam abiturum , nisi ad oppositum autoritas Aristot. D. Thom. compelleret .

Prior pars , scilicet locum non esse spatium imaginarium patet . Nam spatium hoc non est aliquid reale ; sed nihil : ergo cum corpora naturalia naturali inclinatione mouentur in suum locum naturalem , mouebuntur ad consequendum nihil , quod per se patet esse falsum ; cum nullares in ipsum nihil naturaliter inclinetur .

Confirmatur primò : nam locus naturalis est conseruatiuus locati ; ideoque pisces in aqua conseruantur : pereunt autem si extrahantur . Sed purum nihil non potest conducere ad conseruationem locati : ergo , &c . Confirmatur secundò : quia locatum est in loco , tanquam in eo , in quo continetur : sed nulla res potest esse , & contineri in pura nihilitate : ergo spatium imaginarium non potest habere rationem loci .

6 Secundam verò partem , scilicet locum esse spatium reale prædictum , non aliunde probant , nisi quia negari non potest , quin spatium illud , cum quo locatum penetratur , sit aliquid reale : quandoquidem verò est longum , latum , & profundum . Ergo cum ex alia parte sit id , quod reuera repletur à locato , & est æquale illi , & tandem in eo locato sibi mutuo succedant , & ab eodem se expellant : consequens est , vt prædictum spatium sit locus . Patet consequentia : quia hæc sunt proprietates loci , ac proinde indicat illud habere essentiam loci , in quo ipsæ reperiuntur .

Confirmatur , quia vltra enumerata nihil aliud potest esse locus , nisi superficies vltima corporis continentis , vt intuenti patebit , & etiam dicendis constabit : at superficiei nequit ratio loci conuenire : ergo soli spatio reali conuenit . Minor probatur : quia , vt infra dicemus , vna ex potissimis loci proprietatibus est , quod sit æqualis locato , sed hæc non conuenit superficiei ; quandoquidem ipsa solummodò habet duas dimensiones , scilicet longitudinem , & latitudinem : at

R 3

verò

verò locatum vltra has dimensiones addit tertiam, scilicet profunditatem : ergo, &c.

*Ex mente Aristotelis, & D. Thomæ quæstio deciditur.*

§. III.

7 **N**ihilominus dicendum est: locum non esse *vbi*, vel spatium imaginarium, aut verum; sed solum superficiem ultimam corporis continentis. Ita Aristot. in præsent. D. Th. ibidem lect. 6. & opusc. 52. Themistius in sua paraphrasi cap. 4. huius libri. Beatus Albertus Magnus, Auerroës, Avicenna, Ægidius, Venetus, Hucelanus, Valduinus, Burleus, Soto, Iabell. Astudillo, Veracruz, Pereyr. & plures alij, quos refert, & sequitur Masius loco citato. Et quidem quod locus non sit *vbi*, aut spatium imaginarium, constat ex dictis pro prima parte primæ, & secundæ sententiæ. Quod verò non sit admittendum illud spatium reale, ac per consequens nec posse habere rationem loci, etiam constat, & insuper suadetur ratione desumpta ex D. Th. opusc. 52. & ex Arist. in præsent. Quia tale spatium non potest esse aliqua substantia corporea, aut incorporea aut accidens corporeum, vel spirituale separatum à substantia: ergo nihil. Pater consequentia: quia in antecedenti referuntur omnia genera entis realis, sub quibus spatium illud, si esset aliquid reale, deberet contineri.

Antecedens verò quoad primam partem satis constat: tum quia substantia corporea semper habet suam quantitatem, & ita esset impenetrabilis cum locato, & ex consequenti impediret, ne ibidem esset. Tum etiam, quia quævis substantia corporea, & quanta, debet esse in loco, & hic rursus in alio, & sic in infinitum. Quoad secundam verò satis liquet, quia substantia spiritualis neque est realiter longa, lata, & profunda, nec quid proportionatum ad hoc, ut sit locus rerum corporearum, ut ex se constat.

Tandem quoad tertiam & ultimam partem satis idem antecedens patet: siquidem naturaliter loquendo, nequit dari accidens realiter separatum à suo subiecto: quia est entis ens, & licet daretur separatum, non esset locus: quoniam si esset corporeum, cum habeat trinam illam dimensionem, erit quantitas, & sic impediet, ne ibi sit locatum. Si verò sit spirituale, non erit accommodatum ad suspiciendum in se locatum, & ad hoc ut omnino cum illo commensuretur: ita ut pars loci correspondeat parti locati, &c. quia accidens spirituale est omnino indiuisibile.

8 Ex quo eadem assertio, quoad ultimam partem, scilicet locum esse superficiem ultimam corporis continentis, probatur ratione desumpta ex eodem Aristot. in præsent. & D. Thom. lect. 6. Quia locus non est aliquid ex hucusque impugnatis nec materia, aut forma, aut aliquod accidens intrinsecum locato: ergo solum est superficies ultima corporis continentis. Pater consequentia ex sufficienti enumeratione eorum, quæ possent habere rationem loci, ut intuenti patebit. Antecedens verò quoad primam partem constat ex dictis. Quoad ultimam verò sic probatur ab Aristot. & D. Thom. quia cum ens naturale constet ex materia, & forma tanquam ex partibus essentialibus, non potest mutuo ab eis separari, & separatum consistere. At locus, & locatum possunt mutuo separari, quandoquidem hic numero locus non pendet ab hoc numero locato, & è contra: ergo, &c.

9 Secundò probatur ex eodem Aristot. loco citato, & D. Thom. lect. 5. Quia duo potissime conueniunt loco, scilicet esse æqualem locato, circumscribere,

& vndeque tangere illud, ut ex se, & ex communi modo concipiendi omnium constat: at hæc duo competunt superfici: ergo & ratio loci. Minor probatur, & explicatur: nam superficies duo habet, primū est esse longam, & latam. Secundum verò esse indiuisibilem secundum profunditatem. Vnde ex qua parte est indiuisibilis secundum profunditatem, potest tangere locatum; quod quidem non posset, si non haberet hanc indiuisibilitatem: quia nequeunt duo corpora secundum profunditatem se tangere, nisi adsit ibidem aliqua penetratio: & ex qua parte est longa, & lata, potest vndeque ambire, & circumscribere locatum. Et ideo videmus, quod infimum cælum ratione suæ ultimæ superficiei, seu quod idem est, ratione superficiei contrariæ tangit, ambit, & continet elementum ignis: ergo, & cætera.

*Soluntur argumenta in contrarium.*

§. IV.

10 **A**d Argumenta igitur initio adducta, quatenus contra nos sunt, respondetur. Ad primum primæ sententiæ dicimus, vicationem esse terminum motus localis intrinsecum mobili; & idè non esse locum: sicut neque est id, à quo primò sumitur ratio distantiae, vel propinquitatis vnius corporis ad aliud: quia cum vnum corpus distet ab alio, & eo quod est in hoc loco; necesse est, ut locus sit ratio anterior, à qua sumitur distantia. Maximè, quia vbiatio est modus quidam ex adiacentia loci resultans, ut in Logica disp. 16. num. 19. diximus: & idè necessario illum præsupponit, ut id, à quo ratio distantiae prius desumitur.

Ad confirmationem respondetur: locum esse id, à quo tanquam ab aliquo extrinseco locatum denominatur esse in loco: & idè comparari per modum formæ extrinsecæ respectu illius. Vbiatio autem est id, à quo denominatur intrinsecè esse in loco, ut in Logica disp. citata diximus. Vnde locus tantummodò tribuit denominationem vbiati causaliter: quia est id, ex cuius adiacentia vbiatio resultat, non verò formaliter, & intrinsecè.

11 Ad primum pro secundo modo dicendi, quatenus vult spatium imaginarium habere rationem loci, patet ex dictis. Ad secundum respondetur: corpus existens in vacuo posse, si Deus suppleat influxum cælorum, moueri per illud: quia licet non sit in loco particulari, & immediatè ambiendi; est tamen in loco communi, & ita potest moueri ab hoc, quod est esse in vna parte loci communis, ad esse in alia, ac proinde potest acquirere diuersas vbiationes per se primò terminantes motum illam, ut disputatione sequenti, quæstione vltima latius explicabimus.

Ad tertium respondetur terram in eo eventu contineri à loco communi, scilicet à cælo, & ab aliis duobus elementis, quæ idè loca communia respectu terræ dicuntur: quia illam non immediatè ambiunt, & possunt alia corpora immediatè continere. Ceterum quia non maneret in loco particulari, & immediatè ambiendi; idè non esset absolutè, & simpliciter in suo loco naturali.

Ad confirmationem patet ex dictis terram in eo casu mansuram in loco communi. Vnde per ordinem ad primum continens posset habere habitudinem tantæ, vel tantæ distantiae ab illo; & idè posset Deus tot corpora inter vtrumque creare, quod antea erant. Sed hæc amplius disputatione citata elucidabuntur.

Q V Æ S T

Q V Æ S T I O II.

*Utrum locus ultra superficiem corporis continentis intrinsecè includat immobilitatem.*

*Rationes dubitandi.*

§. I.

12 **P**artem negatiuam suadere videntur hæc argumenta. Primum, nam locus est superficies ultima corporis continentis, vt ex quæstione præcedenti constat. At superficies mouetur ad motum corporis; in quo est: quia, teste Philosopho, motus nobis necesse est moueri, quæ sunt in nobis: ergo & locus.

Nec satis erit, si dixeris cum Alexandro, & Simplicio, quod cum superficies mouetur, adhuc per accidens, tunc non mouetur, vt locus est; sed vt superficies est: quoniam vt locus est, importat relationem distantie ad polos mundi, & centrum terræ, & quia hic ordo semper manet idem in omnibus superficiebus fluentibus & refluentibus; idè semper manet idem locus, & ex consequenti ibidem immobilitas loci saluabitur.

13. Nam contra hoc est: tum quia distantia illa est accidens superficiei, ac per consequens impossibile est moueri superficiem, & non relationem illam distantie. Tum etiam: quia licet succedat alia superficies cum eadem relatione distantie secundum speciem; non tamen cum eadem secundum numerum: aliàs accidens migraret naturaliter de subiecto in subiectum: Ergo non ob id hic numero locus manebit immobilis: quandoquidem eius immobilitas pendet ex hac numero relatione distantie. Tum denique, quia tandiu potest locus manere immobilis; quandiu manet idem numero: at si superficies vna fluit, & alia succedit, nequit manere idem numero: nam sicut vnitas specifica petit certa, & determinata principia specificantia; ita vnitas numerica exigit certa principia indiuiduantia: ergo, & c.

Confirmatur, & explicatur: superficies habet se per modum subiecti respectu rationis formalis ipsius loci, scilicet immobilitatis, vt quæstione sequenti dicemus. Ergo repugnat manere eundem numero locum, & mutari superficiem; vel è contrà mutari superficiem, & manere eundem numero locum; & per consequens locum esse immobilem. Prima consequentia patet: quia accidens indiuiduatur à subiecto. Ex quo etiam secunda consequentia liquet: quia hoc ipso quod locus ille sit alius numero iam locus, qui antea erat, non manebit immobilis, sed poterit moueri vna cum superficie, à qua indiuiduatur.

14 Confirmatur secundò: quia terminus huius distantie est purum nihil, scilicet poli imaginarij, super quos imaginamur reuolui primum cælum: ergo ipsa etiam est nihil. Patet consequentia: quia ex nihilo non potest desumi vera aliqua, & realis ratio. Antecedens probatur: quia poli veri subiectantur in primo mobili, & sic vna cum illo mouebuntur; & ex consequenti non potest ex illis sumi immobilitas loci: quia si locus esset immobilis, solum hoc haberet, ex eo quod eius terminus manet immobilis.

Confirmatur tandem: quia potest contingere locum manere immobilem, & nihilominus variari distantiam, & è contrà: ergo immobilitas loci non est de sumenda à distantia. Antecedens quoad primam partem patet: nam si quiescente aliquo corpore, nec non & aëre ambiente, Deus moueret totum cælum

versus orientem motu recto; tunc corpus quiescens, & aër illud ambiens, manerent omnino immota, vt constat; & haberent diuersam distantiam ad puncta fixa: nam essent propinquiora occidenti, & magis remota ab oriente: ergo iam manente loco cum sua immobilitate, variatur distantia.

15. Quoad secundam verò partem; scilicet posse variari locum, inuariata distantia, sic idem antecedens constat, in casu quo Deus totum globum mundi cum, omnibus corporibus simul, & semel sursum eleuaret; tunc enim corpora haberent eandem distantiam ad primum continens, vt patet, & nihilominus mutarent locum: quia mouerentur localiter.

Secundò principaliter: si locus esset immobilis, sequeretur idem numero accidens semel corruptum posse per naturam reparari; sed hoc est contra commune illud axioma ex secundo de generatione desumptum à priuatione ad habitum non est regressus: ergo, & c. Probatur sequela: destruat Deus aërem ambientem Complutum, ita vt nulla alia superficie ambiatur, tunc corrumpetur locus; quandoquidem nihil illius, nec quoad materiale, scilicet superficiem, neque quoad formale, scilicet relationem distantie in ipsa superficie subiectatam manebit: si verò postea naturaliter aër extendatur, & ambiat idem Complutum, tunc naturaliter sequeretur idem numero locus; qui antea erat: quia superficies adueniens manet in eadem distantia, in qua altera destructa præexistebat; & hoc sufficit: tum ad saluandam identitatem loci: tum etiam eius immobilitatem.

*Explicatur, & rationibus ostenditur immobilitas loci.*

§. II.

16. **N**ihilominus dicendum est, locum essentialiter esse immobilem. Assertio hæc fuit adeo perpetua, & constans, inter Philosophos, vt licet plura inter eos fuerint placita circa locum, omnes tamen; vel ferè omnes vnanimiter hanc loci immobilitatem fatebantur. Probatur imprimis ex Aristotele, qui in hoc lib. text. 41. sic inquit: *Est autem sicut vas locus transmutabilis, sic locus vas immobile.* Et in fine textus concludit. *Quare terminus continentis immobilis primum, hic est locus.* Vnde D. Thom. lect. 6. ait: *Vas, & locus in hoc differre videntur, quòd vas transmutatur, locus autem non: unde sicut vas potest dici locus transmutabilis: ita locus potest dici vas immobile, & idè cum aliquid mouetur, in aliquo corpore, quod mouetur: sicut naus in flumine vsitur isto, in quo mouetur; magis sicut vase, quam sicut loco continente: quia locus esse vult immobilis, id est de natura loci est, quòd sit immobilis.* Et opusc. 52. inquit. *Locus autem non solum est terminus corporis continentis; sed etiam est immobilis.* & c. Et paucis interpositis. *Propter quod dicit Philosophus, quòd naus sit in aqua fluminis, quæ mouetur; magis vsitur ea tanquam vase, quam sicut loco continente, de natura enim loci est, quòd sit immobilis.*

17. Deinde probatur ratione fundamenti desumpta ex D. Thoma locis citatis: Ad eam autem melius percipiendam supponendum est ex communi omnium Peripateticorum consensu; quòd cum in præsentem locum ambiens, v g. Complutum, sit superficies corporis continentis intrinsecè includit, quòd dicat determinatum ordinem distantie ad primum continens, scilicet cælum, & ita vnitas, & immobilitas huius loci sumitur à determinata distantia, qua talis superficies ambiens hoc locatum distat à primo continente.

Cæterum hæc superficies, quæ habet se per modum



dum subiecti respectu relationis distantiae, ut questione quarta dicemus, potest accipi dupliciter: (ut innuit Diu. Thom. opusc. citato.) Primò materialiter, ut est, verbi gratia, superficies aëris. Secundò formaliter, quatenus subest determinatæ distantiae iam dictæ: sicut & ipsa distantia potest eisdem duobus modis sumi, scilicet vel materialiter, prout est in hac determinata superficie aëris: vel formaliter prout est distantia absolute secundum quam rationem solum dicit hanc distantiam, prout est ratio distandi, secundum tot, vel tot, gradus à primò continente, & ab utroque eius polo; ac proinde quoties una superficies ad absentiam alterius, & immediate post ipsam adueniens non distat per plures, aut pauciores gradus ab utroque polo, à toto cælo & ab omnibus eius partibus, modo tamen infra in hac disputatione quæst. 6. dicendo sumptis, ac distabat alia, quæ antea ibi præexistebat, toties habet eandem formaliter distantiam, ac illa, licet materialiter sit diuersa.

18. Hinc ergo potissima pro nostra assertionem ratio sic deducitur: unitas loci, & immobilitas eius non desumitur ab hac superficie, & ab hac distantia materialiter sumptis; sed ab eisdem formaliter consideratis. Sed quantumvis fluant, & resuant superficies aëris, vel aquæ ambientis, verbi gratia, Venetias, semper manent eadem superficies, & distantia formaliter sumptæ: ergo semper manet idem locus: atque adeò locus erit immobilis, & non utcumque, sed essentialiter: quandoquidem essentialiter includit prædictam superficiem, & distantiam. Vtraque consequentia patet. Maior verò quoad primam partem, scilicet immobilitatem loci, non desumi à superficie materialiter sumpta sic suadetur à Diu. Thom. opusc. citato: quia uni locato secundum numerum respondet simul, & semel unus locus secundum numerum; sed baculus unus, cuius dimidium existat in aqua, & dimidium in aëre; est aliquod unum locatum secundum numerum: ergo est in aliquo uno loco secundum numerum: ergo cum sit in diuersis superficiebus aëris, & aquæ, fiet inde, ut unitas loci non desumatur à prædictis superficiebus materialiter sumptis, ut una est aquæ, & alia aëris.

Ex quo eadem maior quoad secundam partem, scilicet quoad distantiam probatur: nam si semel unitas loci, & immobilitas eius non desumitur ex hac superficie materialiter sumpta, consequens est, ut non desumatur à distantia materialiter sumpta, ut est in hac determinata superficie, verbi gratia aquæ materialiter etiam accepta, & consequenter desumetur ab hac distantia formaliter sumpta, prout nimirum est ratio distandi per tot, vel tot gradus à primo continente, ut explicatum est: quia ultra illam primam considerationem non restat alia præter hanc ultimam, à qua immobilitas loci desumatur.

Ex quo etiam minor eiusdem primi syllogismi liquet; nam licet una superficies ambiens Venetias fluat, succedit tamen alia, quæ est eadem formaliter: quia subest eidem distantiae, eidem inquam formaliter sumptæ, quatenus distat per tot gradus per quot præcedens, & non amplius.

19. Secundò ab inconuenientibus probatur assertio: quia ex opposito fieret, ut optimè inferit D. Tho. opusc. citato, locum esse in loco, & ex consequenti dari debere naturaliter processum infinitum, quod, ut constat, est absurdum. Sequela probatur: nam quod mouetur localiter, est in loco. Ergo si hic locus est mobilis, contineretur ut talis in loco, & sic de

aliis in infinitum.

Confirmatur ex eodem D. Thom. quia si locus sursum, qui est naturalis igni, & locus deorsum, qui est naturalis corpori graui, non essent immobiles, fieret inde, ut neque ignis neque terra naturaliter, & necessario; sed potius contingenter ad illa mouerentur, quandoquidem posset contingere, ut locus ignis descendisset deorsum, & locus grauium ascendisset sursum. Vnde ita naturaliter moueretur multoties ignis deorsum, & terra sursum: sicut è contra.

*Diluitur prima ratio dubitandi, & eius prima confirmatio.*

### §. III.

20. **A**D primum ergo initio quæstionis positum constat ex dictis, quomodo quidquid mutatur, & transit in loco ambiente, aliquod locatum materialiter se habet ad materiale loci formaliter sumptum, necnon ad formalissimum ipsius loci scilicet distantiam.

Per quæ satis patet ad alias probationes: quia si semel distantia, & superficies denuo adueniens sunt formaliter idem cum distantia, & superficie præcedenti formaliter sumptis, non potest inde colligi, vel accidens migrare de subiecto in subiectum, ut constat; vel locum non habere certa principia indiuiduantia; quandoquidem, ut diximus, omnia illa, quæ ad ipsius indiuiduationem concurrunt, manent eadem formaliter.

Ex quo ad Primam confirmationem respondetur ex eodem D. Thoma concedendo antecedens *ita* dicenda quæstione sequenti, & distinguendo consequens. Et si intelligatur de variatione superficie formaliter sumptæ concedenda est consequentia; secus verò si intelligatur de variatione illius materialiter consideratæ. Itaque in superficie, quæ est materiale loci, potest considerari hoc materiale materialiter sumptum, & hoc materiale formaliter acceptum, ut subest eidem formaliter distantiae, seu ut dicit determinatum ordinem ad eam, & secundum illam priorem rationem potest variari, & moueri, non tamen secundum hanc posteriorem.

Ad probationem: quod indiuiduatio accidentis sumitur à ratione materiali non materialiter, sed formaliter accepta, sicut & indiuiduatio substantiæ materialis, sumitur radicaliter à materia prima non omnino materialiter accepta, sed ut est sigillata ad certam quantitatem.

21. Et possunt hæc omnia elucidari exemplo, quod ad hoc intentum S. Doctor in præsentis lect. 6. adducit: quia in igne mutatur materia simul cum forma: nam aduenit de nouo aliqua pars, & aliqua corrumpitur, & contingit multoties totam materiam, & formam, quæ erat in principio, successiue corrumpi, succedente ibidem imperceptibiliter alia de nouo, & nihilominus ille ignis est idem numero, qui antea erat. Cum autem ad identitatem numericam requiratur, ut eadem forma, & materia numero inmutata maneat, necessario dicendum est, tantum fuisse mutatam materiam materialiter, & similiter formam, & remansisse eandem formaliter, quia quælibet pars, quæ de nouo adueniebat, vniebatur cum eadem numero forma, & materia præexistente, & sic imperceptibiliter succedit, & transit tota materia, & forma, atque ita transit materialiter, & manet eadem numero, formaliter loquendo.

Si ergo hoc ita contingit in entibus habentibus maiorem unitatem, & perfectiorem substantialem, quoad,

quantò, magis in loco, qui tantum habet unitatem imperfectissimam, & secundum quid. Et si illa mutatio imperceptibilis non obest identitati in substantiis, neque etiam in loco minorem longè identitatem habente, poterit illa mutatio perceptibilis, & materialis superficialium obesse; dummodo ad absentiam unius superficialis adueniat alia, ut statim explicabimus.

*Occurritur cuidam obiectioni incidenti, & ceteris aliis inisio adductis.*

§. IV.

22 **E**X quo facillè plures, & diuersæ obiectiones contra nostram sententiam, dissoluentur, & idè eis consultò omiſſis unicam tantummodo cuiusdam Iunioris adducemus, ex cuius solutione non parum hucusque dicta elucidabuntur.

Obicit enim sequi hinc subiectum adæquatum formalitatis loci non esse unicam superficiem; sed omnes simul sumptas: at hoc est absurdum: ergo, &c. Probat sequela: quia iuxta dicta manet idem subiectum formalitatis loci quia et si hæc superficies decurrat: succedit tamen alia in eadem distantia. Ergo subiectum adæquatum, & formale formalitatis loci non est hæc superficies; sed omnes illæ, quæ succedunt. Falsitas verò consequentis inde liquet. Tum quia in hoc instanti in quo hæc numero superficies circumstat locum, est unus numero locus cum absolutè, & simpliciter hoc numero locum sit in eo. Sed unus numero locus debet esse in subiecto, & ratione materiali adæquata; cum sit impossibile accidens existere; & non in subiecto adæquato. Ergo hæc numero superficies, quæ modo ambit locum est subiectum, seu materiale adæquatum loci. Tum etiam: quia alias locus tam quoad materiale, quàm quoad formale, esset de genere successiuorum; quandoquidem materiale illius, ac proinde & formale non est totum simul, sed successiuè, quod est contra Aristotelem: imò & veritatem ipsam, ut satis constat.

23 Respondetur negando sequelam; quia quilibet superficies seorsum, est subiectum formale adæquatum secundum quod est in tali distantia: quia hæc superficies ut subest tali distantia, est formaliter eadem cum alia superficie in eadem distantia, ut explicatum est, ac proinde in quolibet instanti verificatur de loco ambiente, Complutum, verbi gratia, saluari in eo idem numero subiectum formale, & adæquatum formalitatis loci, per quod satis patet ad probationem sequelæ.

Et potest hoc explicari exemplo paternitatis terminatæ ad plures filios, nam ut plures Thomistæ probabiliter sentiunt, quilibet illorum est adæquatus, & formalis terminus paternitatis: quia omnes, & singuli filij habent unam, & eandem numero rationem termini formalis: ita ut tota formalitas termini adæquatè sit in singulis seorsum, ac proinde plures non habent magis de formalitate termini, quàm unus: quare variatio illorum tantum variat materialiter terminum paternitatis, & nullo modo formaliter, nisi omnes pereant, vel nullo præexistente aliquis producat.

Ita ergo, proportionè seruata, dicendum est de materiali, & formali loci formaliter sumptis: quia utrobique procedit eadem ratio; scilicet quod for-

malitas loci formaliter sumpta, & formalitas prædicti termini sumitur quoad identitatem, & formalitatem ex aliis capitibus, ac sumitur identitas eorundem, si materialiter considerentur. Nam sicut materiale illius rationis terminandi formaliter sumptum est idem: quia sumitur, prout subest collationi ad eundem numero patrem, & hæc collatio, licet materialiter sit diuersa, non tamen formaliter: quia hoc ipso quod sit respectu eiusdem numero patris, est eadem formaliter, quantum satis est ad terminandum formaliter: ita in superficie hoc ipsum, proportionè seruata, inuenitur, ut iam explicuimus, etque tota hæc solutio valde consona doctrinæ D. Thom. opusc. 57. sæpè citato.

24 Ad secundam confirmationem initio quæstionis positam responderetur ex Diuo Thoma, negando antecedens, ut constat ex his, quæ in assertionè diximus. Ad probationem: totum cælum secundum se totum manere in eadem distantia, & licet partes in esse partium moueantur; non tamen in esse loci ut quæstione citata explicabimus: & idè per ordinem ad hæc potest ratio distantia desumi. Item veripoli subiectati in cælo non mouentur cum illo: quia cælum solum circulariter mouetur, quod autem sic mouetur cum secundum se totum non mutet locum, seu distantiam, necessarium est habere aliqua puncta fixa, & immobilia, nempe duo polos, seu cardines; necnon & centrum ipsius, quæ ex vi, & natura sua sint immobilia & nullo modo locum mutant, nec secundum se tota, ut constat, neque secundum partes: quia eis carent, quæ omnia ad rationem motus circularis requiruntur.

25 Ad tertiam confirmationem responderetur, negando antecedens quoad utramque partem. Et ad probationem contra primam dicendum est: in eo euentu non manere eandem distantiam; sed diuersam, & consequenter nec eundem numero locum: quia ad permanentiam illius requiritur inter alia, quod primum continens saltem secundum se totum permaneat immotum ad hunc sensum; quod secundum se totum semper maneat in eadem distantia.

Nec refert, corpus illud non moueri: quia non mutat ratione sui locum; sed ratione variationis primi locantis, à quo dependet; sed hæc debent intelligi iuxta ea, quæ in sequenti solutione dicemus.

26 Ad probationem verò secundæ partis eiusdem antecedentis responderetur: quod dum primum cælum, & cum eo cuncta alia mouerentur, non manerent corpora in loco adæquate: quia cum locus dicatur, tum superficiem continentem, tum etiam distantiam ad primum continens, seu locans, quod saltem secundum se totum modo dicto non moueatur; sed solum ratione partium: consequens est, ut semel moto secundum se totum hoc primo continente, pereat in eo ratio primi locantis: quia perit immobilitas, & fixio eiusdem; atque ita non manebit in aliis corporibus, & locis particularibus adæquata ratio loci: quandoquidem ablato primo alicuius generis, à quo alia dependent, auferuntur etiam illa, quæ ab eo pendunt: & ita ad summum manebit in eis sola superficies continens.

Diximus quidem: *Dum primum cælum mouetur*: quia eo quiescente, vel moto motu circulari, manerent corpora in loco adæquato, iam enim primum continens haberet rationem primi locantis: & ita possent alia continentia dicere ordinem certæ distantia ad illud, ut ad primum continens, primumque immobile modo dicto; non tamen dicerent eandem prorsus habitudinem distantia: non quidem quia plus

tunc quam nunc different; sed propter rationem in solutione ad secundum tangendam.

Sed dices: corpora à cælo contenta moueri tunc cum illo: ergo perseverarent in loco formaliter. Patet consequentia, quia motus localis est à loco in locum. Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ad probationem satis esse, quod dependenter à prædicta superficie ambiente dentur ibidem nouæ vocationes; quæ sunt termini per se primi motus localis: quia semel mota superficie continente, quæ antea erat locus, & simul cum ea corpus contentum; necesse est per illum motum produci in corpore nouam præsentiam ad illam; alioqui moueretur; & non moueretur, & esset, ac non esset præsens ad illam diximus; *Dependens à tali superficie*: quia cum vbiatio sit modus admodum imperfectus, & saltem naturaliter non resultans, nisi ex adiacentia alterius, non produceretur ibidem ad minus omnino naturaliter; nisi adesset superficies, quæ saltem inchoatè, & per modum subiecti, & materialiter contineret rationem loci.

27. Ad secundum principale responderetur: in euentu non reproduci eundem numero locum; sed diuersum: quoniam interruptitur ex parte superficie, & consequenter etiam ex parte distantie: quia ad unitatem numericam loci requiritur unitas ordinis, id est, quod si semel transeat hæc superficies materialiter sumpta, statim succedat alia ad essentiam illius prioris cum alia distantia materialiter etiam accepta: imò propria interruptio, & diuersitas numerica in accidentibus sumitur à subiecto, seu ratione materiali: & idè non succedente statim; sed post aliquod tempus alia superficie, iam est diuersus numero locus. Quod quidem radicaliter oritur ex absentia superficie, quæ hoc ipso quod absolute absit, & interruptatur prædicta successio, abest quoad materiale tam materialiter, quàm formaliter sumptum. Et potest hoc explicari exemplo nuper adducto paternitatis, quæ statim definit, hoc ipso quod omnes filij pereant; non tamen si vnus peteat, & alij maneant, vel si in eodem instanti, in quo vnus moritur, alius generetur.

### QVÆSTIO III.

*VTRVM SUPERFICIES PERTINENS AD LOCUM SIT SUPERFICIES PRIMA, & IMMEDIATA LOCATO.*

**V**T omnia, quæ in definitione loci communiter traduntur, scilicet: *Quod sit superficies vltima corporis continentis immobilis primi*, maneat explicata, idè quæstionem hanc sigillatim maioris claritatis gratia excitamus.

28. Partem negantem suadere videtur sequens dubitandi ratio; quod si de ratione loci esset prædicta superficies, iam locus esset æqualis locato: sed hoc est falsum, & contra naturam loci: ergo, &c. Sequela est manifesta: quia totus locus corresponderet omnibus partibus locati, & quæuis pars loci cuius parti eiusdem locati: sed quæ sic sibi inuicem correspondent, sunt æqualia: ergo, &c. Falsitas verò consequentis constat: quoniam de ratione loci est continere locatum, vt ex eiusdem diffinitione constat: ergo contra rationem eius est esse æqualem locato. Patet consequentia: quia contra rationem continentis est, quod non sit maius re contenta, vt patet in

duobus circulis, quorum alter contineat alium, ex quibus circulus continens necessariò debet esse maior, quàm contentus.

Nec satis erit, si dixeris; locum non continere locatum; sed corpus ipsum, cuius locus est vltima superficies. Et idè notanter dixit Philosophus: *Locum esse vltimam superficiem corporis continentis*; non verò esse superficiem continentem. At corpus continens maius est corpore contento; licet hoc non conueniat superficie vltimæ eiusdem corporis continentis. Nam contra hoc est: tum quia idè corpus continet: quia superficie continet: quoniam ipsa est, quæ immediatè ambit, & circumscribit locatum. Ergo prius conuenit loco continere, quàm corpori, cuius ipse est superficies, iuxta illud, *Propter quod vnumquodque tale, &c.* Tum etiam, quia locus solum habet duplicem dimensionem; quandoquidem solum est vltima superficies corporis continentis: sed locatum est corpus triplex dimensionis occupans totum spatium interiectum inter latera locantis: ergo locus nequit esse æqualis locato. Patet consequentia: quia id est maius; quod maius occupat spatium, superficies autem non occupat totum illud spatium; bene tamen locatum: ergo, &c.

29. Nihilominus dicendum est: de ratione loci esse non quelemcumque superficiem; sed primam, seu immediatam locato. Assertio hæc constat ex definitione loci ab Aristotele in hoc libro adducta: nam particula *prima*, seu vt alij vertunt, *Primi*, vel *Primum* ponitur ad hoc denotandum, vt ibidem D. Thom. exponit, quem sequuntur communiter Interpretes.

Probatum autem ratione desumpta ex verbis *D. Thomæ* lectione sexta, vbi exponens hanc vltimam particulam, inquit. *Dicit autem primum, vt designet locum proprium, & vt excludat locum communem.* Hinc ergo sequens formatur ratio. Nam hic loquimur non de loco communi, qualis est superficies concava lunæ respectu terræ, & aliorum corporum; quæ tantum mediatur ab ea continentur; sed de loco particulari, & proprio cuiuslibet locati. At idem est esse locum proprium & peculiarem alicuius, ac esse superficiem immediatam, & primam ambientem: illud: ergo iam locus erit superficies prima; & immediata locato. Minor patet: quoniam idè superficies concava orbis lunæ dicitur esse locus proprius ignis; non verò aëris: quia immediatè ambit illum, non verò istum; & idè istius solum est locus communis, quatenus ambit ignem ambientem aërem.

Confirmatur ratione, quam innuit Aristot. cap. 4. & D. Thom. ibidem: quoniam locus essentialiter habet esse radicaliter æqualem locato: quoniam eius proprietas est æqualitas proxima cum illo: at si non esset superficies prima, & immediata, non esset sic æqualis: ergo ab intrinseco petit prædictam superficiem. Minor patet: nam superficies, quæ tantum mediatur continet aliud corpus, debet necessariò esse maior, quàm locatum mediatur contentum: vt constat in superficie concava orbis lunæ collata cum aëre; & superficie connexa illius, & mediatur contenta.

30. Ad rationem ergo dubitandi initio propositam benè responderetur ibidem. Et ad probationem dupliciter posse aliquid continere aliud; vno modo *vt quod*, alio verò *vt quo*: seu vt ratio continendi. Primo modo corpus ambiens continet locatum. Secundo verò superficies concava ipsius continet illud: sicut etiam loquendo de continentia passiva, corpus contentum coniunctur; *vt quod*, superficies verò

verò connexa illius continetur *ut quo*; quia est ratio quare contineatur. Licet ergo quod continet *ut quod*, sit maius connetto; non verò continens *ut quo*: quia continet per omnimodam commensurationem cum superficie contenta *ut quo*, intra quam continetur tota magnitudo corporis contenti. Ex quo ad secundam probationem respondetur, locum non dici æqualem locato, nisi secundum superficiem connexam locati, quæ est ratio, ut locatum contineatur in loco *ut quod*, ipsa autem tantum continetur *ut quo* quia nullum accidens primò, & per se est in loco *ut quod*, sed tantum *ut quo*, vel ratione subiecti.

## QVÆSTIO IV.

*An locus constet ex hac superficie, & immobilitate tanquam ex genere, & differentiis; an verò tanquam ex subiecto, & forma.*

31 **P**rima sententia asserit, superficiem esse genus ad locum, & ad alias superficies; ac proinde videtur admittere immobilitatem esse rationem differentialem illius. Ita Tolet. 4. Physic. q. 4. Sotus q. 1. conclus. 4. & videtur esse Soncinatis 5. Metaph. q. 40. conclus. 1. Conimbr. 4. Physic. quæst. 1. art. 2. quos refert Rubio in præsentī tractatu de natura loci. q. 2. & refertur pro ea D. Thom. in 2. distinct. 12. q. 1. art. 5. ad 2. ubi ait: *Locus est idem per essentiam, quod superficies corporis locantis.*

Probatur primò: superficies est genus ad illam, quæ habet rationem loci, & ad eam, quæ præcisè est superficies: ergo locus constat ex superficie, ut ex ratione generica, atque ita ex immobilitate, ut ex ratione differentiali. Vtrique consequentia satis patet. Antecedens verò sic suadet: nam vtrique est diuisibilis secundum duas dimensiones, scilicet longitudinem, & latitudinem, & locus addit supra hoc rationem continentis, & immobilitatis, ut aliquid sibi essentiale, quod tamen non addit superficies quæ præcisè habet rationem superficiem: ergo conveniunt in ratione superficiem uniuocè, & differunt per proprias differentias: atque aded superficies erit verum genus respectu vtriusque.

Confirmatur: ided linea, & superficies conveniunt genericè in ratione quantitatis: quia vtrique est diuisibilis secundum longitudinem, & superficies addit diuisibilitatem secundum latitudinem, ad quam tamen non se extendit linea; sed sinit positiuè in longitudine. Ergo similiter tam superficies, quæ non habet rationem loci, quàm ea, quæ est locus, conveniunt etiam genericè in ratione superficiem. Patet consequentia ex dictis: quia vtrique est diuisibilis secundum longitudinem, & latitudinem, & locus addit continentiam, & immobilitatem, quam non addit pura superficies; sed tantum sistentiam in diuisibilitate secundum prædictas dimensiones.

Secundò, ubi est uniuocè, & genericè convenientia in ratione mensuræ, est etiam uniuoca, & generica convenientia in ratione extensionis: quia mensura habet se per modum passionis respectu extensionis: sed vtrique superficies, de qua loquimur, conveniunt uniuocè, & genericè consideratæ præcisè in ratione mensuræ: ergo & in ratione extensionis. Minor probatur: quia vtrique est mensura substantiæ, & in hoc nulla est inter eas diversitas, licet postea distinguantur essentialiter, per hoc quod una est mensura intrinseca, alia verò extrinseca, & una

addit continentiam, ac immobilitatem; secus verò alia.

32 Nihilominus dicendum est: superficiem se habere per modum subiecti, & materiæ respectu loci; non verò per modum rationis genericæ. Hæc est mens Arist. & D. Thom. 5. Metaph. cap. 13. ubi (ut in Logica disp. 13. num. 55. vidimus) asserunt locum esse quantum per accidens: at si superficies esset genus respectu illius, esset utique quantum per se, & non solum per accidens: eo modo quo album dicitur esse quantum. Vnde hoc ipsum docent plures ex discipulis D. Thom. quos supra in Logica disp. citata adduximus, & Rubio in præsentī quæst. 3.

Probatur primò ratione desumpta ex Aristotele, & D. Thoma: quoniam locus non contrahit essentialiter superficiem ad aliquam determinatam, & specialem rationem: ergo superficies non est genus respectu illius. Consequentia est aperta; & antecedens probatur: nam propria ratio superficiem est diuisibilitas, seu extensio secundum longitudinem, & latitudinem: sed locus hanc solum extensionem dicit, ac proinde non addit peculiarem modum extensionis supra superficiem: ergo non extrahit superficiem ad aliquam determinatam rationem: & ex consequenti non contrahit, aut distinguit illam essentialiter.

Nec refert si dicas: locum addere supra superficiem immobilitatem, ratione cuius contrahit, & determinat illam essentialiter. Nam contra hoc est: quod immobilitas per accidens se habet, & extrinsecè ad superficiem; ergo non potest contrahere superficiem ad esse loci, eo modo, quo differentia contrahit genus. Consequentia est aperta: quia differentia contrahens genus debet illud contrahere per intrinsecam. Antecedens autem probatur: nam ratio superficiem est diuisibilitas siue extensio iam dicta: sed immobilitas per accidens se habet ad extensionem, & diuisibilitatem: ergo, &c.

33 Secundò probatur: nam locus inuoluit res diversorum prædicamentorum: ergo non est unum per se, & ex consequenti nec constabit genere, & differentia. Hæc vltima consequentia patet ex dictis in Logica disp. 3. num. 11. Sicut etiam prima constat ex his, quæ ibidem disput. 5. num. 38. asseruimus. Antecedens verò etiam liquet: nam locus intrinsecè importat superficiem concavam: quia hæc sola est apta ad continendum, & circumscribendum locatum. At superficies concava includit tum superficiem spectantem ad prædicamentum quantitatis: tum etiam figuram illam pertinentem ad genus qualitatis, quæ semota implicaret manere superficiem cum formalitate concavitatis: ergo, &c.

34 Ad primum ergo initio quæstionis positum respondetur, negando antecedens. Et ad probationem patet: tum ex dictis: quia immobilitas non est differentia intrinseca respectu superficiem; sed accidit illi; & ided comparatur per modum subiecti respectu illius; non verò per modum rationis genericæ. Tum etiam, quia extensio loci est eadem numero cum extensione superficiem. Vnde locus solum per accidens, & ratione subiecti, scilicet superficiem est extensus.

Ad confirmationem: quod locus supra superficiem non addit intrinsecam differentiam; bene tamen linea, & superficies supra quantitatem. Quia extensio quantitativa per se diuiditur, & contrahitur per extensionem secundum longitudinem, & per extensionem secundum latitudinem præsupponentem longitudinem: quod convenit superficiem, & ob id dicitur; quod eius ratio est extensio secundum vtramque dimensionem.

35 Per quæ etiam ad secundum respondetur: totam rationem

rationem mensuræ, & extensionis convenientem loco provenire illi à superficie, quam de materiali importat. Vnde non addit aliquam specialem rationem mensuræ, sed eandem diuersimodè consideratam: quia eademmet ratio mensuræ, comparata ad subiectum, cui superficies inest, est mensura intrinseca illius, & collata cum locato est extrinseca eius mensuræ; & idè neque ratio mensuræ, neque ratio superficie est genus respectu utriusque.

Vndè proprietas illa loci, scilicet esse æqualem locato, solum convenit ei ratione materialis, quod importat. Et ob id dixit D. Thom. loco citato: locum esse idem secundum essentiam, quod superficies: quia in ratione essentialis extensionis, quam importat, non distinguitur ab ea, sed extensio illius est extensio superficie. Adde non esse improbable, quod ob eandem superficiem consequantur duæ proprietates, scilicet ratio mensuræ intrinsecæ & extrinsecæ: sicut ad eandem essentiam animæ plures proprietates subsequi possunt.

### Q V Æ S T I O V.

*Verum locus naturalis addat supra rationem loci qualitatem conservativam locati.*

36 **P**artem negantem tuerentur Soto in præfenti q. 2. ad 2. licet in prima quæstio. & alibi sæpè oppositum pluries asseruerit Vallesius lib. 6. de sacra Philosophia. Probatum primò: qualitas conservatiua debet esse in locato: ergo non in loco. Consequentia patet: quia locus, & locatum sunt diuersa. Antecedens autem probatur: qualitas conservatiua causat formaliter conservationem locati: nam esse conservatum est effectus formalis alicuius formæ, & non alterius, nisi illius qualitatis conservatiuæ, ut ex se constat: ergo talis qualitas erit in locato. Patet consequentia: quia causa formalis debet esse in eo, cui tribuit suum effectum formalem.

Secundò, aer est in superficie concava ignis, ut in loco naturali, (ut infra dicemus) & tamen ignis non habet vim conservatiuam aeris: ergo non est de ratione loci naturalis eam habere. Minor probatur: quoniam ignis comburit partes aeris, quæ prope ipsum sunt; quandoquidem ignis, qui est inter nos, ignit aerem ei approximatum, ac proinde multò melius illum ignit ignis, dum est in propria regione, ubi est maioris actiuitatis: ergo non habet qualitatem conservatiuam illius. Patet consequentia: quia repugnat aliquid corrumpi ab eo, à quo conservatur: ergo si aer ab igne corrumpitur, nequit ab illo conservari.

Confirmatur: superficies concava aquæ est locus naturalis terræ, ut infra dicemus, & tamen humectatur ab illa; quandoquidem non potest terra esse propè quam, & non humectari ab ea. Ergo terra deperdit aliquid suæ naturalis dispositionis, scilicet siccitatis ex coniunctione ad aquam, & consequenter non conservabitur ab aqua per aliquam qualitatem conservatiuam, non obstante, quod aqua sit locus naturalis eius.

37 Dicendum tamen est locum naturalem addere supra locum ut sic, vel supra locum mathematicum qualitatem conservatiuam locati. Ita communiter omnes Philosophi, præter eos qui pro parte negante relati sunt, ut testatur Masius in præfenti cap. 5. sect. 1. q. 6. Probationem fundamentalem innuit Arist. in hoc lib. c. 1. his verbis: *Motus etiam naturalium corporum*

*& simplicium, ut ignis, ut terra, & aliorum huiusmodi: generis, non solum locum aliquid esse declarant, sed etiam vim quandam habere.* quod exponens D. Thom. lect. 2. inquit: *Motus naturalis corporum naturalium ostendit, quod locum habeat quandam potentiam, & virtutem.* Videmus enim, quod unumquodque fertur in suum locum, quando non impeditur: graue quidem deorsum: leue autem sursum. Ex quo patet, quod locum habet quandam virtutem conservandi locata, & propter hoc locatum tendit in suum locum desiderio suæ conservationis.

Confirmatur, & explicatur: tum quia corpora naturalia non tendunt utcumque in sua loca naturalia; sed vincendo pro viribus omnia impedimenta, & hoc ipso quod ad illa perueniant, ibi naturaliter quiescunt: ergo signum est, ibi melius se habere, & per consequens ibidem melius proprium eorum esse conservari: alioqui minimè ibi quiescerent; sed aliò migrarent, ut sibi melius consulerent. Tum etiam, quia experimur plura mixta esse, quæ hoc ipso quod extrahantur à suo loco naturali ferè statim pereunt, in eo verò conservantur, ut in piscibus patet: ergo signum manifestum est, esse in eo loco vim conservatiuam eorundem: ergo cum locus naturalis sit eiusdem rationis, quoad hoc, quod est locatum absolutè conservari in illo, fit inde, ut omni loco naturali insit prædicta vis, licet non æqualiter in omnibus vigeat nec sit æqualis dependentia quoad conservari in omnibus locatis respectu suorum locorum, ut experientia constat.

38 Ad primum ergo initio propositum respondetur: quod sicut dum aqua calefit ab igne, adest ibi duplex calor, alius concurrens actiue, & hic est in igne: alius reddens formaliter aquam calidam, & hic est in aqua: ita dum locatum conservatur à loco, adest ibidem duplex qualitas conservatiua: alia conservans conservatione pertinente suo modo ad ordinem causæ efficientis: alia, qua formaliter conservatur locatum: ex quibus illa prior est in locante, & hæc posterior in locato.

Ad secundum respondetur ex D. Th. opusc. 5. 2. locum naturalem peculiariter, & maximè ratione benignæ qualitatis, & influentiæ cœlestis conservare locatum: nam sicut cœlum est primum locans, & primum continens & ita per ordinem ad illud cætera habent rationem loci, ita est primum conservans atque aded ab ipso habent vim conservatiuam: sicut etiam ipsum locatum, dum est in suo loco naturali melius recipit cœlestes influentias, quibus conservandum est. Hæc autem cœlestis influentia à cœlo in ignem, & aerem, verbi gratia, deriuata est tantæ virtutis & efficaciz, ut impediatur, ne ignis comburat aerem, sed potius illum foueat: quia est quasi inimicitias temperans, & ita quàm diù ipsa inter rixantes qualitates intercedit, pace fruuntur, illa tamen ablata statim inimicitiz insurgunt.

39 Quare quia hæc influentia aeris, verbi gratia, non communicatur à cœlo, nisi habeat certam distantiam ab illo, eam nimirum, quam habet, dum est prope sphaeram ignis; ideo ex defectu prædictæ distantiz non accipit influentiam, & ita ob hanc rationem ignis, & aer in his inferioribus rixantur: qui non sunt in ea distantia, in qua communicatur utrique prædicta qualitas. Nec inde fit, quod si in eadem distantia, in qua modo est connaturaliter ignis, poneretur aliud corpus, tunc ita foueret, & conservaret aerem, sicut ignis: quia illa influentia, non utcumque conservat; sed modificata ab igne, quam tamen modificationem in eo euentu non haberet.

Nec refert si obiicias D. Th. 2. de Anima lect. 23. ubi loquens de aëre, & igne in suis regionibus existentibus sic ait: *Dicendum est, quod elementa dupliciter possunt considerari: uno modo secundum qualitates activas*



*actiua, & passiuas, & sic contrariantur ad inuicem, & se immutant in suis extremis alio modo, &c.* Nam ad hoc dicendum est D. Th. loqui de his qualitatibus secundum se; & non ut temperatis, & correctis per influentiam illam cælestem.

Adde, quod etiam ob aliam rationem qualitates illæ ex se pugnantes se cohibent ab operatione propter bonum, scilicet vniuersi: & hoc sine aliqua violentia; sed naturali appetitu & pondere propter maiorem inclinationem, quam habent ad bonum vniuersi, quam ad propriam naturam communicandam. Si namque ignis combureret extremas aëris partes tunc illæ partes ignitæ alias ignirent, & sic de pluribus aliis, quod quidem in magnam vniuersi stragem caderet. Ad confirmationem patet: tum ex dictis: tum etiam ex dicendis infra quæstione sequenti.

## Q V Æ S T I O VI.

*Verum omnia corpora, necnon eorum forma substantiales, & accidentia sint in loco, & quis ille sit.*

**V**T certa ab incertis separemus, & simul explicetur in quo potissima difficultas consistit, notandum est: posse omnia corpora ad quatuor classes reduci. In prima solum collocanda est prima sphaera. In secunda, reliqui orbes cælestes. In tertia, verò elementa. In quarta tandem, omnia mixta.

*Deciditur quæstio quoad omnia, præter quam quoad primum mobile: & explicatur, in quo sit controuersia circa illud.*

### § I.

**E**T quidem loquendo de tertia, & quarta classe corporum, certum debet esse in vera Philosophia, esse in loco circumscriptiuo; ut communiter docent omnes ferè Philosophi cum Aristotele, & Diuo Thoma locis statim referendis. Vnde terra est in aqua, aqua in aëre, aër in igne, ignis in concauo inferiori cæli, scilicet Lunæ, Luna in Mercurio, Mercurius in Venere, Venus in Sole, Sol in Marte, Mars in Ioue, Iupiter in Saturno, Saturnus in cælo stellato, quod cælum in sententia Aristotelis (ut iam dicemus) est vltimum ex orbibus cælestibus. Et ratio est aperta: nam cum hæc corpora sint ex omni parte contigua, necesse est, ut vnum scilicet corpus superius ambiat vndeque aliud; cumque eundem ordinem quoad inferioritatem, & superioritatem seruent, secundum quem numerati sunt, ut communiter sentiunt Philosophi, consequens est, ut ordine iam dicto habeant inter se rationem loci, & locati.

Ex quo etiam manet explicatum, quidnam sit locus connaturalis cæterorum mixtorum, quatenus elementa sunt (sic enim de illis in præsentia loquimur:) nam cum hæc ex ipsis elementis, modo alibi dicendo, constent; consequens est, ut eundem perant locum, quem petit elementum in eis prædominans. Vnde quia in omnibus illis terra prædominatur, quoniam plus huius elementi, quam aliorum est in omnibus mixtis; idè locum deorsum exposcunt.

**41** Tandem, eodem ferè gradu certum est, formas substantiales, & accidentia omnium corporum non esse in loco per se; sed per accidens, & ratione subiecti, ut docet Arist. in præsentia text. 45. D. Thom. ibid. lect. 7. ubi inquit, *Quadam verò secundum acci-*  
*Colleg. Compl. Physica.*

*ciens sunt in loco: sicut anima, & omnes forme.* Et ratio est aperta: quia sicut omnia hæc sunt quanta per quantitatem totius: ita sunt in loco circumscriptiuo per accidens, quatenus ipsum totum est in loco. ipsa verò quantitas, necnon & vbicatio tantum, ut quo sunt in loco. Vnde si corpus fuerit actu in loco; ut de omnibus hucusque enumeratis dictum est, tunc forma, & accidentia illius erunt actu, licet per accidens in loco. Si verò tantum in potentia fuerit in illo, ut de suprema sphaera statim dicemus, tunc accidentia illius proportionali modo, quamvis per accidens erunt in loco.

**42** Quapropter rota huius quæstionis difficultas deuoluitur ad primam sphaeram, seu primum mobile: imò ad hoc non vtrumque; sed supposita sententia Aristot. qui ut notarunt Conimbr. 2. de cælo, cap. 1: quæst. 1. artic. 1. & Massil. in præsentia sect. 2. quæst. 2. tantum concedit octo sphaeras celestes, nempe septem Planetas; & cælum stellatum, quod nomine primi mobilis insigniuit existimans omnes orbes cælestes moueri:

Diximus, *Non vtrumque; sed supposita sententia Aristotelis*: quia si de re ipsa absolute loquamur, dicendum est: vltra hanc vltimam sphaeram, quam Aristoteles agnouit, esse alias tres; & consequenter cælestes sphaeras esse vndecim, ut explicuit Diuus Thomas 1. part. quæst. 68. art. 4. ex quibus vltima est omnibus aliis excellentior, perpetuò quiescens, mira claritate perfusa, ut sit sedes, & domicilium Beatorum, quæ quidem ob eius splendorem cælum empyreum, id est igneum, nominatur. Ita D. Thomas 1. part. quæst. 66. art. 3. Basil. orat. 2. in Examer. Bed 1. Genes. & Glossa; & communiter Scholastici. Vnde sphaera illa, quæ in sententia Aristotelis erat prima, est re ipsa in alia sibi superiori tanquam in loco circumscriptiuo: quia ab ipsa vndeque ambitur. Et licet de cælo empyreo posset præsens quæstio versari: quia tamen (ut iam diximus, nec fuit ab Aristotele cognitum, nec de ipso est tanta difficultas; quanta da primo mobili; dato quod non haberet supra se alium orbem: siquidem cælum empyreum non mouetur localiter: secus tamen primum mobile: idè Commentatores Aristotelis rem hanc philosophicè; & iuxta principia Aristotelis pertractantes, totam controuersiam ad primum mobile deuoluunt, inquirentes, an dato quod non habeat supra se alium orbem, nihilominus verè sit in loco:

*Statuitur primum mobile iuxta mentem Aristot.: non esse secundum se totum actu in loco.*

### § II.

**43** Dicendum est primò: primum mobile simpliciter, & per se, seu secundum se totum non esse actu in loco: Assertionem hanc tetigimus in Logica disp. 13. num. 5. 1. & 5. 2. & eandem docet Arist. in præsentia cap. 5. D. Thom. ibidem lect. 7. & opusc. de natura loci. Themist. relatus ab eodem S. Doctore ibidem. Capreol. in 2. distinct. 2. quæst. 1. ad argum. 6. eorum, quæ secundo loco contra secundam conclusionem adducuntur: lab. in præsentia quæst. 14. Brux. q. 1. art. 2. ad primum. istud. q. 14. Ferrar. quæst. 2. Sor. 2. & innumeri alij.

Rationem fundamentalem huius assertionis tetigit Aristoteles loco citato text. 42. his verbis: *Cui quidem igitur corpori inest aliquid extra corpus continens ipsum, hoc in loco est, cui verò non minime.* Quod testimonium explicans D. Thomas ibidem inquit: *Concludit ergo primò ex præmissis, quod cum locus sit terminus continens, cuiusque corpori adiacet aliquod corpus*

corpus continens ipsum exterius, hoc est in loco simpliciter, & per se. Cui vero corpori non adiacet aliquod corpus exterius continens ipsum minimè est in loco: tale autem corpus in mundo non est, nisi unum, scilicet ultima sphaera, quacumque sit illa unde secundum hanc determinationem sequitur, quod ultima sphaera non sit in loco.

Et confirmatur ex eodem Philosopho text. 46. ubi hoc ipsum repetit dicens: *Primum cælum secundum se totum non esse alicubi*. Vbi etiam D. Th. lect. 7. iam citata sic ait: *Concludit quod corpus supremum mouetur solum circulariter, propter hoc quod ipsum totum non est alicubi: quia quod est alicubi, ipsum est aliquid, & habet aliquid extra se, à quo continetur, &c.*

Dupliciter respondent aliqui: Auenpace enim, & alij, quos refert D. Thom. loco citato dicunt, primum cælum, imò & corpus, quod est circulariter mobile non debere esse in loco ratione non superficiei continentis ipsum; sed ratione superficiei conuexæ alterius corporis contenti ab ipso. Vnde superficies conuexa sphaeræ contentæ est locus primæ sphaeræ.

Deinde, respondent secundo præcipui Arabes, Auerr. & Alphar. in præsentia ex 43. aliter esse assignandum locum primo mobili, & aliis corporibus sublunaribus: quoniam illud non est in loco ratione alicuius ambientis ipsum; sed ratione centri, circa quod mouetur: quia locus, quippe qui est essentialiter immobilis, tribuit immobilitatem, & fixationem locato: at primum cælum habet fixationem ratione centri quandoquidem idè est semper in eadem distantia: quia eodem modo reuoluitur circa centrum, quod est immobile, ac proinde centrum erit locus illius. Quem etiam dicendi modum amplexi sumus postea Albert. Magnus, necnon Iandunus qu. 9. huius libri, & nouissimè Pereyra lib. 1. cap. 9.

44 Sed contra utramque solutionem obest id quod his breuibus, & compendiosis verbis docuit D. Thom. lect. citata dicens: *Sed hoc est contra suppositiones communes prius de loco positas, scilicet quod locus sit continens, & quod locus sit aequalis locato*: Quare cum superficies connexa orbis immediatè inferioris, & proximi respectu primi mobilis, nec contineat illud, nec sit æqualis superficiei conuexæ ipsius, quod idem de centro dicimus, non poterit esse locus respectu illius.

Confirmatur, orbis proximus primæ sphaeræ, scilicet Saturnus, est in loco ratione ipsius primæ sphaeræ, ergo repugnat hanc esse in loco ratione ipsius Saturni. Patet consequentia: quia alias simul esset locatum, & locus respectu eiusdem, quod apertè repugnat, quandoquidem locus, & locatum petunt rationes ex diametro oppositas, scilicet circumscribere, & circumscribi, & cætera.

Per quæ satis patet ad fundamentum Arabum: quia non potest intelligi ratio loci sine hoc, quod habeat vim ad circumscribendum locatum.

45. Caterum, licet assertio nostra adeò efficaciter corroborata maneat, nihilominus contra eam potest obijci, non rectè hæc coherere cum his, quæ in Logica disputat. 16. num. 18. diximus explicantes, quomodo ultima sphaera sit in loco. Respondetur consultò in solutione ibidem data adhibitum à nobis fuisse duplicem dicendi modum, ut in præsentia veriorem, & doctrinæ D. Thomæ magis consonum eligeremus: quia electio illius pendebat ex pluribus quæ ibidem non poterant exactè discuti & plenè percipi, hæc autem tanquam in proprio loco discutienda erant; & ideo in hac quæstione ubi omnibus objectionibus occurreretur, propriam mentem explicamus, & primum ex illis duobus dicendi modis, ut veriorem & D. Thomæ magis consonum eligimus, quia opusculum illud ibidem relatum, quod secundo dicitur

di modo fauebat, non est certum esse Angelici Doctoris; & idè his, quæ ex eodem in hoc lib. citata adduximus, standum est.

Secundò obijciunt aliqui: quod primum mobile secundum se totum mouetur localiter: ergo secundum se totum est in loco. Patet consequentia: quia eo modo aliquid est in loco, quo mouetur localiter: quoniam terminus motus localis est esse in loco. Antecedens verò probatur: quia motus localis, sicut & alia accidentia subieciuntur in toto composito; ergo totum ipsum erit, quod præcipuè mouetur localiter.

Confirmatur: quia eius est moueri, & esse in loco actu, cuius est esse: at solummodo totum habet esse ratione sui, & partes solum coexistunt ad existentiam totius, ut constat ex dictis lib. 1. disp. 3. num. 55. ergo totum cælum erit, quod secundum se mouetur localiter, & non per partes; ac proinde quod secundum se est in loco.

46 Respondetur ex D. Thom. lect. citata concedendo antecedens ad hunc sensum, quod in corpore circulariter moto nulla eius pars quiescit. Sed neganda est consequentia. Et ad eius probationem dicendum est, quod ut aliquod corpus moueatur circulariter secundum se totum in sensu explicato, non est necesse, ut secundum se totum, & ratione sui sit actu in loco; sed satis erit, quod secundum suas partes sit in loco, ut statim explicabimus. Et idè innuit ibidem D. Thom. quod corpus motum circulariter quodammodo mouetur, & quodammodo non mouetur: mouetur quidem, ut ex se constat, & non mouetur quodammodo: quia nec secundum se totum mutat locum, quasi translatus ad locum subiecto diuersum; Neque est necesse, ut acquirat per motum quodam actu, & secundum se totum in loco.

Ad confirmationem respondetur: non colligi, & hoc quod aliquid ratione sui actu sit, & actu moueatur, quod sit ratione sui in loco, vel quod actu sit in illo. Et ratio est, quia existere, & posse moueri, in idè & actu moueri circulariter, prouenit rei à forma; & ita quod actu habet formam, potest ratione sui, saltem ut quod, actu existere, & actu moueri: at verò esse actu in loco prouenit à superficie ambiente alterius corporis, quod supra se habet locatum. Vnde potest contingere quod aliqua res habens esse, & moueri à sua forma, non sit actu in loco: quia non ambitur à superficie concava alterius corporis; ac proinde licet partes primi mobilis existant ratione totius, imò & ratione formæ quæ per se primo actuat totum, moueantur, non habebunt esse in loco per locum totius: sed potius è contra, totum erit in loco ratione partium, ut iam dicemus.

*Explicatur modus, quo primum mobile in sententia Aristotelis est in loco.*

### §. III.

47 Dicendum est secundò: primum mobile tantum esse in loco ratione suarum partium Ita Aristot. loco citato, & D. Thom. lect. 7. ubi sic inquit: *Multo autem conuenientius est dicere, quod ultima sphaera sit in loco propter partes suas intrinsecas, & magis consonat opinioni Aristoteli*. Et idè hoc ipsum tuentur omnes Doctores pro prima assertionem relati. Ratione fundamentalem innunt Aristot. & D. Thom. loco citato, quæ potest ad hanc formam reduci. Eo modo aliquid est in loco, quo mouetur & mutat locum: sed primum mobile non mouetur mutando locum secundum se totum: sed secundum partes: ergo

ergo neque est in loco secundum se totum; sed secundum partes, & ratione illarum. Maior ex se, & ex inductione facta in omnibus corporibus constat. Minor verò etiam liquet: quia primum mobile secundum se totum non mutat locum, quia semper est in eadem distantia; sed solum secundum partes, quatenus quæ antea erat versus orientem, modò est versus occidentem, & sic de aliis.

Confirmatur ratione desumpta ex eodem Aristotele, & D. Thom. loco citato. Nam partes primi mobilis ita sunt dispositæ, ut una suo modo ambiat aliam, & rursus, alia contineat illam, & sic de aliis: ergo una erit aliquo modo in alia tanquam in loco, quippe quæ ambitur ab illa: ergo primum mobile erit aliquo modo in loco ratione partium; quatenus partes eius sunt aequaliter in loco.

48 Dicendum est tertio. Partes primi mobilis non sunt actu in loco, sed solum in potentia, atque adeò, & primum mobile non erit actu in loco etiam per accidens, & ratione partium: sed solum in potentia. Hæc est Aristotelis loco citato text. 44. & D. Thom. ibidem dicentis. *Ostendit quomodo partes prima sphaera sint in loco, & dicit, quòd sicut supradictum est, quædam sunt in loco actu, quædam secundum potentiam. Unde cum aliquid sit continuum similium partium, partes eius sunt in loco secundum potentiam: sicut est in ultima sphaera* Quam sententiam tenent Ferrara, Iabel. Soto & alij, quos sequitur Masius in præfenti.

Rationem fundamentalem huius assertionis quoad primam eius partem indicant Aristot. & D. Thom. ibidem: quia ad hoc ut aliquid sit actu in loco, requiritur quòd ambiatur ab alio, & quòd ambiens sit actu diuisum ab eo, quòd ambitur: at partes primi mobilis, licet ita sint dispositæ, ut una ambiatur ab alia, non tamen una est actu diuisa ab altera, licet possit diuidi: ergo nulla est actu in alia tanquam in loco; sed solum in potentia. Patet consequentia: nam sicut ad rationem loci, & locati in actu requiritur, quòd sint diuisa secundum superficies, quibus se tangunt; id est ut alia sit superficies loci, & alia locati: ita ad rationem loci, & locati in potentia, in sensu, quo ea Aristoteles in præfenti sumpsit; requiritur, & sufficit, ut continens, & contentum non sint diuisa actu; sed in potentia.

49 Ex quo etiam eadem assertio quoad secundam partem, scilicet quòd totum cælum solum in potentia sit in loco ratione partium, satis constat: nam cum præcisè sit in loco ratione illarum, & quia ipsæ suo modo sunt in loco; consequens est, ut sicut illæ solum in potentia sunt in loco: ita & totum cælum solum in potentia sit in illo ratione prædictarum partium.

Confirmatur: ultima sphaera est medium quoddam inter substantias separatas, & hæc inferiora corpora, & consequenter participat rationem utriusque extremi. Unde ex propinquitate cum substantiis separatis participat non esse actu in loco: quia hæc neque actu, neque in potentia sunt in loco continere; & ex similitudine cum his corporibus inferioribus participat esse in loco in potentia: quia hæc utroque modo sunt in illo.

*Obiectiones contra prædicta, & solutio earum.*

#### S. IV.

50 **S**ed obiectiones primò contra secundam assertionem: ad motum unius partis primi mobilis omnes partes illius mouentur, iuxta illud Philosophi. *Colleg. Compl. Physic.*

phi 5. Metaph. text. 8 impossibile est moueri unam partem continui localiter quin omnes moueantur: ergo una pars non est villo modo in alia sicut in loco. Patet consequentia: quia locus est immobilis: ergo si una pars mouetur ad motum alterius, non erit in illa tanquam in loco.

Secundò obiectiones contra primam tertie assertionis partem, quòd partes cæli non sunt adinuicem separabiles, alioqui cælum esset corruptibile: ergo neque sunt in loco in potentia. Patet consequentia ex dictis: quia eatenus dicuntur esse in loco in potentia; quatenus partes contentæ possunt diuidi à partibus continentibus, & sic diuisæ contineri ab illis.

Tertio è contra obiectiones: quòd partes cæli mouentur actu: quandoquidem quæ erat in Occidente, modò est in Oriente: ergo mutant locum actu: ergo actu sunt in loco. Patet prima consequentia: quia nihil aliud videtur esse, mutare locum actu, quam moueri actu. Ex quo etiam secunda consequentia constat, quia id, quòd mutat locum actu, necesse est, quòd sit in loco actu.

Confirmatur primò: partes primæ sphaeræ acquirunt actu per motum novum ubi: ergo sunt actu in loco. Antecedens patet: quia impossibile est dari motum, & actionem sine termino: ergo cum ubi sit terminus motus localis, nequibit esse actu talis motus sine prædicto termino. Ex quo etiam consequentia satis constat: quia ut supra in Logica disput. 16. n. 19. diximus, ubi est modus quidam resultans ex adiacentia loci: ergo si partes primæ sphaeræ non sunt actu in loco, non potest actu resultare prædictum ubi.

Confirmatur secundò: superficies connexa primi cæli est aliquo modo in loco; non in potentia: ergo in actu. Consequentia patet: quia non est alius modus essendi in loco, nisi vel in actu, vel in potentia: Maior verò etiam constat; siquidem quòd aliquo modo mouetur localiter, ut contingit in prædicta superficie, oportet, ut aliquo modo sit in loco. Minor verò etiam ex dictis liquet: quia à nullo alio corpore, vel parte ambitur, alioqui non esset vltima superficies primi, & supremi corporis.

51 Quartò tandem contra secundam eiusdem assertionis partem obiectiones, Arist. in præfenti text. 23. dixisse: *Propter hoc enim cælum maxime in loco esse putamus, quòd perpetuo motu agitur*: at esse in loco in potentia, non est esse maxime in loco, sed solum secundum quid: ergo, &c.

Confirmatur: quia nobilissimo corpori debetur nobilissimus modus essendi in loco: at esse in loco in potentia; & non in actu, est esse in illo imperfectè; & diminutè: ergo, &c. Confirmatur secundò, argumento D. Thom. in præfenti lect. citata: nam motus primi mobilis est primus omnium motuum; ob hoc enim primum cælum vocatur primum mobile: quia entis motus est prior aliis motibus, & causa illorum: ergo non est motus alicuius existentis in potentia, & per partes in loco. Patet consequentia: quia id, quòd est in actu, est prius eo; quòd est in potentia: ergo cum moueri localiter sit rei, quæ aliquo modo est in loco, consequens est, ut si primum mobile non sit in loco actu, quòd detur aliud corpus eo prius habens esse actu in loco, ac proinde motum eius esse priorem.

52 Respondetur ad primum ex supradictis, q. 2. partem continentem aliam, & habentem suo modo rationem loci respectu alterius moueri materialiter & in ratione partis; non tamen formaliter, & in ratione loci, id est in quantum determinatum situm, & ordinem, habet in vniuerso ad puncta fixa: nam pars succedens parti, quæ erat in Oriente, eundem ordinem, & situm seruat, quem habebat pars præcedens.

dens ad eum modum, quo loco citato diximus, locum esse immobilem; & idè pars contenta ab alia, quæ de nouo succedit in eodem situ, dicetur esse in eodem loco, in quo erat præcedens, & locus etiam dicitur manere immobilis.

§3 Ad secundum, satis esse ad hunc modum essendi in loco in potentia, quòd saltem supernaturaliter possit cælum diuidi.

Ad tertium: quòd ut aliqua pars moueatur motu circulari, non est necessarium quantum est ex vi huius motus, quòd actu mouet locum quid sit locus in actu; sed satis erit mutare locum, qui sit locus in potentia, non quidem quia desinat contineri ab illa parte, cui antea vnita erat, à quaque ambiebatur; sed quia licet illa pars materialiter, & in esse partis maneat eadem, non tamen formaliter, & in esse loci in potentia, quæ secundum istam rationem est diuersa, quatenus habet distinctam relationem distantiae, quæ præcipue attenditur in loco: & idè pars locata mutat locum formaliter.

Diximus, quantum est ex vi huius motus circularis: quia non repugnat, corpus motum circulariter aliud esse actu in loco in actu, quòd idem de eius partibus (proportionem seruata) dicendum est, ut in orbibus inferioribus videre licet; sed ut ea, quæ in hac solutione dicta sunt, melius intelligantur, consulenda sunt, quæ supra quæstione secunda, circa loci immobilitatem diximus.

Ad primam confirmationem concedendum est antecedens, & neganda consequentia. Ad probationem: quòd ut partes acquirant prædictum *ubi* per motum illum circulares partium, satis est esse in loco in potentia: quia ad vocationem illam sufficit, quòd resultat ex loco in potentia, & iuxta hæc debent intelligi ea, quæ in Logica dicta sunt: nam *ubi* aliquando resultat ex loco in actu, & aliquando ex loco in potentia.

Cæterum quia dupliciter potest dici aliquid esse in loco, in potentia, vel quia licet secundum se totum non contineatur ab alio, potest tamen sic contineri: vel quia licet contineatur secundum partes, non tamen pars continens est actu diuisa à contenta, quòd requiritur ad rationem loci in actu, idè prædictum *ubi* non resultat, ex hoc quòd est esse in loco in potentia priori modo; sed ex hoc quòd est esse in loco in potentia secundo modo, ut explicatum est: quia vbiatio ob sui imperfectionem requirit adiacentiam alicuius continentis. Ex quo etiam adhuc magis intelligitur, quomodo ad hoc ut partes cæli moueantur, non est necesse, ut actu mutant locum in actu: quandoquidem ad actualem motum sufficit actualis, & primarius terminus, scilicet prædictum *ubi*.

Ad secundam confirmationem: satis esse, quòd partes illius superficiæ contineantur inadæquatè ab aliis, quatenus quævis pars habet versus utrumque latus alias duas superficiæ partes, quæ licet non adæquatè, in adæquatè tamen eam contineant. Vnde etiam intra latitudinem essendi in loco in potentia erunt prædictæ partes imperfectè in loco. Cæterum hic modus essendi in loco est proprius, & maxime accommodatus respectu illarum.

§4 Ad quartum argumentum respondetur: vel Aristotelem non locutum esse in propria sententia; & idè loco illius verbi *putamus*, habet alia translatio *opinamur*: vel loqui de aliis sphaeris excepta prima: vel tandem illam particulam *maximè* solum denotare, quòd ratio potissima, ob quam veniamus esse in loco, est motus illius perpetuus: quia semper Aristoteles ex motu locali venatus est locum.

Ad primam confirmationem respondetur: quòd cum esse in loco circumscriptiuè, & in actu, dicat

imperfectionem, idè supremo corpori non debet conuenire hic modus essendi in loco.

Ad secundam respondetur ex D. Thom. lect. 7. iam citata, ei, quòd est in loco in potentia, non debere correspondere aliquid prius, quòd sit in loco actu, & actu moueatur: imò quoad hoc esse speciale rationem, ob quam oppositum magis congruit ordini vniuersi: quia ut optimè expendit S. Doctor, cum multitudo ab vnitatem procedat, necessarium est, quòd ab vno immobili gradatim descendatur ad diuersitatem, quæ est in mobilibus, ut ita sit processus secundum maiorem propinquitatem ad vnitatem. Vnde quia talis motus partium existentium in loco in potentia minus habet de pluralitate, quam si essent partes actus diuise, idè ille motus est naturaliter prior, quam motus partium existentium in loco.

## QVÆSTIO VII.

*Vtrum duo corpora possint supernaturaliter esse in vno, & eodem loco.*

IN hac quæstione aliquid ut certum supponimus, & aliquid in dubium vertimus. Supponimus enim esse naturaliter impossibile, quòd duo corpora penetrarentur, seu quòd idem est, sint vno, & eodem loco: nam sicut ex corruptione vnius formæ substantialis ad introductionem alterius, colligimus illas esse naturaliter impossibiles in vna, & eadem materia: sic ex eo quòd ad ingressum vnius corporis in aliquem locum statim expellitur aliud, quòd eundem locum occupabat, debemus inferre corpora illa non posse naturaliter esse in vno, & eodem loco. Quare solum restat vocandum in dubium, an saltem supernaturaliter possint prædicta corpora penetrari.

*Placitum Durandi.*

### S. I.

§1 Partem negantem tueretur tanquam probabilem Durand. in 4. distinct. 44. quæst. 6. Probatur primò: quia expulsio vnius corporis ad ingressum alterius in eundem locum est effectus formalis quantitatis: ergo repugnat, vnum non expellere aliud. Antecedens constat: nam sicut quantitas seipsa est ratio formalis occupandi locum: ita & expellendi aliud ab eodem loco. Consequentia verò probatur: quia semel vnita forma suo subiecto, implicat impediri à Deo effectum formalem illius: ergo cum expulsio prædicta sit effectus formalis quantitatis, implicabit duo corpora manere quanta, & non se expellere ab eodem loco.

Confirmatur: impenetrabilitas, quæ est passio quantitatis, non distinguitur realiter ab ipsa: ergo repugnat duo corpora manere quanta, & non esse impenetrabilia, ac proindè nunquam poterunt penetrari. Antecedens patet: nam sicut quantitas absque additione reali alicuius entitatis est diuisibilis in suas partes quantitativas: ita illæmet partes seipsæ sunt talis naturæ, ut quælibet occupet distinctum, & proprium locum, & consequenter expellat aliam ab illo. Prima verò consequentia probatur: nam ex eo colligimus implicare, quòd aliquod corpus maneat quantum, & quòd non sit diuisibile in suas partes: quia diuisibilitas non distinguitur realiter ab illis, ergo si semel impenetrabilitas est passio non distincta realiter à quantitate, implicabit esse quantitatem, & non manere impenetrabilem. Ex quo

quo etiam secunda consequentia liquet: nam si quantitas semper manet impenetrabilis, quomodo penetrari poterit.

Secundò, duæ partes eiusdem quantitatis non possunt ad inuicem penetrare: ergo nec duæ quantitates totales. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens autem constat: quia essentia quantitatis est habere partem extra partem: sed hoc ipso, quod una pars penetraret cum alia, & per consequens intro-mittatur in illam, iam una pars non est extra alteram: ergo penetratio partium eiusdem quantitatis est contra essentiam illius.

Confirmatur: duæ partes eiusdem motus, aut durationis illius non possunt correspondere uni, & eidem durationi: ergo neque duæ partes quantitatis permanenti uni, & eidem loco. Consequentia patet ex paritate rationis: nam sicut diuersæ partes eiusdem motus petent exerceri in distinctis partibus temporis: ita distinctæ partes eiusdem quantitatis permanentis: exigunt distincta loca: ergo si ob illam rationem non possunt duæ partes motus exerceri in diuersis temporibus, consequens est ut neque duæ partes quantitatis possint esse in eodem loco. Antecedens verò probatur: nam eo ipso tolleretur successionis ordo, quem inter se habent: quandoquidem una non esset prior alia; sed utraque simul existeret, quod est contra rationem essentialem motus, & temporis.

*Stabilitur vera sententia D. Thoma.*

## §. II.

56. **N**ihilominus dicendum est: non implicare contradictionem, quod duo corpora sint simul uno, & eodem loco. Ita D. Thom. in 4. dist. 44. qu. 2. art. 2. quæst. iuncta 3. & super Boëcium de Trinitate qu. de causarum pluralitate, art. 13. D. Bonauent. dist. 49. quæst. 1. de dote subtilitatis, Capreolus in 4. dist. 44. q. 3. conclus. 1. Ricard. art. 4. qu. 5. Argentina quæst. 1. art. 4. Soto disp. 19. quæst. 4. art. 6. Suar. 3. par. quæst. 5. art. 4. disp. 46. sect. 5. & Rubius in præfenti.

Probatum primò: nam ut ex nostræ sacræ Fidei mysteriis constat, multoties duo corpora diuinitus penetrata sunt: ergo talis penetratio non implicat contradictionem. Consequentia est euident. Antecedens verò probatur: nam Christus Dominus natus est ex sanctissima Virgine absque læsione integritatis ipsius, quod quidem absque penetratione sacri corpusculi cum Matre non potuit fieri. Item ipsemet Christus iam gloriosus ingressus est ad discipulos ianuis clausis: sicut & cum cælum ascendit tunc cælos ipsos penetravit, ut testatur Paulus ad Hebræos 4. dicens: *Habentes ergo Pontificem, qui penetravit cælos Iesum.* Ac tandem in Resurrectione illius sacrum corpus è sepulchro eo oblerato egressum est: atque adeò cum lapide illo se penetrans eundem cum eo locum occupauit.

57. Conatur Durandus his testimoniis respondere, & primò ad primum inquit: Christum Dominum natum esse ex Virgine absque læsione integritatis ipsius, & sine penetratione: quia partes illæ Virginalis, & purissimi vteri dilatæ sunt; ideòque absque illius corruptione egredi potuit eo sanè modo, quo cæteris fœminis, si innocentia status durasset, contingeret: quia tunc absque ulla corruptione præcisè ratione dilatationis illarum partium prolem emitterent, ut testatur D. August. lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 26. & D. Thom. 1. par. q. 98. art. 2.

Et ad secundum testimonium respondet: ianuam  
*Colleg. Compl. Physica.*

illas subito fuisse apertas, & iterum velocissimè clausas. Additque tam hunc ingressum, quàm egressum ex vtero sanctissimæ Matris, & ex sepulchro fuisse operatum à Christo Domino transeundo de extremo in extremum, non transeundo per medium. Quod etiam tertio testimonio responderi posse videtur. Tandem ad quantum, quod in primis ex Euangelio non constat, corpus è sepulchro immoto lapide exiisse. Deinde addit, quod etsi corpus gloriosum non possit cum alio corpore penetrari, potest tamen proprias demensiones quantitatis ita constringere, ut per minimum interuallum ingredi possit; sicque in Resurrectione Christi Domini contigisse: nam sacrum illud corpus valde constrictum fuit; atque adeò per interuallum, quod inter vnum, & alium lapidem erat, potuit egredi.

58. Sed omnes hæc solutiones omninò falsæ, imò & friuolæ sunt. De prima enim (quæ non parum derogat integritati sanctissimæ Virginis, quod quidem fat erat pro illius impugnatione) probatur sic: nam si per dilatationem illarum partium sacrum Domini corpusculum ex vtero Virginis egressum est, cum dilatatio sit mutatio saltem accidentalis, & solidati corporis opposita, sequitur planè, non adeò solidum permansisse virginalis corpus in partu, ac antea erat, & ita integritatem eius diminutionem aliquam suscepisse.

Adde, quod ut ex sanctis Patribus constat, singulare, ac stupendum miraculum fuit, quod Christus Dominus ex vtero Virgineo integro prorsus permanente: exiret: ergo non ideò sanctissima Virgo mansit omninò integra: quia partes illæ dilatæ sunt; aliàs enim non maius miraculum contigisset in partu illo, quàm accidisset in partu cæterarum mulierum, si status innocentia præseruaret.

59. Nec solutio prima secundi testimonij specimen aliquod probabilitatis habet, cum expositio illa satis apertam violentiam inferat verbis textus: quia in eo dicitur, quod cum fores essent clausæ, ingressus ille contigit; ideòque speciale miraculum, miraculosamque penetrationem ibi accidisse, sancti Patres testantur: præsertim Diuus Athanasius orat. 4. aduersus Arium; S. Cyrillus Alexandrius lib. 2. de Fide ad Regin. D. Hieronymus cap. 28. Matthæi, necnon & B. Hilar. 3. lib. Trinit. Ex quo etiam patet omninò falsum esse id, quod in hac solutione addit Durandus: imò, & cum verbis sacri textus non rectè coherere: nam etsi possit dici, corpus illud, quod non transit per medium, incipere esse in vno loco; & desinere in altero; non tamen quod ingrediatur, vel egrediatur, nisi aliquo modo transeat per medium. Quare cum ex verbis sacri textus constet; Christum Dominum ad discipulos clausis ianuis ingressum fuisse: non saluabitur hic ingressus, absque eo quod per medium transisset, atque adeo nec saluari poterit absque penetratione.

60. Nec solutio, quam adhibet vltimo testimonio, potest villo modo admitti: quia etsi Euangelistæ non expresserint egressum illum è sepulchro accidisse eodem oblerato: attamen sancti Patres communi consensu hoc testantur, Bernardus nimirum sermone primo de Resurrectione, Chrysostom. 8. in Math. Beda in Vigilia Paschæ, Gregor. Naziazæn. in tragædia *Christus patiens*. August. serm. 36. de Tempore, Hieronym. epistol. 150. ad Hædibium quæst. 6. Iustin. Martyr. quæst. 117. ad Gentes, & alij, idque speciali miraculo tribuunt. Ex quo etiam sequitur, falsum esse egressum fuisse Christum oblerato sepulchro; ex eo quod à corpore glorioso propriæ dimensiones valde constrictæ fuerunt. Maximè, quia talis potestas coarctandi  
§ 3 proprias



proprias dimensiones non habet sufficiens fundamentum; & ideo in re tam graui minimè innitendum est in illa.

61 Deinde probatur assertio ratione sic. Vnum corpus quantum non expellit aliud à suo loco, nisi in genere, causæ efficientis, vel formalis, ita tamen ut expulsio hæc sit ad summum effectus formalis secundarius quantitatis: sed quemlibet ex his influxibus potest Deus impedire: ergo & quod vnum corpus expellat aliud; ac proinde poterunt supernaturaliter esse in eodem loco. Maior ex se patet: minor vero quoad primam partem, scilicet posse Deum impedire influxum illum actiuium, etiam liquet quandoquidem potest denegare concursus, quo influxus erat cum illo corpore, quo semel negato, nequit esse concursus creaturæ. Quoad secundam vero partem etiam constat: nam multoties Deus impedit ne resultet effectus formalis secundarius: ut patet in mysterio Incarnationis, in quo propria existentia, & substantia humanitatis, quæ est effectus secundarius formalis animæ, impedita est ne resultet. Et in mysterio Eucharistiæ, ubi quantitas Christi Domini caret extensione locali, quæ (ut communis docet sententia) est effectus formalis secundarius quantitatis: ergo, & cetera.

Respondebis, minorem esse veram de effectibus secundariis, & positiuis: non verò de priuariis, & valdè intimis, qualis est iste, de quo loquimur: sicut quia expulsio vnius formæ substantialis ad ingressum alterius est effectus priuarius, & intimus, scilicet non esse alterius formæ in eodem subiecto; ideo non potest à Deo impediri.

62 Sed contra; intimior est quantitati actualis extensio in ordine ad locum, quàm actualis expulsio alterius corporis ab illo: at Deus impedit illum effectum: ergo melius potest impedire istum. Consequentia patet: quia separabilitas formæ à suo effectu secundario, potissimè mensuranda est ex maiori intimitate effectus cum ipsa. Maior verò etiam constat; nam prius est, quod vnum corpus sit actualiter extensum in ordine ad locum, quàm quod expellat aliud: quandoquidem ex eo quod sit actualiter extensum in ordine ad locum, & repleat illum, habet expellere aliud, & ita semota hac extensione poterunt esse simul (licet tunc talis simultas non haberet propriè rationem penetrationis, quia hæc præsupponit extensionem corporum in ordine ad locum) at effectus eò est intimior, quod est propinquior, & immediatior ipsi formæ: ergo actualis extensio in ordine ad locum est effectus intimior, quàm expulsio alterius corporis ab eodem loco.

Confirmatur: tunc effectus priuarius est effectus valdè intimus, & inseparabilis, quando ex impeditio illius sequitur impeditio effectus formalis primarij: at ex impeditio huius effectus, de quo loquimur, non sequitur impeditio effectus primarij quantitatis, scilicet extensio substantiæ in ordine ad se: ergo expulsio prædicta non est numeranda inter effectus priuarios, & valdè intimos. Maior patet, nam ideo priuatio vitæ est effectus secundarius priuarius, & valdè intimus respectu formæ cadaueris: & similiter expulsio vnius formæ substantialis ad ingressum alterius est, prædicto modo effectus ipsius: quia (ut supra disputatione quarta, numero 63. expendimus) optimè à posteriori colligitur, prædictas formas non tribuere effectus formales primarios, nisi statim subsequantur isti effectus secundarij ob indispensabilem nexum, qui est inter illos, & inter effectus primarios earumdem: ergo tunc solum effectus priuarius est effectus secundarius valdè intimus, quando

ex negatione illius colligitur à posteriori negatio effectus primarij.

Minor verò etiam constat ex dictis: nam si ex impeditio extensionis in ordine ad locum, quæ est effectus secundarius intimior quantitati, non sequitur impeditio effectus primarij scilicet extensionis in ordine ad se: ut constat in quantitate Christi Domini in Eucharistia, multò minus ex impeditio effectus, de quo loquimur, sequetur impeditio prædicti effectus primarij.

*Soluuntur fundamenta Durandi.*

### §. III.

63 **A**D primum initio quæstionis positum patet ex dictis pro nostra assertionem. Ad confirmationem: quod sicut quantitas seipsa absque additione reali alterius entitatis habet radicalem, & aptitudinalem extensionem in ordine ad locum, & simul potentiam obedientialem passiuam, ad hoc ut diuinitus priuetur actuali extensione in ordine ad illum: alioqui quantitas Christi Domini in Eucharistia non careret prædicta extensione: ita seipsa habet impenetrabilitatem, seu vim ad expellendum aliud corpus ab eodem loco, & simul potentiam obedientialem passiuam ad hoc ut supernaturaliter impediatur talis expulsio, seu impenetratio, atque ita potest manere impenetrabilis naturaliter, & penetrabilis obedientialiter. Vnde vna quantitas non penetratur cum alia; ex eo quod tollatur ab illa impenetrabilitas aptitudinalis, & naturalis, quam habet; sed ex eo quod impediatur actus correspondens huic virtuti, scilicet actualis expulsio ab eodem loco, præsupposita tamen extensione in ordine ad illum.

64 Ad secundum respondetur negando antecedens. Et ad probationem, quod ex penetratione duarum partium quantitatis non sequitur, quod vna non sit extra aliam in ordine ad se; sed solum quod vna non sit extra aliam in ordine ad locum. Hoc autem non inconuenit: quia ad essentiam quantitatis saluandam satis est illud prius.

Ad confirmationem respondetur, esse disparem rationem: nam hoc ipso, quod duæ partes motus sint in vna, & eadem duratione, tollitur successionis ordo, quem essentialiter petunt, scilicet ordo prioris, & posterioris, ut ex se constat: at ex eo quod tollatur actualis expulsio vnius corporis ab eodem loco, non aufertur distinctio partium quantitatis in ordine ad se: sicut neque hæc tollitur, ex eo quod talis quantitas careat extensione actuali in ordine ad locum, quæ est aliquid prius ipsa expulsionem, ut patet in exemplo toties inculcato quantitatis Christi Domini in Eucharistia.

## QVÆSTIO VIII.

*Utrum vnum, & idem corpus possit esse supernaturaliter in duobus locis circumscriptiue.*

**E**SSe in loco circumscriptiue iam constat nihil esse aliud, quàm esse in illo per commensurationem cum ipso: ita ut totum locatum correspondeat toti loco, & pars locati parti loci, cumque vnum corpus sic esse in pluribus locis sit naturaliter impossibile, ut experientia constat; ideo solum inquitimus: an id sit supernaturaliter possibile.

*Pro*

*Proponitur sententia affirmativa.*

§ I.

65 **P**Artem affirmantem tuerentur Ricard. quodlib. 1. Scotus in 4. dist. 10. q. 3. Placa in hoc libro; Murcia hic q. 7. alios referens, Rubio, & Conimbrienses in præfenti, Bellarm. lib. 3. de Eucharistia, c. 3. & 4. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 8. sect. 4. & 2. tomo sue Metaph. disp. 48. sect. 4. sentiens sententiam hanc esse principii Fidei valde consonam.

Probatum primò: vnum, & idem corpus esse in duobus locis quantitativo, seu circumscriptivo modo, nec repugnat ex parte ipsius quantitatis, nec ex parte modi naturalis essendi in loco, scilicet circumscriptivè: ergo saltem supernaturaliter poterit id fieri. Consequentia patet: quia in antecedenti referuntur præcipua capita, ex quibus hæc repugnantia potest provenire. Antecedens verò quoad primam partem constat: nam essentia quantitatis, scilicet extensio partium in ordine ad se, est prior, & independens à modo essendi in loco circumscriptivè; & idèò quantitas Christi manet in Eucharistia sine illo: ergo sicut ob hanc prioritatem, & independentiam non est contra rationem eius, privari hac præsentia locali, & quantitativa: ita neque habere vnam, vel plures.

Quoad secundam verò partem probatur: quia modus naturalis essendi in loco, quem petit quantitas, tantum est, quod tota corresponsdeat toti loco, & pars parti: at hoc ipso, quòd vnum corpus esset in duobus locis circumscriptivè, esset in quolibet per correspondentiam totius quantitatis ad totum locum, & partium ad partes: ergo maneret illæsus modus naturalis, & quantitativus essendi in loco.

66 Confirmatur primò: mirabilius est, vnum corpus esse in vno loco quantitativo modo, & in alio sacramentaliter, quàm in duobus quantitativè; sed illud prius nec est contra essentiam quantitatis; nec destruit naturalem modum essendi in vno loco quantitativè: ergo nec hoc posterius. Minor constat ex mysterio Eucharistiae. Maior verò patet: tum quia mirabilius est, habere duplicem præsentiam oppositæ rationis, quàm duas non oppositas, ut ex se constat; sed duæ præsentiae quantitativæ non sunt inter se oppositæ: siquidem sunt eiusdem rationis, secus verò præsentia sacramentalis, & quantitativa: cum vna sit divisibilis, alia indivisibilis, vna commensuretur loco, non verè alia: ergo, &c. Tum etiam, quia corpus, quod est in vno loco quantitativè, & in alio sacramentaliter, non minus est in ambobus quàm si esset circumscriptivè in illis, & insuper habet aliquid aliud, scilicet esse in vno eorum non naturali; sed supernaturali, & ineffabili modo; qui modus essendi in loco, sicut est supernaturalis, & ineffabilis; ita & mirabilior.

Confirmatur secundò: difficilius est, vnum corpus esse in duobus locis absque suo modo naturali, quàm esse in illis suo modo connaturali: sed corpus Christi est in diversis absque suo modo naturali, scilicet sub speciebus: ergo potest esse in pluribus suo modo naturali quantitativo. Probatum maior, quia difficilius est, esse in loco absolute absque naturali modo, quàm esse in illo cum suo naturali modo, ut patet: ergo difficilius est, esse in duobus sine suo modo connaturali, quàm esse in illis cum suo naturali modo essendi, scilicet quantitativè.

67 Secundò principaliter probatur, sicut de factis in Eucharistia convertit Deus substantiam panis in substantiam corporis Christi, manente quantitate

panis: ita potest convertere non solum substantiam panis in substantiam Christi; sed etiam quantitatem panis in quantitatem Christi; nulla enim in hoc apparet repugnantia: sed tunc corpus Christi esset localiter, ubi antea erant species panis, & non definiret esse, ubi prius erat: ergo iam esset localiter in duobus locis.

Tertiò, vna, & eadem natura semel terminata per personalitatem Verbi, potest simul terminari per personalitatem Patris, & Spiritus sancti: ergo idem corpus semel contentum potest simul contineri ab alio. Antecedens est D. Thom. 3. p. quæst. 3. art. 6. ubi docet: vnam, & eandem naturam humanam posse subsistere in tribus personis divinis, & communiter recipitur à Theologis. Consequentia verò probatur: nam contineri à loco quantitativo modo, est terminari extrinsecè ab illo: ergo si non repugnat, naturam semel terminatam per terminum intrinsecum qualis est substantia, rursus terminari per alium, & alium terminum intrinsecum: multominus repugnabit, ut corpus contentum & terminatum per vnum locum, tanquam per terminum extrinsecum, rursus terminetur extrinsecè per alium, & alium.

68 Quarto, sæpè Christus Dominus apparuit in Eucharistia ostendens suam carnem sanctissimam localiter extensam, ut constat ex pluribus historiis Ecclesiasticis: at tunc simul erat in cælo: ergo fuit præsens utrique loco quantitativo modo. Minor patet ex illo Actorum 3. *Quem oportet cælum suscipere usque ad tempus Resurrectionis hominum.* Quod etiam docet August. relatus in decretis de consecratione dist. 2. capit. *prima heresis. Donac finiatur seculum, sursum est Dominus,* & D. Thom. 3. p. qu. 6. artic. 8. dicens: Christum videri, & adorari semper in cælis. Et ratio est aperta: nam cum existentia Christi in cælo conducat etiam ad beatitudinem, & lætitiâ patriæ, oportet quod sicut hæc beatitudo nunquam interruptitur: ita nec præsentia illius in cælo.

Confirmatur, Christus apparuit corporaliter beatis Petro, & Paulo: ergo tunc fuit quantitativè in diversis locis. Consequentia patet: quia ut modo dicebamus, tunc non deseruit cælum; ubi est quantitativè. Antecedens autem probatur; nam Paulus 1. ad Corinth. 3. enumerat istam apparitionem inter eas, quæ confirmant veritatem Resurrectionis Christi: ergo fuit corporaliter in persona Christi facta; aliàs non bene colligeretur Resurrectio illius.

69 Quinto, sicut duo corpora petant duplicem locum: ita vnum corpus vnicum locum, ergo sicut potest Deus duo corpora collocare in vno loco, ut ex quæstione præcedenti constat: ita ponere vnum in duobus locis. Patet consequentia: quia non minori necessitate corporum multitudo petit pluralitatem locorum, quàm unitas corporis unitatem loci.

Nec satis erit si respondeas id, quod innuit D. Tho. quodlibeto 5. esse disparem rationem: nam ex eo quòd duo corpora sint in vno, & eodem loco non sequitur: non fore distincta inter se; sed solum quod vnum non expellat actu aliud ab eodem loco, quod non repugnat: at ex hoc quòd vnum corpus sit in duobus locis sequitur, quòd à seipso sit divisum, quod implicat.

Nam contra hoc est: quia si semel unitas loci non sufficit ad causandam unitatem corporum, quæ ibidem penetrantur, nec diversitas loci sufficiens erit ad causandam diversitatem locati, quia unitas rei non sumitur ex unitate, vel diversitate loci; sed ex intrinsecis principiis eiusdem.

70 Ultimò, si propter aliquam rationem vnum corpus non posset esse in pluribus locis quantitativo modo

S 4

modo

modo, maxime propter rationem D. Thomæ, scilicet quia comprehenditur à loco; ac proinde non poterit esse extra illum, ut statim expendimus: sed hæc ratio est nulla: ergo, &c. Minor patet: tum quia eadem ratione probaretur Christum, qui est quantitatiuo modo in cælo, & consequenter comprehensus à loco, non posse esse extra illum in hostia consecrata. Tum etiam, quia quod obiectum vnius scientiæ, v.g. ens mobile comprehendatur ab hac numero Philosophia, non tollit quominus ab alio habitu Philosophiæ numero distincto possit comprehendi: ergo comprehensio vnius corporis ab hoc numero loco, non prohibebit comprehensionem eiusdem ab alio loco numero distincto.

Confirmatur: quia potissima fundamenta, quibus vtuntur Thomistæ ad oppositam sententiam tuendam; reducuntur ad hæc duo. Primum est, quod si vnum corpus potest esse circumscriptiuè in duobus locis, etiam poterit esse in infinitis, atque ita esset vbique, & haberet, immensitatem. Secundum est, quod aliàs idem esset diuisum, & distans à seipso quod implicat; sed hæc rationes sunt satis leues: ergo propter illas non est denegandum diuinæ potentiæ, quod possit collocare vnum corpus in duplici loco. Minor probatur: quia aliàs eisdem rationibus conuinceretur, corpus Christi non posse esse sacramentaliter in duabus hostiis inter se distantibus, ut intuenti patebit: ergo, &c. Vnde Suarez existimans rationes has, quibus vtuntur Thomistæ, esse parui momenti, sic concludit: *Ante omnia obicimus illud Augustini: ecce quibus argumentis omnipotentia Dei humana contradicit infirmitas quam possidet vanitas.*

*Defenditur sententia D. Thomæ, & primum illius fundamentum.*

#### §. II.

71 **N**ihilominus dicendum est: implicare contradictionem vnum corpus esse circumscriptiuè in duobus locis. Hæc est expressa D. Thomæ in 4. dist. 10. quæst. 2. art. 5. ad 5. 6. & 7. & dist. 44. qu. 2. ar. 2. & 3. p. qu. 76. art. 1. in corpore, & quodlibeto 3. vbi sic concludit. *Ponere quod vnum corpus sit localiter in hoc loco, & tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria simul vera. Vnde secundum præmissa, hoc à Deo fieri non potest.* Eandem sententiam tenet D. August. lib. 10. contra Faustum cap. 11. vbi docet, corpus Christi non posse esse in sole, & luna extenso modo, & in cruce simul, & loquitur etiam de potentia absoluta: quia aliàs nihil conuinceret contra illum hæreticum. Anselmus in Menologio c. 20. Bonauent. in 4. dist. 44. art. de dote subtilitatis Abulen. tom. 4. in Mart. Durand. in 4. dist. 10. q. 4. num. 8. & disp. 44. q. 6. Henric quodlib. 9. quæst. 32. Egidius quodlib. 1. q. 1. Heruæus quodlib. 11. quæst. 13. Godofredus ibidem. Dionys. Carthus. in 4. dist. 13. q. 3. dub. 1. Capreol. in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. Palud. ibidem q. 1. Ferrara 4. contra Gent. c. 68. Vasquez tom. 3. in 3. par. disp. 189. cap. 4.

72 Probatur primò ratione desumpta ex D. Tho. quodlib. citato, quæ ad hanc formam potest reduci. De ratione loci circumscriptiuè est, quod vndeque circumscribat, & comprehendat locatum; ac proinde quod sit adæquatus respectu illius: ergo implicat locatum, comprehendi ab illo loco, & simul esse extra illum in alio. Patet consequentia: quia aliàs talis locus esset adæquatus, (ut supponitur) & non esset adæquatus: siquidem totum locatum est extra illum locum.

Confirmatur: repugnat quod aliquod corpus con-

tineatur, & adæquatur ab vno loco circumscriptiuo, & quod nihilominus dimidium illius sit extra talem locum: ergo multò magis repugnabit cum hac continentia totum illud corpus esse extra talem locum. Respondent Authores oppositæ sententiæ, corpus comprehendi, & adæquari à loco, non esse quod extra illum non sit: sed tantum quod locus, & locatum ita se adæquent, ut totum locatum toti loco, & pars locati parti loci correspondeat; & consequenter tantum importatur per hanc continentiam, quod totum locatum sit intra terminos loci, quod certè repetitur, etiam si ab utroque loco ambiretur.

73 Sed contra: quia non vtrumque continetur locatum à loco: sed tanquam à termino intra quem est; sed id, quod continetur in aliquo tanquam intra terminum, implicat, quod sit extra illud: ergo hoc ipso quod locatum, ut à termino adæquetur à loco, nihil locati debet esse extra ipsum. Maior probatur ex definitione loci ab Aristotele tradita, scilicet quod sit terminus, seu extremitas corporis continentis. Vnde superficies illa corporis locantis, sicut est terminus intrinsecus illius: ita est extrinsecus terminus locati. Minor verò etiam constat: tum quia extremum sic definitur ab Aristotele 5. Metaph. cap. de extremo, scilicet quod sit id, extra quod nihil rei possumus usurpare. Tum etiam exemplo termini vltimi motus, extra quem implicat omnino dari motum.

Confirmatur: sicut de ratione infiniti est, quod etiam de potentia absoluta Dei non possumus peruenire ad non esse eius: ita de ratione finiti, ut talis, est quod non sit peruenire ad ampliùs esse illius: ac de ratione locati circumscriptiuè est, quod finiatur, & terminetur ab hac mensura loci: ergo non peruenire ad ampliùs esse eiusdem in loco circumscriptiuo, & consequenter nec ad alium locum à quo circumscribatur.

Deinde, quantitas ratione suæ essentiæ, & intrinsecæ entitatis est prima, & principalis ratio, per quam corpus redditur formaliter aptum ad extensionem; & præsentiam localem, de qua loquimur: ergo si scilicet vna quantitas non potest naturaliter loquendo, reddere substantiam idoneam ad duplicem extensionem, & præsentiam localem, ut iam diximus neque etiam id poterit per ordinem ad diuinam potentiam, ac proinde de ratione loci circumscriptiuè erit, ut ita finiat, & exhauriat virtutem repletiuam quam habet vnum corpus quantum, ut implicet esse simul extra illum in alio loco. Antecedens patet ex dictis in Logica disputat. 13. Prima verò consequentia constat: nam effectus proueniens ab aliqua forma ut à causa formali principali, causatur ab illa ratione naturæ, & naturalis virtutis eius. Vnde, vel non potest causari ab illa, vel causatur per naturam, & naturalem virtutem, & consequenter naturaliter, ut supra lib. 1. disputat. 4. quæst. vltima latius expendimus.

*Expenditur secundum fundamentum Thomistica doctrina.*

#### §. III.

74 **S**ecundò principaliter probatur assertio ratione desumpta ex eodem D. Thoma quæ potest sub hac forma proponi. Si vnum corpus posset per proprias dimensiones esse in duplici loco circumscriptiuè, eadem ratione posset esse in omnibus: ergo etiam posset esse vbique, & esse immensum: at hoc implicat: ergo & illud prius. Sequela patet: quia non est maior ratio quare potius possit esse simul in

in duobus locis, quàm in tribus, vel quatuor, & sic de aliis. Secunda verò etiam constat: quia id, quod per se, & præcisè à ratione propriæ entitatis potest esse ubique, habet immensitatem, & idè ex hoc quòd Deus sit ubique, colligimus esse immensum.

Falsitas verò consequentis etiam constat: quia esse immensum est proprium solius Dei, ut docet D. August. lib. 6. contra Maximum cap. 22. Fulgent. lib. 2. contra Trasimundum, cap. 17. & D. Thom. 1. part. qu. 8. & ita immensitas nequit convenire alicui creaturæ.

Respondent aduersarij, corpus illud non fore immensum: tum quia non haberet ex vi suæ essentia, & independentè ab alio, ut à prima causa, esse ubique, quod quidem requiritur ad immensitatem: tum etiam, quia non esset ubique per vnam, & eandem indivisibilem præsentiam; sed per plures, cuius oppositum petit immensitas. Tum denique, quia nec esset actu in infinitis spatiis imaginariis, ne loca Physica, positiua, quibus ambiretur, essent actu infinita: quia hæc non dantur, & ita sicut non replet infinita loca, sic nec haberet immensitatem in ordine ad illa.

75 Sed contra: nam si semel vnum corpus potest etiam dependenter ab alio, ut à prima causa efficiente esse ubique planè sequitur fore, & non fore immensum, quæ est implicatio intenta à D. Thom. Et ratio videtur aperta: nam ex eo quòd aliqua creatura posset tanquam causa principalis, licet per participationem à Deo producere aliquid ex nihilo, vel effectus secundum essentiam perfectiores, & perfectiores, usque in infinitum, optimè colligimus, illam esse, & non esse creaturam; habere, & non habere omnipotentiam: ergo ex hoc quòd aliquod corpus habeat à Deo, tanquam à causa efficiente, & à sua quantitate, tanquam à causa formali, & principali virtutem repletivam in actu primo omnium locorum, & actu sit ubique, rectè inferemus, tale corpus esse, & non esse immensum.

Antecedens patet: quia esset creatura, ut supponitur, & non esset creatura: quia solus Creator potest per modum causæ principalis producere aliquid ex nihilo, & similiter non haberet omnipotentiam: quia esset creatura, & haberet illam: quia posset extendi ad infinitum effectum, quod est proprium solius omnipotentia.

Consequentia autem probatur: nam sicut producere aliquid ex nihilo per modum causæ principalis arguit potentiam infinitam; & ideo si hæc inveniatur in creatura per participationem à Deo, non esset omnipotentia: quia est creatura; & esset omnipotentia: quia sola potentia actiua Dei, seu omnipotentia eius potest esse virtus infinita: ita esse ubique, & habere virtutem ad essendum in pluribus, & pluribus locis, usque in infinitum, arguit virtutem localem infinitam; atque ita si hæc reperiretur in creatura, etiam per participationem à Deo, non esset immensitas: quia est quid creatum; & esset immensitas: quia sola immensitas habet virtutem infinitam in ordine ad locum, & ad essendum ubique.

76 Ex quo etiam corrunt secunda, & tertia ratio in hac solutione adductæ, ad probandum corpus illud non fore immensum. Secunda quidem: quoniam posse esse ubique etiam per plures præsentias, arguit infinitam virtutem localem in actu primo, & consequenter in præsentia denotat corpus illud esse, & non esse immensum, ut iam expendimus.

Tertia verò, quoniam non desineret esse in infinitis locis ex defectu sui, sed ex defectu locorum, quæ non sunt actu infinita secundum multitudinem, & si-

militer si ad immensitatem requiritur esse in infinitis spatiis imaginariis, posset quantum est de se, esse in illis: ergo ex defectu huius non desinet esse immensum. Consequentia patet: quia Deus est immensus, licet non sit in locis positiuis actu infinitis: quoniam hoc non est ex defectu eius; sed ex defectu locorum, quæ non sunt actu infinita: ergo hoc ipsum de corpore illo dicendum erit, si semel, quantum est ex se, potest esse in infinitis locis. Antecedens autem probatur: nam corpus illud haberet virtutem localem infinitam, ut probatum est: at virtus localis infinita potest extendi ad omnem locum: aliàs esset, & non esset infinita: ergo, &c.

*Elucidatur tertia ratio pro sententia Angelici Doctoris.*

§. IV.

77 Tertia ratio principalis pro nostra assertione desumitur ex D. Thoma loco citato ex 4. sentent. quæ potest ad hanc formam reduci. Si idem corpus posset per proprias dimensiones esse in pluribus locis circumscriptivè, sequeretur corpus illud esse indivisum, & divisum à seipso: sed hoc implicat, ut ex se constat: ergo, &c. Sequela probatur: quia esset vnum, ac proindè indivisum in se, ut supponitur, & cum distet à seipso, esset divisum à se: ergo simul esset indivisum, & divisum.

Respondent aduersarij, quòd corpus illud solùm distaret, seu divideretur, à se localiter; non verò entitativè: quia ex distantia, seu diuisione locali non rectè colligitur distantia, seu diuisione entitativa: sicut ex indistantia duplicis corporis penetrati in vno, & eodem loco, malè inferitur identitas entitativa inter se.

78 Sed hæc solutio satis manet impugnata ex his, quæ in vltima probatione pro nostra prima ratione adduximus: nam ut ex ibidem dictis constat, non potest multiplicari extensio, & præsentia localis quantitativa, quin multiplicentur quantitates, & consequenter corpora, quippè cum hæc tanquam à prima radice distinguantur numero ex sigillatione materiæ ad diuersam quantitatem: ergo ex distantia, & diuisione secundum hanc præsentiam, optimè colligitur distantia, & diuisione entitativa corporum.

Et potest hoc ipsum ampliùs ostendi, & declarari sic: nequit multiplicari effectus formalis, quamvis sit secundarius: quin multiplicetur forma: at extensio, & præsentia quantitativa est effectus formalis secundarius quantitatis; ut aduersarij fatentur: ergo nequit multiplicari talis extensio, & præsentia immultiplicata manente quantitate, & consequenter immultiplicata manente corpore, ut modo dicebamus. Maior probatur: tum quia posterius dependet à priori: ergo cum forma sit prior suo effectui secundario, non poterit iste multiplicari, quin multiplicetur forma cum sub effectui primario: Tum etiam, quia sicut effectus formalis saltem affert formam, ut communicatam subiecto; & idè dependet in esse ab illa: ita multiplicatio eiusdem effectus necessariò petit multiplicationem talis formæ.

Confirmatur tandem: sicut se habent principia essentialia alicuius rei naturalis ad constitutionem specificam eiusdem: ita quantitas ad constituendam rem aptam, ut sit in loco: sed implicat, quòd sine multiplicatione principiorum essentialium constituantur res in multiplici specie: ergo etiam repugnabit, quòd sine multiplicatione quantitatis sit corpus collocabile in multiplici loco circumscriptiuo. Maior

Maiores patet: quia sicut materia, & forma sunt primæ radices constituendi rem in sua essentia: ita quantitas est prima radix constituendi rem in suo loco.

Plures aliæ rationes adducuntur à Iunioribus quæ in ipsis inspicere possunt, & quasque nos breuitatis causa consilio omittimus.

**SOLVTIO ARGVMENTORVM**  
*prima sententia.*

§. V.

76 **A**D primum ergo pro contraria sententia respondetur: esse vnum corpus simul in duplici loco repugnare ex utroque capite, scilicet tam ex parte quantitatis, quàm ex parte præsentis quantitatis. Et ad probationem contra primam patet ex dictis, quomodo licet quantitas, & eius effectus primarius ob independentiam, & prioritatem, quam habet ab effectu secundario, possit separari ab illo, non tamen prædictus effectus secundarius potest multiplicari, immultiplicata manente quantitate, ratione dependentiæ essentialis, quam ab illa habet. Et ad probationem contra secundam respondetur, negando antecedens: quia hoc ipso quod extensio, & præsentia ad locum circumscriptiui necessarium petat adæquationem totius loci ad totum locum, & partium loci ad partes loci, ut ad terminum continentem, & exhaustientem totam vim localem quantitatis (ut explicatum est) ibidem inuoluitur & ita ambiatur ab hoc loco, ut implicet esse extra illum in alio.

80 Ad primam confirmationem respondetur negando maiorem: quia mirabilius esset dari duas contradictorias simul veras, quàm communicari eidem corpori vnam præsentiam quantitativam, & aliam sacramentalem, & ineffabilem; sed non implicantem: at si vnum corpus esset in duobus locis circumscriptiui darentur plures contradictoriæ simul veræ (ut iam explicauimus.)

Et ad primam probationem dicendum est: duas extensiones locales, & præsentias quantitativas esse simul impossibiles inter se: quia quævis est adæquata virtuti locali vnius quantitatis, & ita multiplicaretur, & non multiplicaretur quantitas illius corporis, ut iam diximus. Cæterum extensio localis, & præsentia quantitativa non habent impossibilitatem cum præsentia sacramentali: quia extensio, & præsentia quantitativa conuenit corpori Christi Domini ratione propriæ quantitatis: at verò præsentia sacramentalis conuenit illi ratione suæ propriæ substantiæ non qualitercumque; sed quatenus substantia panis, vel vini conuersa est in corpus, & sanguinem eiusdem Christi Domini; & ita quævis ex his præsentis est adæquata suæ rationi formali, à qua oritur.

Nec refert vnam ex illis præsentis esse diuisibilem, & aliam indiuisibilem: quia id potius petitur ab illis diuersis rationibus essendi suo modo in loco, nam sicut substantia, quatenus est in loco ratione quantitatis, debet esse in loco illo ad modum ipsius quantitatis; ac per consequens diuisibiliter, & extensè: ita eadem substantia, quatenus est sub speciebus ratione sui modo dicto oportet, ut sub illis secundum modum substantiæ, qui est esse indiuisibiliter, ac proinde quod quantitas eiusdem Christi Domini, quæ est ibidem ratione substantiæ, sit etiam secundum modum ipsius substantiæ, scilicet indiuisibiliter. Quæ solutio desumitur ex D. Tho. 3. parte quæstione 76. art. 4. ad 1.

81 Ex quo ad probationem eiusdem maioris res-

pondetur; quod vnum corpus esse in duobus locis circumscriptiui non repugnat ob rationem generalem essendi, utcumque in duplici loco; sed ob specialem, scilicet essendi in utroque quantitativo modo, & per proprias dimensiones: quia vna, & eadem quantitas non potest esse ratio essendi in illis. Vnde non mirum, quod corpus Christi sit in vno loco quantitativè, & alibi sacramentaliter: quia in cælo est ratione propriarum dimensionum, & est sub speciebus ratione conuersionis substantiæ panis in ipsum: quare sicut multiplicata quantitate, & consequenter etiam corpore; potest multiplicari locus circumscriptiui: ita multiplicatis conuersionibus plurium substantiarum panis, & vini in idem corpus Christi Domini, potest esse sub pluribus, & diuersis speciebus: quia hæc conuersiones non variant numericè eius substantialem unitatem.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis nam quantitas potest separari à suo effectu secundario, à quo non dependet essentialiter; ut in præsentia contingit; non tamen possunt multiplicari effectus secundarij sine multiplicatione formæ: scilicet quantitatis, quæ si multiplicaretur, iam illud corpus non esset vnum, & idem, ut supponitur.

82. Ad secundum, omittis aliis solutionibus, magis placet ea, quam tradit D. Thom. quodlibeto citato: difficilius esse quantitatem panis conuerti in quantitatem corporis Christi, quàm substantiam eiusdem panis in substantiam corporis ipsius Christi, ut ibidem Sanctus Doctor optime probat; dato tamen quod hæc dimensio conuerteretur in illam dimensionem; non sequeretur idem corpus fore in duplici loco circumscriptiui: sed in vno tantum: quia tunc non essent duæ dimensiones: sed vnica solummodo. Vnde minor argumenti est aperte falsa.

Ad tertium respondetur, hoc esse speciale in personificationibus diuinis, ut simul sint compossibiles in ordine ad terminandam naturam diuinam, ac proinde & naturam creatam. Vnde quævis ex illis personificationibus terminat naturam diuinam inadæquatè saltem quoad extensionem, & idèd sicut ob hanc rationem non potest hic modus terminandi pluribus personis creatis simul, & semel conuenire: ita nec pluribus locis circumscriptiui potest competere, quod extrinsecè terminent virtutem localem eiusdem quantitatis, & consequenter quod actu circumscribant vnum, & idem corpus.

83. Ad quartum respondetur ex D. Thom. ibidem quæst. 76. artic. 8. quod vera caro Christi in propria specie non potest in Eucharistia apparere, & videri, nisi desinat esse in cælo. Vnde quod ibi apparet miraculosè, est aliquid illuminatione diuina factum circa figuram, vel colorem, manentibus dimensionibus, quæ prius fuerant.

Ad confirmationem respondetur cum Diuo Thoma tertia parte, quæstione 53. articulo sexto, Christum Dominum per illam breuem morulam, quam in terris Diuo Paulo apparuit reliquisse cælum, nec hoc est aliquid inconueniens, ut ostendit ibidem Sanctus Doctor. Et ad probationem in contrarium respondetur sensum illius dicti Augustini esse, quod Christus semel ascendens in cælum adeptus est sibi, & nobis, in perpetuum, ius, & dignitatem ad mansionem cælestem, cui tamen condignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione quandoque corporaliter ad terram per breuem morulam descendat. Nec inde fiet, ut argumentum contendit, turbendam esse patriæ lætitiæ, quæ ex consortio corporis Christi beatis accrescit: quia quamuis Christus Dominus abfuerit à cælis, poterat ex illo loco, in quo tunc erat, lætificare beatos.

84. Ad



84 Ad quartum patet ex dictis: quia penetratio duorum corporum fit per separationem cuiusdam effectus secundarij quantitatis ab ipsa: at verò esse in duplici loco circumscriptiuo arguit illud corpus quantum esse, & non esse vnum, vt ex dictis satis constare potest.

Ad vltimum neganda est minor. Et ad primam probationem dicendum est; esse dispatem rationem: nam ex comprehensione eiusdem obiecti à pluribus scientiis numero distinctis; non sequitur multiplicatio rationis formalis *sub qua* talis obiecti, vt constat; & idè potest simul comprehendere ab illis, atque adeo adæquatio obiecti & scientiæ per se versatur inter obiectum, & eandem scientiam secundum suam speciem consideratam: at verò comprehensio à pluribus locis arguit multiplicationem eiusdem corporis; vt explicatum est.

85 Ad secundam probationem respondetur: vnicum locum circumscriptiuum finire, & exhaustire virtutem locabilem, quam habet corpus ratione quantitatis; quippè qui est terminus extrinsecus, & adæquatus illius secundum istam rationem considerati, non verò virtutem, quam habet ad essendum in pluribus locis, aut quasi locis ratione conuersionis alterius substantiæ in ipsum. Vnde corpus, Christi Domini ratione propriæ quantitatis tantum potest esse in vnicò loco: quia ibi finitur tota virtus locabilis quantitativa: quia verò substantia panis conuertitur in corpus Christi Domini, ideo ratione huius conuersionis potest simul esse sub speciebus illius panis: imò & sub tot speciebus panis, & vini, quot multiplicatae fuerint conuersiones eiusdem panis in ipsum. Diximus *Vel quasi locis*: quia per se loquendo, hic modus sacramentalis non est modus essendi in loco; sed essendi sub speciebus per modum substantiæ. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. in 4. distinctione 10. quæstione 1. articulo 1. ad 5.

86 Ad confirmationem respondetur; negando minorem. Et ad primum inconueniens, quod in probationem eiusdem innuitur, dicendum est, quod ex hoc, quod corpus Christi Domini possit esse in pluribus, & pluribus hostiis consecratis, quæ sunt infinitæ in potentia, non sequitur fore immensum: quia in hac numero hostia: verbi gratia, est ex vi conuersionis substantiæ panis illius in corpore Christi Domini. Vnde ex vi huius numero conuersionis tantum potest esse sub his speciebus, & non sub aliis; & rursus in alia numero hostia solum potest esse simili modo ratione simili conuersionis, & sic de aliis. Quare ratio essendi in pluribus non est vnica & eadem; sed diuersæ illæ conuersiones finitæ in actu, & infinitæ in potentia, ac proinde nunquam inuenitur in illo vna, & eadem formalissima ratio, quæ sit in actu infinita.

Cæterum si vnum, & idem corpus ratione propriarum dimensionum posset esse vbique, & consequenter quantum est ex se infinitis locis, tunc ratio illa repletiva loci haberet in ratione virtutis locabilis infinitatem, atque adeo esset; & non esset, ipsa immensitas, vt ex secunda ratione pro nostra assertionem constat.

Et ad secundum inconueniens, quod in eadem probatione inuenitur, dicendum est: esse inconueniens, quod idem distet, & sit diuisum à se localiter, quando indè colligitur distinctio, & diuisio entitativa eiusdem à seipso: secus verò quando hæc non infertur. Cæterum quando ratio existendi in

pluribus locis est infinita, vel multiplex conuersio diuersarum substantiarum in eandemmet substantiam, vt contingit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, tunc non sequitur hæc entitativa diuisio, vt satis constat, quæ tamen sequitur ex hoc quod vnum, & idem corpus ratione propriarum dimensionum distet, & sit diuisum à se localiter, vt in vltima ratione pro nostra assertionem ostensum est.


87 Ad illa autem præclara verba D. Augustini, quæ nobis obiicit Suarez, respondetur: Sanctum Doctorem non posse loqui aduersus nostræ sententiæ sectatores, cum ipse in eadem opinione fuerit; vt constat ex testimonio citato pro illa. Vnde dicendum est, verba illa esse aduersus hæreticos, qui ab exemplis ex rebus naturalibus acceptis arguentes, possibilitatem mysteriorum nostræ Fidei negabant; & ideo extra rem afferuntur contra Doctores valde Catholicos, & sublimiter de mysteriis Fidei sentientes, quique ob cultum tanti Sacramenti docent possibilitatem, & veritatem mysterij Eucharistiæ non pendere vllò modo ab hoc exemplo, neque ab aliqua alia re dubia, siue incerta Philosophorum opinione, in quibus alij in vnam partem, alij in alteram non contemnendis rationibus inclinantur.

Quare verba illa D. Augustini maiori iure retorqueri, possunt in eos, qui dicunt mysteria nostræ Fidei talem cum opinionibus philosophicis habere connexionem; vt nisi illæ defendantur, non possint prædicta mysteria vlla ratione defendi.



## DISPUTATIO XX.

### De Vacuo.

 A C V V M materialiter sumptum, idem est quod locus, licet addat supra illum carentiam actualis continentiae locati, vt iam dicemus: & ita recto ordine disputatio de loco præcessit disputationem de vacuo, & post illam hæc subsequitur.

### Q V Æ S T I O I.

*An ex vi virtutis rerum sublimarum, aut alicuius corporeæ virtutis sit naturaliter possibile dari vacuum.*

**P**RO tituli intelligentia, & vt nulla adsit æquivocatio, norandum est, nos in præsentem non loqui de vacuo latius sumpto, qua ratione dicitur spatium imaginarium, & inane, vt colligitur ex D. Th. in 2. dist. 1. qu. 1. art. 5. ad 4. sed de vacuo propriè sumpto, quod nihil est aliud, quàm *Locus non repletus corpore*. Vbi particula, *locus*, quæ est ratio materialis vacui, ponitur pro genere, & excluditur per illam spatium imaginarium, quod cum consistat in negatione, & nullo modo in priuatione, nihil reale posituum pro materiali importat, quod tamen è contrà in vacuo propriè sumpto contingit: quia priuationem intrinsecè dicit. Per cæteras verò particulas à quibusvis aliis, & præcipuè à loco actu repleto corpore sufficienter distinguitur. Vnde

Vndè vacuum est quasi concretum quoddam accidentale, addens supra locum priuationem illam, quæ se habet per modum formæ respectu illius: quare superflue additur ab aliquibus, esse aptum repleti corpore. Nam hoc ipso quod sit locus physicus, ibidem inuoluitur aptitudo, ad hoc ut repleatur. De hoc ergo vacuo inquirimus, an per virtutem aliquam corpoream dabile sit.

2. Partem affirmatiuam tuentur aliqui Philosophi, & probant illam aliquibus experientiis. Prima est: nam si darentur duæ grandes tabulæ ita perfecte planæ, ut secundum omnes suarum superficierum partes se perfecte tangant, tunc si paulisper, & velociter superior secundum omnes suas partes simul, & æqualiter eleuaretur, necesse esset dari vacuum: quia aer circumstans, qui vacuum illum replere poterat, plus temporis consumeret in suo motu, quo percurreret omne spatium inter tabulam utramque interiectum, quam consumeret tabula superior in suo velocissimo illo, & minimo motu.

Secunda est: quia si vas plenum aqua calida, & vndique clausum in loco perfrigido collocetur, tunc aqua congelabitur, densiorque fiet, & consequenter minorem, quam antea occupabit locum: ergo aliquid spatij intra vas illud relinquetur inane.

3. Nihilominus dicendum est; impossibile esse, quod ex vi virtutis rerum sublunarium, aut alterius rei corporeæ detur per vim naturæ vacuum. Hæc est Aristot. in hoc libro, capite octauo & nono, ubi eam pluribus confirmat rationibus, quem etiam Sanctus Thomas, & tota Peripatetica Schola sequitur. Probaturque ratione: Deus, & natura nihil agunt frustra: at vacuum, si daretur, esset frustra omnino utpote quod neque ad totius vniuersi, vel alicuius particularis rei bonum utile esset, ut ex se constat: ergo, & cætera.

Confirmatur: quia si daretur vacuum, non solum non esset utile, verum etiam foret naturæ corporeæ maximum nocumentum: ergo ex vi talis naturæ dari nequit. Patet consequentia: nam alioquin natura sibi esset aduersa. Antecedens probatur: quoniam maximum nocumentum provenit naturæ, ex eo quod corpora ipsa non sint inter se contigua, ut docet Arist. 1. Meteor. dicens: oportet mundum hunc inferiorem contiguum esse lationibus superioribus, ut inde regatur, & gubernetur. Alioquin cælestes influentias, quibus conseruandus esset, minimè reciperet: cum agens naturale non possit in remotum agere, quin prius in indistans, & contiguum agat, ut septimo huius operis latè ostendemus: at vacuo obstat contiguitas, & contiguitati vacuum: ergo vacuum maximè naturæ nocet.

4. Secundò, natura corporea maximo impetu, & vi, & quasi inusitatis mediis conatur euitare vacuum: ergo signum est, quod illud valde abhorret tanquam magnum nocumentum: atque ita per vim talis naturæ nequit dari, alioquin (ut dicebamus) natura esset contra seipsam, quod repugnat. Antecedens probatur multis experientiis. Prima est, quia in fistulis, quarum vltimum orificium est contiguum aquæ, dum attrahitur aer, statim contra propriam, & peculiarem (ut sic dicamus) inclinationem, licet non contra inclinationem vniuersalem, saltem passiuam, qua omnis pars inclinatur naturaliter in bonum totius vniuersi, aqua ascendit sursum mota ab Auctore naturæ, non cerè alia de causa, nisi ut occupet locum, quem attractus aer reliquit.

Et similiter in Clepsydra, si eius superius orificium clausum sit, tunc aqua, quæ ad locum deor-

sum inclinatur, pendens manet, ne si recesserit, vacuum relinquat: quia spatium, quod replebat, citò non potest ab aëre occupari.

5. Ad primam ergo experientiam respondetur: casum forsan esse naturaliter impossibilem, ut videtur testari Aristoteles 2. de anima, capite 11. textu 113. eo tamen gratis admissio, dicendum est, vel quod non poterit superior tabulæ æqualiter diuelli ab inferiori, sed prius secundum aliquas, quam secundum alias partes leuabitur, ut sic detur locus aëri intranti: vel quod una non poterit alia disiungi, sed superior secum afferret coniunctam inferiorem.

Ad secundam responderetur, quod si ad euitandum vacuum necessaria sit fractio vasis, absque dubio frangeretur, quantumvis forte, & adamantium sit ut sic aer circumstans possit ingredi; tunc tamen frangeretur per illam partem, in qua dandum erat vacuum: & quia in hac sunt plures partes, tunc vel per debiliores fiet ruptio, vel ad primam causam spectabit determinare, quare potius per hanc, quam per illam partem fractio illa fiat: quamvis etiam ad hoc vnitas temporis, loci, cæteræque aliarum circumstantiarum, quæ ad unitatem numericam motus requiruntur, attendenda sint. Adde congelationem illam aquæ calidæ non fieri sine euaporatione eiusdem aquæ, & ita pars loci, quam aqua condensata relinqueret, posset aliquando replevi vaporibus ab illa exhalatis.

## QVÆSTIO II.

*Utrum per virtutem angelicam, vel diuinam, & supernaturalem, sit possibile dari vacuum.*

6. Dicendum est primò: impossibile dari vacuum per virtutem alicuius Angeli. Ita communiter Doctores. Probatur, nam solius Authoris naturæ est immutare ordinem, & dispositionem naturæ: ergo cum vacuum sit contra naturæ ordinem (ut quæstione præcedenti probatum est) consequens est, ut per virtutem angelicam non possit dari. Antecedens probatur: tum ex illo Iob: *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Et ex illo Pauli ad Hebræos 2. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ, & cætera.* Quod etiam eleganter docuit D. Thomas de malo, quæst. 16. art. 10 ad vltimum, dum ageret de virtute naturali dæmonum, quæ non est minor, quam Angelorum (cum naturalia illorum post peccatum integra permanerint) ubi sic loquitur: *Licet dæmones possint mouere aliquam partem terræ, non sequitur, quod possint mouere totam terram: quia hoc non est proprium naturæ ipsorum, ut mutant ordinem elementorum mundi: ergo cum vacuum sit contra naturæ ordinem, non poterit poni ab aliqua creatura adhuc angelica.*

7. Confirmatur, & explicatur: quia dari vacuum esset quid miraculosum: at Angelus nequit patrare miraculum propria virtute: ergo, &c.

Sed obieciens: nam licet corpora non obediunt Angelis ad nutum, teste Sancto Thoma prima parte, quæstione 110. articulo secundo, obediunt tamen omnino in ordine ad motum localem, ut docet articulo quinto, & cum eo cæteri Scholastici: ergo cum per fistulam aer attrahitur, posset Angelus impedire, ne aqua, aut aliud corpus circumstans ascendat sursum: ergo tunc spatium illud ab aëre relictum manebit omnino vacuum.

Contra

Confirmatur: nam virtus, & influxus, quem præstant graua, dum sursum ascendunt ad replendum vacuum sed quid corporeum, & finitum: ergo impediri potest à virtute; influxu angelico, ac proinde eo impedito, dabitur vacuum. Antecedens, & secunda consequentia patent. Prima verò etiam constat: nam cum virtus, & influxus Angelicus sit superioris rationis, erit utique maioris efficaciz: ergo poterit impedire virtutem, & influxum corporis grauis.

8 Respondetur distinguendo antecedens: & si intelligatur de motibus tendentibus in bonum, vel malum peculiare alicuius corporis, concedendum est: si verò de motibus tendentibus in bonum commune, scilicet ad tuendum vniuersalem ordinem naturæ; negandum est: nam motus hos nequeunt Angeli impedire: sicut nec contra prædictum ordinem possunt mouere peculiariora corpora, ut iam dicemus.

Ad confirmationem respondetur: quòd sicut motus ille per se primò tendit ad vniuersale bonum, ita procedit actiue ab vniuersali auctore totius naturæ, scilicet Deo; & ideo à nulla virtute creata vinci potest. Adde, quòd sicut influxus, quem præstat generans ad productionem sui effectus, & propriarum passionum, inde resultantium, est finitus, & tamen semel producta essentia, nequit impediri resultantia illa passionum per aliquam virtutem creatam, propter naturalem colligationem passionem cum essentia: alioqui virtus creata posset ex se immutare ordinem naturæ & efficere miracula: ita propter eandem rationem licet illa virtus, & influxus essent finiti: attamen semel posito vniuerso, & ordine naturali ipsius, nequit impediri hæc contiguitas corporum inter se propter naturalem colligationem partium vniuersi ad inuicem. Vnde prædictus effectus, quia est superioris rationis, nequit poni nisi à virtute superiori, cui vniuersale bonum subdatur: quoniam est eminentior qua liber alia virtute particulari.

9 Dicendum est secundò, per potentiam Dei supernaturalem posse dari vacuum. Hæc est communis inter Doctores: suadeturque facillè sic. Nam potuit Deus solas cælestes sphaeras creare: non creatis elementis: at tunc totum spatium sublunare mundi maneret omnino vacuum, & inane. Item postquam omnia creata sunt, potest Deus totum elementum ignis annihilare in instanti, & denegare suum concursum aliis corporibus, quæ ad replendum vacuum confluxura erant: imò licet talem concursum eis non denegeret, adhuc daretur vacuum: quandoquidem corpora illa non possent totum illud spatium replere in illo instanti; sed medio motu, & consequenter per aliquam motulam dabitur vacuum.

### QVÆSTIO III.

*An si daretur vacuum, possit corpus moueri per illud.*

*Referitur prior sententia.*

#### §. I.

10 **P**rima sententia asserit, nullum corpus posse moueri per vacuum. Ita Pereyra lib. 11. cap. 10. Comment. Themistius, atque Simplicius, Egid. Burl. land. & Sax. text. 71. 75. 76. huius libri. Albert. Mag. tract. 2. cap. 6. & 7. suorum comment. Colleg. Compl. Physica.

ment. super. 4. lib. Physic. & Greg. in 2. dist. quæst. 5. artic. 2. quos refert Rubio in præsentia tract. de Vacuo, quæst. 2.

Probatum primò: corpora sublunaria dependent in suis motibus ab influxu corporum cælestium: sed in vacuo non possunt recipere hunc influxum: ergo nec moueri per illud. Maior cum consequentia patet. Minor verò probatur; nam cum influentia cælestis sit accidens, non potest peruenire vsque ad corpus illud existens in vacuo, nisi semper transeat per intermedia corpora: ergo non potest peruenire per vacuum vsque ad corpus existens in illo.

Secundò, repugnat aliquid esse in rerum natura sub certo genere, quod non sit sub certa & determinata aliqua specie: sicut repugnat esse reipsa aliquod animal, quod non sit rationale, vel irrationale: sed si daretur motus in vacuo, esset sub genere, aut quasi genere motus localis, & non sub aliqua eius specie: ergo repugnat dari in vacuo: Minor quoad primam partem ex se constat: quoad secundam verò etiam liquet: nam si Deus annihilaret quatuor elementa, relictis orbibus cælestibus & vnico corpore sublunari, tunc in intercapedine, seu vacuitate illa remanente non esset aliquis locus sursum, aut deorsum, ut supponitur; ergo non esset vnde sumantur locales, & specificæ, differentiz motus sursum, aut deorsum, &c. Et consequenter daretur motus, qui non esset sub certa aliqua specie intra genus, aut quasi genus motus.

Confirmatur: vbicatio, quæ est terminus motus localis, non potest dari, quamdiu corpus non ambitur ab aliquo loco: at hoc ipso, quòd corpus sit in vacuo; non ambitur ab aliquo loco, ut constat: quia alioquin esset, & non esset in loco: ergo non potest ibi dari vera vbicatio, & ex consequentia nec motus localis. Hæc secunda consequentia ex se patet: quandoquidem quoties est impossibilis terminus motus, etiam est impossibilis ipse motus. Maior verò constat ex dictis in Logica, disput. 16. num. 19. scilicet vbicationem non resultare nisi ex adiacentia loci.

*Expediuntur difficultates ex mente*

*D. Thomæ.*

#### §. II.

11 **N**ihilominus dicendum est: si daretur vacuum, non implicaret corpus moueri per illud. Ita D. Thom. in præsentia lect. 11. & in 9. dist. 44. quæst. 2. art. 3. Philoponus in hoc lib. text. 75. & in disgressionem de loco; Scot. in 1. dist. 2. q. 9. Sotus hic qu. 3. art. 3. Tolet. qu. 9. Conimbric. c. 9. quæst. 4. & 5. Rubius, & Masius in præsentia, & plures alij.

Probatum: nam corpus illud esset ab intrinseco mobile; & Deus posset supplere per suum concursum dependentiam; quam habet à corporibus cælestibus: ergo tunc posset prædictum corpus moueri à Deo, vel ab Angelo, vel à seipso per vacuum. Patet consequentia: quia ut quæstione prima huius disputationis ex Aristotele diximus: ideo inter alia requiritur contiguitas corporum, ut corpora inferiora possint recipere cælestes influentias, à quibus tam in esse, quam in operari dependent: ergo si Deus per suum concursum suppleat defectum earum, poterunt corpora inferiora ita moueri, ac si spatium esset repletum.

T

*Soluntur*

*Soluantur fundamenta prioris sententia.*

§. III.

12 **A**D primum pro prima sententia patet ex dictis in nostra assertionem. Ad secundum responderetur, quod cum corpus illud sit non in inani qualicumque; sed in vacuo inter ambitum cæli contento, (de quo in præsentem loquimur) possunt locales differentie motus, ipsius desumi penes ordinem ad cælum, quatenus vbiationes, quæ per prædictum motum producerentur, essent magis, vel minus distantes ab illo, & à punctis fixis eiusdem. Maxime: quia cum cælum sit primum locans, non est aliqua repugnantia in hoc, quod per ordinem ad illud desumantur differentie prædictarum vbiationum.

Ad confirmationem responderetur, non esse necessarium ad hoc, ut producat vbiatio, quod corpus ambiatur à loco particulari, & immediate circumscribente ipsum; sed satis erit ambiri à loco communi, scilicet cælo: si enim quando potest resultare ex adiacentia temporis existentis, in primo mobili, cur vbiatio non resultabit ex adiacentia primi locantis? Vnde semper saluatur, quod hæc prædicamenta habent se ad instar relationum prædicamentaliū: quia saltem naturaliter loquendo nequeunt dari sine termino actualiter existente, quem respiciunt.

## QVÆSTIO IV.

*An motus in vacuo fieret in instanti, vel in tempore.*

**S**emel admissio motum posse fieri per vacuum, statim pulsar animum inquirere, an fieret in instanti, vel in tempore: & ideo in præsentem quæst. inquirimus.

*Placitum Averr. & sequacium.*

§. I.

13 **M**otum per vacuum fore in instanti tenuit Averr. in hoc lib. Suef. Burl. & plures alij. Probatum primò: quo minus resistentia est in medio, per quod mobile mouetur, eo minus temporis consumit in tali motu: ergo si nullum fuerit medium resistens; ut contingit in vacuo, nullum tempus consumetur: ergo talis motus erit in instanti. Antecedens est notum: prima verò consequentia ex antecedenti patet: secunda verò etiam constat: quia quidquid fit in rerum natura, & non fit in tempore, non potest non fieri in instanti.

Secundò, si motus per vacuum fieret in tempore, sequeretur duo mobilia æqualia posse moveri æquè velociter, & in eodem tempore, per æqualia spatia, quorum vnum sit plenum, & aliud vacuum: sed hoc est falsum: ergo, &c. Falsitas consequentis patet: nam cum spatium plenum resistat motui; non verò vacuum, non potest non cæteris partibus retardari magis motus per illud. Sequela verò probatur: nam demus vnum mobile percurrere vacuum per quadrantem horæ, aliud verò moveri per plenum per dimidiam horam, tunc si detur aliud

medium æquale, & duplò subtilius, posset idem mobile percurrere illud per quadrantem horæ: quandoquidem quod medium est subtilius, eò velocius percurritur; ac proinde si est duplò subtilius, percurreretur in duplo minori duratione, & consequenter per quadrantem horæ.

Tertiò, idè, sol diffundit lucem in instanti: quia nullam inuenit resistentiam ex parte medij: ergo etiam mobile percurreret spatium in instanti, quoties ex parte ipsius nulla fuerit resistentia: at in vacuo nulla inuenitur: ergo, &c.

*Statuitur vera sententia.*

§. II.

14 **D**icendum tamen est. Si corpus moueretur per vacuum, non moueretur in instanti; sed in tempore. Ita D. Thomas vbi supra lect. 12. vbi loquens de duratione motus, sic inquit: *Vnde subtrahito tempore, quod additur, ex impediēte, remanet tempus naturalis velocitatis.* Eandem assertionem tuentur omnes Doctores pro præcedenti assertionem quæstionis præteritæ relati. Probatum: nam si à cælo lunæ vsque ad terram constituamus columnam quandam fixam, reliquumque spatium sit vacuum, tunc si aliquod corpus habens magnitudinem vnus vnus descenderet iuxta illam columnam à cælo vsque ad terram, non posset in vno, & eodem instanti esse simul iuxta omnes illius columnæ partes, ergo esset prius iuxta priores, & deinde iuxta posteriores, & sic de aliis, ac proinde in illo descensu verè consumeretur tempus.

Antecedens patet: tum quia corpus exigue quantitatis non potest simul, & semel correspondere corpori maximæ quantitatis, & consequenter neque esse iuxta omnes partes illius: ergo ut correspondeat omnibus illis, necessaria est aliqua successio, ita ut semel correspondeat prioribus, deinde posterioribus, &c. Tum etiam, quia aliàs corpus illud simul esset in diuersis, & distantibus locis. Tum denique: quia cum in columna illa sint signabiles quatuor, vel sex partes certæ, & determinatæ habentes inter se ordinem prioris, & posterioris, non potest corpus illud esse iuxta posteriorem partem, quin prius sit iuxta priorem, in certo, & determinato tempore.

Confirmatur: nam in prædicto corpore vnus vnus necessariò sunt assignandæ duæ medietates, quarum vna sit prior, & altera posterior; ergo illa, quæ est prior, accedet prius ad medietatem illius columnæ, quàm ea, quæ est posterior; sed vbi est prius, & posterius, est etiam successio, & consumptio temporis: ergo, &c.

15 Secundò principaliter probatur ratione desumpta ex D. Thoma lectione citata: nam ex aliis causis præterquam ex resistentia medij potest oriri successio motus localis: ergo ex defectu huius resistentiæ ex parte vacui malè colligitur, motum per illud fore in instanti. Antecedens probatur: nam prædicta successio potest inter alia prouenire primò ex finitate, & limitatione potentia mouentis. Vnde propter hanc rationem inter alias motus cæli est successiuus, licet ibi nulla sit resistentia medij: quia procedit ab intelligentia, quæ est finitæ, & limitatæ virtutis. Secundò ex maiori gravitate, vel leuitate mobilis. Vnde corpora grauiora per idem medium citius descendunt, & leuiora velocius ascendunt. Tertiò, ex contraria inclinatione mobilis, ratione cuius resistit, & retardat motum, ut patet in motibus violentis. Quartò, ex distincto situ mobilis, seu ex distantia extremorum: nam

nam hoc ipso quod mobile pertransiret totum vacuum, quod esset inter cælum, & terram, non posset non motus ratione huius distantie retardari. Tum quia aliàs simul esset in termino à quo, & ad quem, & in locis, seu vacuitatibus intermediis. Tum etiam: quia non videtur intelligibile, quod percurrento totum illum vacuum, acquireret ubi distans per vnam leucam v.g. à cælo, quin prius acquireret alias vbicationes, per quas magis distaret ab illo.

*DILVUNTUR ARGVMENTA CONTRARIA SENTENTIA.*

§. III.

16 **A**d argumenta primæ sententiæ respondetur, convincere intentum contra antiquos Philosophos asserentes totam successionem motus localis oriri adæquatè ex resistantia medij: & idè Aristoteles eis vitur ad hunc errorem convincendum. Cæterum contra nos nihil probant. Vndè ad primum dicemus, motum per vacuum quantum est ex vi defectus resistantiæ medij, non consumpturum tempus; sed ex aliis capitibus, vt explicatum est.

Ad secundum respondetur ex dictis, illuminationem idè per se fieri in instanti: quia nullam prorsus inuenit resistantiam ex parte passi habentis contrarium, & hæc sola in qualitatibus retardat: at in motu per vacuum, licet non sit resistantia ex parte medij; est tamen ex aliis capitibus.

17 Ad tertium respondetur, corpus, quod mouetur per vacuum per quadrantem horæ, consumere hanc durationem, & insuper aliquam aliam ratione resistantiæ medij, & aliorum capitum: & idè aliud corpus in omnibus æquale præter quàm in hoc quod est moueri per plenum, non potest non consumere eandem durationem, & insuper aliam ratione retardationis ortæ ex prædictis. Quare si ex vi huius resistantiæ consumit alium quadrantem, tunc si moueatur per medium, duplo subtilius, consumit medietatem illius; & si ponatur aliud medium, duplo etiam subtilius; consumet medietatem illius medietatis, remansit, & sic in infinitum. Vnde in casu argumenti mobile quod mouetur per plenum, semper debet consumere plus temporis: quia quantumuis medium sit subtilius, semper tamen præstat aliquid resistantiæ, & ita ex hoc capite retardat magis motum.



DISPVATIO XXI.

DE TEMPORE.

**T**EMPS, & locus Physicus maximam inter se affinitatem habent quia ea quæ per se in loco Physico propriè, & in rigore sunt, possunt tempore mensurari: sicut omnia entia naturalia, quæ tempore secundum se mensurantur, ambiuntur, & continentur à loco Physico. Vndè meritò in præsentî doctrinæ ordine coniunguntur.

Colleg. Compl. Physic.

QVÆSTIO I.

UTRVM TEMPVS SIT ens Reale.

1 **P**Artem negatiuam tuentur Auerroes, & Galenus relati à D. Thoma opusc. de tempor. cap. 1. Argentina distinct. 2. artic. Veracruz speculatione 4. Percyrus lib. 12. cap. 13 qui existimant, quod licet tempus secundum materiale, quod importat scilicet motum, sit ens reale: tamen secundum formale, & intrinsecum sui complementum est ens in anima.

Probant primò ex Aristotele in hoc libro cap. vltimo ubi docet quod tempus ita pendet ab anima, vt si non esset anima, non esset tempus. Vbi D. Thom. lect. 13. inquit. *Tempus absque anima esse imperfecte ens.*

Confirmatur ex eodem D. Thom. in 1. distinct. 19. quæst. 5. art. 1. ubi ita inquit. *Et similiter est de tempore, quod habet fundamentum in motu, scilicet prius, & posterius ipsius motus; sed quantum ad id, quod est formale in tempore, scilicet numeratio, completur operationem intellectus numerantis.*

2 Secundò, in continuis non datur numerus nisi per operationem intellectus, vt in vna conflata ex ligno non dantur quatuor palmi nisi per intellectum distinguentem illos sed tempus est numerus applicatus rei continuæ, scilicet motui primi cæli: ergo non erit à parte rei; sed per intellectum distinguentem in motu priorem partem, mediam, & posteriorem.

Tertio: partes temporis sunt præteritum, & futurum vt quæst. 4. & 5. huius disputationis dicemus: sed hæc non sunt reales: ergo nec ipsum tempus. Consequentia patet: minor verò probatur: quia præteritum non est, futurum verò nondum est: ergo nunquam habent esse à parte rei, ac proinde neque erunt entia realia.

3 Nihilominus dicendum est tempus esse verum ens reale ita. Arist. cap. de quantitate dicens: *Tempus est veram speciem quantitatis*, ac proinde erit verum ens reale; & D. Thom. opuscu. 44. de tempore, cap. 1. ubi postquam retulit sententiam oppositam nostræ assertioni inquit: *Istud non potest habere veritatem: quia cum tempus sit numerus motus: & sit numerus numerans, sic est necesse esse tempus, sicut & motum constat autem quod motus est in re extra: ergo & tempus est in re extra.* Et hoc ipsum apertè colligitur ex his, quæ docet 1. p. quæst. 10. artic. 5. idem tenent B. Albert. magnus lib. 4. Physic. tract. 3. cap. 16. Heruæus in 2. dist. 2. quæst. 1. Albert. de Saxonia 4. Physic. quæstio. 16. Toler eadem quæstio. Rubio in præsentî. Masius in hoc libro cap. 12. sectione 1. quæst. 4. Suares, & alij plures tam ex Thomistis, quàm ex aliis.

4 Probatum primò ratione, quam innuit D. Thom. loco citato ex 1. patt. Tempus est duratio, & mensura motus, & aliarum rerum corruptibilem: ergo est ens reale. Patet consequentia: quia mensura, & duratio rei debet esse eiusdem ordinis, modo tamen infra dicendo; cum re durat. Vnde quia æternitas est duratio esse increati, & infiniti Dei: idè est increata, & infinita: & similiter quia æuum est duratio Angelis habentis totam suam esse simul: idè est duratio tota simul existens: sed motus, & substantiæ corruptibiles sunt ens reale: ergo & duratio eandem, scilicet tempus.

T 2

Consi



Confirmatur : quia motus primi mobilis, secluso intellectu est diuturnior quàm motus alicuius lapidis deorsum descendens : ergo secluso intellectu, habet maiorem durationem : ergo eius duratio, scilicet tempus, verè datur à parte rei.

5 Secundò probatur ratione desumpta ex D. Thoma opuscul. citato, & lect. 23. huius libri. Successiva existunt ratione instantis necentis partem præteritam cum futuro, ut infra quæst. 5. dicemus : sed in tempore, quod est ens successivum, verè datur instans necens partem præteritam cum futura : ergo realiter existit, ac proinde est verum ens reale. Consequentia patet : quia sola entia realia existunt realiter. Minor probatur : nam cum mobile moueatur motu continuo, oportet, ut partes eius præteritæ, & futuræ necantur propriis indivisibilibus, scilicet *mutatis esse* : sed cuilibet *mutato esse* correspondet ex parte temporis aliquod instans : sicut etiam partibus præteritis, & futuris motus correspondent ex parte temporis similes partes : ergo sicut verè datur indivisibile motus necens partem præteritam, & futuram illius : ita dabitur indivisibile temporis, scilicet instans, necens partem præteritam, & futuram eiusdem.

6 Ad primum ergo pro prima sententia respondetur, Aristotelem ibi mouere dubitationem, utrum non existente anima esset tempus, aut non. Vnde pro ratione dubitandi arguit ad ostendendum, quod non esset, & in illa continentur verba quæ in argumento adducuntur. Vnde nihil vrgent : postea autem idem Arist. soluit dubitationem, & dicit : *Quod aut oportet dicere, quod tempus non sit, si non est anima, aut oportet hoc dicere verius, quod tempus est, utcumque ens sine anima, &c.* Quæ autem sit hæc imperfectio temporis, propter quam appellat illud utcumque ens, explicat D. Thomas infra : quia nimirum non habet esse fixum in rebus : sicut entia permanentia, sed est ens successivum, ac proinde non est in actu, nisi secundum aliquod indivisibile sui.

Ex quo inferitur, tempus non nisi ratione animæ simul apprehendens omnes partes illius, habere totalitatem aliquam, ratione cuius sit totum simul. Cæterum hinc non sequitur, non habere realitatem utcumque, scilicet successivam : quia ad hanc satis est, quod existat per suum indivisibile. Vnde quoad omnia prædicta æquiparat tempus cum motu, quem tamen aduersarij admittunt esse ens reale, licet solum existat per suum indivisibile, & eius partes habeant utcumque esse simul ratione animæ, illas simul apprehendens.

7 Ad confirmationem respondetur, D. Thomam solum loqui de complemento extrinseco : nam sicut ens reale per se, & ab intrinseco est intelligibile in actu primo : attamen hoc, quod est esse intellectum in actu secundo, est complementum extrinsecum illius, proveniens ab actu animæ ita tempus ab intrinseco, & realiter habet esse mensuram in actu primo motus, sed actualis mensuratio est complementum illius extrinsecum proveniens, seu dependens ab actu animæ numerantis. Vnde dum D. Thomas ibidem dixit : mensurationem esse formale temporis, loquitur de mensuratione radicali, & in actu primo : quoniam hæc est, quæ completur per actum animæ numerantis.

Ad secundum respondetur, quod licet in quantitate continua non detur formaliter loquendo numerus, datur tamen ratio mensuræ in actu primo ; quam ideo explicamus per numerum, quia quantitas discreta nobis notior est, quàm continua : & ideo in quacunque re mensurata apprehendimus quantitatem discretam, & rem illam significamus per modum prædictæ quantitatis, quamvis reuera sit quantitas

continua, sicut quando dicimus : hic pannus habet decem vlnas ; atque ita ob hanc rationem mensuram quantumvis continuam appellamus nomine numeri. Sed de hoc iterum in quæstione quarta sermo redibit.

Ad tertium patet ex dictis pronostica assertione, & ex dicendis quæstione quinta : nam hoc ut tempus habeat realitatem utcumque, scilicet successivam, requiritur, & sufficit, ut solum existat per instans, ratione cuius pars præterita, & futura verè in illo existunt, ut loco citato amplius explicabitur.

## QVÆSTIO II.

*Vnde desumenda sit differentia essentialis inter æternitatem, tempus, & ævum.*

Cognitio temporis, quæ satis difficulter apprehenditur, non parum pendet ex notitia distinctionis illius ab æternitate, & ævo : & ideo ut essentia temporis notior fiat, excitamus hanc quæstionem.

8 Pro tituli ergo explicatione norandum est, aliqua in eo ut certa, vel ferè certa supponi, & aliquid in dubium vocari. Supponimus enim dari has tres durationes, ut communiter docent Philosophi in præsentia, & Theologi 1. part. quæst. 10. Per æternitatem mensuratur esse diuinum, & ad eam reducitur æternitas participata, per quam mensuratur visio beatifica, & alia huius generis, & rationis. Per ævum verò mensuratur esse Angelicum, & substantiarum incorruptibilium, nec non accidentia incorruptibilia earundem ; & ita comprehendit tam ævum spirituale, quàm corporeum. Et tandem tempus sub quo comprehenditur tam nostrum, quàm Angelicum, siue continuum, siue discretum, est mensura, verbi gratia motus Physici, & operationum Angeli corruptibilium, eo modo, quem infra innuemus.

9 Supponimus secundò, has tres durationes distinguere inter se essentialiter, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma loco citato. Et ratio est aperta : quia esse increatum Dei, & esse creatum rerum incorruptibilium, & corruptibilium, quæ sunt in fluxu, & successione, differunt inter se essentialiter : imò, & sunt diversi ordinis, ut ex se constat : sed æternitas est propria mensura Dei, & ævum rerum incorruptibilium, & habentium totum suum esse simul : sicut & tempus est propria mensura rerum corruptibilium, & fluentium : ergo etiam ipsæ durationes differunt inter se essentialiter. Patet consequentia, quia mensura debet esse proportionata rei mensurata. Vnde ob hanc rationem ævum, quo mensurantur substantiæ materiales, & incorruptibiles ut cæli & ævum Angelorum, differunt genere.

Vocamus autem in dubium vnde sumatur differentia essentialis inter prædictas durationes. Cæterum, quia æternitas participata reducitur, ut nuper dicebamus, ad æternitatem per essentiam : quippe rationem illius, licet, diminutè, & deficienter participat : ideo maioris claritatis gratia de sola æternitate per essentiam, ut collata cum aliis duabus durationibus, scilicet tempore, & ævo, loquemur.

\* \* \*

*Adducitur*

*Adducitur opinio Henrici, & aliorum.*

§. I.

**P**rima sententia asserit, prædictas durationes distingui essentialiter, ex hoc quod æternitas nullam admittit successionem: tempus verò includit illam, & insuper addit innouationem, & veterationem inesse tam sui, quam rei mensuræ: æuum verò licet admittat successionem prioris, & posterioris; non tamen innouationem, aut veterationem in esse; ad eum modum, quo lumen à sole diffusum per medium, continuò, & cum successione quadam ab illo dimanat, & tamen toto illo tempore, quo ab illo fluit, non adest ibidem aliqua innouatio, aut inueteratio luminis. Ita aliqui relati à D. Thoma loco citato, & Henricus quodlibet 5. quæst. 13. Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 1. vbi reputat illam probabilem.

Et quidem, quod æternitas essentialiter habeat excludere omnem successionem, non indiget probatione: quandoquidem satis constat oriri ex omnimoda immutabilitate Dei. Quod verò tempus essentialiter importet successionem prædictam, & innouationem, etiam liquet, & patebit amplius ex infra dicendis. Quod autem æuum excludat innouationem, & inueterationem in esse, satis est manifestum, alioquin Angelus, & eius duratio æterna essent ab intrinseco corruptibiles.

**11** Quare solum restat probandum, æuum esse essentialiter successuum. Probatur ergo primò prædictam successionem conuenire æuo: nam si nunc à Deo crearetur vnus Angelus, & conseruaretur, minorem haberet durationem cæteris iam creatis; & si aliquis ex iam creatis annihilaretur, minus durasset quam alij: ergo in duratione Angeli reperitur maius, & minus, & consequenter successio, & extensio partium. Pater consequentia: quia non potest intelligi, quod vna duratio sit maior altera absque eo, quod habeat partes quando altera illas non habeat: ac proinde in illis est successio partium. Antecedens verò etiam constat: quoniam duratio Angeli denudò creati, vel annihilati, non coëxisteret tantæ durationi temporis primi mobilis, quantæ cæteri coëxisterent: ergo talis duratio esset minor: quandoquidem illa est minor duratio, quæ minus coëxistit alteri durationi.

Confirmatur primò. Non est idem porsus, quod Angelus duret in instanti suæ creationis, & quod duret in hoc instanti præsentis; sed differunt saltem sicut distinctæ partes eiusdem durationis: ergo neque erit etiam omnino eadem duratio, per quam Angelus durauit in illo instanti, & illa per quam durat in hoc: sed distinguuntur sicut distinctæ partes vnus durationis. Antecedens probatur: nam si Deus prædictum Angelum modò annihilaret, esset nunc verum durasse in primo instanti, non verò in hoc: ac proinde duratio, qua durauit in primo instanti, non est idem indiuisibiliter cum ea, per quam duraret in hoc, si in illo non annihilaretur. Consequentia verò etiam constat: quia duratio comparatur ad durare, sicut causa formalis ad suum effectum formalem primarium: ergo repugnat esse distinctas partes in exercitio durandi, quin etiam inueniantur in ipsa duratione.

Confirmatur secundò: nam vel illud durare est satis, ad hoc vt Angelus duret, etiam in hoc instanti, vel non. Illud prius nequit dici: quia, vt supponimus, prædictus Angelus non durat in hoc instanti. Si verò secundum asseratur: ergo iam deest illi aliquid

*Colleg. Compl. Physica.*

necessarium ad hoc, vt in hoc instanti duret, quod quidem non potest esse aliud, quam alia pars eiusdem durationis.

**12** Secundò, & principaliter: quia aliàs æuum Angeli esset infinitum in actu: sed hoc apertam inuoluit contradictionem, vt constat ex his, quæ latè libro tertio disputat. 18. per totam illam diximus: ergo, &c. Sequela pater: quoniam Angelus per suum æuum potest coëxistere infinito tempori vero, vel imaginario: ergo si non habet partes, sed simul, & indiuisibiliter ex parte sua potest habere prædictam coëxistentiam, erit infinitum in actu: sicut si Angelus posset simili modo coëxistere infinito spatio vero, vel imaginario, esset actu infinitus in ratione immensitatis.

Confirmatur: quia aliàs in æuo continerentur præsens, præteritum, & futurum, eo modo, quo continentur in æternitate: sed hoc est impossibile: ergo etiam impossibile erit, quod æuum non includat successionem prioris, & posterioris. Sequela videtur omnino manifesta: quia simul, & indiuisibiliter ex parte sua contineret præsens, præteritum, & futurum, quod est proprium æternitatis. Falsitas verò consequentis, præterquam quod ex se satis constat, nihilominus sic denudò ostenditur: tum quia alioqui æuum esset duratio infinita: in actu: sicut & æternitas ideo est infinita in actu, quia actu continet omnes differentias temporum: tum etiam quia aliàs æuum esset indestructibile, etiam per diuinam potentiam: siquidem impossibile est, vt id, quod fuit, non fuerit, vel id, quod est, non sit; atque adeo si æuum simul includit esse, fuisse, & futurum esse, repugnat, quod si semel supponatur esse, non fuerit, & futurum sit, quod, vt constat, satis falsitatis præ se fert: nam sicut fuit Deo liberum creare illud: ita, & destruere ipsum, quoties sibi placuerit.

**13** Tertiò, inter creationem, conseruationem & annihilationem Angeli datur distinctio, & ordo præsentis, præteriti, & futuri: ergo etiam in ipso esse, & duratione eiusdem Angeli. Antecedens patet: quia si modò Angelus conseruetur, non potest non conseruatio esse præsens, vt ex se constat: & similiter creatio iam erit præterita, siquidem non conseruatur, nisi id, quod iam creatum est. Et tandem si crastina die annihilaretur, non posset non annihilatio esse modò futura, & non præsens: alioqui Angelus simul esset, & non esset. Consequentia verò etiam constat, quia idem est ordo, & distinctio inter terminos actionum, & ipsas actiones.

Confirmatur: terminus à quo creationis est non esse: quia est productio ex nihilo: sed terminus à quo conseruationis est esse: ergo est inter illas ordo successionis præteriti & præsentis. Minor patet: quia terminus ad quem conseruationis est permanentia in esse: ergo est transitus ab esse ad permanendum in esse. Consequentia verò probatur: quoniam transitus à non esse, ad esse, solum potest esse in primo instanti, & consequenter quando reliquo tempore conseruatur Angelus, iam non est creatio.

*Reiicitur sententia Henrici.*

§. II.

**14** **S**ed hæc sententia duo continet falsa. Primum est, æuum habere successionem intrinsecam prioris, & posterioris. Secundum verò, quod licet includat prædictam successionem, nihilominus nullam habet inueterationem, aut innouationem in esse. Et quidem falsitas primi sic ostenditur ratione, quam innuit D. Thom. 1. p. q. & art. citato: nam esse

esse Angeli, verbi gratia, est totum simul carens omni successione: ergo etiam eius duratio, scilicet ævum. Antecedens communiter recipitur à Theologis, & colligitur ex D. Thom. loco proxime citato. Consequentia verò patet: tum quia duratio debet esse proportionata cum esse rei durantis. Maxime, quia est modus intrinsecus eius: tum etiam quoniam prius, & posterius in tempore, quod est duratio intrinseca motus, proveniunt ex priori, & posteriori eiusdem motus, vt docet Aristoteles in hoc lib. cap. 2. tex. 99. & lib. 6. cap. 4. tex. 37. Ergo pari ratione successio durationis rei æternæ deberet provenire ex successione, quæ sit in esse talis rei; ac proinde si illud esse caret omni successione, hoc ipsum habebit illius duratio.

Nec refert, si respondeas, cum Scoto, quod licet esse Angeli non sit formaliter successuum, bene tamen virtualiter, & idèd potest esse radix durationis formaliter successivæ: sicut substantia materialis, quamvis ex se non sit formaliter diuisibilis; sed solum virtualiter nihilominus potest esse radix quantitatis, quæ est formaliter diuisibilis.

15 Nam contra hoc est, quod omnia accidentia Angelica tribuunt esse indiuisibile, & totum simul: quandoquidem sunt spiritualia: ergo idem dicendum erit de duratione, & per consequens non erit formaliter; sed ad summum virtualiter successiva. Prima consequentia patet ex paritate rationis. Secunda verò etiam constat: quoniam repugnat durationem esse formaliter successivam, & extensam, & quoddam suo subiecto connaturali in quo est, non tribuat esse formaliter successivum, & extensum, vt in exemplo adducto substantiæ materialis, & quantitatis constat.

Confirmatur: nam de re indiuisibili quandiu talis manet, impossibile est, quod certificemur ex propriis per aliquid diuisibile: ergo etiam impossibile erit mensurari per illud ac proinde si semel esse Angeli est formaliter inextensibile, etiam eius duratio erit formaliter inextensa. Hæc secunda consequentia ex se patet: quia duratio est mensura rei durantis. Prima verò etiam liquet: nam mensuratio est certificatio mensurati,

Antecedens verò probatur: quia per quantitatem diuisibilem nunquam sciretur, quanta esset, verbi gratia, caro indiuisibilis, si semel non redditur diuisibilis per prædictam quantitatem. Vnde de facto per quantitatem specierum Eucharistiæ non mensuratur corpus Christi: quia non est sub ea diuisibiliter: ergo etiam per quantitatem durationis extensæ nunquam mensurabitur esse inextensum, & indiuisibile, quandiu tale manet; & consequenter cum esse Angeli sit inextensibile etiam eius duratio erit inextensa, & carens partibus.

16 Ex quibus non difficulter, sed satis apertè colligitur, falsum esse id, quod primo loco addit hæc sententia; scilicet ævum non includere innouationem, & inueterationem: bene tamen successionem. Nam contra hoc optimè arguit D. Thom. 1. p. qu. 10. citata, eius rationem ad hanc ferè formam reducit Caietanus: prius, & posterius, secundum durationem, non possunt esse simul: ergo recedente priori de nouo aduenit posterius: ergo si in ævo est prius, & posterius, erit innouatio, & veteratio.

Confirmatur, quia si semel æuiterum non est innouabile, nec inueterabile, erit intransmutabile: ergo mensura eius caret priori, & posteriori. Antecedens patet: nam (vt docet Arist. 4. Physic.) transmutabilitas est propria radix veterationis: ergo intransmutabilitas erit radix inueterationis: quandoquidem si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis. Consequentia verò constat: quia teste

eodem Aristotele loco citato, transmutabilitas rei mensurata est causa prioris, & posterioris suæ mensuræ, & ita intransmutabilitas erit causa negationis prioris, & posterioris in illa, iuxta ea, quæ modò dicebamus.

*Sententia Diui Thoma magis aridet.*

### S. III.

17 **H**is ergo rejectis, dicendum est, has tres durationes differre essentialiter penes hoc, quòd æternitas est duratio rei omnino immutabilis, tam secundum esse, quàm secundum accidentia. Ævum autem est duratio rei immutabilis secundum substantiam, mutabilis verò secundum accidentia: sed tempus est duratio rei mutabilis, tam secundum substantiam, quàm secundum accidentia. Ita Diu. Thom. 1. part. quæst. 10. artic. 5. Caietan. ibidem, Zumel, & Thomistæ, Oña, & alij plures.

Probatur ratione desumpta ex D. Thoma loco citato: æternitas essentialiter habet esse duratio rei omnino immutabilis, tam secundum esse, quàm secundum accidentia, qualis est Deus, & idèd immutabilitas diuina est ratio à priori æternitatis: ergo tempus, quod maximè elongatur ab æternitate, essentialiter erit duratio rei mutabilis, tam secundum esse, quàm secundum accidentia: sed ævum est medium inter tempus, & æternitatem: ergo differt essentialiter ab utroque, per hoc, quòd sit duratio rei immutabilis secundum esse, & mutabilis secundum accidentia. Minor satis constat: quia ævum non est duratio ita perfecta sicut æternitas; nec ita infima sicut tempus: & idèd est medium quoddam inter utramque: sicut etiam esse rei æternæ est medium inter esse diuinum, & esse rei temporalis, & corruptibilis.

18 Confirmatur, & explicatur ex eodem Angelico Doctore loco citato: nam iuxta hos gradus mutabilitatis, vel immutabilitatis subduntur, & coaptantur res durantes diuersis durationibus: ergo ipsæ durationes sumunt suam essentialem rationem penes hoc, quòd sint durationes earumdem rerum, quatenus habent eundem gradum mutabilitatis, vel immutabilitatis. Antecedens patet: nam idèd esse diuinum subditur, vt sic dicamus, æternitati vt propriæ durationi illius: quia est omnino immutabile. Vnde si alicui mutationi subdi posset, non esset æternum. Consequentia verò probatur: quia cum duratio sit quantitas, vel habeat modum quantitatis, sumit rationem suam ex habitudine ad subiectum, vt est radix, & susceptivum illius, vt in quantitate prædicamentali videre licet.

19 Secundò suadetur assertio, & simul confirmatur, & elucidatur ratio præcedens ex eodem Angelico Doctore loco citato: nam vna ex potissimis proprietatibus harum durationum est, quòd æternitas caret principio, & fine; tempus verò habet utrumque; ævum autem caret fine, & habet principium: sed hæc proprietates oriuntur tanquam ex prima radice ex differentia à nobis assignata inter prædictas durationes: ergo talis differentia est prima, & essentialis. Consequentia ex se constat. Maior communiter recipitur à Doctoribus.

Minor verò, quoad primam partem, scilicet æternitatem, etiam liquet: quia idèd æternitas non potest habere principium, & finem, quia est duratio rei prorsus immutabilis. Quoad secundam verò, scilicet tempus, etiam patet: nam radix vnde procedit, tempus habere principium, & finem, est rem temporalem

temporalem secundum suam intrinsicam entitatem esse mutabilem : quia hoc genus mutabilitatis postulat rem illam habere esse post non esse, & tandem desinere esse. Quoad tertiam verò, nimirum quoad ævum sic ostenditur : quoniam mutabilitas quoad accidentia, quam admittit Angelus, postulat, quod sua duratio habeat principium, ne si connaturaliter duraret ab æterno, debeat necessario persistere in tota æternitate immotus quoad operationem, vel quoad cessationem ab ea, quod est supra naturam rei mutabilis : sicut immutabilitas, quoad esse eiusdem Angeli petit durationem suam non habere finem, ut ex se, & ex D Thom. 1. part. quæst. 9. art. 2. & quæst. 50. artic. 5. constat.

### *Soluntur argumenta prima sententiæ*

#### **§. IV.**

20 **A**D primum pro prima sententiâ respondetur negando antecedens : nam cum ævum sit duratio indivisibilis, & tota simul, non erit minor quoad intrinsicam duratio illa Angeli denuo creati, quàm duratio aliorum Angelorum : sicut quia æternitas est duratio indivisibilis, & tota simul, non est maior hodie quàm heri, nec fuit minor heri, quàm hodie ; cum hoc tamen stât, quod duratio Angeli denuo creati sit nostro modo intelligendi virtualiter minor, quatenus coexistit minori durationi temporis primi mobilis.

Ad probationem dicendum est, non idèò Angelum denuo creatum, vel annihilatum non coexistere toti durationi temporis primi mobilis : quia eius duratio, scilicet ævum non sit sufficiens in genere causæ formalis ad hoc, ut quantum est ex se tribuat illi prædictam coexistentiam ; sed quia ob generalem rationem creaturæ, & causæ formalis indiget influxu primi efficientis manutinentis illud. Vnde si talis influxus connaturaliter illi debitus perseveret, non est necesse addi illi aliquid aliud, à quo tanquam à causa formali, & intrinsicâ habeat prædictam vim ad coexistendum toti durationi primi mobilis, eo modo quem in solutione ad secundum dicemus. Quare, ut aliqua duratio sit intrinsicè minor alia, requiritur, ut quantum est ex se, & in genere causæ formalis non sit sufficiens ad coexistendum tantæ durationi, quantum, & alia.

21 Ad primam confirmationem respondetur negando antecedens, loquendo de ævo Angeli, quoad intrinsicam, quæ importat. Et ad probationem patet ex dictis : si enim Deus prædictum Angelum modo annihilaret, non idèò non esset verum dicere, quod talis Angelus sit, & duret : quia illa duratio indiguerit addi ei aliquid, à quo tanquam à causa formali haberet posse coexistere instanti præsentis ; sed quia defuit influxus primi efficientis manutinentis id ipsum, quod antea in ea præerat. Quare hoc influxu præcisè posito, & continuato poterat præexistens duratio esse ratio formalis coexistendi instanti præsentis.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis : quæ omnia possunt explicari exemplo formæ celestis, quæ quantum est ex se, & in genere causæ formalis tribuit cælo esse indefectibile : quia tamen est causa creata : idèò indiget, & connaturaliter petit influxum primi efficientis manutinentis illam, & suum effectum ; non verò addentis aliquid aliud, per quod tanquam per causam formalem tribuat prædictum esse : & ita quamdiù adest hic influxus, seipsa formaliter reddit cælum indefectibile : sic et-

go in præsentis, proportionem servata, philosophandum est.

22 Ad secundam neganda est sequela : ad probationem dicendum est, Angelum per suum ævum non coexistere actu, & simul infinito tempori vero, vel imaginario ; sed solum in potentia : quia sicut esse Angeli non continet virtualiter esse substantiarum inferiorum : ita neque eius duratio continet actu, & virtualiter omnes differentias temporis. Unde præsens, præteritum, & futurum solum continentur actu virtualiter, & simul ab æternitate : quia sicut solum esse divinum continet actu, & virtualiter omne esse creatum : ita sola æternitas virtualiter se extendit ad hoc, ut actu ambiat, & sit simul præsens omnibus differentiis temporis.

Cæterum ex hoc, quod ævum coexistat non in actu, sed in potentia infinito tempori, non sequitur esse actu infinitum : sicut ex hoc quod unum corpus sit in potentia ad hoc, ut repleat plura, & plura loca successivè, non infertur esse immensum : & similiter ex hoc, quod saxum in medio fluminis existens possit esse præsens aquis defluentibus, non quidem simul ; sed quando ipsæ propè illud fluxerint, non colligitur habere tantam extensionem, quantum & omnes partes illius fluminis.

23 Ad confirmationem respondetur negando sequelam : Et ad probationem patet ex differentia modò assignata inter æternitatem, & ævum. Quare de ævo Gabrielis, verbi gratia, non verificatur fuisse, aut futurum esse : quia aliquid suæ durationis intrinsicæ præterierit, & aliquid restet illi addendum ; sicut in tempore contingit : aut quia præteritum, & futurum sunt virtualiter, & actu in illo, sicut in æternitate ; sed per denominationem extrinsecam desumptam à tempore, cui coexistit, aut coexistitur est. Vnde licet ævum Gabrielis sit totum simul, potest denominari futurum, vel non futurum, quia sicut naturaliter loquendo coexistit tempori futuro ; ac proinde denominatur ab illo : ita quia est ens per participationem, non includens actu, & simul omne tempus, potest saltem supernaturaliter destrui, & non recipere prædictam denominationem.

24 Ad tertium respondetur negando antecedens : quia licet inter creationem, & conservationem Angeli ex una parte, & annihilationem ex alia sit ordo successionis ; non tamen inter creationem, & conservationem secundum se, & formaliter sumptam : quia annihilatio necessario involuit non esse rei post esse eiusdem : at verò creatio, & conservatio sunt una & eadem actio continuata.

Et ad probationem in contrarium dicendum est, creationem dupliciter posse sumi, vel secundum ea, quæ modò illam materialiter comitantur, scilicet secundum quod involuit novitatem essendi in effectu vel secundum ea, quæ indispensabiliter, & essentialiter importat : nimirum secundum quod est productio totius entis ex nihilo ; id est : ex nullo præsupposito subiecto : etsi ergo dateretur, quod inter creationem, & conservationem esset ordo successionis, quatenus creatio præcisè connotat prædictam novitatem in effectu : quia novitas hæc tantum potest esse in primo instanti : non tamen idem esset dicendum de creatione, & conservatione secundum ea, quæ essentialiter importat.

Vnde si Angelus crearetur ab æterno ; licet nostro modo intelligendi esset aliqua prioritas à quo inter creationem, & conservationem : non tamen prioritas in quo : ac proinde nec realis ordo successionis : quia tunc ab æterno crearetur, & simul conservaretur ; & illa actio, prout est productio ex nullo præ-

supposito subiecto, esset creatio, & prout est iterata, & continuata productio ex nullo præsupposito subiecto esset conseruatio : atque ita non distinguerentur ex terminis à quo & ad quem formaliter consideratis: sed sicut eadē actio secundum se sumpta, & ut cōtinuata.

25 Ad confirmationem patet ex modò dictis: nam iuxta ea debet, intelligi, creationem præsupponi necessariò ad conseruationem, & hanc habere pro termino ad quem permanentiam in esse; non quidem quia terminus eius à quo, sit esse, sed quia per eam fit, ut Angelus non desinat esse, & consequenter conuenit per illam produci ex nihilo: nam ut iam innuimus cum dicitur, creationem esse productionem ex nihilo non est sensus, quòd res creata debet necessariò in aliqua mensura reali esse priùs subnihilitate, quàm sub esse; sed quod debeat produci ex nullo præsupposito subiecto, quod quidem ei conueniret, etiam si ab æterno esset.

### Q V Æ S T I O III.

*Utrum tempus distinguatur realiter à motu, & in uniuersum quæuis duratio creata à re durante.*

Non minùs pendet cognitio temporis ex cognitione distinctionis, & diuersitatis illius à motu, quàm ex notitia distinctionis eiusdem à reliquis durationibus, & idèd semel hac explicata, oportebat statim de distinctione illius agere, ubi etiam ob connexionem doctrinæ de generali distinctione durationis à re durante ex professo agemus: quia illud prius sine hoc posteriori nequit exactè explicari. Non loquimur autem de motu, aut aliis rebus utcumque, sed quatenus habent suam essentiam, ut existentem: quia res non durant, nisi ut existunt.

*Refertur prior sententia.*

#### §. I.

26 **P**Artem negantem quoad tempus præcisè, & motum, tuentur Durandus in 2. dist. 2. quæst. 3. & alij ex Iunioribus, & generaliter quoad omnem durationem defendunt eandem Scotus in 1. dist. 2. qu. 2. & quodlib. 6. Basol. qu. 1. eiusdem distinctionis Gabri. ibidem, Gregor. & Ochamus qu. 10. Pereyra lib. 2. cap. 1. Masius in præsentī cap. 12. sect. 4. Suarez tom. 2. Metaph. disp. 60. sect. 9. num. 1. & plures alij, & præcisè quoad durationem rerum permanentium hoc ipsum tuentur plures alij.

Probatur primò: duratio nihil est aliud, quàm persistētia, seu continuatio rei in suo esse: sed persistētia in esse non distinguitur ab esse eiusdem rei: ergo nec duratio: Maior videtur certa: nam hoc ipso, quòd intelligamus rem habere suum esse persistens, seu continuatum, intelligimus eam durare: sicut & hoc ipso, quòd finiatur hæc continuatio, finitur etiam illius duratio. Minor verò etiam constat: quia creatio, & conseruatio sunt vna & eadē actio, ut docet Diuus Thomas 1 part. q. 104. art. 1. ad 4. & de Potentia q. 5. art. 1. ad 2. ergo terminus creationis, & conseruationis est vnus, & idem realiter; & consequenter cum creatio terminetur ad esse, & conseruatio ad persistētiā rei in esse, fit inde, ut esse, & persistētia illius non distinguantur realiter.

Confirmatur: ut ipsummet esse permaneat, non est necesse saltem in rebus permanentibus, ut ei addatur:

ergo ut res successiuè, verbi gratia motus, continuentur in suo esse, satis erit, addi nouam partem eiusdem motus absque aliquo alio. Antecedens patet; quia aliàs illa non esset pura permanentia eiusdem esse: sed (ut sic dicamus) augmentatio quædam. Consequentia verò probatur: quoniam hoc ipso, quòd addatur noua pars motus absque aliquo alio, iam ille motus continuatur in suo esse: sicut hoc ipso, quòd non succedat alia pars, statim finitur.

27 Secundò, potest Deus producere, & conseruare substantiam, verbi gratia, absque omni accidente, vel aliquo alio distincto à seipsa ut subsistenti, & existenti: at tunc res illa durabit: ergo duratio non distinguitur realiter à re ut existenti. Consequentia videtur euidens. Maior verò etiam constat: nam substantia non pendet essentialiter ab aliquo accidente; sed quidquid illi aduenit postquam est iam in actu completo per suam existentiam, est accidens: ergo potest produci, & conseruari à Deo sine illo. Minor autem patet ex dictis: quia hoc ipso, quòd res produciatur, & conseruatur inesse, durat in illo.

Tertiò, probatur specialiter quoad motum, & tempus: quia numerus numeratus non differt realiter à rebus numeratis: nam est ipsamet res merita, & numerata, ut decem vlnæ panni numerati non differunt realiter à panno: & ternarius hominum numeratorum non differt realiter ab ipsis hominibus numeratis: sed tempus est numerus numeratus partium motus: (ut Aristot. in hoc libro docet) ergo tempus non differt realiter à motu.

*Statuitur ex Diuo Thoma distinctio temporis à motu.*

#### §. II.

28 **N**ihilominùs dicendum est tempus distinguì actu, & ante operationem intellectus à motu. Ita Ricard. in 2. dist. 2. art. 1. q. 2. conclus. 3. Henricus quodlibet 3. q. 15. labell. q. 18. huius lib. Conimbric. cap. 14. q. 14. art. 1. & 2. Soncinas 12. Metaph. q. 58. & plures alij.

Probatur primò autoritate Aristot. cap. 11. huius libri, ubi non solum docet, sed ex professo probat, motum, & tempus inter se distinguì, quod de distinctione secluso intellectu (ut ex seipso contextu constat) intelligendum est. Vndè ibi reprehendit eos, qui dicebant, tempus esse circulationem cæli: & tandem concludit, tempus consequi ad motum, & aliquid illius esse, quamvis motus non sit; sed affectio illius. & idem asserit 9. Metaph. textu 29. dicens: *Tempus secundum alios motum esse; re tamen vera non nisi passionem eius.* Quare cum inter id, quod re ipsa est vera passio, & illud cuius est passio, debeat intercedere realis distinctio, dicendum est, hanc eandem inter motum & tempus intercedere.

Et confirmatur, tum ex D. Aug. 12. Confess. cap. 23. & 24. tum etiam ex D. Thom. 1. par. q. 10. art. 2. ubi ait: *Quod in Deo duratio propria eius non distinguatur ab illo; secus verò in creaturis.* Vbi ut constat, non loquitur de distinctione rationis; sed de distinctione reali, quia etiam in Deo eius æternitas distinguitur ratione ab illius essentia, & esse.

29 Secundò probatur ratione desumpta ex eodem Arist. 4. Physic. cap. 11. & Diuo Thoma ibidem, quæ ad hanc formam potest reduci. Contingere potest ut duo motus sint inæquales in quantitate, & multitudine partium, & nihilominùs durationes, & moræ sint realiter æquales aut è contra: ergo motus non est idem realiter cum tempore, aliqui realiter



loquendo eandem æqualitatem, aut inæqualitatem fortirentur. Antecedens quoad primam partem probatur: nam si mobile aliquod moueatur per spatium leucæ, & in eo motu consumat dimidiam horam, & alterum duplo velocius in eodem tempore moueatur per spatium duarum leucarum, tunc durationes illorum motuum erunt æquales, ut ex suppositione facta constat, & tamen motus ipsi erunt æquales in quantitate, & multitudine partium: siquidem magnitudo motus, & multitudine partium eius successuarum ex magnitudine spatij inferitur, & ita cum spatia sunt adeo inæqualia, non possunt non motus prædicti esse, realiter inæquales.

Quoad secundam verò partem, scilicet posse motus esse æquales in multitudine, & quantitate partium, & tamen durationes esse inæquales, etiam constat idem antecedens: nam si è contra utrumque mobile moueatur per spatium vnus leucæ; illi motus erunt æquales: siquidem spatium est omnino æquale; & tamen si vnum mobile ex his duobus duplo velocius moueatur, erunt durationes talium motuum inæquales: quia mobile velocius duplo minori tempore percurrit illud spatium.

30 Respondebis cum Suarez, in casu dato coexistentiam durationum illarum ad aliquod extrinsecum tempus non fore æqualem: nam in velociori motu duratio illius intrinseca minus coexistit tempori extrinseco primi mobilis, & in motu minus veloci hæc coexistentia est maior, & diuturnior. Ex quo tamen non licet inferre durationes intrinsecas motuum illorum realiter distingui ab eis, aut realiter inæquales esse; sed eandem omnino durationem esse magis, aut minus quoad tempus extrinsecum dilatatum. Quemadmodum si Angelus post duos annos fuisset annihilatus, non haberet durationem entitativam maiorem, quam nunc post tot annos habet, sed solum minorem coexistentiam ad tempus extrinsecum primi mobilis.

Sicut etiam quantitas permanens, ut condensata habet æquales partes, ac ipsa ut rata nihilominus ut rata correspondet maiori spatio.

Sed contra: quia inde colligimus duas durationes indivisibiles; ut duo zua Angelica habere æquales realitates: quia possunt quantum est ex se coexistere æquali tempori: ergo è contratio de duabus durationibus motus tardi, & velocis per æquale partium factis, rectè colligemus; non habere æquales realitates; nec æquales partes: quia non possunt quantum est de se coexistere æquali tempori. Per quod satis patet ad primum exemplum, quod prædicta solutio pro se adducit.

31 Confirmatur primò: nam hoc ipso, quod in his motibus reperiatur maior, aut minor coexistentia actualis ad motum primi mobilis, debet etiam ex parte illorum admitti aliqua ratio, unde ista inæqualitas proveniat: sed ista non est existentia motus nudè sumpta; quæ in utroque motu per spatium vnus leucæ peracto, æqualis est; ergo debet assignari alia ratio præter existentiam: at non potest esse alia præter maiorem, aut minorem durationem; seu motum intrinsecam: ergo durationes intrinsecæ motuum illorum sunt inæquales.

Confirmatur secundò: cum partes quantitatis rarefiunt, & replent maius spatium, tunc illa inæqualitas præfentialitatum ad locum debet reuocari, non in quantitate: sed in aliam formam à quantitate diversam: quia eadem quantitas potest magis, aut minus quoad locum extendi: ergo similiter si eadem partes motus ut existentes plus & minus quoad tempus extrinsecum dilatentur; oportet, ut huiusmodi dilatatio eis conveniat per aliam formam;

seu per maiorem durationem, quæ reipsa sit ab ipsis distincta.

32 Neque exemplum illud de condensatione quantitatis aliquid obest: quia condensatio solum potest convenire quantitati permanenti; non verò successivæ, quæ quidem ex propria ratione petit, quod vna eius pars sit post aliam; ac proinde, cum duratio motus illius velocis non minus sit successiva, quam duratio motus tardi per æquale spatium, sit inde, ut nequeat habere partes condensatas; & ex consequenti prædictum exemplum non est ad rem.

Ex quo etiam aperte corrumpit alia solutio, quam tradit idem Suarez; ubi supra num. 6. ex nostra ratione solum sequi, dandam esse in motu præter eius essentiam, & existentiam, aliam formam modalem, quæ sit tarditas; vel velocitas illius. Cæterum hæc non est duratio; sed durationis modus.

33 Nam contra eam est, quod posito hoc modo velocitatis; vel tarditatis adhuc ratio Aristotelis, & ea, quæ pro ipso adduximus, manent in sua vi: quod quidem sic explicatur: nam datis illis duobus motibus, quorum vnus fiat per spatium vnus leucæ, & alter per duas leucas, & sit duplo velocior, ac proinde consumat idem tempus, ac motus tardus, tunc partes motus quantumvis tardi, non possunt correspondere, & esse æquales partibus motus velocis, aut è contra, ut explicatum est: at semel posita velocitate, & tarditate illorum, possunt partes durationis eorundem mutuo sibi correspondere, & esse æquales: ergo signum est non esse idem realiter in vnoquoque motu partes motus, & durationis ipsius. Patet consequentia: quia si essent idem realiter, tunc sicut posita velocitate in vno; & tarditate in altero, habent omnimodam correspondentiam; & æqualitatem in partibus durationis; ita & in partibus motus.

Confirmatur: si darentur duæ quantitates permanentes, quarum vnâ quantumvis rarefieret, non posset correspondere tanto loco, quanto, & alia; tunc excessus iste non esset reuocandus in solam rarefactionem; sed in plures partes quantitatis, quibus vna aliam excederet; sed partes motus tardi, & facti per spatium vnus leucæ non possunt quantumvis, ut sic dicamus, veluti rarefiant, & dilatentur ratione tarditatis, & moræ, correspondere partibus motus velocioris, & facti per duas leucas, cum tamen partes durationis, & moræ utriusque mutuo sibi corresponsdeant: ergo signum est, hæc oriri ex inæqualitate partium motus, & durationis ipsius, & non ex sola alia forma, quæ non sit duratio. Sed hæc amplius elucidabuntur ex dicendis conclusione sequenti.

*Stabilitur ex mente Dni Thomæ distinctio cuiuscumque durationis creatæ à re durante.*

### §. III.

34 Dicendum est secundò: Non solum duratio motus distinguitur ab illo secluso intellectu, sed etiam quævis alia duratio creata distinguitur à re, quæ durat, eodem modo: Assertio hæc est valde consona doctrinæ Aristotelis locis citatis, & eam docet D. Thomas ubi supra; & Doctores in præcedenti assertione relati.

Et probatur in primis, ex ibidem dictis: nam duratio motus distinguitur secluso intellectu ab illo: ergo etiam quævis alia duratio creata quantumvis permanens, distinguitur eodem modo à re, quæ durat. Patet consequentia: tum ex paritate rationis: tum etiam, quia omnes durationes creatæ debent in hoc convenire, quod est distingui, vel non distingui realiter à re durante.

35 Se

35 Secundò probatur assertio: prius est rem existere, quàm durare: ergo duratio habet se, ut accidens respectu rei, etiam ut existentis: ergo distinguitur secluso intellectu ab illo. Antecedens patet: quia existentia est magis intrinseca rei quàm duratio. Prima verò consequentia etiam constat: quoniam quidquid aduenit enti in actu perfecto, aduenit illi accidentaliter, & est verum accidens illius (ut ex Aristot. & Div. Tho. supra lib. 1. disput. 3. num. 50. vidimus.) Ex quo etiam secunda consequentia liquet: nam idem non potest realiter accidere sibi ipsi: ergo si duratio aduenit accidentaliter substantiæ, ut existenti, consequens est ut distinguatur secluso intellectu ab illa. Maxime quia ut supra locis citatis ostendimus contra Suarez & alios, distinctio rationis ratiocinatæ inter duo non est satis ad saluandum, quòd vnum eorum reuera sit accidens; secus verò aliud.

36 Confirmatur ratio, quam ex parte etiam innuit D. Thomas quæst. citata ex 1. part. 2. Nam in Deo duratio eius intrinseca, scilicet æternitas solum distinguitur virtualiter eminenter ab essentia, & esse diuino, & est affectio attributalis ipsius: ergo in creaturis durationes illarum distinguuntur actu ab illis, etiam ut existentibus; ac proinde secluso intellectu adueniant accidentaliter illis sic consideratis, eruntque vera accidentia respectu illarum. Hæc secunda consequentia patet ex dictis probatione præcedenti. Prima verò etiam constat, quia distinctio virtualis, quæ est in Deo inter eius esse, & attributa, sumitur ex distinctione reali, quæ est in creaturis inter similes rationes: quoniam ex eo in Deo distinguuntur virtualiter: quia æquivalent rebus, quæ in nobis ex natura rei distinguuntur actu. Antecedens autem non indiget probatione: quia æternitas est attributum Dei, ortum ex immutabilitate diuina.

*Diluantur argumenta initio proposita.*

#### §. IV.

37 **A**D primum pro prima sententia respondetur: quòd sicut in duabus albedinibus inter se similibus distinguimus similitudinem fundamentalem à similitudine formali, ex quibus prior conuenit albedini per se & ratione sui; posterior verò ratione alicuius accidentaliter superadditi, scilicet ratione relationis: ita duplex permanentia, seu continuatio in esse debet necessario in rebus distinguui, alia fundamentalis, alia verò formalis; prior conuenit rei ratione suæ essentia, ut existentis; posterior verò ratione alicuius superadditi: quia est permanentia accidentaliter, & proxima ratio mensuræ: ac proinde accidens superadditum ipsis, ut in secunda assertionem ostendimus, & consequenter præsupponit aliquid, quod sit radix illius, & fudet ipsa.

Vnde ad formam argumenti respondetur distinguendo maiorem: & si intelligatur de permanentia, seu continuatione in eodem esse, formali, seu accidentali concedenda est; secus si intelligatur de continuatione in esse fundamentaliter. Et eodem modo distinguenda est minor. Et ad probationem dicendum est: creationem, & conseruationem non terminari per se primò ad permanentiam, seu conseruationem in esse, formalem, & accidentalem; sed ad esse, & continuationem eius radicalem, & fundamentalem: quia ut supra quæst. 2. huius disputationis in solutione ad 3. explicuimus, non solum per creationem; sed etiam per conseruationem producit esse ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subiecto, per quod talis res coaptatur durationi accidentali, & fundat illam: imò in rebus habentibus totum suum esse simul; atque ad eò, & totam suam durationem intrin-

secam in instanti suæ productionis, ut contingit in Angelis, satis est quòd intelligantur esse, & terminare suam creationem, ad hoc ut intelligantur sufficienter coaptari suæ durationi formali; & accidentali, quoad omnia intrinseca, quæ importat, licet talis duratio, quæ reuera est in eo instanti, non intelligatur coexistere tempori extrinseco, usque dum res illa intelligatur conseruari.

38 Ad confirmationem respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicendum est: quòd ut res permanens, verbi gratia, Angelus, duret duratione formali, & accidentali, non est necesse; ei aliquid addi præter ipsam permanentiam accidentalem. Cæterum quia effectus huius durationis est, quòd eademmet res duret formaliter in esse: idèd quamuis augeatur (ut sic dicamus) tales esse, seu habeat aliquid superadditum: nihilominus eademmet res, quæ antea intelligebatur esse, intelligitur durare in eo.

Ad secundum transeat maior; sed distinguenda est minor: & si intelligatur de duratione fundamentaliter, concedenda est, secus si intelligatur de duratione formali, & accidentali. Quare sicut dato quòd Deus à duabus albedinibus separaret similitudinem formalem, tunc manerent similes, non quidem formaliter sed fundamentaliter: ita dato quòd produceret, aut conseruaret Deus esse substantiale Angeli absque eius duratione formali, tunc duraret fundamentaliter; non verò formaliter, & accidentaliter: quia (ut supra dicebamus) duratio accidentalis non dicitur præcisè esse non interruptum; alioquin tenerentur aduersarij admittere in Deo plures æternitates, & ex consequenti plures æternos, quandoquidem admittuntur ab eis plures rationes formales habentes esse non interruptum quod sanè est contra symbolam Athanasij, ut constat. Vnde in opinione Thomistarum humanitas Christi habet esse diuinum, non interruptum, & non durat formaliter per illud; sed per propriam durationem creatam.

36 Ad tertium respondetur tempus dici esse numerum motus: quia est mensura illius eo modo, quem quæstione sequenti explicabimus. Vnde sicut quantitas est mensura saltem passiva substantiæ, in qua est, & nihilominus distinguitur realiter ab illa: ita hoc ipsum de tempore respectu motus dici potest. Adde posse etiam non improbabiler responderi, quòd tempus ideo dicitur numerus motus secundum prius & posterius: quia causatur ex priori, & posteriori motus: ac proinde prædicta propositio reddit sensum causalem.

#### QVÆSTIO IV.

*Utrum tempus rectè definiatur per hoc, quòd sit numerus secundum prius, & posterius.*

**P**ostquam explicuimus plura ad essentiam temporis pertinentia, & ad intelligentiam definitionis eiusdem ab Aristotele tradita necessaria: restat nunc examinare, an prædicta definitio sit legitima.

40 Partem negantem tumentur plures ex veteribus Philosophis Strato, Lampfazenus Theophrasti auditor, (ut inquit Simplicius in sua digressionem,) Galenus, & alij. Probatur primò: quia tempus est quantitas continua, numerus verò est quantitas discreta: ergo tempus malè definitur per numerum, sicut quantitas discreta malè definiretur per continuum, quæ differt genere ab ipsa.

Confirmatur: numerus formaliter loquendo solum constat ex vnitatibus indiuisibilibus: sed tempus constat ex partibus diuisibilibus, scilicet præterito & futuro, non verò ex solis instantibus: ergo non est numerus

Secundò

Secundò, si tempus esset numerus motus, esset etiam mensura illius: nam numerus mensura est rei numerata: at non potest esse mensura illius: ergo neque numerus. Minor patet: quia mensura debet esse notior re mensurata: sed motus est notissimus, & ad sensum patens, tempus verò est valde ignotum, ut testatur D. Aug. 1. confess. c. 14. ergo, &c.

41 Tertiò, tempus non solum est numerus, & mensura motus; sed etiam substantiæ corruptibilis, ut ex D. Thom. infra dicemus: ergo potius deberet definiri per hoc, quod sit numerus, seu mensura substantiæ, quam per hoc, quod sit numerus motus. Patet consequentia: quia, si semel tempus est numerus mensurans substantiam, fiet inde, ut potissime ad illam dicet habitudinem.

Confirmatur: tempus non solum est numerus motus: sed etiam quietis saltem priuatiuæ: ergo debuit definiri per hoc, quod sit numerus motus, & quietis. Consequentia patet. Antecedens autem probatur: nam quies priuatiua tantum potest esse in tempore: quia dicit carentiam motus cum aptitudine ad illum: motus autem non potest exerceri, nisi in tempore: ergo, & cætera.

Ultimò, prius, & posterius tempore determinantur, & per illud definiuntur: ergo non debet tempus per illa definiri. Patet consequentia: quia alioqui committeretur vitiosus circulus.

42 Pro huius quæstionis decisione notandum est, quod iuxta mentem Aristotelis, & Diui Thomæ, nec non discipulorum eius, hæc definitio temporis solum conuenit tempori, intrinsecè mensuranti circulationem primi mobilis. Vnde idem Philosophus in præfati, postquam in textu 101. tradidit hanc temporis definitionem, statim in textu 232. sic inquit: *Unabit autem aliquis, & qualis motus tempus numerus sit.* Et tandem in textu 133. dubitationi respondet his verbis: *Si igitur quod primum mensura omnium proximorum, circulatioque regularis mensura maximè: quia numerus huiusmodi notissima est, alteratio quidem, & augmentatio non sunt regulares, loci autem mutatio est. Vnde & videtur tempus, esse sphaera motus: quia hoc mensurantur alij motus.* Et hoc ipsum fatetur ibidem D. Thom. lect. 25.

Cæterum cum hoc stat Aristotelem tali ingenio, arte prædictam definitionem confecisse, ut possit optimè cæteris aliis temporibus aliorum motuum accommodari, & pro eorum naturis explicandis deferre: quia licet non habeant ita strictè rationem mensuræ, sicut tempus causatum ex motu primi mobilis, verè tamen sunt mensuræ intrinsecæ propriorum motuum.

43 His ergo suppositis, dicendum est primò, definitionem hanc esse legitimam. Ita Aristoteles, & Diuus Thomas in præfati cap. 11. & opusc. 44. Simplicius, Themistius, Albertus Magnus, & Commentator ibidem, Iandunus in præfati quæst. 19. Iauellus quæst. 21. Ferrara quæst. 5. Soto quæst. 4. Toler. q. 13. Peteyrus lib. 12. cap. 2. Murcia, Rubio, Masius, & plures alij. Probatur: definitum huius definitionis est tempus primæ circulationis primi mobilis: sed hoc optimè explicatur per illam: ergo etiam ipsa erit optima. Maior patet ex dictis. Minor verò etiam constat: quoniam ut quæst. 6 dicemus, proprium est huius temporis, ita mensurare intrinsecè motum prædictum, ut habeat propriissime omnes conditiones requisitas ad rationem mensuræ omnium motuum secundum prius, & posterius eorundem: sed hoc ipsum explicatur per hanc definitionem; quia illa particula *numerus motus* idem significat, quod mensura motus, ut supra explicauimus: ergo, &c.

44 Dicendum est secundò. Hæc definitio potest

accommodari; & deferre ad explicandas naturas temporis intrinseci aliorum motuum. Probatur ex dictis: nam si illa particula *numerus* non sumatur pro mensura extrinseca omnium motuum; & per se habente omnes conditiones, quæ non solum ad essentialem; sed ad strictissimam rationem mensuræ deferantur, potest optimè per hanc definitionem explicari natura cæterorum temporum; ergo, &c. Antecedens patet: quia loquendo de his, quæ essentialiter requiruntur ad rationem mensuræ intrinsecæ, quoduis tempus est mensura, saltem intrinseca partis præteritæ, & futuræ sui motus: siquidem est vera quantitatis species, ut in Logica diximus, & ita debet esse mensura proprii subiecti, quo scilicet motus: sed hoc potest optimè explicari per hanc definitionem: ergo per illam potest optimè natura cæterorum temporum declarari.

Confirmatur: ex eo quod æternitas est mensura propria diuini esse omnino immutabilis; ideo optimè explicatur per hoc, quod sit mensura eiusdem esse. Et similiter: quia æuum est mensura rei immutabilis secundum esse; sed mutabilis secundum accidentia: ideo rectè explicatur per hoc, quod sit mensura prædicti esse: ergo cum quoduis tempus Physicum sit mensura motus; ita ut nihil mensuretur per ipsum tanquam per propriam mensuram, nisi sit motus, vel sit transmutabile secundum suum esse, ac proinde sit secundum illud motui subditum: consequens est; ut prædictum tempus rectè definiatur per hoc, quod sit numerus, seu mensura motus, &c.

45. Ad primum, & eius confirmationem respondetur: quod idem est tempus esse numerum motus ac esse mensuram eius; ut supra dictum est: cur autem ratio mensuræ explicetur per numerum in quantitate continua, iam supra à nobis quæstione 1. huius disput. expositum fuit.

Ad secundum respondetur, quod sicut colores, & differentie eorundem sunt satis nobis cognitæ in actu exercito: quandoquidem à sensu euidenter, & intuitiue percipiuntur; & nihilominus cum hoc stat esse difficile assignare in actu signato propriam differentiam cuiuslibet, ita tempus in actu exercito facile cognoscitur; quia in actu exercito percipimus præteritionem, & fluxum illius, & rerum, quæ tempore durant, attamen difficile est in actu signato explicare tum eius existentiam, tum etiam eius fluxum. Cæterum ad hoc ut tempus sit sufficienter notum ad metiendum motum, satis est, quod priori modo sit nobis manifestum. Et congruit hæc solutio cum testimonio ex Augustino relato: nam ibidem inquit. *Quid est tempus? Si nemo ex me querat, scio; si querenti explicare velim, nescio.*

46. Ad tertium respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: & ad probationem; ideo esse rerum corruptibilium mensurari tempore: quia ut docet Aristor. cap. 14. huius lib. semper sunt in fluxu, & tendentia ad interitum; vel saltem sunt transmutabiles secundum esse: quoniam ut bene notauit D. Thom. 1. part. quæst. 10. a. 5. nihil mensuratur per tempus: ac proinde neque subest illi ut propriæ durationi intrinsecæ, nisi vel sit motus, vel id, quod est secundum suum esse subiectum motui. Vnde non mirum, quod per fluxum; & motum potius, quam per quidpiam aliud definiatur tempus.

Ad confirmationem respondetur: tempus per prius esse mensuram motus, secundariò autem, & per accidens mensurare quietem priuatiuam. Vnde nullo modo afficit ipsam, nec illi inest; bene tamen motui; & ideo satis fuit poni in definitione temporis, quod sit numerus motus.

Ad vltimum respondetur ex D. Thom. in præfati lect.

lectione 17. quod *primum*, & *posterius* ponuntur in definitione temporis secundum quod cantantur in motu ex magnitudine, & non secundum quod mensurantur ex tempore, & idem supra Aristot. ostendit quod *primum*, & *posterius* prius sunt in magnitudine quam in motu, & in motu quam in tempore, ut hæc obiectio excludatur.

### QVÆSTIO V.

*Verum tempus non solum existat ratione instantis; sed etiam ultra hanc existentiam habeat aliam ratione partium.*

**L**icet in titulo quæstionis solum inquiratur de existentia temporis: attamen, quæ de illo dicta fuerint, debent etiam de existentia motus intelligi: quia omnia successiva habent eundem existendi modum: sicut etiam cuncta permanentia eodem proportionali modo existunt.

*Adducitur sententia affirmativa.*

#### §. I.

47 **P**artem affirmantem tueretur Durand. in 2. distinct. 2. quæst. 4. num. 14. Suarez disp. 50. suæ Metaphys. sect. 9. num. 22. Conimbric. Murcia, Plaça, Rubio in præfati vna cum aliis ex Iunioribus. Probatur primò, in tempore verè datur pars præterita, & futura: ergo etiam dabitur pars, quæ ratione sui sit præsens. Patet consequentia: quia nihil præteritum, nisi quod fuit præsens, nec futurum, nisi quod erit præsens: ergo si nulla datur pars temporis, quæ sit ratione sui præsens, nulla etiam dabitur pars præterita, aut futura: ergo hec tempus, quod ab intrinseco petit has partes.

Confirmatur, & explicatur: nam licet verum sit quoddam successiva existant inadæquatè per instans, est tamen difficillimum, quoddam hæc sit adæquata eorum, existentia: quoniam partes temporis per se, & adæquatè sunt futuræ, & præteritæ: ergo eodem erunt præsentis. Probatur consequentia ex his, quæ modo dicebamus: nam futurum non transit in præteritum, nisi fiat præsens, quod per se, & adæquatè futurum est, non fiet adæquatè, & per se præteritum, nisi fiat eodem modo præsens: cum præteritum, & futurum talia dicantur per comparisonem ad præsens.

48 Secundò, nam si pars temporis tantum est præsens per instans: ergo sicut ob telem indivisibilem præsentiam, absolute dicitur, non dari partem temporis præsentem: ita ob idem dici debet, non dari partem præteritam, aut futuram: quia præteritio præsentialem sequitur, & consequenter verum etiam erit, tempus non habere præteritum, & futurum: quid ergo habebit?

Confirmatur primò: quia pars præterita iam non est; sed fuit, & futura nondum est; sed erit: ergo non habent sufficientem actualitatem, ut existant per instans continuativum utriusque: ergo si per se, & ratione sui non sunt præsentis, fiet inde, ut nunquam existant.

Confirmatur secundò: partes præteritæ, & futuræ non possunt existere eadem proxiè existentia: ergo falsum erit, quod, ad hoc ut futurum fiat præsens, & transeat in præteritum, satis est, quod existat existentiam alicuius indivisibilis ab eis distincti, quod vniat partes has. Consequentia est evidens: nam cum instans illud indivisibile sit unum, &

idem, si per illud solummodo partes existant, eadem sanè esset tam partium præteritarum, quam futurarum existentia. Antecedens verò sic iuadetur: quoniam antequam essent partes futuræ, præterierunt partes præteritæ: ac proinde perierit partium præteritarum existentia: nam partes non poterant perire, nisi earundem existentia periret: at antequam futuræ partes essent: nondum illarum partium existentia perierat: quoniam destructio existentie rei nequit esse, antequam res extiterit: ergo existentia partium præteritarum, & futurarum sunt diuersæ, & consequenter non existunt per aliquod indivisibile, in quo vniantur.

49 Tertio, si partes temporis non existunt per se: sed per instans, existent utique per illud, quod immediate utramque partem, præteritam scilicet, & futuram necit, easque quasi tangit: quia nullum aliud est ita accommodatum ad præstandum his partibus, vel saltem futuræ existentiam: sicut illud, quod eas quasi tangit: ergo tale nunc non necit partem præteritam cum futura, sed solum partes præsentis: & ita falsum erit tempus constare ex partibus præteritis, & futuris. Patet prima consequentia: quoniam pars illa, quæ dicitur futura, reuera esset existens, & præsens, siquidem haberet totam illam existentiam, cuius est capax, scilicet existentiam instantis.

Nec satis erit, si dixeris, partem illam esse futuram in se, præsentem autem in instanti. Nam contra hoc est, quod vel pars futura potest habere aliam continuativam existentiam, præter eam, quam ratione instantis habet, vel non: si primum dicatur, habemus intentum: si verò secundum: ergo absolute, & omnibus modis verum erit: partem illam esse præsentem, & nullo modo futuram: quod enim per se continuativam existentiam existit, hoc minime futurum, sed omnibus modis præsens dicendum est.

50 Ex quo etiam aliud inconueniens, quatuorque fundamentum huius sententie sequitur: quia aliqui esset simul in tempore præsens, præteritum, & futurum, vel saltem præsens, & futurum, quod terminis ipsis implicat. Probatur consequentia: nam si partes temporis solum sunt præsentis per nunc continuativum earum, consequens est, ut cum instans, quod modò est præsens, existat realiter, quoddam existant simul in eo tam præteritum, & præsens, quam futurum, vel ad minus futurum, & præsens: quandoquidem tale instans est earundem partium existentia: quapropter difficillimum videtur, posse saluam futuritionem partium temporis, nisi aliqua pars temporis sit præsens.

Ultimò, quia vel post hoc instans immediate sequetur aliud instans præsens, vel aliquod tempus, seu pars temporis præsens. Si hoc secundum dicatur; habemus intentum, quod scilicet id, de quo immediate post hoc instans verificabitur esse præsens, non sit instans; sed aliqua pars temporis. Si verò primum eligatur: ergo iam tempus solum componitur ex instantibus, & instantia erunt omnino immediata.

*Sententia Angelici Doctoris magis placet.*

#### §. II.

51 **N**ihilominus dicendum est; tempus solum existere per sua indivisibilia, scilicet per instantias. Ita Aristoteles, & D. Thomas locis statim citandis, Themistius, Philopponus, Simplicius, Auerroës, Beatus Albertus Magnus, quos refert Martinus quæstione vltima huius libri, Soro quæstione 4. Tol-

tus quæst. 11. & est communis inter Thomistas : imò Suarez loco citato fatetur, hanc esse communem Doctorum sententiam.

Probatur primò ex Aristot. in hoc libro capite 10. ubi postquam text. 89. sibi opposuisset, tempus non existere per suas partes : quia hæ sunt præteritum, & futurum : nec per instantia : quia ista non sunt partes illius, & nihil existit nisi ratione suarum partium, & ita tempus nunquam existere. Postea in text. 105. soluit hoc argumentum, (vt optimè notauit Soto in præsentia quæst. 4. in solutione ad quartum) dicens : *Quod si semel instans existit, tempus habebit existentiam, & è contra, si tempus existit, etiam existet instans, cuius nulla alia ratio esse potest, nisi quia existentia temporis, est existentia instantis, & ita hoc existente, existet etiam tempus ratione illius.* Vnde D. Thom. exponens Aristotelem sic ait, *Assignat rationem eorum, quæ dicuntur de nunc, & primo eius, quod dicitur, quod nihil est temporis, nisi nunc.*

52. Confirmatur primò ex D. Augustin. 11. confess. cap. 5. ubi sic ait : *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas, vel minutissimas momentorum partes diuidi posses, id solum est, quod præsens dicitur, quod tamen ita raptim à futuro in præteritum transulat, ut nulla morula extendatur : nam si extenditur, diuiditur in præteritum, & futurum, præsens autem nullum habet spatium.*

Confirmatur secundò ex D. Thom. in præsentia lect. 23. his verbis : *Secundum motus, ac proinde tempus, non habet esse fixum in rebus, nec aliquid actum inuenitur in rebus de motu, nisi quoddam indiuisibile motus, quod est motus diuisio ; & 1. part. quæst. 46. art. 3. ait : Nihil fit, nisi secundum quod est, nihil autem est temporis, nisi nunc. Vnde non potest fieri, nisi secundum aliquod nunc : non quia in ipso primo nunc, sit tempus, sed quia ab eo incipit tempus, &c. & quæst. 66. art. 4. ad 5. asserit. Tempus autem, quod non est permanens, concretum est in suo principio : sicut etiam modo nihil est accipere in actu de tempore, nisi nunc. Quod etiam, perspicuis verbis docet opusc. 44. de tempore.*

53. Deinde probatur ratione primò : tempus est numerus motus secundum prius, & posterius, vt ex Arist. & D. Thom. vidimus : ergo partes illius tantum sunt præteritum, & futurum : ergo non datur aliqua pars, quæ sit præsens per se, & ratione sui : sed solum ratione instantis. Hæc vltima consequentia quoad primam eius partem patet : quia si daretur pars temporis, quæ per se, & ratione sui esset præsens, fieret inde, vt partes temporis non solum essent pars præterita, & futura ; sed etiam pars præsens. Quoad secundam verò partem etiam liquet, quia non remanet aliud præter instans, per quod possit existere : Prima verò consequentia etiam constat : quia aliàs tempus non solum esset numerus motus secundum prius & posterius, id est, secundum partem præteritam, & futuram, sed secundum præsentem, præteritam, & futuram ; & consequenter definitio mutila esset.

Confirmatur, quia si motus, & consequenter tempus haberent partem præsentem ratione sui ; tunc tempus potius esset numerus, & mensura motus secundum hanc partem, quam secundum alias : quia hæc esset potissima illius pars : ergo non debebat mentio illius in definitione temporis prætermitti.

54. Secundò probatur ratione desumpta ex eodem D. Th. opusc. 44. quam sub his verbis proponit *Quia qualibet pars cuiuslibet successiui est diuisibilis in diuersas partes : si ergo aliquod successiuum existeret non solum secundum aliquod indiuisibile sui ; sed secundum aliquam sui partem, sequitur, quod multa partes* Colleg. Compl. Phycic.

*alicuius successiui simul essent, quod est contra rationem successiuorum.*

Nec refert, si dicas, partem illam esse diuisibilem in plures partes præsentis præsentia fluenti, & ita non habere esse permanens. Nam contra hoc est, quod hæc solutio tantum nititur verbis, & illis luditur : nam vel per hoc, quod partes illæ sint præsentis fluenter, significatur, quod simul existant ; vel quod vna extiterit, & alia extitura sit. Si primum, ergo luditur verbis : quandoquidem reuera dantur plures partes simul existentes, atque ita præsentis simultaneæ, & ex consequenti permanenter. Si verò secundum dicatur : ergo iam non datur pars temporis, quæ ratione sui habeat propriam præsentialitatem, sed partes temporis tantum erunt præteritum, & futurum ; & ita solum erunt præsentis ratione instantis.

Confirmatur : instans minus durat, quam duraret illa pars : & nihilominus, quia habet suum esse simul, ideo existit simultaneè & suo modo permanenter : ergo potiori ratione idem erit dicendum de illa parte præsentis.

55. Vltimò peculiariter suadetur assertio contra eos qui non solum admittunt partem temporis per se, & ratione sui præsentem ; sed etiam addunt, hanc esse partem quandam aliquotam, licet breuissimam : & imperceptibilem ; etenim si semel ponitur pars præsens, & diuisibilis in plures, & plures medietates simul præsentis : consequens esset ; vt dimidium illius partis amplius duraret, quam sua duratio ; & similiter, quod instans plus duraret, quam per instans ; sed hæc duo implicant ; vt ex se constat : ergo, &c. Sequela quoad primam partem patet : nam dimidium illius medietatis tamdiu duraret, quamdiu tota illa pars, cuius est dimidium : alioqui prædicta pars non esset secundum ; omnes suas partes simul præsens, & tamen non habet nisi dimidium durationis eiusdem partis : ergo iam duraret amplius, quam esset sua duratio. Et idem argumentum potest fieri de aliis, & aliis medietatibus vsque in infinitum. Ex quo etiam sequela quoad secundam partem constat : quia quodlibet instans continuatiuum illius partis in infinitum diuisibilis, tamdiu durat, quamdiu ipsa pars ; aliàs duraret sine suis continuatiuis, vel sine aliquo ex illis, atque adeo quodlibet ex illis instantibus amplius duraret, quam per instans.

*Diluuntur Rationes prima sententia.*

### §. III.

56. **A**D primum ergo pro prima sententia respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam : nam hoc est proprium entis successiui quale est tempus & motus, quod eius partes tantum sint præteritum, & futurum, vt explicatum est. Et ita quamdiu retinent rationem partis immediate præteritæ, vel immediate futuræ, debent habere existentiam : alioqui tempus ipsum non esset aliquid reale : quoniam eius partes quatenus tales sunt, nunquam existerent. Vnde prædictæ partes nequeunt existere nisi tantum per instans ; quia tunc præcisè datur vna pars in rerum natura immediate præterita, & alia immediate futura ; quando datur instans vniciens, & veluti tangens vtramque.

Diximus immediate præterita & immediate futura : quia hæc solæ sunt, quæ actu existunt per instans : nam quæ mediatè, & remotè sunt præteritæ, vel futuræ, non sunt actu per aliquid sui quod faciat illas realiter existentes ; sed iam extiterunt : vel extitura sunt per propria



pria instantia: & ita sunt præterita, & futura eo proportionali modo, quo entia permanentia dicuntur præterita, vel futura: quæ quidem, dum talia sunt, non existunt actu per aliquid sui.

57 Et ad probationem in contrarium constat ex modo dictis. Non enim consideranda est hæc immediata præteritio, & præsentia partis temporis ad modum præteritionis rei permanentis: nam hæc habet propriam præsentialem distinctam ab immediata præteritione, & futuritione: & ideo non potest transire in præteritam, nisi ultra hoc, quod est esse immediate futuram, habeat aliam propriam præsentialem, & existentiam. Quod tamen propter oppositam omnem non potest contingere in rebus successivis. Et ita ad hoc, ut pars temporis transeat in præteritam, satis est, quod immediate antea fuerit immediate futura: quia præteritio sequitur ad præsentialem, pars illa temporis existit quatenus immediate futura, qui modus existendi est proprius prædictæ partis.

Vnde sicut daretur pars temporis, quæ ratione sui esset præsens per præsentiam distinctam ab eius immediata fructione, tunc post prædictam partem, statim sequeretur præteritio illius: ita quia pars illa temporis existit quamdiu est immediate futura: ideo post hanc eius præsentiam ratione instantis antecedentis ipsam, subsequitur præteritio illius; sed hæc amplius disput. 26. q. 1. elucidabuntur.

58 Ad confirmationem negandum est antecedens: & ad eius probationem dicendum est: quod sicut res permanens dicitur secundum se totam futura: quia postea habitura est existentiam proportionatam, & distinctam ab eius futuritione immediata: ita partes temporis eatenus dicuntur esse secundum se totas futuræ futuritione mediata, quæ suo modo correspondet futuritioni rerum permanentium, quatenus postea quælibet pars habitura est immediatam futuritionem ratione instantis præsentis, quod ipsam veluti tangit: quia hæc, est propria illius præsentialem, & existentia.

Ex quo etiam patet ad id, quod ultimo loco in hac eadem impugnatione dicitur: nam id, quod est præsens, & existens, quatenus est immediate futurum, vel immediate præteritum, & non aliter, nequit existere, nisi ratione instantis, ut explicatum est: ac proinde solum dicitur existere per se: quia existit suo modo, ut quod, quatenus existentia instantis, quæ modo dicto est propria eiusdem partis, afficit, & tangit illam successivo modo, & consequenter reddit illam immediate futuram.

59 Ad secundum concedendum est antecedens, & neganda consequentia. Et ratio disparitatis est: quoniam pars immediate præterita, & immediate futura implicat, quod existant, nisi per instans, quod subsequitur ad unam, & præcedit aliam: & ita satis est, dari prædictum instans præsens: adhuc ut detur existens utraque pars: Cæterum, adhuc ut detur pars præsens, & existens ratione sui, quæ sit distincta à parte præterita, & futura, requiritur, ut habeat propriam existentiam distinctam ab existentia instantis, quod implicat, ut ex dictis constat: & ideo nequit dari pars ratione sui præsens.

Ad primam confirmationem respondetur: quod licet pars immediate præterita, & immediate futura non habeant sufficientem actualitatem, ad hoc ut sint permanenti modo; habent tamen illam ad hoc ut sint successivo modo, & existant per instans: quia ad hoc satis est, ut una immediate præcedat, & alia immediate subsequatur: nam eo ipso instans successivo modo quasi tangit, & unit illa. Quare tantum abest, quod requiratur maior aliqua actualitas in

eis, quod si aliam haberent, amitterent suam essentiam.

60 Ad secundam confirmationem respondetur concedendo antecedens, si loquamur de parte immediate præterita, & immediate futura: & negando consequentiam. Et ad probationem dicendum est, quod in eodem instanti continuationis motus, ratione cuius existit pars immediate futura, debet etiam existere alia immediate præterita: nam in hoc distinguuntur successiva à permanentibus, quod hæc hoc ipso quod intelligantur esse præterita, non existunt realiter: at verò pars rei successivæ, quando intelligitur immediate præterita, tunc realiter existit ratione alicuius indivisibilis nectentis illam cum futura: alioquin (ut supra dicebamus) partes temporis, scilicet præteritum, & futurum nunquam realiter existerent. Diximus, quod in continuatione motus, quando existit una pars immediate præterita, debet existere alia immediate futura: quia si loquamur de eadem parte, quæ prius habet esse futuram, & postea esse præteritam, dicendum est, non existere ratione eiusdem instantis, sed ut immediate futuram existere ratione instantis antecedentis, & ut post immediatam futuritionem habet esse præteritam, existere per instans immediate subsequens.

61 Ad tertium neganda est consequentia: quia pars illa existit in ratione futuræ. Per quod etiam patet ad impugnationem ibi factam. Ad quartum verò dicendum est, partem immediate futuram, & immediate præteritam, existere simul, non ratione sui; sed de ratione prædicti instantis: nam licet eadem pars ut immediate præterita, & immediate futura, non possit existere per idem indivisibile: bene tamen partes diversæ. Cæterum quia instans afficit illas ut una earum est præterita, & alia est futura; ideo hæc simultas non est contra rationem rei successivæ, sed potius hoc exigit natura ipsius.

Ad ultimum patet ex dictis, quomodo post instans non sequatur aliud instans, sed pars præterita: quia per illud instans existit illa pars in ratione futuræ, qui modus existendi est proprius rei successivæ; & ideo statim debet subsequi eademmet, ut præterita, & post ipsam subsequitur aliud instans, per quod existat in ratione præteritæ.

## Q V Æ S T I O VI.

*Verum sit tantum unum numero tempus.*

Postquam egimus de quidditate, & existentia temporis, merito in præsentia quæstione de eius multiplicitate sermonem instituimus.

*Proponitur prior opinio.*

### §. I.

62 Prima sententia asserit, tantum esse unicum numero tempus, & hoc esse in primo motu, & primo mobili, indeque sumere suam unitatem. Ita D. Bonavent. in 2. dist. 2. art. 1. q. 2. Richard. art. 1. q. 2. Durand. q. 5. Baso. q. 2. B. Albertus paraphrasi in caput ultimum huius libri. Averroës commento 132. Capricolus, & Ferrara q. 7. lauel. q. 12. & alij.

Probatur primò ex D. Thom. 1. part. qu. 10. art. 6. ubi sic loquitur. *Est ergo ratio unitatis temporis unitas primi*

*primi motus: ad alios autem motus comparatur solum mensura ad mensuratum. Vnde de secundum eorum multitudinem non multiplicatur, quia una mensura separata multa mensurari possunt.* Et confirmatur: quia D. Th. ibidem tantum concedit vnicum ædum mensurans res incorruptibiles, & hoc inquit esse in primo æuiterno: ergo similiter tantum erit vnicum tempus, quod sit in primo motu, & mobili. Patet consequentia: nam si cætera æuiterna non habent proprium, & peculiare æuum; sed tantum extrinsecè mensurantur per æuum primi æuiterni, consequens est ut res temporales non habeant proprium, & peculiare tempus; sed tantum mensurentur tempore extrinsecè primi mobilis.

Secundò, quia si quilibet motus haberet suum proprium, & intrinsecum tempus, sequeretur, quod plura accidentia solo numero distincta essent simul in vno, & eodem mobili; sed hoc est impossibile: siquidem accidentia indiuiduantur à subiecto: ergo, &c. Sequela probatur: nam potest contingere, ut idem mobile simul moueatur motu locali augmentationis, & alterationis: & ita simul habebit tria tempora sola numero distincta: quandoquidem tempora horum motuum non habent, unde specie distigantur.

63 Secunda sententia asserit, in quouis motu esse suam intrinsecam durationem, seu tempus, & consequenter multiplicari ad multiplicationem motuum: ita tamen quod duratio intrinseca motus rei inferioris sit ex natura sua subordinata, & mensurabilis per durationem causatam ex motu primi mobilis. Sic tenent Simplicitas in cap. 14. Caiet. 1. par. q. 10. art. 6. Rubio, & Plaza in præfenti, & quamplurimi ex Iunipilibus, tam ex Thomistis, quàm ex aliis.

Et quidem quoad secundam partem videtur sententia hæc manifesta: siquidem res inferior mensuratur per superiorem iuxta illud Aristotelis, & D. Thom. 1. p. q. citata: *Primum in unoquoque genere est mensura cæterorum.* Quoad primam verò partem probatur primò. Non solum motus primi mobilis habet prius, & posterius, sed etiam cæteri alij motus: ergo non solum motus primi mobilis; sed etiam alij habent intrinsecum tempus. Antecedens patet. Consequentia verò probatur: quia partes temporis causantur ex partibus prioribus, & posterioribus motus: non enim ob aliud habet motus durationem successiuam, & diuisibilem; nisi quia habet partes priores, & posteriores: ergo si in cæteris motibus inveniuntur hæ partes, etiam in illis inuenietur intrinsecum tempus.

Secundò, quia si destructio primo mobili maneat res sublunares cum suis motibus, tunc reuera durarent, & nihilominus non durarent per tempus extrinsecum primi mobilis, ut ex se constat: ergo per proprium extrinsecum tempus, & ex consequenti tempus multiplicabitur ad multiplicationem motuum.

64 Tertia sententia conuenit cum præcedenti in hoc, quod quouis res habet suam intrinsecam durationem, addit tamen, hanc non esse ex natura sua subordinatam, & mensurabilem per aliam: & ita nec tempus intrinsecum horum inferiorum petere ab intrinsecò mensurari per tempus primi mobilis, nec æuum, aut tempus Angeli inferioris per æuum, aut tempus superioris. Ita videtur sentire Suarez disput. 50. Metaph. sect. 6. & Vasquez prima, part. disput. 34. capit. secundo, numero octauo, Et quidem quoad primam partem non eget probatione, suppositis his, quæ pro secunda sententia adduximus.

*Colleg. Compl. Physic.*

Quoad secundam verò probatur: quia vnum æuum. verbi gratia, non est notius alio, siue respectu intellectus diuini, ut ex se constat; siue respectu intellectus Angeli: quia quouis Angelus æqualiter cognoscit omnia æua; aut tandem respectu intellectus humani, qui solum cognoscit illa per analogiam ad nostrum tempus: ergo nullum eorum est ex se aliorum mensura: ergo idem etiam dicendum erit de vno tempore collato ad aliud. Secunda consequentia patet ex paritate rationis. Prima verò etiam constat: quoniam mensura debet esse notior re mensurata, ut ita per illam deueniatur in cognitionem eius.

65 Confirmatur primò: quia vnum æuum, aut tempus eatenus per se loquendo poterat mensurari per aliud; quatenus coexistit illi: at hæc coexistentia non est habitudo mensurabilis ad mensuram: quia nec est disquiparentiæ, nec importat dependentiam, vnius durationis ab alia: ergo, &c.

Confirmatur secundo: quia saltem tempus Angelicum, quod causatur ex operatione primi Angeli, nequit esse; ex se mensura operationum cæterorum spirituum: ergo non est de ratione mensuræ inferioris subordinari, & esse ex se mensurabilem per superiorem. Antecedens probatur: nam operatio illa cum sit libera, potest magis, aut minus: imò & aliquando non permanere; ac proinde non habebit vniformitatem requisitam ad hoc, ut ex se sit mensura aliarum operationum.

## Deciditur quæstio.

### §. II.

66 **P**RO decisione huius quæstionis notandum est ex D. Thom. in 2. dist. 12. quæst. 1. art. 5. ad 3. & 1. p. quæst. 66. art. 4. ad 3. Tempus dupliciter posse sumi. Primò secundum essentialia ipsius, secundum quam rationem importat durationem causatam ex priori, & posteriori motu. Secundò in ratione mensuræ omnium motuum; non qualitercunque; sed accommodatè ad hoc, ut secundum communem usum facile, & sine erroris periculo certificemur de successione, & duratione quorumcunque motuum. Secundum quam rationem inuoluit tres illas condiciones ab Aristotele 10. Metaph. & in hoc lib. cap. 14. petitas. Prima, quod sit aliquo modo indiuisibilis: quia per id, quod est simplicius, & minimum sui generis mensuramus iuxta communem usum cætera alia. Secunda, quod sit vniformis, & inuariabilis, ut ita absque erroris periculo possimus per illam in cognitionem rei mensuræ deuenire. Tertia, quod sit notior aliis sui generis: quia per id, quod est notius, optimè deuenimus in noticiam rei ignotæ.

Cæterum, quia iuxta frequentiorum usum, & communem loquendi modum sumimus tempus secundum rationem mensuræ iam explicatam: idem tempus illud, cui prædictæ condiciones conueniunt; dicitur in communi modo loquendi, & quasi per antonomasiam tempus. Vnde D. Thomas loco ex secundo sententiarum citato dixit: *Numquam cuiuscumque successionis dici large tempus;* non quidem ob aliam rationem, nisi quia desunt illi condiciones illæ requisitæ ad strictam rationem mensuræ iam explicatam. Et loco citato ex 1. part. sic concludit: *Motum autem non est intelligere sine tempore, cum nihil sit aliud tempus, quàm*

V a quæstio

*numerus prioris, posterioris in motu*: quia ibi loquide tempore secundum essentialia ipsi ut ex se, & ex contextu constar.

67 Hoc ergo supposito, dicendum est primò: Si tempus sumatur secundum rationem essentiali-tem, & specificè, multiplicatur tamen materiali-ter, & numericè, ad multiplicationem motuum, & subiectorum, in quibus est. Hæc est mens Aristotelis, & D. Thomæ, & ita tenent eam Caiet. loco citato Masius, Rubio in præsentia, & alij plures ex Thomistis. Probatum primò ex Aristotele in hoc lib. text. 132. ubi inquit: *tempus esse numerum cuiuscunque motus*. Et cap. 10. cum in-quisisset an tempus sit ubique? respondet: *ubi-quo esse: quia ubique est aliquis motus*: ergo cum constet, motum cæli non esse ubique, sit inde, ut non solus ipse, seu duratio eius sit tem-pus; sed etiam durationes aliorum motuum. Et tandem capite 13. & 14. dicit. *Quod sicut septena-rius dividitur in septenarios: sic tempus in plura tempora*.

Et confirmatur: tum ex D. Thoma locis citatis ex 2. sent. & quæst. 66. 1. p. nec non quæst. 10. art. 6. in quo loco hoc ipsum aperte innuit, ut in solu-tione ad 1. pto prima sententia expendamus: tum etiam ex D. August. 1. confess. cap. 32. ubi sic inquit. *Audisti à quodam homine docto, quod solis, ac lune, ac syderum motu sint tempora, & anni, cur enim non po-tius omnium corporum motus sint tempora? an vero si cessassent cæli lumina, & moueretur rota signi, non esset tempus?*

Confirmatur tandem fundamentis pro secunda sententia adductis, quæ absque dubio assertionem hanc conuincunt: & idèd non oportet alias rationes ad eius probationem producere.

68. Dicendum est secundò, si tempus sumatur se-cundum rationem mensuræ iam explicatam, tunc tantum erit vnicum numero tempus, scilicet illud; quod est intrinsecè in motu primi mobilis, & est mensura extrinsecè omnium aliorum motuum. Hanc disertis verbis docet Aristot. in hoc lib. 4. c. 14. ubi motui primi mobilis, quia habet condiciones iam dictas ad rationem mensuræ supra explicatæ, tribuit absolutè, & per antonomasiam denomina-tionem temporis dicens: *Primum aliquid eorum, quæ sunt eiusdem generis mensura est, quæ aquabilis est conuersio, mensura erit: maximè, quod eius numerus sit notissimus*.

Confirmatur ex D. Thom. 1. p. q. 10. art. citato, & quæst. 66. & 2. sent. æ tandem 4. Physic. text 133. lect. 23. ubi hoc ipsum eleganter docet, & probat. Vi-deatur ibidem.

69 Ex quibus omnibus sequens probatio deduci potest: quia solus motus primi mobilis est primus inter alios motus, & minimus sui generis, quippe qui est omnium velocissimus: & tandem regularissimus, & notissimus omnium: atque ita soli illi con-tenit habere durationem successiuam, quæ sit men-sura omnium aliorum motuum, ut ex D. Thom. & ex se constat: quia mensura prædicta debet habere has condiciones.

Nec refert, si obiciamus: tum quòd motu horo-logij mensuramus motum primi mobilis: ergo mo-tus, & duratio eiusdem primi mobilis non erit pri-ma mensura reliquorum motuum: tum etiam quia dies, mensis, & annus sunt tempora, licet tem-pus sumatur in ratione mensuræ: sed annus, & men-sis causantur ex motu solis per Zodiacum, dies autem ex reuolutione primi mobilis super polos mun-di, quæ spatio viginti quatuor horarum absoluitur

ergo non solum ex motu primi mobilis: sed etiam ex aliis motibus causatur tempus secundum dictam rationem mensuræ consideratum.

70 Respondetur enim ad primam objectionem: id esse per accidens. Cæterum motui primi mobilis per se continet, ut sit id, ex quo causatur tempus habens seu fundans prædictam rationem mensuræ. Ad secundum verò in primis dicimus, annum non causari, nisi ex repetitione dierum; sicut & dies ex motu primi mobilis causatur. Vnde de primo ad vlti-mum, tempus mensurans omnes motus oritur ex re- uolutione illa primi mobilis: Deinde addimus, tem-pus secundum rationem mensuræ iam explica-tam tantum conuenite durationi illi successiuè, quæ secundum condiciones explicatas potest om-nia temporanea mensurare. Hæc autem est tem-pus primi mobilis, ut iam explicuimus, & non alia.

### Solutio argumentorum utriusque sententia.

#### S. III.

71 **A**D argumenta aliarum sententiarum ferè pà-teret ex dictis. Ad primum enim pro prima sententia iam constat, quomodo D. Thom. so-lum loquatur de tempore, & æuo secundum ra-tionem mensuræ conclusionem secunda explicatam; non verò negat esse in quouis Angelo, aut re tem-poranea suam propriam durationem: & ideo in fine corporis non conclusit absolutè esse tantum vnum æuum, sed dixit, *Concedimus ad præsens unum esse æuum tantum*: quia loquebatur de æuo solum secun-dum rationem mensuræ, secundum quam solum con-siderationem, est tantum vnicum.

Ad secundum dicendum est, motum esse subie-ctum quo temporis mensurantem ipsum; & ideo satis esse multiplicari motum secundum speciem, ad hoc, ut in vno, & eodem mobili possint multiplicari tem-pora secundum numerum, non secus ( proportio-ne tamen seruata ) ac si quantitates essent multipli-cabiles in vna, & eadem substantia, possent multi-plicari albedines.

72 Argumenta verò secundæ sententiæ non indigent solutione: quia probant nostram pri-mam conclusionem: quamvis quoad secundum notandum sit ex D. Thom. 1. p. quæst. 66. art. citato, quod in casu argumenti adhuc remane-ret inter corpora naturalia aliquod, quod moue-retur motu vniuniformiori, & simplici, quam cæ-tera alia: & ex hoc motu caularetur idem nu-mero tempus, ac est illud, quod modo est in motu primi mobilis. Sicut si Deus crearet Ange-lum superiorem omnibus aliis, haberet ( ut idem B. Doctor docet ) idem numero æuum, ac habet Angelus, qui modo est superior.

Et ratio est: quòd licet hoc numero tempus, ut est duratio successiuæ motus, petat hunc nu-mero motum & mobile, attamen secundum ra-tionem mensuræ iam explicatam, satis est ad hoc ut sit idem numero, quòd sit in motu vni-formi, velociori, & magis noto omnibus aliis; ac proinde quòd sit hic, vel ille motus, quid ma-teriale est respectu illius in esse subiecti: quia for-male illius tantum est, quòd sit motus habens prædictas condiciones non secus ( proportione ta-men seruata ) ac locus dicitur idem numero, li-cet fluant, & resuant superficies: quia omnes il-læ sunt formaliter eadem, ut subsunt eidem sub-stantiæ, non quidem materialiter: sed formaliter sumptæ,

sumptæ, vt disputatione 15. quæstione 12. explicatum est.

73 Ad fundamenta pro tertia sententia respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, durationem efficientem subiectum superius, & simplicius, esse ex natura sua notiorum respectu cuiuscunque intellectus potentis cognoscere illam secundum se sumptam. Et ad primam confirmationem respondetur, habitudinem illam pertinere ad relationem mensuræ, & mensurabilis: quia ex duratione superari cognoscitur, quanta sit inferior, quantum ad simplicitatem, & immutabilitatem.

Ad secundam confirmationem dicendum est, quod licet operatio illa superioris Angeli non sit regularis, & vniformis quantum ad coexistentiam cum tempore nostro, bene tamen quantum ad simplicitatem, & immutabilitatem: & hoc est satis ad hoc, vt possit fundare rationem mensuræ respectu aliarum operationum. Sed de his satis: quia amplius ea discutere superat præsens institutum.

## Q V Æ S T I O VII.

*Utrum substantiæ generabiles, & corruptibiles, quoad suum esse mensurentur tempore.*

74. Merito solum inquirimus de mensura substantiarum generabilium, & corruptibilium: nam substantias, & accidentia incorruptibilia & ordinis supernaturalis certum est apud omnes non mensurari tempore: sed alia mensura superiori, scilicet æuo: sicut & motum, & quietem priuatam mensurari tempore, vt docet Arist. in hoc lib. text. 118. quoniam tempus definitur: *Quod sit numerus motus secundum prius & posterius*, quies autem, cum sit priuatio motus, debet saltem per accidens eadem mensura metiri. Quare solum relictat difficultas quoad alia accidentia, & substantias corruptibiles. Cæterum, quia eodem modo philosophandum est de his accidentibus corruptibilibus, & de substantiis, à quibus oriuntur, ideo breuitatis gratia solum inquirimus de mensura harum substantiarum.

Addimus autem in titulo illam particulam *secundum suum esse*, vt denotaretur, non esse sermonem de illis præcisè secundum suum esse essentiae Metaphysicæ: sed secundum suum esse existentiae, seu prout sunt actu in rerum natura. Et licet posset inquiri de mensura operationum corruptibilium, substantiarum spiritualium: quia tamen id ad præsens non spectat, ideo ab hoc pro nunc abstinemus. Videri tamen possunt Thomistæ quæst. citata primæ partis, vbi docent quod operationes discretæ, & habentes per se ordinem ad inuicem, habent mensurari tempore Angelico, & discreto, sicut & illæ, per quas continuo agunt in corpora, mensurantur tempore Angelico, & continuo, si sint formaliter immanentes, & virtualiter transeuntes: nam si formaliter transeuntes fuerint, tunc tempus nostrum erit earum mensura. Et tandem aliz operationes corruptibiles earum mensurantur instanti temporis Angelici, seu spiritualis.

*Refertur opinio negans.*

§. I.

75. Partem negantem tuentur Scot. in 2. dist. 2. q. 4. Durandus ibidem q. 6. Henric. quodlib. 15. qu. 13. Heruæus quodlib. 1. q. 12. Suar. Tom. 2. Metaph. dist. 50. sect. 7. Conimbric. 4. Physic. cap. 12. q. 13: art. 1. Rubio in præsentia tract. de tempore qu. 5. quamuis in assignanda mensura, qua mensurantur, non omnes conueniant: nam Scotus sentit eam esse æuum: Henricus verò, modum æui: quia licet sit indiuisibilis, & saltém virtualiter correspondens tempori, est tamen defectibilis: Durandus autem, & Heruæus esse instans permanens temporis discreti: Rubius tandem esse aliam mensuram indiuisibilem, & distinctam ab his:

Sententia hæc quoad id, in quo eius sectatores conueniunt, scilicet prædictas substantias non mensurari tempore probatur in primis ex Aristot. 4. Physic. c. 12. text. 118. & 119. vbi asserit: corpus non esse in tempore, nec mensurari illo, vt quantum quoddam est; sed in quantum motus eius, quantus est: ergo sentit diuersam ei correspondere durationem secundum suum esse & accidentia permanentia: & secundum quod actu mouetur.

Confirmatur ratione desumpta ex D. Thoma ibidem: nam id mensuratur per tempus, cuius quantitatem per illud noscimus: at per tempus non cognoscimus quantitatem corporis secundum se, ac per consequens, nec esse illius secundum se sumptum: bene tamen quantitatem motus: ergo tempus non mensurat corpus secundum suum esse, vt est quantum: sed vt actu mouetur. Minor probatur; nam per tempus non scimus quantus sit homo: bene tamen quantum moueatur: ergo præcisè deuenimus in cognitionem quantitatis motus per illud.

Confirmatur secundò ex eodem D. Thom. opusc. 44. de tempore cap. 3. vbi sic ait: *Mobilis verò quantum ad id, quod sunt, sicut homo, aut lapis non mensurantur tempore: quia essentia eorum est in quolibet nunc temporis, nec habet prius, & posterius, sine successione.*

76. Deinde ratione suadetur primò: nam mensura debet esse eiusdem rationis cum re mensurata: sed tempus, & esse harum substantiarum, non sunt eiusdem rationis: ergo tempus non est propria mensura illius. Minor ex se patet: quia tempus est quid successuum omnem à se excludens permanentiam: prædictæ autem substantiæ habent esse permanentis, & totum simul: ergo, &c.

77. Secundò, eadem est mensura rei, dum primò incipit, & dum continuatur in esse: quia eadem est res, quæ incipit, & continuatur: sed primum, & substantiale esse harum substantiarum mensuratur mensura indiuisibili, & non tempore: ergo etiam esse continuatum. Consequentia patet. Minor verò etiam constat, quandoquidem incipiunt in instanti, & per primum sui esse, vt sexto libro dicemus.

Tertiò, in creatis actus primus, & secundus qualis est motus & operatio non habent mensuram eiusdem rationis: sed motus mensuratur tempore: ergo substantia secundum suum esse, secundum quod est actus primus, & prima radix motus, non mensurabitur per illud. Maior videtur aperta: tum quia sunt diuersæ rationis, & ita debent habere diuersam mensuram; tum etiam exemplo Angelorum, in quibus actus primus, seu esse substantiale mensuratur æuo; at verò actus secundus, scilicet motus eius mensuratur tempore Angelico, vel nostro; tum de-

V. 3 nique

nique, quia idem esse, & operatio diuina mensurantur eadem mensura, nimirum æternitate: quia utrumque habet, esse eiusdem rationis: ergo cum oppositum huius inueniatur in substantia corruptibili, & eius actu secundo, non mensurabuntur eadem mensura.

Ultimò, si Deus auferret à substantia omnes qualitates actiuas, & passiuas, ratione quarum transmutatur, tunc non mensuraretur tempore: ergo nec modò. Patet consequentia: quia esse substantiale illius tunc est eiusdem rationis, ac esset tunc: quia tantum differret penes esse accidentale, quod nunc ei coniungitur. Antecedens verò etiam constat: nam cum tempus sit numerus motus secundum prius, & posterius, consequens est, ut id, quod est expers totius transmutationis, nequeat numerari, & mensurari per tempus.

Confirmatur: quia substantia corruptibilis, quæ nunc in rerum natura persistit, prius durat secundum suum esse substantiale, quàm secundum transmutationes, & accidentia ad illas consecuta: quandoquidem hæc posteriora sunt, quàm illa: sed in illo priori non durat, aut mensuratur per tempus; sed per aliam durationem altiore: ergo esse proprium illius non mensuratur tempore. Consequentia est manifesta. Minor verò etiam liquet: siquidem in illo priori nullam includit transmutationem, ratione cuius possit subdi tempore.

#### DEFENDITUR SENTENTIA DOCTORIS Angelici.

##### §. II.

78 **D**icendum est tamen prædictas substantias corruptibiles, secundum suum esse substantiale sumptas, mensurari tempore. Ita Beatus Albertus lib. 4. Physic. tractatu 3. cap. 10. & in summa de quatuor coruiss, Caiet. 1. part. quæst. 10. art. 5. Soncin. 10. Metaph. quæst. 54. Fonseca 5. Metaph. cap. 13. q. 12. sect. 13. Pereyrus libro 22. cap. 3. Iabelus 4. Physic. quæst. 22. Mafius, in hoc lib. sect. vlt. quæst. 5. & permulti alij.

Probat in primis ex Aristotele in hoc lib. cap. 12. ubi non solum expressè inquit substantias generabiles, & corruptibiles mensurari quoad suum esse per tempus; sed etiam id probat ex eo, quod res, quæ patiuntur à tempore, necesse est ab eo mensurari; sed hæc substantiæ aliquid patiuntur à tempore: nam temporis diuturnitate veterascunt, & senescunt: ergo mensurantur tempore.

Confirmatur ex D. Thom. 1. p. q. 10. artic. 4. ad tertium, ubi sic inquit: *Esse ergo rerum corruptibilium; quia est transmutabile, non mensuratur æternitate; sed tempore: tempus enim mensurat non solum, quæ transmutantur actu; sed quæ sunt transmutabilia. Vnde non solum mensurat motum; sed etiam quietem, quæ est eius, quod natum est moueri, & non mouetur.* Et in art. 5. sic ait: *Quadam autem sic recedunt à permanentia essendi, quod esse eorum est subiectum transmutationis, vel in transmutatione consistit: & huiusmodi mensurantur tempore; sicut omnis motus, & esse etiam omnium corruptibilium.*

79 Vnde explicatio, quam addit Rubius ad hæc testimonia, scilicet intelligi de substantiis non quoad suum esse; sed præcisè quoad suas transmutationes; satis violenta videtur. Tum quia Aristoteles, & D.

Thom. non solum asserunt mensurari tempore quoad suos motus; sed etiam addunt mensurari quoad suum esse. Quare prædicta interpretatio manifestè contradicit textui. Tum etiam, quia cum esse substantiale earum sit in fluxu via, & tendentia ad interitum, ratione cuius dicuntur, quod secundum suam substantiam substantialiter veterascant, & senescunt; alioquin non essent secundum suum esse corruptibiles: consequens est, ut etiam prædictum esse earum mensureretur tempore.

Potissimum autem huius assertionis fundamentum iam supra in hac disputatione, quæstione secunda, tactum est, & desumitur ex verbis citatis Diui Thom. quod potest ad hanc formam reduci. In hoc distinguuntur æternitas, & æuum à tempore, quod æternitas mensurat rem omnino intransmutabilem, tam secundum esse, quàm secundum operationem: æuum verò est, mensura rei immutabilis secundum esse, mutabilis verò secundum operationem: at verò tempus mensurat rem transmutabilem, tam secundum esse, quàm secundum operationem, ut loco citato, diximus: at substantiæ generabiles, & corruptibiles sunt transmutabiles, non solum secundum operationem, sed etiam secundum esse, alioquin non essent corruptibiles: ergo mensurabuntur tempore.

80 Confirmatur, & explicatur primò ex his, quæ ibidem ex eodem Diu. Thoma tetigimus. Quia æternitas est mensura summè perfecta, idem mensurat substantiam prorsus intransmutabilem, tam quoad esse, quàm quoad operationem, ita ut utrumque per illam mensuretur, ut communiter docent Theologi: sed tempus est mensura summè distans ab æternitate: ergo erit proprium eius mensurare substantias transmutabiles secundum suum esse, & secundum suas operationes, & motus: ita ut utrumque ab illo mensuretur: ergo cum substantiæ, corruptibiles hoc ipso, quod tales, sint transmutabiles, tam secundum suum esse, quàm secundum suas operationes, sit inde, ut secundum utrumque mensurentur tempore.

Confirmatur, & explicatur secundò: quia æternitas caret ex se principio, & fine, idem est propria mensura substantiæ, & operationis substantialis carentis principio, & fine: & similiter, quia æuum ex se potest habere principium, caret tamen fine; ideo est mensura substantiæ, & operationis habentis principium; sed & non finem, qualis est Angelus, & operatio eius, qua seipsum per suam substantiam intelligit: ergo quia tempus est mensura habens ex se principium, & finem, & summè elongata ab æternitate, mensurabit substantiam ex se habentem utrumque, qualis est substantia generabilis, & corruptibilis. Patet consequentia: tum ex paritate rationis: tum etiam ex Aristotele relato à D. Thom. 1. part. q. 101. asserente: ea tempore mensurari, quæ principium, & finem habent in tempore.

*Diluantur fundamenta prioris sententia.*

##### §. III.

81 **A**D primum ergo ex testimonio Aristotelis desumptum responderetur, illum non velle substantias secundum suum esse generabiles taliter mensurari per tempus, ut habeant aliam durationem sibi propriam; sed solum prædictam durationem conuenire illis, tum ratione motus, ut dum actu mouentur:



uentur : tum etiam quatenus transmutabiles sunt secundum suum esse : sicut licet quies priuatiua mensuretur tempore, ita ut non habeat aliam durationem nihilominus non mensuratur illo, nisi ratione motus. Quare substantia, ut præscindit à certo gradu immutabilitatis, vel mutabilitatis, præscindit etiam ab omni duratione, & ita secundum hanc rationem non mensuratur per illam, sed habet alias mensuras alterius rationis & non pertinentes ad ordinem durationum.

Vnde omnimoda immutabilitas in Deo est ratio à priori æternitatis, ita ut nostro modo intelligendi non concipiatur proximè capax illius : nisi quatenus concipitur sic immutabilis, & mutabilitas secundum esse, & similiter transmutatio secundum illud, erunt ratio, ob quam substantia secundum suum esse, & secundum suas esse transmutationes mensuretur tempore & consequenter quævis res, ut præscindit ab omni gradu mutabilitatis, vel immutabilitatis, præscindit etiam ab omni duratione. Quæ solutio est satis consona his, quæ tradit Diuus Thom. 2. par. art. citato in solutione ad primum ex ratione petitur.

82. Ex quo ad primam confirmationem ex D. Thoma. desumptam respondetur : solum velle quod ratio, ob quam corpora mensurantur tempore, non est *esse* ipsius præcisè sumptum, aut secundum quod quantum est : quia secundum istam rationem potius mensuratur per aliam quantitatem ; sed solum, quod ratio talis mensurabilitatis sit prædicta transmutabilitas, & transmutatio secundum *esse*. Quia, ut benè ibidem aduertit S. Doctor, per tempus non cognoscimus quantum sit corpus ; sed solum quantum sit eius motus, & transmutabilitas. Ex quo tamen, ut dicebamus, non licet colligere, quod corpus secundum se, & ut præscindit à transmutabilitate, habeat aliam mensuram superiorem, pertinentem ad ordinem durationis : quia ad hoc requirebatur, ut haberet intransmutabilitatem secundum suum *esse*, ut in orbibus celestibus, & in corporibus beatis contingit.

Ad secundam confirmationem respondet Masius, opusculum illud, quamuis sit eruditissimum, non tamen esse certum, quod sit D. Thomæ. Vnde in operibus Romanis iussu Pij V. editis fuit minoribus characteribus impressum : sicut & alia, de quibus dubium esse poterat, an sint D. Thomæ. ut in Logica dictum est. Et ideo cum D. Thomæ. certò suam mentem in locis ex prima parte citatis explicuerit, debemus illis stare : secus tamen esset, si alibi S. Doctor suam mentem non expressisset.

83. Ad primam rationem respondetur, satis affirmatis, & proportionis esse inter substantias corruptibiles, & tempus, ad hoc ut sint proportionatæ in ratione mensurabilis, & mensuræ : quandoquidem secundum suum esse sunt transmutabiles, imò sunt in fluxu, & tendentia ad veterationem, & corruptionem. Vnde necessario incidunt, & sunt in tempore : quare, ut optime notant Thomistæ, dupliciter potest aliquid esse successuum, scilicet, aut quia nullæ partes eius possunt esse simul, aut quia admittit in se, quod aliquæ partes recedant, & aliæ succedant : quamuis aliæ etiam sint simul, ut in substantiis corruptibilibus contingit. Quivis autem ex his modis successionis sufficit, ut aliquid mensuretur tempore.

84. Ad secundam rationem respondetur : ex ea solum convinci, quod sicut esse substantiæ corruptibilis, dum incipit, non mensuratur instanti temporis discreti ; sed continui, ut probatum est : ita idem *esse*, dum continuatur, mensuratur per tempus, non ut incipit

ratione sui instantis ; sed ut est quoddam continuum constans ex partibus, & instantibus.

Explicatur hoc : eadem est mensura generationis substantialis, & esse substantialis per illam introducti. Cæterum quia in hac mensura plura includuntur, nempe instantia, & tempus ipsum ; ideo non est necesse, quod per vnum, & idem ex inclusis in illa mensurentur omnia, quæ per tempus mensurabilia sunt ; sed vnumquodque per id, quod secundum propriam correspondet rationem, debet mensurari. Quare quia generatio substantialis, ut est immediata introductio formæ substantialis, habet esse instantaneum : ideo quod illi in mensura temporis correspondet, tantum est instans : sed quia esse substantiale continuatum dici continuationem eiusdem esse ideo quod illi correspondet, est idem tempus continuatum.

85. Ad tertiam respondetur negando maiorem vniuersaliter intellectam. Et ad primam, & tertiam probationem respondetur, satis esse, quod actus primus, & secundus habeant eundem transmutabilitatis, aut intransmutabilitatis gradum secundum suum *esse*, ad hoc ut per eandem mensuram mensurentur, siue alias in *esse* entis sint eiusdem, vel diuersæ rationis. Et ideo *esse* Angeli, & operatio, qua se per suam substantiam cognoscit, mensurantur æuo, licet vnum sit substantia, & aliud accidens. Quarecum tam motus, quam substantia corruptibiles sint defectibiles secundum suum *esse*, utrumque mensurabitur eadem mensura : quia habent debitam proportionem in ratione mensurabilis cum tempore. Per quod etiam ad secundam probationem patet : quia *esse* Angeli est indefectibile, secus verò motus eius : verbi gratia, motus localis, aut alia operatio libera : & ideo non mirum, quod petant diuersas mensuras.

86. Ad ultimam respondetur ex Caietan. ubi supra, etiam in eo euentu substantiam illam mensurandam esse per tempus primi mobilis : quia ad hoc, ut sic mensuretur, satis est quod sit ex natura sua transmutabilis, & quod per aliquid intrinsecum non reddatur intransmutabilis secundum suum *esse*. Quamuis per extrinsecam Dei potentiam, sine omni transmutatione conseruetur. Sicut si Angelus per extrinsecam Dei potentiam annihiletur, nihilominus eius *esse* mensurabitur æuo ; quia non habet aliquid intrinsecum, ratione cuius sit defectibilis. Diximus : *Et quod per aliquid intrinsecum non reddatur intransmutabilis secundum suum esse* propter corpora Beatorum, quæ in illo statu non mensurantur tempore : quia ab aliquo intrinseco, scilicet ab anima perfectè dominante prædictis corporibus redduntur incorruptibilia, quamuis prout informantur eadem anima, secundum quod non subiicit sibi perfectè corpus, siue ex natura sua corruptibilia : imò & absolutè dicantur talia ex sua natura : quia status ille beatificus est respectu eorum supernaturalis. Per quod etiam patet ad confirmationem.

87. Ex quo, duo notatu digna sequuntur. Primum est legitimus sensus eorum, quæ in Logica disputatione 13. num. 54. diximus, scilicet : *Quod tempus non mensurat, aut extendit substantiam secundum se, ut mensurat quantitas, permanens ; sed dum est in motu, & successionem* : quoniam per hæc tantum intendimus, quod substantia corporea, ut præscindit à certo gradu mutabilitatis secundum suum esse non mensuratur tempore : sicut neque aliqua alia duratione, licet tunc mensuretur quantitate ; sed tantum hoc habet dum est in motu, & successionem (intellige) actus, vel aptitudinem ; ita ut licet actus non moueatur, sit tamen

men secundum suum esse, & modo nuper dicto transmutabilis.

Secundum est, quod sicut dum quis movetur simul duobus moribus: verbi gratia, motu locali, & alterationis, habet duo tempora intrinseca, & solo numero differentia: quia subiectum quo illorum temporum multiplicatur: ita dum conseruat prædictam transmutabilitatem; & corruptibilitatem secundum suum esse, habet insuper aliud tempus intrinsecum, & solo numero ab aliis diuersum, quod immediatè recipitur in substantia ipsa affecta quantitate, quodque idem permaneret etiam si nullo motu actu moueretur: nam sicut prædicta substantia continuo durat: ita debet per vnā durationem continuam, & eidem inherentem durare, cum tamen duratio sui motus, verbi gratia, motus localis multoties interrumpatur.

Quare eum in Logica disputatione, & numero citatis diximus, quod tempus intelligitur dimanare ab ipsa quantitate, seu extensione permanenti rei mobilis medio motu, loquebamur de tempore, quod recipitur in eodem motu, vt in subiecto quo, non verò de eo quod continuo mensurat intrinsecè substantiam corruptibilem secundum suum esse: nam hæc solum dimanat à substantia media quantitate: quamuis non inhaereat ipsi, nisi vt est transmutabilis secundum suum esse, & ideo aliquo modo ibidem inuoluitur motus, vt suo modo terminat prædictam habitudinem. Et hæc de præsentī quæstione, & de toto hoc quarto libro.



## LIBER QVINTVS

*Physicorum.*

### PROOEMIUM.

**P**OSTQVAM Aristoteles egit de motu absolute; & de his, quæ ad ipsum spectant, scilicet de principiis eius, & causis, de illius quidditate, necnon & de loco, qui est mensura mobilis, ac tandem de tempore mensurante motum, quod præstitit in præcedentibus libris: in hoc quinto diuidit motum in suas partes quasi subiectiuas, explicans, ad quæ prædicamenta sit per se motus, & vnde sumatur vnitas, & distinctio motuum; ac tandem de contrarietate motuum, ad diuersitatem specificam eorundem consequutam, agit. Et ideo nos totam hanc materiam sequentibus disputationibus complectentes, eam eodem ordine discutiemus.

### SVMMA TEXTVS totius libri.

**L**iber hic, 6. continet capita. In quorum primo, vt explicet Aristoteles species motus, affectu varios modos, seu species mutationis; & denique generationem, & corruptionem non esse motum ostendit; ac proinde illum à mutatione instantanea distinguit. In secundo probat, ad tria tantum prædicamenta dari per se motum, scilicet ad quantitatem, qualitatem, & vbi: & consequenter tres

tantum esse species motus: & deinde exprimit nomina, quibus hæc denotantur: & etiam quid propriè significet quies. In tertio aliquos terminos ad cognitionem motus necessarios declarat. In quarto ostendit, vnde vnitas generica, specifica, & numerica motus desumatur: & in 5. & 6. de contrarietate, tam motuum inter se, quàm quietis cum motu, differit.



## DISPUTATIO XXII.

*De prædicamentis, ad quæ datur per se motus.*



**Q**UIA motus à termino ad quem desumit suam speciem, & distinctionem (vt disputatione sequenti ostendemus:) ideo vt Aristoteles explicaret diuersas motus species accuratim inuestigat, ad quænam prædicamenta detur per se motus, vt ita ex multiplicitate terminorum multiplicationem specificam motuum colligat. Et ob id nos disputationem hanc primo loco vna cum Aristotele proponimus.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit esse per se motum ad aliquod prædicamentum, & quæ conditiones ad hoc requirantur.*

**P**RO tituli explicatione notandum est ex Aristotele in hoc lib. cap. 1. & ex Diuino Thom. ibi lect. 1. non esse in præsentī sermonem de motu latè sumpto, prout comprehendit mutationes instantaneas, & solum importat, esse actum entis in potentia, secundum quod in potentia, vt lib. 3. explicuimus; sed de motu strictè dicto, prout solum comprehendit mutationem successiuam: & ex consequenti inter terminos positiuos versantem.

1 Dicendum ergo est primò. Esse per se motum ad aliquod prædicamentum nihil est aliud quàm quod ratione sui, & non ratione alterius terminet motum. Ita Aristotel. & D. Thom. in præsentī cap. 1. & reliqui expositores. Probat per apertam rationem ex Aristotele, & D. Thom. desumpta: nihil est aliud, quod aliquid per se moueatur, vel moueat, quàm quod ratione sui hæc duo munera præstet: ergo nihil aliud erit, quod aliquares sit per se terminus motus, quàm quod ratione sui terminet illum. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens verò etiam constat: nam ideo album per accidens calefit, & per accidens ambulat: quia non calefit, nec ambulat ratione sui; sed ratione alterius, cui per accidens coniungitur; è contra verò ideo ignis per se calefacit, & per se mouetur sursum: quia ratione sui calefacit, & recipit motum sursum.

2 Dicendum est secundo. At hoc vt motus per se terminetur ad aliquod prædicamentum, tres requiruntur conditiones. Prima, quod versetur inter terminos positiuos. Secunda, quæ ex præcedenti sequitur. Vt prædicti termini sint inter se contrarij. Tertia tandem, quod habeant latitudinem successivè per

percurrendam: ita Aristoteles in hoc libro, capite primo, & Sanctus Thomas ibidem lectione secunda; & cæteri Expositores.

Et probatur ratione, quam innuunt idem Aristoteles, & Diuus Thomas locis citatis, quæ sub hac forma potest proponi. Motus propriè dictus debet esse de subiecto in subiectum, ut loquitur Aristoteles, seu; ut explicat Diuus Thomas debet versari inter terminos positivos: ergo inter terminos contrariè oppositos; & habentes latitudinem successiue percurrendam; ac per consequens; ut detur per se motus ad aliquam rem; debent interuenire omnes istæ conditiones.

Antecedens probatur quoniam hæc est differentia inter mutationem instantaneam, & successiuam; quod hæc est inter terminos positivos; secus verò illa: & ita hæc posterior est instantanea: ut optimè notauit Diuus Thomas lectione quinta; quia oppositio, quæ versatur inter ens, & non ens; est omnino immediata; & consequenter non est inuenire in ea medium, per quod retardetur prædicta mutatio, è contra verò illa prior.

3 Prima verò consequentia quoad primam eius partem ex antecedenti sequitur manifestè. Nam cum terminus *à quo & ad quem* mutuo se formaliter expellant, debet aliqua oppositio inter utrumque inueniri: ergo cum uterque fuerit positivus, (ut in præfenti contingit) tunc talis oppositio erit contraria. Quoad secundam verò partem satis eadem consequentia liquet; nam cum mutatio successiua habeat continuitatem, & latitudinem, & hæc desumatur ex termino, non poterit non ipse terminus habere aliquam latitudinem successiue, & continuè percurrendam.

Sed obiicies primò Aristotelem 6. Physic. docentem: terminum *ad quem* cuiuscumque motus consistere in indiuisibili: Vnde illi correspondet in motu mutatum esse, quod habet esse indiuisibile: ergo non habet latitudinem diuisibilem.

4 Responderetur tamen calorem, verbi gratia, dupliciter posse considerari, vel absolute, vel ut terminus est; seu (ut clarius loquamur) ut est terminatus per gradum; ut duo; vel ut ter; &c. et si ergo calor, ut duo formaliter loquendo, consistat in indiuisibili: quia si quid addas, vel demas, iam non erit ut duo: attamen calor absolute sumptus, latitudinem habet, & secundum eam correspondet partibus motus: Secundum verò quod dicit prædictam terminationem, correspondet mutatis esse illius: ut Aristoteles loco citato vult.

Secundò obiicies: secundæ qualitates, ut albedo, & nigredo, habent latitudinem successiue percurrendam & opponuntur inter se contrariè, & tamen non datur per se motus ad illas; ergo malè dictum est; has condiciones sufficere, ad hoc ut ad aliquam rem detur per se motus: Minor probatur: quoniam resultant ex permixtione diuersa primarum qualitatum; at quod per se non fit: sed resultat ex alio, non potest esse per se terminus alicuius motus: ergo, &c.

5 Responderetur; aliud esse, has secundas qualitates præsupponere alium motum per se terminatum ad primas. Aliud verò, quod ex vi illius motus per solam naturalem sequelam resultant. Primum est verum, & non obstat, ad hoc ut aliquid per se terminet motum: Secundum verò est falsum: quia reuera præter illum primum motum datur & hic secundus: sicut augmentatio præsupponit alterationem; & nihilominus est verus motus: & volitio essentialiter præsupponit intellectionem: & nihilominus utraque est veritas actio.

## Q V Æ S T I O II.

*Verum ad quantitatem, qualitatem, & ubi  
detur per se motus.*

**P**Lura, quæ circa hanc quæstionem dicenda erant; pendunt ex aliis, quæ in libris de generatione propriam sedem habent; & ideo breuiter eam attingemus; discussuri postea loco citato cætera, eaque satis difficilia, quæ ad omnino exactam eius noticiam desiderabantur:

*Rationes dubitandi.*

### §. I.

6 **P**artem negatiuam suadere videntur hæc argumenta: & in primis ad quantitatem non dari per se motum: ut vult Galenus, sic probatur: quantitati nihil est contrarium: ergo non datur, per se motus ad illam. Consequentia patet ex dictis quæstione præcedenti. Antecedens verò probatur: tum quia id docet Aristoteles cap. de quantitate (ut ibidem vidimus: ) tum etiam quia magnum, & paruum, quæ videbantur contraria, solum opponuntur relatiue; & ideo eadem quantitas relata ad vnā quantitatem est magna, & relata ad aliam est parua; tum denique, quia vnum contrarium non manet adueniente alio: sed eadem quantitas, quæ antea erat minor, manet quando postea fit maior: ergo, &c.

Confirmatur primò: quia quæ semper sunt in instanti, non habent contrarium, at quantitas fit in instanti, ergo non habet contrarium. Maior patet: quia vnum contrarium retardat actionem, quia fit aliud. Minor verò probatur: quia nutritio fit in instanti, quippe quæ terminatur ad substantiam non habentem contrarium: ergo etiam quantitas fiet in instanti. Patet consequentia: tum quia aliàs daretur in aliquo instanti noua pars substantiæ sine noua parte quantitatis: tum etiam quia ideo quantitas totalis fit in eodem instanti, in quo substantia: quia est passio illius, & ita non producit per diuersam actionem: sed per naturalem resultantiam: at quantitas partialis est passio substantiæ partialis: ergo per solam naturalem resultantiam, & non per verum motum erit in eodem instanti, in quo est nutritio, & noua pars substantiæ.

7 Confirmatur secundò: quia illa sunt contraria, quæ maxime distant inter se; sed in quantitate nequit assignari hæc maxima distantia: ergo nec contrarietas, ac per consequens nec motus per se ad illam. Maior patet ex definitione contrariorum. Minor verò probatur: quia quantitas est augmentabilis in infinitum: nam data quavis, potest dari alia, & alia maior: ergo non potest ibi assignari aliqua distantia, quæ sit maxima: nam hæc datur inter maximam, & minimam quantitatem.

Secundò, quoad qualitatem eadem pars negatiua suadetur. Qualitas non habet secundum eandem rationem contrarietatem cum alia qualitate, & latitudinem successiue percurrendam: ergo non potest ad illam esse per se motus: Patet consequentia: quia terminus per se motus debet habere in ratione termini; & ex consequenti secundum eandem rationem omnes condiciones ad motum requisitas. Antecedens verò probatur: quia calor secundum suam essentiam contrariatur frigori (ut ex se constat, & docet Diuus Thomas in præfenti lect. 4.) at verò latitudo quam habet, conuenit illi ratione intensiōis, quæ est, extra illius essentiam: ergo, &c.

Confir.

Confirmatur: calor, qui est in igne, perfectissimus omnium calorum, & tamen in illo non fit motus per se ad eundem terminatum: ergo idem dicendum erit de cæteris aliis caloribus, & qualitatibus. Minor patet ex dictis lib. disp. 10. num. 92. Prima verò consequentia etiam constat: quoniam quod non conceditur perfectissimo omnium calorum; non debet concedi aliis inferioribus.

8 Tercio tandem eadem sententia quoad *ubi* probatur. Nam inter loca atque ad ea inter *v* bicationes non reperitur vera contrarietas: quia habere contrarium, est proprium qualitatibus: ut docet Arist. cap. de qualitate: ergo, &c.

Confirmatur: mobile, quod motu propriè dicto mouetur, debet esse partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: sed mobile secundum locum non est huiusmodi: ergo nec potest moueri motu propriè dicto: & consequenter nec *ubi* esse per se motum. Hæc vltima consequentia est manifesta; quandoquidem solum mobile secundum locum poterat ad *ubi* terminari.

Maior, verò etiam constat: quia id, quod mouetur motu propriè dicto, non potest esse in solo termino *à quo*; alioqui non moueretur; nec in solo termino *ad quem*; quia aliàs non esset in moueri; sed iam motum fuisset: ergo debet esse partim in termino *à quo*, partim in termino *ad quem*. Minor autem primi syllogismi etiam constat: quia si prædictum mobile moueatur à loco sursum ad locum deorsum; cum hæc sint inter se maximè distantia: non poterit esse partim in vno, & partim in alio.

#### Resolvitur quæstio.

#### §. II.

9 Dicendum tamen est, ad prædicta prædicamenta dari per se motum: hæc est Aristor. in præsent. cap. 2. Diui Thomæ ibidem, & omnium Interpretum; & ideo non est necesse, singulos recensere. Et probatur ratione desumpta ex Aristotele, & Diuo Thoma locis citatis. Nam his tribus prædicamentis conveniunt omnes conditiones requiræ, ad hoc ut sint per se termini motus: ergo datur per se motus ad illa. Consequentia patet.

Antecedens verò declaratur in sola quantitate (quia, ut intuenti patebit idem inuenitur in aliis duobus prædicamentis: ) etenim quantitas habet suam latitudinem successivè pertransibilem, ut ex se constat: quoniam pars posterior ex se potest acquiri post priorem & prior ante posteriorem; & deinde quantitas maxima, & parva habent contrarietatem requisitam ad motum scilicet, quod sub eodem genere maximè distent, & ab eodem subiecto mutuo se formaliter expellant: & tandem hoc ipso quod sic distent, habeantque prædictam latitudinem; potest ex quantitate minori deveniri ad maiorem per mediam: ac proinde successivè per motum: sed hæc ampliùs ex eodem Diuo Thoma quæstione sequenti, conclusione prima explicabuntur.

Confirmatur ex eodem Aristotele, & Diuo Thoma; quia tres sunt species motus propriè dicti, scilicet, augmentatio, alteratio, & motus localis; ut cum eodem Philosopho docent communiter Interpretes, sed augmentatio terminatur ad quantitatem; alteratio verò ad qualitatem; motus autem localis ad *ubi*: ergo ad prædicta prædicamenta dabitur per se motus.

#### Respondetur rationibus dubitandi.

#### §. III.

10. **A**D primum ergo respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem, Aristotelem solum loqui de contrarietate propriissima, quæ inter solas qualitates reperitur. Ad motum autem propriè dictum non requiritur tanta contrarietas, sed ea quam assertionem explicuimus.

Ad secundam probationem respondetur ex D. Th. in prima distinct. 19 qu. 3. art. 1. ad 2. quantitatem dupliciter posse sumi. Prima secundum præcisam rationem illius, secundum quam rationem sumitur mathematicè, pro ut nimirum non concernit aliquam naturam physicam, in qua sit; nec qualitatem sensibilem, qua afficitur; & secundum istam rationem transeat quod magnitudo, & paritas in ea tantum importat quandam relationem: quia eademmet collata cum vna quantitate, est maior, & comparata cum alia, est minor. Secundò absolutè, secundum quam rationem sumitur physicè: quia concernit corpus naturale, & consideratur, ut est in hac siue in illa determinata specie illius; & tunc quantitatem esse magnam, dicit quantitatem perfectam, & in ea magnitudine, quæ debetur illi naturæ, sicut & quantitatem esse parvam, dicit quantitatem in ea imperfectione, & paritate modo infra dicendo, in qua non est idonea ad exercendas perfectè operationes proprias talis nature. Vnde talis quantitas, siue comparatur, siue non comparatur cum alia quantumvis minori, semper est parva in ordine physico; & ita absolutè, & non relative dicitur parva. Ex quo ad argumentum dicimus, magnum, & parvum hoc posteriori modo sumptum, esse terminos augmenti, & decrementi: atque ita opponi contrarie.

1. Ad vltimam probationem respondetur, maiorem, & minorem quantitatem dupliciter posse sumi. Primò materialiter, secundum ipsam realitatem quantitatis. Secundò formaliter, secundum ipsam rationem maioris, & minoris: & primo modo, eadem quantitas realis, quæ erat minor, fit maior. Secundo autem modo, quantitas minor, quæ per augmentationem fit maior, verè definit esse quantum ad illam rationem minoris; quia verè deperditur positiva illa terminatione, ratione cuius erat minor, & acquirit, tum novas partes, tum etiam terminationem aliam. Quare terminus *à quo* & *ad quem* prædicti motus ita inter se comparantur, ut ad aduentum vnius pereat aliusequia quantitas minor non nisi ut subest minoritati, est terminus *à quo* argumentationis: sicut ut est maior, habet rationem termini *ad quem*.

12. Ad primam confirmationem neganda est minor, si intelligatur de quantitate per augmentationem producta. Et ad probationem respondetur, quod licet in prima productione viventium, (quæ sola propriè, & in rigore mouentur motu augmentationis, ut alibi Deo dante dicitur) totum vivens, & eius quantitas fiant in instanti: quia quantitas tunc fit ratione substantiæ, & per naturalem emanationem; substantia autem illa petit fieri in instanti: cæterum nutritio, & productio novæ partis quantitatis per augmentationem sunt successivæ; ut optimè notavit Bañes 1. de generat. cap. 5. q. 1. ad 4. quia nutritio fit ratione augmentationis, & novæ partis quantitatis per illam productæ, & ideo fit ad modum eius, scilicet, successivè: quia quantitas illa, ut facta ex minori quantitate, habet omnes conditiones, ut fiat successivo modo.

Vnde

Vnde sicut quantitas corporis Christi Domini est sub speciebus indiuisibiliter, quia est sub illis ratione substantiæ, quæ petit hunc modum essendi: vt docet D. Thom. 3. p. q. 76. art. 4. at verò substantia corporis Christi est in cælo diuisibiliter, quia est ibi ratione quantitatis petentis hunc modum essendi: ita quando quantitas fit ratione substantiæ, fit ad modum eius: quando verò substantia fit (modo tamen alibi explicando) ratione quantitatis, tunc fit ad modum eiusdem quantitatis.

13 Explicatur magis hoc ipsum. Nam quod in prima productione viuientis præcipue intenditur, est ipsum viuens, & ita fit ex non viuenti: semel autem producto viuenti, iam non intenditur productio eius; sed quod sit maius; atque ideo habeat maiorem quantitatem, à qua formaliter communicantur substantiæ partes, & esse maiorē; imò & ab ea suo modo, habet esse idoneam ad exercendas debite suas operationes; quæ duæ substantiæ primò productæ deerant. Quare si natura vult nutritionem, est occasio, & ratione quantitatis: quia nequit dari augmentatib, aut noua pars quantitatis; nisi etiam detur nutritio: & ideo nutritio debet commensurari cum augmentatione: non verò è contra.

Ex quo etiam ad id, quod vltimo loco in hac eadem confirmatione dicitur satis constat: quia quantitas partialis non est passio substantiæ, vt partialis; sed potius ipsa substantia, vt pars est effectus formalis eiusdem quantitatis, quamvis cum hoc stet, vt sit accidens connaturale eiusdem substantiæ, quæ aliàs est pars & conueniens illi ratione materiæ. Cæterum hæc accidentia, quando per se primò intenduntur à natura & habent omnes conditiones per se requisitas ad terminandum motum, possunt fieri per illum.

14 Ad secundam confirmationem patet ex dictis; & ex D. Thom. præsent. lect. 3. nam licet in quantitate mathematicè considerata non sit assignabilis maxima, & minima quantitas; benè tamen in eadem physice accepta: quia secundum istam rationem habet maximum, & minimum, & secundum eandem est terminus augmenti, & decrementi, vt suo loco dicitur.

Ad secundam rationem respondetur, calorem, & frigus non habere præcisè ex vi suæ essentiæ contrarietatem requisitam ad motum. Vnde quando successiue se expellunt, non ideo qualitas, quæ paulatim expellitur, amittit aliquid de sua specifica differentia, & actuali essentia; vsque dum omnino expellatur. Quare solum habent prædictam contrarietatem: quatenus sunt sub propria quantitate virtutis, secundum quam sortiuntur veram latitudinem requisitam ad motum, & propriam qualitatem.

Cæterum quia illa maior, aut minor perfectio secundum quantitatem virtutis, seu secundum intensiorem, & remissionem consistit in magis aut minus perfecte inesse subiecto, illudque sibi subicere, & aliàs hoc, quod est inesse subiecto in actu primo, est ipsa accidentis essentia: ideo quandoque hæc qualitates dicuntur augeri secundum essentiam, & per consequens variari, & opponi in illa, ratione tamen prædictæ quantitatis virtutis.

15 Ad confirmationem respondetur nos non affirmare: ad omnes qualitates dari per se motum, vt patet in intellectu & voluntate: imò neque qualitates, ad quas potest per se esse motus, fieri semper per illum; sed dicimus, posse esse per se ad illas motum; sicut quantitas maior ex se potest fieri per motum; & tamen posset Deus illam in instanti producere.

Quare licet: ad calorem in prima productione ignis non detur per se motus; nihilominus potest aliquando calefieri per motum, vt patet in calefactio-

ne, quia aqua calefit. Nec refert, quod calor in igne sit perfectior, nam hoc non est mensurandum penes prædictam perfectionem: sed penes hoc, quod per se & modo dicto fiat.

Ad tertiam patet ex dictis pro nostra assertionem, & in solutione ad primum: quandoquidem sursum, & deorsum sunt quid posituum, & habent maximam distantiam, & latitudinem requisitam ad contrarietatem, quam ibidem diximus esse necessariam.

16 Ad confirmationem respondetur, medium inter duo extrema in quantum habet conuenientiam cum utroque esse quodammodo vtrumque extremum; vt media vox inter grauem, & acutam dicitur acuta per comparisonem ad grauem: grauis autem per comparisonem ad acutam; sicut etiam fuscum per comparisonem ad album est nigrum: & per comparisonem ad nigrum dicitur album: vt docet Diu. Thom. in præsent. lect. 1. in fine. Distantia ergo per quam transit mobile localiter, est media inter locum sursum & deorsum. Vnde si comparatur ad locum sursum, & consequenter ad *ubi* sursum, dicitur mobile esse in loco deorsum. Si autem comparatur ad locum deorsum, & ad vocationem in illo, à qua incepit motus, dicitur mobile existens in illo esse in loco sursum, ac proinde esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, vt explicatum est.

Ex quo etiam constat, quomodo, vt innuit D. Thomas in præsent. lect. 5. circa text. 22. possit esse inter terminum à quo & terminum ad quem intermedium, verus motus, licet ratione sui non distent maximè quia ad summam distantiam non potest perueniri per motum; nisi eodem motu transeat per medium: per quod aliqua, quæ contra nos obici poterant, manent soluta.

### Q V Æ S T I O III.

*Vtrum ad substantiam, & reliqua prædicta menta detur per se motus.*

Quæstio hæc non minùs, quàm præcedens esset latius à nobis discutienda; nisi plura, quæ ad eam (saltem quoad substantiam) pertinent, essent alibi iterum tangenda.

*Statuitur ad substantiam non esse per se motum.*

#### §. I.

17 Dicendum est primò: ad substantiam non dari per se motum. Ita Aristor. & D. Thom. in hoc lib. cap. 2. & communiter Interpretes: & ideo singulos recensere superuacaneum est. Probatur ratione desumpta ex eodem Aristor. & D. Thoma quia substantia per se, & ratione sui non habet latitudinem successiue percurrendam: ergo non habet conditiones requisitas ad motum. Antecedens constat ex his, quæ diximus in Logica disp. 1. num. 3. scilicet substantiam ratione sui esse indiuisibilem; atque ita solum ratione quantitatis habere multitudinem, seu latitudinem partium.

Confirmatur: nam adhuc gratis admissio, sed non concesso hoc impossibili, scilicet substantiam ex se habere partes; nihilominus non daretur ad illam per se motus: tum quia vt benè notauit D. Thomas in præsent. lect. 3. subiectum illius mutationis substantialis non est ens actu; sed ens in potentia, & ita non est verè motus. Tum etiam quia vt ibidem innuit S. D.



S. D. ad motum requiritur latitudo intensiōis, aut distantia certæ, determinatæ & inter utrumque terminum, aut etiam extensiōis: alioqui non esset ibidem extensio, & retardatio radicalis intrinsecè ad illum requisita: sed partes illæ substantiales non habent ex se intensiōem (vt constat) aut extensiōem: quia hæc prouenit formaliter à quantitate: nec tandem ipsæ partes inter se distarent; quandoquidem ubi non est extensio partium, nec est distantia earumdem: ergo, &c.

18. Confirmatur ex Arist. & D. Tho. 1. Metaph. lect. 12. quia vna substantia non contrariatur determinatè alteri: ergo non habet contrarietatem requisitam ad motum: imò nec contrarietatem. Patet consequentia, quia hæc debet esse inter determinata extrema; nam vnumquodque potest fieri ex suo contrario; at non fit nisi ex determinato contrario: ergo contrarietas debet esse inter determinata extrema. Vnde Aristot. dixit: vnum vni tantum contrariari. Antecedens verò constat: quia substantia nunquam per se fit ex alia substantia; sed ex priuatione sui: vt ignis per se fit ex non igne; per accidens autè ex ligno, aut ex aëre, &c. at si haberet determinatum contrarium, ac per consequens, & contrarium: fieret aliquando ex aliquâ determinata substantia (vt modò dicebamus.)

Confirmatur vltimò, & explicatur ex eodem Angelico Doctore loco immediatè citato, ratione à priori, & (vt ipse loquitur) demonstratiua; nam cum contraria sint, quæ sub eodem genere maximè distant: oportet, vt in illo genere sint duo extrema, ita vt ab vno eorum non vniatur nisi ordinatè, & per media ad aliud: sicut ad maximum calorem non potest ordinatè deueniri, nisi per medium; nec ad magnam quantitatem nisi per minorem; sed materia, dum exiit vna forma, potest indifferenter recipere alias diuersas absque ordine: & idè Aristot. 2. de generatione dixit; quod cum ex terra fit ignis; non oportet, quòd sit transitus per media elementa: ergo, & cætera.

19. Sed obijciens primò, quod substantia ignis, v. g. introducit paulatim, & successiue in ligno magnæ quantitatis: ergo signum est, substantiam illam habere latitudinem, & contrarium sufficiens ad successionem: & consequenter ad motum. Paret consequentia: quia prædicta successio non potest aliunde oriri.

Confirmatur: quia nutritio viuētis est mutatio quædam successiua, & terminatur ad substantiam: ergo signum est; quòd in ea est prædicta latitudo, & contrarietas.

Respondeo concedendo, pro nunc, antecedens, & negando consequentiam: quia illa successio, non oritur ex termino per se generationis, seu mutationis illius substantialis, quæ in instanti introductionis formæ inuenitur, sed ex latitudine contrarium qualitatum, quæ expellendæ sunt.

Ad confirmationem patet ex dictis quæstione præcedenti, quibus etiam applicari possunt ea, quæ nunc circa solutionem huius argumenti dicebamus: quia alimentum, non potest ita citò disponi secundum vnā partem, ac secundum aliam.

20. Secundò obijciens: forma animalis fit per se ex forma embrionis, & forma cadaueris ex forma viuētis: ergo quæuis ex his formis contrariatur determinatè illi, ex qua per se fit: & ite falsò dictum est vnā formam substantialem non contrariari determinatè alteri.

Et confirmatur: quia nutritio per se ex forma alimenti: ergo per se contrariatur illi. Confirmatur secundò: quoniam per se terminatur ad maiorem

substantiam: at maior substantia per se fit ex minori, & habet determinatam oppositionem cum illa: ergo &c. Maior probatur: quia nutritio hominis v. g. non terminatur ad substantiam hominis per se sumptam: quoniam hæc iam præexistit: ergo terminatur ad eandem, vt maiorem: quia tantum prædicta maioritas deest illi.

21. Respondetur in primis, quòd licet dateretur antecedens; adhuc nihil contra nos: quia non sunt mutuo ex se inuicem: ita vt sicut ex forma embrionis fieret forma viuētis; ita ex forma viuētis fiat forma embrionis: quòd requirebatur ad contrarietatem, quæ debet esse inter terminum à quo, & ad quem, vt in aliis motibus contingit.

Deinde addimus: id non contingere ex vi ipsius mutationis substantialis, inquantum huiusmodi; sed ratione ordinis naturalis, qui exposcit. vt prius forma illa imperfectior, nempe forma embrionis, fiat in executione, & postea viuens. Et similiter deficiente viuente, ordine naturali succedit cadauer: quia non subito viuens descendit in corruptionem illam, quæ appellatur putrefactionis. Vnde, si à Deo dispositiones necessariae ad formam cadaueris aut viuētis ponerentur in materia lapidis, verè ibi introduceretur immediatè forma cadaueris aut viuētis.

22. Ad confirmationem responderetur negando in primis, nutritionem fieri ex forma alimenti per se quoniam solum fit ex illa per accidens ex eo quòd nequit aliter disponi illa materia à forma viuētis, nisi sit actiua per formam, alimenti: hoc tamen non petitur ex natura ipsius mutationis substantialis, vt de forma cadaueris dicebamus: sicut licet non possit, etiam per diuinam potentiam, transire per veram mutationem vna materia ad formam substantialem; nisi derelinquat aliam: quoniam hoc ipso quòd transit per veram mutationem ad nouam formam, debet præsupponi prioritate durationis ad illam: ac proinde ne detur sine forma, debuit prius esse sub alia. Cæterum, quia hoc non petitur ex natura ipsius mutationis substantialis; sed ex aliis capitibus, quantumvis indispensabilibus, ideo forma de nouo adueniens per se fit ex priuatione sui, per accidens autem ex alia præexistenti forma.

23. Ad secundam confirmationem responderetur: nutritionem non terminari ad substantiam, vt maior est: quia hæc maioritas est effectus formalis quantitatis, atque adèd correspondet augmentationi: sed terminatur ad substantiam, quæ fit maior. Vnde nutritio illa per se est à non esse formæ nutriti in materia alimenti, ad esse iusdem in illa eadem materia; quatenus fit materia aliti, & ita per nutritionem tantum fit substantia proximè capax maioris quantitatis; cum tamen antea solum esset sic capax minoris: cum hac tamen stat vt in illo eodem instanti fit formaliter maior: quoniam, est nutritio in genere causæ materialis sit; prior augmentatione; attamen in genere causæ formalis est posterior illa, & quantitate per eandem producta; atque adèd nec augmentatio potest dari sine nutritione; nec illa nutritio sine augmentatione, & maioritate substantiali.

Tertiò obijciat D. Thom. in presenti lect. 3. dictum illud Philosophi 2. de generatione, quòd ignis est contrarius aquæ. Et similiter, in 1. lib. de celo, dicitur, celum non esse generabile, neque corruptibile; quia non habet contrarium: ergo sentit Philosophus, easque corrumpuntur, vel esse contraria, vel ex contrariis composita.

24. Respondetur ex eodem Sancto Doctore ibidem: quòd ignis est contrarius aquæ secundum qualitates actiuas, & passivas, quæ sunt calidum, frigidum, humi

humidum, & siccum, non autem secundum formas substantiales.

Sed urgebis cum Diuo Thoma loco citato, quod propriæ passiones, caulantur ex principiis subiecti, quæ sunt materia, & forma. Si igitur propriæ passiones ignis, & aquæ sunt contrariæ: cum contrariorum sint contrariæ causæ: videtur, quod formæ substantiales sint contrariæ: Item in decimo Metaphysic. probat, quod omne genus diuiditur per contrarias differentias; differentia autem sumuntur, à formis: vt in octauo eiusdem libri habetur. Videtur ergo quod sit contrarietas in formis substantialibus.

25 Respondetur ex eodem Angelico Doctore lectione citata; quod contrarietas differentiarum, quæ est in omnibus generibus, attenditur secundum communem radicem contrarietatis; quæ quidem est excellentia, & defectus; ad quam oppositionem omnia contraria reducuntur: vt in primo huius habitum est. Omnes enim differentia diuidentes aliquod genus, hoc modo se habent, quod vna earum est vt abundans, & alia vt deficiens respectu alterius: propter quod Aristoteles dicit in 8. Metaphysic. quod definitiones rerum sunt sicut numeri, quorum species variantur per additionem, & subtractionem vnitatis. Non autem oportet, quod in quolibet genere sit contrarietas secundum propriam rationem huius, & illius speciei; sed solum secundum communem rationem excellentiæ, & defectus.

Et similiter etiam est in genere substantiæ: sunt enim formæ diuersarum specierum ad inuicem differentes, secundum excellentiam, & defectum: in quantum vna forma est nobilior alia: & propter hoc ex diuersis formis possunt causari diuersæ passiones, absque eo quod sit ibidem vera contrarietas, sub eodem genere, requisita ad motum. Alioqui in genere substantiæ esse duo extrema maxime distantia, inter quæ caderent omnia, quæ sunt illius generis; & non vtrumque; sed ita vt de vno extremo ad aliud non sit transitus, nisi per intermedia; sicut de loco sursum ad deorsum non potest per motum (de quo loquimur) descendi, nisi per media, quæ tamen non posse inueniri in genere substantiæ, iam probatum est.

*Stabilitur, non dari per se motum ad reliqua prædicamenta.*

## §. II.

26 Dicendum est secundo, ad actionem, & passionem non dari per se motum. Ita Aristoteles in præsentī capite tertio, & Diuus Thomas lectione tertia, & 11. Metaph. lectione duodecima, & communiter omnes Interpretes. Probatur facile ratione, quam innuit idem Aristoteles, & Diuus Thomas in præsentī, & 3. Physic. nam actio, & passio sunt realiter motus, sed ad motum non datur per se motus; alias procederetur in infinitum: ergo, &c.

Confirmatur: quia si ad actionem daretur per se motus, & similiter ad passionem: fieret inde, vt ad actionem, daretur actio, & ad passionem passio, & sic in infinitum: quandoquidem ad illa, ad quæ per se datur motus, datur etiam actio, & passio: & qua ratione ad vnā actionem datur actio, dabitur etiam ad aliam.

27 Sed dices: generatio substantialis, vt est mutatio, per se fit per motum: siquidem est terminus. Colleg. Compl. Physica.

nus præcedentis alterationis: vt disputatione, decima, numero septuagesimo diximus: ergo iam ad mutationem dabitur mutatio sine eo, quod detur processus in infinitum.

Respondetur, mutationem illam non fieri per se primo per motum, quod requirebatur ad hoc, vt ad illam esset per se motus; sed solum resultare ex termino primario præcedentis alterationis, propter specialem rationem, quæ in ipsa est, & in forma substantiali per eandem acquisita; vt ibidem exposuimus.

28 Dicendum est tertium ad relationem & cætera alia prædicamenta non dari per se motum: ita Aristoteles, & Diuus Thomas lectione tertia, necnon & cæteri Interpretes locis citatis. Et probatur ratione eorundem: nam relatio non fit per se, sicut etiam nec cætera alia prædicamenta, quæ supersunt, scilicet, *quando, sicut, & habere*: ergo neque ad illa dabitur per se motus. Consequentia patet: quoniam per hoc, quod est dari ad aliquid per se motum, & conditiones ad id requisitæ præsupponunt generalem quandam conditionem, & scilicet quod sit talis naturæ, vt per se fiat, seu fieri naturaliter possit.

Antecedens verò probatur: quoniam relatio non fit per actionem per se terminatam ad illam: sed per actionem terminatam ad fundamentum, ex quo (connotando tamen terminum) resultat relatio. Imò aliquando est absque noua mutatione, quæ sit in eo, quod refertur: vt cum Petro existente albō, & relato ad aliud album, producuntur de nouo plura alba; tunc enim per eandem relationem præexistentem, absque noua mutatione determinatur ad respiciendum noua alba.

Et similiter *quando*, est modus quidam resultans per naturalem emanationem, ex hoc quod res duret duratione temporanea, & contineatur sub aliqua parte temporis, vel sub toto tempore, quod est mensura extrinseca illius: & tandem *sicut* resultat ex *vbi*, quod est terminus motus localis: sicut & prædicamentum *habere* ex motu locali, quo vestes applicantur, &c.



## DISPUTATIO XXIII.

### DE VNITATE SPECIFICA, & numerica motus.

**S**EMEL explicatis prædicamentis, ad quæ datur per se motus, manet etiam explicata vnitās, & diuersitas generica motuum: quoniam, vt Aristoteles in hoc libro, textu trigesimo primo, & Diuus Thomas ibidem, lectione sexta, & communiter Interpretes docent: tunc motus habent vnitatem genericam, aut quasi-genericam, quando terminantur ad idem prædicamentum; sicuti, & tunc differunt genere, aut quasi genere; quando per se tendunt ad diuersa prædicamenta: & idè post præcedentem disputationem; merito hanc de vnitāte specifica, & numerica motuum excitamus.

## QVÆSTIO I.

*Ad quo motus suam sumat unitatem, & diuersitatem specificam.*

1. **P**RO huius quæstionis clarioris decisione notandum est primò, hic non fieri sermonem de vnitatem specifica propria, & rigorosa; sed tantum reduciua, & aliquali: quia cum motus sit essentialiter ens incompletum, atque ita non pertinens per se ad prædicamentum, nequit habere vnitatem specificam propriè, & rigorosè sumptam. Vnde D. Th. de illo dicit: quod motus non est ens completum, sed via ad ens.

Secundò notandum est ex Arist. in hoc lib. cap. 1. & D. Thom. ibidem lection. 1. hæc quatuor concomitari motum, scilicet agens, à quo egreditur; mobile seu passum in quo recipitur, terminus à quo incipit, & terminus ad quem terminatur; quia omnis motus est à quodam in quiddam. Quibus etiam potest ex eodem Aristot. in præsentis text. 32. & D. Thom. ibidem lection. 6. addi quintum nimirum distantia, seu medium per quod mobile transit. Quate solùm de his quinque videbatur posse dubitari: an omnia illa, vel aliqua eorum specificent motum.

2. Cæterum quoad agens, & passum, certum debet esse in doctrina Aristot. & D. Thom. non specificare motum, vt constat ex his quæ lib. 3. d. 17. nu. 5. & deinceps diximus: nam sicut actio, & passio non egrediuntur rationem formalem motus: ita nec agens, & passum. Propter quod D. Thom. in 2. distinct. 40. quæst. 1. art. 4. ad primum dixit: motum abstrahere ab utroque, nempe ab agente, & patiente. Quare, tota controuersia deuoluitur ad illa tria, quæ supersunt: an nimirum motus specificetur à termino à quo: vel etiam à medio, seu distantia prædicta; an verò solus terminus ab quem sit specificatum illius.

*Proponitur prima sententia.*

## §. I.

3. **P**rima sententia asserit, motum non specificari à solo termino *ad quem*: sed etiam à termino à quo, & à medio prædicto: ita vt motus sint eiusdem speciei, qui habuerint vnitatem in his tribus; & diuersæ, si habuerint diuersitatem in aliquo ex illis. Ita Albert. de Saxonia in præsentis quæst. 6. Astudillo ibidem q. 5. Burleus quæst. 2. & alij. Et quidem quoad distantiam, vel medium, & quoad terminum *ad quem* patebit ex infra dicendis. Quod verò terminus à quo, etiam specificet motum.

Probatur primò: nam Aristot. in hoc lib. cap. 1. & 4. inquit intrinsecum esse motum, inter contrarios terminos versari; & D. Thom. in 4. distinct. 2. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 2. ait motum secundum rationem suæ speciei requirere terminum à quo & ad quem; ergo non solum specificatur à termino *ad quem*, sed etiam à termino à quo. Consequentia videtur manifesta: quandoquidem ea sola ratione terminus *ad quem*, specificat: quia essentialiter respicitur à motu, & consequenter requiritur ad rationem specificam illius: ergo si hoc ipsum inueniatur in termino à quo, non poterit non prædictus

terminus simul specificare.

4. Confirmatur. Mutatio instantanea; & successiva distinguuntur specie: vt docet Aristot. loco citato: sed hæc distinctio tantum desumitur penes distinctos terminos, à quibus: ergo prædicti termini specificant illas. Minor probatur, quia motus propriè dictus tantum differt à mutatione instantanea per hoc, quod ille est à termino à quo positus; hæc verò à termino à quo priuatiuo; & ideo idemmet calor, si fiat ex priuatione sui, acquiritur per mutationem instantaneam; sicut, & per motum, si fiat ex suo contrariis, scilicet ex frigore: ergo diuersarum harum mutationum solùm potest desumi ex termino à quo.

Secundò, augmentatio, & diminutio sunt motus specie distincti: siquidem sunt essentialiter oppositi; at hæc diuersitas specifica non oritur ex termino *ad quem*, ergo ex termino à quo: ergo iste tribuit speciem. Minor probatur; nam potest contingere, vt habeant eundem terminum *ad quem*: puta, si vnum quantum bipedale augeatur vsque ad quantitatem tripedalem; è contra, verò, aliud quadrupedale diminuatur vsque ad eandem tripedalem quantitatem.

5. Confirmatur primò. Motus terræ ad sphaeram ignis, & motus ignis ad eandem sphaeram sunt essentialiter diuersi, & similiter motus ab albo in fuscum, & à nigro in fuscum: sed habent vnum, & eundem terminum *ad quem* (vt constat: ) ergo hæc distinctio solùm prouenit ex diuersis terminis à quibus. Maior, quoad primam partem est certa, quia motus ille terræ est violentus ipsi, motus verò ignis ad suam sphaeram est naturalis; idem autem motus non potest simul esse naturalis, & violentus; cum naturale, & violentum inter se opponantur. Quoad secundam verò partem ex Arist. in hoc lib. text. 32. D. Th. ibidem, & communiter recipitur à Philosophis.

Confirmatur secundò, Motus aëris à terra vsque ad mediam sui regionem, & motus terræ ab sphaera ignis ad eundem terminum distinguuntur specie: ergo talis distinctio solùm potest prouenire ex diuersis terminis à quibus. Consequentia patet: quoniam in terminis *ad quos* conueniunt. Antecedens verò etiam constat: nam primus est talis naturæ, vt nequeat, secundum suam speciem connaturaliter conuenire terræ: sicut nec secundus aëri: quod quidem arguit maiorem distinctionem, quam numericam, & ideo specificam.

6. Tertio. Motus ab albo in nigrum per distinctos calores intermedios distinguuntur specie, præcisè: quia vnus fit per vnum calorem intermedium, & alius per alium: sed media, per quæ sunt motus, habent per se modum termini à quo respectu vltimati termini: ergo vnitatem, & distinctio termini in quo specificat, & distinguit motus. Maior constat, nam duo illi motus magis distinguuntur, quam alij duo, qui essent per eundem calorem intermedium: ergo cum hi distinguerentur numero: consequens est, vt illi distinguantur specie. Minor verò etiam est perspicua: siquidem mobile tendit à medio vsque ad terminum vltimum, & hunc acquirit, & illud relinquit: ergo medium illud habebit rationem termini à quo respectu termini vltimati.

*Explicit*

## §. II.

### *Explicatur vera sententia aliquibus conclusionibus.*

7. **N**ihilominus dicendum est primò; motum habere suam vnitatem & distinctionem specificam à termino *ad quem*; non verò à termino *à quo*: ita Arist. in hoc lib. cap. 4. D. Thom. ibid. & 1. p. q. 3. 2. art. 1. ad 1. ubi inquit: *Motus non accipit speciem à termino à quo; sed à termino ad quem*: quos sequuntur communiter Thomistæ, Ferr. in præfenti q. 4. Tabell. q. 8. Sotus q. 3. Massius lect. 2. q. 2. & ex aliis Tolet. q. 2. Peter. lib. 1. 3. q. 8. Conimb. q. 1. Rub. cap. 4. q. 1. & alij plures.

Probatur primò ratione, quam innuunt Aristot. & D. Thom. locis citatis: quia omnes dealbationes, aut denigrationes, v. g. sunt eiusdem speciei, & tamen sæpe procedunt ex diuersis terminis *à quibus*: ergo ratio specifica motus non sumitur ex illis, sed ex termino *ad quem*. Consequentia patet: quoniam si diuersi termini *à quibus* specificarent, tunc non essent illæ dealbationes eiusdem speciei, etiam si terminarentur ad eundem terminum *ad quem*. Minor verò etiam constat; etenim dealbatio potest esse, vel à nigro in album, vel à fusco in album.

8. Maior verò, in qua est difficultas expressa Arist. cap. cit. text. 3. his verbis: *Omnis autem dealbatio, omni dealbationi unum secundum speciem erit, & omnis denigratio, denigrationi; albedini autem non amplius. Unde specie una dealbatio albedini omni. Vbi D. Thom. lect. 6. sic ait: Motus, qui sunt secundum colores, possunt esse diuersi speciei; sicut dealbatio, & denigratio: sed omnis dealbatio est eadem secundum speciem: similiter, & omnis denigratio; quia albedini non sunt amplius speciei, in quas diuidatur, &c.* Et loco citato ex prima parte postquam dixit, motum non accipere speciem à termino *à quo*; sed à termino *ad quem*: addidit. *Nihil enim refert quantum ad rationem dealbationis; utrum ille, qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, vel ruber.*

Secundò probatur ratione desumpta ex D. Angelico 10. Et hic lect. 5. quia motus essentialiter respicit terminum *ad quem*, vt via, & tendentia ad illum; vt ex eius definitione constat: ergo specificabatur ab illo solum. Consequentia patet: quoniam licet motus respiciat terminum *à quo*, & *ad quem*; aliter tamen & aliter: nam terminum *à quo* non respicit ratione sui; sed ratione termini *ad quem*: Etenim recessus ab illo est propter accessum ad istum: ergo non specificatur à termino *à quo*, sed à termino *ad quem*.

Patet hæc vltima consequentia: quoniam ad rationem specificatiui requiritur, vt non inspiciatur vt-cumque, & per modum termini materialis: sed per modum termini formalis: sicut licet materia intrinsecè includatur in homine, & equo nihilominus, quia concurrat materialiter ad eius constitutionem; idè secundum se non tribuit illis propriam specificationem; sed hæc desumitur à forma.

9. Confirmatur ex eodem D. Thoma in hoc lib. text. 4. lect. 1. nam motus ab illo specificatur, à quo accipit suam denominationem: ab illo siquidem res denominatur à quo habet esse: sed motus denominatur à termino *ad quem*; non verò à termino *à quo*: ergo ab illo, & non ab isto specificabitur. Minor probatur; nam dealbatio denominatur ab albedine, quia est terminus *ad quem*; similiter augmentatio, & motus locales denominantur à propriis terminis *ad quos* scilicet, à præfentia locali, & maiori quantitate.

Confirmatur denique ex eodem S. D. ibidem. *Mo-*  
*Colleg. Comp. Physic.*

tus est destructio termini *à quo*; & acquisitio termini *ad quem*: nam quando terminus *à quo* non incipit destrui ex vi motus, nondum incipit mobile moueri: ergo repugnat illi (vt ex se constat) & habet conuenientiam cum isto: siquidem ad eum properat, & est via ad ipsum; & sic non specificabitur à termino *à quo*; sed à termino *ad quem*: cum nihil specificetur ab eo, qui repugnat: sed ab illo, cum quo habet conuenientiam.

10. Dicendum est 2. Ad vnitatem specificam motus requiritur etiam vnitatis mediij, seu viæ formaliter sumptæ. Ita Ferr. ubi supra conclusionem 2. & alij plures ex Iunioribus.

Probatur 1. ex Aristot. in præfenti text. 3. 2. ubi postquam dubitauit: an si quidpiam sæpe moueatur ab eodem in idem: tunc illi motus sint eiusdem speciei, aut diuersæ. Respondet: non esse eiusdem speciei, si medium, & via, per quam fit motus, non sit eadem: & idè motum circularem, & rectum ad eundem terminum esse diuersæ speciei: quia alius procedit per lineam rectam, & alius per circularem.

Et confirmatur ex D. Thom. ibidem lect. 6. dicente: *Ad hoc vt motus sit idem in specie, non solum requiritur identitas termini secundum speciem, sed etiam identitas eius, per quod transit motus. Manifestum est autem, quod linea recta, & circularis sunt diuersæ secundum speciem, Unde motus circularis, & rectus; voluntarius non sunt idem secundum speciem; quamuis sint circa eosdem terminos: quia via non est eadem secundum speciem: sed sint iidem termini, & eadem via secundum speciem, sunt idem motus secundum speciem.*

11. Nec necesse erit, assertionem hanc amplius confirmare: tum quia differentia specifica motus recti, & circularis; de quibus in his testimoniis fit mentio, eam satis conuincit. Tum etiam quia sequitur in his, quæ in Logica disp. 19. num. 49. circa specificationem scientiarum diximus. Nam ibi ostendimus: diuersitatem mediij, per quod acquiritur scientia, diuersificare per se illam ab omnibus aliis: quia scientia non est vt-cumque assensus; sed assensus per tale medium: ergo cum motus ille non sit vt-cumque acquisitio termini; sed per talem viam, sue per tale medium: consequens est, vt diuersum medium inferat diuersum in specie motum.

Sed dices; si ad vnitatem specificam motus requiritur identitas mediij simul cum identitate termini *ad quem*: ergo hoc ipso quòd sit diuersum medium, erit motus diuersus; licet terminus *ad quem* sit idem, ac proinde motus ille non distinguetur specie per terminum *ad quem*, quod quidem aperte pugnat cum prima assertionem.

12. Respondetur negando primam consequentiam: nam hoc ipso quòd medium sit formaliter diuersum, etiam terminus erit formaliter diuersus: itaque terminus iste potest considerari, vel materialiter in esse entis, vel formaliter; & in esse termini: licet ergo in esse entis possit esse idem; quamuis acquiratur per diuersum medium; non tamen formaliter, & in esse termini; quia in esse termini dicit seipsum, vt est hoc, vel illo modo attingibilis; vt autem est acquisibilis per hoc medium, scilicet per lineam circularem, non est acquisibilis per aliud, scilicet per lineam rectam: quamuis tota hæc diuersitas oriatur ex diuersitate mediij per quam acquiritur. Sicut hæc propositio, *Dens est*, est scibilis per medium Metaphysicum, est diuersa in esse scibilis à seipsa: vt potest sciri per medium Theologicum: quæ quidem diuersitas oritur ex diuersitate mediorum, vt loco citato diximus.

*Occurritur argumentis prima sententia.*

§. III.

13 **A**D primam ergo pro prima sententia, constat ex dictis pro prima assertionem: quia motus non respicit intrinsecè terminum à quo propter seipsum; nec tanquam terminum formalem: sed ratione termini ad quem: & idè non est mirum, quod non specificetur ab illo: sicut Theologia licet respiciat Deum, & alia: quia tamen Deum respicit ratione sui, cætera verò materialiter, & ratione Deitatis: idè solus Deus respicitur vt specificans. Nec refert si dicas, quod etiam medium respicitur propter terminum vltimum: quia hoc satis constat ex dictis.

Ad confirmationem respondetur, quod etiam concessio antecedenti: vt innuit Diuus Thomas cum Aristotele lectione octaua, nihil inde contra nos infertur: nam licet illæ duæ mutationes habeant vnum, & eundem terminum materialiter; non tamen vnum, & eundem formaliter sumptum. Quare in termino ad quem est etiam distinguenda duplex ratio formalis, scilicet ipse vt est acquisibilis ex priuatione sui, vel ex suo contrario: & secundum priorem rationem correspondet mutationi instantaneæ; at verò secundum aliam, successiuæ.

Vel secundò responderi potest cum pluribus ex iunioribus Thomistis, mutationem instantaneam, & motum propriè dictum tendentia in vnum, & eundem terminum, secundum speciem, verbi gratia, in calorem, non distingui specie essentiali, sed solum modaliter. Et ratio est: nam in calore possumus considerare tum propriam essentiam, & specificationem: tum etiam latitudinem, & intensionem, quæ est modus illius. Vnde ex quo capite, tam motus, quam mutatio instantanea, respiciunt eundem calorem, & terminum secundum speciem, sunt eiusdem speciei: at ex quo capite motus peculiariter respicit modum illum latitudinis, & intensionis eiusdem caloris, & vt secundum illum est successiuè acquisibilis, distinguitur modaliter à mutatione instantanea ratione successione, & latitudinis, quam superaddit, quæque iuxta hanc sententiam tantum est modus illius intrinsecus: ita distinguitur modaliter à mutatione illa instantanea, quæ peculiariter non respicit calorem secundum prædictam latitudinem, seu vt secundum illam est successiuè acquisibilis, quam solutionem indicat Diuus Thomas 1. p. quæstione citata.

14 Ad secundam respondetur negando minorem, si intelligatur de termino ad quem formaliter, & in esse termini considerato; secus verò si de termino materialiter, & in esse entis intelligatur, quia quantitas tripedalis terminat motum augmentationis, vt habet rationem maioris, collata cum quantitate bipedali; at verò terminat diminutionem, quatenus comparata (modo statim dicendo) cum quantitate quadripedali, habet rationem minoris. Constat autem quantitatem, vt maiorem distinguere formaliter à quantitate, vt minori.

Ad primam confirmationem respondetur negando maiorem quoad primam, illius partem: nam idem motus secundum speciem potest esse connaturalis vni subiecto, & violentus alteri; vt patet in calefactione. Vnde naturale, & violentum non sunt differentie essentielles: sed accidentales motus; cuius rationem tetigit optimè Diuus Thomas quæstione septima de potentia, articulo octauo; quia motum esse violentum, vel naturale sumitur à principio,

à quo procedit: motus autem non specificatur à principio, nec ad illum dicitur ordinem, sed ad terminum ad quem. Quapropter non possunt sumi ab illo differentie essentielles motus, sed ad summum accidentales.

15 Ad secundam partem maioris, concedimus, motus illos ab albo in fuscum, & à nigro in fuscum specie differre, vt innuit Diuus Thomas cum Aristotele lectione octaua, negamus tamen hanc differentiam sumendam esse ex terminis à quibus; sed ex terminis ad quos, nam cum calor fuscus sit medius inter nigrum, & album, participat naturam vtriusque extremi: & idè collatus cum albo, habet virtualiter saltem rationem nigri; & vt collatus cum nigro, habet rationem albi: & sic sub diuersa formali ratione terminat.

Ad secundam confirmationem concedendum est antecedens, & neganda consequentia, & ad probationem dicendum est: motus illos non habere eundem terminum formaliter sumptum: nam primus motus est sursum; secundus verò deorsum: quia ille met locus, vt collatus cum superiori loco, à quo descendit terra, est locus deorsum, sicuti vt comparatus cum eo, à quo ascendit aer, habet rationem loci sursum. Adde, quod terminus per se primus motus localis non est locus; sed ubi, & in vtroque motu acquiritur distinctum ubi.

16 Sed dices. Terminus ad quem formaliter sumptus dicitur talis per habitudinem ad terminum à quo; ergo etiam terminus à quo specificabit motum. Patet consequentia: quoniam inde colligimus, potentias specificari etiam ab obiectis: quia specificantur ab actibus, & hi dicuntur essentialem habitudinem ad obiecta: ergo similiter in præsentia.

Antecedens verò etiam constat: tum quia terminus ad quem formaliter sumptus non potest intelligi in esse termini sine termino à quo; quia est talis per collationem cum illo, & ob hoc dicitur intrinsecam habitudinem ad illum. Tum etiam, quia in exemplis propositis idè quantitas illa bipedalis dicitur maior: quia respicit minorem: sicut & minor, quia respicit maiorem; & similiter color fuscus habet rationem albi, vel nigri ex diuersa comparatione ad terminos, à quibus procedit, motus scilicet albo, vel nigro. Et tandem idem locus dicitur sursum, vel deorsum per diuersam habitudinem ad distinctos terminos, à quibus.

17 Respondetur negando antecedens, & ad primam probationem dicendum est, rationem termini ad quem formaliter sumpti esse reuera quid absolutum; quamuis si concipiatur sub conceptu expresso termini motus, nequeat intelligi sine illo, ac proinde nec sine termino à quo; non quidem ob relationem, quam dicat, sed ob connexionem, quæ est inter illum, & motum; quia plura sunt, quæ habent connexionem cum aliis, ad quæ tamen nullam dicunt habitudinem, etiam transcendentalem: vt patet in scibili, & in omnipotentia Dei: nam scibile, vt tale, est connexum cum scientia; & similiter omnipotentia cum creaturis possibilibus. Et tamen neque scibile dicitur ordinem realem ad scientiam; nec omnipotentia ad creaturas posibles.

Ex quo ad secundam probationem respondetur: quod vt Diuus Thomas in præsentia lectione 3. & locis citatis disputatione præcedenti innuit: ratio quantitatis maioris est aliquid absolutum, licet explicetur per comparationem ad aliud: nam sicut esse quantitatem magnam, & perfectam, est ratio absoluta, scilicet, esse tantam, quantam requiritur natura illa, ad hoc vt sit optimè disposita in ordine ad suas operationes: in



ita esse maiorem, vel minorem licet non ita perfectam, esse tantam, quanta requiritur, ad hoc ut natura sit magis, vel minus disposita in ordine ad illas. Quare etiam in illis ratio terminandi est absoluta, licet non possit explicari, nisi per comparationem ad aliud: quia ratio illa est quid medium inter duo extrema participans naturam utriusque.

18 Ad ultimum respondetur primò: motum ab albo in nigrum: verbi gratia, per fuscum non esse unum, & eundem motum: sed plures, & specie diuersos, & sic intercedere ibi veram discontinuationem, & idem de aliis motibus tendentibus ab extremo ad extremum colorem, per intermedios, dicendum est. Vnde ab vno extremo ad intermedium colorem erit vnus motus, & quatenus ab aliquo ex intermediis peruenitur præcisè, & formaliter ad aliud extremum, erit alius motus, scilicet dealbatio, vel denigratio, respectu cuius materialiter se habet quod terminus à quo sit hic, vel ille intermedius color, vel remotè saltem fuerit color extremus, quia prædictus motus tantum habet formaliter rationem dealbationis; siue ab hoc, vel ab illo procedat.

19 Secundò respondetur ex Paulo Veneto, & Soto ab eodem relato 3. Physicorum quæst. 3. conclus. 4. quod in motu ibi dicto per quodcumque medium discedatur ab albo, sit participatio nigri, & ideo terminus per se intentus in quocumque tali motu, est nigrum. Sed in motu locali, non quomodocumque discedatur ab A. tenditur per se ad B. sed solum quando discessio est per lineam rectam in B. Quando enim discessio est per lineam circulearem, vel obliquam; iam motus tendit in alium finem: sed per accidens reuertitur ad illum punctum. Quæ solutio videtur propriè accidere ad mentem Philosophi, & D. Thom. alioqui non dixisset, omnes dealbationes à nigro in album esse eiusdem speciei; cum tamen peculiariter de motu circulari, & recto dixerit, differre specie ratione distincti medij. Non enim credendum est, quod si in dealbationibus esset aliqua exceptio: ita ut aliquando diuersificarentur specie, ratione distincti medij, quod hæc fuisset ab Aristot. & D. Thom. prætermissa: sicut nec in motu locali illam prætermiserunt.

Quare, omnes motus ab albo in quodcumque medium versus nigrum, & omnes à quocumque medio versus nigrum, sunt eiusdem speciei: quia omnes sunt ab albo in quodammodo nigrum, aut à quodammodo albo in nigrum: & omnes à nigro versus album, sunt alterius speciei, & contrarij prioribus. Vnde ad hoc etiam signanter in assertionem diximus, quod ad vnitatem motus requiritur vnitatem medij, seu viæ formaliter sumptæ: quia iuxta hunc secundum dicendi modum fatendum est in aliis motibus, & in motu dealbationis esse quid materiale, quod fiant per hanc, vel illam viam, seu medium, ut modò innuebamus.

## Q V Æ S T I O II.

*Virum ad vnitatem numericam motus requirantur, & sufficere vnitatem mobilis, termini, & temporis.*

**Q**uia post vnitatem specificam statim sequitur vnitatem numericam; ideo meritò quæstionem hanc post præcedentem excitamus.

*Colleg. Compl. Physic.*

*Adducuntur aliquot argumenta pro parte negatiua.*

### §. I.

20 **P**artem negatiuam suadere videntur hæc argumenta. Nam in primis non videtur requiri vnitatem mobilis: quia si canis ab alia turri præcipitetur, & in medio itineris moriatur; tunc motus ille erit vnus, & idem; & tamen non perseverat idem mobile; ut constat: ergo, &c. Maior probatur: nam cum in toto illo motu non quiescat (ut ad sensum parere videtur) consequens est, ut motus ille sit continuus, & ita vnus, & idem erit.

Secundò eadem pars quoad vnitatem termini probatur. Nam cum quis continuò mouetur localiter per spatium vnus leuæ, motus ille est vnus, & idem alioqui non esset continuatus, & tamen non est ibidem idem terminus: ergo ad vnitatem motus non requiritur identitas termini. Minor patet: nam *vbi*, seu præsentia localis, quæ acquiritur in principio motus; non est eadem cum cæteris aliis præsentis, quæ in discursu, & fine motus acquiruntur: siquidem adueniente vna præsentia ad vnâ partem illius spatij, deperditur alia ad alteram partem eiusdem spatij, ut ex se constat: ergo præsentia illæ variantur, & multiplicantur in variato.

21 Tertiò eadem pars, quoad vnitatem temporis probatur. Nam tempus habet suam vnitatem numericam à motu: ergo motus non potest habere suam à tempore: Antecedens patet: nam ut ex supradictis disput. 17. num. 22. constat: motus, est subiectum *quo* temporis, & ita tempus indiuiduabitur ab illo: sicut & reliqua accidentia à suis subiectis. Consequentia vero est manifesta, tum quia alioqui committeretur vitiosus circulus; tum etiam quia motus indiuiduaretur à seipso: quandoquidem indiuiduatur à tempore, & tempus indiuiduatur ab ipso: ergo de primo ad vltimum sumit suam vnitatem numericam à semetipso.

Quartò quia ad vnitatem motus requiritur etiam ultra tria prædicta vnitatem motoris: ergo, &c. Antecedens probatur, tum ex Arist. 8. Physic. cap. 6. text. 49. & cap. 10. eiusdem libri. text. 82. tum etiam, quia motus identificatur cum actione, & passione, ut ex eodem Arist. lib. 3. diximus: ergo repugnat variari, & manere eandem actionem: quin varietur, & maneat idem motus. Vnde cum ad vnitatem actionis requiratur vnitatem agentis, consequens est, ut etiam ad vnitatem motus desideretur.

*Ostenditur ad vnitatem numericam motus requiri, & sufficere vnitatem mobilis, termini, & temporis.*

### §. II.

22 **D**icendum tamen est: ad vnitatem numericam motus formaliter sumpti requiri, & sufficere vnitatem mobilis, termini, & temporis. Ita Arist. in hoc lib. cap. 4. text. 34. D. Thom. ibidem lect. 7. & 8. quos sequitur labell. q. 7. Soto quæst. 3. Astudillo quæst. de hac re, Veracruz speculatione 4. Tolet. qu. 4. Bruxell. qu. 1. art. 4. Pærer. lib. 13. cap. 9. q. 8. Massius in præfati, & plures alij.

*X I Proba*

Probatur hac vnica ratione desumpta ex Aristotele, & Diuo Thoma loco citato. Ad continuationem motus requiritur vnitas mobilis, termini, & temporis; & nihil aliud ultra desideratur: ergo etiam ad vnitatem illius. Consequentia patet: nam motus non est vnus per modum alicuius entis indiuisibilis: sed per modum entis successiui, & continui: ergo quæ requiruntur, & sufficiunt ad eius continuationem, requiruntur, & sufficiunt ad eius continuationem, requiruntur, & sufficiunt etiam ad illius vnitatem.

23 Antecedens verò, quoad primam partem, nimirum quoad vnitatem mobilis, constat; nam licet accidentia, quæ sunt in diuersis numero subiectis possint esse contigua; non tamen continua: vt patet in quantitatibus, & in aliis, quæ sunt de genere continuorum: ergo etiam ad continuationem motus requiritur vnitas numerica subiecti, seu mobilis.

Quoad 2. verò partem, scilicet quoad vnitatem specificam termini, etiam patet: nam ea, quæ sunt diuersæ speciei, non possunt continuari: quia nec ipsa possunt esse vnum (vt constat) nec esse ea, quorum vltima sunt vnum: siquidem sicut sunt diuersæ naturæ, ita quodlibet affert suum vltimum: sed hoc ipso, quod termini multiplicantur specie, etiam motus ad illos erunt diuersæ speciei, vt quæstione præcedenti diximus: ergo eo ipso non poterunt continuari.

24 Quoad 3. verò partem, scilicet quoad vnitatem temporis, etiam liquet: nam hoc ipso quod intrinseca duratio motus interruptatur: & consequenter non correspondeat illi ex parte primi mobilis tempus continuo mensurans illum; necesse est, vt interruptatur, & discontinuetur prædictus motus: tum quia nequit interrupti, & discontinuari duratio, quin interruptatur, & discontinuetur res durans: tum etiam quia hoc ipso quod prædicta duratio motus interruptatur, necesse est mobile, saltem tantisper quiescere, & ex consequenti, motum statim subsequutum, discontinuari à præcedenti: quandoquidem illi motus sunt discontinui, inter quos intercedit prædicta quies.

Et tandem quoad vltimam partem, nimirum, nihil aliud desiderari, idem antecedens suadet: nam identitas agentis, quæ, sola ultra prædicta desiderari videbatur, iam constat ex Aristotele libro tertio, & Diuo Thoma ibidem, nec non & ex his, quæ in eodem libro, disputatione decima septima, quæstione prima diximus; cum non requiri ad motum formaliter sumptum: nam sicut non includit formaliter actionem, ita nec ordinem ad agens, sed ab eo in sua formali ratione præscindit.

25 Sed dices, cur Aristot. in hac ratione non meminit vnitatis numericæ termini, sed solum specificæ: cum certum sit requiri ad vnitatem numericam motus vnitatem numericam termini; & idem motus ad duplicem numero albedinem erit idem specie, non tamen idem numero.

Respondetur, satis constare ex ratione facta, & conditionibus in illa petitis, requiri vnitatem numericam termini: nam si semel desideratur vnitas specifica illius vna cum vnitatem numericam mobilis, consequens est, vt desideretur vnitas numerica eiusdem termini: quia cum tam motus, quam terminus subiectentur in mobili, necesse est, vt sicut propter vnitatem numericam mobilis debet motus esse vnus numero: ita propter eandem vnitatem oportet, quod si semel terminus est vnus specie: sit etiam vnus numero: quia duo accidentia solum numero distincta;

non possunt simul esse in eodem subiecto. Vnde Aristoteles consultò non meminit expressè vnitatis numericæ termini: quia satis facillè ex prædictis conditionibus deducebatur.

*Satisfit argumentis partis negativæ.*

### §. III.

26 Ad primum ergo initio quæstionis positum neganda est maior: nam motus, sicut & alia accidentia subiectantur in toto composito: Vnde in eo instanti, in quo est verum dicere: *nunc non est canis*, & immediatè ante erat; etiam verum erit dicere: *nunc non est motus illius*, & immediatè ante erat: quia pereunte subiecto, pereunt cum illo cuncta accidentia. Quamvis cum hoc stet, quod licet motus canis, & cadaueris non sint vnus, & idem motus continuus; sint tamen inter se contigui: quatenus in eo instanti, in quo vnus desinit, incipit alius. Nam sicut in eo instanti, in quo est verum dicere, *nunc non est canis*; affirmatur tunc esse cadauer illius: ita in eodem verè dicitur, *nunc non est motus canis*, & immediatè *antea erat*: & similiter; *nunc non est motus cadaueris*, & immediatè post hoc erit, ita incipit tunc hic motus per *vltimum non esse*, & desinit alius in illo instanti per *primum non esse*.

Et ad probationem eiusdem maioris respondetur; in instanti desitionis canis dari quietem negativam, & hanc in præsentī, sicut & in pluribus aliis casibus sufficere ad discontinuandum motum: repetitum est.

27 Ad secundum respondetur, quod sicut spatium, seu locus, cuius vna medietas sit terræ, & alia aquæ, potest considerari dupliciter, scilicet, vt in esse entis, & quantitatis, vel in esse loci, seu spatij formaliter sumpti; & secundum primam considerationem non sunt vnum; sed duo: nec habent vnam & eandem latitudinem, seu extensionem totalem, vt ex se constat, sed illæ quantitates tantum sunt inter se contiguae; si verò secundo modo considerentur, sunt vnum, & idem spatium, & vnus, & idem locus formaliter: eo saltem modo, quo locus potest habere vnitatem: quia ad spatium, seu locum formaliter sumptum est quid materiale, quod vna medietas sit terræ, vel aquæ; aut quod quantitates ipsæ contiguentur.

28 Ita vbicationes (quæ suo modo continentur fundamentaliter in spatio, seu loco formaliter sumpto: quatenus non potest mobile acquirere præsentiam ad aliquam partem determinatam spatij: nisi perueniat ad illam) possunt considerari, vel in esse entis, & diuisiue sumptæ, vel inesse per totum inesse, seu (quod idem est) in esse termini totalis successiue acquisibilis per motum; & secundum priorem considerationem, quælibet habet suum esse totale, & latitudinem correspondentem loco, quem replet locatum; at verò secundum posteriorem, omnes illæ præsentia constituant vnam, & eandem præsentiam totalem, quatenus vna post aliam immediatè acquisibilis est, & habent hunc ordinem inter se. Quod potest explicari per hoc; quod omnes illæ sunt acquisibiles ex natura sua per vnum, & idem spatium, & ex propriis meritis; per vnum, & eandem motum.

29 Vnde semper saluatur identitas numerica termini totalis ad quem motus localis: quia vna ex his partialibus præsentis vnitur alteri, vel ratione prædicti ordinis, & acquisibilitatis, vel vt alij volunt

lunt ( de quo alibi ) ratione cuiusdam indivisibilis præsentia correspondetur *mutatio esse* eiusdem motus.

Nec obstat, quod hic modus unitatis videtur esse proprius rei successivæ: non verò rei permanentis, qualis debet esse ubicatio; & terminus cuiuscunque motus. Non inquam hoc obstat; quia reuera quævis ex illis ubicationibus est quid permanens, & ideo posset mobile permanere tam in medietate, quam in ultima parte illius spatij, & sic habere permanentem præsentiam ad illam; cuius oppositum petit natura successivæ. Vnde ratio, ob quam non possunt omnes præsentia simul esse, non est: quia sunt successivæ; ( licet aliquo modo imitentur naturam successivorum ) sed quia quævis ex illis præsentis pendet à determinata parte spatij; & ideo mobili discedente ab illa parte, non potest manere præsentia ad eandem.

30. Ad 3. respond. unitatem motus non desumi, à priori, ab unitate temporis intrinseci motui; sed solum à posteriori, & à signo. Vnde nihil contra nos. Adde, quod tempus primi mobilis mensurans continuationem motus horum inferiorum, non sumit suam unitatem ab illis.

Secundò respondetur: quod sicut quantitas permanens individuatur radicaliter à subiecto in genere causæ materialis, & ipsum subiectum individuatur in genere causæ formalis, & modo alibi dicendo à sigillatione ad eandem quantitatem: ita quatenus successiva, scilicet tempus, individuatur à motu, ut à subiecto, *quo*, & in genere causæ materialis: & rursus idem motus in genere causæ formalis individuatur ab eadem quantitate: quatenus hic numero motus nequit exerceri, nisi in hoc numero tempore.

21. Ad ultimum patet ex dictis, quomodo motus formaliter sumptus non dicat ordinem ad agens: & ideo testimonium illud Aristotelis solum intelligitur de motu, ut est actio. Nec refert si dicas saltem debuisse adhiberi ab Aristotele identitatem agentis, ut conditionem, & signum à posteriori unitatis: sicut iuxta priorem solutionem ponitur tempus. Nam respondetur sufficere tempus per modum signi ad prædictam unitatem denotandam, & ideo non debuisse numerare identitatem agentis. Maxime quia unitas temporis convenit illi ratione sui; at verò identitas agentis, seu ordo ad illud, non nisi ratione actionis cum qua indentificatur.

## DISPUTATIO XXIV.

### De contrarietate motuum.

**C**ONTRARIETAS motuum ex diversu eorundem natura, & specificatione procedit. Et ita Aristoteles postquam explicuit, unde motus suam specificationem sumat, statim de contrarietate eorundem agit: & ideo nos merito post præcedentem disputationem, hanc institutumus, ut eodem ordine quo Aristoteles, in controuersiam vocemus.

## Q V Æ S T I O I.

### Vnde motuum contrarietas desumatur.

**I**N hac quæstione aliquid ut certum supponimus; & aliquid in dubium vocamus. Supponimus enim dari motus inter se, suo modo contrarios, ut docet Aristot. in præsentis c. 5. text. 45. & D. Thom. ibidem lect. 8. & communiter Interpretes. Et manifestè cernitur in calefactione, v.g. & in frigidatione, quæ suo modo inter se contrariantur. Vocamus autem in dubium: unde hæc motuum contrarietas ortum ducat.

Burlæus, Albertus de Saxonia, & alij, qui, ut disputatione præcedenti quæst. 1. diximus, volunt motum specificari etiam à termino à quo, tenent contrarietatem motuum sumi etiam per se primò ab eodem termino à quo: & quidem satis consequenter: quoniam, ut statim dicemus, ab eodem sumitur contrarietas motuum, à quo unitas, & distinctio eorundem.

Probatur primò: motus essentialiter est via inter duos terminos contrarios: ergo ut duo motus inter se contrariantur, debent secundum utrumque terminum à quo & ad quem opponi: alioqui non contrariantur secundum ea, quæ essentialiter inuoluunt; atque ita nec secundum suas naturas.

2. Secundò, nam diuerso modo opponitur motus motui, & mutatio instantanea alteri mutationi instantaneæ; sed hæc diuersitas consistit in hoc, quod motus opponitur motui secundum utrumque terminum à quo, & ad quem posituum: at verò mutatio mutationi, secundum vnum terminum posituum; & alium priuatiuum: ergo motus debet opponi alteri motui secundum utrumque terminum à quo, & ad quem: propter quod eius oppositio ex utroque venanda est. Maior per se patet, & eam docent Arist. in hoc lib. cap. 5. & D. Thom. lect. 8.

Minor verò etiam liquet: nam calefactio, & frigefactio instantanea, ideo opponuntur per modum duarum simplicium mutationum: quia vna est à priuatione caloris, *ut sex* ad eundem calorem *ut sex*; & alia à priuatione frigoris *ut sex*, ad idem frigus in eodem gradu; è contra verò, ideo frigefactio, & calefactio in eodem gradu, *ut sex* opponuntur per modum motus, & motus: quia in frigidatio, ut habet rationem motus, est à calore ad frigus; & calefactio, à frigore ad prædictum calorem.

3. Nihilominus dicendum est, motuum contrarietatem non desumi per se primò; & formaliter ex diuersis, & contrariis terminis à quibus; sed ex contrarietate terminorum ad quos; aut etiam medij formalis, in his saltem motibus, qui per se illud petunt. Ita Aristot. in præsentis capite quinto, Diu. Thom. lection. octaua, & reliqui omnes quos disputatione præcedenti quæst. 2. pro nostra sententia retulimus.

Probatur ratione Aristot. & Diu. Thom. ibidem. Ab eo sumit motus per se primò, & formaliter suam contrarietatem à quo accipit suam speciem: sed motus (ut quæstione citata ostendimus) non sumit hanc à terminis à quibus, sed solum à terminis ad quos, & medio formali: ergo ab his; & non ab illis accipit per se primò, & formaliter suam contrarietatem. Maior constat: Nam unitas, distinctio, diuersitas, & oppositio consequuntur propriam specificationem re-

rum: ergo inde hæc desumuntur, unde specificatio desumpta fuit.

4. Dicendum est tandem. Contrarietas omnimoda, & vndeque motuum, attenditur à terminis, à quibus: quamvis ab eis non accipitur, nisi materialiter, & consecutiue. Ita Aristot. & D. Thom. & reliqui alij iam citati. Conclusionem hanc aperte conuincunt prima, & secunda ratio pro prima sententia allata, quas quidem ad eam probandam adduxit Aristoteles, & Doctor Angelicus in præsentī. Nam ad distinctum illum modum contrarietatis inter mutationes simplices inter se, & motus contrarios ad inuicem collatos, satis est, quod motus, vltra contrarietatem per se primam, quam participant à terminis ad quos formaliter sumptos, afferant (saltem materialiter) necessariò, & consequenter oppositionem positivam, & contrariam inter terminos à quibus: quam tamen ex se non afferunt duæ simplices mutationes inter se oppositæ, & re ipsa distinctæ à motibus tendentibus ad eundem terminum materialiter sumptum, ad quem ipsæ tendunt (vt supra disputatione præcedenti, quæstione prima diximus.)

5. Deinde probatur, & explicatur: nam licet terminus à quo, non specificet formaliter motum: at tamen intrinsecè respicitur ab illo tanquam terminus materialis, vt quæstione citata explicuimus. Et similiter quamvis non respiciatur per se primò, id est, ratione sui: inspicitur tamen ratione termini ad quem, & suo modo ex consequenti; quatenus ideo mobile recedit à termino à quo, vt accedat ad terminum ad quem: ergo contrarietas omnimoda, & vndeque motuum, prout includit contrarietatem (vt sic dicamus) materialem, & ex consequenti: etiam attenditur penes contrarietatem terminorum à quibus. Patet consequentia, quia secundum eundem modum sumitur contrarietas à terminis secundum quem inspicuntur à motu.

Ad argumenta oppositæ sententiæ patet ex dictis.

## Q V Æ S T I O II.

*Vtrum idem mobile possit simul moueri duobus motibus contrariis.*

6. **N**ON loquitur in præsentī de duobus motibus, quorum vnus per se, & alius per accidens, vel vterque per accidens conueniat mobili: nam certum est, posse hoc modo idem moueri simul diuersis motibus; vt patet in naua, qui ad motum nauis, & per accidens mouetur versus orientem, tamen ratione sui, & per se sæpe mouetur simul versus occidentem; & in Eucharistiæ Sacramento, vbi Christus per accidens, & ratione diuersarum quantitatum multis, & diuersis motibus localibus ad motum hostiæ mouetur.

Sicut neque etiam intelligitur titulus quæstionis de duobus motibus conuenientibus simul eidem, ratione diuersarum partium, aut ratione eiusdem partis: ita tamen vt prædicti motus simul inueniantur in gradibus intensis: quoniam ex se constat: posse vnum, & eundem hominem simul, secundum vnam manum calefieri, & secundum alteram frige fieri. Et similiter etiam est certum, non posse secundum vnam, & eandem partem, aut secundum se totum frige fieri, & calefieri in gradibus intensis.

Quare, tota controuersia est, an possit vnum, & idem secundum eandem partem simul, & per se moueri motibus contrariis in gradibus remissis.

7. Partem affirmatiuam tenent Plaza in præsentī quæltim. Conimbr. cap. 5. huius lib. & alij. Probatur primò ratione: duæ qualitates contrariæ, vt calor, & frigus, possunt simul esse in gradibus remissis: ergo etiam duo motus contrarij ad illas tendentes possunt simul esse in iisdem gradibus. Consequentia patet, tum ex paritate rationis; tum etiam quia motus sumunt suam contrarietatem à terminis ad quos: ergo sicut termini ad quos possunt simul esse in prædictis gradibus; ita & motus.

Secundò, si contingeret, reperiri aliquod subiectum aptum calefieri, & frige fieri, quod tamen non esset actu calidum, aut frigidum, & applicarentur illi duo agentia, quorum vnum esset summè calidum, & alterum summè frigidum: tunc quoduis eorum necessariò ageret in illud: ergo tunc moueretur simul passum illud motu infrigidationis, & calefactionis. Antecedens patet: nam vtrumque est agens naturale, & approximatum passo: sed agens naturale, & approximatum necessariò agit: ergo, &c.

8. Dicendum tamen est, non posse vnum, & idem simul, & per se moueri duobus motibus contrariis etiam in gradibus remissis. Assertionem hanc aperte innuit Arist. in hoc lib. cap. 6. text. 6. & D. Tho. ibidem, quos sequuntur Soncinas 10. Met. q. 23. lauell ibidem q. 13. Soto q. 4. huius lib. Valelius controuersia 31. & permulti alij.

Probatur in primis expresso testimonio Arist. qui loco citato inquit: magis contrariari motum motui, quam motum quieti, & rationem reddit, quia duo motus contrarij nequeunt esse simul; secus tamen motus, & quies.

Nec refert si dixeris cum aduersariis Arist. loqui de motibus contrariis in gradibus intensis, secus vero in remissis.

Nam contra hoc est, quod Philosophus eam denegat simultatem motibus contrariis, quam concedit motui, & quieti: at quies, & motus in gradibus remissis possunt esse simul: nam dum quis mouetur motu remisso, quiescit à motu intenso: ergo prædictam simultatem in gradibus remissis denegat duobus motibus contrariis. Patet consequentia: quia motus, & quies in gradibus intensis nequeunt esse simul: & ideo nequit quis calefieri in summo, & quiescere à prædicto motu.

9. Deinde ratione probatur primò. Id, quod calefit, recedit à frigore, & quod frige fit, accedit ad frigus; sed repugnat (saltem naturaliter) vnum & idem simul recedere, & accedere ad frigus: ergo etiam moueri prædictis motibus contrariis etiam in gradibus remissis.

Nec satis erit, si dixeris: ita posse temperari resistantiam ex parte passi, & adiuuitatem ex parte agentium; vt quantum frigiditatis agens calidum abiecerit, tantum, & non amplius producat agens frigidum; & è contra.

Nam contra hoc obstat, quod si agens calidum habet vim abiiciendi actiue à subiecto id frigoris, quod producit agens frigidum; etiam habebit vim, ad impediendam actionem ipsius frigidi; & è contrà: ergo prædicta agentia ita se impediunt, vt neutrum illorum agat; & sic passum non mouebitur simul motibus contrariis.

10. Confirmatur: quia nequit idem mobile simul accedere, & recedere ab vbi sursum, & deorsum etiam si ille accessus, & recessus sit exiguus: ergo idem dicendum erit de alijs motibus contrariis: quamvis non in eodem gradu necessitatis, vt alibi Deo dante explicabimus.

Secundò, & principaliter probatur assertio. Nam licet gratis daremus (de quo alibi) duos habitus, & formas

formas permanentes vt habitus amoris, & odij posse esse simul: nullus tamen concedet, posse vnum, & idem obiectum, & secundum eandem rationem amari & odio haberi; etiam remissè: quia amor simpliciter alicuius, etiam si sit remissus, inuoluit priuationem odij respectu eiusdem secundum eandem rationem considerati: ergo similiter, licet duæ qualitates, vt calor, & frigus, possint esse simul; non tamen duo motus contrarij, quia motus, seu fieri vnius formæ contrariæ, quantum est ex se, est abiectio alterius, & impedimentum motus, seu fieri quo aliud contrarium sit.

11 Ad primum patet ex dictis: nam vnus motus etiam remissus habet, quantum est de se, esse ipsam abiectioem alterius motus contrarij, & formæ per illum producendæ; at verò vna qualitas non est necesse, vt seipsa & ratione suæ essentia sit ipsa abiectio alterius, vt ex se constat.

Ad secundum patet etiam ex dictis in prima ratione pro nostra assertionem: nam si illa duo agentia sint omnino æqualia, mutuo se ad agendum impediunt, & hæc de præsentem quæstione & de toto libro quinto.


In 8. probat, quietem esse in infinitum diuisibilem, aliter tamen, & aliter quàm motum: nam huic conuenit diuisibilitas vt actui positiuo, illi verò tantum priuationi motus. Et loquitur, vt constat, de quiete, priuatiua, secundum quam quiescere dicimus illud, quod non mouetur, eo tempore, quo moueri poterat. Vnde prædicta quies nequit esse in instanti, sicut neque motus. In nouo tandem, & decimo capite proponit aliquos errores aliorum Philosophorum; & falsitatem, in eis contentam ostendit.



## DISPUTATIO XXIV.

### DE COMPOSITIONE

continui.

 V I A Aristoteles primo loco de compositione continui in hoc libro egit: ideo nos primo loco de illa agimus.



## LIBER SEXTVS

*Physicorum.*

### PROOEMIUM.

**D**E tribus, vnà cum Aristot. in hoc lib. agemus. Primum est de compositione continui: vt ita semel explicatis partibus, quasi subiectiuis motus, iam nunc compositio eius ex partibus integrantibus innotescat. Secundum est modus incipiendi, & desinendi eiusdem motus: quia iuxta modum compositionis rei, est modus incipiendi, & desinendi ipsius. Vbi etiam aliqua de inceptioe, & desitione rerum permanentium dicemus. Tertium est de terminis entis naturalis, seu de maximo, & minimo: Nam licet Arist. aliquid de eis in 1. lib. tetigerit, nihilominus iterum in præsentem hoc ipsum tangit: quia intelligentia eorum, quæ circa maximum, & minimum dicenda sunt, non parum ex dicendis in hoc libro pendent.

### SVMMA TEXTVS

*totius libri.*

**L**iber hic in 10. capitula secatur. In 1. & 2. probat Arist. continuum, & peculiariter tempus, non componi ex solis indiuisibilibus. In tertio agit de instanti, seu momento temporis, ostendens illud esse indiuisibile, & finem partis præteritæ necnon, & principium partis futuræ: ac tandem in prædicto instanti non posse fieri motum. In quarto de diuisibilitate motus sermonem instituit.

In 5. & 6. tractat de principio & fine motus: vbi etiam tangit motum desinendi illius, scilicet per primum non esse. In 7. ostendit istis quatuor nimirum mobili, spatio, seu magnitudini (per quam fit motus) tempori, ac tandem ipsi motui, conuenire eodem proportionali modo, quod sunt infinita, vel finita.

## QVÆSTIO I.

*Vtrum in continuo sint acta vera, & positiua indiuisibilia tam continuatiua, quam terminatiua.*

**Q**uia compositio continui, & plura, quæ ad illud pertinent, non parum ex notitia indiuisibilium quantitatis pender, ideo sigillatim de eis quæstionem hanc primò mouemus.

*Varia sententia recensentur.*

### §. I.

**P**rima sententia est aliquorum recentiorum assertentium, dari quidem in continuo indiuisibilia continuatiua quæ sint vera entia realia; minime verò esse realia indiuisibilia terminatiua. Quorum fundamentum est, quod quæuis res corporea seipsa est finita, & terminata: ergo non indiget indiuisibili terminante. Antecedens probatur: tum quia ex se non habet esse infinita; ergo finita: tum etiam, quia pars ex se habet esse situata ante punctum: ergo ex se habet ulterius non progredi: erit ergo ex se finita.

Confirmatur: nam si præscindamus per intellectum lineam à puncto, non minus manebit simpliciter finita sine illo, quàm cum illo: imò nec maior, nec minor, quàm antea: quandoquidem indiuisibile additum diuisibili non facit maius: ergo etiam si auferatur, non faciet minus.

2. Nec potest ad hæc responderi: quodd etsi quantitas seipsa sit negatiuè finita, non tamen positiuè: Vnde non sunt necessaria indiuisibilia ad terminandam vtrumque quantitatem; sed ad eam positiuè finiendam. Nam contra est; quodd si ratio finitæ attendatur, importat quidd negatiuum: tum quia finitum dicitur tale per carentiam maioris perfectionis, aut quantitatis atum quia infinitum dicit perfectionem, & positiuam entitatem: ergo finitum dicit imperfectionem, & carentiam: ergo ad rationem finitæ



finitatis continui non est cur finis positius excogitetur: maxime cum ad fundandam illam negationem sufficiat ipsa entitas continui diuisibilis: siquidem de illa potest affirmari, quod ulterius non se extendat.

3 Secunda sententia est aliorum assertentium, admittenda esse puncta, lineas, & superficies terminatiuas; non verò continuatiuas: ita Fonseca 4. Metaph. cap. 16. quæst. 6. & alij ex Iunioribus. Probatum primò ex Aristot. 8. Physic. cap. 8. & 3. Metaph. cap. 5. ubi inquit: *Superficies non esse actu in continuo sed solum potestate.* Quem locum explicans D. Thom. lect. 13. ait: *Quod autem dictum est de superficie; intelligendum est in linea, puncto, & unitate: hac enim in continuo non sunt actu, nisi solum quantum ad illa, qua terminant continuum.* Et opusc. 36. cap. 2. his verbis. *In hac ergo linea constituta per diuersitatem puncti, erunt puncta quadam duo actu, ut eius termini, qui cadunt in eius definitione, & infinita alia in potentia, secundum quod ipsa est in infinitum diuisibilis potentialiter.*

Deinde ratione probatur: nam si Deus separaret à linea omnia indiuisibilia continuatiua, tunc reuera maneret continua: ergo ad continuandam lineam non sunt necessaria indiuisibilia, ac proinde neque ad continuandas alias quantitates. Antecedens patet: nam vel illud, quod tunc remaneret in linea, esset aliquid indiuisibile, & hoc non: alioquin non essent ablata omnia puncta, & indiuisibilia: vel diuisibile secundum longitudinem, & tunc esset linea, & consequenter habens partes intrinsecè vnitas, in quas sit diuisibilis: quamuis careat prædictis punctis.

*Vera sententia Aristotelis, & D. Thoma, & primum illius fundamentum.*

### S. II.

4 **N**ihilominus dicendum est: in continuo verè dari actu indiuisibilia, tam continuatiua, quam terminatiua, quæ sint realia, & positiua entia, & hæc in linea esse puncta, in superficie verò lineam, ut indiuisibilem secundum latitudinem, in corpore verò superficiem, ut indiuisibilem secundum profunditatem. Ita Aristot. & D. Thom. locis statim referendis, Themist. Simplicius, & Phyloponus; Capreolus in 2. dist. 2. quæst. 1. Deza q. 2. art. 4. Caiet. 3. p. quæst. 4. art. 2. & cap. de quantitate, Soto ibidem quæst. 2. Soncinas lib. 10. Metaph. quæst. 20. Suarez secundò tom. suæ Metaph. dist. 40. lect. 5. numero 28. Plaza, Mazius, & Rubius in præsentia, & alij plures.

Assertio hæc, quoad secundam eius partem, scilicet hæc indiuisibilia in linea esse puncta, & in superficie lineam, apertè sequitur ex priori: nam si semel dantur prædicta indiuisibilia in continuo, necesse est, ut sint indiuisibilia secundum eam dimensionem, secundum quam continuum est diuisibile: Vnde cum punctum sit indiuisibile secundum omnem extensionem, erit accommodatum ad continuandam, & terminandam lineam, quæ secundum solam longitudinem est diuisibilis. Et similiter cum superficies habeat, diuisibilitatem secundum latitudinem, continuabitur, & terminabitur per lineam, quæ secundum latitudinem est indiuisibilis. Et tandem quia corpus est patibile secundum profunditatem, habebit pro continua-

tio superficiem, quæ secundum hanc dimensionem impartibilis est, ut ita prædictum vinculum impediatur, ne vna pars, verbi gratia, lineæ, immediatè tangat, aut quasi tangat aliam, & intromittatur in illam: ac proinde penetretur cum ea.

5 Deinde quoad eius primam partem probatur in primis ex Aristot. qui capite de quantitate sic ait. *Linea verò continuum est. Sumi namque communis terminus, quo partes lineæ copulentur, punctum potest.* Vbi idem docet de superficie, corpore, & tempore, & 5. Metaph. cap. 6. assertit: puncta habere positionem in continuo, & in hoc lib. cap. 1. 2. & 3. id manifestè docet probans continuum non constare ex solis indiuisibilibus. Vnde cap. 3. text. 29. inquit. *Inter puncta verò semper est linea.* Et hoc ipsum docet de indiuisibilibus terminatiuis lib. 5. huius operis cap. 3. text. 26. tradens definitionem continuorum, & continuorum.

Confirmatur ex D. Thoma: tùm in commentariis locorum Aristotelis, quæ retulimus: tùm etiam opusculo 36. cap. 2. ubi inquit: *In linea tamen sunt plures puncti, & realiter ab inuicem diuersi, ut duo eius termini. Et similiter in eius continuatione:* & quæst. 28. de veritate art. 2. ad 10. assertit. *Ante ultimum instans huius temporis non est accipere aliud immediatè proximum, quia quodcumque instans accipitur aliud ab ultimo, inter ipsum, & ultimum erunt infinita alia instantia.* Et in hoc lib. lect. 8. ait, quodd. *In quavis linea est figuræ infinites punctum, ante punctum, & in quolibet tempore infinites instans.* Quod etiam multoties in aliis locis repetit. Et confirmatur ex D. August. in lib. de quantitate animæ cap. 11. & 12. confel. cap. 14. vsque ad 18. ubi nostram assertionem docet.

Deinde ratione desumpta ex Aristotele, & D. Th. locis citatis: sic primò suadetur assertio; quoniam contigua, ut talia realiter se tangunt, & quodlibet eorum habet suum ultimum: ac tandem quatenus contigua differunt essentialiter à continuis: ut cum Aristotele docent communiter Philosophi: sed hæc non possunt saluari, nisi admittantur realia indiuisibilia continuatiua, & terminatiua: ergo, &c.

Minor quoad primam partem, scilicet quoad contactum, probatur, quoniam non possunt se realiter tangere in ipsa carentia extensionis, cum hæc sit nihil, neque in profunditate, ut tali: quia vnum corpus non potest tangere profunditatem alterius, ut talem; nisi intromittatur in aliud saltem secundum aliquam sui partem; atque ita nisi ibidem sit aliqua penetratio, quæ tamen, ut constat est naturaliter impossibilis, ac proinde solum possunt se tangere ratione indiuisibilium terminatiuorum. Quoad secundam verò partem constat: nam cum quævis pars sit in infinitum diuisibilis, nequit ibidem assignari aliqua, quæ sit prima, aut vltima. Et tandem quoad vltimam partem etiam liquet: quia si duas partes quantitatis esse continuas, non addit nexum positium, & consequenter indiuisibile aliquod quo necitantur; fiet inde, ut duas partes vnius lapidis esse continuas, tantum importet, quod non sint eiusdem naturæ, & quod non distent inter se: at hoc ipsum habent duo lapides inter se contigui: ergo, &c.

*Expendi*

*Exponitur secundum fundamentum vera sententia.*

## §. III.

7 **S**ecundò principaliter, quoad eandem partem suadetur assertio ratione, quam ex parte innuit Arist. 1. de Anima cap. 1. text. 13. & D. Thom. ibidem: nam si deret globus perfectè sphaericus, & simul aliud corpus perfectè planum tunc globus ille, si super hoc planum, poneretur, tangeret realiter, & physicè illud: ergo tangeret aliquid reale, & positivum illius. Realis enim contactus nequit fieri in negatione, quæ realiter est nihil: at non tanget illud, nisi in puncto: igitur dantur in continuo vera realia, & positiva indivisibilia. Minor probatur: tum testimonio Aristotelis loco citato: tum etiam autoritate Euclidis Mathematicorum Principis, rationeque ex ipso desumpta: nam aliàs oportet esse in globo aliquam extensionem planam: quia corpora, quæ se tangunt, adæquantur in eo, in quo talis contractus fit: at corpori plano non potest nisi planum adæquare: ergo si globus in aliqua extensione tangeret planum, necessariò etiam haberet in se planam extensionem, & consequenter non esset perfectè sphaericus.

8 Et simile argumentum potest fieri in cylindro seu columna perfectè rotunda, quæ cadens super perfectè planum, non potest illud nisi in linea tangere: ob eandem rationem: sicut etiam duo plana solida, & perfectè, non possunt se tangere nisi in re indivisibili secundum profunditatem: quia aliàs penetrarentur, ut ex statim dicendis constabit: ergo necessariò ponenda sunt in continuo realia indivisibilia.

Multipliciter solent aduersarij huic argumento respondere. Alij enim respondent: quòd licet corpora illa se tangant, non tamè in re, aut parte aliqua determinata; sed in indeterminata, quod (ut ipsi aiunt) est tangere indivisibiliter in re diuisibili.

Sed in primis hæc responsio non saluat contactum illorum duorum corporum, quæ perfectè sint plana, & æqualia: nam cum hæc non possint se tangere in aliqua minima, & indeterminata parte profunditatis: quia aliàs penetrarentur; necesse est, quòd in superficie; imò & quòd in tota superficie indivisibili secundum profunditatem fiat hic contactus, cum in tota illa se adæquent.

9 Deindè: nam etiam si admittantur ea, quæ in hac solutione dicuntur, adhuc non soluitur vis argumenti: nam inquitimus: num illud, in quo huiusmodi corpora se tangunt, siue illud sit certum, & determinatum, siue incertum, & indeterminatum; sit extensum, necne? Si hoc secundum dixeris, habemus intentum, quòd scilicet dentur realia indivisibilia in continuo, si verò sit diuisibile, & extensum ex parte vtriusque: ergo & ipse globus extensionem planam habebit, siue determinatam, siue indeterminatam: ergo non erit perfectè sphaericus sicut supponimus: quia huic (ut ex Euclide diximus) repugnat vera planities. Item; quia tangere aliquid indivisibiliter necessariò importat, ut saltem vnum extremum sit indivisibile: quia illa dictio, vel adverbium, *indivisibiliter* dicit modum rei indivisibilis, non diuisibilis: sicut è contrariò tangere rem aliquam diuisibiliter, est modus rei diuisibilis, & non indivisibilis: ergo repugnat contingere se indivisibiliter, & non esse ibidem aliquod verum indivisibile.

10 Alij verò aliter secundò occurrunt dicentes: contactum illum fieri in indivisibili eminenter & non formaliter ibi existente. Sed contra est: quia cū da-

remus, ibi punctum esse eminenter, adhuc non soluitur vis argumenti: quia contactus horum corporum est actualis, & formalis per quam vltima corporum actualiter, & formaliter sunt simul: ergo contactus hic necessariò postulat indivisibile actu, & formaliter ibidem existens. Præterea, non est minus formalis contactus corporis sphaerici, aut cylindri super planum cadentis, quàm plani super alterum planum: sed hæc duo se tangunt per positivas superficies in eis formaliter existentes: ergo & alia duo se tangent per indivisibilia in eis formaliter existentia.

*Diluantur argumenta initio posita.*

## §. IV.

11 **A**d primum pro prima sententia, & eius confirmatione benè respondetur ibidem. Vnde quantitas sine indivisibili terminatio erit capax positivæ terminationis, & consequenter afferet carentiam vltioris extensionis: non tamen erit positivè terminata, nec adæquatè finita: quoniam adæquata finitas eius petit finitatem tam positivam quam negativam.

Et ad probationem contra hoc negandum est antecedens: nam finitum, & infinitum mutuo inter se per modum habitus, & priuationis, & secundum diversas rationes comparantur. Etenim infinitum duo habet: primum est habere plures, ac plures partes: secundum est, habere quandam carentiam terminati positivi: sicut, & finitum duobus aliis è regione oppositis gaudet, scilicet carere vltiori extensione, quæ post punctum terminativum subsequatur, & habere positivam finitatem, scilicet indivisibile terminativum. Vnde infinitum secundum id, quòd dicit positivum, habet se per modum habitus respectu carentiæ importatæ à finito: sicut etiam finitum ratione sui positivi habet per se modum habitus, & formæ positivæ respectu illius carentiæ, quam infinitum secum affert.

12 Ad id autem, quòd vltimo loco in eadem probatione additur, dicendum est: solam entitatem vltimæ partis aliquotæ non esse satis ad fundandam carentiam tam vltioris extensionis, quàm vltioris entitatis, aut modi positivè finientis, & terminantis ipsam: quia hæc carentia fundatur immediatè in ipsa entitate indivisibilis terminativi; quòd post illam partem sequitur. Vnde vsque dum tale indivisibile sit, non est quantitas illa terminata omni terminatione, quam petit: sicut nec substantia est terminata eo modo, quem petit, per hoc, quòd habeat carentiam essendi in alio, ut in subiecto, vel ut in supposito, nisi habeat positivum terminum; ratione cuius sit positivè per se Maximè, quia quantitates, nisi maneant positivè terminatæ, non poterunt contiguari, nec tangere se corpora, nisi ad inuicem penetrarentur, ut explicatum est: & consequenter non remanent cum terminatione, quam petunt.

13 Ad primum pro secunda sententia respondetur: Aristotelem, & D. Thom. solum loqui de diuisibilibus terminativis, quæ sunt in potentia continui, & resultabunt toties, quoties illud diuisum fuerit. Itaque in quantitate continua alia ad minus sunt indivisibilia, quæ actu continent, & non exercent præcisè munus terminandi: alia verò, quæ neque actu terminant, neque continent: quia revera non sunt; attamen continentur in potestate continui, & ipso diuiso resultant, & terminant. Loquendo ergo de indivisibilibus terminativis tunc linea ut longa habet actu duo, licet habeat plura, & plura in

in potentia: quia quantitas illa potest in infinitum diuidi. Et idem D. Th. ut innueret, se loqui de his indiuisibilibus, addidit illa vltima verba, scilicet: *Et infinita, alia in potentia secundum quod ipsa est in infinitum diuisibilis potentialiter.*

Ad secundum responderetur: in primis casum esse impossibilem: quia aliàs maneret continuum diuisum in omnem sui partem: quandoquidem sublato omni continuatiuo, si manent res, quæ antea continuabantur, debent etiam manere diuisæ in omnem sui partem, quod sanè est contra naturam quantitatis continuæ, quæ nulla diuisione exauriri potest; sed semper est ulterius, & ulterius diuisibilis. Deinde addimus quoddam gratis admissio, sed non concesso illo casu, non remaneret linea; non quidem, quia solum constat ex solis indiuisibilibus, sed quia essentialiter pendet ab illis: quandoquidem essentialiter est quantitas continua: unde his ablatis, petit quæuis alia entitas, quæ in ipsa intrinsecè reperitur.

## QVÆSTIO II.

*An continuum constet ex solis indiuisibilibus.*

**S**emel explicata existentia indiuisibilium in continuo, oportet declarare, quomodo in ordine ad illud se habeant, & idem id secundo loco inuestigamus.

*Placitum Zenonis, & aliorum.*

### §. I.

**14.** **P**rima sententia est asserentium continuum solum ex indiuisibilibus, numero tamen finitis componi: ita ut verbi gratia linea nihil aliud sit, quam multitudo, & collectio punctorum. Sic Stoici Philosophi, duce Zenone. Item Pythagoras. Democritus, Leutippes, & multi alij, qui Aristotelis ætate florere, quos etiam nouissimè sequuntur nonnulli Moderni ex Societate Iesu, qui scripta sua nondum prælo mandarunt.

Probatum primò. Si globus perfectè sphaericus super corpus perfectè planum motu continuo moueatur quod quidem esse possibile videtur certum: tunc globus ille solummodo in puncto tangeret planum, ut præcedenti quæstione dictum est: ergo totum illud planum constat ex solis punctis. Patet consequentia: quia omne mobile motu continuo tangit omne illud spatium, per quod continuo mouetur; non enim transiit ab extremo ad extremum absque eo quoddam transcat per medium; ergo si globus ille solum tangit in puncto, signum est, quoddam spatium illud extendum, per quod transiit, solum constare ex punctis.

**15.** Secundò probatur, inquirendo utrùm inter punctum, quoddam est initium lineæ, cæteraque alia puncta intercedat aliquid, vel nihil: si nihil habetur intentum; scilicet continuum ex solis indiuisibilibus coalescere. Si verò aliquid mediet, rursus inquiritur, num sit linea. Et hoc non: nam impossibile est mediare lineam, quin etiam puncta mediant: puncta autem mediare non possunt: quia inter primum, & omnia alia non est aliud punctum quoddam mediet, ut ex se constat: ergo inter punctum primum lineæ, & cætera omnia nihil aliud mediabit; sed tota linea solum erit collectio illa punctorum.

Confirmatur, si demus corpus aliquod, cuius una

medietas in aqua, & alia in aëre sit: tunc in medietate illius corporis duæ lineæ terminatiuæ aquæ, & aëris immediatè se contingent: ergo ex parte corporis locati correspondent duæ aliæ lineæ, quæ etiam immediatè sint; & consequenter inter vnum, & aliud indiuisibile minimè aliqua pars mediabit. Prima consequentia patet: nam de ratione locati circumscriptiui est, ut totum toti loco, & pars parti, ac denique indiuisibilia indiuisibilibus respondeant.

**16.** Tertiò: quia si continuum componitur ex partibus, sequitur, eas esse infinitas, & consequenter motu continuo nunquam posse totum spatium diuisibile, v.g. gymnasij huius pertransiri: at hoc contra euidenter experientiam est: ergo, &c. Sequela prior patebit, ex infra dicendis q. 5. Secunda verò suadetur: quoniam sicut data hac infinitudine ante quamlibet partem, prius esset alia: ita moueremur prius per vnam, quam per aliam. Et quauis parte per motum acquisita rursus restaret alia, & alia acquirenda. Ergo mobile nunquam illas finiet, seu omninò pertransibit. Patet consequentia: quia si illas successiuè finiet; consequens inde esset, partes illas non esse tot, ut quauis assumpta restaret alia, & alia sumenda: sed necessariò assignaretur vltima, ad quam mobile vltimò perueniret.

*Stabilis sententia Aristotelis, & D. Thomæ, & primum huius fundamentum.*

### §. II.

**17.** **D**icendum tamen est: continuum non componi ex solis indiuisibilibus. Ita Arist. c. 1. huius libri text. 2. ubi ait: *At verò neque consequenter erit punctum ad punctum, aut ipsum nunc, ad nunc ipsum, ut ex his sit longitudo, aut tempus: consequenter enim sunt, intra quæ nihil est eiusdem generis: inter autem puncta semper in linea, & inter ipsum nunc est tempus.* Et hoc ipsum sæpe repetit in toto cap. 1. 2. & pluribus rationibus confirmat. Quem Doctor Angelicus, & vniuersi eius Interpretes, paucis ex iunioribus, exceptis

Imò, & Ecclesia Catholica in Concilio Constantiensi sect. 1. inter errores contra fidem, quibus irrecitatus est Ioannes Hus, eos etiam, quos aduersus Philosophiam veram tenuit, annotare volens, hunc inter alios retulit; quoddam scilicet docuerit, continuum componi ex indiuisibilibus. Verba autem Sacri Concilij sunt: *Linea autem Mathematica continua, componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut solum ex punctis simpliciter finitis: vel tempus, est, factum, vel ex compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus, & linea, si sint, aliter componantur.* Et statim Concilium, his debitam verbis censuram reddens, addit. *Prima pars est error in Philosophia; sed vltima errat circa diuinam potentiam.*

**18.** Deinde ratione desumpta ex eodem Aristotele, & D. Thomæ locis citatis, suadetur primò. Indiuisibile additum indiuisibili, non facit maius, aut extensius: ergo punctum additum puncto, non extendit: ergo non facit lineam: quia impossibile omnino est, dari lineam sine aliqua extensione. Imò etiam sequitur, impossibile esse superficiem, aut corpus: quia si continuum ex indiuisibilibus tanquam ex partibus constaret, fieret inde, totum corpus nihil esse aliud præter plura puncta: nam profunditas esset multiplex superficies, & superficies multiplex linea; & linea esset multiplex punctum: & consequenter de primo ad vltimum, totum corpus non esset aliud, quam plura puncta.

*Antecedens*

Antecedens suadetur: nam ea, quæ secundum se tota se tangunt, non faciunt maius; id, quod manifestè constat in ædificio: etenim si vnus lapis super alium positus, secundum totum, quod habet, tangat alium, & è contra, tunc vnus in alium omninò intromitteretur: nec vnquam cresceret ædificium: at puncta se inuicem tangunt, secundum totum; quod habent: quia cum indiuisibilia sint, si se quocumque modo tangunt, necesse est, quod vel secundum se tota, vel secundum nihil, se contingant: ergo quantumvis addas puncta, nunquam crescet, vt sic dicamus, ædificium, aut aliqua longitudo lineæ ex eis resultabit.

19 Confirmatur ratione, quam ibidem Aristoteles, & Diuus Thomas innuunt. Quia aliàs si daremus duplicem lineam, quarum vna decem punctis, alia verò vndecim constaret; tunc hæc posterior esset maior, quàm prior: non obstante prædicto contractu adæquato punctorum inter se: at hoc est impossibile: ergo, &c. Sequela satis constat. Minor verò probatur: nam posterior linea solum excedit priorem in vno puncto: sed punctum nullius est extensionis, & magnitudinis: ergo repugnat, quod vna linea ratione illius sit longior, quàm alia; sicut impossibile omnino esset, quod vnum corpus esset magis album, quàm aliud ratione alicuius entitatis, quæ non sit albedo.

20 Ex horum Iuniorum doctrina posset vtcumque (semper tamen inscilicet) huic rationi, & eius confirmationi responderi. Rationi quidem principali, si dicatur, quod antecedens est verum in rebus diuisibilibus secundum totam suam entitatem se tangentibus: non verò in indiuisibilibus: quia hoc ipso quod diuisibilia secundum se tota se tangant, necesse est, vt vnum totaliter intromittatur in aliud, & consequenter quod penetrentur: at indiuisibilia, hoc ipso quod se tangant, non habent, vt vnum cum alio penetretur: vel ad inuicem intromittantur: quia cum sint indiuisibilia, ad hoc vt secundum se tota se tangant, satis est, quod vnum sequatur post aliud, & consequenter vnum extra aliud erit, & maius faciet.

Et posset confirmari hæc solutio, ex eo quod Aristoteles, & eius schola tenentur hoc ipsum admittente in puncto continuatio, & partibus, quas continuat. Nam punctum illud non potest esse intromissum in partem, & penetratum cum illa: alioqui etiam altera pars vnita cum eodem puncto ingrederetur similiter in illam; sed est immediatè post vnā & aliam partem, non obstante quod ab vtraque secundum se totum tangatur.

Confirmationi verò posset responderi: quod licet vnum punctum secundum se, separatim sumptum non sit alicuius extensionis: attamen vt coniunctum cum aliis, facit extensionem, & consequenter ratione illius, poterit vna illarum linearum esse longior alia.

21 Cæterum, omnia hæc frustraneè adhibentur, & in primis contra id, quo rationi principali occurritur, obstat: quod hoc ipso, quod vnum punctum tangat totum aliud, necesse est, vt vbi vnum est ibidem & aliud sit; ergo cum hoc contractu non potest coherere, vt vnum sit post aliud. Antecedens patet: nam cum vnum punctum sic tangit aliud, vel vnum ultra progreditur; quod aliud non progredietur, vel non? Si primum dixeris, non se tangent ambo secundum se tota; si secundum, ibidem erit vnum, vbi & aliud.

Adde, idèd vnum punctum esse ibidem, vbi est indiuisibile loci correspondens illi: quia tanguntur ad inuicem secundum se tota. Vnde si hoc præcisè abstuleris, non remanebit vnum, vbi est alterum: si ergo vnum punctum lineæ tangit secundum se tota,

Colleg. Compl. Physic.

tum aliud, & è contra, necessariò ibidem erit, vbi & aliud; atque idèd non possunt hæc duo coherere, scilicet quod duo puncta secundum se tota se tangant, & quod vnum sit extra, & post aliud. Maxime, quia non potest hic contractus ex parte vtriusque esse adæquatus, quin vnum eò vsque accedat inclusuè, quod etiam aliud: cumque ad illam distantiam in qua vnum est, non possit aliud inclusuè pertingere, quin tota possideatur: quippè quæ indiuisibilis est; sit inde, vt non possit non quodvis punctum in eodem situ esse, & consequenter ibi inuenies vnum: vbi & aliud.

22 Ad id autem, quo solutio hæc confirmabatur, negandum est, punctum continuatum in sententia Aristotelis esse in ordine ad locum post partem, quam continuat, vel penetratum, propriè loquendo; cum illa. Primum illud ex impugnatione nunc facta satis liquet; secundum verò etiam constat, quia penetratio (si philosophicè loquamur) necessariò includit duo quanta se inuicem secundum partes indiuisibiles tangentia.

Quare, licet punctum afficiat, & vt sic dicamus; quasi tangat saltem inadæquatè partem quam continuat; non tamen se in eam intromittit: quia afficit; & quasi tangit illam vt indiuisibile, & suo modo tanquam terminus eius; consequenterque indiuisibiliter. Vnde minimè se in illam intromittit: quoniam hoc est proprium rei diuisibilis, nec potest coherere cum termino, vt totam terminet extensionem. Cum quo tamen stat, vt eo ipso quod totum punctum quasi tangatur à parte, quam continuat, oporteat ibidem; saltem inadæquatè esse partem vbi punctum, id est, ita vt non secundum se totam quasi tangat punctum; sed secundum sui medietatem, & hæc rursus non secundum se totam; sed secundum sui medietatem, & sic in infinitum quasi tangat idem punctum: quia illuc vsque inclusuè per partes minores, & minores accedit. Vnde, licet inter contactum duorum corporum non inueniatur medium inter hoc quod est vnum esse intra, vel extra aliud, benè tamen inter duo indiuisibilia, vel inter vnum indiuisibile, & aliud indiuisibile: quia non adest aliquid, in quo, & per quod fiat intromissio; nec aliquid, per quod vtrumque possit esse extra aliud: ideoque erit ibidem vnum: vbi & alterum; & consequenter nullam facient extensionem.

23 Diximus, Punctum quasi tangere partem, quam continuat: quia licet immediatè afficiat illam, & vniat eandem cum altera parte, non tamen si philosophicè loquamur (vt optimè notauit Aristoteles in præsentis, textu primo,) tangit illam: quandoquidem teste eodem Philosopho ibidem, ea solum se tangunt, quorum vltima sunt simul, consequenterque habent aliquid præter vltimum.

Tandem contra id, quod vltimo loco ad enodandam confirmationem adducitur, scilicet vnum punctum, vt coniunctum cum aliis facere maius in linea, obstat, quod datis duabus virgis, quarum vna quatuor extensionis palmos, & alia quinque habeat, impossibile erit, vt hæc posterior excedat aliam; nisi in ea tantum extensione, quam vnus palmus secum affert: quantumvis illam prioribus palmis coniungas, & vnus eorum sit idoneus ad faciendum cum alio maiorem longitudinem: ergo similiter, si linea excedens aliam in vno tantum puncto, solum excedet eam in eo, quod punctum illud secum attulerit: quantumvis illud cum prioribus punctis iunxeris. Quare cum tale punctum nullius secundum se sit extensionis, consequens est, vt prædictæ lineæ, nullam longitudinem, aut maiorem supra aliam præster. Adde, impossibile esse, punctum esse longum vt quo,

Y quin

quin sit ipsa longitudo: at quod est omnino indiuisibile, repugnat esse longum, aut esse ipsam longitudinem: ergo, &c.

24 Sed obiicies: licet vnitas prædicamentalis secundum se sit indiuisibilis: attamen vnita aliis vnitatibus numerum facit, qui verè est quantitas extensa. Similiter instans temporis additum temporis, reddit ipsum longius, ergo eodem modo punctum, quod secundum se, & separatim sumptum habet esse inextensum, efficiet quantitatem extensam, si cum aliis punctis coniungatur.

Antecedens, quoad priorem partem pater. Quoad posteriorem verò suadet, nam res durans toto tempore, verbi gratia, horæ, & in instanti terminatio illius; magis videtur durare, quàm ea, quæ toto tempore horæ duraret, & in instanti terminatio illius per primum non esse desineret, quia in illo instanti, de illa priori erat verum dicere, quod sit; de posteriori verò, quod non sit.

25 Responderetur ad primum exemplum: quod licet indiuisibile additum indiuisibili, non faciat maius, aut extensius, facit tamen plus. Vnde cum ad quantitatem discretam formaliter sumptam minimè desideretur magnitudo extensionis: bene tamen (vt sic dicamus) magnitudo pluralitatis idè quantitas continua minimè potest componi ex solis indiuisibilibus, bene tamen discreta ex vnitatibus formaliter indiuisibilibus, & materialiter extensis.

26 Ad secundum exemplum concedimus, instans facere maius in duratione; non tamen maius, aut extensius tempus: quia maius tempus, quippe quod est quid quantum importat maiorem extensionem. Vnde, cum indiuisibile additum indiuisibili non faciat extensius, consequens est, vt instans temporis, quod indiuisibile est, non possit reddere tempus extensius: at duratio abstrahit ab extensione: nam sicut potest dari duratio successiua, & quantitatiua, qualis est tempus ita duratio indiuisibilis. Vnde maior duratio, seu vt melius loquamur, magis durationis potest provenire ab eo quod est omnino indiuisibile.

Et potest hoc exemplificari in linea, cui si aliquod adderetur punctum tunc haberet plus de entitate: quoniam entitas à diuisibili & indiuisibili abstrahit, non verò esset maior, & longior ob rationem dictam: ita ergo si tempori adderetur instans, tunc haberet plus de entitate, plusque de duratione: non tamen ipsummet tempus redderetur extensius.

#### *Examinatur Secundum fundamentum nostra sententia.*

### **§. III.**

27 **S**ecundò principaliter suadet assertio, ratio-  
ne alia desumpta ex Arist. & D. Thom. locis cit. nam ex opposito sequitur, mobile velocissimum non posse æquali tempore percurrere plus spatij, quàm mobile tardissimum: quod est euidenter falsum.

Probat sequela: nam demus, claritatis gratia spatium habens decem & nouem indiuisibilia, tunc mobile tardissimum tantum potest consumere vnicum instans, dum vnum indiuisibile spatij pertransit, nam si consumeret tempus, prius percurreret vnā partem puncti, & postea aliam: quod implicat: cum indiuisibile illud careat partibus; & ita, vel totum simul & consequenter in instanti, summaque cum velocitate, vel nihil illius debeat acquiri: ac proinde in decem, & nouem instantibus totum illius spatium percurreret. Et similiter mobile velocissimum non potest transire illud in minori duratione, quàm in de-

cem, & nouem instantibus, quia quodlibet indiuisibile spatij debet pertransiri in minori duratione impossibili. Quare cum instans sit minima duratio, quippe quod est omnino indiuisibile, necesse erit, vt consumatur vnum instans in transitu per quodlibet ex illis indiuisibilibus; & consequenter non poterit non consumere decem & nouem instantia in transitu per omnia illa.

28 Respondent primò, negando in vnico instanti, vnicum tantum posse pertransiri punctum, sed quò mobilia sunt velociora eo plura simul: & quò tardiora, eo pauciora puncta simul percurrere. Et addunt quod mobile omnium tardissimum pertransibit in vnico instanti vnicum tantummodo punctum.

Sed contra quia inde manifestè sequitur idem corpus simul, & semel esse in duobus locis sibi adæquatis hocque naturaliter contingere posse: quod sanè est euidenter falsum. Sequela probatur: nam si mobile sit non maioris magnitudinis, quàm quinque punctorum, & sit ita velox vt in vno instanti decem puncta simul pertranseat: tunc in eodem instanti, in quo fuerit in primis quinque punctis, erit in quinque sequentibus quia: non tran sit à primo vsque ad vltimum punctum, percutiendo medium nec fuit prius in primo aut medio, quàm in vltimo puncto: aliis pertransisset illa successiue, quod est contra id, quod solutio hæc supponit: ergo in eodem instanti est in primis quinque punctis, & in quinque posterioribus: consequenter in eodem instanti duplex sibi adæquatus locum occupabit.

29 Deinde, eam si mobile sit duplo velocius, quàm aliud, & spatium percurrendum, habeat ea puncta, quæ in ratione pro assertionem diximus, scilicet decem, & nouem, sequeretur quod dum mobile duplo velocius pertransit totum spatium, tunc mobile duplo tardius nouem, & dimidium punctum percurrat: alioquin iam non erit duplo tardius illo priori, at punctum quippe indiuisibile, nequit dimidiare percursum alioquin indiuisibile non esset ergo, &c.

30 Respondent aduersarij; motum illum constare aliquibus diuisibilibus morulis: & ita semel acquiri vno puncto; mobile ibidem aliquantulum quiescere antequam acquirat secundum. Vnde licet continuum, ex indiuisibilibus componatur: possunt nihilominus aliqua mobilia esse velociora aliis: nam quò magis in quouis durauerint, seu quiesuerint, puncta: eò erunt tardiora: & si duplo magis quiesuerint, tunc duplo tardiora erunt.

31 Sed contra: nam data tota confecta ex materia pura, tunc si hæc circulariter moueatur nulla pars illius moueri potest, quin & cæteræ omnes partes moueatur, vt euidentis experientia ostendit: atque adeo nulla pars habere poterit in eo motu aliquam morulam, quàm altera pars non habeat: & tamen manifestè videmus, partem circumferentiæ velocius moueri, quàm partem aliquam centro approximata cum illa in eodem tempore percurrat longius spatium, quàm ista: ergo tarditas, aut maior vel minor velocitas motus, non potest ex prædictis morulis provenire.

Deinde: quia euidenter sequeretur nullum motum successuum fore continuum, atque adeo nullum (si idem numero maneat) posse plus quàm per vnicum instans durare quod euidenter est falsum: siquidem motus, quippe qui habet prius, & posterius, nequit esse in instanti: ergo, &c. Sequela probatur quia numquam inuenietur mobile ita velox, quò non possit dari aliud, & aliud multò velocius: sicut numquam dabitur corpus ita graue, aut leue, quò non possit aliud, & aliud grauius, aut leuius inueniri: ergo quodcumque mobile signatum debet in quouis instan



instanti, aliquantulum, & per diuisibilem morulam quiescere. Alioquin non poterunt dari alia mobilia, quæ longè velociora sint: ergo in quocumque instanti quiuis motus interrumpetur, & fiet realiter discretus ab alio.

*Soluntur argumenta prioris sententia.*

§. IV.

31 **A**D primum pro prima sententia resp. primò; quod licet corpus illud sphericum continuo moueatur per aërem circundantem corpus planum; per ipsum tamen planum non mouetur nisi per saltus, de puncto in punctum: ita ut inter vnum & aliud tantisper eleuetur à plano. Quod confirmari potest experientia: nam videmus pilam per planum per illos saltus moueri quod si aliquando prædictus globus ad manum traheretur per planum tunc etiam motus fieret per saltus, licet non ita perceptibiles.

Secundò responderi potest: quod sicut si punctum continuo moueretur, tunc solum tangeret in puncto, & nihilominus vestigium ex illo relictum esset linea, ut communiter docent Mathematici: ita licet ille globus non tangeret partes pleni nisi ratione punctorum, nihilominus tangeret lineam illius plani: quoniam satis est, ut contingat partes illius longitudinis ratione punctorum, ad hoc ut continuo moueatur per prædictum planum.

Quod etiam explicari potest exemplo duorum planorum æqualium, & ad inuicem se contingentium, in quibus indiuisibilia vnius tangunt omnia indiuisibilia alterius atque ita etiam tangunt partes ratione indiuisibilium: alioqui non se ad inuicem continerent in omnibus indiuisibilibus: quandoquidem in partibus, quæ remanerent intactæ, ad sunt infinita alia indiuisibilia.

32 Ad secundum resp. quod inter punctum primum, & alia diuisiue sumpta, mediat linea: at si collectiue sumantur nihil mediat: quoniam nihil aliud restat. Non quidem, quia solum sint ibi puncta; sed quia nisi sumantur etiam partes, non accipiuntur omnia puncta collectiue: nam si partes remanent, debent manere vnitæ infinitis punctis. Vnde ob hanc rationem inter alias dicitur, non posse Denim separare omnia puncta à linea: quia alias manerent separata, ut supponitur, & non manerent,

Ad confirmationem dicimus, vtrique lineæ aëris & aquæ solum correspondere vnā in locato: quia cum lineæ illæ sint indiuisibiles secundum latitudinem; consequens est, ut vtrique simul non possit secundum hanc rationem facere maiorem extensionem, quam vna seorsum: & ita cum talis coniunctio fiat secundum quod sunt indiuisibiles, sufficiet linea illa, ex parte locati assignata; ad talem correspondentiam.

Ad tertium constabit ex dicendis infra in hac eadem disp. q. 5.

Q V A E S T I O III.

*Vtrum continuum realiter componatur ex partibus, quæ non solum in potentia; sed etiam in actu habeant rationem formalem partium?*

33 **Q**uestionis huius decisio, ex his quæ in præcedenti dicta sunt facile deduci poterat. Ceterum, quia alioqui ex iunioribus credunt, oppositam sententiam esse Arist. & D. Thom. & adducunt Colleg. Compl. Physica.

aliquot testimonia solutione digna; ideo ut eis satisfiat, præsentem excitamus quæstionem. Et licet ex hoc quoddam continuum non constet ex solis indiuisibilibus, sed habeat actu partes, aperte sequatur, illas fore infinitas, ut infra explicabimus; nihilominus quia hæc infinitas est explicatu difficilis, & plura contra se habet solutione digna: ideo maioris claritatis gratia, de infinitate nihil in hac quæstione dicetur; sed totam quæstionem sequentem in ea explicanda consumemus:

*Refertur sententia negativa.*

§. I.

34 **P**rima ergo sententia asserit: continuum non constare ex partibus, quæ actu, & formaliter sed solum in potentia habeant rationem partium. Ita aliqui ex recentioribus. Probatur primò ex Arist. 7. Metaph. text. 49. vbi sic ait: *Duo namque si actu, nunquam sunt vnum actu: sicut si potestate duo fuerint, erunt vnum: ut verbi gr. dupla ex duobus; dimidiis potestate, actus enim separat.* Vbi D. Thom. lect. 13. sic ait: *Duo enim, quæ sunt in actu, nunquam sunt vnā actu; sed duo quæ sunt in potentia, sunt vnum actu: sicut patet in partibus continui, duo enim dimidia vnus linea, sunt in potentia in ipsa linea dupla, quæ est vna in actu; & hoc ideo: quia actus habet virtutem separandi, & diuidendi.*

Secundò probatur ex D. Tho. in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 5. quæstione 3. ad 1. vbi ait. *Vnitas rei consequitur esse ipsius; partes autem alicuius homogenei continui ante diuisionem non habent esse actu, sed potentia tantum, & ideo nullam habent unitatem propriam in actu. Vnde in actu non est accipere ipsarum numerum; sed potentia tantum.*

35 Confirmatur, & explicatur: nam D. Thom. resp. argumento quod solet fieri de existentia Christi in hostia: scilicet quod si Christus est totus in tota & totus in qualibet parte hostiæ: sequetur quod sit infinities sub eisdem dimensionibus. Cui argumento respondet id non sequi: quia non est incipere partium illarum numerum in actu; sed potentia tantum. Quod si S. Doctor. sentiret esse ibi actu plures partes, & consequenter infinitas (ut infra explicabimus) optimè inde inferretur, Christum Dominum esse infinities sub prædictis dimensionibus, quod tamen constanter negat. Vnde 3. p. q. 76. art. 3. ad 1. ait. *Corpus Christi ante diuisionem hostiæ non esse pluries actu sub partibus illius sed potentia tantum.* Et idem repetit in eodem 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæstioncula 3. & dist. 44. qu. 1. art. 1. quæstionc. 5. & 1. de celo lect. 1.

Confirmatur secundò, ex eodem Angelico D. 1. Physic. lect. 9. vbi totis etherogeneis tantummodo concedit multitudinem partium in actu, non verò homogeneis: Vnde ait: *Hoc autem intelligendum est de partibus existentibus actu in toto, sicut caro, nervus, & os existunt in animali. Et per hoc excludantur partes totius continui quæ sunt in potentia in ipso.*

36 Tertiò. Partes continui non sunt actu inter se distinctæ: ergo nec sunt actu partes. Consequentia est certa: quoniam licet reuera sit ibidem entitas partium: quia tamen sunt actu distinctæ, ideo dicuntur non esse actu ibi sub ratione partium, quandoquidem quod est actu pars, debet distingui realiter ab altera comparte. Antecedens verò probatur: quia nulla ex illis partibus habet propriam unitatem, dum sunt in continuo; non quidem prædicamentalem: quoniam in quauis quantitate totali, tantum est vnica vnitas prædicamentalis: neque transcendentalis: nam vnitas transcendentalis rei sequi

quitur esse ipsius. Vnde cum in continuo non dentur partes, quarum singulæ habeant suum esse, adhuc partiale, sed omnes per vnicum, & simplex esse existant: consequens est, ut neque habeat transcendentalem unitatem.

Nec satis erit si dicas, singulas partes habere suas unitates partiales: quia ad hanc unitatem non requiritur proprium esse. Nam contra hoc est: quia nulla est actualis distinctio partium inter duos actus quales essent illæ partes, nisi proueniat ex ipsismet actibus vel ex materia seu ex diuisione quantitatis: at hæc distinctio non potest oriri ex natura ipsorum actuum; alioquin distinguerentur inter se essentialiter: neque ex parte materiæ, aut diuisione quantitatis siquidem, ut supponimus tantum est ibidem vnica materia, & vnica quantitas ergo.

*Vera sententia Arist. & Diui Thoma.*

### §. II.

37 **N**ihilominus dicendum est: reuera dari in continuo partes actu, & realiter inter se distinctas, habentesque actu veram, formalem rationem partium. Ita Aristoteles locis in quæstione prima citatis quia si semel in continuo dantur actu indiuisibilia, continuantia partes euidenter sequitur dari partes, quæ continuandæ sunt Ita idem Arist. 5. Metaph. c. 1. 2. inquit. *Quantum dicitur, quod est diuisibile in ea qua insunt: ergo cum sit indiuisibile in partes erunt utique hæc actu in illo: quod enim inest in aliquo, est actu in illo.*

Vnde D. Th. ibidem lect. 15. sic ita *Quantum dicitur, quod est diuisibile in ea, qua insunt quod quidem dicitur ad differentiam diuisionis mixtorum: nam corpus istud mixtum resoluitur in elementa qua non sunt actu in eo, sed virtute tantum.* Hanc sententiam tueretur Sor. 3. p. Physic. quæst. 3. Sonc. 5. Metaph. quæst. 24. Conc. cap. 2. q. 1. art. 2. & 3. Rub. & Mas. in præfenti, Suarez 2. tom. suæ Metaph. disp. 40. sect. 5. num. 36 & alij plures.

Probatum primò ex Concilio Trident. sess. 13. c. 3. ubi loquens de Christo Domino in Eucharistia inquit: *Totus enim est integer Christus sub panis specie, sub quaui ipsius speciei parte totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* Quod testimonium difficiliter saluari potest, si quantitas hostiæ non habet verè, & formaliter partes.

38 Deindè ratione probatur. Primò: quia dimidia pars vlnæ, verbi gratia, realiter distinguitur ab alia medietate: at non distinguuntur realiter tanquam totum, & totum ergo tanquam pars, & pars Minor, & consequentia per se patent: quia quæ constituunt idem totum, vel non distinguuntur realiter, vel tantum distinguuntur per modum partis, & partis actu, & realiter talis. Maior verò videtur manifesta quia nallum aliud euidentius dignum habemus distinctionis realis aliquorum, quàm mutua eorundem separatio: at, duæ medietates vnius lineæ possunt adinuicem separari imò & actu separantur: ergo prius distinguebantur.

39 Secundò nam ut in Logica, disput. 1. num. 28. & deinceps ex Aristot. & D. Th. diximus: proprium est quantitatis tribuere substantiæ, quod habeat partes, & quod vna pars sit extra aliam: at si non dantur actu partes in continuo, nunquam erit verum, quod tribuit illi partes: ergo, &c. minor probatur quia ante diuisionem non habeat partem, & partem, ut aduersarij contendunt. Post diuisionem verò, verbi gratia aquæ in duas medietates non ma-

net pars, & pars; sed totum & totum: ergo quantitas nunquam tribuit substantiæ, quod habeat partes actu: Imò neque in potentia: quoniam illa potentia nunquam est reducibilis ad actum, ut ex modo dictis constat.

*Solutio rationum prima sententiæ.*

### §. III.

40 **A**d primum, pro opposita sententia respondetur: quod, ut ex contextu, & explicatione D. Th. satis constat, non negat ibi Aristoteles esse reuera plures partes in continuo realiter distinctas; sed solum non esse actu per propriam existentiam: quamuis sint in potentia, ad hoc ut si separantur, possent per se existere. Nam etsi ex duobus entibus, quorum quolibet sit in actu per propriam existentiam nequeat fieri vnum per se quia talis actus separat, & diuidit vnum ab alio: neque est compossibilis cum vnione per se ad aliud, eodem modo existens: bene tamen ex duobus, quæ existunt actu per eandem existentiam; quamuis sint in potentia, ad hoc ut semel separata habeant proprium, & distinctum esse. Et hanc existimauimus esse ipsam, mentem Aristotelis, & D. Thomæ loco citato.

41 Ad secundum patet ex his quæ supra disput. 18. quæst. 1. diximus, ubi hoc testimonium D. Th. adducentes, rationem reddimus, ob quam, licet in continuo sint infinitæ partes & realiter & actu distinctæ, nihilominus non sunt absolute dicendæ infinitæ in actu: Imò neque esse simpliciter in actu. Vnde ut ex ibidem dictis satis constat, quàm merito S. Doctor loquens de existentia Christi sub speciebus panis, & vini, non dixerit: Christum habere præsentias infinitas infinitas sub illis: aut partes illarum specierum esse infinitas in actu, sed solum habere infinitatem in potentia. Ex quo fiet, Christum non esse ibi pluries actu; sed in potentia. Per quod etiam patet ad primam confirmationem ex hoc testimonio, & alia ibidem relatis petitam.

Ad secundam confirmationem etiam constat ex his, quæ in eadem disputat. & quæstione modò citata diximus ubi explicuimus, quare licet tam partes aliquotæ, & æquales vni certæ, quàm partes proportionales existant per solam existentiam totius: nihilominus de illis prioribus simpliciter potest dici, quod sint in actu: secus tamen de omnibus partibus proportionalibus, quatenus tales sunt vnde, quia partes organicæ, & etherogenæ viuæ sunt certæ, & determinatæ magnitudinis; idè peculiari ratione potest de illis dici, quod sint in actu. Maxime: quia in aliquibus viuæ sunt possunt separatè existere, & nunquam implicat ut prædicta quantitas secundum omnes illas diuidatur, & prædictæ partes per se separatæ existant.

42 Ad tertium patet etiam ex dictis quæst. citata, ubi explicuimus, quomodo partes quantitatis, licet sint realiter distinctæ, non tamen omnino propriè, & rigorosè habent unitatem in actu. Cæterum, cum hoc fiat, quod habeant suam qualemcumque unitatem partialem, & quod non distinguantur se totis: atque adeò nec sint primò diuersæ: sicut nec distinguuntur specificè; sed solum numericè partialiter: seu distinctione, quæ reductiuè pertineat ad distinctionem numericam: nam licet ibi sit vnica materia, & vnica quantitas totalis: attamen hoc ipso quod materia sigillata est ad vnica quantitatē totalem, mansit sigillata ad plures partes eiusdē quantitatis: sicut hoc ipso, quod materia sigilletur ad formā animalis, sigillatur etiā ad plures, & diuersas partes eiusdem animalis

Q V Æ

QVÆSTIO IV.

*Utrum partes proportionales, quæ sunt formaliter in continuos, sint finitæ, ad verò infinitæ.*

CONSULTO in titulo inquirimus de solis partibus proportionalibus: nam partes aliquotas certum est non posse esse infinitas: siquidem magnitudo consinui mensuranda est ex prædictis partibus. Vnde si ipsæ essent infinitæ, non posset non continuum habere magnitudinem infinitam. Quid autem sint partes proportionales, quidque partes aliquotæ, iam sup. lib. 3. huius operis explicuimus, & in hac eadem quæstione radiciter explicare conabimur.

§. I.

*Rationes dubitandi.*

43. **P**artem negantem suadere videntur hæc argumenta. Primum est: quia alioqui ex omnibus illis partibus resultaret continuum infinite extensum: at hoc euidenter constat esse falsum: ergo, &c. Sequela probatur, quævis pars quantitatis, sicut habet actu realem entitatem, & realiter ab alia comparte distinctam, ita etiam extensione quantitatia sibi propria gaudet: quia eius entitas realis est illius realis extensio: ergo si in continuo actu inveniuntur infinitæ partes, etiam actu ibi inveniuntur infinitæ magnitudines: ergo ex eis ad inuicem vnitis, ut re vera vnitæ sunt, infinita coalescet magnitudo.

Nec satis erit, si dixeris, illas partes non esse æquales, sed proportionales, & inter se communicantes; & ideo, licet sint infinitæ, non tamen infinitam extensionem facere: quoniam extensio, & magnitudo quantitatis, non ex proportionalibus partibus; quippe quæ non habent magis extendere, sed ex aliquotis pensanda est.

Nam contra hoc vrget, quod quantumvis partes istæ dicantur esse proportionales, nihilominus non ideo ab eis tollitur, quod earum quævis habeat suam propriam extensionem distinctam ab extensione alterius; sed ad summum per hoc habebunt, quod omnes illæ partes non sunt certæ, & determinatæ magnitudinis. Et similiter per hoc quod sint communicantes, non habent, quod vna intime cum alia penetraretur: quia pars proportionalis etiam est quantitas: ac proinde est impenetrabilis cum alia: ergo quævis extensio cuiusvis partis, est omnino extra extensionem alterius; & ex consequenti ex illis extensionibus resultabit infinita magnitudo.

44. Secunda, & principalis dubitandi ratio, per quam præcedens solutio etiam destrui videtur, sic se habet. Hoc ipso quod concedantur partes actu infinitæ, necesse est fateri, illas non esse inter se communicantes: at hoc repugnat: quia iam efficerent magnitudinem actu infinitam: ergo nequæ infinitæ partes poterunt dari: consequentia est euident. Maior verò probatur, & explicatur. Pars aliqua ideo dicitur communicans cum alia, quia in ea includitur, ita ut sit medietas illius; qua ratione medietas medietatis digiti dicitur cum illa communicare: quoniam eius extensio in prima medietate includitur: at si actu dantur in continuo infinitæ partes, necesse est, ut nulla ex his infinitis includatur in alia: quia inter quamlibet, & quamlibet mediat punctum, ratione cuius vna continuatur cum illa, & est extra illam: ergo, &c.

Confirmatur: tot sunt medietates inter se æquales, quarum vna sit extra aliam, quot possunt fieri

*Colleg. Compl. Physic.*

diuisiones: quia quævis diuisio potest esse in duas medietates, quarum quælibet sit extra aliam: sed si continuum habet infinitas partes, possunt circa illud fieri infinitæ diuisiones: ergo erunt ibi infinitæ medietates æquales, & quarum vna sit extra aliam.

45. Confirmatur, & explicatur magis. Si diuisiones infinitæ in potentia quæ in hac sententia circa quoduis continuum exerceri possunt, exercerentur actu, manifestè sequeretur, quod efficerent multitudinem actu infinitam: ergo si medietates eis correspondentes sunt actu in illo, efficerent magnitudinem actu infinitam. Patet consequentia: nam quæ extensa sunt, & multitudinem discretam actu infinitam possunt facere, necesse est, ut si semel vnita inueniantur, quod infinita magnitudo ex eis coalescat: quoniam illæ partes essent talis naturæ, ut vna extra aliam omnino esset, neque cum alia communicaret.

Tertio. Si in continuo dantur partes actu infinitæ, sequitur granum tritici tot habet partes, quot cælum Empyrium, & partem esse æqualem suo toti: sed hæc implicat: ergo, &c. Sequela probatur, quia tam granum tritici, quàm quævis eius pars constaret partibus infinitis infinitis: & non videntur esse imaginabiles plures partes, quàm infinites infinitæ. Falsitas verò consequentis suadetur: quoniam granum tritici continet omnes partes, quas sua medietas, & infinitas alias: & similiter cælum Empyreum ratione vnus partis æqualis longitudinis cum grano tritici habet tot partes, ac illud, & insuper excedit ipsum in aliis partibus proportionalibus inclusis in cæteris partibus aliquotis eiusdem cæli.

§. II.

*Notationes ad quæstionis decisionem valde necessariae.*

46. **T**ota huius quæstionis intelligentia ex explanatione differentiarum versantis inter partes æquales, & proportionales pendet; & ideo eam prius per aliquot notabilia aperire oportet. Notandum igitur in primis est, illam dici partem æqualem, quæ est eiusdem magnitudinis cum cæteris aliis in illo continuo repetitis, & est talis naturæ, ut si aliquoties repetatur, tunc exhauriat, & mensuret totum continuum, & ideo nomen *aliquota* affecta est. Vnde nec ipsa, neque aliquid eius, in cæteris partibus per eam simul, & semel mensuratis, & exhaustis continetur, sed omnino extra illas est: ob quod etiam nomine *partis non communicantis* est insignita: quia id cum alio communicare dicitur, quod in eo includitur, ipsumque componit.

Partes verò proportionales, seu communicantes illæ sunt, quæ in partibus æqualibus, & aliquotis includuntur, cum eisque communicant: ita ut sint medietates medietatum, & rursus medietatis illius medietas, & sic in infinitum.


Ex quo etiam intelligitur, quare nomen *proportionalium*: imò, & *minorum*, & *minorum adepta* sunt. Nominantur enim sic: quia cum proportionem quadam componunt totum: quatenus in maioribus minores sunt incluse, & in his rursus, quæ minores sunt quàm illæ, continentur, & sic in infinitum. Vnde pars proportionalis, ut sic, non petit necessariò, quod sit certæ, & determinatæ magnitudinis; sed solum quod habeat incertam quandam, & indeterminatam magnitudinem, & extensionem.

47. Secundo notandum est, quod licet dicamus, partes has esse medietates medietatum, non ideo

Y 3

volumus

volumus, medietatem unam esse partem proportionalem alterius medietatis, cum quo componit aliam tertiam duplo maiorem: quoniam una ex his medietatibus, non est medietas alterius, nec in illa includitur; & ideo in una primus palmus, non est pars proportionalis alterius palmi; sed respectu dimidiæ vine. Quare tantum intendimus, partes proportionales esse reuera medietates: attamen, ut rationem obtineant proportionalium, necesse est, ut per se primo ad totum comparentur, ita quod totum dicatur includere partes proportionales; non quia, duas tantum includat medietates; sed quia continet medietates, in quarum quævis nullo habito respectu ad aliam, est medietas, quæ comparata ad primam medietatem, in qua includebatur, semper est minor: ita quod prima, si sic exempli gratia licet loqui, pars proportionalis comparetur cum toto, tanquam inclusum cum includenti, & secunda pars cum prima medietate, tanquam quid in ea inclusum: & sic de aliis. Siquæ cum sit divisio continui ad partes proportionales explicandas, tunc relicta una medietate, aliam tamen assumamus, & rursus ex illa relicta, iterum alia, & sic in infinitum resumatur, ut in hac figura kerni potest.



Et in exemplo statim apponendo amplius apparebit. Diximus: Si sic exempli gratia licet loqui: quia reuera non est assignabilis pars prima; sed quævis data, semper alia, & alia dabilis erit.

48 Hæc si vera sunt, manifestè colligitur, quòd quantumvis partes proportionales multiplicentur in infinitum, minimè extensionem infinitam: imò neque vltimam extensionem maiorem, ut tales sunt, facient; & consequenter bene possunt partes, quæ sunt, modo explicato, infinitæ, claudi in certa aliqua & determinata magnitudine.

Vnde ambæ medietates digiti, verbi gratia, non sunt maiores quàm totus digitus, nec duplex medietas illius prioris medietatis, maiorem importat extensionem quàm prima medietas; & ita quantumvis medietates in infinitum multiplicet, non magis extendentes continuum sed tanta solummodo erit illius extensio, quanta fuerit magnitudo omnium suarum partium æqualium. Et similiter, si demus vas capiens hanc aut illam aquæ mensuram, & hanc semel in vas infusam, & deinde ex eo extractam, iterum per medietates medietatum infundas, ita quod prius medietas totius aquæ, & ex medietate manente alia medietas: & rursus ex hac, quæ remansit iterum alia medietas: & sic ip infinitum infundatur (loquimur attendendo præcisè ad quantitatem) tunc nunquam plus aquæ per totum illud tempus infundes; quam antea simul infuderis. Per quod exemplum non parum etiam natura partium proportionalium explicatur.

49 Et sane non est ita difficile intellectu, quod res aliqua finita possit continere, aut æquivalere aliis infinitis, & inferioris rationis. Nam ut multi probabiliter volunt, in actibus intellectus datur terminus secundum perfectionem specificam, versus minimum, sed dato aliquo exiguo, & determinatæ perfectionis, possent infra illum dari plures, plures vsque in infinitum, qui sint minoris perfectionis. Et similiter, licet homo sit finitus secundum perfectionem, nihilominus infra illum restant infinitæ species, quia species contentæ sub animali sunt infinitæ in potentia, & nulla ex illis attingit perfectionem hominis; sed

potius omnes illæ continentur suo modo eminenter in illo.

Si ergo actus exiguo perfectionis, ab species aliqua finita potest æquivalere infinitis aliis: quia omnes illæ species non se excedunt in perfectione certa, & determinata; sed excessu incerto & indeterminato: cur pars aliquota, quæ secundum hanc rationem formaliter sumptam est diversæ, & perfectioris rationis, quàm proportionalis, non poterit æquivalere, & continere partes proportionales in potentia infinitas? Nam quod debeat illas continere per modum totius actualis, nihil obest; sed potius prodest, siquidem modus continendi virtualis, & eminentialis, conveniens prædicto actui, & anime nostræ, est perfectior, quàm modus continendi, ut totum actuale: & nihilominus quòd sint exiguo, aut certæ perfectionis non obest, ad hanc continentiam: ergo multo minus obstat ad continentiam per modum totius actualis.

### §. III.

#### Resolvitur quæstio.

50 Nihilominus dicendum est. Licet partes proportionales, quæ re ipsa, & formaliter sunt in continuo, non sunt dicendæ actu infinitæ: sed solum in potentia: attamen non est in eis assignare primam, aut vltimam, atque ita quantum est ex parte huius, nisi obesse modus existendi illarum, scilicet confusus, & indeterminatus essent infinitæ in actu. Assertionem hanc tuerentur communiter fere omnes Thomistæ: & ideo à singulis referendis abstinemus. Et aperte colligitur ex Arist. 5. Metaph. cap. 13. & cap. de Quantitate, & D. Thom. loco cit. & 5. Metaph. & in Commentariis huius lib. text. 37. necnon ex his quæ uterque in hoc eodem lib. cap. 1. & 2. multoties repetunt, scilicet continuum non componi ex solis indivisibilibus, ut iam expendimus.

51 Et quidem quoad primam partem, scilicet prædictas partes proportionales non esse infinitas in actu, sed solum in potentia, constat ex his quæ di sp. 18 qu. 1. diximus. Quoad secundam verò partem, scilicet prædictas partes non esse in numero, & multitudine finitas, ita ut sit signare in eis primam, aut vltimam; sic ostenditur. Quia in continuo sunt actu, & formaliter reales partes, realiter quæ inter se distinctæ: at non sunt in numero, & multitudine signata: ergo multitudo, quæ ibi est partium: erit tanta, ut non sit in ea assignare primam, aut vltimam partem: ac proinde nisi obesset prædictus modus existendi harum partium, nihil deesset ex parte multitudinis, quominus essent actu, & formaliter infinitæ in actu, ut loco citato diximus. Maior patet ex dictis quæstione præcedenti.

Minor verò probatur: nam si partes illæ sunt finitæ demus quod sint v.g. decem: & tunc inquiremus: æquævis earum sit ultra divisibilis, necne; Si hoc secundum dicatur: ergo continuum solum constat ex decem indivisibilibus: siquidem solum constabit ex illis decem partibus, quæ hoc ipso quòd non sint ulterius divisibiles, necesse est, ut sint indivisibiles. Si autem primum asseratur: ergo iam illæ partes non erant decem: sed viginti: cumque idem argumentum de illis viginti fieri possit, & sic de aliis vsque in infinitum, necesse est, vel admittere ibidem multitudinem partium, quæ sit tanta, ut non sit in ea assignare primam aut vltimam, vel continuum componi ex solis indivisibilibus, quod satis, superque falsitatis conuietum à nobis est.

*Soluantur rationes dubitandi initio posite.*

32. **A**D primum initio questionis positum, bene respondetur ibidem, & constat ex his, quæ in hac questione diximus, Ad cuius impugnationem dicendum est, partem aliquam esse proportionalem, non solum secum afferre, quod non petat certam aliquam, & determinatam magnitudinem; sed etiam, quod licet distinguatur distinctione reali excludentis, & exclusi à quavis alia medietate incertæ magnitudinis, extra quam sit; nihilominus intrinsecè includatur in ea parte, quam componit: & ita solum distinctione includentis, & inclusi ab ea distinguatur.

Ex quo fit, ut, etsi nullo modo cum cæteris medietatibus penetraretur; attamen cum illa medietate, cum qua communicat virtualiter (si sic licet loqui) penetratur: quatenus ratione communicationis non magis illam extendit, quam si medietas illa talem includens medietatem, nullo modo illam includeret, ut partem sui; sed esset quædam entitas omnino simplex, carens partibus realiter distinctis, ut constat ex his, quæ num. 48. & 49. diximus.

33. Ad se cundum negatur maior. Et ad eius probationem neganda est minor; & dicendum, partes continuas non ita inter se ordinari, ut inter unum, & aliud determinatum punctum mediet aliquæ una, & determinata pars, quæ certæ, determinatæque magnitudinis sit; neque in se aliquot alia includat puncta; sed ita ut pars illa sit indeterminata, indeterminataque, & incertam habeat magnitudinem: id est, ut non tota ipsa sit immediata puncto; sed medietas eius: & hæc rursus medietas non tota, sed illius, medietas, & sic in infinitum puncto illi adhæreat alioquin medietas illa non erit partibilis in semper partibilia.

Quare, licet quævis pars comparata cum alia, cum qua solum in puncto communicat, revera non sit cum illa communicans; attamen quia in aliis partibus includitur; quippe quæ incertæ ac indeterminatæ magnitudinis sunt, nequaquam æquales uni certæ: ideo cum aliis medietatibus, cum ipsoque toto communicare poterunt, & consequenter simpliciter dicendæ sunt communicantes. Tum: quia medietas digiti utramque sui medietatem includit: quamvis medietas medietatis aliam non claudat medietatem cum qua componit primam illam medietatem digiti: & sic in infi-

nitum. Tum etiam, quia si attentè consideretur, inveniuntur in eis concurrere eas conditiones, quæ supra diximus, posse plures, ac plures in infinitum partes, in alia finita, & æquali parte contineri.

34. Ad confirmationes patet ex dictis: solum enim probant, dari in continuo infinitas medietates: non quidem æquales uni certæ, & determinatæ; sed indeterminatæ parti, & consequenter non communicare inter se: non tamen quod non communicent omnes illæ cum aliis partibus, in quibus clauduntur: quandoquidem omnes illæ medietates in primis medietatibus determinatæ quantitatis continentur.


Ad 3. resp. Conimbr. non dari plures partes proportionales in continuo maiori, quam in minori: quia si darentur duo circuli; quorum unus sit alio maior, & intra se minorem habeat: tunc omnes lineæ eductæ à circumferentia usque ad centrum circuli maioris, transiunt per circulum minorem: ergo tot habet puncta unus, quot & alius: quælibet enim lineæ unum punctum in illo transitu quasi occupat: ergo & tot partes proportionales, quæ punctis correspondere habebit.

35. Sed hæc solutio falsa omnino est: quod, ut melius intelligatur, notandum est, quod lineæ, ex qua coalescit circulus maior, simulque illa ex qua constat minor, in circulo maiori inclusus, extendantur in modum lineæ rectæ, & una sub alia ponatur: ita tamen, ut aliquantulum inter se distent; eo sane modo, quem figura hæc statim ponenda ostendit, tunc videns erit, lineam circuli maioris fore, verbi gratia, duplo longiorem lineæ minoris.

Hinc ergo sequens deducitur ratio: in eo eventu duci poterunt lineæ rectæ ab omnibus, & singulis punctis lineæ minoris, circuli, usque ad medietatem lineæ circuli maioris: ita ut nullum sit in illa priori punctum, cui non correspondeat ex parte medietatis lineæ posterioris, aliud, lineaque rectæ attingens variusque punctum: ergo tot puncta erunt in medietate lineæ maioris, quot in tota lineæ minori: alioquin non esset omnimoda correspondentia punctorum unius lineæ, ad puncta alterius: at ultra hoc superest adhuc in lineæ circuli maioris alia medietas, aliaque infinita puncta, ad quæ nequeunt, ex parte lineæ circuli minoris lineæ rectæ duci: ergo non erunt tot puncta in circulo minori, quot in maiori. Quæ omnia in hac figura, utramque columnam complectentis satis aperte inspicere possunt.



Ex quibus satis ad fundamentum Conimbric. constat: nam licet à punctis circuli maioris possint duci lineæ ad puncta circuli minoris; non tamen à quocumque huius ad quodvis illius, ut probatum est; sed plures lineæ ortæ ex punctis circumferentiæ circuli maioris terminantur, antequam accedant ad circulum minorem, ut in hac figura constabit.



Vera ergo solutio est, plures partes esse possibiles quam infinites infinitas: nam multitudo partium infinites infinita, si bis, & pluries multiplicetur, maior est quam prædicta multitudo. Videantur ea, quæ disp. 18. numer. 88. dicta sunt.



## QVÆSTIO V.

*Quomodo ex dictis occurratur tertio argumento ex questione secunda huius disputationis relicto, & pluribus aliis difficultatibus inde surgentibus.*

56 **E**X his, quæ in duabus præcedentibus questionibus diximus, facile colligitur solutio illius tertij argumenti, quod in quæst. 2. huius disputationis in hoc locum soluendum remisimus. Cuius vis consistebat in hoc, quod si motus, & spatium habent partes infinitas; fieri inde, prædictum spatium tempore finito non posse per motum percurri. Respondetur ergo cum Aristot. cap. 1. non esse legitimam prædictam illationem: nam cum tempus consumendum in illo motu, habeat etiam infinitas partes, non mirum ut in illo possint alie infinitæ partes magnitudinis per motum percurri. Imò nisi in motu essent prædictæ partes, nequiret per debitam commensurationem cum tempore fluere: cum tamen commensurationem hanc ab intrinseco petat.

Cæterum, ex hac solutione quatuor & non leues insurgunt difficultates. Prima est, quod Aristot. 8. Physicor. cap. 8. referens hanc solutionem, quam ipse huic argumento à Zenone adducto tradiderat, inquit: eam sufficere ad respondendum dubitationi Zenonis, scilicet quomodo si motus habet partes infinitas, potest tempore finiti exerceri: re tamen vera non sufficere, nisi quia partes motus, & continui continentur in ipso; in potentia ergo cum nos admittamus partes continui, & partes motus esse re ipsa in illis, realiterque inter se distinguui, non possumus huic argumento, iuxta mentem Aristotelis, aut iuxta veritatem satisfacere: siquidem veritas solutionis ad ipso in 5. lib. tradita, & qua nos in præsentia utimur, tota pendet ex hoc quod partes solum in potentia sunt in continuo.

57 Secunda est, quod idem argumentum de motu factum potest tempori applicari, inquirendo, quomodo tempus, si semel habet partes infinitas, ita ut ante quamlibet fuerit alia, & alia in infinitum; & similiter post quamlibet restet ulterius, & ulterius pars in infinitum; nihilominus possit incipere, & desinere: siquidem ad hoc ut aliqua res diuisibilis incipiat, & desinat, videtur indispensabiliter desiderari, quod sit in ea prima, & ultima pars.

Tertia est: eadem ratione posse dici, quod non repugnet exerceri infinitas diuisiones circa continuum, aut infinitos Angelos, vel homines à Deo creati: nam quid: mirum, (diceret aliquis) quod in infinitis partibus temporis fiant infinitæ diuisiones, aut infinitæ Angelorum productiones? Maxime, quia si in tempore finito potest dari successiua combustio ligni, in qua dentur infinitæ partes vnius combustionis: consequens est, ut totidem ibi exerceantur diuisiones: quoniam per quamlibet partem combustionis illius, diuiditur vna pars ligni combusta ab alia, quæ nondum ignita est.

58 Quarta est: non posse cum solutione data coherere, quod vnum mobile percurrat cum maiori velocitate idem spatium: ac proinde in minori duratione, quam aliud mobile tardissimum: nam maior velocitas in tali cursu solum potest

prouenire ex eo quod plures partes spatij simul percurrantur ab vno, quam ab alio: quia in unica, quantumvis minima temporis parte non potest non vtrumque, si continuò moueatur acquirere aliquam, licet valde minimam spatij partem: ac nullum mobile potest simul acquirere plures partes spatij: siquidem quæuis est post aliam; ergo non super est, vnde proueniat maior velocitas vnius mobilis, quam alterius.

Et vrgeri potest hæc difficultas: nam si tam mobile velox, quam tardum ita percurrant vnum, & idem omnino spatium, ut ante quamlibet partem proportionalem percurrerent aliam, & sic in infinitum: consequens est, ut ante quoduis indiuisibile continuatum percurrerint semper illud, & aliud eiusdem spatij: ergo sicut vtrumque in quæuis parte proportionali temporis percurrit partem proportionalem spatij (alioqui motus ille iam non duraret, neque esset continuus) ita etiam quouis instanti percurreret, seu acquireret vnicum indiuisibile eiusdem: ergo tot consumet instantia vnum, ac aliud in tali cursu: ergo & idem tempus. Patet hæc vltima consequentia: quoniam vbi est plus temporis, ibi etiam plura instantia debent esse, quandoquidem à longiori tempore petuntur plures partes, & à pluribus partibus, plura instantia continuatiua.

59 Ad primam ex his difficultatibus respondetur: verum esse solutionem Aristotelis esse re ipsa insufficientem, nisi partes continui sint in illo in potentia: non quidem in eo sensu, quem aliqui ex Iunioribus supra intendebant, scilicet quia non habent, ibidem rationem partium, nec sunt realiter distinctæ; sed quia licet, quæ separatæ fuerint, existant per propriam existentiam: attamen dum sunt in toto non habent illam, sed tantum existunt per existentiam totius. Imò nec ratione totius partes illæ infinitæ modo dicto existunt signatè, & determinatè, sed indeterminatè, & confusè. Qui modus existendi, ex existere secundum quid, etiam entia latitudinem modi existendi partium. Vnde, ut disp. 18. quæst. 1. explicuimus, est quidem modus essendi in potentia in continuo.

Ratio autem, ob quam prædicta solutio ad Aristot. lib. 5. tradita, non esset re ipsa sufficiens, nisi partes prædicto modo sint in potentia in suo toto, est: quia nisi partes illæ sint proportionales non possunt claudi in vna parte aliquota certæ, & finitæ magnitudinis: & ita nec poterit motus ille in aliqua parte temporis certa, & determinata, & infinitas alias partes proportionales includente, exerceri. Cæterum, ut ex dictis constat, idem est partes illas infinitas esse proportionales, & esse in potentia in continuo, modo explicato.

60 Ad secundam respondetur: tempus fluere per correspondentiam ad æternitatem, ut ad mensuram superiorem, & eminentissimam: quatenus simul, & semel ex parte sua continet illam partem aliquoram temporis: necnon & infinitas illas partes proportionales, in ea inclusas. Quare, tantum abest, ut ad hunc modum incipiendi, & desinendi obsit multitudo prædictæ partium; quod si semel eis careret, non posset iuxta hunc modum correspondendi incipere, vel desinere.

Adde quod sicut post vltimum punctum terminationis lineæ: licet non sequatur immediatè aliqua determinata pars, in qua non sit signare, & determinare medietatem illius, quæ sit immediatior puncto, & sic in infinitum: quoniam quæuis pars est diuisibilis in infinitas medietates; & consequenter signabilis

bilis non est medietas ita mediata, ut non detur alia immediatior, & immediatior eidem puncto: & nihilominus cum hoc fiat dari ibidem aliquam partem indeterminatam, & confusam, quam indeterminato, & confuso modo punctum illud immediate afficiat, sub quaque non liceat descendere ad signandam illam in particulari, & determinatè: eo sanè proportionali modo quo, licet ad viuendum requiratur oculus confusè sumptus: non tamen licet descendere ad signandum in particulari dexterum, vel sinistrum.

Ita ergo post primum instans temporis (si tale instans datur) quamvis non fluat aliqua determinata pars in qua si velimus signare, & determinare, non sit signabilis alia & alia infinitum, quæ priùs fluxerit quæque immediatior sit prædicto instanti; nihilominus datur aliqua indeterminata, & confusa, quæ indeterminato, & confuso modo sit immediata instanti. Quare ratione illius potest tempus indeterminatè, & confusè incipere: sicut etiam potest desinere ratione alterius partis indeterminatæ, & confusæ, quæ eodem modo sit immediata instanti terminatio temporis. Nec mirum, quod hoc modo in partibus temporis: aut alterius continui philosophemur: quia hoc petit natura harum partium, quæ indistinctæ, & indeterminatè ibidem existunt.

61 Ad tertiam respondetur, esse disparatam rationem: nam diuisiones, & productiones illæ sunt actiones totales non contentæ per modum partium proportionalium in aliqua vna actione totali finita, & determinata: at verò partes illæ temporis, vel motus sunt partes proportionales vnius & eiusdem motus, quæ partes sunt clausibiles in aliqua certa, & determinata parte.

Ex quo etiam ad id, quod in eadem solutione ultimo loco dicitur, respondetur: diuisione continui propriè esse inter quantitates, quæ post diuisionem manent: quia illa diuisio suo modo terminatur adtribuendum eis proprium esse, & propriam unitatem totalem. Quare illa combustio successiva ligni non est propriè diuisio; sed desitio ligni, & generatio ignis, quæ quia non constat partibus aliquotis infinitis, sed solum proportionalibus; idè potest sic incipere, & desinere.

62 Ad ultimam respondetur: supponendo ex iam dictis: non esse contra rationem vnius quanti, aut successui dari aliud, quod sit eo maius. Ex quo etiam fit, partes proportionales vnius posse esse maiores partibus proportionalibus alterius: nam hoc ipso, quod vnum sit maius alio, oportet, ut medietas illius, quæ præcisè collata cum ipso toto habet rationem partis proportionalis inclusæ, & cum eodem communicantis, sit maior medietate alterius totius minoris: atque ita iterum & iterum diuisis his medietatibus in alias, & alias vsque in infinitum, semper erunt maiores illæ, quæ in medietate totius maioris continebantur, ita tamen, quod non sit necessarium maioritatem, aut minoritatem hanc esse certam, & determinatam, sed indeterminatam, & proportionalem: quatenus partes sic crescere intelliguntur in illo finito toto, ut omnes illæ non sint æquales alicui certæ, & determinatæ magnitudini, quantumvis minimæ; sed quæcumque in particulari, & determinatè signata non erit quælibet ex his partibus tantæ magnitudinis, quantæ & illa signata, & sic excessus iste erit indeterminatus, quippe qui est proprius partium proportionalium.

Hoc ergo supposito; dicimus posse oriri maiorem velocitatem motuum ex eo, quod vnum fluat per partes proportionales maiores, maiortate tamen indeterminata quam alius: quantumvis hic fluxus fiat successiuo modo: ita ut non tota aliqua pars certa, & determinata fluat, sed aliquid eius fluxerit, & aliquid fluxurum restet: quia hic excessus satis est, ut plures partes proportionales, & magis ut sic dicamus compressæ sint in motu velociori, dum in tardiori sunt pauciores, & ita ille prior motus aptior est ad citius terminum totalem & totaliter attingendum. Nec refert, quod partes (spatij) ita sint dispositæ ut vna sit prior alia, si prædictas signare velimus: nam ad hoc satis constat ex dictis in hac eadem questione.

63 Ex quo ad confirmationem dicendum est: quod, etsi duo mobilia, quorum vnum velox, & aliud tardum sit, debeant in quavis parte proportionali temporis aliquam partem proportionalem (spatij), & in quouis indiuisibili signato, & determinato quoddam mutatum esse continuatum motus acquirere; alioquin motus ille iam non duraret, neque esset continuus: nihilominus non inferretur id quod inferri desiderabatur; scilicet quod tot consumet instantia vnum, ac aliud mobile, & consequenter idem tempus. Et ratio est ea, quam iam tetigimus, nimirum, quod mobile velox acquirit maiorem partem proportionalem maiortate iam dicta, dum tardum percurrit minorem; & idè licet in quouis instanti determinato, & sigillatim sumpto vnicum indiuisibile motus ab utroque acquiratur; attamen in illa parte proportionali, & maioris motus, includuntur plures partes proportionales in vno, quàm in alio; atque adè & plura mutata esse.



## DISPUTATIO XXVI.

*De modo inceptiōis, & desitionis rerum.*



Es, quæ incipere, & desinere possunt, aliæ sunt successivæ ex partibus fluentibus, & indiuisibilibus constantes, aliæ verò permanentes. Et deinde, hæc vel substantiæ, vel accidentiæ: & rursus tam substantia, quàm accidens possunt incipere, & desinere cum motu, & per motum; vel sine illo. Et idè ut plenè, & radicitus inceptio, & desitio omnium rerum capiatur, de omnibus his ex professo agemus, quibus etiam modum incipiendi & desinendi quietis adiungemus, ut ita ex omni parte disput. hæc maneat completa.

\*\*\*

QVÆST

## Q V Æ S T I O I.

2<sup>o</sup> VONAM MODO INCIPIANT,  
& desinant, res successivæ, & in-  
divisibilia earum.

1 **P**RO huius quæstionis, & cæterorum, quæ in hac materia dicenda sunt, intelligentia, notandum est primò: quòd licet cuius rei naturaliter insit intrinseca duratio, & ab illa passivè mensuretur: attamen mensura activa, per quam mensuramus tam inceptiōem, quam desinēti- nem rerum, est aliqua duratio intrinseca, & successiva constans partibus, & instantibus: quia si- cut hæc est nobis notior: ita est magis accommo- data ad hoc, ut per illam inceptiōes, & desinēti- ones rerum mensuremus.

Verum quia in hac duratione, partes successio- nem, seu fluxum, & indeterminatignem maxi- mam habent, in instantia verò magis determina- ta, & fixa sunt; idèd melius per ordinem ad in- stantia, quam per ordinem ad partes, inceptiōes, & desinētiōes rerum mensuramus. Quapropter ad hæc cognoscendas bina, & bina instantia à Phi- losophis instituta sunt: ita ut primis duobus pri- mò coëxistat productio, vel desitio rei (assigna- tur enim vnum ex illis pro inceptiōe, alterum verò pro desinētiōe) seu quòd idem est, ita ut in his duobus revera sit inceptio, aut desitio, non verò in posterioribus; sed solum post illud instans sequatur immediatè talis inceptio, vel desitio.

2 Ex quo inferendum, & secundò notandum est: quòd licet omnia hæc instantia sint quid ex- trinsecum respectu inceptiōis, & desinētiōis rei, quia in illa non insunt nihilominus duo priora dicuntur intrinseca respectu illarum: quia tam in- ceptio, & esse rei, quàm desitio & non esse men- surata per illa est in illo instanti in quo res inci- pere; aut desinere dicitur. Sicut etiam duo po- steriora dicuntur intrinseca, ex eo quòd inceptio, & desitio, quæ per illa instantia mensuran- tur, non sunt in illo instanti, sed in tempore im- mediatè sequenti: & idèd talia instantia sunt termi- ni extrinseci, post quos immediatè erunt inceptio, & desitio rei.

Quod ut exactè intelligatur, notandum est ter- tio: quòd ad hos varios incipiendi, & desinen- di modos explicando adinveniuntur à Philosophis quatuor termini, scilicet incipere *per primum sui esse*; & *per ultimum non esse* & desinere *per pri- mum non esse*, & *per ultimum sui esse*. Ea incipiunt per primum sui esse, quorum prima productio coëxi- stit illi instanti, ita ut verum sit dicere: nunc pri- mò est talis res; & immediatè antea non erat; ideo- que tale instans dicitur intrinsecum respectu in- ceptiōis: quia revera *esse*, & inceptio rei est in illo. Ea verò per ultimum non esse incipiunt, quo- rum productio minimè coëxistit illi instanti; sed tempori immediatè sequenti: ita ut de eis sit ve- rum enunciare, quòd in eo instanti non sunt; sed immediatè post illud: & consequenter in tempore immediatè sequenti erunt. Dicunturque *per ulti- mum non esse*, incipere: quia non esse illorum, ultimò finitur in illo instanti immediatè ante tempus, in quo habebunt esse.

3 Deindè, ea desinunt per primum non esse quo- rum prima destructio, saltem totalis, coëxistit instan- ti, & in instanti exercetur. Et tandem illa per vlti-

um sui esse desinunt; quorum desitio, seu non es- se minimè coëxistit illi instanti, aut in eo exercetur; sed in tempore immediatè sequenti: ita ut sit verum de eis dicere, quòd in illo instanti sunt, & immedia- tè post non erunt, & idèd tale instans dicitur ex- trinsecum respectu desinētiōis, seu non esse: quia non esse rei non est in illo instanti; sed immediatè post. Vnde meritò res sic desinētiōes dicuntur desinere per vltimum sui esse: quia esse illarum in instanti illo im- mediato ad non esse finitur ultimò: ita ut etsi in ipso sit, non tamen post ipsum:

*Explicatur modus incipiendi, & desinere  
successivorum.*

## §. I.

4 **H**IS ergo suppositis dicendum est primò: res successivas, verbi gratia motum, incipere per vltimum non esse: & desinere per primum non esse. Ita Aristot. in hoc lib. cap. 5. & 6. quem sequitur S. Thom. Averroes, Simplicius, Albertus Magnus, & cæteri alij expositores. Probatur. Quæ incipiunt *per primum sui esse*, & desinunt *per vltimum esse*, habent esse instanti, in quo primò incipiunt, vel desinunt: sed res omnes successivæ, cum ab in- trinseco habeant partem post partem, non possunt habere esse in instanti, sed potius in tempore: ergo nec *per primum sui esse incipiunt*, nec *per vltimum sui esse desinunt*. Manet ergo, quòd inci- piant *per vltimum sui non esse*: ita ut de illis veri- ficetur, quòd nunc non sint: bene tamen in tempore sequenti. Et similiter quòd ita desinant, quòd tunc non sint, & immediatè ante, scilicet in tempore ante- cedenti, fuerint.

Sed obijciens primò, si detur, quòd mulier præ- gnans moveatur, & in medio motus animetur fœtus, tunc fœtus incipiet esse *per primum sui esse* (ut iam di- cemus) ergo, & motus ipsius. Patet consequentia: quia cum primò incipit esse fœtus, incipit moveri ad motum matris.

Secundò, motus essentialiter habet prius, & po- sterior: sed prius, & posterior non possunt simul, & in instanti desinere: quia antequam sit pars posterior, iam desinit esse pars prior, ergo malè diximus, mo- tum desinere in instanti *per primum non esse*. Confir- matur, ideo repugnat motum incipere in instanti: quia eius partes essentielles, scilicet prius, & posterior, ne- queunt simul esse: sed pariter repugnat *non esse* partis prioris, & posterioris motus simul inveni- ri: ergo impossibile erit motum desinere esse *per primum non esse*.

Vltimò in illo instanti terminatio motus revera existit motus: ergo potius est verificandum de illo quòd sit: ergo non desinet *per primum non esse*. Vtra- que consequentia constat. Antecedens verò probatur quoniam motus existit ratione indivisibilis, ut lib. 4 diximus: ergo dum est indivisibile illius, etiam motus tunc erit.

§ Ad primum respondetur: in illo instanti intrin- seco animationis fœtus non esse verum dicere, fœ- tum moveri; imò potius oppositum contingere; quatenus tunc non est motus, etiam si immediatè post il- lud instans futurus sit. Vnde cum fœtus incipit *intrin- secè*, tunc motus *intrinsecè*, & *per vltimum non esse* inci- pit.

Ad secundum, & eius confirmationem responderet- ur versari maximum discrimen inter *esse* cuiuslibet rei, præcipuè si successiva fuerit, & inter *non esse* eiusdem rei. Nam illud positivum, & successivum continuita-

tem

tem ex natura sua importat, & propterea non potest, vel totum simul, vel aliqua eius pars in momento inueniri: *non esse* verò rei successiuæ non est aliqua realis natura; sed potius negatio quædam in indiuisibili, ex propria conditione consistens: vt ostendi potest in reliquis continuis, in quibus positium esse eorum, postulat realem & positiuam extensionem, ac continuitatem: *at non esse* illorum id non exigit; in puncto enim quamuis non sit linea, est tamen suo modo non esse lineæ. Vnde optimè stat, quod *non esse* motus sit in instanti, & esse ipsius non in instanti, sed in tempore, & extrinsecè incipiat: quia incipit in instanti extrinsecò, scilicet *per ultimum non esse*, in quo verificatur, quod nondum sit res; sed immediatè post, nimirum in tempore statim sequenti erit.

6 Ad id autem, quod in eadem obiectione dicitur, scilicet prius definire partem priorem, quam posteriorem, respondetur: admittendo non ita definire aliquam partem determinatam motus, quin sit dabilis alia, quæ prius defuerit, & alia, quæ definenda restet: attamen non minus etiam est verum, quod post quamlibet partem, est instans: atque adeò vsque dum ad instans terminans totam successionem, in quo est omnimoda motus, & suarum partium, definitio, deueniatur: semper verificatur, quod in vno in instanti vna pars defuerit, & alia definat in alio, ac tandem altera in alio defutura sit.

Ad vltimum respondetur: ad hoc vt motus absolute definat satis esse, quod post aliquod indiuisibile eius non sit alia pars immediatè futura, nam si talis pars subsequeretur, potius prædictus motus continuaretur, quam defineret esse. Vnde, cum post *mutatum esse* terminatiuum illius non sequatur alia pars immediatè futura (vt ex se constat) oportet vt non sit amplius *esse* motus: & sic in illo instanti verificabitur, motum non esse: quia neque in se, neque in suo continuatiuo habet amplius *esse*. Nec refert, quod pars immediatè præterita existat ratione illius indiuisibilis: quoniam existit in ratione præteritæ: & ita in illo instanti non debet ratione suæ essentia: esse: sed immediatè fuisse alioquin non existeret tunc per modum præteritæ.

7 Explicatur hoc: quoniam hæc est differentia inter partes successiuas, & permanentes: quod illæ in eadem duratione habent suum esse essentia:, & suum esse existentia: non verò illæ: quia essentia partis præteritæ motus, est in parte temporis præterita: at verò existentia est in instanti, quod statim subsequitur: quia existit ratione *mutati esse*, quod in illo instanti est; & idè dixit Aristot. in hoc lib. cap. 5. quod moueri (per quod denotatur essentia motus, est in tempore, at verò *mutatum esse* (per quod significatur indiuisibile ratione cuius existit) est in instanti. Vnde in instanti terminatiuo verificatur, partem præteritam habuisse in tempore antecedenti suam essentiam partis præteritæ, & in prædicto instanti adesse *mutatum esse*, indiuisibile, ratione cuius ipsa existit. Et ita pro ea duratione quæ est immediatè ante instans, non debetur illi existentia: quia hanc simultatem, vt sic dicamus & vniōem; non verò aliam maiorem petunt essentia & existentia successiuorum. Quare, vt non sit amplius essentia motus, sufficit, & requiritur non superesse aliam partem immediatè futuram, quæ correspondeat parti temporis immediatè futuræ: quia eo ipso in illo instanti talis motus finietur.

Sed dices. In motu augmentationis, verbi gratia, indiuisibilia quantitatis producuntur per *mutata esse* motus, & partes quantitatis per partes motus: ergo in eadem duratione habent partes motus suam exi-

stentiam, & non solum in instanti sequenti. Patet consequentia: quia quod non est existens in aliqua duratione non potest in ea esse realis productio rei existentis.

8 Respondetur quod sicut res permanens ratione suæ essentia: connotando tamèn in eodem instanti existentiam, saltem tanquam conditionem, potest producere suum effectum: ita res successiuæ connotando etiam (per se loquendo, quantum est ex vi eius quod petit motus) existentiam in instanti sequenti convenientem illi ratione *mutati esse*, indiuisibilis potest esse acquisitio partis quantitatis quoniam natura entis successiuæ petit hunc modum existendi, & non alium, vt supra libro quarto probatum est.

Nec refert si dixeris, quod si semel pars, vt existens per modum præteritæ, est realis productio partis quantitatis sequeretur partem motus, vt immediatè futuram attingere etiam partem quantitatis, quoniam hoc ipso, quod est immediatè futura, iam existit: at hoc est impossibile: ergo, &c. Minor constat: quia alias per primum indiuisibile motus ratione cuius pars immediatè futura, existit, produceretur pars quantitatis, & sic inciperet in instanti.

9 Respondetur negando sequelam: nam licet dateremus esse in motu primum indiuisibile illius nihilominus obiectio nihil conuincit quia motus componitur ex pluribus, & diuersis partibus præteritis, & futuris: ita tamen, vt etiam eademmet pars habeat realiter essentiam partis immediatè futuræ, & statim essentiam partis immediatè præteritæ. Et similiter existit vt futura, & deindè vt præterita, eo sane modo quem supra disputatione 21. quæstione 5. diximus. Vnde vsque dum habeat reipsa essentiam præteritæ, & futuræ, non est, vt sic dicamus, in omni actualitate essentia:, quam petit, & debet habere: & ita neque est in ea sufficiens actualitas essentia: requisita, ad hoc vt sic productio, seu via ad suum terminum: quia deest illi, quod reipsa habeat essentiam partis præteritæ. Quare sicut res permanentes non efficiunt actu, nisi sit in eis omnis actualitas essentia:, & existentia:, quam petunt: ita quia successiuæ postulant, quod eademmet pars habeat prius essentiam futuræ, & statim habeat re ipsa essentiam præteritæ: idè prius debet talis pars inducere rationem, & essentiam præteritæ, quam sit via attingens suum terminum.

*Quomodo incipiant, & definant indiuisibilia successiuorum.*

## S. II.

10 **D**icendum est secundò, indiuisibilia motus, & temporis incipere per *primum sui esse*: definire verò per *ultimum esse*. Ita Aristoteles, Diuus Thomas, & alij. probatur quoad primam partem. Quod est penitus indiuisibile debet indiuisibiliter, & instantaneè acquiri: ergo hæc indiuisibilia incipiunt in instanti, & consequenter per *primum sui esse*.

Confirmatur: nam ex eo quod in successiuis non potest assignari aliquid, quo non sit aliud prius, idè in tempore; quod est diuisibile, debent incipere: ergo cum in re penitus indiuisibili, nequeat assignari aliquid, quod prius; aliud verò quod posterius acquiratur necesse est, vt secundum se totam simul, & semel atque adeo in instanti incipiat.

Secunda verò pars, & simul prima suadetur: nam indiuisibilia hæc secundum se sumpta, tantum durant per instans; ergo in eodem instanti, verum est

est de quouis eorum dicere: nunc est hoc indiuisibile, & immediatè ante non erat ( ecce initiatiuum : ) & similiter nunc est, & immediatè post hoc non erit ( ecce desitiuum : ) desinent ergo per *ultimum sui esse*: sicut & per *primum esse* incipient. Ex quo fit, ut vnum, & idem intrans collatum cum tempore immediatè præcedenti, in quo non fuit prædictum *mutatum esse*, sit instans intrinsecum inceptiōis illius: at verò comparatum cum tempore immediatè futuro, in quo non erit tale *mutatum esse*, dicatur instans desitiōis eiusdem extrinsecum quatenus tunc est, & immediatè post non erit.

11 Sed obiicies: motus, qui non habet suum esse simul, sed successiue, habet simul, & in instanti suum *non esse*: ergo multò melius indiuisibile illius, scilicet *mutatum esse*, quod est totum simul, & in instanti, habebit etiam simul & in instanti, suum *non esse*. Pater consequentia: tum quia multò melius *non esse mutati esse*, consistit in indiuisibili, quàm *non esse* motus: ergo si ob hanc rationem motus in instanti habet suum *non esse*, ob eandem etiam erit simili modo de indiuisibili philosophandum. Tum etiam: nam *esse*, & *non esse*, eandem videntur habere mensuram; ergo si *esse* huius indiuisibilis incipit in instanti, etiam non esse erit in illo: & ita verum erit de eo quodd nunc non sit, & immediatè antea fuerit, quod est desinere per *primum non esse*.

Respondetur, concedendo antecedens, & distinguendo consequens. Et si sensus sit, quodd indiuisibile multò melius quam ens successiuum habebit suum *non esse* simul, id est, non per partes, aut gradus, admitti debet. Si verò sit sensus, quodd multò melius habebit suum *non esse*, coëxistens ad instans extrinsecum primi mobilis, vel temporis imaginarij, negari debet. Et ratio est: quia licet *non esse* indiuisibilium, sit indiuisibile: nihilominus ipso ab intrinseco, & connaturaliter petunt, quodd verificetur de eis non esse ad inceptiōem quietis, vel motus; atque adeò ad præsentiam, & coëxistentiam temporis: nam per se, & ab intrinseco, post *ultimum esse* eorum, sequitur vel motus, vel quies aut tempus verum, vel imaginarium, atque adeò quodd mensurat *non esse* talium indiuisibilium nihil est aliud, quàm tempus: quamuis hæc mensuratio non sit adæquata; sed inadæquata, ut ex se constat. At esse eorundem indiuisibilium continuantium motum ab intrinseco petit, quodd succedat motui, & quodd mensuretur mensura, & doratione succedente ad tempus, cumque hæc sit instans, oportet ut in instanti incipiat.

12 Adde, quodd ad modum desinendi per *ultimum sui esse*, quoddammodo attenditur potius ad *esse*, quàm ad *non esse*: quia ea, quæ sic desinunt, non idè ita desinere intelliguntur: quia *non esse* eorum, sit in illo instanti: nam idè tale instans dicitur extrinsecum quoad *non esse* rei: quia nondum tale *non esse* peruenit: sed quia in illo instanti sunt, licet immediatè post, non habeant esse. Ad hunc autem modum desinendi accommodata sunt tam *instantia*, quàm *mutata esse* motus, ut ex dictis constat.

## Q V Æ S T I O II.

*Quomodo qualitates materiales incipientes, & desinentes per motum, incipiant, & desinant.*

Pro huius quæstionis decisione notandum est, formam per motum acquisitam, verbi gratia calorem, esse sumi dupliciter. Primò, prout est in fieri, & se-

cundum gradum indeterminatum, & ut recipitur in indeterminata parte subiecti. Secundò, prout est in facto esse secundum gradum determinatum, & recipitur in parte subiecti determinata: ut si dicas: calidum ut duo receptum in quantitate digitali. Quæ dualis verbis explicant, dicentes: calorem posse sumi vel absolutè, vel ut est tantus: quia ut est tantus, docet certum, & determinatum gradum, & quodd recipiatur in certa, & determinata parte subiecti: secus verò absolutè sumptus.

*Sensitur, quomodo hæc qualitates absolutè considerate incipiant, & desinant.*

### §. I.

13 Dicendum igitur est. Si qualitas materialis, quæ cum expulsionem contrarij sit, consideretur prout in fieri; incipit per *ultimum non esse*: & desinit per *primum non esse*. Ita communiter Thomistæ, & alij Doctores. Probat quoad priorem partem: quia dum sic sit, semper sit successiue: siquidem contrarium actionem retardat. Vnde prius introducit secundum esse remissum, quàm secundum esse intensum: prius item in dimidio palmo, & in dimidio dimidij, quàm in toto palmo, aut eius medicare: ergo incipit, & desinit, sicut ipse motus. Etenim quæ per *primum sui esse* incipiunt, debent primò esse, vel secundum se tota, vel ad minus secundum aliquam sui primam, & determinatam partem, quæ sit apta nata ad sic incipiendum: alioqui quomodo de illis verificaretur, quodd tunc primò sunt; Ex quo etiam secunda assertionis pars conitit: nam sicut incipiunt more successiuorum ita desinunt ad modum ipsorum; & per consequens per *primum non esse*.

Confirmatur, & explicatur. Quæ successiue incipiunt, & desinunt; debent per motum incipere, & desinere: ergo incipiunt, & desinunt, sicut ipse motus. Pater consequentia: nam quæ sic incipiunt, in se habent, ut cuius parti motus correspondeat pars formæ: quoniam terminus motus, ut talis est, debet correspondere suæ productioni: ergo non incipiunt ante motum, sed quando fuerit verum non incepisse, aut incipere motum: idem etiam erit verum de talibus formis: ergo cum verè dicamus de motu, quodd nunc non est, etiam si immediatè post futurus sit: verè etiam affirmabimus, quodd tunc non sit ille terminus, & immediatè post hoc, fiet. Quodd idem de desitione dicendum est.

14. Sed dices: has qualitates materiales per motum acquisitas desinere per *ultimum sui esse*; etiam si absolutè considerentur: ergo; &c. Antecedens probatur: nam demus aliquod lignum frigidum calefieri; tunc cum motus, & calor per eum acquisitus incipiat per *ultimum non esse*, verum erit in illo instanti non esse motum; & consequenter nec calorem; sed immediatè post: ergo etiam de motu per quem frigiditas illa deperdenda est, verè affirmabitur tunc non esse, sed fore, similiterque tunc non esse deperditam frigiditatem; sed immediatè deperdendam quodd est, desinere per *ultimum esse*. Pater consequentia: quia cum generatio noui caloris sit deperditio frigiditatis præexistentis, oportet ut eo modo, quo fuerit verum, calorem esse denuò generatum, vel generandum, sit etiam verum, frigiditatem esse expulsam, vel expellendam; atque ita quando verificatur, calorem nondum esse, sed immediatè fore: verificabitur frigiditatem tunc esse; & quodd immediatè post non erit.

Respondetur, has qualitates per motum incipientes, & desinentes, ita inter se comparari, ut cum



minarum, tunc alia definat, *ut tamen*. Vnde quia *ut* *santa* consistit in indiuisibili, *ut* statim explicabimus; ideo potest definire more rei indiuisibilis definientis per *ultimum sui esse*. Quare, cum est verum dicere, nunc est calor, & immediatè post erit, tunc etiam est verum dicere esse frigus, *ut tantum*, & immediatè post non fore tantum. Sed hæc amplius in sequenti assertionē elucidabuntur.

*Explicatur modus incipiendi prædictorum qualitatem, ut sunt tanta,*

§. I I.

45 **E**X quo inferendum, & dicendum est secundò: Si hæc qualitates accipiantur *in facto esse*, & sub gradu determinato & in ordine ad certam partem subiecti; incipiunt per *primum sui esse*: & desinunt per *ultimum esse*. Ità Thomistæ, & communiter alij Philosophi; & ideo singulos recensere superuacaneum erit. Probatur quoad priorem partem: nam formæ hæc sic sumptæ minimè per *ultimum non esse* possunt incipere: ita ut de eis sit verum dicere, quod calor verbi gratia ut duo, nunc non est in hac determinatâ parte subiecti & immediatè post erit ergo necesse est, ut per *primum sui esse* incipiant.

Consequentia est euidens. Et antecedens suadetur: quia in illo *nunc*, in quo dicitur, non esse calorem ut duo; sed immediatè futurum esse, vel deest aliquid caloris ut duo, vel non: si hoc secundum dicatur ergo tunc intrinsecè incipiet; & consequenter per *primum esse*. Si verò primum asseratur, tunc illud, quod deest, vel erit diuisibile, vel indiuisibile. Non indiuisibile: quia hoc non facit maius, nec potest, & semel est indiuisibile acquiri in tempore immediatè sequenti; ac proinde nec de illo verificabitur, quod iam tunc non sit: sed in tempore sequenti erit. Vel est indiuisibile. Et hoc non quia iam prius introduceretur medietas, quàm totum: & postquam introducta est hæc medietas, dabitur etiam instans, in quo sit verum dicere: nunc non est calor ut duo, sed immediatè post erit (quod idem de alia medietate, & sic de aliis, & de partibus in ea inclusis dicemus): ergo iam instans illud prius, in quo dicebatur per *ultimum non esse* incipere, non erat *ultimum non esse* inceptiōis caloris, ut duo: quandoquidem in tempore immediatè sequenti non potest esse verum, quod sit calor ut duo.

16 Confirmatur primò: determinatâ pars in indiuisibili consistit, & quodcumque addas; aut auferas: eo ipso determinatam partem ut talem destrues: ergo calor ut duo, & in determinatâ parte receptus necesse est, ut in instanti intrinsecè incipiat. Adde, & confirmabitur secundò, quod in tempore, aut motu, non est signabilis determinatâ pars, quovsq; veniat in instans: quia ante illud non potest designari prima, aut vltima, quæ non sit alia prior, aut vltior: ergo in re, etiam acquisita per motum, quæ eodem modo debet correspondere productioni: non poterit assignari aliquid determinatum, quod acquisitum sit, nisi, in instanti.

Secunda verò eiusdem assertionis pars: scilicet prædictas qualitates sic consideratas definire per *ultimum sui esse*, inde liquet, nam cum hæc formæ, ut tantæ, desinunt necesse est ut aliæ incipiant per *ultimum non esse*: cum per motum, & cum motu incipiant, ut supponimus: ergo etiam erit necessarium has definire per *ultimum sui esse*. Patet consequentia: quia quando una ex his formis per *ultimum non esse* incipit, semper alia per *ultimum sui esse* debet desinere nam in illo instanti, in quo est verum, quod aqua

*Colleg. Compl. Physica.*

frigida ut octo, non est calida; sed immediatè post erit calida: tunc etiam est verum, esse adhuc frigidam ut octo; & immediatè post non esse sic frigidam, quod est definire per *ultimum esse*. Sed hæc iuxta statim dicenda debent intelligi:

*Objectiones contra præcedentem assertionem, & solutio earum.*

§. III.

17 **S**ed obiicies primò, calorem ut duo acquisitum fuisse per motum: at motus nunquam est in instanti intrinsecè: ergo neque calor ut duo in instanti intrinsecè incipiet. Confirmatur; nam vel in tempore ante illud instans in quo dicitur calor ut duo, intrinsecè incipere; habuit dictus calor totum suum esse, vel non. Si primum: ergo non incipiet per primum esse & in instanti; sed in illo tempore; atque aded in instanti antecedenti incepit extrinsecè per ultimum non esse. Secundum autem dici non potest: quia in instanti intrinsecè, nequit aliquid diuisibile acquiri: at quidquid ad calorem ut duo poterat deesse; necesse est, ut sit diuisibile: sicut quidquid deest lineæ, hoc ut sit digitalis; debet esse diuisibile. Et ita si addatur, aut auferatur ab ea aliquid indiuisibile; non ideo desinet esse digitalis; ergo, & cætera.

18 Respondetur distinguendo maiorem; & si sensus sit, quod calor ut duo acquisitus fuit per motum, ut *in fieri*; negari debet Si verò sensus fuerit quod acquisitus est per motum, ut *in facto esse*, seu per factum esse motus, scilicet per *mutatum esse*, quo suo modo terminatur, concedenda est. Et similiter debet minor distingui, & concedi si intelligatur de motu, ut motus est negari verò, si de motu secundum suum factum, vel mutatum esse certum, & determinatum intelligatur.

Sed ut hoc melius percipiatur, notandum est quod iuxta valde probabilem opinionem, motus pro-  
ut *in fieri*, non habet aliquid indiuisibile, quod terminetur; nec à parte ante, neque à parte post: quia moueri dicit motum secundum quod diuisibilis est, & in tempore fluit: motus verò in facto esse, seu pro-  
ut dicit, iam motum esse, habet ut dixit Philosophus in hoc lib. cap. 5. & 6. ultimum mutatum esse, quo motus in facto esse terminetur, vel absolute, vel saltem quoad aliquam certam partem. Non quidem ita ut quando est *in facto esse*, seu (ut melius loquamur) *in mutato esse*, tunc sit motus secundum quod motus sed quia illud *mutatum esse*, per se loquendo, intrinsecè consequitur motum tanquam terminus eius: habetque omnia illa, quæ ad terminandam rem successuam requiruntur.

19 Ex quo fit, quod sicut ea, quæ correspondent motui in fieri, & una cum illo incipiunt, debent ad inceptiōem eius, & eo modo, quo motus incipit incipere; ita, quæ correspondent motui, ut iam est factus, seu *mutato esse* ipsius motus, & una cum eo incipiunt, debent eodem modo incipere, quo tale factum esse incipit; & consequenter non in tempore; sed in instanti intrinsecè debent esse. Quia, ut docet Aristoteles loco citato, in instanti, quod subsequitur post tempus mensurans motum, est verum dicere tunc primò motum iam esse factum, seu tunc incipere mutatum esse illius. Quapropter, cum calor ut duo non dicat calorem, ut duo *in fieri*; sed in facto esse; & consequenter nec terminet motum *in fieri* sed ut est in suo *mutato esse*: quia calor secundum hanc considerationem consistit in indiuisibili, ut explicatum est; ideo non incipit in tempore, in quo ve-

Z

rum

rum est, motum, ut motus est, exerceri; sed in eo instanti, in quo verificatur motus tunc primò factum esse, & consequenter per *primum sui esse*. Vnde, usque dum motus sit finitus, saltem quoad illam partem, quæ tali *mutato esse* terminatur non incipit calor secundum prædictam rationem consideratus.

20 Ad confirmationem respondetur, eligendo secundam partem dilemmatis: quia sicut illud tempus, quod est immediatum instanti, est incertum, ac indeterminatum, scilicet minus, & minus, & indeterminato, ac confuso modo est illi immediatum, ut supra disput præcedenti quæst. 5. diximus: ita calor, qui statim erit ut duo; habet in eo tempore latitudinem confusam, & indeterminatam. In instanti verò habet illam determinatam, & in eo solummodo habet suum esse ut duo, & in indivisibili secundum hanc rationem consistens. Vnde, nisi perveniatur, & saltem mente sistatur in aliquo *mutato esse* certo, & determinato motus, nequit sciri, quantus sit motus, aut suus terminus: quoniam potest esse minor, & minor ut ex se constat. Cum autem ad illud pervenitur: iam motus, & terminus habent esse certum, & determinatum, & in indivisibili consistens.

Nec exemplum, quod de linea adducitur obstat: quia linea potest habere certas, & determinatas partes, cum terminatione saltem negativa scilicet cum carentia ulteriori extensionis; etiam si ab ea auferatur punctum: at calor ut est in fieri, non potest habere certam latitudinem, usque dum perveniatur ad aliquod certum mutatum esse, aut instans, ut explicatum est.

21 Obiicies secundò: videri impossibile, quòd quando, verbi gratia, calor *ut tantus* definit: tunc frigiditas *absolutè*, & secundum partes indeterminatas incipiat: ergo, &c. Antecedens probatur, & explicatur: nam siue attendamus ad intensiōem horum accidentium, siue ad extensionem in subiecto, inuenimus tot gradus frigiditatis acquiri, quot caloris amittuntur: ita ut si vel minimum caloris deperdatur, tunc etiam minimum frigiditatis acquiratur. Similiterque, si calor, digitale, vel semidigitalem informabat materiam tunc si paululum illius informare desinat, hoc ipsum tantummodo, & nihil amplius frigiditas informabit: quia non nisi ad desitionem eius, & in his partibus, in quibus ipse definit incipit: ergo ex omni capite erit impossibile, quòd quando una forma definit, *ut tanta*, tunc altera incipiat *absolutè*, & secundum partes indeterminatas.

Respondetur, optimè fieri posse vnam formam *absolutè*, introduci in materiam, & aliam definire, *ut tantam*. Imo sic contingere, quoties motus denuò incipit. Et ratio est: nam cum forma illa, quæ definit sit certa & determinata ante sui desitionem, ut patet in calore vel frigore existente in ligno, & id quod est certum, & determinatum, si ab eo auferatur gradus, aut pars aliqua siue certa, siue incerta, & indeterminata, statim desinat, *ut tantum*, seu determinatum, ut patet in vna, quæ definit in ratione vna, hoc ipso quòd ab ea aliqua pars, siue certa, siue indeterminata auferatur: idè forma præexistens sub certo gradu, & ut tanta, postest definire ad introductionem formæ oppositæ, quæ absolutè, & secundum partes indeterminatas introducit. Nam hoc ipso talis forma desinet formaliter ut tanta, & secundum gradum illum determinatum.

Diximus, ad introductionem formæ, quæ absolutè introducit: quia cum vna forma desinat, ex eo quòd alia introducit, debet proportionari, & mensurari modus desitionis iuxta modum introductionis: ita ut si forma, quæ introducit, incipiat per *ultimum non esse*, tunc alia desinat per *ultimum sui esse*: si verò una

introducetur per *primum sui esse*, & alia definere, *ut tanta*, ex vi talis introductionis: tunc poterit per primum non esse, & modo alibi assignato, finire, ut ex dictis constat.

### QVÆSTIO III.

#### QVOMODO SUBSTANTIÆ GENERABILES & CORRUPTIBILES INCIPIANT, & DESINANT.

SEmel explicato modo incipiendi, & desinendi motus, & accidentium materialium; statim pulsar animus, ut ad altiora ascendentes modum incipiendi, & desinendi substantiarum corruptibilium exponamus.

*Statuitur motus Incipiendi substantiarum generabilium, & ad corruptionem aliarum incipientium.*

#### §. I.

22 **D**icendum est primò. Substantiæ generabiles, quæ ad corruptionem aliarum generantur, debent in prima sui productione per primum sui esse incipere. Ita Arist. in præsentia, cap. 5. text. 43. & alibi sæpè. Quem sequuntur D. Thom. ibidem, & quodlibeto 7. art. 9. & ceteri eius discipuli. Explicatur, & probatur: nam semper generatio fit in fine *alicuius* motus præcedenti ratione cuius disponitur subiectum ad formæ substantialis introductionem: quare, cum motus ille est, nondum est forma generanda: quia dispositio requisita ad illam nondum est producta; sed solum adest, quando verificatur finitum esse motum. Vnde, cum hoc in instanti subsequuto post motum, quando nimirum motus terminandus erat, verificetur, ut ex supra dictis & ex dicendis patebit, sit inde ut in eo verè dicatur, quod tunc est talis forma, & immediatè antea non erat: quod est incipere per *primum sui esse*.

Confirmatur, & explicatur: formæ substantiales introducuntur, cum est iam separata tota resistantia contrarij: ergo nihil est, quod introductionem formæ retardaret, & impediat ne in instanti, & tota simul introducat.

Secundò probatur ratione desumpta ex eodem D. Thom. quodlibeto citato: nam substantiæ generabiles sunt res permanentes, habentque totum suum esse simul, & aliunde petunt introduci in certam, & determinatam materiam: ita ut in minorem non possint introduci, ut in sequenti disputatione dicemus: ergo nequeunt fieri successivè, & consequenter, nec per *ultimum non esse incipere*.

23 Sed dices: non consistere assertionem hanc cum his, quæ in quæstione præcedenti diximus: nam dispositio ultima ad introductionem formæ substantialis verbi gratia, equi, debet esse certa, & determinata quia determinata forma determinatas dispositiones ad sui introductionem postulat: ergo incipiet per *primum sui esse*, ut ibidem asseruimus: ergo impossibile erit formam ad quam disponit, incipere simul in eodem instanti intrinseco. Patet hæc ultima consequentia: quia dum est ultima dispositio, debet etiam esse subiectum talis dispositionis, quod in D. Thom. & nostra sententia nullum est aliud præter compositum corruptendum: at repugnat ut in eodem instanti intrinseco inueniatur simul compositum corruptendum, & compositum de novo generandum: alioqui materia simul duobus formis

formis substantialibus informatur: ergo cum vltima dispositio debeat iuxta dicta, in instanti intrinseco, seu *per primum esse* incipere, necesse erit, vt compositum denuo generandum non incipiat intrinsecè in illo instanti; sed solum extrinsecè: & consequenter *per vltimum non esse*. Etenim in eo instanti, in quo est vltima dispositio, debet etiam forma, ad quam est talis dispositio incipere, vel extrinsecè, vel intrinsecè: quia repugnat materiam esse vltimò dispositam, & non esse introductionem talis formæ.

24 Responderetur, vltimam dispositionem ad formam substantialem introducendam, non esse illas qualitates, & dispositiones, quæ in composito præcedenti præfuerunt; sed illas quas secum compositum denuo generatum afferat: quæque in eodem instanti intrinseco cum prædicta forma incipiunt. Quomodo autem coherere possit, quod prædicta accidentia subiectionem in toto composito in illo instanti generationis, & nihilominus in eodem instanti disponant ad introductionem formæ eiusdem compositi, explicat. Diuu. Thom. prim. part. quæstion. 76. artic. sext. ad 1. De quo videri potest Caietanus ibidem.

Secundò responderetur, seu potius magis explicatur præcedens solutio: prænotando tamen, quod licet verum sit dispositiones omnino vltimas ad introductionem formæ substantialis, esse illas de quibus Diuu. Thom. loco citato loquitur; nihilominus, vt benè notauit Caiet. ibidem, dantur aliæ præcedentes ordine durationis, prædictam introductionem, & ratione harum verificatur: materiam non vtrunque, sed immediatè ante instans generationis fuisse dispositam, quarum in ea duratione petitur, ad hoc vt instanti immediato introducatur forma.

25 Hoc ergo supposito, ad argumentum dicendum est, quod licet motus frequenter habeat vltimum *mutatum esse*, quo intrinsecè terminetur: nihilominus aliquando potest contingere, vt ex defectu subiecti, quod corrumpitur, quando motus vltimò terminandus erat, non habeat tale *mutatum esse*, sed solum extrinsecè terminetur: quatenus, ad illud *mutatum esse* non pertingit. Vnde etiam forma, quæ per se primò per illud producit, potest non habere terminum intrinsecum in initium, vt sic dicamus, in esse quieto; sed quando terminanda erat, tunc ex defectu subiecti, omnino euanesceat. Et ita solum aliquantulum extrinsecè terminatur; quatenus tunc euanesceat, & ad tale *mutatum esse* non pertingit. Quare, in illo instanti non est verum dicere, motum esse *in facto esse*, seu dari *factum esse* intrinsecum motus, vel esse terminum in esse quieto, & intrinsecè: sed solum quod non est, & quod ad defitionem illius, & subiecti in quo erat; incipit alia noua forma substantialis, quæ est intrinsecus terminus præcedentis dispositionis.

26 Sic ergo contingit in motu illo ad vltimam dispositionem terminato: quia quando terminandus erat, vltimaque dispositio erat habitura esse quietum certum, & in facto esse, tunc destruit subiectum, & ad defitionem eius desinet motus vnà cum dispositione illa. Cumque non possit destrui vnum compositum, quin aliud denuo generetur; inde fit, vt *primum non esse* vltimæ dispositionis, habet enim suum non esse in instanti: quia quando terminanda erat, habuit illud sit *primum esse* formæ substantialis denuo generandæ. Quapropter vltima dispositio, quæ requiritur ad formam substantialem introducendam, non est aliqua qualitas materialis, vt tanta; sed quæ in illo instanti, quo desinit, futura erat tanta: nisi aliàs ad defitionem subiecti desineret. Etenim vltima illa dispositio introductiua non terminatur

Colleg. Compl. Physic.

per maximum; quod sic; sed suo modo per minimum quod non. Vnde non est illa, sub qua iam terminata tale compositum esse potest; sed sub qua esse non potest, & sub minori, vel sub eadem, vt non terminata potest.

*Stabilitur modus desinendi substantiarum corruptibilium, & ad inceptionem aliarum desinentium.*

## §. II.

27 **D**icendum est secundò. Substantiæ corruptibiles viuentes desinunt, connaturaliter loquendo, per *primum non esse*: non viuentes verò, quæ corrumpuntur ad inceptionem aliarum, desinunt eodem modo, nisi aliàs forma denuo generanda incipiat ob specialem aliquam rationem per vltimum non esse: quia tunc opposito modo desinent. Hæc est D. Thomæ, quodlibeto citato, & communis inter Doctores.

Probatur quoad primam eius partem: supponendo tamen duo omnino certa. Primum est: viuentia, siue ab igne, siue à quouis alio corrumpantur, non posse non immediatè in cadauera transire. Secundum est, formam cadaueris, ob specialem sui rationem, requirere materiam certam, & determinatam ad incipiendum, quia est veluti quædam umbra formarum viuentium; & ita incipere per primum sui esse.

Hinc ergo prior assertionis pars probatur, ratione desumpta ex D. Thomæ quodlibeto citato. Quotiescunque generatio formæ denuo aduenientis incipit in instanti, & per *primum sui esse*, debet à fortiori res corrupta per primum non esse desinere: ergo si forma viuentis desinit ad inceptionem formæ cadaueris, incipientis per *primum sui esse*; oportet, vt desinat per *primum non esse*. Antecedens patet: quia alioqui duæ formæ substantiales essent simul in eadem materia. Etenim si homo desinit per vltimum sui esse, verè affirmabitur: nunc est homo, & immediatè post non erit. Rursus, in eodem instanti esset etiam verum dicere, nunc est cadauer: cum per *primum sui esse* incipiat: ergo in eodem instanti erunt simul in vna materia, forma hominis, & forma cadaueris.

28 Nec potest dici: esse *duo instantia illa* in quibus prædicta verificantur: atque adeo non in eodem instanti verum erit, quod duæ formæ simul eandem materiam informant. Nam contra est, inde sequi materiam esse posse naturaliter sine aliqua forma, quod implicat. Probatur sequela: quia cum illa duo instantia non possint esse immediata, vt supra latè probatum fuit, necesse est, vt mediet tempus inter vnum, & aliud: ergo in eodem tempore erit materia sine aliqua forma: quia tunc non actuabitur forma aduenienti cum nondum accesserit instans, in quo futura est, nec forma præcedentis: quia in instanti immediato ante illud tempus verificatum est de illa, quod tunc est, & immediatè post non erit: ergo, & cætera.

Ex quo secunda assertionis pars satis patet. Tum quatenus inquit, formas rerum non viuentium desineret per primum non esse. Tum etiam quatenus ait, corrumpi per vltimum sui esse in casu ibidem posito, alioqui si vna inciperet per vltimum non esse, & alia per primum non esse desineret, daretur aliquod instans, in quo materia sine forma esset, vt inuenienti patebit. Quæ ratio etiam desumitur ex D. Th. loco citato.

2. 2. Sed

29 Sed obiicies : non posse aliquam substantiam formam per ultimum sui esse desinere : nam quæ desinunt, sic habent in tempore suum non esse, ut constat : at formis substantialibus : etiam non uiuentium, non potest hoc conuenire : ergo, &c. Minor probatur : quia cum sint permanentes, & indiuisibiles, nequeunt in eis signari partes, quarum vna correspondeat vni parti temporis, & alia alteri.

Responderetur : quod ut colligitur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 31. art. 2. sufficit ad hoc, ut substantia habeat suum non esse in tempore, quod desinat per accidens ad introductionem successiuam alterius formæ cum ipsa impossibilis : licet talis substantia ex se non habeat partes : sicut etiam sufficiat ad hoc ut substantia incipiat in tempore, & per ultimum non esse, quod incipiat per accidens ad inceptiōem motus. In præsentī autem loquimur de substantiis prædicto modo incipientibus, & desinentibus. Adde primò, quod licet forma substantialis sit ex se indiuisibilis : informat tamen indiuisibiliter ratione quantitatis. Adde secundò, bene posse rem indiuisibilem desinere per ultimum sui esse, & ex consequenti habere suum non esse in tempore, non quidem per correspondentiam adæquatam ; sed inadæquatam cum illo, ut quæstione sequenti explicabimus.

#### Q V Æ S T I O IV.

*Quomodo incipiant, & desinant res permanentes, quæ in sua inceptiōe, & desinēte motui non subduntur.*

30 **P**RO tituli intelligentia notandum est ; prædictas res permanentes esse in duplici differentia : nam aliæ sunt accidentia, ut qualitates spirituales, quæ nec fiunt per motum, nec per illum desinunt : aliæ verò sunt substantiæ, ut cæli, Angeli, & anima nostra rationalis secundum se considerata. Sed quia tam ex dictis, quam ex dicendis in hac eadem quæstione constabit, quid quoad hoc sit dicendum de accidentibus, ideo illam solam quoad substantias discutimus.

*Refertur prior sententia.*

##### §. I.

31 **P**rima sententia asserit : incipere per *primum sui esse* : & desinere per *primum non esse* : & hoc adeo esse necessarium, ut oppositum implicet contradictionem. Ita quoad primam partem Toletan. in præsentī, quæst. 4. conclus. 4. Pereira lib. 14. cap. 9. Contrabrie. cap. 8. quæst. 2. art. 2. & 6. & plures ex Iunioribus. Quoad secundam verò, Ferrara 3. contra Gent. c. 69. §. ut autem res. Vallesius controuerf. 46. ad Tirones : sicut eandem partem quoad inceptiōem harum rerum tuerentur, Rubius in præsentī, num. 108. & Maius in hoc lib. sect. 2. q. 10.

Probat quoad primam partem, scilicet prædictum modum incipiendi, & desinendi conuenire substantiis iuxta suam naturam. Nam ea incipiunt per *primum sui esse* : & desinunt per *primum non esse*, quæ indiuisibiliter incipiunt, & desinunt : sed huiusmodi substantiæ incipiunt, & desinunt indiuisi-

biliter : ergo incipiunt per *primum sui esse*, & desinunt per *primum non esse*. Maior patet : quia de his, quæ prædicto modo incipiunt, & desinunt, verificatur, quod incipiant, & desinant in instanti intrinseco, & indiuisibili : ergo indiuisibiliter. Minor verò etiam constat : quoniam prædictæ substantiæ, vel sunt penitus indiuisibiles, ut Angeli : vel si sunt diuisibiles, ut cæli, petunt habere totum suum esse, vel non esse simul ; & ex consequenti debent incipere, & desinere indiuisibiliter : ita ut vel secundum se tota, vel secundum nullam sui partem incipiant, vel desinant.

32 Deinde quoad secundam partem, scilicet implicare contradictionem, prædictas substantias incipere per ultimum non esse, & desinere per ultimum esse probatur. Ea, quæ incipiunt per ultimum non esse, incipiunt successiuo modo, & pars post partem : quia licet extrinsece incipiant in instanti : attamen intrinsece incipiunt in tempore, & per correspondentiam ad partes illius : sed prædicta entia, vel non habent partes, ut Angeli, vel non incipiunt successiuo modo : quia sunt secundum suum esse indiuisibilia motui : ergo nulla ratione possunt incipere per *ultimum non esse*. Quod argumentum non minus probat, non posse prædicta entia desinere per *ultimum esse* : quoniam quæ sic desinunt, licet desinant extrinsece in instanti, habent tamen intrinsece suum non esse in tempore, ac proinde successiuo modo.

Confirmatur : nam si huiusmodi substantiæ indiuisibiles incipiunt intrinsece in tempore, & per *ultimum non esse*, vel incipiunt totæ in toto illo tempore, & pars in parte, vel totæ in toto, & totæ in qualibet parte. Non primum : quia Angeli carent partibus, & licet cæli illas habeant, non tamen secundum suum esse subdi possunt motui, & tempori, & ita nec habere omnimodam, & adæquatam correspondentiam cum illo. Secundum autem dici nequit : quoniam partes ipsæ temporis non sunt simul ; sed vna post aliam : ergo non potest vnum, & idem incipere secundum se totum in omnibus illis ; alioqui postquam res secundum se totam in vna parte temporis incepit, deberet statim in alia, & alia incipere, quod implicat.

33 Quarto implicat successiuam incipere per *primum sui esse* : ergo implicat etiam permanentia incipere per *ultimum non esse* ; & ex consequenti, quod desinant per *ultimum esse*. Antecedens patet : quia implicat successiuam esse in instanti : ea autem, quæ per *primum sui esse* incipiunt, debent esse in instanti. Vtrique verò consequentia etiam constat : nam sicut modus incipiendi per *primum sui esse* petit simultatem in essendo : ita modus incipiendi per *ultimum non esse*, exigit successionem in esse : sicut & modus desinendi per *ultimum sui esse*, postulat successionem in suo non esse : ergo cum vtrique successio repugnet prædictis substantiis, ut ostensum est, nequebunt incipere, aut desinere prædictis modis.

*Explicatur vera sententia aliquibus conclusionibus.*

##### §. II.

34 **N**ihilominus dicendum est primò : modum incipiendi connaturalem harum substantiarum esse per *primum sui esse* : & modum desinendi con-

consonum suæ naturæ esse definire per *ultimum sui esse*. Ita Scotus in præsentī q. 3. concl. 9. & quam plurimi ex Iunioribus Thomistis. Explicatur assertio: nam cum hæ substantiæ sint naturaliter indestruibiles, ideo assertio non est intelligenda absolute, sed conditionatè, scilicet, quod hoc modo definirent, si iuxta suam naturam desituri essent. Probatur ergo sic: nam cum hæ substantiæ sunt indiuisibiles; incipiunt & desinunt ad modum ipsorum instantium indiuisibilium: & licet cæli sint diuisibiles; quia tamen habet totum suum esse simul, & non subditum motui, non minus, ac si essent indiuisibiles; ideo eorum inceptio, & desitio est ad modum prædictorum indiuisibilium; ac proinde hic, & non alius incipiendi, & desinendi, modus erit illis connaturalis: quia rei naturali, & secundum unam, & eandem rationem consideratæ, tantum debetur, per se loquendo, vnus modus incipiendi, & desinendi.

35 Dicendum est secundò: Deo ita disponente, possunt hæ substantiæ incipere per *ultimum non esse*, & desinere per *primum non esse*. Ita Scotus in præsentī, & plures alij.

Sed antequam assertionem nostram probemus, supponendum est, ex his, quæ communiter docent Thomistæ 1. part. quæst. 10. & 53. quod sicut hæ substantiæ non mensurantur in suo esse, per tempus, sed per mensuram aliam altioris rationis: ita earundem inceptio, & desitio non mensuratur, vt mensura propria, tempore nostro, aut instantibus illius; sed alia mensura perfectiori, scilicet instantibus temporis discreti: quæ sicut non dependent à tempore nostro, aut instantibus eius: ita non petent necessariò commensurari cum illis; sed possunt, Deo ita disponente, coexistere siue instantibus siue partibus temporis. Vnde propriè, & in rigore loquendo esse prædictarum substantiarum, nec incipit per *primum esse*, aut *ultimum non esse*, nec desinet per *primum non esse*, aut *ultimum sui esse*: quia hic modus incipiendi, aut desinendi est proprius rerum quarum esse mensuratur tempore, sed tantùm dicuntur incipere aut desinere prædicto modo, quatenus earum inceptio aut desitio, mensurata instanti temporis discreti, coexistit, vel instanti nostro, vel parti nostri temporis, saltem inadæquatè.

36 Hinc ergo suadetur assertio Ea quorum inceptio, & desitio mensuratur instanti temporis discreti possunt incipere, aut desinere, Deo ita disponente, vel per coexistentiam ad instans nostrum, vel ad partem nostri temporis: sed inceptio, & desitio dictarum substantiarum mensurantur instanti temporis discreti: ergo possunt incipere, & desinere, vel per coexistentiam ad instans nostrum, vel per coexistentiam ad partem nostri temporis, ac proinde poterunt incipere, vel per *primum sui esse*, vel per *ultimum non esse*. Et similiter desinere, vel per *primum non esse*, vel per *ultimum esse*. Maior constat: quandoquidem non dependent, nec commensurantur nostro tempore, aut instantibus illius, vt ex notabili adducto, & à Theologis communiter admissio, constat. Minor verò, & prima consequentia, suppositis his, quæ modò dicebamus, probatione non indigent. Ultima verò consequentia sic ostenditur: quia quando intrinsecè incipiunt, & desinunt per coexistentiam ad partem nostri temporis, incipiunt per *ultimum non esse*, & desinunt per *ultimum esse*: sicut & quando per coexistentiam ad nostrum instans: tunc incipiunt per *primum esse*, & desinunt per *primum non esse*, vt ex dictis in prima quæstione huius disputationis constat.

Secundò, nam Deus liberè conseruat, & producit has substantias: ergo potest illas producere, aut de-

Colleg. Compl. Physica.

struere; quando sibi placuerit, ac per consequens, vel per coexistentiam ad partem nostri temporis, vel ad instans illius. Maximè: quia (vt dicebamus) nec earum duratio, vel inceptio, & desitio pendet à tempore nostro, aut instantibus eius.

*Satisfis fundamentis aduersariorum.*

### §. III.

37 **A**D primum pro prima sententia respondetur: inceptiōem; aut desitionem harum substantiarum semper esse ex parte sua, & intrinsecè instantaneam, quippè mensuratam prædicto instanti temporis discreti, quamuis ob rationes dictas desitio, verbi gratia, seu non esse illarum possit coexistere parti nostri temporis, aut instanti illius: ita tamen, vt talis desitio sit valdè consona naturis earum, quando fuerit per *ultimum esse*: secus verò quando per *primum non esse*, vt in prima assertione explicatum est.

Ad secundum respondetur: maiorem ad summum esse veram de rebus, quæ quoad esse, & inceptiōem, & desitionem mensurantur nostro tempore, aut instantibus eius: secus verò de his, quæ ab illis non dependent, licet possint eidem coexistere nam hæc licet sint indiuisibilia, & mensurata per instans temporis discreti, possunt inadæquatè coexistere parti nostri temporis, quod etiam cum proportionem de desitione dicimus.

38 Per quod etiam patet ad confirmationem. Nam illa correspondentia ad partem temporis subsecutam post instans non est adæquata; sed inadæquata: ita nimirum, vt non correspondeat toti illi; sed medietati eius, & huic adhuc non toti; sed eius medietati; & sic in infinitum: eo sanè proportionali modo, quo punctum continuatum partis lineæ afficit (& vt sic dicamus) quasi tangit illam, non quidem ita vt efficiat totam aliquam partem adæquatè; sed inadæquatè: quia non habet quasi tangere totam illam; sed medietatem eius, & rursus hanc non totam; sed eius medietatem, & sic in infinitum.

Ad ultimum respondetur: esse disparatam rationem: quia res successiua, verbi gratia motus, intrinsecè petit, quod eius intrinseca duratio sit tempus, & ita nequit secundum suas partes incipere intrinsecè, nisi pars illa possit correspondere alteri parti temporis, per commensurationem adæquatam cum illa.

## Q V A E S T I O V.

*Quomodo incipiat, & desinat esse quies.*

39 **V**T disputatio de inceptiōe, & desitione omnino completa maneat, placuit de modo incipiendi, ac desinendi quietis aliqua dicere: cum naturalia entia non solum moueantur; sed sæpè quiescant: Vnde disputatio de quiete ad Physicum etiam pertinet. Prima sententia asserit quietem incipere intrinsecè per *primum sui esse*: & desinere extrinsecè per *ultimum sui esse*. Quam sententiam, saltem quoad eius posteriorem partem tueri Sotus hic quæstione vltima. Et probari potest primò quoad inceptiōem: nam motus desinit per *primum non esse*: ergo quies incipit per *primum sui esse*. Patet consequentia: quia in illo instanti, in quo non est motus, iam est quies: ergo sicut in illo est verum dicere; nunc non est motus, & immediatè antea erat: sic etiam ve-

Z 2 rum



rum erit quod tunc sit quies, & immediatè antea non erat.

Confirmatur, & explicatur: inquirendo, num in illo instanti terminatio motus moueatur subiectum, vel quiescat? Non primum; alioqui motus desineret per *ultimum esse*: dicendum ergo est secundum, & consequenter quod quies per *primum sui esse* incipiat. Non enim potest dari medium inter quiescere, & moueri. Cum enim motus, & quies opponantur priuatiuè; atque adeo immediatè necesse est, ut vel motus, vel quies in eo instanti conueniant subiecto.

Deinde quoad secundam partem: scilicet quoad definitionem suadet, nam in indiuisibili ultimo quietis, vel mobile mouetur, vel quiescit. Non primum: quia iam motus per primum sui esse inciperet: ergo quiescit: ergo quies per *ultimum esse* desinit.

40 Nihilominus dicendum est: quietem incipere per ultimum non esse, & desinere per primum non esse. Sed antequam assertio comprobetur, aduertendum est, nos hîc non loqui de quiete negatiua, quæ tantum dicit carentiam motus propriè dicti; sed de priuatiua, quæ importat carentiam motus in subiecto apto nato pro tunc ad illum. Hinc ergo suadet assertio, tum autoritate Aristotelis in præsentī quam ferè omnes authores sequuntur: tum etiam ratione: nam quies hæc successiua, sicut & motus, ergo non potest per *primum sui esse* incipere, aut per *ultimum esse* desinere.

Confirmatur, quies hæc dicit carentiam motus in subiecto apto nato moueri: sed subiectum non est aptum moueri in instanti: sed in tempore: ergo nec quiescere. Patet consequentia: quia subiectum, quod non est capax formæ per aliquam durationem; non potest esse capax priuationis talis formæ pro eadem duratione; si talis priuatio sit propriissima priuatio, ut in præsentī contingit.

41 Ad primum respondetur, concedendo antecedens, & distinguendo consequens: etsi intelligatur de quiete priuatiua, neganda est consequentia: si verò de negatiua, concedi potest. Nam in illo instanti, in quo non est motus, & si mobile quiescat quiete negatiua: non tamen priuatiua. Per quod etiam patet ad confirmationem. Ad illud autem, quod ultimo loco in ea dicitur, scilicet non esse medium inter quietem priuatiuam, & motum: siquidem priuatiuè opponuntur: dicendum est, quod cum communiter dicitur alterum oppositorum necessariò debere conuenire subiecto, non est intelligendum in oppositis priuatiuè, ab solutè; sed solum pro tempore, & duratione, in qua subiectum est capax talis formæ: ut patet in catulo ante nouem dies qui rigorosè saltem loquendo, nec est tunc, & pro tunc cæcus, nec videns; sed non videns: quia ut multi volunt, non nisi finitis illis diebus, est capax (modo supra dicto) potentiæ visuæ. Vnde, cum mobile, non nisi in tempore possit moueri; inde est, quod non nisi in tempore possit quiescere quiete priuatiua: secus verò negatiua.

42 Ad secundum patet ex modò dictis in instanti enim terminatio quietis, quiescit mobile quiete negatiua, quæ quidem talis est conditionis, ut det quieti priuatiuæ, non quòd sit ut sic dicamus in fieri; sed quòd sit in esse quieto, & ut sic loquamur in facto esse. Nam sicut habet motus sua indiuisibilia realia positiua, quibus continuatur, & terminatur: sic quies sua non positiua indiuisibilia ad sui quasi continuationem & terminationem, suo modo habet. Vnde sicut motus in ultimo *mutato esse*, est in *facto esse*, sic proportione seruata, idem de quiete dicendum est.

Illud tamen in fine huius disputationis annotamus: nimirum diuerso modo in tota illa sumi *factum esse*, ac illud in disputatione 5. q. 5. accepimus. Ibi

enim loquebamur de *facto esse* rerum permanentium ex parte illarum se tenente, ut permanenter productæ sunt: hoc autem idem est, quod earum existentia, ut ibidem explicauimus. In præsentī verò sermo sit de facto esse rerum successiuarum, ut permanentium, ut successiue effectarum. Quod quidem distinguitur à propria existentia rei.



## DISPUTATIO XXVII.

*De maximo, & minimo, seu de terminis rerum naturalium.*

**I**N I T A iam controuersia de inceptio-  
ne rerum naturalium, meritò ad disputa-  
tionem de Maximo, & Minimo noster  
se sermo conuertit. Postquam enim res  
inceptit, solet maior fieri, & aliquando ita decrescere,  
ut ad minimam quantitatem sub qua esse potest,  
reducatur.

### Q V Æ S T I O I.

*Qui sint termini magnitudinis, & paruitatis  
secundum se, & generaliter sumpti.*

1 **V**T melius sciri possint termini magnitudinis,  
& paruitatis, qui cuilibet rei naturali debent  
applicari, placuit illos prius in generali, & secundum  
se sumptos explicare. Quod ut melius percipiatur, no-  
tandum est primò, duplicem esse terminum, tam pa-  
ruitatis, quam magnitudinis: alium intrinsecum, &  
alium extrinsecum. Terminus intrinsecus magnitudi-  
nis est ille, sub quo res esse potest, & sub maiori esse  
non potest: ut si viuens sub magnitudine duarum vi-  
narum, esse possit, non tamen sub maiori: tunc mag-  
nitude prædicta pro intrinseco termino viuents as-  
signatur. Terminus verò intrinsecus, magnitudinis  
est ille, sub quo res esse nequit: bene tamen sub mine-  
ri; ut si viuens sub aliqua magnitudine esse nequireret,  
secus verò sub alia minori: tunc quantitas prædicta  
haberetur rationem termini extrinseci respectu magni-  
tudinis eiusdem viuents. Quo etiam proportionali  
modo de terminis paruitatis philosophandum est.  
Vnde ille erit intrinsecus paruitatis terminus, sub  
quo viuens esse valet, minimè tamen sub quocum-  
que minori: sicut etiam ille erit extrinsecus, sub quo  
ob maximam paruitatem res esse non potest: bene ta-  
men sub quocumque maiori.

2 Hoc ergo supposito, dicendum est quatuor  
esse terminos rerum naturalium: duos quidem magni-  
tudinis, scilicet *maximum quod sic*, & *minimum quod  
non*: duos verò paruitatis, videlicet *minimum quod sic*,  
& *maximum quod non*. Assertio hæc est communis  
inter Philosophos, solumque eget explicatione termi-  
norum. Declaraturque sic: primus ergo terminus re-  
rum naturalium est *maximum quod sic*, quo terminus  
intrinsecus magnitudinis significatur eo quòd sit  
quantitas maxima omnium inter illas, sub quibus res  
esse, & conseruari potest. Secundus est, *minimum quod  
non*, quo terminus extrinsecus magnitudinis nomina-  
tur: quia inter quantitates, sub quibus res secundum  
magnitudinem esse non potest, illa est omnium mi-  
nima. Tertius est *minimum quod sic*, per quem in-  
trinsecus terminus paruitatis denotatur: quoniam  
inter

inter quantitates, sub quibus res, quoad paruitatem esse valet, illa est minima. Vltimus tandem est, *maximum quod non*, qui terminum extrinsecum paruitatis explicat, eo quod inter quantitas paruas sub quibus, propter paruitatem res esse nequit, illa est omnium maxima.

3 Sed obieci non datur *minimum quod non*, nec *maximum quod non*: ergo male assignantur quatuor termini. Antecedens claritatis gratia quoad *minimum quod non* suadetur (eadem enim, ut intuenti patebit, quod *maximum quod non* procedit ratio) quoniam si semel datur *maximum quod non*, debet excedere *maximum quod sic* in aliqua magnitudine: at illa magnitudo in qua illud excederet, esset necessarii diuisibilis in partes minores, & minores usque in infinitum: ergo numquam poterit dari quantitas omnium minima quæ sit terminus intrinsecus magnitudinis; & consequenter nec *minimum quod non*.

Confirmatur quia hinc etiam sequeretur, non dari *minimum quod sic*: nam cum quoduis ens naturale sit quantum, erit indiuisibile in semper diuisibilia: ergo non erit ita minimum, quin possit esse minus, & minus usque in infinitum.

4 Respondetur excessum illum non esse in aliqua magnitudine determinata, sed indeterminata, ita ut talis terminus intrinsecus sit quælibet incerta, & indeterminata quantitas excedens *maximum quod sic*, vel deficiens à *minimum quod non*: sicut id quod immediate sequitur post punctum linea, non est aliqua determinata pars lineæ: quia quacumque signata, cum illa sit diuisibilis, restat alia prior, & proximior: sed est pars quædam indeterminata.

Ad confirmationem dicendum est ex Diuo Thom. 1. Physic. lect. 9. quod corpus, licet Mathematicè acceptum sit diuisibile in infinitum; non tamen corpus naturale ita ut sub quacumque quantitate esse possit; in corpore enim mathematico non consideratur, nisi quantitas in qua nihil inuenitur diuisioni repugnans; sed in corpore naturali inuenitur forma naturalis quæ requirit determinatam quantitatem: sicut & alia accidentia. Vnde, non potest inueniri quantitas in specie, verbi gratia carnis nisi intra aliquos terminos determinata. In præsentia autem solum loquimur de corpore naturali secundum hanc vltimam considerationem.

## Q V Æ S T I O II.

*Verum sicut viuentia: ita & non viuentia habeant ex natura sua terminum suæ magnitudinis.*

Consulto in titulo addimus dictionem illam, *ex natura sua*: ut denotarem quæstionem hanc solum procedere de terminis, qui ab intrinseco, à viuentibus postulantur; ita ut sine illis naturaliter esse nequeant. Nam per diuinam potentiam posse rem quamlibet amplius, & amplius crescere, necne? modò non contempnimus.

**S T A T U S C O N T R O V E R S I A**  
*explicatur.*

### §. I.

Sed ut clarius, & breuius procedamus, prænotare oportet, quòd in quæstionis titulo aliquid ut certum supponimus, & aliquid in dubium voca-

mus. Supponimus enim: viuentia habere intrinsecum suæ magnitudinis terminum, seu terminari per *maximum quod sic*. Tum quia id docent Arist. 4. de Generation. animalium cap. 4. & lib. 1. huius operis cap. 4. & Diu. Thom. utrobique, & 1. parte quæst. 7. articuli 3. & in 2. distinct. 14. quæstio 1. artic. ad 4. & omnes ferè Interpretes tam Antiqui, quàm Iuniores.

Tum etiam: quia cum viuentia augeantur per intusumptionem, id est, per conuersionem alimentum in propriam substantiam viuam, virtute caloris naturalis, & hic quotidie remissior fiat, donec tandem deficiat: inde fit, ut non possit viuens ratione illius ita crescere, ut magis ac magis, semper debeat auctori: imò quod non solum debeat extrinsecè terminari per *minimum quod non*; sed intrinsecè, & per *maximum quod sic*: nam cum teste Arist. 1. de cælo, & mundo, text. 116. potentia habeant intrinsecum terminum versus magnitudinem consequens est, ut viuens quod non nisi virtute potentia nutritiua, & augmentatiua augetur, ad tantum, & non maius possit deuenire incrementum, quanta fuerit virtus harum potentiarum intrinsecè definitarum. Vnum denique quia ea, quæ pro nostra assertionem adducemus ad producendum non viuentia terminari per *maximum quod sic*: à fortiori hoc ipsum de viuentibus conuincet, ut intuenti constabit.

Quare, tota huius quæstionis controuersia ad non viuentia deuoluitur: an nimirum ex natura sua habeant terminum sui incrementi. Vbi etiam explicabimus: an talis terminus sit solum extrinsecus, ita ut solum terminentur per *minimum quod non*: & an verò sit intrinsecus, ita ut per *maximum quod sic* terminentur.

*Proponitur prior Opinio.*

### §. II.

6 Prima sententia non solum negat non viuentibus intrinsecum suæ magnitudinis terminum; sed etiam extrinsecum: ita ut nec per *minimum quod non* terminentur. Credit enim posse ex natura sua amplius, & amplius crescere. Ita Scotus in 2. q. 9. Albertus Magnus de Anima, tract. 2. cap. 4. Ockhamus, in 3. distinctione. 7. Conimb. lib. 1. Phys. Tolet. 1. Physic. quæst. 8. concl. 4. Masius cap. 4. sect. 2. quæst. 3. & plures alij Probatum primò ex Arist. 2. de Anima c. 4. ubi ita iuxta translationem Perion. loquitur: *Nam cum ignis augeri in infinitum possit, quamdiu aliquid subest, quod comburatur, &c.* Et hoc ipsum docuit D. Thom. lect. 7. ubi postquam dixit in specie humana dari aliquam quantitatem, tam magnam ultra quam non porrigitur: inquit, *Causam huius magnitudinis, & augmenti non posse esse ignem: quia manifestum est, quod ignis augmentum, non est usque ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur, si in infinitum materia combustibilis inueniatur.*

Nec satisfacit solutio Caietani dicentis ignem in infinitum augeri posse per accidenis, nimirum per aggregationem plurium ignium, ex diuersa forma, & materia constantium.

7 Nam contra hoc est: quia tam Aristoteles, quàm D. Thomas assument prædictam propositionem ad probandum, ignem non posse esse causam augmenti viuentis: quia nimirum viuens habet terminum magnitudinis, & augmenti, non verò ignis: ergo ut probatio sit legitima, oportet, quòd ignis careat termino augmenti, quem habet viuens: aliàs si ignis eodem modo terminaretur, ac viuens; incongruè, imò & falsò ad id probandum assumeretur, quòd ignis in infinitum augeri potest: ergo cum

viuens terminetur intrinsicè, oportet, vt ignis tali termino careat.

Secundò, idèd accretio viuientium clauditur certis terminis versus magnitudinem: quia eorum augmentatio prouenit ex virtute interna, quæ finita est, vsuque minuitur; sed incrementum non viuientium aliter fit nimirum per iuxta positionem, in quo nulla facultas naturalis minuitur; sed potius excrescit: ergo in horum non viuientium accretione, nullus certus terminus ex vi huius capitis à natura definitus est.

8 Tertiò; experimus quòd ignis quantò fit maior, tantò fit actiuior, & commodius exercet suam operationem extendendo illam in maiorem sphaeram: ergo ad eam exercendam non requirit determinatam quantitatem secundum magnitudinem: ergo neque absolute eam petit. Probatur consequentia: nam quantitas determinata requiritur propter melius, & magis accommodatum exercitium operationum.

Quartò: Quantumuis magnus ignis constituatur si ei applicetur stupa, necesse erit vt illam comburat, siquidem est maioris virtutis & actiuitatis, quam ignis exiguus: & si aliud combustibile iterum apponatur, non saturabitur, & rursus ei aliud addatur, non dicet, sufficit secundum illud Prouerb. 3. *Ignis numquam dicit sufficit*: & ita semper fiet maior ergo si præexistens esset maximus iam daretur maior maximo, quod est impossibile: ergo ignis præexistens non potest peruenire ad maximam quantitatem: sed sub qualibet maiori, & maiori poterit esse.

*Præfertur sententia Aristot. & D. Thom.*

### §. III.

9 Dicendum tamen est: non viuientia ex natura sua habere terminum intrinsicum suæ magnitudinis: ita vt naturaliter nequeant illum excedere assertionem hanc docent Aristoteles, & D. Thomas locis statim citandis. Auerroës de anima cap. 4. Iandunus q. 16. huius libri, Caiet. 1. p. q. 7. artic. 3. Nazarius ibidem, Ferrara, quæst. 7. in solutione ad 4. & 5. Astudillo q. 7. & plures alij.

Probatur primò ex Aristot. 2. de anima, text. 48. ubi vniuersaliter inquit: *Eorum omnium, quo natura constans est finis, tam magnitudinis, quam accretionis* Quæ verba optimè explicat D. Thom. ibidem lect. 8. dicens. *Manifestum est autem, quod in omnibus, quæ secundum naturam, est certus terminus, & determinata ratio magnitudinis, & augmenti sicut enim cuiuslibet speciei debentur aliqua accidentia propria: ita & propria quantitas* Item 1. p. q. 7. artic. 3. ait: *Omne corpus naturale habet determinatam quantitatem, & in maius, & in minus.* Et rursus: *necesse est, quod ad determinatam formam consequantur determinata accidentia, inter quæ est quantitas.* Et in 2. dist. 14. q. 1. art. 1. ad 4. ait: *Corpora naturalia in infinitum diuidi non possunt: quia omnium natura constantium (vt in 2. de Anima dicitur est certus terminus magnitudinis, & cetera.*

10 Probatur deinde ratione desumpta ex D. Thoma loco citato ex 1. p. quæst. 7. quia quæuis forma signata cuiuscunque entis naturalis est intrinsicè definita ad certam, & determinatam perfectionem: ergo petit certam, & determinatam quantitatem. Patet consequentia quoniam ad formam determinatam debent sequi certa, & determinata accidentia, ac proinde, sicut forma ipsa dicit tantam perfectionem, & non maiorem: ita petit tantam quantitatem, & non maiorem.

Confirmatur nam ex eo quod prædicta forma substantialis est definita certam perfectionem, & non maiorem, oritur vt aliæ dispositiones conseruationis petant certum, & determinatum terminum: ergo cum quantitas sit etiam dispositio valde requisita ad conseruationem entis naturalis, non poterit non habere terminum suæ magnitudinis.

11 Variè respondent aduersarij huic rationi. Nam in primis Vasquez 1. p. quæst. 7. ait, hæc duo genera indeterminationis secundum esse, & secundum quantitatem esse valde diuersa, & idèd benè posse formam esse determinatam secundum esse, & habere quantitatem indeterminatam.

Sed contra: nam licet prædicta duo sint valde distincta: attamen ex finitate, & determinatione formæ optimè colligitur naturalis finitas, & determinatio quantitatis, & reliquorum accidentium. Quod quidem sic ostendimus: quoniam vt docet Arist. 5. Metaph. in cap. de causa, & 2. Physicor. text. 37. & 38. causæ debent proportionari effectibus, & e contra, effectus suis causis: ergo ad causam, & formam certam, & determinatam seruentur accidentia, & quantitas certa, & determinata, & consequenter quantitas illa erit certis terminis clausa: quandoquidem quantitas per proprios terminos redditur certa, & determinata. Antecedens præterquam quod est Arist. loco citato rursus statueretur: nam ob hanc rationem causis in potentia assignantur effectus in potentia, & causis in actu effectus in actu, & singularibus singulares, & vniuersalibus vniuersales: sicut & tantæ virtutis causam sequitur tantæ perfectionis, & quantitatis effectus, & causam finitam subsequitur effectus finitus.

Confirmatur quia alioquin effectus excederet virtutem causæ: quoniam ad formam certam, & determinatam sequeretur quantitas maior, & maior vsque in infinitum: at hoc implicat: ergo, &c. Minor probatur: nam qua ratione ponitur à causa dependere, esset effectus; & qua ratione virtutem illius excedit, non esset eius effectus; & ita esset, non esset effectus: manet igitur in Doctrina Aristot. & D. Thom. & veritate certum quòd sicut formam substantialem in communi sequitur, etiam naturaliter quantitas in communi: ita ad formam substantialem singularem, & certis limitibus intra latitudinem virtutis & perfectionis causatiuæ, clausam, sequitur certa, & determinata quantitas.

12 Secundò respondent alij, quòd forma finita petit dispositiones finitas intensiue: non verò extensiue. vnde forma ignis, verbi gratia potest maiorem, & maiorem informare quantitatem: quia hoc non ad intensiuam; sed ad extensiuam eius perfectionem expectat.

Sed contra. Non minus quantitas est dispositio omnino vltima ad certam, & determinatam formam, quam aliæ qualitates: ergo sicut hæc debent in suo ordine esse finitæ, & determinatæ: quia sequuntur, & desiderantur ad certam determinatam formam; ita etiam quantitas debet esse certa, & determinata in suo ordine scilicet in extensione.

Confirmatur, & explicatur formæ substantiales viuientium exigunt ex natura sua certum, & determinatum terminum quoad magnitudinem: ita vt determinatam materiam & non maiorem, & maiorem possint simul informare, vt iam diximus: ergo à fortiori id etiam formæ non viuientium postulant. Patet consequentia: quia formæ illæ in ratione formæ, & actus substantialis perfectissimum gradum obtinent: ergo si hæc non possunt extendi ad maiorem, & maiorem materiam in infinitum, neque etiam illæ poterunt: si quidem licet informare maiorem materiam; finitam tamen, non sit certum signum maioris perfectionis

perfectiōnis specificæ : benè tamen informare materiam maiorem, & maiorem vsque in infinitum, ut statim ostendemus.

13 Deinde, quia forma ignis non solum est determinata ad producendum effectum tantæ, vel tantæ perfectiōnis intensiue; sed etiam quoad extensionem, & distantiam spheræ suæ actiuitatis: non enim potest ad maiorem, & maiorem distantiam vsque in infinitum agere: ergo multò melius quoad informationem materiæ erit utroque modo determinata. Probatur consequentia: quia informare materiam est actus primus, & immediatus formæ, ut forma est, proindeque ab ipsa in genere causæ formalis per se pendens: at verò agere est actus eius mediatus, & accidentalis, pendensque ab ea in genere causæ efficientis: ergo longè amplius debet actus informandi materiam esse proportionatus formæ quam actus producendi effectum intra spheram suæ actiuitatis. Si igitur ista est secundum intensiōnem finita, & idè adæquat eius virtutem, ut ipsa non possit in maiorem distantiam influere, etiam virtus informatiua erit extensiue etiam finita.

Tandem: nam ex hac solutione sequitur, esse in forma ignis virtutem informatiuam intensiue infinitam. Probatur sequela: quoniam non aliter à fortiori demonstramus diuinæ virtutis, & omnipotentis infinitatem: nisi quia non producit tantum effectum, quin possit maiorem, & maiorem attingere: quamuis qui ab ipsa semel producuntur semper sint actu finiti. Et similiter D. Thomas 3. part. quæst. 3. inde colligit: non posse substantiam creatam terminare alienam naturam: quia ibidem inuoluitur posse terminare alias, & alias naturas, vsque in infinitum; & hoc arguit infinitatem: ergo etiam ex infinitate finitæ categoricæ materiæ, quam posset iuxta hanc solutionem, forma ignis per se informare, concludetur, esse in ea vim informatiuam intensiue infinitam.

*Occurritur argumentis in contrarium adductis.*

#### §. IV.

14 **A**D primam ergo ex testimonio Aristotelis desumptam benè responderetur ibidem: Et ad impugnationem responderetur, probationem illam à Philosopho, & D. Thoma adductam esse legitimam, quamuis ignis terminetur, versus magnitudinem per maximum quod sic. Nam ignis quantumvis sit terminatus, potest comburere aliam, & aliam materiam sibi approximata: ita tamen ut contigueretur cum alio, & alio igne à se denuo genito. Vnde, quia ex alia parte augmentum viuientium, quatenus tale, petit ut illæmet partes alimenti, in quibus introducitur forma viuientis, vniantur per veram unionem per se cum viuente præexistenti; consequens est, ut ex quo capite augmentum illud fieret virtute ignis quantumvis intrinsecè terminati disponeret, & introduceret formam viuientis in alias, & alias partes diuersarum materiarum non, quarumcumque; sed ab eo indistantium. Et ex quo caput illud augmentum est in ordine ad viuens, ut viuens deberet introducere formam in aliam, & aliam materiam finitè terminatam, & vnire alias cum præexistentibus, ita ut faciant vnum per se; & consequenter viuens illud non haberet certos, & determinatos terminos, sui augmenti.

15 Et ratio totius solutionis, est quia si ignis esset causa principalis augmenti viuientium tunc haberet omne id, quod habet homo potentia augmentatiua vitalis, & anima, ut operatur per illam. Vnde sicut

prædicta potentia vitalis, & anima, ut ea vritur, non extenditur ad disponendam vltimatè materiam in ordine ad augmentum, nisi etiam vniat illam viuenti præexistenti: & si haberet vim ad disponendam, & vniendam aliam, & aliam materiam in infinitum, non posset viuens haberet terminum suæ magnitudinis: ita ignis extenderetur ad vniendam viuenti omnem materiam, quam virtute propria potest disponere. Cumque posset quantumvis sit terminatus disponere aliam, & aliam materiam in infinitum, posset etiam tunc vnire omnem illam materiam cum viuenti; & per consequens viuens non haberet certum terminum suæ magnitudinis.

Ad secundum respondetur: satis esse, ad hoc ut ignis, verbi gratia certis claudatur limitibus, quod habeat determinatam formam: nam eo ipso petit certas dispositiones conseruatiuas, inter quas numeratur quantitas; & idè dum est in *maximo quod sic*, non augebitur amplius, licet habeat calorem valdè intensum. Vnde viuentia ex pluribus aliis capitibus petunt certos terminos: quia virtus, qua augendi sunt, & materiam alimenti disponunt, sensim languescit.

16 Ad tertium respondetur: verum esse antecedens de igne magis, ac magis crescente, vsque dum ad *maximum quod sic* perueniat. Nec contra hoc obest aliqua experientia: quia nos nunquam experti sumus ignem peruenientem ad prædictam quantitatem; quæ sane est valdè magna, ut patet in quantitate spheræ ignis excedente totam quantitatem elementi terræ, aquæ, & aëris simul sumptorum, ut docet Diu. Thom. opusc. 2. cap. 18. Quare si naturaliter esset possibile, dari ignem maiorem maximo: tunc non esset in statu debite dispositionis, & conseruationis, sed via corruptionis: non secus. ac si eius siccitas haberet maiorem intensiōnem, quam sit illa, quam naturaliter exposcit. Vnde non esset ita bene dispositus in ordine ad suas operationes, cum illa qualitate, & quantitate, ac sine illa, quippè qui tenderet ad corruptionem.

17 Ad vltimum respondetur primò ex dictis: satis probabile esse, ignem illum combusturum stupam, eamque sibi vniturum. Hinc tamen nihil contra nos sequitur: nam licet tunc daretur ignis maior maximo, non tamen esset in statu debite dispositionis, vel conseruationis; sed in statu corruptionis, & viæ ad interitum: Constat autem inter omnes Philosophos, quod sicut via corruptionis potest dari minus minimo: ita etiam maius maximo: quia termini magnitudinis, & paruitatis tantum assignantur in statu debite dispositionis, & conseruationis.

Secundò responderetur cum Caietano, & Nazario, in eo casu ignem combusturum stupam, non tamen eam sibi intrinsecè vniturum; & consequenter, nec fore intrinsecè maiorem; sed ad summum ignis præexistens, & alij denuò geniti erunt inter se contigui: & ita solum erunt vnum per aggregationem, eo modo, quo acruus lapidum dicitur vnus, & crescere per aggregationem.

Vnde quoad hoc corrigendus est sensus, qui iudicaret ignes illos esse continuos: sicut corrigi debet, dum iudicaret virgam, cuius vna medieta est viridis, & alia sicca, esse continuam. Nec refert, ignes illos esse eiusdem rationis: nam sicut si à duabus aquis non tollerentur vltima terminatiua, tunc non continuarentur; sed contigua essent: quia prædicta terminatiua impedirent, ne essent vnum. Ita dum maximus ignis manet in ratione maximi, impeditur à sua quantitate, ne ipse sibi aliam materiam vniat, quia repugnat naturaliter dari ignem maiorem maximo.

18 Expli

18 Explicatur radicitus hoc ipsum. Virtus, quam habet ignis ad vhiendum sibi nouam materiam, est de numero earum, quæ habent suum statum, ita ut si semel ad illum perueniat, tunc si intrinsecè, & à se definita ad non ulterius progrediendum: sicut potentia augmentatiua in homine, habet suum statum & ita hoc ipso quoddam pertingat ad illum, maximè si perueniret ad quantitatem maximam speciei humanæ, est intrinsecè, & ex propriis principiis; imò ex principiis totius definita, ad hoc ut ulterius non progrediatur. Cæterum; potentia generatiua, saltem in non viuentibus non est necesse, ut sit de numero harum potentiarum habentium prædictum statum. Nam licet potentia generatiua viuèrium diuturnitate temporis languescat, quantumuis viuens habeat sufficiens alimentum: attamen potentia generatiua ignis non est necesse, ut languescat, ut patet in igne purè elementari in sua sphaera existente, & in igne nostro si continuum & debitum pabulum, scilicet combustibilia in debita mensura ei applicentur. Vnde, prædictus ignis poterit alium sibi similem generare: non tamen illum sibi vnire, & sic augeri.

### Q V A E S T I O I I I.

*VTRVM NON VIVENTIA NON  
minùs, quàm viuentia habeant termi-  
nos sua paruitatis.*

Quamuis decisio huius quæstionis ex dictis in præcedentibus satis constet: quia tamen Scotus, & eius sequaces peculiariter contra Aristotelis, & D. Thomæ doctrinam aliqua solutione digna obijciunt; idè eam sigillatim placuit disputare.

*Separantur certiora ab incertis.*

#### §. I.

19 IN hac quæstione non minus, quàm in præcedenti supponimus ut certum, viuentia habere intrinsecum suæ paruitatis terminum atque adèd terminari per *minimum quod sit*.

Tum propter testimonia Aristotelis, & D. Thomæ quæstione præcedenti num. 3. relata, quæ non minus conuincunt viuentia terminari, *per minimum quod sit* quàm *per maximum quod sit*: tum etiam ob rationes ibidem dictas, & quoad præsens proportionaliter applicatas.

Tum denique quia sequitur apertè ex dictis disputatione præcedenti num. 22. Quoniam iuxta ibidem dicta, non satis est viuentibus terminari per *maximum quod non*: atque adèd habere extrinsecum paruitatis terminum, sed etiam oportet, ut gaudeant termino intrinsecò versus paruitatem. Et ratio est aperta: quia alioqui homo, verbi gratia per vltimum non esse incoiperet, cuius oppositum satis ibidem ostendimus. Sequela suadetur, nam demus quantitatem, quæ sit *maximum quod non*, tunc si per hanc homo extrinsecè terminetur, ita ut verum sit, sub hac non posse generari: benè tamen sub quacumque maiori: consequens erit, si in tempore immediatè sequenti augeatur, quoddam in eodem tempore sit idonea ad talem generationem: cum tamen antea idonea non esset: ergo cum augmentatio sit motus, verum erit dicere in instanti illo antecedenti; tunc non est augmentatio, nec maior quantitas, benè

tamen immediatè post: ergo etiam erit verum dicere: nunc non est homo, qui petebat maiorem quantitatem, & immediatè post hoc erit, quod est incipere per vltimum non esse.

Quare tota controuersia ad non viuentia deuoluitur: an nimirum ex natura sua habeant terminum versus paruitatem. Vbi etiam non minus, quàm in præcedenti quæstione explicabimus: an intrinsecè, & per *minimum quod sit*, an verò extrinsecè, & solum per *maximum quod non*, terminentur.

*Placitum Scoti, & sequacium.*

#### §. II.

20 SCOTUS in 2. dist. 2. q. 2. Ocha ibidem dist. 8. & alij sentiunt: non viuentia non habere ex natura sua terminos paruitatis, siue intrinsecos: siue extrinsecos sed posse sub minori, & minori quantitate conseruari. Probatur primò, nam si detur minimum, v.g. ignis, erit diuisibile in duas partes sub quarum qualibet maneat forma illius: ergo non erat minimum ignis. Consequentia patet quia aliàs dabitur minus minimo: antecedens verò probatur, tum quia cum sit quantum, erit diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque vnum quid aptum est esse: tum etiam, quia cum inanimata sint homogenea, poterit quæuis pars ab alia separata non minus per se subsistere, quàm totum.

21 Secundo: quia agens naturale *approximatum* passo prius, ac fortius agit in partem proximam quàm in remotiorem) ut libro sequenti quæstione vltima latè ostendemus: ergo si minimum combustibile igni applicetur, tunc prius calefiet, *introducetur* forma ignis in prima medietate eius, quàm in vltima & rursus prius in medietate illius *primæ medietatis*, & sic de aliis in infinitum. Patet consequentia: quia cum illud combustibile sit diuisibile, & extensum, minus distabit ab igne prima medietas, quàm vltima, & rursus minus etiam distabit medietas primæ medietatis, & sic de aliis in infinitum, & ita numquam introducet forma ignis in illud combustibile, quin prius in aliam, & aliam minorem partem introducta, fuerit.

Tertio. Eo modo, quo sit nutritio, & conuersio alimenti in substantiam viuam sit destructio formæ substantialis alimenti, verbi gratia panis, sed nutritio fit successiue, ut ex his, quæ in lib. de generatione dici solent & ex dictis tam in Logica quàm in 5. lib. huius operis constat: ergo etiam destructio, & corruptio formæ panis: igitur nunquam datur minima pars alimenti, qua non sit futura alia minor, & minor; atque adèd numquam dabitur minima pars alimenti.

*PROPONITVR ET CORROBORATUR vera sententia.*

#### §. III.

22 DICENDUM tamen est: inanimata terminati intrinsecè versus paruitatem. Assertio hæc satis colligitur ex his, quæ ex Aristotele in quæstione præcedenti retulimus. Quam etiam Docent D. Thomas locis statim citandis, Ferrara in præsentis quæstione 7. Soncias. 5. Metaphysic. quæst. 3. Iabellus. 1. de Anima, quæst. 17. Caietan. part. quæstione 7. art. 3. Masius 1. Physic. lect. de maximo, & minimo, & alij plures.

Pro



Probatur primò ex D. Thoma in 2. distinct. 14. quæst. 2. art. 1. ad 4. vbi postquam dixit, quod omnium natura constantium est certus terminus, non solum versus magnitudinem, sed etiam versus paruitatem, subdit. *Et ideo est inuenire minimam carnem, & minimam aquam.* Et 3. part. quæst. 77. art. 4. in corpore, vbi supponit, quod licet in Eucharistia non sit substantia panis, Christi tamen corpus ita substituitur ratione illius, vt tamdiu conseruetur sub accidentibus, quamdiu substantia panis conseruetur, & e contratio; tunc desinat esse corpus Christi, quando substantia panis corrumpetur. Quo suppositio, ait: quod sicut substantia panis potest dupliciter corrumpi; alteratione scilicet, & diuisione: ita similiter corpus, & sanguis Christi Domini possunt dupliciter desinere esse sub Eucharistia; primo modo, quando ita alterantur accidentia, quod fuisset corrupta substantia panis, & vini. Secundo modo, si ita puluerizetur quantitatis panis vel quantitas vini, & in tam minutissimas partes diuideretur, vt iam non remaneret in eis species panis, vel vini. Idem habet in 4. distinct. 12. qu. 1. art. 2. quæstiuncula 3. vbi sic ait: *substantia panis potest corrumpi ex parte qualitatibus; vt alteratione, & ex parte quantitatis: quia cum unaquaque res naturalis, habeat quantitatem determinatam, in tantum poterit fieri diuisio, quod non remanebit species.* Hæc Diu. Thomas: quo nihil clarius pro nostra sententia dici potest.

23 Et licet assertionem hanc satis conuincat ratio ex D. Thoma quæstione præcedenti pro terminis magnitudinis non viuentium adducta, nihilominus sic primò suadet. Quia potest esse aded exigua materia, vt in illa nequeat forma non viuentis operari: sed forma non introducitur naturaliter, nisi in eam materiam, vbi potest exercere suas operationes: quia teste Aristotele 2. de cælo, & mundo cap. 3. text. 17. & 1. Ethicorum cap. 7. vnumquodque est propter suam propriam operationem: ergo talis forma requirit quantitatem determinatam, vt inducatur. Consequentia patet. Maior verò etiam constat, tum ex se, tum exemplo instrumentorum artis pingendi, quæ possunt esse aded exigua, vt nullam operationem artificiosam exercere valeant.

Quod si cum aliquibus dixeris hinc solum conuinci, formas, non viuentium non posse sub minori, & minori quantitate generari: non tamen quod requirant illam intrinsecè terminatam; sed solum extrinsecè. Contra hoc est, quod si rectè argumentum expendatur, verumque probat: quoniam magnitudo, aut paruitas quantitatis desideratur in ordine ad exercendam operationem: ergo cum operatio ipsa intrinsecè definita sit, tantamque, & non maiorem, vel minorem habeat perfectionem, efficaciam, vt ex se, & ex supra dictis constat; consequens est, vt tantam, & non maiorem, aut minorem quantitatem in suo principio requirat.

24 Secundò probatur supponendo, quod licet diuersæ partes viuentis inter se collatæ sint eterogeneæ: nihilominus si quælibet pars compareretur cum aliis, ex quibus constat, potest esse eiusdem rationis cum illis, vt patet in esse, quod collatum cum nervis, & carne est pars eterogenea; partes verò eiusdem ossis inter se comparatæ sunt homogeneæ. Hinc ergo secunda ratio formatur. Si non viuentia carent certis suæ paruitatis terminis, maxime quia sunt homogenea: at hæc ratio est nulla: ergo, &c. Maior est præcipuum fundamentum aduersariorum. Minor verò probatur:

quia aliàs posset eadem ratione conseruari forma viuentis sub minori, & minori parte ossis, & nervi, & aliarum partium eterogenearum, aut sub quantitate extrinsecè tantum terminata: quia quæuis pars ossis est eiusdem rationis cum toto osse: sicut quæuis pars ignis est eiusdem rationis cum toto igne, & sic de aliis: at hoc est falsum siquidem id, quod coalesceret ex minori, & minori parte ossis, & nervi, &c. non esset aliquid certum & determinatum; sed minus, & minus: sicut neque id, quod consurgeret ex partibus, quæ non essent intrinsecè terminatæ, posset esse intrinsecè certum, & determinatum: & ita nec viuentia terminarentur versus minimum: cuius oppositum Scotus, & eius sectatores fatentur.

### Soluuntur fundamenta pro Scoto adducta.

#### S. IV.

25 AD primum initio positum respondetur; eo modo dictis, idem argumentum posse retorqueri, contra Scotum, admittentem in viuentibus, minimum naturale quantitate effectum.

Addimus deinde, nimirum illud semel diuisum posse aliquo paruo tempore, & via corruptionis esse sub minori quantitate: quia prædicti termini maximi, & minimi non assignantur, nisi via debite dispositionis, & naturalis conseruationis: non verò via corruptionis. In puncto autem corruptionis formæ, vel ab agente naturali introduceretur alia, quæ minorem quantitatem exposceret, si ibi sit tale agens: ita vt etiam posset disponere materiam: vel si forma prædicti minimi petit minimam omnium quantitatum, tunc ad authorem naturæ pertinebit providere de illo minimo eo modo, qui sibi placuerit. Adde satis probabiliter dici posse in eo euentu, tam formam, quam materiam minimi desitutam: quia ad diuisionem prædictam per accidens sequitur etiam desitio materię: sicut ad productionem totius ab agente naturali factam, subsequitur conseruatio eiusdem materię vt lib. 1. disput. 4. numero 39. diximus.

26 Ad secundam respondetur: non fore introducendam formam illam, vsque dum prædicta dispositio qualitatiua extendatur per totum minimum: quia cum ad dispositionem vltimam pertineat prædicta quantitas non dabitur talis dispositio, quousque totum illud minimum habeat calorem necessarium ad introductionem formæ.

Ad tertium constat ex dictis: nihil ob stare, quod forma cibi sit via corruptionis sub minori quantitate, quam sit illa minima, quæ ab eodem, via naturalis conseruationis petitur. Viuentia autem quando augentur, possunt in minori, & minori parte introducere suam formam: quia partes illæ vniuntur præexistentibus; & ita illa non est prima productio illius suppositi. Et hæc satis de hac disputatione, & de toto hoc libro sexto.



## LIBER SEPTIMVS.

PHYSICORVM.

PROOEMIUM.

**I**N CIPIT iam Philosophus causam efficientem motus, & aliqua ad illum spectantia explicare: ut sic omnia, quæ de motu desiderari poterant, aperiantur. Sed licet ad hoc plures sint requisitæ conditiones: nihilominus Aristoteles hinc paucas enumerat. Vnde ab aliquibus, libri huius explicatio omitti omnino solet: quia in illo nihil ferè docuit Philosophus, quod vel explicatione indigeat; vel alibi non exponatur. Placuit tamen eum exponere, ut sic natura motus magis innotescat, meliusque suscepto muneri satisfaciamus.

SUMMA TEXTVS  
totius libri.

**L**iber hic in quinque capita diuiditur: in quorum primo, ut Aristot. demonstrat dari vnum primum motorem, & motum, ostendit, omne quod mouetur, ab illo moueri. Et tam in mouentibus quàm in mobilibus non posse dari progressum in infinitum. In 2. probat, in vnoquoque mouens, & mobile debere esse simul. In tertio ostendit motum alterationis esse in qualitatibus tertie speciei. In quarto agit de diuersis comparationibus motuum inter se, quoad velocitatem, & tarditatem. Tandem in quinto peculiariter explicat aliquos modos, quibus motus eiusdem speciei possunt comparari: ut si aliquod mouens moueat certum pondus per tantum spatium, & in tanto tempore, etiam poterit mouere dimidium talis ponderis in dimidio illius temporis, & per dimidium spatium, vel in eodem tempore per duplo maius spatium, & sic de aliis, similibus.



## DISPVATIO XXVIII.

De distinctione, & approximatione requisita  
inter mouens, & mobile.

**Q**UIA Aristoteles in hoc libro magis ex professo de his duabus conditionibus ad mouendum requisitis agit, ideò peculiariter de illis præsentem disputationem instituimus, & primò de distinctione mouentis, & rei motæ agemus: quia conditio hæc est prior, & valde necessaria.

## QVÆSTIO I.

Vtrum idem secundum idem realiter possit ipsum per se primò mouere.

**L**icet duplex sit genus motuum, aliud, quod est actus imperfecti de quo Aristot. in 2. lib. dixit esse actum entis in potentia secundum quod in potentia. Aliud verò, quod est actus perfecti, quale est sentire, intelligere, & velle. Nihilominus non de vtroque; sed de primo titulus quæstionis intelligendus est: quia ut bene notauit D. Thomas lect. 1. de hoc tantum Arist. 1. cap. huius libri, dum dixit: omne, quod mouetur, ab alio moueri; quamuis ob connexionem doctrinæ: non nihil etiam de secundo genere motus in solutionibus argumentorum dicemus.

Refertur prior opinio.

S. I.

**1** Partem affirmantem tuerentur Scotus in 9. Metaph. quæstione 14. & ibi Antonius Andrezas quæst. 1. Greg. in 2. dist. 6. quæst. 1. art. 3. Iandunus 8. Physic. quæst. 12. Plaza lib. 2. Physic. disp. 1. quæst. 7. vbi etiam plures alios refert.

Probatum primò: nam plura sunt, quæ se ipsa intendunt, etenim calor ventriculi intensior est in hyeme, ut testatur Hypocrates Aphorismo 15. & ideò his temporibus melius fit decoctio cibi: & aquæ puteorum frigidiores sunt æstate: at nulla apparet causa exterior, à qua talis intensio fiat: igitur dicendum est, quod idem possit se ipsum intendere.

Secundò: Viuentia actiue mouent se ipsa iuxta illud Philosophi 8. Physicor. text. 28. *Officium vite est moueri à se*: ergo & quæuis agentia possunt habere rationem passii respectu sui. Patet consequentia: quia si semel admittenda est realis distinctio inter agens, & passum hæc non prouenit ex ratione talis agentis: sed ex communi ratione agentis: & passii pertinentis realem relationem inter se.

**2** Nec refert si dicas: in viuentibus in quibus est diuersitas partium heterogenearum, posse dari vnam partem integram, ratione cuius viuens moueat, & plures alias, ratione quarum sit motum; non verò in non viuentibus, in quibus omnes partes sunt eiusdem rationis: nam contra hoc est; quod de illa parte mouente inquiretur, num ab alia parte moueatur, & hæc ab alia, &c. vel non. Si primura dicatur: tunc vel deueniendum est ad processum in infinitum, aut ad aliquid extrinsecum agens, quod illam partem moueat; atque ita iam viuens non mouebitur à se. Si verò dicatur secundum: ex eo quod pars illa, vel non mouetur, vel à se mouetur; consequens erit, illam aut non viuere, aut non repugnare, esse idem agens, & passum.

Tertio, in moribus, qui sunt actus perfecti, bene potest idem esse mouens, & motum: ergo etiam in moribus, qui sunt actus imperfecti, scilicet entis in potentia secundum quod in potentia. Consequentia patet: tum ex paritate rationis: tum etiam, quia ut modò dictum est, si semel est necessaria distinctio inter agens, & passum, debet  
otiii

oriri ex generali ratione agentis, & passi vt sic. Antecedens verò probatur: nam eadem anima mouet, & agit, quatenus per intellectum elicit intellecti-  
nem, & paritur, seu mouetur; quatenus ipsamet per illum eandem intellecti-  
nem recipit. Et similiter eadem per voluntatem mouet, eliciendo voliti-  
nem, & mouetur recipiendo illam in se, mediante voluntate.

3 Nec satis erit si respondeas; animam elicere intellecti-  
nem, quatenus eius intellectus informatur specie intelligibili: recipere verò mediante intellectu nudè sumpto, & sic iam dari distinctionem realem inter mouens, & mobile: sicut etiam obiectum mouet ad eliciendam volitionem; ipsa autem voluntas secundum se mouetur.

Nam contra hoc obstat: non esse semper necessa-  
riam speciem distinctam realiter ab intelligente; & idè Angelus per suam substantiam se ipsum cog-  
noscit, absque interuentu alicuius speciei realiter distinctæ, vt docet D. Thom. 1. p. quæst. 56. art. 1. Deinde, licet voluntas moueatur ab obiecto in ge-  
nere causæ finalis: non tamen in genere causæ effi-  
cientis. Vnde iam erit idem agens, & passum. Maxi-  
mè, quia obiectum potest esse idem cum re volen-  
te, vt cum Angelus amat se ipsum, & voluntas seip-  
sam diligit.

Quartò: grauias, & leuias mouent se ipsa in pro-  
prium locum, & tamen recipiunt eundem motum. ergo, &c. Maior probatur: nam cum habeant in se  
grauitatem, & leuitatem, quæ sunt sufficiens princi-  
pium ascendendi, & descendendi, poterunt efficere  
suum motum.

## Defenditur sententia Arist. & D. Thomæ & primum fundamentum illius.

### §. II.

4 **D**icendum tamen est: non posse idem reali-  
ter mouere per se primò seipsum: sed neces-  
sariò debere interuenire realem distinctionem in-  
ter mouens, & mobile. Ita Aristot. in præsentī  
cap. 1. vbi non solum assertionem nostram docet;  
sed etiam ex professo probat. Et hoc ipsum  
repetit lib. sequenti text. 40. & alibi sæpè. Quam  
sequitur Diu. Thom. locis citatis, & 1. contra  
Gent. cap. 13. & 1. p. quæst. 2. art. 3. & 4. Met.  
lect. 14. & alibi sæpè. Simplic. Themist. B. Al-  
bert. Ferrata in suis Commentariis, & 1. cont.  
Gent. cap. 13. Maius in præsentī, & alij quamplu-  
rimi.

Probatur primò ratione desumpta ex Arist. loco  
citato ex 8. Physic. quam Diu. Thom. 1. cont.  
Gent. cap. 13. sub his verbis proponit. *Nihil idem  
est simul in actu, & in potentia respectu eiusdem: sed  
omne quod mouetur, in quantum huiusmodi, est in po-  
tentia, quia motus est actus existentis in poten-  
tia, secundum quod huiusmodi. Omne autem, quod  
mouetur, est in actu in quantum huiusmodi, quia ni-  
hil agit, nisi in quantum est in actu, ergo nihil est respec-  
tu eiusdem actu mouens, & motum; & sic nihil mouet  
se ipsum.*

5 Responder Scot. & alij ex Iunioribus, quòd  
licet nihil possit esse simul in actu formali, & in  
potentia formali; alioquin haberet, & non ha-  
beret prædictum actum: non tamen repugnat esse  
in actu virtuali, & simul in potentia formali;  
quatenus virtualiter præhabet illum actum, & po-  
test postea recipere eum secundum esse formale.  
*Colleg. Compl. Physic.*

Vnde poterit vnum, & idem esse per se primò in  
actu virtuali respectu sui motus: quia continet il-  
lum per modum agentis æquiuoci, & esse simul in  
potentia formali ad recipiendum illum secundum  
suum esse formale, vt in intellectu respectu suarum  
intellectionum constat.

Et videtur hæc solutio satis ad mentem Philoso-  
phi 8. Physic. text. 40. vbi probans, nihil posse mo-  
uere se ipsum, deducit ad hoc inconueniens, scili-  
cet quòd simul esset calidum, & non calidum. Vnde  
addit: *Similiter autem, & aliorum unumquodque, quo-  
rum mouens necesse est habere uniuocum*, ac proinde  
solum loquitur de causis uniuocis, & de esse in po-  
tentia, & actu formali.

Sed contra: nam hæc solutio apertè est contra  
mentem Aristotelis, & Diui Thomæ locis citatis: in  
motibus enim grauium, & leuium recurrunt ad  
generans. In motibus verò viuientium, ad partem  
per se mouentem distinctam à parte per se mota.  
In motibus autem celestium orbium, ad extrinse-  
cum motorem, vt ita assignent propria mouentia  
respectu prædictorum motuum: ergo planum est, ip-  
sos sentire non posse idem realiter esse simul in actu  
virtuali, & in potentia formali, respectu prædi-  
ctorum motuum; alioquin frustra ad extrinsecum  
agens recurrissent: quandoquidem idemmet graue,  
v.g. posset esse simul in actu virtuali, & in potentia  
formali ad suum motum. Per quæ etiam corrumpit alia  
solutio, ab aliquibus adducta, scilicet posse idem ef-  
se mouens ratione materiæ primæ, & motum ratione  
formæ.

6 Confirmatur, nam ratio præcipua, ob quam  
Aristot. & Diu. Thom. negant, idem posse esse  
simul in actu, & in potentia, est ne idem simul  
sit perfectum, & imperfectum in ordine ad idem  
esse. Perfectum quidem, quia est in actu: imper-  
fectum verò, quia est in potentia in ordine ad il-  
lum. Sed hæc ratio magis urget, si idem sit simul  
in actu virtuali, & in potentia formali: ergo, &c.  
Minor patet: nam esse in actu virtuali, est esse in  
actu perfectiori modo, quàm si esse in actu for-  
mali: ergo si idem nequit esse simul in actu, &  
in potentia formali, ne simul sit perfectum, &  
imperfectum in ordine ad idem; poriori ratione,  
nec poterit esse simul in actu virtuali, & in potentia  
formali.

7 Deindè, id quod est in potentia formali, &  
naturali in ordine ad aliquem actum, & formam,  
debet quantum est ex se, illam recipere ad sui  
complementum, & perfectionem, vt inductiue  
constat in omnibus potentiis naturalibus, & ne-  
cessariis: at quod est in actu virtuali, non est sic  
in potentia formali: ergo nec simpliciter habe-  
bit illam; & ex consequenti prædictus actus, &  
potentia formalis erunt in vno, & eodem secundum  
idem realiter impossibiles. Vtraque consequen-  
tia per se patet. Minor etiam constat: quoniam,  
quod est in actu virtuali, continet longè perfectiori  
modo formam illam, quàm si esset in actu formali:  
ergo sicut si haberet eam formaliter, non indigeret  
receptione illius ad sui complementum, & perfe-  
ctionem: poriori ratione erit hoc dicendum, si se-  
mel præsupponitur in actu virtuali. Vnde quia sol  
est in actu virtuali respectu caloris, nequit esse in  
potentia formali respectu illius. Et similiter piper,  
quia virtualiter continet calorem, idè licet il-  
lum possit producere in alio subiecto, non tamen  
in seipso.

Confirmatur: quia saltem in agentibus naturali-  
bus, ferè videtur euident non posse idem esse simul  
in actu virtuali, & in potentia formali: cum omne  
agens

agens naturale non impeditum, & habens virtutem producendi effectum, producat eum de facto: ergo si habet virtutem producendi illum in semetipso, non poterit non in se eum producere: & ita non poterit carere illo, nec esse in potentia formali respectu eiusdem.

8 Nec exemplum illud de intellectu respectu suarum intellectuum aliquid probat (ut in solutione ad tertium dicemus) sicut nec verba illa ex Aristot. adducta conuincunt intentum: quia ut optime S. Thom. ibidem notauit: Aristot. adduxit exempla de agentibus vniuocis: quia in illis erat manifestius id, quod ipse intendebat: scilicet nihil posse esse simul secundum idem in actu, & in potentia; & ideo dixit: *Similiter in aliis agentibus vniuocis*: non tamen per hanc negauit, esse idem dicendum de agentibus æquiuiocis. Imò, hoc ipsum contingere in illis probauit ex notioribus. Vnde ex hoc, quod agentia vniuoca non possunt esse simul in actu, & in potentia, ostendit idem etiam esse dicendum de agentibus æquiuiocis, ut sic tandem deueniatur ad vnum primum motorem, qui mouet immotus, ad quem tamen ex vi discursus quem facit Aristot. nequireret deueniri, si id simul posset esse in actu virtuali, & in potentia formali respectu sui motus: & consequenter posset per primum mouere, & moueri à seipso.

*Elucidatur secundum fundamentum vera sententia.*

### §. III.

9 Secundò probatur ratione desumpta ex Aristot. in hoc lib. cap. 1. & ex D. Thoma ibidem; & 1. cont. Gen. cap. 13. quæ maioris claritatis gratia potest ad hanc formam reduci. Omne, quod ita mouetur ut ad quietem alterius quiescat, non mouetur per se primum à se; sed ab alio; sed omne, quod mouetur motu Physico, est huiusmodi: ergo non potest esse per se primum mouens seipsum; sed necessariò debet moueri ab alio. Maior est certa; quoniam quod mouetur omnino, & per se primum à se, non dependet in suo motu ab alio; alioqui non moueretur per se primum à se sed ab illo alio, à quo dependet: ergo quantumvis aliud cesset moueri, non sequitur istud debere quiescere. Minor verò probatur supponendo id, quod suprà lib. præcedenti ostendimus, scilicet omne, quod mouetur esse diuisibile in plures partes. Tunc ergo sic. Dato quod vna harum pars quiescat, tunc vel adhuc mouetur totum secundum se totum, vel non. Non primum: quia inde sequeretur, quod simul moueretur secundum se totum, ut supponitur, & non secundum se totum: quia tantum moueretur secundum vnam; vel alteram partem: ergo debet dici secundum; quod scilicet ex quiete vnius partis cesset motus totius secundum se totum; ergo iam ille motus non à se, sed ab alio est, ex cuius cessatione cessat.

10 Confirmatur ex D. Thoma loco citato ex 1. contra Gen. Aliquid mouere seipsum per se primum, nihil aliud est, quam quod sit sibiipsum per se primum causa sui motus: sed nullum mobile potest esse huiusmodi: ergo, &c. Maior constat; tum, quia illud dicitur per se primum in quolibet genere, quod sibi, & aliis est causa in illo genere: sicut ignis est primus in genere calidorum; quia sibi, & aliis est causa caloris: tum etiam,

quia si non esset sibi causa motus sui ipsius, non moueretur per se primum à se; sed ab alio. Minor verò etiam patet: quoniam id, cui primum conuenit motus, non debet in suo mouere, & moueri pendere à motu alterius: alioqui illi alteri, & non sibi primum conueniret motus: quippè cum ratione illius moueretur: sed omne mobile motu, de quo loquimur, cum sit diuisibile, pendet in esse totius à partibus, & in motu suo à motibus partium; & ideo si vna quiescat, nequit se ipsum per se primum mouere: ergo non potest esse per se primum sibi ipsi causa motus.

11 Hæc tamen ratio multis displicet, & ideo contra eam plura obijciunt, ex quorum solutione vis rationis Aristotelis perspicua manebit; ideoque in eis proponendis, & soluendis aliquantulum immorabimur. Et in primis Galenus obijcit: malè colligi ex eo quod aliquid quiescat ad quietem partis, & moueatur ratione illius, non moueri per se: nam quod conuenit ratione partis, conuenit à principio intrinseco, & per se. Vnde viuens mouetur per se, licet moueatur ratione animæ, vel ratione cordis.

Secundò obijcit Auicenna, teste eodem D. Thom. rationem hanc inniti falso, & impossibili fundamento, scilicet posse partem eius, quod secundum se totum per se primum mouetur, quiescere; quoniam si quidpiam per se primum sic mouetur, implicat, ut omnes eius partes non moueantur.

Tertio, Suarez 1. tomo suæ Metaph. disput. 38 sect. 3. num. 4. obijcit, quod licet ex quiescere per se ad quietem alterius suppositi colligatur, totum illud non moueri per se primum à se, non tamen ex quiescere ad quietem suæ partis: ergo, &c. Antecedens probatur: quoniam tunc totum non desinit moueri per se primo, quia moueatur ab alio; sed ex eo, quod motus totius secundum se totum non potest esse absque motibus partium: quia *conferuntur* partialibus motibus omnium illarum & ab eis pendet: sicut non desinit totum habere secundum se totam suam naturam, licet hæc pendeat à partialibus naturis partium.

12 Confirmatur ex eodem: nam aliàs eodem modo probaretur, non posse corpus per se primum moueri ab alio, quod est aperte falsum; cum *cælum* per se primum moueatur ab intelligentia: Sequela probatur: nam si ideo nihil se ipsum mouet primum: quia moueri ipsius pendet in genere causæ materialis à moueri partium; consequens est, ut nec etiam aliquid possit alio primum moueri: quia in omni motu verum est, quod moueri totius materialiter à moueri partium pendet.

Quartò, nam partes non existunt per se; sed coexistunt ad existentiam totius: ergo non mouentur, aut quiescunt per se; sed ad motum, aut quietem totius: siquidem eo modo aliquid mouetur, aut quiescit, quod est: ergo potius partes pendunt à toto, quam è contra. Vnde, malè infert Diu. Thom. totum non posse se per se ipsum mouere: quia in suo motu pendet à motibus partium.

13 Ad primum respondetur ex Diu. Thom. in præfati, lect. 1. dictionem hanc *per se* dupliciter posse accipi. Primum ut est idem, ac *non per aliud*, qua ratione animal dicitur per se sensibile: quia hoc non habet ab alio. Secundò, ut est idem, ac *non per accidens*: quo pacto homo dicitur per se sensibilis: quia sensibilitas non conuenit illi per accidens, licet competat ei per aliud: scilicet ratione animalis. Inter istos autem modos conueniendi per se hoc

hoc est discrimen, quodd licet secundus sit modus *per se*, non tamen conueniendi *per se primò*: at verò primus ille est modus conueniendi *per se primò*: & ideo animalis non conuenit, vt cumque esse *per se* sensibile; sed *per se primò*.

Hinc ergo dicimus: quodd licet id, quod mouetur ratione suæ partis, moueatur *per se*; id est, non *per accidens*: non tamen *per se*, id est, non *per aliud*, vt ex se constat. Cæterum Aristoteles in sua ratione tantum voluit ostendere: totum non posse *per se primò* se ipsum mouere: quia hoc ipso, quod moueatur *per se primò* à se, mouebitur, vel ab alio extrinseco, vel ratione suæ partis integralis: ac proinde *per aliud*, & consequenter iam erit distinctio realis inter mouens, & mobile. Diximus, *Ratione suæ partis integralis*: quia pars Physica *per se* sumpta non est capax recipiendi motum propriè, & rigorosè sumptum: quippè quod est accidens; & ideo nec potest causare illum, vt tam ex dictis, quàm ex dicendis in hac eadem quæstione satis constabit.

14 Ad secundam obiectionem respondetur ex eodem Diu. Thom. loco citato: aliquam conditionalem posse esse veram, cuius antecedens est impossibile, vt patet in illa: *Si bemo est asinus, est animal irrationale*: Aristoteles autem non dixit absolute, posse idem secundum se totum moueri quiescente parte; sed solum quodd si illa quiescente, quiescit totum, iam non mouebitur *per se primò*, & secundum se totum. Quæ sanè conditionalis est euidentè vera, & sufficiens ad colligendum totum illud, quod dicebatur à se *per se primò* moueri, non sic à se moueri; & *per se* consequens mouere, & non mouere *per se primò* se ipsum, vt ex ratione facta & ex statim dicendis constabit.

Tertia obiectio, & eius confirmatio, quam Suarez ex Ferrara desumpsit, ideo conuincit illum, vt dicat: rationem hanc, quam D. Thom. ab eodem relatus, demonstrationem à priori appellat, non solum talem non esse, verum rationes alias, non tanti ponderis, quas idem Suarez adducit, esse probabiliore.

15 Respondetur tamen ex eodem Ferrara, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est: hoc ipso quodd totum mouetur à se *per se primò* non debere quiescere; etiam si vna illius pars quiescat, sed posse reliquas partes motu totius moueri. Alioqui mouere; & moueri non conueniret toti *per se primò*, vt benè notauit Albertus in præfenti: quia vt ex primo Posteriorum constat, quod alicui *per se primò* conuenit, non *per aliud* ipsi competit, imò aliis *per ipsum*; nec ab ipso remouetur, quia remoueatur ab alio; nec tandem potest ab aliquo intrinseco oriri impedimentum ad habendum illud: quamuis etiam ex alio capite sequatur, vt iam diximus, totum illud mouere, & non mouere se *per se primò*, quæ est implicatio ab Arist. & D. Thom. intentæ.

16 Ad confirmationem respondetur: totum debere *per se primò* moueri, si semel ponitur *per se primò* se ipsum mouere. Vnde ex remotione motus ab vna parte, non sequitur remoueri motum à toto, vt explicatum est: at si mouetur ab alio, vel ratione alicuius partis integralis, non est necesse, vt *per se primò*, & omnino independentè à partibus moueatur; sed satis erit moueri ratione illarum. Diximus, *Omnino independentè à partibus*: Quia licet in genere causæ formalis non dependeat ab illis (vt statim dicemus) pendet tamen in genere causæ materialis; quatenus tam pars, quàm mo-

tus eius semper censetur esse materia totius, & motus illius. Vnde satis est prædicta prioritas ad hoc, vt absolute dicatur, quod secundum se mouetur ab alio.

Ad quartam obiectionem respondetur: motum partium integralium pendere suo modo à toto in genere causæ formalis, quatenus ratione totius, seu in ordine ad illud habent determinatam naturam, & specificationem, ratione cuius sunt capaces motus. Imò prædictæ partes integrales habent à toto, tanquam à termino primario, & totali efficientis, quod coëxistant, & ita possint moueri: cum quo tamen stat, totum pendere à partibus, tam in esse, quàm in moueri in genere causæ materialis.

### SOLVUNTUR ARGUMENTA prioris sententiæ.

#### §. IV.

17 Solum ergo superest, ad argumenta initio quæstionis posita respondere. Ad primum dicendum est: calorem stomachi esse vigorosiorem in hyeme *per accidens*, & *per antiperistaltim*, quatenus frigus circumstantis constringit poros cutis, & impedit, ne calor interior viuentis ad extremas partes dilatetur, & (vt alij dicunt) detinet spiritus vitales, qui calidissimi sunt, nè foras erumpant. Et idem dicendum est de frigiditate aquæ putei: quia ab aère calido circumstante impeditur frigus, ne exeat seu detinetur aqua, ne vapores frigidos à se spiret. Ita Galenus lib. in Aphorismos Hypocratis, & Aristot. lib. 1. Problematum quæst. 29. De quo latius in libris de generatione.

18 Ad secundum concedimus antecedens; & negamus consequentiam; & ideo optima est solutio ibidem data. Et ad eius impugnationem respondetur partem illam primò alias mouentem (quæ quidem in animalibus ad minus est cor,) verè moueri duplici motu; nimirum eo quo reliquæ partes ratione illius, & ipsum totum mouetur, & insuper motu dilatationis, & constrictionis; aliter tamen, & aliter: nam primò motum mouetur *per accidens* ad motum totius, quod ipsa mouet, eo sanè modo, quo Nauta in naui existens, illam mouet, & ad motum eius *per accidens* mouetur; at verò quoad secundum motum mouetur à principio extrinseco, scilicet à generante, vt S. Th. opusc. de motu cordis expresse testatur, eo quod talis motus *per modum quasi proprietatis* ad animal consequitur. Vnde ad generans spectat illum efficere; quia qui dat formam, debet etiam (vt quæst. sequenti dicemus) dare consequentiam ad formam.

Ad tertium respondetur, negando antecedens; & ad probationem; voluntatem quoad intentionem finis moueri peculiariter ab authore naturæ, quoad electionem verò mediorum moueri à se: quia ante volitionem finis non præcessit alia volitio, per quam fuerit in actu: sicut respectu mediorum, ab quæ præcessit volitio finis. Quam doctrinam sæpè repetit D. Thom. 1. 2. quæst. 8. 9. & 10.

19 Ad illud verò de intellectu dicendum est: non ad quancumque intellectionem se mouere intellectum: ita vt non moueatur peculiariter ab alio; sed ad intellectionem primorum principiorum, vel ad primam cognitionem, ex qua totus discursus

A a 2



pendet, moueri specialiter ab alio, scilicet ab auctore naturæ: at verò ad cognitionem conclusionum moueri à se. Et ratio huius differentie, est: quia respectu primorum principiorum, aut prædictæ cognitionis, non habet intellectus aliam priorem cognitionem, qua prius sit in actu, & se moueat: at verò respectu conclusionum iam prius est in actu per cognitionem primorum principiorum. Unde cognitio illa se habet tanquam pars mouens: & intellectus, qui est in potentia ad cognitionem conclusionum se habet tanquam pars per se mota. In Angelis verò, cognitio sui per propriam substantiam, tanquam per speciem, est ab auctore naturæ, vt colligitur ex D. Thom. 1. part. quæst. 63. art. 5. & per illam est in actu ad cognitionem aliorum omnium; & ideo se mouet ad cognoscendum alia.

20 Adde, quòd licet daremus intellectum præcisè, vt informatum specie intelligibili mouere se in aliquibus intellectionibus, & moueri præcisè ratione suæ entitatis: quia ratione sui, & non informatum specie intelligibili recipit intellectionem. Nihilominus non ob id dicendum esset: posse graue, per modum causæ principalis, mouere se localiter, vt habet grauitatem; moueri verò secundum se: quia cum hic motus, & alij similes per se requirant distinctionem partium in mobili secundum quantitatem: ita ad minus requirunt distinctiones partes integrales, quarum vna per se mouens, & alia per se mota: vel quòd aliud distinctum suppositum per se moueat omnes illas, vt in grauibz contingit.

Ad vltimum responderetur; rangere grauem illam difficultatem inter Philosophos: an scilicet grauia, & leuia moueantur à generante; quam vt melius discutiamus, & pluribus difficultatibus inde ebullientibus satisfiat, sequentem quæstio. excitamus.

## QVÆSTIO II.

*An grauia, & leuia moueantur à generante, vel à se ipsis.*

*Placitum Scoti, & sequacium.*

### §. I.

21 **P**Rima sententia asserit, moueri à se ipsis. Ita Scotus in 1. dist. 2. quæst. 10. Gregor. dist. 6. quæst. 1. art. 3. Antonius Andreas 9. Metaph. quæst. 1. Valesius controu. 11. & 2. Phys. cap. 1. Albert. Saxoniens. quæst. 6. huius libri, Plaza 2. Physic. disp. 5. q. 7. & Pereyra lib. 6. c. 16. & alij quam plurimi.

Probatum primò: effectus in actu postulat causam in actu, maximè si sit talis causa efficiens: quia vnumquodque agit, in quantum est in actu; sed quando mouetur graue, sæpè non est generans, vt ex se constat: ergo talis motus non potest esse à generante: ergo est ab ipso graui. Patet hæc vltima consequentia: quia non apparet aliud, à quo talis motus causetur.

Confirmatur: quia causa mouens debet esse indistans, & approximata rei motæ: sed generans sæpissimè est distans à graui: ergo. Maior patet: nam alioqui non minus esset impotens ad mouendum quàm si non esset in rerum natura, sicut ignis, qui

est Romæ: non magis calefacit Compluti, quàm si non esset existens.

Secundò: graue in superioribus, generatum (vt pluuia vel grando) quò magis ad centrum appropinquat, & magis à generante distat, eo velocius mouetur, vt experientia testatur: ergo non mouetur à generante. Patet consequentia: quia alioqui quò magis distaret ab illo, eo remissiùs moueretur: quandoquidem quodlibet mouens eo fortius, & velocius mouet, quò res mota minus distat ab illo, vt constat in sagitta sursum proiecta.

22 Tertiò; motus grauium, & leuium actione procedit à grauitate, & leuitate; sed motus hic non excedit virtutem harum qualitatium: ergo fiet ab illis principaliter, & non à generante. Maior est Aristotelis 8. huius operis c. 4. text. 32. vbi sic inquit: *Ex graui sit leue, vt ex aqua aer: hoc enim potestate erat primum, & iam est leue, proximèque ager, nisi aliquid impediat.* Et 4. Physic. c. 9. text. 85. ait: *Densum, & rarum quatenus grauitate, & leuitate prædita sunt latioris esse efficientia.* Minor verò etiam constat: quia grauitas, & leuitas sunt perfectiores, quàm motus sursum, & deorsum, & vbi-cationes per illas productæ: ergo nullum istorum excedit virtutem eorum.

Confirmatur: nam instrumentum semper habet actionem præuiam ad actionem causæ principalis (vt constat in his, quæ supra lib. 2. disp. 12. qu. 2. latè diximus: ) at non apparet actio præuia in graui ad actionem generantis: ergo non concurrat actiue: cuius oppositum probatum est, vel concurrat per modum causæ principalis.

Vltimò si propter aliquam rationem grauia, & leuia mouerentur à generante, maximè ob rationem D. Thom. scilicet: quia ad grauitatem, & leuitatem naturaliter sequitur, secluso impedimento, motus deorsum, & ita qui dat grauitatem, dat etiam consequenter motum deorsum: sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur: quia etiam ad calorem, qui est in igne, naturaliter sequitur, secluso omni impedimento, productio alterius caloris; & nihilominus illa calefactio non est à generante.

*Quæstionis controuersia dirimitur.*

### §. II.

23 **D**icendum tamen est: grauia, & leuia per se moueri à generante: per accidens verò à remouente prohibens: nunquam tamen à se ipsis. Ita Plato lib. 10. de legibus, vel de republica, & in Phædro, vbi ait: cui forinsecus est moueri, id omne inanimatum est; cui verò intrinsecus sibi ex se, animatum. B. Albertus Magnus 8. Physic. tract. 2. cap. 4. in 2. dist. 6. qu. vnica art. 3. Caiet. 1. p. q. 18. art. 1. Ferrariens. 4. contra Gent. cap. vltimo, Scotus lib. 8. Physic. q. 3. Soncin. Metaph. q. 7. Masius lib. 8. huius operis cap. 4. disp. de motu grauium, & leuium, q. 2. Suar. 1. tomo suæ Metaph. disp. 18. sect. 7. num. 21. & alij quam plurimi.

Probatum primò ex Arist. lib. 8. huius operis text. 33. his verbis: *Quæcumque à se ipsis mouentur, ab aliquo mouentur, & que non à se ipsis, vt leuia, & grauia (aut enim à generante, & faciente leue, & graue; aut ab eo, quod impediens & prohibens prohibet.)* Explicatur autem in verbis antecedentibus, quod remouens prohibens tantum mouet per accidens: generans verò per se: idque ostendit exemplo pilæ repetcussæ, quæ

quæ per se mouetur à proliiciente, per accidens verò à patiete.

24 Idem docet D. Tho. ibid. & alibi sæpè v. 1. p. qu. 18. art. 1. in corpore & in solutione ad 2. dicens: *Corpora graua, & leuia mouentur à motore extrinseco, vel generante, qui dat formam, vel remouente prohibens, ut dicitur 8. Physic. & ita non mouent se ipsa, ut corpora viuensia.* Et 1. contra Gent. c. 27. ubi sic ait: *Ille sola per se mouentur, quæ mouent se ipsa composita ex motore, & moto, sicut animata. Unde hac sola propriè viuere dicimus. Alia verò omnia ab aliquo exteriori mouentur, vel generante, vel remouente, vel impellente.*

Et licet assertio hæc, quo ad primam eius partem satis constet ex dictis quæstione præcedenti: nihilominus peculiariter quoad eam (quoad secundam enim partem, scilicet graua, & leuia moueri per accidens à remouente prohibens, ex se constat): ex propriis principiis suadetur ratione desumpta ex Aristotele, & D. Thom. quæ potest ad hanc formam reduci. Genitor alicuius grauis, & lenis prius tribuit illi in instanti generationis proprium esse: ergo etiam eidem debet conferre, quidquid ad naturalem eius dispositionem in eo instanti pertinet: alioqui in necessariis deficeret: cum id sit veluti essentiae corollarium, & generationis complementum: sed ad naturalem dispositionem grauium; & leuium, eisque debitam, tam in eo puncto, in quo generantur, quam in reliquo sequenti tempore spectat esse in loco naturali, ut perspicuum est: ergo hoc à generante eis tribuendum erit: & per consequens motus, quo postea sublato impedimento acquirunt suum locum, vel semel acquisitum, & iterum deperditum, illum recuperant, erit à generante. Patet hæc vltima consequentia: tum, quia ab eodem principio, à quo oritur aliquis terminus, debet esse motus ad illum, & recuperatio eiusdem: tum etiam, quia aliàs generans deficeret in necessariis: nam cui incumbit tribuere aliquid in instanti generationis debitum, incumbit etiam, si impeditum fuerit, præstare id, quod est via ad acquirendum, & recuperandum illud sublato impedimento: cumque talis via nulla alia sit præter motum, consequens est, ut hic etiam à generante sit.

25 Confirmatur, & explicatur. Emanatio passionum tribuitur generanti, siue dimanent in instanti generationis, siue postea sublato impedimento: ergo etiam motus grauium, & leuium erit semper à generante. Patet consequentia: quia ideo acquisitio passionum est semper à generante: quia sunt debitæ genito in instanti generationis: sed etiam locus naturalis debetur graui, & leui in eodem instanti: ergo acquisitio talis loci semper erit à generante.

Sed quia hæc ratio est proprium fundamentum huius sententiæ; ideo placuit vnam, vel alteram obiectionem (ex eius enim solutione valde elucidabitur) contra ipsam proponere. In primis enim obici potest: hinc fieri, motum cordis non esse à generante: quoniam talis motus non est debitus in instanti generationis: nam motus nequit esse instanti: at hoc est falsum, ut quæstione præcedenti diximus: ergo, &c.

Secundò è contratio obiciens: sequi ex hac ratione, vitam actualem, quæ in operationibus vitalibus consistit esse à generante: at hoc, ut constat ex dictis, est falsum, ergo, &c. Sequela probatur: quia talis vita est maxima viuentium perfectio, eisque omnino debita: quoniam est ad minus veluti passio vitæ in actu primo; sine qua consistere nequit: ergo ad generans spectabit, hanc viuentibus tribuere.

Colleg. Compl. Physic.

26 Respondetur ad primum negando sequelam: tum quia etsi in eo instanti talis motus non sit; in eo tamen per vltimum non esse incipit: tum etiam, quia virtus illa motiua cordis motu dilatationis, & contractionis est etiam principium quo contemperandi calorem cordis, & corporis per inspirationem, & respirationem: quia ergo illud temperamentum caloris est naturalis dispositio debita cordi in instanti generationis, ideo motus ille prærequisitus ad illam temperiem potest, & debet tribui generanti. Tum denique quia motus iste est quid necessarium consequutum, & veluti passio animalis, ut iam diximus, & ideo non mirum, quod sit à generante.

Sed vrgebis, hinc sequi, respirationem animalis esse etiam à generante. Patet sequela, quia in eo inueniuntur omnia, ratione quorum motus cordis tribuitur generanti, siquidem incipit extrinsece in instanti generationis, & ordinatur ad temperandum calorem debitum in eodem instanti, & est valde necessarius ad vitam animalis tuendam.

Confirmatur, quia etiam actio nutritiua esset à generante, cum ad tuendam eam quantitatem, quæ effectui debetur in instanti generationis, ordinetur.

27 Respondetur, negando sequelam, non enim quiuis motus ordinatus ad tuendam, & conseruandam perfectionem debitam viuenti genito, etiam in instanti generationis debet attribui generanti; sed tantum is, qui in eo genere primus est, nam si alium priorem supponat, qui etiam modo sibi debito necessarius sit ad cæteros motus, & insuper distinctionem partis per se mouentis, & per se motæ, supponat, non erit à generante, quia iam generans dedit genito ea omnia, quibus se per se ipsum posset mouere. Vnde, quia motus cordis est primus motus illius, & totius corporis, ideo petit, quod procedat tanquam à causa principali à generante, & non à corde, aut ab illis partibus corporis, nam si esset à corde, & idem esset mouens, & motum, sicut si esset ab aliis partibus, iam non esset primus, sed necessario deberet alium supponere, ut ex dictis quæstione præcedenti constat. Cæterum, respiratio iam hunc primum motum supponit, & consequenter partem per se mouentem distinctam à parte per se motæ. Vnde non à generante; sed à viuente debet procedere.

Quod etiam ex opposito in motibus grauium, & leuium cerni potest, in quibus motus sursum, & deorsum sunt motus primi, qui conueniunt eis, ut talibus, nec ipsa graua, & leuia habent omnia requisita ex parte suarum partium, ut se moueant, & ideo forinsecus debent moueri. Per quod etiam patet ad confirmationem.

Ad secundam obiectionem satis constat ex modò dictis, nam vita actualis seu operatio vitalis totius, ut totum est, supponit prius naturam vitam cordis; & ideo potest à se ipso in actu secundo viuere, secus tamen cor, si loquamur de motu illo vitali, & primo, quicui competit.

Occurritur argumentis primæ sententiæ.

### §. III.

28 **A**D primum primæ sententiæ dicimus, satis esse manere virtutem generantis, quamuis ipse perierit, ut patet in generatione viuentium, siue talis virtus concurrat instrumentaliter ad illum motum,

A a 3

motum, ut contingit in exemplo allato, siue tantum sit id, à quo talis motus emanat. De quo in solutione ad tertium. Per quod etiam patet ad confirmationem: sufficit enim agens esse indistans à passo vel per se, vel per suam virtutem vno ex modis nuper dictis.

Ad secundum, concedendum est antecedens, & neganda consequentia, & ad eius probationem dicendum est: esse veram, quando mouens mouet motu violento; secus verò quando mouet motu naturali. Et ratio disparitatis sumitur ex Aristot. de Cælo text. 88. & D. Thom. ibid. lect. 17. nam quanto motus grauis violentè proiecti magis elongatur à proliente, tanto minus remanet de virtute, seu impulsu violentè impresso, & sic motus fit tardior. Cæterum, quanto graue magis appropinquat centro est in meliori dispositione, ut recipiat motum in generante: nam cum inter corpora, & loca naturalia eorum sit quædam affinitas, & similitudo, quanto corpus est propinquius suo loco, tanto minus habet de impedimentis, estque magis dispositum ad hoc, ut à suo generante moueatur.

Quod quidem aliis verbis explicuit D. Thom. sic: *Et ideo dicendum est cum Aristotele quod causa huius accidentis est; quod quanto corpus graue magis descendit, tanto magis confortatur grauitas illius: propter propinquitatem ad proprium locum.* Quare, licet cæteris paribus, quod mobile est propinquius motori, fortius moueatur: si tamen cætera non sint paria; sed cum maiori distantia coniungatur maior dispositio, & aptitudo ipsius mobilis ad motum; tunc poterit, quod magis distauerit à generante, moueri velocius ab illo.

29 Ad tertium responderetur primò, cum Ferr. 4. contra Gent. cap. vi. & quæst. 9. huius lib. Capr. in 2. dist. 6. quæst. 1. art. 3. Mas. loco citato, & pluribus aliis: esse valde probabile, iuxta mentem Aristotel. grauia, & leuia moueri à grauitate, & leuitate tanquam à principio actiuo; sed instrumentali, ut constat ex locis citatis in argumento. Quod etiam videtur expressè doceri à D. Th. 1. 2. quæst. 36. art. 6. & 3. contra Gent. cap. 24 & in 2. dist. 18. quæst. 1. art. 2. his verbis. *Nam eodem modo omnes motus dicuntur naturales; sed quidam propter principium actiuum intus existens, ut motus localis grauium, & leuium.* Quod etiam repetit in 3. dist. 22. q. 3. art. 2. quæst. 1. & alibi sæpè. Imò etiam ratio ipsa hoc suadere videtur: quia generans non potest mouere, aut operari, nisi sit existens, & indistans à passo, vel per se, vel per suam virtutem instrumentaliter, & loco illius concurrentem, ut constat in generatione viuientium.

Vnde, ad primam probationem contra hoc, dicendum est: quod licet grauitas, & leuitas in eis entis sint perfectiora, quàm ubicatio in loco naturali: attamen ex se non habent vim ab hoc, ut per se, & sine ordinatione ad agens præcipuum illam producant: & idèd eleuantur, ut operentur plusquam ex se, & ex sua virtute possunt, ut contingeret in Angelo, si assumeretur ut instrumentum ad productionem hominis. Ad secundam probationem responderetur: esse ibidem actionem præuiam, scilicet scissionem aëris, aut medij.

30 Vel Secundò responderetur cum Sor. in præsent. quæst. 3. lab. quæst. 9. Sonc. Metaph. quæst. 6. Tolet. lib. 2. Physic. quæst. 2. & aliis quamplurimis: esse etiam valde probabile, grauitatem, & leuitatem non esse principium rigorosè effectiuum, adhuc instrumentaliter prædicti motus;

sed solum generans esse causam immediatam, & rigorosè effectiuam illius, atque ita prædictas qualitates concurrere per modum principij passiuè disponentis mobile, ut melius moueatur à generante.

Et videtur esse valde ad mentem Philosophinam loco citato in argumento ex 8. Physic. sic concludit. *Illud ergo perspicuum est, nihil bonum se ipsum mouere, motusque principium hoc habere; non mouendi quidem, nec faciendi: sed accipiendi, & quasi ferendi.* Vnde D. Thom. lib. 2. de Cæl. text. 9. refertens hoc testimonium Aristot. inquit. *In corporibus autem inanimatis non est principium motus, actiuum, quod scilicet moueat, sed mouetur ab exteriori mouente, quod est generans, vel re mouens prohibens: interius autem habent principium motus passiuum, quod scilicet nata sunt moueri: puta grauitatem, vel leuitatem, ut patet in 8. Physic. & 2. Physic. lect. 5.* inquit: *In corporibus verò grauib, & leuib, est principium formale sui motus, sed huiusmodi principium formale non potest dici potentia actiua, ad quam pertinet motus iste; sed comprehenditur sub potentia passiuâ: grauitas enim in terra non est principium, ut moueat; sed magis ut moueatur.*

31 Diximus, *Non esse principium rigorosè effectiuum*: quia reuera motus ille, & eius terminus dimanant à forma substantiali graui; necnon, & à grauitate per naturalem sequelam: quia ille motus, & terminus naturaliter sequitur ad illas. Qui modus emanationis, licet non sit vera actio, ut lib. 2. disp. 10. num. 92. & deinceps diximus, reducitur tamen ad genus causæ efficientis.

Itaque, quia motus deorsum non datur ibidem per se; sed per accidens, ex eo quod graue impeditum est, ne suo loco naturali fruatur; & tam prædictus motus, quàm terminus per illum productus non fit, nisi ut complementum præcedentis facti esset: quia est in ordine ad tribuendum genito illam dispositionem naturalem, quæ in instanti generationis debita est, & impedita, vel deperdita fuit; idèd tam motus, quàm terminus ille dimanant per naturalem sequelam, & ex vi generationis grauis. Sed de his videantur quæ disp. citat. num. 112. & deinceps diximus.

32 Ex quo etiam constat, nihil contra hæc obesse probationes ex D. Thoma & Arist. in 1. solutione adductas: quia vel loquuntur de principio actiuo per naturalem emanationem, vel tantum id dicunt exemplificando in prædicto motu. Ad quod satis est uti modo dicendi probabili sicut etiam nihil obstat probatio ibidem ex ratione petita: quia quoties motus, & terminus procedunt per naturalem resultantiam, tunc quandiu manet ille terminus, ad quem naturali sequela sequitur motus, tandiu virtualiter manet virtus generantis, & eius actio generatiua in illo termino: nam illo priori termino posito, statim semoto impedimento sequuntur natura necessitate cætera alia, ut loco citato diximus. Et idèd tam ille motus, quàm terminus oritur à generante, ut à præcipuo agente.

Adde, quod id, à quo aliud dimanat, habet se aliquo modo ut instrumentum generantis: quia adhuc per emanationem non attingit illud; nisi ut subordinatum illi, ut agenti proprio, & principali. Vnde, non mirum, quod grauitas & leuitas, à quibus iuxta secundum modum dicendi motus sursum, & deorsum per naturalem sequelam dimanant: quandoque vocentur instrumenta generantis respectu.

33 Si quis tamen voluerit primum modum dicendi tueri,

uari, poterit ad testimonia Arist. & D. Thom. respondere: esse intelligenda de gravitate, & leuitate, vt sunt effectus generantis, & dispositiones, seu proprietates naturales ex parte grauis se tenentes: non tamen vt sunt virtutes generantis, & eidem subordinatæ in ordine ad prædictum motum. Et desumitur hæc interpretatio ex D. Tho. opusc. 2. de dimensionibus interminatis: vbi postquam dixit: *Inde est, quod quandoque hæc qualitates dicuntur principia actiua motus, inquantum sunt instrumenta generantis, quod est mouens principale grauium, & leuium*; addit: *quandoque sunt principia passiva: quia scilicet sunt effectus generantis: effectus enim inquantum huiusmodi habent rationem passiuæ*.

Nec hinc fit, vt per hæc verba modò relata omnino elidantur testimonia pro secunda solutione allata: quia opusculum istud, non est certum esse D. Th. & idè in operibus Romanis iussu Pij quinti editis fuit minoribus characteribus impressum: sicut & alia, de quibus non est certum fuisse ab eodem Angelico Doctore conscripta.

Ad vltimum patet ex dictis: nam ad calorem genitum non sequitur productio alterius caloris, tanquam acquisitio naturalis dispositionis debita in illo instantis generationis, ad hoc, vt completè habeat rationem effectus respectu generantis: quia vnus calor non pertinet ad naturalem dispositionem alterius. Cæterum, recuperatio loci naturalis est acquisitio dispositionis debita in instanti generationis: & idè hæc tribuitur generanti: secus verò calefactio illa, qua calor genitus generat alium.

### Q V Æ S T I O III.

*Utrum causa efficiens debeat esse coniuncta passo, vt in illud agat.*

**A**lij aliis verbis quæstionem hanc discutiunt, inquirentes: an causa efficiens possit agere in distans, quin prius agat in propinquum, & per medium? Sed reuera in idem vterque inquirendi modus incidit, vt intuenti patebit.

*Sententia affirmatiua refertur.*

#### §. I.

**34** **P**rima sententia affirmat, posse agens agere in rem distantem. quin prius agat in propinquum, dummodo intra suæ actiuitatis sphaeram sit. Ita Auicena in suo lib. de Anima sect. 4. cap. 4. pro eadem sententia citans Hypocratem. Item Alexander Afrod. 1. Met. comment. 8. Scotus in 1. dist. 27. & ibidem Ocham. Gabr. & alij Scotistæ. Probatur primò: si agens in rem distantem prius agit in medium, & per medium: sequitur, quodlibet agens agere ad quamcumque distantiam, maxime si non sit ex parte medij resistentia; at hoc omnino falsum est: cum cuius agentis sit per se assignata suæ actiuitatis sphaera: ergo, &c. Patet sequela: si enim ignis in hanc medij partem, & illa in aliam etiam agit, tunc, cum quælibet posset agere in partem sibi proximam, fiet inde, vt hic ignis possit rem quantumuis distantem calefacere.

**35** Secundò, agens naturale solet fortius agere in distans, quam in propinquum: ergo non est necesse, quòd per medium agat; & consequenter, nec quòd sit coniunctum passo. Secunda consequentia

ex se patet. Prima verò etiam constat: nam si per medium efficeret tunc fortius in propinquum, quam in remotum influeret. Antecedens autem pluribus experienciis probatur: etenim ignis aliquando magis calefacit stupam paululum distantem, quam aërem propinquiorem; & idè illam comburit, non verò istum. Et similiter, intensiorem calorem producit in aqua existente in lebere, quam in ipso lebere propinquiore; cum sæpè contingat, fundum huius esse frigidum, & aquam intra contentam feruere. Sicut etiam lucerna ardens plus calefacit parum olei intra papyrus inclusi, quam papyrus ipsam, in tantum vt in illo oleo possint oua frigi. Et tandem, sol plus caloris imprimit parietis distantiori, quam aëri minus distant: ergo agens naturale solet agere fortius in distans, quam in propinquum; & consequenter non prius in hoc, quam in illud agat.

**36** Confirmatur, non solum agens naturale agit fortius in distans, quam in medium propinquius; sed sæpè in distans operatur, nihil in medium operando: ergo, &c. Antecedens aliis experienciis probatur; magnes enim attrahit ferrum distans, & non aërem medium. Torpedo piscis stupefacit piscatoris manum, ineptamque ad motum illam reddit, & tamen arundinem minimè torpescere facit. Mulieres aliquæ pueros fascinant; non verò aërem intermedium, aut alios viros iam perfectos, minus ab eis distantes. Basiliscus à longè solo visu interficit hominem, cum tamen visio sit actio immanens, nihil medio imprimens, Echeneis piscis prætereuntem nauim remoratur, à quo & nomen Remoræ accepit; cum tamen prætereuntem aquam minimè detineat: ergo, & cætera.

Tertiò, agens perfectius agit in passum sibi ex directo obiectum, quam in illud, quod ad latus est, etiam si hoc sit magis propinquum agenti: ergo &c. Antecedens patet: quia sol partes existentes ex directo magis illuminat, quam eas, quæ ad latus, sunt licet minus ab illo distent. Et similiter manus obiecta igni per foramen, verbi gratia, fornaci; maiorem sentit calorem, dum ex directo, quam dum ad latus ponitur etiam si ad latus posita sit minus distans à foramine fornacis.

Quartò, agentia, quòd perfectiora sunt, eo maiorem habent actiuitatis sphaeram: ergo non tantum vbi sunt; sed etiam vbi non sunt agunt. Patet consequentiam ideo vnum agens habet maiorem actiuitatis sphaeram, quam alium: quia potest agere in remotiori loco, quandoquidem si in proximo tantum loco causaret, nullam haberet maiorem sphaeram, quam aliud.

*Explicantur aliqua ad quæstionis decisionem necessaria.*

#### §. II.

**37** **P**ro huius quæstionis decisione oportet primò explicare, quid sit agere immediatè, & quot modis contingat. A primo ergo faciliè nos expediemus: quia certum omnino est, quòd agere immediatè nihil est aliud, quam attingere effectum per se, & non medio alio. Nam sicut proprium est agentis actualis attingere effectum: ita agentis immediati, vt per se, seu non mediante alio illud attingat.

Vt autem secundum explicemus, notandum est primò, dupliciter posse aliquid agere immediatè, scilicet immediatione suppositi, & immediatione

A a 4

virtutis.

**Virtutis.** Illud agit immediatione suppositi, quod per proprium suppositum attingit effectum, & non medio alio; ut dum ignis calefacit lignum sibi continguum: quia tunc per proprium suppositum, & non per alienum imprimit illi calorem: at agere immediatione virtutis, est per virtutem propriam sibi connaturalem, & non per virtutem acceptam ab alio producere effectum; ut sol, qui virtute suæ lucis in hæc inferiora operatur, dicitur immediatè immediatione virtutis in illa influere. Uterque autem motus immediatè agendi coincidit aliquando in eodem agente, & aliquando diuisi sunt. Primum cernimus in exemplo opposito ignis, qui per proprium suppositum, & per propriam virtutem contingit passum: sicut & secundum in secundo exemplo apparet. Ex quo fit, duplicem inter agens, & passum esse contactum, alium virtutis, qui contactus virtualis dici potest, ad quem tantum requiritur, quod virtus saltem diffusa, per quam causa agit, contingat passum. Alium verò suppositi, ad quod necessaria est indistincta, & coniunctio suppositorum agentis, & passivi.

38. Secundò notandum est, duo esse agentium genera. Alia, quæ per virtutem à se diffusam suos attingunt effectus, quod in sole cernimus, nam per influentiam quamdam à se emissam tanquam per instrumentum operatur in res distantes, qui modus agendi conuenit agentibus corporeis; dum non operantur in passum sibi immediatè coniunctum. Alia verò sunt, quæ non per virtutem à se diffusam; sed intra se contentam agunt, ut in causa creante contingit; quæ non per virtutem actiuam, quam foras emittat; sed suam omnipotentiam, seu intellectiōnem, & volitionem efficit: qui etiam operandi modus agentibus corporeis, ut iam innuimus, sup modo competit, quando similitudinem habent cum passis, circa quæ operantur.

Diximus *suo modo*: quia causa creans, nec per virtutem à se diffusam, nec per actionem formaliter transeuntem agit: at verò agentia corporea, quando agunt in externam materiam, semper influunt per actionem transeuntem à se diffusam.

*Ex mente Aristotelis, & Diui Thomæ  
quæstio resoluitur.*

### §. III.

39. **D**icendum ergo est primò. Ad hoc ut causa efficiens principalis possit suum effectum producere: necesse est, ut ad minus contactu virtuali, seu virtutis attingat passum, circa quod operatur. Ita Aristoteles in præsentī asserens: quod agens, & passum debent esse simul, seu coniuncta inter se: quod ad minus ita verificandum est, nimirum ut agens, vel per se, vel per suam virtutem sit passu coniunctum. Quod etiam à fortiori Diuus Thomas & Authores pro conclusione sequenti citandi tenent.

Ratione deinde desumpta ex Aristotele, & Diuo Thomæ in hoc libro capite secundo, & ex introductione per omnia agentia, omniumque actionum genera confecta probatur: nam si agens sit immanens satis constat, non posse à passu distare: si verò actio sit transiens, nimirum generatio substantialis, semper agens tangit passum per virtutem seminalem, seu quasi seminalem: si sit nutritio, & augmentatio, semper id, quod se nutrit, &

augefcit, prius sibi cibum coniungit, quàm illum in propriam substantiam conuertat: si sit alteratio, satis constat elementa non se alterare, nisi sint inter se saltem secundum suas virtutes coniuncta. Quæ verò mouentur localiter, aut sunt videntis, & hæc cum ab intrinseco moueantur, manifestum est, virtutem motricem agentis passum contingere: aut sunt inanimata, & hæc si naturaliter moueantur, semper sunt simul cum virtute agentis, eo modo, quem quæstione præcedenti explicuimus. Si verò violenter moueantur, tunc motus hic fit ab impulsu eisdem à proiciente impresso: sicut quoties ab aliquo attrahuntur: toties hoc fit media aliqua qualitate, per quam ab attrahente continguntur: ergo iam quodvis agens debet saltem per virtutem, per quam agit, passum contingere. Patet hæc vltima consequentia: quia ad actiones, agentia numerata reducuntur omnes species actionum, & agentium, ut intuenti patebit.

40. Ex quo inferendum, & dicendum est secundò: non solum esse necessarium contactum virtutis inter agens, & passum; sed vltra hoc desiderari (saltem naturaliter loquendo contactum suppositi: etiam si tale suppositum sit infinitæ virtutis. Ita Aristoteles, & D. Thomas locis statim referendis, & ex antiquis Philosophis Themistius in sua Paraphrasi super librum duodecimum. Metaphysic. Philoponus 1. de Anima, ad text. 4. & 5. Meteor. paulò post principium, & cum his cæteri interpretes tam antiqui, quàm iuniores præter citatos pro opposita sententia, & ex Theologis Capreol. in prim. distinctione. trigesimo septimo quæstion. 1. artic. 1. conclus. prim. & artic. 1. in solutione argumentorum, Argent. ibidem quæstione prima articulo primo, D. Bonaventura ibidem in prima parte distinct. articulo secundo quæst. 1. Ferrara 3. contra gentes capit. lxxagésimo octauo, Caietan. prima part. quæstion. 8. in Comment. eiusdem artic. quæstion. 8. nec Bañez, Zumel, Nazarius, & Molin ubi etiam Egidius Durand. quæstion. 1. Ricard. artic. 1. quæstion. 1. Henricus in summa articulo 3. quæstion. 5. Antistodorus libro primo summæ cap. 15. quæst. 1. ad 2. & plures alij.

Sed antequam assertionem probemus, oportet eam explicare: nam aliter in agentibus primi, & aliter in agentibus secundi generis ex his, quæ in secundo notabili retulimus, intelligenda est: quia agens per virtutem à se diffusam non est necesse, quod per proprium suppositum contingat passum; alioquin non ageret per virtutem à se diffusam, ut patet in igne calefacienti lignum sibi coniunctum. Quapropter istis agentibus satis est, ut suppositum aliud, quod sit ipsorum instrumentum, & in quo ipsa quasi virtualiter resident, sint passu coniuncta, & ita per hoc saluatur, quod non agunt in rem distantem, quin prius in propinquam agant. Propter quod notante in conclusione non addimus, esse necessarium contactum priorum suppositorum, sed solum contactum suppositorum. Cæterum in agentibus per virtutem in eisdem existentem, necessarium est, ut per proprium suppositum contingant passum: quod quidem saltem connaturaliter loquendo, est ita indispensabile, ut numquam sufficiat contactus alterius suppositi, ad hoc ut agentia ista effectum aliquem passu imprimant.

41. Assertio hæc sic explicata est expressa Aristor. in hoc lib. cap. 2. his verbis. *Primum autem mouens non ut id, cuius causa; sed unde principium motui est, simul cum eo est, quod mouetur. Simul autem dico: quia nihil inter ipsa est, hoc autem commune est in omni quod mouetur, & quod mouet.* Quem locum exponens D. Thom.



Thomas sic ait. *Intelligit autem hoc de immediato mouente; & ideo dixit primum mouens, ut per primum significetur immediatum mobile, non autem id, quod est primum in ordine mouentium, & dictum est communiter, quod mouens, & motum sunt simul, & non specialiter de motu locali: quia hoc est commune in omni specie motus, quod mouens, & motum sint simul modo exposito.*

42. Deinde, ratione probatur: quia necesse est, modo saltem dicto, virtutem actiuam esse coniunctam actioni: quia producit effectum: ergo etiam est necesse, eodem modo esse coniunctam ipsi effectui: ergo & opus erit suppositum: quod medietate, seu proximius agit per hanc virtutem esse coniunctum per seipsum eidem effectui. Antecedens probatur: tum experientia: nam dum ignis calefacit aërem sibi contiguum; tunc calor ignis, & actio calefactiua se contingunt: & rursus cum medio eodem aëre calefacit lignum, oportet ut illa actio aëris calidi, & calor eius ab igne immediate acceptus, in cuius virtute operatur, se inuicem tangant. Tum etiam, quia causalitas vniuscuiusque causæ est id, quo tanquam actu secundo causa proximè, & intrinsecè attingit effectum, impossibile autem est id, quo causa attingit effectum, esse separatum ab ipsa causa. Tum deinde: quia virtus, quæ agens proximius immediate, & proximè tanquam principio, quo, concurrat ad effectum, debet esse ipsi agenti coniuncta: ergo maiori ratione causalitas, cum sit, id quo prædictum agens immediate tanquam actualitate secunda concurrat ad effectum, debet eidem agenti coniungi. Tum denique: quia actio est causalitas efficientis causæ, ita ut sit ipsa datio, & communicatio, quia agens communicat suam entitatem effectui: ergo debet esse coniuncta entitati, & actualitati agentis saltem proximioris: quia non potest aliqua entitas communicari, & dari formaliter per id, quod est ab ipso omnino separatum, & distans: sicut communicatio passiva, siue potius participatio non potest esse omnino separata ab eo cui conuenit.

32. Ex quo suadetur, tum prima consequentia præcipui enthymematis: quia si actio, quæ est productio effectus, & ipsa datio, & communicatio esse, & entitatis, respectu illius, non potest non esse coniuncta cum eodem siue per inhaerentiam, siue per identitatem, siue per intimam assistentiam, vel tandem per propinquitatem talis coniunctio fiat: etiam virtus actiua, quæ eidem actioni est coniuncta, non poterit non coniungi cum effectui. Tum etiam secunda consequentia: quia virtus, & suppositum causæ constituunt vnum principium totale attingens effectum; virtus quidem ut quo, & suppositum ut quod, & modo alibi dicto: ergo sicut ex hoc prouenit: non posse virtutem ut quo attingere effectum, nisi suppositum ut quod attingat ipsum: ita proueniet, non posse virtutem, ut quo immediate attingere effectum aliquem, nisi suppositum, ut quod, immediate etiam attingat eundem effectum.

44. Tandem peculiariter, quoad agentia per virtutem à se diffusam hoc ipsum suadetur: si enim inter solem, & aërem illuminandum corpus opacum, verbi gratia, terra collocetur, tunc aër à sole non illuminabitur, ex eo solum, quod corpus opacum non illuminatur: ergo agens per virtutem à se diffusam debet prius in medio, & per medium agere, ut ita mediante illo corpore, quod contingit suppositaliter passum, possit in aliud influere: alioqui non obesset, quod corpus lucis inca-

pax interponeretur, ad hoc ut aër distans lucem reciperet.

Confirmatur primò: per medium densius agit agens ad minorem distantiam, & per rarius ad maiorem: ergo signum est, quod agit per medium; alioquin parum raritas, vel densitas illius mediæ referret. Confirmatur secundo: si agentia naturalia possunt agere in distans, quin aliquid efficiant in medium: cur obiecta visibilia diffundunt species per medium, ubi nullus actus vitalis exerceri potest, & non immediate in ipsas potentias? Non enim alia ratio huius assignari potest, quam quod agens in rem distantem debet prius in propinquis efficere, ut ita sit aliquid, quod in virtute eius, & suppositaliter attingat passum.

*Occurritur fundamentis opposita sententia.*

## §. IV.

45. **A**D primum pro prima sententia respondeatur, posse esse adeò exiguam, & remissam formam accidentalem, ut nequeat agere: nam cum communicare se, sit opus perfecti, non poterit qualitas, si sit valde remissa, hoc habere. Quare cum calor, verbi gratia, imprimat passo indistanti minorem gradum caloris, quam ipse debet & illud passum rursus imprimat alteri minorem adhuc calorem, & sic de aliis; consequens est, ut alicubi tandem sistat actio: quia deuenitur ad calorem ita remissum, & imperfectum, ut nequeat agere.

Ad secundum respondetur: quod licet medium, per se loquendo, fortius patiat, quam extremum distans aut aliud medium remotius, nihilominus per accidens potest contingere, ut aliquis effectus inde resultet in parte remotiori, & non in proximiori. Vnde ad primum exemplum dicendum est: idè stupam, & non aërem inflammari: quia stupa ex se habet maiorem dispositionem ad talem inflammationem, & ita minus resistit, aër verò, quia ratione humiditatis maiorem præstat resistantiam; idè non ita facile in ignem vertitur. Per quod etiam ad secundum exemplum patet: terra enim ex eo quod maiorem densitatem habet, potest melius recipere calorem, quam aër: imò calor remissior in ea existens apparet maior, quam intensior, qui in altero corpore subtiliori esset, eo modo, quo calor ferri, in quo non est forma ignis; magis percipitur tactu, si sibi manus per breuissimam moram apponatur, quam si eadem manu aër inflammatus percuteretur, & nihilominus certum est, intensiorem calorem esse in flamma, quam in illo ferro.

46. Ad tertiam experientiam respondetur cum Aristotele sect. 4. problemate 1. & 8. idè fundum lebetis, quando aqua adhuc est frigida, esse calidum, postea cum feruet, esse temperatum: quia in calefactionis initio calor detinetur in fundo lebetis, impediturque ab aqua frigida circumstante, ne sursum ascendat, eo modo, quo calor aquæ putei pro tempore hyemis ratione circumstantis frigiditatis detinetur: at postea resistentia aquæ ex vi calefactionis iam deuicta, respirat calor, seu aqua calida fundi lebetis, & ascendunt exhalationes in partes superiores eiusdemque aquæ; & sic eius calor minuitur, & temperatur. Maxime quia ascendentibus partibus aquæ calidioribus, descendunt propè fundum partes frigidiores, quippe quæ grauiiores sunt: quæ quidem ad calorem fundi temperandum non parum conducunt.

Et

Et similiter ad ultimam experientiam dicendum est: oleum statim, ac calefit, facile etiam rarefieri, & penetrari à vaporibus ascendentibus; sicut de aqua dicebamus, & partes eius prius calefactæ, & subtiliores effectæ statim ascendunt, & aliæ crassiores, & humidiores descendunt. Unde ratione illius humiditatis resistit igni, ne papyrum comburat.

47. Ad confirmationem negandum est antecedens, & ad primam experientiam dicendum est cum D. Thoma in presenti capite secundo, magnetem attrahentem ferrum, id non præstare, nisi diffundendo per aërem aliquam qualitatem, quæ tamen, non attrahit simul aërem: quia illa qualitas non est attractiva illius, & ipse est subiectum incapax, sicut species visibiles recipiuntur in sæculo, & oculo: & tamen solum oculus constituunt in actu primo ad videndum: quia speculum est incapax huius effectus. Per quod etiam patet ad secundam experientiam.

Ad tertiam respondetur ex Diuo Thom. 1. part. 117. art. 3. ad 2. & 3. con. Gent. cap. 103. fascinationem non provenire ab ipso actu videndi tanquam à principio, quo alteratio illa fit, sed ab aliqua qualitate maligna existente in oculo, aut in aliis humoribus, quæ communicatur spiritibus, qui imaginatione, & attentione animæ commouentur, & ad oculos perveniunt, mediisque illis spiritibus venenatis aër proximus infinitur usque ad certam distantiam, indeque alteratio illa nocens provenit. Nec mirum quod qualitas maligna aëri impressa plus noceat infantibus, qui ob maximam corporis teneritudinem facilius recipiunt quamlibet impressionem. Ad alias verò experientias ex dictis in solutione huius confirmationis satis constat.

48. Ad tertium respondetur: id provenire non ex alio quam ex propria dictorum agentium natura, quæ talis est, ut licet prius agant in propinquum, quam in remotum: attamen cæteris paribus, fortius influunt in rem sibi è directo obiectam, quam in eam, quæ est ad latus: sicut quod obiectum, quod à tergo existens habemus, non possit immittere ad nos species, & videri, non aliunde provenit, quam ex natura rei visibilis, quæ per se loquendo, non nisi per lineam rectam immittit species.

Ad quartum respondetur: ex eo vnum agens, quod agit per virtutem à se diffusam, habere maioris actiuitatis sphaeram, quam aliud: quia imprimit in passum sibi proximius intensiorem effectum: nam eo ipso tam præcipuum agens, quam hoc passum producit in passum aliud sibi indistans maiorem effectum, & sic de aliis, quam sint illi, qui producuntur ab alio agente habente minorem virtutem, minoremque actiuitatis sphaeram. Unde quando finitur sphaera actiuitatis huius, ex eo quod effectus ab eo in parte indistanti productus, est valde exiguus; tunc adhuc ultra extenditur actiuitas illius prioris agentis. Et hæc de hac questione, & de toto hoc septimo libro Physicorum.



## LIBER OCTAVVS.

### PHYSICORVM.

### PROOEMIUM.

**L**IBER huic quamvis ordine posterior, præstantia tamen, & dignitate reliquos omnes

longo post se relinquit intervallo. In eo enim Aristoteles de æternitate motus, temporis & mundi, ac tandem de primo, supremoque cunctarum rerum artifice sermonem instituit. Quapropter si ad rerum dignitatem, de quibus in eo agitur, esset tantummodo attendendum, primus omnium tradendus fuisset. Attamen Aristoteles ordinem quem natura in suis operibus servat, imitatus, ab imperfectioribus ad perfectiora processit, & ex motus noticia ad primum motorem devenit.

### S V M M A T E X T V S totius libri.

**D**ecem capita in hoc libro continentur. In primo, & secundo de perpetuitate motus Philosophus agit, probans contra Antiquos, tam à parte ante, quam à parte post esse perpetuum. Deinde, ut in sequentibus capitibus probaret, dari vnum primum motorem, & mobile, à quo cætera dependant; idem in cap. 3. & 4. prius ostendit non omnia semper moveri, aut semper quiescere, & quidquid moveatur, ab alio moveri. In quinto, & sexto suadet, dandum esse quendam primum motorem, perpetuum, vnum, & tam per se, quam per accidens immobilem. Et tandem dari aliquem motum primum, & perpetuum alicuius primi corporis ab eodem motu. In septimo, ut explicet qualis sit iste motus, probat motum localem esse priorem cæteris, & præterea illum esse primum, atque perpetuum; si tamen sit circularis: quia solus iste in sententia Philosophi potest esse perpetuus, ut in cap. 8. ostendit. In nono verò suadet, motum circulem debere esse continuum, cæterosque alios in nobilitate excedere. Et tandem in decimo ostendit, primum motorem esse virtutis infinitæ, cæteræque magnitudine, & consequenter esse indivisibilem & incorporeum.



## DISPUTATIO XXIX.

### De æternitate mundi, & de primo eius opifice, ac motore.

**A**CTVRI de æternitate mundi, & motus, necnon de primo motore, prius explicabimus; an mundus fuerit, vel possit esse æternus à parte ante, vel à parte, post, & deinde de primo motore sermonem instituemus, iuxta illud Apostoli ad Romanos 1. *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & divinitas.*

### Q V Æ S T I O I.

#### Fuerit - ne mundus ab æterno conditus.

1. **A**ristoteles in hoc libro pro certo habuit, mundum ab æterno fuisse, quem secuti sunt Antiquiores Interpretes Simplicius, Avicenna,

# Disput. XXIX. de æternitate mundi, Quæst. I. 287

cenna, Auerroes hic. Quæ sententia probatur primò. Postea causa ex omni parte sufficienti ad agendum, statim necessariò sequitur effectus: sicut posito sole, statim sequitur illuminatio; sed Deus est ab æterno ex omni parte sufficiens causa productiua mundi: ergo & mundum ab æterno produxit.

Quòd si dicas: veram esse maiorem de causa naturali, & naturaliter operante; secùs verò de causa, quæ liberè agit, qualis est Deus: contra hoc est, quòd posita actione, & productione, statim terminus, & res per illam producta debet poni, siue actio illa à causa naturaliter, siue à causa liberè operante procedat: at actio creatiua Dei est æterna: ergo & mundus. Minor probatur: quia creatio est actio immanens diuini intellectus, & voluntatis: ergo necessariò debet esse æterna, quippè est realiter ipse Deus.

Nec refert si igerum dicas: Deum ab æterno voluisse mundi productionem; non tamen ita, quòd mundus esset æternus; sed quòd in sua æternitate voluerit illum pro tali, vel tali tempore saltem imaginariuo esse. Nam contra hoc est: quia sicut se habet voluntas noua ad antiquam volitionem, antiquum effectum: ita & voluntas antiqua ad nouam volitionem, nouumve effectum, vt ex paritate rationis constare videtur: at noua voluntas non potest esse causa volitionis, vel actionis, aut effectus antiqui: ergo neque antiqua voluntas, actionis, aut effectus noui: ergo ex æterna Dei voluntate non potuit mundus nouiter, & temporaneè produci: proindeque, vel mundus fuit ab æterno conditus, vel Deus in tempore habuit nouam voluntatem creandi illum, quod implicat vt constet ex his, qu. I. p. quæst. 19. communiter dici solent.

2. Secundò, motus non habuit initium: ergo nec mundus. Consequentia est certa. Antecedens verò probatur, quia dato quocumque motu: necesse est, vt ad illum præsupponatur mobile, cumque hoc mobile fuerit prius factum per alium motum, & sic de aliis, vsque in infinitum, oportet vt ante quemcumque motum præcesserit alius, & alius à parte ante; & consequenter, quòd motus fuerit ab æterno.

Confirmatur; tempus est ab æterno: ergo & motus, in quo subiectatur. Antecedens probatur: quia si tempus incipit, erit verum dicere, quòd antea non erat: sed in illo *antea* significatur tempus, quod implicat: ergo ne in hoc absurdum incidamus, debemus negare initium temporis.

Tertiò, de ratione boni est se aliis communicare, est enim bonum (vt inquit D. Dionysius) diffusiuum sui: ergo de ratione summi boni est, se creaturis communicare summè: ergo debuit mundum ab æterno producere. Pater hæc vltima consequentia: quia nisi ab æterno mundum produceret, non summè se creaturis communicasset: quandoquidem productio, & communicatio ab æterno est maior, quàm temporalis.

3. Dicendum tamen est, mundum non fuisse ab æterno: sed de nouo incepisse. Hæc est de Fide: nam Genes. 1. dicitur: *In principio creauit Deus caelum, & terram.* Et Proverb. 8. *A requam quidquam faceret, à principio.* Et insuper definita est in Concilio Lateranenfi 1. & 2.

Et quidem satis dicens, & conueniens fuit, mundum de nouo incepisse: tum vt creaturæ nullo modo essent creatori in duratione æquales: tum vt ostenderetur creatorem illis non indigere: sed potius eas ab ipso essentialiter quoad sui pro-

ductionem, & conseruationem pendere: iuxta illud Psalm. decimo quinto, *Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* Tum etiam ne aliquis de creaturarum productione dubitaret, aut à Deo ex naturæ necessitate, & non liberè fuisse productas, arbitraretur. Tum denique, vt vnà cum libertate diuina ostenderetur eius potentia: quia non solum ex nihilo; sed tempore sibi placito omnia produxit. Nec aliàs ad hoc confirmandum oportet adducere rationes: quia quæ ex mera Dei voluntate pendent, non possunt ratione naturali demonstrari, vt ostendit D. Thom. 1. part. quæst. 46. art. 2.

4. Ad primum pro sententia Aristot. (quem in hoc errasse mirum esse non debet, cum lumine Fidei destitutus fuerit) benè respondetur ibidem, & ad impugnationem distinguenda est maior: & si in ea fiat sermo de actione libera, & infinitæ virtutis, qualis est actio Dei, neganda est: nam sicut seipsa non obstante quòd sit immanens, potest attingere effectum ad extra, quia est infinita in genere actionis; ita ob eandem rationem potest illum attingere, eo tempore, quo Deo illam elicienti placuerit; quamuis illa intellectio, & volitio, sit multò antiquior, quàm productio effectus. Si verò de actione creata & finita intelligatur, tunc poterit concedi.

Ex quo ad impugnationem contra solutionem secundo loco ibi datam respondetur: proportionem illam volitionum sic esse intelligendam; nimirum quòd sicut voluntas, quæ nunc incipit, non potest antiquam, & præteritam actionem, aut effectum producere, cum effectus nequeat esse prior sua causa: ita voluntas antiqua, quæ iam præterierit, non potest nouum effectum actu in executione producere: quia causa efficiens debet existere in eo tempore quo causat, hoc tamen nihil contra nos: quia voluntas, & volitio æterna Dei semper est: & ita optimè potest esse causa noui effectus.

5. Ad secundum respondetur: non omne mobile factum fuisse per motum, sed aliqua esse facta per creationem, quæ quidem rationem motus minimè participat, quippè quæ est ex nullo præsupposito subiecto.

Ad confirmationem patet ex dictis: ad hoc enim vt verum sit, motum, tempusve incepisse, necesse non est, quòd assignetur tempus positiuum, quod præcesserit; sed satis est, quòd designetur æternitas, vel tempus imaginarium, in quo verum, & reale tempus illud non fuerit.

Ad tertium respondetur: quòd licet sit de ratione summi boni esse summè, & omnibus modis possibilibus communicatiuum sui; non tamen actu se ita communicare: quia cum liberè agat, potest sua summa sapientia & libertate eos communicationis modos eligere, qui sibi placuerint, quosque magis expedire iudicauerit. Vnde Deus ob eas, quas in conclusione diximus rationes, & ob alias plures, quas perspicacissimo suo intellectu vidit, potuit temporaneam sui communicationem eligere.

\* \*

QVÆSTIO

## Q V Æ S T I O II.

*An mundus prout nunc est, possit ex solo concursu ordinario Dei in æternum à parte post durare.*

6. **P**ro tituli intelligentia notandum est primò : consultò in illo additam esse illam particulam : *Ex solo concursu ordinario Dei* : nam per potentiã Dei absolutam certum omninò est, posse sine fine durare : sicut etiam non inquirimus de aliquo individuo signato, & in particulari : nam quod fuerit corruptibile, si suæ naturæ relinquatur, tandem peribit. Incorruptibilia verò semper durabunt. Quare solùm est quæstio : an licet connaturaliter loquendo, quodvis individuum determinatum, & corruptibile sit necessariò periturum ; attamen huic possit aliud individuum, & isti aliud, & sic in infinitum, succedere ; & ita mundum quoad suas species in æternum conservari queat.

7. Secundò notandum est, consultò etiam in titulo positum esse particulam illam : *an possit à parte post in æternum durare* : non verò inquisitum fuisse, an re ipsa sit duraturus : nam certum est cælos, elementa, & homines non omninò perituros, ut communiter tradunt Theologi : quia cælum ex se est perpetuum, & ut optimè notavit D. Thomas : elementa secundum se tota sunt incorruptibilia, licet non secundum partem : sicut etiam homines secundum partem, scilicet animam sunt incorruptibiles, & secundum totum compositum corruptibiles, Deus autem sua virtute tunc supplebit, quod eis ex sua infirmitate deest. Imò non utcumque cæli, & elementa manebunt ; sed cum maiori perfectione accidentali : nam elementa minimè inter se dissidebunt : & insuper magna luce perfundentur : lux verò cælorum pro cuiusque cæli dignitate intendetur : *Erit enim lux luna sicut lux solis, & lux solis erit septemplex maior*, ut Isaïas cap. 3. ait. Quæ verba in proprio sensu interpretatur Hieronymus.

8. Et similiter certum est : motum cæli, & tempus in die iudicii cessatura, iuxta illud Isaïæ 66. *Non accedet ultra sol tuus, neque luna minuetur* : constat, autem, quod si motus cæli permaneret post diem iudicii, tunc sol verè tenderet ad occasum, lunæque pateretur accretiones, & decrectiones. Similiterque Apocalypsis 10. legitur : *Angelum iurasse per viventem in sæcula sæculorum ; quod tempus non eris amplius* : sicut etiam certum est cætera alia mixta peritura : quia omnia illa propter hominem quodammodo facta sunt, ut indicat scriptura Genesis 1. & Psal. 8. & Deuteronomij 4. ut docet Arist. in lib. de mundo ad Alexandrum, & idèd homine ad cælos ascendente, vel ad inferos descendente, cuncta hæc mixta cessabunt.

Quod autem in dubium vocamus, tantum est : an mundus prout nunc est cum suis successivis generationibus, & corruptionibus, possit naturaliter sine fine durare, ex eo quod pereuntibus quibusdam individuis, alia, & alia in infinitum succedant.

## P L A C I T U M P L A T O N I S.

## §. I.

9. **P**ro parte negatiua refertur Plato in Timæo, qui licet asserat mundum, prout nunc est, in æternum duraturum, fatetur tamen oppositum ex natura sua patere.

Probatur primò : Deus ex se non habet finem in

essendo : quia non habuit initium : ergo quod illud habet, habebit finem, si naturæ suæ relinquatur : at mundus naturaliter habet initium, ut iam diximus : ergo, &c.

Secundò : quia aliàs mundus, qui est finitus, gauderet viribus infinitis : sed hoc est falsum, ut ex dictis lib. 3. constat : ergo, &c. Sequela probatur : quia quod infinitè durat, habet virtutem infinitam, ut semper sit : quandoquidem superat omnem, & quamvis aliam virtutem, quæ ipsum destruere poterat.

Tertiò, principium interitus est compositio ex contrariis : sed uniuersum contrariis qualitatibus in contrariis elementis residentibus constat : ergo naturaliter perit interire.

Tandem, humidum radicale acceptum in generatione viuientium est perfectissimum, quod si semel amittatur, non ita perfectum per nutritionem instauratur (ut Medici testantur) : ergo parentes semper filiis præstabit imperfectiorem substantiam, quàm sit illa, quàm à suis parentibus acceperunt : ergo aliquando virtus naturalis generatiua finietur : nam cum finita sit, & quotidie per nutritionem imperfectior euadat, tandem abibit in nihilum.

10. Confirmatur primò : nam periodus vitæ hominum intra tempus, quod defluit ab initio mundi usque ad sæcula David, ita minuta est, ut cum homines præcis illis sæculis millesimum propè annum attingerent, nihilominus tempore David octogesimum regulariter non excederent : ergo tandem humanæ vitæ periodus minuetur, ita ut nihil profus homines uiuant. Patet consequentia : nam si in eo temporis decursu addè decreuit, cur si multa, longissimæque temporis interualla defluerint, non sic minuetur, ut nihil illius remaneat.

Confirmatur secundò ex hominum statura, quæ initio nascentis mundi ita magna erat, ut penè incredibile esset eorum magnitudo, nisi testes grauissimi, quibus fides negari non potest, id testarentur, imò quos est August. 15. de Ciuitate Dei cap. 9. Plinius 8. de naturali historia cap. 16. & alij : ergo statura hominum in dies fit minor : ergo ita minima tandem fiet, ut sub illa esse nequeat anima rationalis, quam vera Philosophia docet determinatâ quantitatem postulare.

## V E R A S E N T E N T I A.

## §. II.

11. **N**ihilominus dicendum est : uniuersum hoc sibi relictum, & solo Dei ordinatio concursu adiutum posse modo iam explicato in perpetuum à parte post durare. Ita Aristoteles, qui id non tantum esse possibile ; sed re ipsa putauit esse euenturum : & licet omnes Catholici ab eo dissentiant, ex parte quæ sentit re ipsa fore perpetuum sub eo statu, quem nunc habet ; uniuersa tamen eorumdem Catholicorum schola ei assegitur : quatenus docet posse ex natura sua sine fine durare.

Assertio hæc, quoad cælos quippè incorruptibiles, ut ex Aristotele, & omnibus Philosophis constat probatione non indiget. Quoad reliqua verò alia probatur supponendo, partes huius uniuersi præter cælos esse elementa mixta, viuientia imperfecta ; necnon viuientia perfecta, quæ à suis similibus petunt, & debent generari.

12. Hoc ergo supposito sic suaderetur : quia cum materia prima rerum sublunarium sit incorruptibilis, & nequeat persistere sine forma, debent remanere plures, & diuersæ formæ, per quas existat : ergo ad minus manebunt quatuor elementa, & ex consequenti poterunt etiam manere tam mixta, & viuientia

uentia imperfecta, quæ non possunt generari à sibi similibus, quàm uiuentia perfecta, quæ à sibi similibus generari naturaliter debent. Antecedens probatur: quia nulla species est ita potens, & actiua, vt omnem rem creatam possit in suam naturam conuerrere, eò quod contraria agentia, quæ sunt innumera resistunt. Prima uero ex duabus ultimis consequentiis, scilicet quoad elementa, patet; tum quia hæc sunt talis naturæ, vt licet ad inuicem pugnent, & vnum ab alio ex parte superetur, nunquam tamen omnino, & ex toto pereunt: sed elementum illud, quod semel deuictum est, potest recuperare (modo alibi insinuato) id quod amisit, & iterum contrarium inuadere, deuincere, & illarum damnum rursus refarcire. Tum etiam quia cum tot hucusque præcesserint sæcula, nihilominus in eadem magnitudine, eodemque situ semper durant: quod quidem non parum indicat, posse eodem modo in æternum durare.

Secunda uero consequentia quoad primum eius partem, scilicet quoad mixta, & uiuentia non potentia generari à sibi similibus, satis constat: nam cum motus cæli, & influxus elementorum possit esse perpetuus, vt ex dictis patet; sit inde, vt perpetuo possint in terra, aqua, & aëre generari omnes mixtorum species, quæ virtute prædictæ influentiæ generantur. Constat autem, ea mixta, quæ non petunt à sibi similibus generari, posse virtute talis influentiæ (modo tamen supra lib. 2. insinuato) produci.

13 Ex quo etiam secunda pars eiusdem consequentiæ, scilicet quoad uiuentia perfecta, & potentia à sibi similibus generari, vt sunt leones, equi &c. suaderi potest. Nam sicut tot à sæculis propagari continuo potuerunt, ita vt nulla unquam species ex toto defecerit: sed deficientibus aliis formis in materia ipsa proprias, & sibi similes formas in illam introducant, sic poterunt semper durare, vt modò de elementis ob hanc rationem dicebamus: maxime, quia sæpè videmus filios ob peculiates cælorum influentias, & aliarum causarum naturalium virtutes euasisse multoties proceriores, quàm ipsi parentes. Quod quidem indicat virtutem generatuum animalium perfectiorum non ita in dies minui, nec debilitari, vt damnum quod à contrario suscipit, non possit ex benigna aliarum causarum influentia refarciri: ergo poterunt naturaliter horum animalium species in perpetuum propagari, & consequenter ad ipsum de vniuerso hoc dici debet.

Confirmatur, ex eo quod iuxta Dei ordinariam legem vnus Angelus præest conseruationi cuiuslibet speciei (vt multi Theologi volunt) hæc autem Angelica custodia valde ad talis speciei propagationem conducit.

*Occurritur argumentis in initio positis.*

#### §. IV.

14 **A**D primum pro sententia Platonis respondetur negando antecedens: Angelus enim perire non potest naturaliter loquendo, & tamen ortum & initium habuit, & licet id, quod ex natura sua petit, numquam incipere (quod solo Deo conuenit) petat etiam necessarid hoc, quod est numquam desinere: at è contra non valet, vt argumentum intendit.

Ad secundum neganda est consequentia: quia ad hoc, vt aliquid in perpetuum duret, non est necesse.

*Colleg. Compl. Physic.*

esse, vt habeat virtutem infinitam; nam potest hoc contingere, vel ex defectu contrarietatum qualitatatum, vt in Angelis, aut ex perpetua successionem vnus indiuidui post aliud, vt ex dictis patet.

Ex quo ad tertium constat: solum enim conuenit: dici singula indiuidua corruptibilia cuiuscunque speciei tandem fore peritura; sed non vniuersam speciem, vt explicatum est.

15 Ad quartum respondetur: quod etsi gratis daremus humidum radicale in generatione acceptum esse imperfectius eo, quod generans habet: nihilominus argumentum non conuincit intentum: quoniam vt dicebamus, vel ex benigna calorum influentia, vel aliis multis de causis accidentalibus in instanti generationis accurrentibus, sæpè filij communicant suæ proli humidum radicale perfectius illo, quod à propriis parentibus acceperunt, & consequenter in dies minime virtus naturalis generatiua decrescit: ita vt filius sit debilior parente, & sic deinceps.

Ad confirmationem respondetur, quod conuinceret, si periodus vitæ hominum eo semper, & in dies minuta fuisset, quod variaz, & diuersæ generationes succedunt: at oppositum constat, nam à tempore Davidis vsque ad præsens eadem solet manere periodus vitæ hominum, qui multoties septuagesimum, vel octogesimum annum attingunt, quem sæpè esse terminum illius sæculi idem Psaltes innuit Psalm. 89. *Si amplius in potentatibus attingit aui, &c.*

16 Ratio autem, ob quam primi homines diu vixerunt, multiplex esse potest: optima scilicet primorum parentum nostrorum complexio; quippe à Deo immediatè fabricata: magna tum Medicinæ, tum Astrologiæ hominum illius temporis notitia, qua & vtilia quærere, & nociua quælibet vitæ sciebant, & idè melius poterant præcauere, & fugere ea, quæ generationem impedire poterant præcauere, & fugere ea, quæ generationem impedire poterant. Item fecunditas terræ, quæ cum primo excolitur, fecundissimos fetus producit: benignior fortè astrorum aspectus, creditu enim dignum est, benignissimum fuisse in prima calorum conditione. Et quod præcipuum est author naturæ suæ providentiæ adè diuturnam vitam hominibus illius sæculi concessit, vt sic non obstante, quod non ita plures essent, speciem humanam propagare valerent. Quæ omnes causæ cum ex parte cassauerint; idè etiam, & vitæ periodus diminuta est.

Ex quo ad secundam confirmationem dicendum est: staturam hominum non semper in deterius ire: imò sæpè filios ob rationem iam tactam esse proceriores suis parentibus. Adde, quod (vt aliqui notant) statura illa prodigiosa, non omnibus hominibus illius sæculi; sed solis Gigantibus fuit communis.

#### Q V Æ S T I O III.

*Vtrum aliqua creatura permanens patuerit saltem per diuinam potentiam esse ab æterno.*

*Proponitur prima sententia.*

#### §. I.

17 **P**artem negatiuum tuentur B. Albert. Magnus, in sua Paraphrasi cap. 1. huius libri, & 2. p. summæ

Bb



summæ Theologiæ, vel de mirabili scientia Dei, tract. 1. q. 4. D. Bonavent. in 2. distinct. 1. q. 2. Ricard. ibidem art. 3. q. 4. Guilielm. Paris. lib. 1. de vniuerso. Henricus Gandau. quodlibeto 1. q. 7. & quodlib. 9. q. 17. Eugubinus lib. 7. perennis Philosophiæ. Tolet. q. 24. huius libri. Valeſius in præſenti, & alij.

Probatum primò ex Auguſt. 8. ſuper Genef. ad litteram dicente: quia omnino incommurabilis eſt illa natura Trinitatis: ob hoc enim ita eſt æterna, vt ei aliquid coæternum eſſe non poſſit. Item ex Damasceno relato à D. Thoma opuſc. 27. vbi inquit: *Non apertum eſt, quod ex non eſſe deducitur, coæternum eſſe ei, qui ſine principio eſt, & ſemper eſt.*

Conſtituitur; ex D. Ambroſ. qui lib. 1. Exameton, contra aliquos arguens, ſic inquit: *Quomodo ergo coæternum Deo mundum aſſerunt, & creatori omnium ſociant, atque æqualem eſſe diſputant creaturam?* Et c. 1. eiſdem libri ſenſiſſe fertur, nullam creaturam eſſe Deo coæternam: quia nulla eſt Deus. Item Baſilius (vt Toletus diſputans de origine mundi refert) blaſphemiam reputat, creaturam ponere creatori coæternam. Ac tandem omnes Eccleſiæ Patres Arium ponentem Filium Dei creaturam eſſe, hoc argumento falſitatis conuincunt: quia nimirum nulla creatura eſt ab æterno. Vnde cum Filius, vt ſacra pagina docet, ſit Patri coæternus, erit Deus: ſentiunt ergo omnes Sancti Patres, ita eſſe Dei proprium eſſe æternum, vt ſi alicui id conueniat, optime inferatur, quodd eidem competat eſſe Deum.

18 Deinde probatur ratione, primò: proprium eſt creaturæ, vt ex non eſſe tranſeat ad eſſe: ſed quod habet eſſe ab æterno, nunquam caruit ſui eſſe; & conſequenter, neque aliquando à non eſſe ad eſſe tranſiuit: ergo nulla creatura poteſt eſſe ab æterno. Minor cum conſequentia patet: Maior verò probatur: tum authoritate D. Auguſtini, qui lib. contra Felician. cap. 7. ſic definiſt creaturam: Creatura namque eſt ex eo quodd adhuc non eſt, aut aliquando non fuit rei cuiuſcumque corruptibilis: quantum in ſe eſt Patris omnipotentis Dei voluntate facta ſubſtantia. Tum etiam: quia vel productio illa eſſet generatio, & ſic neceſſariò præſupponeretur priuatio illius eſſe; quod generatur: vel eſt creatio, & tunc neceſſariò præcedet, quod res illa priùs fuerit ſub nihilo: quandoquidem creatio eſt productio totius ex nihilo.

19 Conſtituitur primò; ſi creatura aliqua eſſet ab æterno, non tantum à Deo conſeruarietur; ſed etiam ab ipſo produceretur: quia cum conſeruatione ſit quædam productionis continuatio, neceſſariò ſupponit rei productionem: ſed productio diſſert à conſeruatione ex eo quod connotat, rem immediate ante non fuiſſe; conſeruatione verò eſt continuatio rei in illo eſſe, quod immediate habebat: ergo hæc duo ſimul inueniuntur ibidem, ſcilicet quod creatura illa eſſet ab æterno, & quod eademmet ſub non eſſe aliquandò fuiſſet, quod implicat.

Conſtituitur ſecundò: repugnat annihilationem eſſe ab æterno: ergo etiam creationem. Conſequentia patet: tum ex paritate rationis: tum etiam, quia vtrique eſt inſtantanea, verſatur inter eofdem terminos, ſcilicet inter eſſe, & non eſſe: habetque mutuum inter ſe oppoſitionem, & ita eodem proportionali modo de vtrique philoſophandum eſt. Antecedens verò eſt maniſeſtum: nam annihilatio eſt ab eſſe ad non eſſe totius rei: ergo præſupponit eſſe rei priùs duratione, quàm non eſſe illius; cum implicet rem aliquam ſimul eſſe, & non eſſe.

20 Secundò principaliter; quia alioqui darentur duæ contradictonæ ſimul veræ, ſcilicet: *Deus creauit*

*Angelum, Deus non creauit Angelum.* Sequela quoad primam contradictoniam eſt euidenter vera: quoad ſecundam verò etiam conſtat: nam veritas, vel falſitas propoſitionis de præterito, aut de futuro regulatur per ſuam de inſeſe, aut de præſenti; at hæc eſt vera: *Deus nunc non creat Angelum*, vt ex ſe conſtat: & tamen nunquam incepſſet eſſe vera: quia nunquam daretur vnum primum nunc, in quo verum eſſet; Deus nunc creat Angelum: ergo etiam illa de præterito: Deus non creauit Angelum, erit ſempiterna veritatis.

Conſtituitur: quia etiam ſequeretur prædictas propoſitiones eſſe ſimul falſas. Sequela quoad negatiuam conſtat: quandoquidem ſupponitur, Deum creauit Angelum ab æterno: quoad affirmatiuam verò etiam maniſeſta eſt: quia ſua de inſeſe, ſcilicet: *Deus nunc creat Angelum*, eſt falſa, vt ex ſe patet, & non vnumque; ſed ita vt numquam incepſſet eſſe falſa: quoniam, nunquam daretur vnum inſtans, in quo de præſenti verificetur, Deus nunc creat Angelum; alioqui Angelus ille tunc incepſſet, & non eſſet ab æterno, & conſequenter illa de præterito, *Deus creauit Angelum*, ſemper etiam fuit falſa.

21 Tertiò, quia ſequeretur, Angelum illum nec liberè à Deo produci, nec liberè per totam æternitatem conſeruari, quod vt conſtat implicationem inuoluit. Sequela quoad primam partem patet: quoniam non potuit Deus abſtinere ab illius productione, dum actu illum producebat, quia dum productio adeſt, non poteſt non adeſſe, iuxta illud, *Omne quod eſt, ex ſuppoſitione quod eſt, neceſſariò eſt: nec antequam eum produxiſſet, quandoquidem quod ab æterno eſt, nunquam fuit improductum; ſed ſemper habuit eſſe; nec tandem poſtquam iam productus fuit, quia ad præteritum non eſt potentia, & ita quod ſemel eſt factum, non poteſt non eſſe factum.* Ex quo etiam quoad ſecundam partem eadem ſequela probatur, quoniam quod ab æterno eſt, non poteſt non per infinitum tempus durare.

Quartò, poſitis ab æterno duobus contrariis inter ſe inſtantibus, & inſenſis vt oſto, ſcilicet calido, & frigido, vel ab æterno mutuo inter ſe agerent, & ſe expellerent ab eodem ſubiecto, vel non? Hoc ſecundum dici nequit, quia eſt contra eorum naturam, ergo primum, ergo vnum eorum ab æterno erit, & non erit. Patet hæc conſequentia, nam ſi frigidum v.g. ab æterno deuincatur à calido, & expellatur à ſubiecto, conſequens eſt, vt ab æterno non ſit, cum tamen ſimul ab æterno eſſe ſupponatur.

22 Vltimò, nam ſi poneretur Angelus, vel homo ab æterno, poſſet creari cum gratia ſanctificante, & mereri ab æterno; ita vt magis, ac magis uſque in infinitum tale meritum augetur: ergo correfponderet illi lumen gloriæ infinitum, & per conſequens poſſet comprehendere Deum. Antecedens patet: nam quo magis durat actus meritorius duratione correfpondenti partibus aliquotis alicuius temporis, eo eſt maioris meriti, & ided cæteris paribus, plus metemur per actum diuturniorem, at ſi ille actus eſſet ab æterno, duraret per infinitum tempus, ergo eſſet infiniti meriti. Ex quo etiam vtrique conſequentia oſtenditur; nam merito infinito correfponderet viſio, & lumen gloriæ infinitum, & hoc poteſt comprehendere Deum, quippe quod attingit illum infinitè.

Sententia

*Sententia D. Thomæ magis aridet.*

§. II.

23 **D**icendum tamen est, non implicare contradictionem, creaturam permanentem esse ab æterno. Ita Caiet. 1. p. q. 46. art. 2. vbi Nazarius, & Bañez, Capr. in 2. dist. 1. q. 1. Durand. q. 2. Argent. ibidem art. 2. Greg. q. 3. Gabriel. ibidem Okam. q. 8. Deza. q. 1. Heruæus ibidem in tractatu de æternitate mundi, Ferrar. 8. Physic. quæst. 3. Sor. quæst. 2. Soncin. 12. Metaph. q. 31. Iauell. quæst. 14. & alij quamplurimi, quos referunt, & sequuntur Suar. 1. tom. Met. disp. 20. sect. 6. Rubius in præsentî, & Masius q. 10.

Probatur primò ex D. Thom. 2. contra Gentes c. 38. & 1. p. q. 46. artic. 2. ad primum, & in 2. dist. 1. q. 1. art. 1. vbi cum plures modos circa inceptionem mundi retulisset, eligit tertium, scilicet incepisse in tempore; potuisse tamen ab æterno esse, & qu. 3. de potentia art. 14. vbi ex professo probat; nec repugnare ex parte Dei; nec ex parte creaturarum eas esse ab æterno, licet ex suppositione diuini decreti, quo statuit inceptionem creaturarum in tempore, repugnet esse ab æterno.

24 Confirmatur primò ex eodem S. Do. opusc. 27. de æternitate mundi: non solum docet, sed etiam multis ostendit, non repugnare, creaturam esse ab æterno. Vnde inquit: *Sic ergo patet, quod in hoc, quod dicitur, aliquid factum esse à Deo, & numquam non fuisse, non est intellectus aliqua repugnantia, si enim esset aliqua repugnantia; mirum est, quomodo Aug. eam non vidit, quia hac efficacissima via esset ad improbandam mundi æternitatem, cum tamen ipse multis rationibus impugnet æternitatem mundi in 11. & 12. de Ciuitate Dei, hanc autem vnde omnino prætermittit? Quinimo innuere videtur, quod non sit ibi repugnantia intellectuum, & subdit: mirum est etiam, quomodo nobilissimi Philosophorum hanc repugnantiam non viderunt, &c.* Vnde per ironiam includit: *ergo illi qui tam subtiliter eam percipiunt, soli sunt homines, & cum eis oritur sapientia.*

Confirmatur secundò ex August. 12. de Ciuitate Dei cap. 31. vbi licet improbet sententiam eorum, qui de facto mundum ab æterno esse dixerunt; non tamen negat, posse effectum existere ab æterno vnà cum sua causa. Vnde (vt D. Thom. opusc. citato notauit) innuit Sanctus Doctor, *Quod si per seipsum ex æternitate esset in puluere, semper ei subesset vestigium, quod tamen vestigium ex calcante factum nemo dubitaret; nec alterum altero prius esset, quamuis alterum ab altero factum esset.*

25 Deindè probatur ratione desumpta ex eodem Angelico Doctore opusc. citat. quæ potest ad hanc formam reduci. Non repugnat creaturam aliquam esse ab æterno, nec ex parte causæ: quia ipsa petat necessario esse priorem duratione, quàm ipsius effectus; nec ex parte eiusdem effectus, ex eo quod sit contra rationem creaturæ, esse ab æterno: aut ex parte effectiōis, scilicet quia sit ex nihilo ac proinde prius debuit esse sub non esse, quàm sub esse; nec tandem ex parte modi faciendi, scilicet ex eo, quod per voluntatem, & liberè fit: ergo ex nullo capite repugnat Patet consequentia, quia in antecedenti referuntur omnia capita, vnde possit oriri hæc repugnantia, vt intuenti patebit.

Antecedens quoad primam partem, scilicet non repugnare, ex eo quod causa debeat præcedere duratione suum effectum, sic ostenditur: tum quia causa

*Colleg. Compl. Physic.*

quæ operatur subitò, & instantaneè, non petit, vt sit necessario prius duratione, quàm suus effectus: nam sicut virtus causæ est in eodem instanti cum ipsa causa; ita si operatio in instanti perficienda est, poterit ipsa, & consequenter eius effectus esse in eodem instanti cum virtute operatiua: tum etiam quia in eodem instanti, in quo est sol, potest illuminare: & ideo si ab æterno esset, non repugnaret ex parte illius, (imò nec ex parte alicuius) quod ab æterno illuminaret. Tum denique, quia quod posita causa in aliquo instanti repugnet ex parte ipsius poni in eodem effectus, oritur ex eo, quod illi causæ desit aliquid de complemento: nam causa completa, & causatum possunt esse simul; Deo autem numquam defuit aliquid de complemento, vt ex se constat: ergo, &c.

26 Quoad secundam verò partem, scilicet non repugnare ex parte ipsius effectus: quia contra rationem creaturæ sit esset æternam; sicuti contra rationem eius est, esse omnipotentem, aut infinitè bonum, sic ostenditur: nam vt ex solutionibus argumentorum constabit, licet creaturæ communicetur quod non habeat suæ durationis initium, non tamen ob id communicatur ei attributum æternitatis, sed quod possit coexistere à parte ante infinito tempori, saltem imaginario, sicut licet Angelus habeat infinitam durationem à parte post; non ideo sequitur communicari ei prædictum attributum: sed solum quod possit coexistere tempore infinito à parte post.

27 Quoad tertiam verò partem, nimirum non repugnare ex parte effectiōis, seu creationis, quæ est productio ex nihilo, etiam constat: quia fieri ex nihilo, vt requiritur ad creationem, tantum denotat, quod non fiat ex aliquo tanquam ex præsupposito subiecto: nam hoc ipso, quod res fiat independenter ab alio: vt à subiecto, oportet, vt non generetur, sed creetur: at licet res ab æterno fieret, posset non fieri dependenter ab aliquo tanquam à causa materiali suæ effectiōis, vt ex se constat. Vnde Anselmus in monologio c. 8. explicans quid sit fieri ex nihilo, sic inquit: *Dicitur aliquid esse factum ex nihilo, cum intelligimus esse quidem factum, sed non esse aliquid, vnde sit factum. Per similem significationem dici videtur, cum homo tristatur sine causa: dicitur contristatus de nihilo.* Ex quo etiam vltima pars eiusdem antecedentis satis liquet: nam quod causa liberè ab æterno operatur, non est contra rationem suæ libertatis. Vnde Deus ab æterno habuit actum liberum respectu creaturarum, & oppositum scilicet, habere illum in tempore, repugnat diuinæ immutabilitati: ergo, &c.

*Soluuntur fundamenta prima sententia.*

§. III.

28 **A**D primum ergo ex testimoniis SS. Patrum respondetur ex D. Thomæ opusc. 27. & de potentia quæst. citata ad primum, & in 2. sentent. vbi suprà, intelligendos esse de æternitate, prout significat durationem, nec secundum se totam, nec secundum aliquid sui, nec actu, nec potentia terminabilem; quia sic est proprium Dei attributum: & sic non poterit creaturæ communicari. Cæterum æternitas largè accepta, prout significat durationem actu interminatam; terminabilem tamen, & defectibilem, non est Dei attributum; & ideo, potest creaturis communicari.

Ad confirmationem respondetur, cæteros Patres, dum non admittunt creaturam esse Creatori coæternam,

B b 2

ternam, vel tantum negare, de facto id evenisse, quod verissimum est, de quorum numero sunt sancti Patres, qui contra Arium dicentem. Filium Dei non esse; Deum; sed creaturam; obiciebant Scripturam ex una parte dicentem: omnem puram creaturam in tempore incepisse; ex alia vero Filium ab æterno fuisse: ex quo necessario contra Arium ex Scripturis inferebant: Filium esse verum Deum: quia de Fide est solum Deum esse de facto ab æterno; vel solum volunt, non posse creaturam existere ab æterno duratione infinita, & indefectibili: alioqui iam esset Deus, ut optime intulit Ambrosius.

29 Ad primum verò ex ratione desumptum dicendum est: creaturam non petere necessariò, & indispensabiliter, ut de non esse ad esse transeat; nec oppositum huius sentit Augustinus nam ly *Aliquando non est*; aut *aliquando non fuit*, non significat actum; sed potentiam; ita ut sensus, sit, quod ex eo aliquid sit creatura: quia ex natura sua petit, habere sui initium; atque adeo de non esse ad esse transire, in quò à Creatore differt, qui sicut ex vi propriæ essentiae est ita adeo firmiter ab æterno suum esse possidet; ut nunquam potuerit non esse, vel incipere.

Et ad secundam probationem respondetur, ex D. Thom. locis modò citatis, & ex Anselmo. ubi supra, ad creationem tantum requiri quod fiat ex nihilo, id est, ex nullo præsupposito subiecto. Adde, ex eodem S. D. creationem tantum petere, quod non esse præcedat esse rei, non duratione, sed naturà: non quidem ita ut sit sensus, quod res simul sit sub esse & non esse; sed quod si ipsa sibi relinqueretur, nihil esset; esse verò solum habet ab alio, nam quod est natum inesse alicui ex se ipso: naturaliter prius competit, seu competet ei, quàm id quod non est illi natum inesse, nisi ab alio.

30 Ad primam confirmationem respondetur ex Nazario loco citato, §. quinto, *Considerandum est*, ubi sic inquit, *data creatione rerum ab æterno, nulla tunc superest differentia inter creationem, & conseruationem: cum hac una sit, & eadem actio Dei, hocque solo distet à conseruatione creatio, quod rei creatæ respectum quemdam notuitatis adiungit*. Una igitur tunc esset ratio creationis, & conseruationis; dicereturque Deus non solum semper conseruare mundum; sed etiam creare semper: non enim est de ratione creationis; intrinseca, ut sit productio esse post non esse: sed tantum, ut sit productio totius entis ex nihilo, siue ex non ente, modo superius exposito: distinctio tamen quædam rationis esset inter rei creationem, & conseruationem: nam eadem actio prout emanatio est præcisè totius entis à Deo, nuncuparetur creatio; quatenus autem manutenentia quædam est eiusdem esse permanentis in æternitate, conseruatio diceretur.

31 Ad secundam confirmationem respondetur negando consequentiam: quia annihilatio necessariò est ab esse ad non esse: quandoquidem quod prius non est, nequit desinere esse; at verò creatio tantum petit non esse ex præsupposito subiecto.

32 Ad secundum, & eius confirmationem neganda est sequela: etenim propositio negatiua numquam est vera; secus verò affirmatiua, si tamen utraque supponat pro æternitate, vel duratione, ab æterno durante, quod necessarium est, ad hoc ut sint contradictoria. Vnde argumentum instari potest in generatione æterna Verbi diuini, circa quam similes possunt contradictoria formari: & cum in productione hac certum sit earum vnam esse falsam; & alteram veram, idem etiam de illis prioribus dicendum erit.

Et ad probationem contra hoc dicendum est; non quamlibet propositionem de præterito, aut de fu-

turo esse probandam per aliquam de inesse in instanti temporis fluentis; sed sufficere, ut per aliam de inesse in instanti æternitatis probetur; ut patet in hac enuntiatione, *Infinita cogitationes Beatorum sunt futura* quæ nullam habet de inesse in instanti temporis fluentis; in nullo enim nunc nostri temporis erit verum dicere, nunc sunt infinitæ cogitationes: sed solum in instanti æternitatis, id verè affirmatur. Vnde licet gratis daremus, quod ista de inesse *Deus nunc non creat Angelum* sit modò vera, imò, & in quocumque determinato instanti temporis sit etiam vera, nihilominus ad hoc, ut sit falsa, satis est quòd in instanti æternitatis falso prædicatum attribuitur subiecto.

33 Adde propositionem illam esse falsam: nam supposito quòd Angelus creatur ab æterno, verum erit de præsentis dicere, quod nunc creatur, eo sanè modo, quo verè de diuino Verbo affirmamus, quod nunc generatur, & quod generatum est, & in perpetuum generabitur: nam cum tam generatio, quàm ista creatio sit ab æterno: non transeunt, sicut nec ipsa æternitas, cui coexistunt, sed ab æterno, seu per infinitum tempus imaginarium à parte ante durant.

Ad tertium respondetur ex D. Thom. apud citato, satis esse ad libertatem Dei, quòd prius natura, quàm agat, possit non agere: licet ex suppositione, quod agit, non possit in sensu composito non agere. Vnde ob hanc rationem, licet Deus ab æterno non produxerit mundum, voluit tamen habere ab æterno producere illum: quamuis facta suppositione talis volitionis, nequeat in sensu composito non vel- le. Ex quo ad secundam partem eiusdem sequelæ patet: nam illa necessitas conseruandi Angelum per totam illam durationem, est necessitas ex suppositione, & orra ex libertate diuinæ voluntatis.

34 Ad quartum respondetur, data ea hypothèsi, vel duo illa contraria non actura contra se inuicem, vel si agerent, neutrum expelleret aliud à proprio subiecto; sed teneretur Deus ex vi prædictæ suppositionis, vtrumque conseruare: quia supponitur, vtrumque esse ab æterno sub eisdem gradibus intentionis ut octo. Vnde toto illo infinito tempore non possunt non esse. Nec hoc est contra naturam illorum contrariorum (ut in argumento dicitur); quia facta illa suppositione, naturaliter sequitur, vnum ex illis duobus iam dictis. Quare optime notauit D. Thom. in 1. ubi supra, quòd sicut alia conueniunt naturaliter homini, ut est in utero matris, & alia; imò opposita, ut est extra illum: & idè naturale est illi in utero existenti non respirare, nec comedere, nec superflua expellere, è contra verò dum iam est extra uterum: ita ex suppositione, quod res ex se corruptibilis sit in utero (ut sic dicamus) æternitatis, naturale est illi, quod per infinitum tempus duret; cum tamen si ab æterno non fieret, oppositum ei naturaliter conueniret.

35 Ad vltimum respondetur: saltem non esse aliquam repugnantiam in hoc, quòd Deus producat Angelum illum cum gratia sanctificante, & sine actu charitatis. Vnde si semel repugnaret, dari prædictum actum ratione illius meriti infiniti; non indè sequeretur, esse impossibilem Angelum, aut gratiam ab æterno; non quidem ratione intentionis; sed ratione illius extensionis infinitæ.

Addimus tamen primò, quòd licet daremus, fore in illo actu proportionem infinitam ad merendam infinitam gloriam, si esset possibilis; non tamen illam de facto, & in exercitio meretur: tum ex defectu possibilitatis illius: tum etiam ex defectu aliorum: de quibus in 1.2. quæst. 114. Sicut licet actus Christi Domini habeat proportionem in actu primo ad

ad merendum gloriam sui corporis infinitam; non tamen actu, & in exercitio illam meruit ex defectu possibilitatis diæ, & similiter in actibus eiusdem Christi fuit in actu primo proportio ad satisfaciendum pro infinitis culpis infinitorum hominum, si essent, vt docent Theologi 3. parte q. 1. art. 2. non tamen actu, & in exercitio pro infinitis satisfecit. Quare, ad hoc vt in aliquo actu sit prædicta proportio, satis est, quod quantum est ex vi huius proportionis, possit mereri infinitam gloriam, si esset possibilis.

36. Addimus etiam secundò, ad infinitatem categorematicam alicuius virtutis operatiuæ, satis esse, quod correspondeat illi exercitium infinitum sin-  
 tegorematicè, ita vt quod de facto, & simul operatur, tantum sit finitum, licet semper possit amplius, & amplius operari, vt patet in omnipotentia Dei, cuius infinitas ex hac etiam parte desumitur, vt libro tertio diximus. Vnde sufficeret, ad illud meritum in actu primo, quod ratione prædictæ extensionis ponitur esse infinitum; quod posset illi correspondere gloria infinita in potentia; & consequenter, ita vt quæ simul ei data fuerit, semper sit finita; possit tamen maior, & maior communicari; quamuis etiam dicendum esset, non fore hunc modum communicandi gloriam connaturalem ipsi: quia ex sua natura petit, quod sit tota simul; non tamen id repugnat in ordine ad diuinam omnipotentiam: sed de his latius suo loco.

## Q V A S T I O I V.

*Verum motus, & tempus possint per Diuinam potentiam esse ab æterno?*

37. **T**itulus Quæstionis solam intelligitur de motu propriè dicto: nam quid dicendum sit de generationibus substantialibus rerum sublunarium, in sequentem quæstionem discutiendum relinquitur; vt ita clariùs, & distinctiùs in omnibus procedamus. Sed quia motus localis alius est rectus, & alius circularis, & similiter quilibet motus potest esse continuus, & discontinuus: ideo titulus de omnibus intelligitur; An nimirum possit dari ab æterno, tam motus rectus, quam circularis: cæterique alij motus augmentationis, & alterationis; siue alteratio illa, vt bi gratia, sit motus quidam continuus, & per se vnus, siue tantum sit vnus per aggregationem, & constans ex alterationibus discontinuis sibi inuicem succedentibus: & hoc ipsam de tempore cum proportionem dicendum est.

*Referantur, & saluauerunt diuersa sententia.*

### §. I.

38. **P**rima sententia asserit; nullum motum posse esse ab æterno adhuc supernaturaliter. Ita Durandus in 2. dist. 1. q. 2. art. 30. Scot. 8. Phys. q. 3. Conimbr. Rubr. Oñe. Plaga in præsentia. Suarez 2. tom. suæ Metaphysicæ. 2. sect. 6. n. 16. & 29. sect. 1. n. 8. & alij quam plurimi ex iunioribus.

Probatur primò ex D. Thom. opusc. 27. vbi postquam probauit, non repugnare, dari ab æterno aliquam creaturam productam per operationem subitam: *Repugnaret autem in causis producentibus effectus suos per motum: quia operaretur, quod principium motus præcedat finem eius*: ergo semit, impassibilem esse motum ab æterno. Et confirmatur ex D. August. 12. Colleg. Compl. Physic.

de Ciuitate Dei cap. 15: asserente: *Tempus, quoniam immutabiliter transcurrit; æternitati immutabili non potest esse conterminum.*

39. Deinde ratione primò: tempus, & motus essentialiter includunt prius, & posterius: ergo nequeunt esse ab æterno. Patet consequentia: tum quia in æternis non est interuenire prius, & posterius; sed omnia in illis sunt simul, vt ex definitione æternitatis à Boëtio tradita constat: tum etiam, quia secundum partem posteriorem nequeunt esse ab æterno, vt ex se est manifestum: neque secundum suam essentiam, quæ indispensabiliter includit prius, & posterius. Maxime, quia si semel secundum partem posteriorem non possunt esse ab æterno; nec secundum priorem poterunt: alioqui pars illa prior esset præsens per infinitum tempus in æternitate, antequam adueniret pars illa posterior, quod implicat.

40. Confirmatur: corruptio partium motus, quæcumque illæ sint, non potest esse ab æterno: ergo neque generatio, productiove quarumcumque partium motus. Antecedens patet: quia nihil potest esse prius eo, quod est æternum: at generatio necessariò est ante corruptionem: quia quod corrumpitur, amittit esse, quod per aliquam generationem productionemve sibi communicatum fuerat: ergo corruptio non est coæterna generationi, & consequenter, nec simpliciter æterna.

Consequentia verò probatur: quia si corruptio partium motus fuit ex tempore: ergo motus durauit per infinitum tempus, quin aliquid illius perierit: ergo non erat quid successiuum; sed permanens, & permanenter durans: nam de ratione entis successiuus est, vt immediatè postquam generatur, & adæquatè fuit, sine vlla durationis mora pereat. Quod argumentum non solum de quauis corruptione signatur, (vt per hoc solutioni quorundam occurratur) sed de vniuersitate corruptionum idem conuincit: quia etiam vniuersitas corruptionum in confuso sumptum supponit præcessisse aliquid realiter durans; atque adeo generationem alicuius esse.

41. Confirmatur secundò, quia alijs infiniti anni, menses, hebdomadæ, dies, & horæ fuissent ab æterno: sed hoc implicat: ergo, &c. Sequela patet: quoniam si anni verbi gratia non essent ab æterno, nec totum tempus, aut motus esset ab æterno: sed incepisset in eo anno imaginario, quo primus annus realis incepit. Falsitas verò consequentis videtur aperta: tum quia anni supponunt menses, menses hebdomadæ, noctes, dies; dies autem, horas; horæ verò quadrantes, &c. ergo nullum horum potest esse ab æterno: quod enim æternum est (vt iam diximus) nulla alia re potest esse posterius: sed quilibet, etiam ipsi Deo debet esse in duratione æquale. Tum etiam quia infinito nequit fieri additio: constat autem, quod quibusuis annis præteritis potest addi annus alius. Tum denique quia infinitum non est pertransibile, maxime per transitum successiuum: si autem fuissent infiniti anni præteriti, iam pertransissent: nam quod præteritum est, pertransitum est.

42. Secundò, si sol verbi gratia, simul cum suo motu est ab æterno, necessariò crearetur, vel in hoc nostro hemisphærio, vel in opposito; aut saltem in aliquo determinato situ: sed in quocumque dicatur creatus, oportet, quod in illo quiescat per tempus infinitum: ergo implicat quod ab æterno moueatur. Maior probatur: quia sol est corpus determinatum: sed omni corpori determinato debetur determinatus locus: ergo, &c. Minor autem probatur: quia in quocumque loco determinato dicatur, possum fuisse ab æterno; in eo fuit sine principio: quia ab æterno fieri in aliqua dispositione, est semper, & sine initio

Bb iij

fuisse

fuisse in illa : ergo implicat, quod ab æterno inde moueatur; alioqui simul moueretur, & quiesceret.

Confirmatur : quia si Deus crearet ab æterno cælum, ita ut ab æterno moueretur ab Oriente in Occidentem; non posset non reuolutio illa esse ab æterno : ergo consumeret, & non consumeret infinitum tempus. Consumeret quidem illud, quia est æterna; non verò consumeret, quia implicat consumi infinitum tempus in transitu quodam continuo finiti spatij; maxime, quia reuolutio illa integra tantum causat tempus viginti quatuor horarum.

43. Tertiò, motus localis debet esse posterior mobili : ergo non potest esse ab æterno : quia si esset ab æterno, esset coæternus mobili, ac proinde non esset posterior illo. Antecedens patet : quia mobile ut cælum, cum sit substantia permanens, debet incipere intrinsecè in aliquo instanti : sed motus non potuit poni in instanti, cum sit intrinsecè successiuus; ergo necessariò debet esse post instans creationis mobilis.

Quartò, si daretur infinitus motus, & tempus, fuissent infinita millia annorum : ergo posset Deus millesimo quouis anno creare vnum Angelum : nihil enim videtur, posse imponere Deo necessitatem ad hoc, ut à tali creatione absterneat : ergo cum modo præcessissent infiniti anni, essent quoque modo infiniti Angeli : quod apertam implicat contradictionem.

44. Secunda sententia asserit, motum circulem posse esse ab æterno ; secus verò reliquos alios motus. Ita aliqui ex iunioribus. Et quidem quoad motum circulem patebit ex dicendis pro nostra sententia. Quoad reliquos verò motus, constat ex dictis pro prima sententia, & insuper sic suaderi potest : quia motus localis, & rectus necessariò perit esse inter duos terminos finitos : quandoquidem non est dabile spatium infinitum, quod desiderabatur, ad hoc ut ab æterno motus rectus, ac per consequens infinitus posset dari per illud : & similiter si essent possibiles motus augmentationis, & alterationis, cum hi haberent latitudinem infinitam, quippe durantes ab æterno ; non posset non per illos produci infinita quantitas, aut qualitas in actu, quod manifestam inuoluit repugnantiam.

Nec obstat, si dixeris, vel quod prædicti motus non erunt continui, sed discontinui : quamuis ante quamlibet alterationem verbi gratia posset dari alia, & alia in infinitum ; tunc tamen Deus res ita disponeret, ut tot ex illis qualitatibus productis corrumpantur, quot fuerint necessariae ad hoc, ut nunquam detur multitudo qualitatum in actu infinita.

45. Nam contra hoc est, quòd, vel Deus ex illis qualitatibus productis per illam infinitam multitudinem alterationum destruit infinitum numerum qualitatum; vel finitum; si primum, ergo infinitæ qualitates extiterunt : quia quod non est, non potest destrui. Si secundum : ergo remanebunt infinitæ in actu : quia si ab infinito finitum demas, necesse est, ut id quod remanet, sit infinitum : alioqui non esset antea infinitum : utpote constans ex duabus partibus finitis.

ELIGITVR, ET SVADETVR  
sententia D. Thoma.

§. II.

46. **D**icendum tamen est, non implicare, motum, & tempus esse ab æterno ; siue talis motus sit circularis, siue rectus, siue augmentationis aut alterationis. Ita Caietan. 1. part. quæst. 46. artic. 2. Nazarius ibidem, asserens, omnes D. Thom. discipulos

debere hanc asseritionem tueri, Capreol. in 2. distinct. 1. quæst. 1. Egidius, & Gregor. ibidem. Herbæus, quodlib. 9. quæst. 3. Ferr. in hoc lib. qu. 3. Perer. de communibus rerum natur. principiis, lib. 15. c. 13. Iabell. in præsent. quæst. 14. Vasq. 1. prima part. q. 46. artic. 2. quam etiam ut probabilem defendit. Scot. in 2. distinct. 1. quæst. 3. & Soncin. 12. Metaph. quæst. 31. & eam docent quam plures alij quos referunt Nazarius, & Masius vbi supra.

Explicatur assertio. Non enim in ea intendimus, quòd in omnibus speciebus motus possit vnus, & idem motus, per se vnus, & continuus esse ab æterno ; sed quòd in omnibus illis potest dari ab æterno motus, qui sit saltem per aggregationem vnus, verbi gratia, quòd tot possunt alterationes multiplicari, ut ante quamlibet fuerit alia, & alia : & ex consequentia alteratio illa, seu collectio omnium illarum alterationum sit successiuus modò ab æterno. Diximus, *Saltem per aggregationem vnus* ; quia non negamus, quin motus circularis per se vnus, & continuus possit esse ab æterno. Imò forè motus viuentium, quo via recta ab A, in B, & rursus à B, in A, & sic in infinitum reflectuntur, potest esse supernaturaliter continuus.

47. Probatum primò ex D. Thoma dicto opusc. 27. de æternitate mundi, vbi multis probat, possibilem esse mundi creationem ab æterno, quoad omnes rerum species, & earum mutationes, vna dumtaxat humana specie excepta, & hoc ipsum asserit in 2. distinct. 1. quæst. 1. artic. 5. vbi absolute docet, possibilem esse mundi æternitatem, præterquam in propagatione iam dictæ speciei humanæ. Nomine autem mundi secundum communem sapientium, & insipientium usum significatur rerum omnium creaturarum vniuersitas, & idè D. Thom. ibidem soluit omnia argumenta contra possibilitatem rerum, tam permanentium, quam successiuarum ab æterno. Vnde 1. part. quæst. 46. in qua multoties innuit possibilitatem mundi ab æterno, sic inquit. *Vtrum vniuersitas creaturarum semper fuerit, & statim ait : Videtur, quòd vniuersitas creaturarum, quæ nunc mundi nomine nuncupatur, &c.* Vbi ut constat, pro eodem sumit mundum, & vniuersitatem creaturarum ; & sicut in titulo prædicti primi articuli ponitur nomen *Vniuersitatis*, sic in inscriptione secundi ponitur nomen, *Mundi*. Et in introductione quæstionis, vbi recensentur articuli, nulla de mundo fit mentio : sed quæstio illa sic inscribitur : *De principio durationis rerum creaturarum* : ut innueret, se pro eodem sumere nomen mundi, & vniuersitatis creaturarum.

48. Confirmatur primò ex eodem D. Thoma. q. 3. de potentia art. 7. ad 17. vbi cum proposuisset quoddam argumentum ad probandum, motum circulem fuisse de facto ab æterno : postea in solutione illius sic inquit : *Ad 17. dicendum, quòd illa ratio non probat, quòd motus semper fuerit ; sed quòd motus circularis possit esse semper.* Cumque eadem sit ratio de motu isto, ac de aliis ; eo modo, quem statim explicabimus, idem etiam erit de eis dicendum. Et articulo 15. eiusdem quæstionis cum in argumento nono ex his, quæ secundo loco adducit, obieciisset, creaturam mensurari tempore, vel æuo, & consequenter cum hæc durationes differant ab æternitate, non posse creaturam esse ab æterno : postea in solutione aperte innuit, in tempore esse duo, scilicet intrinsecam successionem, & habere principium, & finem : & similiter in æuo adiungi aliquam successionem : ut ibi Sanctus Doctor explicat : & ex consequenti si tempus esset ab æterno, maneret successio, per quam distingueretur ab æternitate, licet tunc non distingueretur ab illa per se per hoc, quòd actu careat principio : & reuera nisi sic intelli



intelligatur illa solutio, manebit argumentum omnid insolutum, ut intuenti patebit.

49. Quamvis autem assertionis huius probatio maximè pendeat ex solutionibus argumentorum utriusque sententiæ: tum quia eo ipso ostenditur nullam esse implicationem in hoc, quod motus, & tempus possint esse ab æterno: tum etiam, quia potissima eius probatio desumitur ex retorsione argumentorum contra suos Authores, quod quidem commodius in eisdem solutionibus præstabitur.

Nihilominus suadetur ratione sic. Nam (ut ex præcedenti quæstione constat) non repugnat esse ab æterno cælum: ergo nec motum eius. Pater consequentia: quia vel in eo euentu cælum ab æterno moueretur, & sic habemus intentum: vel quiesceret, & tunc licet actu non moueretur ab æterno, posset tamen sic moveri, quia quiesceret quiete priuata: si quidem eius natura est esse mobile; & adest ibi infinitum tempus imaginarium, in cuius latitudine posset tot circulationibus moveri: ut ante quamlibet prius esset alia, & sic in infinitum: ita ut omnes illæ circulationes corresponderent illi tempori, & consumerent totam illam latitudinem: ergo, &c.

50. Confirmatur, & explicatur: nos cum fundamento in re concipimus tempus imaginarium sine principio fluxisse; & sine fine fluxurum; & ideo si Angelus esset ab æterno, intelligeremus cum eodem fundamento coexistere eidem tempori, ut sine principio fluxit: ergo sicut tempus verum potest correspondere temporali, aut limitato modo, scilicet incipiendo, huic tempori imaginario; & similiter non repugnat, ut correspondeat toti suæ latitudini à parte post, ut ex dictis quæstione secunda huius libri constat: ita poterit correspondere toti illius latitudini à parte ante. Pater hæc consequentia: quia fluxum temporis verum possumus cum fundamento in re concipere ad modum temporis imaginarij, & è contra, omnia & argumenta, quæ militant contra existentiam veram temporis ab æterno, militant contra existentiam imaginariam cum fundamento in re temporis imaginarij ab æterno: in qua nulla debet inuolui implicatio, si semel cum fundamento in re concipitur. Maximè, quia ut ex solutionibus argumentorum constabit, non sequitur ex hoc, motum, & tempus illud ab æterno durantiæ esse infinita in actu simpliciter: sed solum secundum quid, & in potentia; quod argumentum cum sua confirmatione idem conuincit, (proportionem tamen quam supra inuimus, seruata) in aliis motibus.

51. Secundò, non repugnat, dari motum circulationem ab æterno: ergo nec motum rectum; atque ita nec repugnabit dari alios motus, & tempora ab æterno. Antecedens probatur: quia primum mobile, cum sit circulare, non habet principium, neque finem: quia in circulo non est accipere principium, & finem in actu: sed duratio motus potest sequi mensuram corporis, quod mouetur, & lineæ, super quam mouetur: ergo si neque in corpore ipso, nec (quod potissimum est) in linea circulari, supra quam mouetur, non est accipere principium, & finem in actu; & in ipso motu poterit non esse principium, nec finis: quæ probatio (ut ex D. Th. diximus) efficax est ad possibilitatem motus circularis ab æterno.

Ex quo etiam vltima consequentia patet: quia sicut in linea circulari potest deuolui in infinitum idem corpus; ita in linea recta, non quidem per vnum, & eundem motum continuum; sed per diuersos quatenus motus inde incipit, ubi alius desinit, & illuc reficitur, unde alius incipit, & sic in infinitum à parte ante.

*Satisfit testimoniis sanctorum pro prima sententia adductis, necnon primo, & principali eius fundamento una cum suis confirmationibus.*

## §. III.

52. Ad primum pro prima sententia ex D. Thoma desumptum respondetur: tum ex dictis pro prima nostra assertionem: tum, & maximè ex dicendis quæst. seq. in solutione ad 3.

Ad confirmationem respondetur ex eodem D. Thoma opusculato, & quæst. 3. de potentia ubi supra, testimonium illud esse intelligendum de coæternitate temporis, per durationem actu interminatam, & omnino interminabilem, excludentemque omnem excogitabilem successionem, & variationem; secundum quam rationem solum tres personæ diuinæ possunt esse sibi coæternæ; non verò de coæternitate latius sumpta, prout significat, posse semper fuisse: licet potuerit etiam habere sui initium.

53. Nec obstat, si dicas: sapientiam diuinam, verbi gratia; non solum non posse communicari in tota sua plenitudine, verum etiam nec deficienter; & accidentaliter, ita ut creatura possit participare sapientiam infinitam, & accidentalem: ergo idem dicendum erit de æternitate: ergo nulla creatura poterit infinite durare.

Respondetur enim: quod ut creatura sit ab æterno; non est necessarium, communicari ei durationem, etiam accidentalem, quæ sit simpliciter infinita in actu: nam si talis duratio fuerit, æuum poterit per suam entitatem absque additione alicuius intrinseci coexistere infinito tempori imaginario à parte ante, sicut potest per suam entitatem à Deo conseruata, correspondere infinito tempori à parte post. Si verò fuerit tempus, tunc, ut bene norauit D. Thomas, non sequetur, dari infinitum in actu simpliciter; quia infinitas temporis semper est admixta potentialitati, quoniam non est secundum se totum simul in actu. Vnde, sicut non inconuenit communicari sapientiam infinitam secundum quid, ut patet in Angelis, & in scientia Christi, ubi ad infinita obiecta extenditur, ita nec repugnabit, communicari durationem infinitam secundum quid.

54. Ad primum eiusdem sententiæ ex ratione petitum concedendum est Antecedens, & neganda consequentia. Et ad primam probationem dicendum est, quod licet in æternitate, prout est attributum Dei, non possit esse prius, & posterius; imò ipsa simul, & semel coexistat omnibus differentiis temporum; at tamen non repugnat, ut id, quod est æternum à parte ante per durationem creatam, ut in tempore contingeret, includat prius, & posterius; sicuti neque id repugnat in eo, quod est æternum à parte post, nam tempus posset sic in æternum durare, non obstante sua successionem.

Ad secundam probationem respondetur, quod licet res, quæ includit prius, & posterius, nequeat secundum aliquam determinatam sui partem esse ab æterno; non tamen repugnat, quod ante quamlibet partem posteriorem detur alia prior, & ante hanc rursus alia, usque in infinitum: ut ita possit verificari, numquam tempus illud incepisse, sicuti ad hoc, ut tempus esset æternum à parte post, non est necessarium, ut secundum aliquam determinatam partem posteriorem in æternum daret, sed satis erit, quod post quamlibet sequatur alia, & alia usque in infinitum, ut ita sit verum, tempus illud numquam desinere. Vnde, licet inter quamlibet, & quamlibet partem il-

lius temporis determinatam sit distantia finita; attamen ab vna determinata ad omnes ali. s, est distantia infinita.

55. Ad primam confirmationem respondetur: ad quamlibet corruptionem suo modo determinatam præcedere duratione suam generationem determinatam; non tamen ad omnes corruptiones simul sumptas præcedere posset prioritate temporis aliqua generatio: quia ante illam generationem præcesserunt aliæ, & aliæ generationes vsque in infinitum; imò & aliæ, & aliæ corruptiones sine principio.

Vndè sicut non valet: ad hanc determinatam speciem numeri præcedit alia prior prioritate perfectionis, ex eo quod data quacumque specie numeri quantumvis perfecta, potest alia, & alia dari perfectior: ergo ad omnes species numeri simul sumptas præcedit aliqua, quæ sit prior prioritate perfectionis: quia arguitur à diuisa, seu determinata ad copulatam. Et similiter sicut dato, (vt re vera dandum est) tempus à parte post, posse esse æternum; non valeret, post quamlibet determinatam generationem cuiusvis partis potest posterioritate durationis subsequi corruptio eiusdem: ergo post omnes generationes omnium partium, possibile est subsequi posterioritate durationis aliquam corruptionem; alioqui generationes illæ à parte post non essent infinitæ, nec actu, nec potentia: ita similiter non valebit, ante quamlibet corruptionem suo modo determinatam præcedit prioritate durationis sua generatio; ergo ante omnes corruptiones præcedit aliqua generatio. Quia arguitur à diuersis ad coniuncta, atque ita si semel colligimus omnes corruptiones, implicat superesse aliquam generationem alicuius partis: quia etiam superesset corruptio, & sic non essent collectæ omnes corruptiones.

56. Et potest hoc vnà cum aliis solutionibus cæterorum argumentorum explicari in tempore imaginario, quod cum fundamento in re, & sine implicatione contradictionis concipimus esse ab æterno, cum tamen corruptio imaginaria, & determinata cuiusvis partis ipsius præsupponat generationem eiusdem; & nihilominus non ob id est aliqua implicatio quod concipiatur esse ab æterno: quia ante illas corruptiones præcesserunt aliæ; & aliæ corruptiones, & generationes, & collectio omnium corruptionum non est posterior duratione collectione omnium generationum; alioqui tempus illud conciperetur, & non conciperetur cum fundamento in re ab æterno.

Ex quo ad secundam confirmationem concedenda est sequela, & neganda minor. Et ad primam probationem respondetur: quod licet in tempore finito menses sunt ante annos, ita vt ante illos menses non sint alij anni, non tamen hoc reperitur in tempore infinito: nam etsi ad quemlibet annum determinatum præcedant menses; attamen ante illos menses fuerunt alij, & alij anni in infinitum; & hoc sufficit, vt tam menses, quam anni sint ab æterno. Vndè, sicut in tempore à parte post non valeret: post hunc determinatum diem subsequitur, aut potest subsequi nox: & post menses determinatos subsequitur annus, & sic de aliis determinatè, & diuisiuè sumptis: ergo post omnes dies subsequitur, aut potest subsequi nox, & post omnes menses subsequuntur anni: ita non valet à parte ante ob rationem supra dictam.

57. Ad secundam probationem respondetur cum D. Thoma secundo contra Gentes capite 38. nihil prohibere infinito, ex ea parte additionem fieri, quæ est finitum. Ex hoc autem, quod ponitur, tempus posse esse ab æterno, solum dicitur, posse esse infinitum à parte ante: cum quo tamen stat, posse esse finitum à parte post. Vndè, non mirum quod

secundum hanc partem non repugnet, fieri illi additionem.

Ad tertiam probationem respondetur ex eodem Sancto Doctore, loco citato, ex secunda sententia, & secundo contra Gentes, vbi sic ait: *Infinitum, etsi non sit simul in actu, potest esse in successione: quia sic quodlibet infinitum acceptum, finitum est, qualibet igitur, verbi gratia, circulatio præcedentium transiri potest: quia finita fuit, in omnibus simul, si mundus semper fuisset, non esset accipere primum, & ita nec transitum, qui semper exigit duo extrema.* Vndè, licet infinitæ circulationes, aut anni fuissent præteriti: quia ad præteritionem non requiritur, quod sit ab extremo in extremum; attamen propriè loquendo non est ibi transitus.

58. Sed dices, si semel motus, & tempus sunt ab æterno, non solum non potuisse propriè pertransiri, verum nec præterisse: quia maior distantia ex hoc instanti, vsque in æternum à parte ante, quam ab eadem æternitate vsque ad hoc instans: sed ab hoc instanti non potest deueniri ad æternitatem à parte ante; ita vt tota illa latitudo præterita sit: ergo neque ab æternitate vsque ad hoc instans: ita vt tota illa latitudo à parte ante, præterita aliquando fuerit.

Confirmatur: quia similiter non est maior distantia ex hoc instanti vsque in æternum à parte ante, quam ab eodem vsque in æternum, à parte post, sed si tempus, & motus essent infinita à parte post nunquam pollent esse omnino præterita: ergo nec poterunt esse præterita in hoc instanti, si sunt infinita à parte ante.

59. Respondetur enim ex D. Thoma loco citato, ex secundo sententiar. in solutione secunda ad tertium ex his, quæ secundo loco obiicit, quod tempus præteritum est ex parte anteriori infinitum, & ex posteriori finitum. Tempus autem futurum è contrario: vnicuique autem ex parte illa, quæ infinitum est, est ponere terminum, & principium, vel finem, non verò ex illa parte, quæ est infinitum. Vndè non timetur, quod si tempus solum habeat esse ab æterno, possit dari illius finis à parte post, ac proinde, & præteritio, quod ab hoc instanti vsque in æternum non possit deueniri ad finem: quia proceditur ab ea parte, à qua tempus habet finem, ad eam secundum quam non habet illum: & similiter si tempus futurum sit infinitum, nec poterit ab hoc instanti, vsque in æternum à parte post deueniri, seu præteriti, aliàs ex ea parte, tempus illud non esset infinitum.

*Diluantur cætera alia argumenta in fauorem, tam primæ, quam secundæ sententiæ factæ.*

#### S. IV.

60. **A**D secundum principale respondetur: quod si sol ab æterno cum motu crearetur: tunc quantumcumque sit determinatus secundum substantiam, non deberetur illi primus locus determinatus: sed ante quemcumque signatum, poterit signari alius prior, in quo prius fuisset. Cuius ratio delumitur ex D. Thom. 4. Physic. & opusc. 3. quia corpori mobili quantumvis determinato non debetur locus, nisi ratione motus localis, seu ad instar eius: & qualis fuerit motus, talis locus ei deberetur: cumque si sol cum motu ab æterno crearetur, ab æterno etiam moueretur, & in illo motu non posset assignari prima pars determinata motus, sed ante quamlibet esset assignabilis alia prior vsque in infinitum à parte ante; consequens esset, vt eidem soli ab æterno vnà cum motu creato non deberetur primus locus determinatus: sed ante quemcumque

quemcumque signatum, posset assignari alius prior, vel illemet in quo prius fuerit ratione aliarum partium motus; quamuis cum hoc stet, quod possit eidem solis designari determinatus locus secundum substantiam, super quem continuè reuoluatur; puta ab Oriente in Occidentem.

Ad confirmationem responderet: solem in quauis reuolutione determinatam, tantum consumpturum finitum tempus. Vnde secundum nullam particularem reuolutionem potest esse ab æterno, non tamen repugnat, ut ante quamlibet detur alia, & alia infinitum, & quod ratione omnium illarum sibi inuicem succedentium sit ab æterno.

61 Ad tertium responderet cum Masio, & Nazario, negando antecedens intellectum de motu locali ab æterno in quo crearetur mobile: qualis esset motus circularis alicuius sphaeræ. Et ad eius probationem dicendum est: quod sicut mobile, quod est ab æterno, non habet aliquod instans initiatiuum sui, sed ante quodlibet fuit, quia habuit totum suum esse ab æterno in instanti, (ut sic dicamus) permanenti per totam æternitatem; ita licet huic determinatæ parti aliquotæ motus circularis, qui ponitur ab æterno, sit assignabile instans initiatiuum: quia tamen ante quamlibet partem fuit alia & sic in infinitum; ideo ante quodlibet instans initiatiuum iam fuit motus, & in hoc consisteret æternitas eius, quæ, ut constat diuersa ratione conueniret ei, ac competere ipsi mobili. Itaque, licet causæ efficiens mouens in eo euentu cælum, & cælum ipsum esset prius duratione qualibet reuolutione determinatam; non tamen omnibus collectæ im sumptis: quia ante quamlibet daretur alia. Nec inde fit, motum esse in instanti; sed ante quamlibet circulationem prius fuisse aliam.

Quæ omnia possunt explicari, tum exemplo temporis imaginarij, quod est æternum à parte ante: tum etiam, exemplo suprà tracto generationum, & corruptionum partium motus æterni à parte post, quarum quælibet, licet non adæquet durationem æternitatis à parte post; benè tamen collectio omnium, saltem quoad hoc, quod est, non habere finem. Nec ex hoc sequitur, simul fore generationem, & corruptionem; sed quod post quamlibet determinatam generationem sit alia.

62. Ad quartum respondet Nazarius, posse Deum, in quouis anno diuini sumpto producere vnum Angelum; non tamen in omnibus collectiue. Vnde non valet, potest Deus in singulis annis diuini sumptis creare vnum Angelum: ergo in singulis collectiue: quia proceditur à sensu diuino ad compositum, vel copulatum.

Sed melius responderet cum Soto, & eodem Nazario ubi suprà, potuisse Deum tunc singulis annis creare vnum Angelum; sed per singulos etiam annos, verbi gratia, singulos Angelos annihilando tuncque dari vltimum à parte post annihilatum: sicut etiam datur vltimus annus à parte post, secundum quam partem tempus esset finitum. Sed de hoc iterum redibit sermo in solutione ad vltimum. Aduertendum tamen id, quod iam inuimus, scilicet hoc argumentum euidenter instari in tempore imaginario à parte ante infinito, nam respectu eius potest idem argumentum fieri, & eodem modo ab omnibus soluendum est.

63 Ad fundamentum pro secunda sententia responderet quod ut notauit Diuus Thomas quæstio. 3. de potentia artic. 17. ad 17. solum motus circularis, in sententia Aristotelis ponentis mundum ab æterno, potest esse continuus, & simul æternus: nobis tamen sufficit ad saluandum, esse possibilem perpetuitatem motus à parte ante posse esse vnum per aggregationem;

ita ut ante quemlibet motum rectum potuerit idem mobile prius habere alium, & alium, usque in infinitum quoad alios verò motus, scilicet augmentationis, & alterationis, certum est non posse dari vnicam, verbi gratia, alterationem, quæ sit continua, & ab æterno, ne cogamur dicere, dabilem esse vnicam qualitatem infinite intensam: quia ad unitatem motus requiritur, inter alia, unitas termini.

Vnde ad probationem contra hoc dicendum est: quod sicut dato motu ab æterno usque ad præsens instans, fuissent præteritæ, & corruptæ infinitæ partes aliquotæ motus; & tamen nunquam simul extiterunt, ita datis illis infinitis alterationibus sibi inuicem succedentibus ab æterno fuissent modò præteritæ infinitæ qualitates; licet nunquam simul extiterint.

64 Quod etiam amplius explicari potest, in vbiæ rationibus producendis per motum circularem, & æternum: nam modò fuissent infinitæ deperditæ; & tamen nunquam simul habuerunt existentiam, & sicut si quælibet illarum non corrumpeteretur ad corruptionem partium motus: sed peteret, durare per mentem, vel annum, verbi gratia: tunc nunquam infinitæ ex illis fuissent simul: licet iam infinitæ præterierint: ut intuenti satis constabit: ita quia quælibet ex illis qualitatibus per motum producta est intra finitum tempus corruptibilis, & in casu quæstionis, suæ naturæ relinquitur: ideo nunquam dabitur infinita multitudo qualitatum simul existentium, sed solum modò successiue, ita ut, licet infinitæ qualitates præterierint, nunquam tamè simul etiam existentiam habuerint. Hoc autè modo dari infinitam multitudinem, non inconuenit, ut ex Diuo Th. in solutione ad secundam confirmationem diximus: non tamen implicat contradictionem, quod Deus per suam absolutam potentiam, quamuis multitudinem illarum qualitatum, circa infinitam simul, & semel in rerum natura conseruet: ut ex se, & ex alibi dictis satis manifestum est.

## QVÆSTIO V.

*Utrum generationes, & corruptiones substantiales huius vniuersi potuerint per diuinam potentiam esse ab æterno.*

85 Sensus tituli quæstionis est: an si hoc vniuersum ab æterno crearetur cum his numero indiuiduis. Cælis, elementis, & aliis, quæ in prima productione creata vel generata sunt, tunc possent generationes, & corruptiones substantiales naturali modo factæ, esse ab æterno; eo sanè modo, proportionem tamen seruata, quo si mundus esset æternus à parte post, possent etiam generationes, & corruptiones sine fine durare. Diximus, naturali modo factæ, id est, media alteratione, & dispositionibus naturalibus: & ita vti tam indiuidua per generationem producta, quam eorum formæ tamdiu durare possint, quamdiu natura ipsorum petit.

Addimus, tamen proportionem seruata; quia oportet esse discrimen quoad ea, quæ in diuerso illo modo æternitatis à parte ante, & à parte post necessariò inuoluuntur. Vnde, si mundus esset æternus à parte post, non esset necessarium dari aliquod determinatum indiuiduum à parte post durans, si verò mundus esset æternus à parte ante, modo iuper dicto, oporteret dari plura indiuidua particularia, & determinata per creationem producta quæ per infinitum tempus à parte antedurarent: puta hoc numero cælum, & cætera alia indiuidua, quæ in qualibet specie de facto fuerunt primò producta.

8b 5

Adduci

*Adducitur, & corroboratur sententia negativa.*

**§. I.**

66 **P**attem negantem tuentur omnes Authores, quos quæstione præcedenti pro prima sententia adduximus. Probatum primo: quia repugnat, multitudinem generationum, quarum una sit post aliam, esse ab æterno, quin sit infinita: alioqui non possent consumere illud infinitum tempus, quod est ab æternitate, v. que ad hoc intrans: sed repugnat, prædictas generationes esse infinitas secundum multitudinem: ergo, &c.

Minor probatur; in generationibus speciei leonis, verbi gratia, esset ab hoc ultimo leone modo genito deveniendum ad illum primum leonem, qui à Deo immediatè per creationem processit: ergo multitudo leonum esset finita, quippe clausa duobus terminis: ergo multitudo generationum, & corruptionum prædictæ speciei esset etiam finita. Patet hæc consequentia: quia nequeunt generationes esse infinitæ, si leones illi sunt secundum multitudinem finiti.

67 Confirmatur: ubi est prima, & ultima generatio, non potest esse infinitas, in serie, & ordine talium generationum: sed in casu quæstionis dabitur prima, & ultima generatio: ergo, &c. Minor quoad secundam partem ex se patet; quoad primam verò probatur: quia illud est primum, ante quod non est aliud: sed ante illam generationem, quæ immediatè procederet à leone, & leona productis à Deo per creationem, non esset alia: alioqui esset, & non esset immediatè procedens ab illis: ergo, &c.

Secundò, quia aliæ generationes & corruptiones hominum possent esse ab æterno: sed hoc est impossibile: ergo, &c. Sequela constat: tum ex paritate rationis: tum etiam, quia non est homo minoris virtutis ad generandum, quàm reliqua alia entia naturalia. Minor verò probatur, quia essent modo infinitæ animæ in actu, siquidem præcessissent infiniti homines, & cuilibet data est sua anima indeficiens, & perpetuò durans.

68 Tertiò, generationes, & corruptiones modo naturali factæ, non aliter sunt; quàm prævia alteratione disponendo materiam, & in fine motus corumpendo unam formam, & generando aliam: ergo talis alteratio debet præcedere duratione generationem substantiarum; & consequenter tales substantiæ nequeunt esse ab æterno. Prima consequentia patet ex his, quæ quæstione præcedenti in solutione ad primum ex Divo Thoma diximus, scilicet implicare, mundum esse ab æterno, si fiat per motum, qui in fine sui esse, producit illum: quia oportet principium motus præcedere finem eius.

Quartò, in causis efficientibus nequit dari processus in infinitum, ut docet Aristoteles 2. Metaphysicæ text. 1. sed si præcessissent infinitæ generationes, & corruptiones, daretur prædictus processus: ergo, &c. Minor probatur: quoniam præcessissent infiniti leones habentes inter se ordinem generantis, & generati, sicut si mundus esset æternus à parte post, non possent non esse infiniti leones generantes, & geniti.

69 Confirmatur: quia alioqui suerent omnes demonstrationes Aristotelis, quibus ex motu, & causis mouentibus, & mobilibus colligit, dandum esse unum primum motorem omnino immobilem: quoniam ferè omnes illæ in hoc principio innituntur, scilicet, non posse in causis efficientibus dari processum in infinitum.

Tandem huc spectant plura argumenta ex his, quæ pro prima sententia in quæstione præcedenti adduximus, quæque non minus hanc, quàm illam suadere videntur.

*Deciditur quæstio ex mente D. Thom. & respondetur argumentis partis negativæ.*

**§. II.**

70 **D**icendum tamen est: non implicare generationes, & corruptiones totius uniuersi fuisse ab æterno, unica excepta humana propagatione. Hæc est Divi Thomæ locis quæstione præcedenti citatis, quem sequuntur Caietanus, Nazarius, Iauellus, Capreolus ibidem relati, necnon & quamplurimi alij ex Thomistis; quam etiam vix probabilem tuentur Conimbricenses in præsentis cap. 4. quæstio 7. articulo sexto.

Assertio hæc quoad exceptionem propagationis humanæ videtur satis conuinci argumento secundo pro prima sententia adducto: nam, ut constat ex his, quæ in explicatione tituli diximus, loquimur de generationibus, & corruptionibus naturali modo factis; ita ut tam individua genita, quàm eorum formæ tamdiù durent, quamdiù natura ipsorum petat: ergo implicat dari propagationes speciei humanæ, sibi ab æterno succedentes. Patet consequentia: quoniam si hæc ab æterno præcessissent, daretur nunc infinita multitudo animarum, siquidem præcessissent infiniti homines, quorum animæ sunt immortales; & idèd si propriæ naturæ relinquerentur, omnes modo simul essent.

71 Deinde, quoad possibilitatem reliquarum propagationum ab æterno, & modo dicto, sic suadet assertio ex dictis quæstione præcedenti: nam si semel non implicat, dari alterationes ab æterno: & per consequens præcessisse alias, & alias ante quamlibet vique in infinitum; neque etiam repugnabit, fuisse etiam generationes, & corruptiones substantiales ab æterno. Patet consequentia: quoniam per quamlibet ex his alterationibus potest sufficienter materia disponi ad introductionem vnius formæ, & expulsionem alterius: sicut quia alterationes possunt esse æternæ à parte post; idèd generationes possunt etiam sine fine durare.

72 Ad primum ergo pro prima sententia respondetur cum Conimbricens. loco citato: leonem illum per creationem productum non ita generasse alium leonem determinatum; quin prius alium, & alium usque in infinitum à parte ante generasset: atque ita generationes, & leones, quæ usque ad hoc intrans præcessissent; essent à parte ante infinitæ. Unde, leo ille à Deo creatus, & usque ad præsens durans esset prior duratione, prioritate tantum negativa: quia ante illum nullus alius præcessisset; non verò positiva: quia licet præcederet duratione quamlibet ex illis generationibus determinatam; non tamen collectionem omnium illarum: quandoquidem ante quamlibet datur alia, & alia usque in æternum, à parte ante. Unde nec diceret ordinem ad aliud tanquam ad secundum: quia ad hoc desiderabatur, ut esset aliquod individuum, quod primò generaretur; cum tamen hoc in casu quæstionis aperte implicet; & per consequens non tolleretur, quo minus infinitæ generationes, & leones geniti præcessissent. Maxime, quia prædictus leo haberet se, ut terminus extrinsecus totius multitudinis generationum, & reliquorum leonum, quippe qui esset extra omnem generationem, & multitudinem illam genitam; & ita maneret quodammodo extra

tra sortem infinitatis, & eam nullo modo tolleret, ut constar ex his quæ suprà lib. 3. disp. 18. quæstione vltima diximus.

73. Ad confirmationem neganda est minor quoad primam eius partem: & ad probationem dicendum est, esse æquivocationem in illa particula *immediatè*: nam licet daretur tunc generatio, imò & multitudo generationum infinita procedens à primo leone, & læna immediatè immatione causæ, id est, nulla alia causa proxima mediante; non tamen daretur aliqua generatio immediatè ab eis procedens, propterea quod *immediatè* excludit mediationem alterius generationis prioris: si quidem, ut ex dictis constar, ante quamlibet generationem præcessisset, & mediasset alia.

Ad secundum respondent Conimbric. quod semel concessis generationibus aliis ab æterno, nulla ratio conuincit ad negandum; propagationem humanam potuisse esse æternam. Nos tamen dicimus, argumentum hoc probare exceptionem nostræ assertionis, ubi etiam sufficiens disparitatis ratio inter humanam propagationem, & cæteras alias traditur. Vnde homo ab æterno creatus licet haberet (ut sic dicamus) ex tunc potentiam ad generandum; non tamen ad generandum pro tunc, sed pro ipsa æternitate ob rationem dictam.

73. Ad 3. respondetur cum Nazar. & Conimbr. probare, quamlibet generationem, & corruptionem determinatam media alteratione, & in fine illius factam, non posse esse ab æterno; non tamen ante quamlibet non posse dari aliam, & aliam in infinitum: & ita tota illa collectio generationum posset consumere cunctam illam durationem, quæ esset ab hoc instanti vsque in æternum à parte ante. Sicut licet quælibet circulatio integra, & determinata cæli non datur, nisi post viginti quatuor horas; nihilominus circulationes illæ possunt esse ab æterno: quia ante quamlibet datur alia, & nulla singularis circulatio ponitur ab æterno: sed collectio omnium illarum consumens infinitum tempus.

75. Ad illud tamen, quod ex Diuo Thoma adducitur dicendum est, potius esse pro nobis: quia tantum vult, nullum determinatum individuum, factum per motum, & in fine illius posse esse ab æterno; & idè probat, mundum, propterea quod fuit factus, id est, cum illis numero, & determinatis indiuiduis, cum quibus productus est; imò nec cum aliis signatis, non potuisse per motum esse ab æterno. Nam si quæuis signata alteratio debet incipere in tempore: & mundus produceretur per illas alterationes signatas & in fine earum: consequens esset, ut etiam ipse mundus inciperet in tempore; non tamen negat quod licet quæuis particularis alteratio, vel generatio debeat incipere in tempore; nihilominus collectio omnium motuum, & indiuiduorum nequeat per successionem iam dictam vnus ad aliam esse ab æterno: quia, ut optime notauerunt Conimbr. & ex suprà dictis constar; licet quamuis generationem determinatam, & diuisiue sumptam præcedat dispositio materiæ; attamen omnes simul, nulla eiusdem materiæ præparatio antecessisset: sed de his videantur ea, quæ in præcedenti quæstione in solutionibus argumentorum diximus.

76. Ad quartum respondetur ex Diuo Thoma secundo contra Gentes, capite 38. & prima parte, quæstione 46. articulo 2. quod datis illis duobus leonibus ab æterno creatis, & ab æterno generantibus, potuisset etiam esse ab æterno collectio leonum generatorum, imò collectio leonum generantium, quamuis quæuis ex leonibus generatis in particulari sumptis non esset ab æterno; hinc tamen nullum se-

queretur inconueniens: quia licet procederetur in infinitum in causis efficientibus, & per accidens subordinatis; non tamen in eisdem per se subordinatis: quia per accidens est respectu huius leonis vltimè producti, quod præcesserint alij infiniti: quamuis sit per se, quod procedat ab hoc determinato leone; & ita si hic datur, non minus bene procederet ab eo, quam si nullus alius præfuisset.

Ratio autem, ob quam in causis per se subordinatis non sit abeundum in infinitum est: tum quia omnes illæ actus influunt: & sic omnis illa infinita multitudo actus existeret in tempore: tum etiam, quia gradatim, & ordinatè deberent concurrere ad actionem: nam proxima, & immediata causa ageret in virtute secundæ, & hæc in virtute tertiæ: & cum infinitum gradatim sit impertransibile, numquam virtus vltimæ, seu immediatæ causæ completetur: quippe pendens ab infinitis. Quæ, ut constar, non procedunt in causis per accidens subordinatis. Ex quo ad confirmationem satis patet: nam demonstrationes Arist. innituntur in impossibilitate processus in infinitum in causis per se subordinatis.

## QVÆSTIO VI.

*Quomodo ex motu deueniatur in cognitionem primi motoris, & attributorum eius.*

Postquam de motu, & de corporibus mouentibus, & mobilibus latè egimus, oportet, ut ostendamus, quomodo ex iis in cognitionem Primi Motoris, & plurium attributorum eius deueniatur. Tota enim horum librorum structura eò tendit, ut nimirum ex motu, & ex entibus mobilibus, noticiam Primi Motoris comparemus.

*Demonstratur ex motu dandum esse vnicum primum motorem omnino immobilem, æternum, simplicissimum, & infinita virtutis.*

### §. I.

77. Dicendum est primò. Ex motu optime colligitur, dandum esse vnicum primum motorem omnino immobilem. Ita Arist. in præsentis text. 28. & deinceps Diu. Thom. ibidem, & 3. contra Gentes cap. 1. §. prima parte, quæst. 2. articulo 1. & in compendio Theol. cap. 3. & communiter Philosophi, & Theologi.

Probatur ratione eiusdem Aristotelis & Diui Thomæ. Necesse est, omne, quod mouetur, moueri ab alio: sed in causis mouentibus, & mobilibus per se subordinatis, non potest procedi in infinitum: ergo deueniendum est ad vnicum primum motorem, qui ita moueat, ut sit omnino immobilis. Maior patet ex his, quæ libro septimo, disputat. 28. quæst. 1. latè diximus. Minor verò etiam constar, tum ex his, quæ diximus quæstione præcedenti: tum etiam ratione Aristotel. in præsentis text. 35. quia id, quod mouet instrumentaliter non potest mouere, nisi sit aliquid, quod principaliter moueat: sed si in infinitum procedatur in mouentibus, & motis: omnia erunt quasi instrumentaliter mouentia, quia ponentur sicut mouentia mota; nihil autem erit sicut principale mouens, ergo nihil mouebitur.

78. Ex quo prima consequentia satis liquet, imò & secunda, scilicet, hoc primum mouens debere esse omnino



omnino immobile: quia cum sit primum mouens, nec potest moueri ab alio, ut ex se constat; neque à se, ita ut secundum idem sit mouens, & motum, ut patet ex dictis supra lib. 7. vel ita ut secundum unam partem sit mouens, & secundum alias motum: nam præterquam quod est contra rationem primi motoris, primique entis, quod constet partibus componentibus: quia partes sunt priores toto, & sic daretur aliud ens prius primo mouente: nihilominus adhuc sequeretur, non ipsum, sed partem illam esse per se primum mouentem: & ex consequenti, & per se primum ens, quippe quæ per se primum, & non ratione alterius moueret; quod euidenter est contra rationem partis, quæ ex se est quid incompletum, & ab alio pendens.

Adde, ex eodem Sancto Doctore, quod omnis motus videtur ab aliquo immobili procedere, quod scilicet non mouetur secundum illam speciem motus: sicut videmus, quod alterationes, & corruptiones, quæ sunt in istis inferioribus, reducuntur sicut in primum mouens in corpus cæleste, & tamen cælum secundum hanc speciem motus non mouetur, cum sit ingenerabile & incorruptibile; illud ergo quod est primum principium omnis motus, oportet esse immobile omnino.

79. Nec refert, si cum Iuniorum quodam dicas; hinc non haberi, deueniendum esse ad primum motorem, qui tamen sit vnicus, quia possent omnia mobilia dependere à pluribus motoribus primis, id est, qui inter se, aut ab alio minimè penderent: omnia tamen moueantur ab ipsis. Nam contra hoc est: tum quia eo ipso duo illi motores essent duæ causæ eiusdem ordinis: ergo non possent mobilia pendere simul ab utroque per se, & connaturaliter quo pacto omnia mobilia penderent à primo motore: tum etiam, quia iam distinguenter, saltem numericè, & ita cuilibet deesset illa perfectio, per quam ad inuicem distinguenter: & consequenter non haberent omnem excogitabilem perfectionem: quod est contra rationem primi motoris, ut statim dicemus.

80. Ex quo sequitur, hunc primum motorem debere esse æternum, semperque, & necessariò esse, & consequenter, omni prorsus compositione carere; ita ut cunctæ eius perfectiones sint vna & eadem simplicissima perfectio secundum rem. Corollarium hoc est Aristotel. & Diui Thomæ & commune inter Philosophos. Prima pars illius ex se patet: nam omnimoda immutabilitas est ratio à priori æternitatis. Secunda verò pars ostenditur à Diuo Thoma & Aristotele; tum quia quod est, & potest esse, & non esse, est mutabile: ergo si primus motor est, & est omnino immutabilis, ut ostensum est, non est possibile esse, & non esse: ergo necesse est, ipsum esse.

Patet hæc vltima consequentia: quia omne quod est, & non est possibile ipsum non esse, necesse est ipsum esse: si quidem necesse esse, & non possibile non esse, idem significant. Tum etiam quia alioqui non esset primum ens, & primus motor. Patet sequela: quia quod est possibile esse, & non esse, indiget aliquo alio, quod faciat ipsum esse: quia quantum est in se, potest esse sub esse & non esse, & quod potest esse sub non esse nequit seipsum in de extrahere: ergo cum id, quod extrahit aliud à non esse, sit prius illo, iam aliud ens, quod ponitur esse primum, non erit primum.

81. Ex quo etiam tertia pars eiusdem corollarii sic eodem Aristotele & D. Tho. suaderetur: nam in omni compositione oportet etiam, simul ibidem inueniri duo, quæ se habeant sicut potentia, & actus; in primo autem mouente, si omnino est immobile, impossibile est, esse potentiam cum actu: nam vnumquodque secundum quod est in potentia, habet esse mobile.

Adde ex eisdem, quod alioqui iam non esset primum, nam ut dicebamus, componentia naturaliter sunt composita priora.

82. Dicendum est secundò: hunc primum motorem debere esse infinitè perfectum, & infinita agendi virtute pollentem. Ita Aristotel. in præsentia D. Thomæ sapientissimè, & prima parte, q. 7. & 25. & in Compens. Theol. cap. 18. & 19.

Probatum assertio quoad primam eius partem ex eisdem: tum quia hoc ipso quod nullam habeat sui esse causam, sed ex vi propriæ essentiae absque dependentia ab omni prorsus causa sit, non habet unde limitari possit: quia esse rei ex causis eiusdem esse limitari debet: tum etiam, quia ut optimè notauit Diuus Thomas hoc ipso, quod sit primum mouens respectu omnium mobilium, oportet, ut præexistant in eo perfectiones infinitarum creaturarum possibilitatum: nam omne, quod mouet aliud ad aliquam perfectionem, prius habet in se perfectionem, ad quam mouet: sicut magister prius retinet in se doctrinam; quam aliis tradit. Tum etiam, quia hoc ipso, quod primus motor est omnino immobilis: & ex consequenti carens omni patientialitate, necesse est, ut totus sit actus irreceptibilis in aliquo subiecto: ergo & quod sit infinitus secundum essentiam, & perfectionem. Patet consequentia ex his, quæ supra lib. 3. disputatione 18. quæst. 2. diximus, scilicet, nullum actum finiri, nisi per potentiam, quæ sit eius receptiua.

83. Confirmatur ex eodem Sancto Doctore, quia quando aliqua sunt sublimiora, tantò suo modo maiora inueniuntur. Unde elementa, quo superiora sunt, eò etiam sunt quantitatiue maiora, ut satis constat: ergo ens, quod inter omnia entia primum est, & eo non potest esse aliud prius: quia est primum mouens, oportet, quod sit infinitæ quantitaris; non quidem molis, quia est incapax compositionis: sed perfectionis. Patet hæc vltima consequentia: quia alioqui posset excogitari aliud ens eo sublimius, & consequenter prius: siquidem hoc ipso quod aliquid sit finitè perfectum, potest excogitari aliud eo sublimius.

Ex quo etiam secunda pars eiusdem assertionis sic ostenditur à Diuo Thoma. Tum quia virtus agendi consequitur essentiam rei: nam vnumquodque secundum modum, quo est, agere potest. Si igitur Deus secundum essentiam infinitus est, oportet, quod eius virtus sit infinita: tum etiam quia vnumquodque secundum quod est in potentia, habet virtutem receptiuam, & secundum quod est in actu, habet virtutem actiuam, & idè quia materia prima est secundum se expers totius actualitatis, idè caret omni actiuitate: ergo si primus motor, hoc ipso quod sit omnino immobilis; caret omnipotentia, & ita est summè actus purus, habebit summam vim agendi, & consequenter infinitam.

*Ostenditur ex motu primum motorem esse ubique, necnon esse intelligentem, & valentem in summo perfectionis gradu.*

## §. II.

84. Dicendum est tertio, optimè colligi ex motu, primum motorem esse ubique. Ita Aristot. libro 1. de Anima capite vltimo, & in libro de mundo ad Alexandrum. D. Thom. prima parte quæstione 8. articulo 1. & alibi sæpè, & communiter Philosophi, & Theologi. Probatum ex eisdem: nam hoc ipso, quod sit primum mouens, necesse est, omnia moueri ab ipso: ergo & quod sit coniunctus cum omnibus mobili









